

Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

1ª = 12544

Digitized by Google

FLC
74.008

~~66-2.~~

~~[illegible]~~

Digitized by Google

Digitized by Google

R 178554, 5

R. P.
IOSEPHI POLIZZII
SICVLI PLATIENSIS
E SOCIETATE IESV
PHILOSOPHICARVM DISPVTATIONVM:
TOMVS TERTIVS
DE ANIMA, ET METAPHYSICA:

TRACTATV DVPLICI LOCVPLETATVS

Quorum alter libros Aristotelis de Anima: alter vero Metaphysicorum dilucidè sibi interpretandos proponit,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

De la Libreria del Coll.o Imp.l de la Comp.a de Jhs de Mex.



LIBRERIA DEL COLLEGIO IMPERIAL
IHS

PANORMI;

Ex Typographia Augustini Bossij. M. DC. LXXV.

Impr. Cuzolinus G. & V. G. *Impr. R. Ioppulus P.*

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSECRATAE VIRGINIS

DEIPARAE IMAGINI A DIVO LVCA DEPICTAE

à Nicolao secundo Rogerij Comitis nuncupatae; ab eoque in triumphali vexillum prius erectae, nunc vero suis impensis ornatae

Platienses hunc Elogium, à quibus tandem in Templo maxi-

Nicolao Nomini dicato ad publicum cultum

exposita est.



Ergo supra omnium præterlabentium amplitudinem Cœlo prope-

fibi præcauptoria potemus hic mortalium ingenia

bonda quæquam inter cælicolas tuis fulcior alis omnia Pla-

tiensis Deipara, Cæli, terrarumque Iu[illegible], quæ lucid

dissimum pelagi sidus, candidissima Cæli Ales auiti sceleris

felle prorsus immunis, non nisi faustissima portendis, vbi

fauens mortalium cæptis propitio patrocinij radio affulseris?

An fulgentiorem meo tripartito operi coronidem imponam, quam si tuo suffulciam nomine, tuisque velim fulgoribus exornatum, Maria tenebrarum nescia, Diuini solis Aurora? Id, qualecumque est volumen, tibi totum debetur, quo de Anima, & Metaphysicorum libros luculenter exponere sum aggressus. Tu enim vnica animorum nostrorum Spes, atque præsidium: Tu insolitis ditata prerogatiuis, quamcumque naturæ metam es prætergressa; quando Diuini Numinis maiestatem extra omnem oculi iactum ex æternitate sitam purissimo carnis velamine çonuestitam humanis aspectabilem fecisti obtutibus. An non tuo inscribendum Nomini, quod tuum est, cui me, meaque omnia ipsis ab incunabilis sanè deuoueram? Platiæ quandoquidem patriæ meæ lucem aspicit nemo, qui non se, suaque omnia ingenito quodam animi ardore tuæ clientelæ penitus emancipatum non sentiat. Quod verò venerabunda Platiensium dona, amoresque tibi vt arrideant futurum sit, eo suspicari, vel potius compertum habere mihi videor, quod & tuis ipsa muneribus pios illorum in te ignes fouere dignata es; dum ad hanc vsque diem seruari permiseris, abstrusam diu, inde decursu temporis humo effossam non sine numine, augustissimam tui Iconem Diui Lucæ penicillo exaratam, quam in victoriæ tesseram ab Nicolao Secundo Pontifice Maximo habitam Rogerius æterni nominis Comes in triũphale olim vexillũ erexit, ad vltimũ vsq; ab vniuersa Trinacria Saracenorum, à quibus acerbissimo Tyrannidis iugo premebatur, excidium, & internecionem. Quo vnico gloriæ munimento ab eodem ipso Duce donata superbit magis Patria mea, quàm cæteris prærogatiuis, quibus, vel benigna naturæ ope, camporum vbertate, aquarum affluentia, amænitate pratorum, & innumeris alijs deliciarum illecebris, Opulentissimę cognomentum obtinuit: vel effusa Regum munificentia tot Dynastas, atquæ Barones consequuta est, quot ad eam inter reliquas regni Vrbes decorandam, quantum semper valuerint, lubens prætermittam. Illud

tamen

Digitized by Google

tamen silentio preterire fit nefas, quod sub tuo hoc Imperatorio salutis, ac felicitatis labaro millies in dies triumphare soleant, non Platea sum modo vota, sed finitimorum etiam populorum de collectis in camporum excidium nubibus, ac tempestatibus, & lapidescentem intempestiua serenitate aeris regionem in irriguos aquarum imbres demulcere, sexcentasque malorum phalanges Siculo Regno imminentes diuinitus profligare. Eia igitur meis quoque nunc votis annue exiguum pauperis animi, ingenijque vectigal, quod tuis sacratissimis prouolutus pedibus venerabundus offero, neutiquam dedigneris, diuinam enim redoles vsque humanitatem. Equidem bellatrices hasce lucubrationes tantis dumtaxat obarmatas vexilli tui auspicijs, atque tutela, literarij Martis aleæ citra omnem trepidationem exponere audeo. Ve enim toties vniuersam Siciliam pestis, belliquè minis triumphali hoc imaginis tuæ signo feliciter vindicasti, ita modo opus meum pestifera errorum contagione illæsum, ac infensis aduersariorum oppugnationibus, Theonumque latratibus seruandum confido.

MAIESTATIS TVAE TERMAXIMAE

Seruorum Humillimus

IOSEPHVS POLIZZIVS S. I.

Digitized by Google

INDEX
DISPVTATIONV, AC SECTIONVM
QVAE IN DVPLICI TRACTATV HVIVS
Tertij Tomi continentur.

TRACTATVS VNICVS
De Anima.

PROEMIVM. pag. 1.

DISPVTATIO I.

De essentia Animæ secundum se, eiusque diuisione. pag. 3.
Sect. I. Traditur definitio animæ, & explicatur in quo sensu illa sit actus primus. 3.
Sect. II. Quid veniat nomine corporis in definitione tradita. pag. 4.
Sect. III. Explicantur reliquæ particulæ definitionis. pag. 8.
Sect. IV. Duo obiecta contraprædicta soluuntur. pag. 9.
Sect. V. An corpus in ratione organici per formas substantiales, quas partiales appellant, constituatur. pag. 11.
Sect. VI. Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. pag. 14.
Sect. VI. Explicatur secunda animæ definitio. 17.
Sect. VII. Quot sint genera animarum. pag. 19.
Sect. VIII An diuisio animæ in dicta tria membra sit vniuoca. pag. 21.
Subsect. I. Statuitur vniuocatio diuisionis animæ priori modo consideratæ. pag. 23
Subsect. II. Statuitur analogia diuisionis animæ posteriori modo consideratæ. pag. 26.

DISPVTATIO II.

De subiecto Animæ. pag. 31.
Sect. I. An anima secundum substantiam suam sit in omnibus partibus corporis, in quibus exercentur aliquæ operationes vitæ. pag. 31.
Sect. II. An quatuor humores, & spiritus sint animati. pag. 32.
Sect. III. Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. pag. 35.
Sect. IV. Corollarium de quibusdam aliis partibus quatuor humoribus similibus. 39.
Sect. V. Vtrum dentes, vngues, & capilli, hisq; similia sint animata. pag. 40.
Sect. VI. An in vno viuente vnica tantum, realiter loquendo, detur anima. pag. 44.
Sect. VII. Soluuntur obiecta contra præcedentis sectionis conclusionem. pag. 47.

DSPVTATIO III.

De ratione corporis, & spiritus. pag. 49.
Sect. I. Expenduntur nonnullorum sententiæ de ratione corporis, & spiritus. 49.
Sect. II. Expenditur eorum sententia, quæ ponit conceptum corporis in impenetrabilitate, spiritus verò in penetrabilitate. pag. 51.
Sect. III. Statuitur quid sit corpus, & quid spiritus, ac auctoritate probatur. pag. 55
Sect. IV. Idem ratione suadetur. pag. 56.
Sect. V. Quid importat esse corporeum, & quid esse spirituale stricte, sumptū. pag. 60
Sect. VI. Eandem prosequor difficultatē. pag. 62.
Sect. VII. Expenditur sententia quædam recens de essentia entis spiritualis. pag. 64.
Sect. VIII Soluuntur obiecta ex Lynceo. pag. 68.

DISPVTATIO IV.

De indiuisibilitate animæ rationalis. 71
Sect. I. Vtrum anima rationalis sit indiuisibilis integraliter. pag. 71.
Sect. II. Soluuntur obiecta contra animæ rationalis indiuisibilitatem. pag. 74.
Sect. III. An anima rationalis sit composita ex partibus essentialibus, materia videlicet, & forma. pag. 75
Subsect. I. Num constet materia corporea. pag. 75.
Subsect. II Vtrum sit possibilis substantia spiritualis composita ex forma, & materia spirituali bus. pag. 76.
Subsect. III. Respondetur argumentis aduersariorum. pag. 78.
Subsect. IV An ex possibilitate substantiæ spiritualis essentialiter compositæ, possibilitas animæ rationalis eodem modo cōpositæ recte colligatur. pag. 82.

DISPVTATIO V.

De diuisibilitate animæ plantarum, atque brutorum. pag. 85.
Sect. I. An animæ plantarum, & belluarum imperfectarum sint diuisibiles. pag. 85.
Sect. II. Vtrum animæ brutorum perfectorum sint indiuisibiles. pag. 87.
Sect. III. Proponuntur, & soluuntur obiecta contra diuisibilitatem animæ brutorum perfectorum. pag. 92.
Sect. IV. Dissoluitur ratio fundamentalis P. Quiros. pag. 94.

DISPVTATIO VI.

Num partes animarum diuisibilium sint homogeneæ, an vero heterogeneæ. 96.
Sect. I. Statuitur nostra sententia, fundamenta verò Arriga, & Quiros demoliuntur. pag. 96.

Digitized by Google

Sect. II. Afferuantur solidiores probationes pro homogeneitate animarum diuisibilium. pag. 98.
Sect. III. Soluuntur argumenta heterogeneitatē animæ diuisibilis probantia. pag. 101.
Sect. IV. Ex suppositione, quod vnio inter animā, & corpus sit modaliter distincta: nū ea quoque sit homogenea. pag. 204.

DISPVTATIO VII.
De diuersitate animarum eiusdem speciei inter se. pag. 108.
Sect. I. An omnes animæ eiusdem speciei atomæ sint necessariò inter se dissimiles. pag. 108.
Sect. II. Proponuntur, & diluuntur obiecta in contrarium. pag. 118.
Sect. III. Vtrum animæ eiusdem speciei atomæ sint necessario in perfectione inter se æquales. pag. 114.
Sect. IV. Afferuntur, & soluuntur obiecta contra præcedentē conclusionē. pag. 115.
Sect. V. An duæ animæ specie diuersæ sine necessario inæqualis perfectionis. 118.

DISPVTATIO VIII.
De conceptu vitæ, atque viuentis. 121.
Sect. I. Confutatur Arriagæ sententia, statuitur conceptus vitæ viuentibus omnibus communis. pag. 122.
Sect. II. Aliæ obiectiones contra traditam vitæ notionem solutæ. pag. 126.
Sect. III. Examinantur quædam recentiorum sententiæ circa vitæ, & viuentis notionem. pag. 129.
Sect. IV. Expenditur opinio Ouiedi. pag. 131.
Sect. V. Examinatur sententia Comproni. 134.
Sect. VI. Percurruntur reliquæ tres sententiæ, quæ de vitæ, & viuentis ratione circumferuntur. pag. 136.
Sect. VII. De his, quibus competit ratio vitæ in actu primo. pag. 138.

DISPVTATIO IX.
De conceptu animæ ad suos vitales actus. pag. 141.
Sect. I. An anima immediate per suam substantiā vitales operationes producat. 141.
Sect. II. Proponitur, & propugnatur altera probatio nostræ conclusionis. pag. 143.
Sect. III. Soluuntur obiecta in contrarium. 145.
Sect. IV. Num anima immediatè per suā substantiā vitales operationes recipiat. 149.
Subsect. I. Prior controuersia dirimitur. pag. 149.
Subsect. II. Resoluitur posterior controuersia de subiecto actuum materialium in homine. pag. 150.

DISPVTATIO X.
De reali distinctione potentiarum vitalium ab Anima. pag. 165.
Sect. I. Quid de possibili sentendum pag. 165.
Sect. II. Quid de facto dicendum, de distinctione potentiarum vitalium ab anima. 168.
Sect. III. Soluuntur obiecta, quibus vniuersaliter probatur realis distinctio inter animā eiusque potentias vitales. pag. 170.
Sect. IV. An potentiæ, quæ identificantur animæ, distinguantur ab illa formaliter. 173.
Sect. V. An potentiæ realiter distinctæ ab anima possint diuinitus existere separatæ ab illa. pag. 167.

DISPVTATIO XI.
De potentiis animæ vegetatiuæ, ac primo de nutritiua. pag. 169.
Sect. I. Quid, & quotuplex sit augmentatio. 169
Sect. II. In qua nam mutatione formaliter consistat augmentatio. pag. 171.
Sect. III. An augmētatio sit motus successiuè contiguus. pag. 182.
Sect. IV. Quid sit nutritio. pag. 174.
Sect. V. Quid sit potentia nutritiua formaliter. pag. 175.

DISPVTATIO XII.
De potentiis quantificatiua, & generatiua vitalibus. pag. 178.
Sect. I. Quid sit accretio, & in quo formaliter consistat. pag. 178.
Sect. II. Quod sit potentia quantificatiua vitalis pag. 180.
Sect. III. De conditionibus ad actus vitales augmentationis, & accretionis requisitis. pag. 181.
Sect. IV. Percurrūtur quæstiones aliquot de alimento. pag. 184.
Sect. V. De potentia generatiua vitali pag. 187.

DISPVTATIO XIII.
De speciebus impressis in communi, & primo de earū essentia. pag. 190.
Sect. I. Quid sit species impressa. pag. 190.
Sect. II. An ex correspondentia prædicatorum, & ex ratione imaginis rectè deducatur influxus effectiuus speciei in actus cognoscitiuos. pag. 191
Sect. III. Expenduntur aliorum sententiæ de propria ratione speciei impressæ. 197.
Sect. IV. Expenditur octaua, & vltima sententia de ratione speciei impressæ. 199.
Sect. V. An species impressæ sint intendibiles, & remissibiles. pag. 204.

DISPVTATIO XIV
De speciebus sensibilibus. pag 203.
Sect. I. Vtrum dētur species sensibiles sensuum externorum. pag. 203.
Sect. II. Tres reliquæ obiectiones solutæ. 205.
Sect. III. An dentur species sensibiles sensuū internorum. pag. 207.
Sect. IV. De speciorum sensibilium causis. 209.
Subsect. I. Quæ sit causa materialis specierum sēsibilium in animali. pag. 209.
Subsect. II. Quæ sit causa efficiens specierum sensibilium externarum. pag. 211.
Subsec. III. De causa effectiua specierum sensibiliū internarum. pag. 212.
Subsec. IV. Quid de causa effectiua specierū internarum compositarum, & insensatarum. pag. 214.
Sect. V. An species sensibiles sint diuisibiles in repræsentando. pag. 215.

Solu-

Digitized by Google

Sect. VI. Soluuntur argumenta contraria. pag.218.
Sect. VII. De specierum sensibilium tum externarū, tum internarum corruptione. pag.121.

DISPVTATIO XV.

De speciebus intelligibilibus humanis.

Sect. I. An sint necessariæ species intelligibiles in nostro intellectu ad intelligendum.
Sect. II. De causa efficiente specierum intelligibiliū pag.228.
Sect. III. Resoluuntur quatuor quæstiunculæ, quibus doctrina tradita de causa efficiente specierum intelligibiliū, illustratur. 232.

DISPVTATIO XVI.

De speciebus intelligibilibus Angelicis. pag.234

Sect. I. Vtrum Angeli speciebus intelligibilibus ad intelligendum indigeant. pag.234.
Sect. II. Soluuntur obiecta contra conclusionē. 238.
Sect. III. Vnde nam Angeli species intentionales habuerunt. pag.240.
Sect. IV. Quando nam Angeli species intelligibiles acceperint. pag.246.
Sect. V. Soluitur prior obiectio, & statuuntur species Angelicæ vniuersales. pag.250.
Sect. VI Soluitur posterior obiectio, & futurorum cognitio in se ipsis negatur Angelis 253

DISPVTATIO XVII.

De specie impressa Dei. pag.255.

Sect. I. An de facto Beati videant diuinam essentiā per speciem impressam creatam. pag.255
Sect. II. Vtrum species impressa creata Dei sit possibilis. pag.259.
Sect. III. Dissoluuntur octo implicantiæ ab aliis adductæ. pag.260
Sect. IV. Expenduntur octo aliæ implicantiæ á Recupito allatæ. pag.264.
Sect. V. Affertur nostra implicantia speciei creatæ impressæ Dei. pag.272.
Sect. VI. Afferuntur, & soluuntur obiecta in contrarium. pag.274
Sect. VII. Quid de mente Diui Thomæ. pag.277.

DISPVTATIO XVIII.

De potentijs animæ sensitiuæ in particulari. pag.279.

Sect. I. De visu, & visibili. pag.279.
Sect. II. De auditu, & audibili. pag.280.
Sect. III. De olfactu, & odore. pag.282.
Sect. IV. De gustu, & sapore. pag.284.
Sect. V. De tactu, & tangibili. pag.285.
Sect. VI. De sensibus interonis. pag.280.
Sect. VII. De appetitu sensitiuo. pag.288.

DISPVTATIO XIX.

De vi potentiarum sensitiuarum in ordine ad spiritualia obiecta vitaliter attingenda. pag.291.

Sect. I. Vtrum oculus corporeus possit diuinitus elevari ad videndum Deū intuitiuè. 291.
Sect. II. Vtrum sit possibilis aliqua potentia materialis, quæ posset diuinitus Deum intueri. pag.295.

DISPVTATIO XX.

De potentijs animæ rationalis, & primo de intellectiua. pag.299.

Sect. I. Quod nam sit obiectum intellectus humani. pag.299.
Sect. II. Vtrum implicet substantia spiritualis incapax intelligendi. pag.302.
Sect. III. Vtrum implicet substantia intellectiua, quæ non sit volitiua. pag.305.

DISPVTATIO XXI.

De intellectione. pag.309.

Sect. I. In quo nam ratio intellectionis formaliter consistat. pag.309.
Sect. II. Soluuntur obiecta contra secundam conclusionem. pag.312.
Sect. III. Quid sit verbum mentis, & ad quid inseruiat. pag.317.
Sect. IV. An eadem numero intellectio possit reflectere supra se ipsam. pag.315.
Sect. V. An saltem diuinitus possit simul intellectus assentiri, & dissentiri eidem obiecto. 318

DISPVTATIO XXII.

Vtrum in eodem intellectu possint esse simul actus fidei scientiæ, & opinionis de eodem obiecto. pag.322.

Sect. I. Vtrum actus fidei, scientiæ, & opinionis de eodem obiecto materiali per diuersa media opponantur. pag.322.
Sect. II. Soluuntur obiecta contra priorem conclusionem. pag.326.
Sect. III. An idem actus possit esse scientia, fides, & opinio de eodem obiecto ob diuersa media. pag.328.
Subsect. I. Num implicet contradictionem idem obiectum materiale vnico actu posse credi, & euidenter cognosci. pag.329
Subsect. II. An possit connaturaliter idem obiectum materiale attingi vnico actu, qui sit simul fidei, & scientiæ. pag.332.
Subsect. IV Vtrum possit esse scientia, & fides de eodem obiecto ob idem numero medium. 333.

DISPVTATIO XXIII.

De cognitione intuitiua, & abstractiua. 337

Sect. I. Expenduntur aliorum sententiæ cognitionis intuitiuæ, & abstractiuæ essentiam explicantes. pag.339.
Sect. II. Proponitur nostra sententia, de essentia cognitionis intuitiuæ, & abstractiuæ. 339
Sect. III. An implicet contradictionem intueri vnū ex his, quæ sunt formaliter in Deo non intuitis reliquis. pag.341.
Sect. IV. Dissoluuntur obiecta. pag.343.

DISPVTATIO XXIV.

De cognitione comprehensiua. pag.347.

Sect. I. In quo nam essentia comprehensionis intellectualis posita sit. pag.347.
Sect. II. Obiectionibus fit satis. pag.352.
Sect. III. An implicet contradictionem per creatam visionem videri in Deo omnia possibilia. pag.353.
Sect. IV. Satis fit argumentis nostræ conclusioni cōtrariis. pag.357.

Digitized by Google

INDEX

DISPVTATIO XXV.
De veritate, & falsitate intellectionis. 359.
Sect. I. An veritas, & falsitas formalis sint relationes. pag. 359.
Sect. II. An veritas, & falsitas formalis sint adæquatè essentiales actui intellectus. 360.
Sect. III. Respondetur obiectis. pag. 363.
Sect. IV. Qua ratione obiectum ad veritatem seu falsitatem formalem essentialiter pertineat pag. 365.
Sect. V. Soluuntur obiectiones in contrarium. 369.
Sect. VI. Soluitur obiecto de actibus euidentibus, & fidei diuinæ. pag. 370.

DISPVTATIO XXVI.
An idem numero actus possit transire de vero in falsum. pag. 374.
Sect. I. Communis sententia in ordine ad quosdã actus defenditur. pag. 374.
Sect. II. An dari possit aliquis alius actus à prædictis distinctus, qui de vero in falsum mutari possit. pag. 378.
Sect. III. Soluuntur obiectiones contra præcedentẽ doctrinam. pag. 380.

DISPVTATIO XXVII.
De intensione veritatis, & falsitatis, de quæ earum subiecto. pag. 383.
Sect. I. Vtrum veritas formalis suscipiat magis, & minus. pag. 383
Sect. II. Vtrum falsitas formalis suscipiat magis, & minus. pag. 386
Sect. III. In quibusnam actibus intellectus veritas, & falsitas formalis reperiatur. pag. 388.

DISPVTATIO XXVIII.
De veritate, & falsitate propositionum de futuro contingenti absoluto. pag. 390
Sect. I. An futura contingentia sint realiter præsentia æternitati. pag. 390.
Sect. II. Soluuntur obiecta contra præsentem conclusionem. pag. 393.
Sect. III. An Deus certo futura omnia contingentia absoluta ab æterno cognouerit. pag. 398
Sect. IV. Vtrum propositiones de futuro contingenti absoluto sint determinatè veræ, vel falsæ. pag. 400.

DISPVTATIO XXIX.
De veritate, & falsitate propositionum de futuro contingenti conditionato. 402.
Sect. I. An Deus habuerit ab æterno scientiam certam futurorum contingentium conditionatorum. pag. 403.
Sect. II. Num Deus cognoscat futura contingentia conditionata primò in aliquo suo decreto contingenti, & efficaci: an verò in se ipsis. pag. 406.
Sect. III. Soluuntur obiecta contra præcedentem cõclusionem. pag. 408.
Sect. IV. Vtrum propositiones de futuro contingenti conditionato sint determinatè veræ, aut falsæ. pag. 410.

DISPVTATIO XXX.
De primo cognito. pag. 413
Sect. I. An, & quomodo vniuersaliora sint minus vniuersalibus nõtiora. pag. 413
Sect. II. Quodnam sit primũ cognitum à nobis. 416.

DISPVTATIO XXXI.
De voluntate. pag. 419
Sect. I. Quod nam sit obiectum formale, & materiale voluntatis. pag. 419.
Sect. II. An voluntas possit amare malum, qua malum, & odisse bonum, vt bonum. 420.
Sect. III. An in voluntate possint dari actus meræ fugæ. pag. 422.

DISPVTATIO XXXII.
De dependentia, quam habet voluntas in operando à cognitione. pag 425.
Sect. I. An voluntas possit sine prævia cognitione intellectus operari. pag. 426.
Sect. II. Soluuntur obiecta. pag. 428.
Sect. III. Num voluntas ad operandum prærequirat necessario ex parte intellectus iudicium an verò possit esse contenta apprehensione obiecti. pag. 430.
Sect. IV. An voluntas ad operandum necessario prærequirat intellectus imperium. pag. 432.

DISPVTATIO XXXIII.
De actibus imperãtibus, & imperatis ab eadem voluntate elicitis. pag. 434.
Sect. I. An dari possint actus volũtatis reflexi, quibus voluntas sibi imperet alios actus à se immediate eliciendos. pag. 434.
Sect. II. Respondetur argumentis contrariis. 436.
Sect. III. An omnis actus volũtatis reflexus respiciens actum directum ab eadem ponendũ, habeat respectu illius rationem imperij. pag. 438.
Sect. IV. De imperio directo, & actu ab eo imperato pag. 442.
Subsect. I. Quid de prima difficultate; vbi de intentione efficaci pœnitentiæ ante prævisum absolute peccatum. pag. 442
Subsect. II. Quid de secunda difficultate. pag. 443.
Sect. V. An imperium efficax, & determinatum tollat libertatem actui imperato propriam. pag. 445.
Sect. VI. Quænam est causalitas actus reflexi imperantis inefficacis in imperatum. pag 448.

DISPVTATIO XXXIV.
De pura omissione libera voluntatis. 447.
Sect. I. An sit possibilis in voluntate pura omissio libera. pag. 452.
Sect. II. Proponuntur, & dissoluuntur obiecta. 454.

DISPVTATIO XXXV.
De libertate voluntatis. pag. 453.
Sect. I. Quid sit libertas in actu primo. pag. 457.
Sect. II. Tradita libertatis arbitrij definitio exactius explicatur. pag. 459.
Sect. III. Vtrum ad libertatem voluntatis sufficiat indifferentia iudicij. pag. 464.
Sect. IV. An potentia pure passiua possit esse libera pag. 466.
Sect. V. An potentia carens naturaliter libertate possit esse diuinitus libera. pag. 470.
Sect. VI. An intellectiua potentia esse possit formaliter libera. pag. 477.

An

Digitized by Google

Sect. VII. An ex hypothesi impossibili quod causa prima necessario operaretur ad extra, dari posset libertas in creaturis. pag.479.

DISPVTATIO XXXVI.
De libertate creata in ordine ad diuinas prædefinitiones. pag.482.
Sect. I. Vtrum prædefinitiones diuinæ auferant libertatem à nostris actibus prædefinitis. pag.482.
Sect. II. Soluuntur obiecta in contrarium. pag.483.

DISPVTATIO XXXVII.
De libertate in actu secundo. pag.487.
Sect. I. Vtrum libertas sit extrinseca denominatio actui libero, an verò essentialis. 487.
Sect. II. Tertia ratio pro conclusione nostra proponitur, & propugnatur. pag.491.
Sect. III. Soluuntur quædam obiecta in contrarium. pag.493.
Sect. IV. Soluuntur reliquæ obiectiones. pag.494.

DISPVTATIO XXXVIII.
De habitibus. pag.497.
Sect. I. Quid sit habitus supernaturalis. pag.497.
Sect. II. De essentia, & subiecto habitus naturalis. pag.500.
Sect. III. Soluuntur obiecta contra doctrinam traditam. pag.503.
Sect. IV. Quo pacto habitus concurrat ad actus imelinando potentiam. pag.506.
Sect. V. An, & quomodo habitus in genere causæ efficientis concurrat ad actum. pag.508.
Sect. VI. De concursu actuum in habitum. pag.710.
Sect. VII. Intenditur ne habitus solum per actus intensiores fiat. pag.511.
Sect. VIII. De corruptione habitus. pag.516.

DISPVTATIO XXXIX.
De anima rationali à corpore separata. 519.
Sect. I. Non anima rationalis sit ab intrinseco immortalis. pag.519.
Sect. II. Soluuntur obiecta in contrarium. pag.522.
Sect. III. De operationibus vitæ rationalis, quas anima separata exercere valet. pag.524.
Sect. IV. De motu locali animæ separatæ. pag.527.

TRACTATVS VNICVS.
in libros Metaphysicorum.

PROEMIVM. Pag.529.

DISPVTATIO XL.
De adæquato Metaphysico obiecto. 530.
Sect. I. An obiectum adæquatum Metaphysicæ sit ens sub scientia ejus per accidens, & rationis comprehendens. pag.530.
Sect. II. An obiectum Metaphysicæ sit aliquid minus lateparens, quam ens reale. pag.531.
Sect. III. An obiectum Metaphysicæ adæquatum sit ens vt sic. pag.533.
Sect. IV. Vtrum Metaphysica ad omnes rationes entis in particulari descendat. pag.536.

DISPVTATIO XLI.
De natura, & essentia entis. pag.538.
Sect. I. Quod sit ens reale in communi. pag.538.
Sect. II. Quomodo se habeat conceptus obiectiuus entis ad inferiora. pag.540.
Sect. III. Soluuntur quædam obiectiones contra prædicta. pag.543.
Sect. IV. Soluuntur quædam alia obiecta ab Ouiedo. pag.545.
Sect. V. De conceptu formali entis. pag.547.

DISPVTATIO XLII.
De entis passionibus in communi. pag.548.
Sect. I. Num ens rigoroſas habeat passiones. 548.
Sect. II. Vtrum omnia transcendentia præter ens, sint Passiones entis. pag.549.

DISPVTATIO XLIII.
De vno. pag.551.
Sect. I. Quid sit vnum, & quid addat supra ens. pag.551.
Sect. II. Soluuntur obiecta in contrarium. pag.553.
Sect. III. Quid principaliùs dicat vnum, ens ve, an verò negationem. pag.555.
Sect. IV. Vtrum ens possit obiectiuè præcindi à ratione vnius. pag.556.

DISPVTATIO XLIV.
De principio indiuiduationis. pag.559.
Sect. I. An principium individuationis rerum intra eamdem speciem sit materia prima. pag.559.
Sect. II. An sit possibilis aliqua natura specifica non dicens ordinem ad materiam, quæ neque per absolutam Dei potentiam in plura individua multiplicari possit. pag.561.
Sect. III. An omnia species non dicens ordinem ad materiam, qualis est omnis angelica sit essentialiter immultiplicabilis numerice. pag.564.
Sect. IV. Probatur efficaciter conclusio de numerica specierum Angelicarum immultiplicabilitate. pag.566.
Sect. V. Affertur & soluuntur quædam obiecta contra conclusionem principalem. 569.
Sect. VI. Reliquæ obiectiones solutæ. pag.571.
Sect. VII. Quid senserit D. T. de Angelorum immultiplicabilitate numerica. pag.573.

DISPVTATIO XLV.
De vero. pag.576.
Sect. I. Quid sit veritas transcendentalis. pag.576.
Sect. II. Quid importet verum de formali. pag.578.
Sect. III. Explicantur quædam dubia. pag.579.

DISPVTATIO XLVI.
De Bono. pag.581.
Sect. I. Quid sit bonum transcendentale. pag.581.
Sect. II. Quid importet de formali bonum transcendentale esse sibi ipsi conueniens. 584.
Sect. III. Quid, & an sit malum transcendentale. 585.

DISPVTATIO XLVII.
De malo morali. pag.585.

In

sect. I. In quonam consistat ratio formalis peccati commissionis. pag.586.
sect. II. Soluuntur obiectiones. pag.592
sect. III. De termino per malitiam negato, de que eius subiecto. pag.594.

DISPVTATIO XLVIII.

Vtrum implicet contradictionem peccatũ ex suis intrinsecis à Deo irremissibile. pag.600.
sect. I. Aperitur status quæstionis, & sententia negatiua proponitur. pag.600.
sect. II. Elegitur sententia affirmatiua, & nonnulla argumenta illam probantia expenduntur. pag.601.
sect. III. Probatur efficaciter peccatum ab intrinsecis suis irremissibile contradictionem inuoluere ex auctoritate. pag.606.
sect. IV. Affertur secunda implicantia peccati ab intrinseco irremissibilis, quia dari de facto deberet connaturaliter loquendo. pag.609.
sect. V. Affertur tertia implicantia ex impossibilitate connexionis cum decreto. pag.614.
sect. VI. Affertur quarta, & vltima implicantia peccati intrinsecè irremissibilis, ex incohærentia quam secum ipsũ habet. 616.
sect. VII. Satis fit argumentis Aduersarij in fine sectionis primæ adductis. pag 619.

DISPVTATIO XLIX.

De essentia, & existentia entis. pag.621.
sect. I. Quid sit essentia, quid existentia rerum creatarum. pag.621.
sect. II. Vtrum essentiæ creaturarum ab æterno ante existentiam habeant aliquod esse positiuum reale actuale: vbi de earum possibilitate. pag.623.
sect. III. Percurruntur aliæ rationes, quibus probatur essentias creaturarum habuisse ab æterno suum esse positiuum. pag.629.
sect. IV. Afferuntur, & soluuntur argumenta in cõtrarium. pag.603.
sect. V. Quomodo distinguantur inter se eiusdem rei essentia, & existentia. pag.633.
sect. VI. Proponuntur, & soluuntur quædam obiecta in contrarium. pag.635.
sect. VII. Reliquæ obiectiones contra eamdem conclusionem solutæ. pag.638.

DISPVTATIO L.

De carentijs. pag.640.
sect. I. An dari possint obiectiuè in intellectu negationes impossibiles ab omni ente reali positiuo contradistinctæ. pag.641.
sect. II. An dentur carentiæ necessariæ extra intellectum ab omni ente positiuo contradistinctæ. pag.645.
sect. III. De carentijs contingentibus variæ referũtur sententiæ, & statuitur contra primã sententiam non esse entia positiua creata opposita rebus, quarum sunt carentiæ. pag.647.
sect. IV. Statuitur contra secundam sententiam carentias contingentes non identificari cum rebus possibilibus quarum sunt carentiæ. pag.651.
sect. V. Decernitur carentias contingentes non esse decreta Dei nolitiua rerum, quarum sunt carentiæ. pag 652.
subsect. I. Proponuntur tria argumenta, quorum primum ex scriptura, reliqua vero duo ex natura decreti liberi deducuntur. 652.
subsect. II. Adducitur quartum argumentum ex mutatione desumptum. pag.657.
subsect. III. Quintum, & sextum argumentum ex decreto volitiuo depromptum. pag 659.
sect. VI. Carentia rerum contingentium non sunt prorsus nihil. pag 662.
sect. VII. Defendo carentias contingentes habere suum esse abusiuum à quotũque alio positiuo distinctum. pag.663.
sect. VIII. Proponuntur, & soluuntur obiecta contra prædicta. pag.665.
sect. IX. An in propositionibus contradictorijs obiectum propositionis affirmatiuæ sit idem omnino, ac obiectũ negatiuæ. pag.668.
sect. X. Satis fit obiectis. pag.670.
sect. XI. An ad multiplicationem rerum positiuarũ multiplicentur carentiæ. pag.672.

DISPVTATIO LI.

De substantia.
sect. I. Vtrum subsistentia in creatis addat supra naturam aliquid nemine cogitante, ab illa distinctum. pag.678.
sect. II. Num subsistentia in Creatis, id quod addit realiter distinctũ supra naturam, sit aliquid positiuũ, an negatiuum. pag.680.
subsect. I. Expenduntur tres rationes ab Arriaga allatæ. pag.681.
subsect. II. Propugnatur communis ratio ducta à paritate trium diuinorum suppositorum. pag.682.
subsect. III. Propugnatur secunda ratio deducta ex cõmuni sensu Patrum Concilij Ephesini, & Nestorianorum, qui in eo damnati fuerunt. pag.684.
subsect. IV. Stabilitur tertia ratio ex mysterio Incarnationis petita. pag.685.
subsect. V. Alias tres rationes proprias contra Scoti sententiã breuiter propono. pag.688.
subsect. VI. Satisfit obiectis in contrarium. pag.689.
sect. III. Statuitur ratio formalis subsistentiæ, & de eius effectu formali variæ sententiæ expenduntur. pag.691.
sect. IV. Affertur propria sententia de effectu formali subsistentiæ. pag.695.
sect. V. An subsistentia sit eadem cum existentia naturæ substantialis. pag.697.

DISPVTATIO LII.

De existentia humanitatis Christi Domini. pag.702.
sect. I. Num humanitas Christi existat per increatam existentiam Verbi. pag.702.
sect. II. Respondetur obiectis ex Sacris Concilijs, Damasceno, & Aristotele adductis. 705.
sect. III. Explicantur quædam loca D.T quæ videntur de-

Digitized by Google

tur doctrinæ nostræ contraria. pag.707.
sect. IV. Soluuntur obiectiones ex ratione desumptæ. pag.709.

DISPVTATIO LIII.

De distinctione vnionis hypostaticæ ab humanitate, & Verbo Diuino. pag.713.
sect. I. Vtrum vnio hypostatica sit distincta ex naturâ rei ab extremis vnitis. pag.713.
sect. II. Proponuntur, & soluuntur obiectiones in contrarium. pag.715.

DISPVTATIO LIV.

De pluralitate substantiarum creatarum simul eamdem naturam terminantium. pag.718.
sect. I. Vtrum eadem natura creata per duplicem subsistentiam propriam, vel per duplicem alienam diuinitus subsistere possit. pag.718.
sect. II. Vtrum eadem natura creata possit simul per propriam, & alienam subsistentiam subsistere. pag.721.

DISPVTATIO LV.
Incidens.

Vtrum duo possint esse Domini in solidum eiusdem rei. pag.727.
sect. I. Numerantur sententiæ. pag.727.
sect. II. Expeditur quæstio de perfecto condominio in tempore. pag.728.
sect. III. Vtrum saltem in primo donationis instante dominium in solidum possit esse penes duos. pag.729.
sect. IV. Soluuntur obiecta in contrarium. pag.732.

DISPVTATIO LVI.

De Accidente. pag.738.
sect. I. In quo consistat ratio accidentis, quod in nouē summa genera diuiditur. pag.638.
sect. II. An dentur formæ reales accidentales inhærentes subiectis. pag.741.

DISPVTATIO LVII.

An sola accidentia intentionalia Panis, & Vini in Eucharistia maneant. pag.743.
sect. I. Duplex via explicandi sententiā de solis accidentibus intentionalibus panis, & vini in Eucharistia remanentibus. 743.
sect. II. An de possibili potuerit Christus Dominus instituere Eucharistiam cum solis accidentibus intentionalibus panis, & vini. pag.744.
sect. III. Vtrum salua fide sustineri probabiliter possit sola accidentia intentionalia propria panis, & vini, & non realia manere defactò in Eucharistia. pag.747.
sect. IV. Tres reliquæ rationes adducuntur ad probandum de fide esse accidentia realia panis, & vini in Eucharistia remanere. pag.752.
sect. V. Soluuntur obiecta ex auctoritate desumpta
sect. VI. pag.754.
Satisfit reliquis obiectis ex ratione deprōptis. pag.755.

DISPVTATIO LVIII.

De diuisione entis in rem, & modum. pag.758.
sect. I. In quonam consistat conceptus essentialis modi. Variæ sententiæ expenduntur. pag.758.
sect. II. Explicatur ex propria sententia quid sit modus. pag.761.

DISPVTATIO LIX.

De Deo quantum an sit. pag.765.
sect. I. An Deum esse sit perse notum. pag.765.
sect. II. An Deum esse sit perse notum etiam quoad nos. pag.766.
sect. III. Soluuntur obiecta. pag.768.
sect. IV. An Deum esse sit demonstrabile à posteriori. pag.770.
sect. V. An ratione efficientiæ Deum existere demonstrabile sit. pag.773.
sect. VI. An ratione motus demōstrari possit Deum existere. pag.776.
sect. VII. An ratione contingentiæ quam experimur in rebus creatis demonstrabile sit Deum existere. pag.779.

DISPVTATIO LX.

De Deo quantum ad quid sit eius speciale constitutiuum. pag.781.
sect. I. An speciale constitutiuum Deitatis importet omnia, quæ sunt formaliter in Deo. pag.781.
sect. II. An speciale constitutiuum Deitatis sit infinitas. pag.783.
sect. III. An speciale constitutiuum Deitatis sit intellectio. pag.784.
sect. IV. An speciale constitutiuum Deitatis sit ratio entis à se. pag.786.

DISPVTATIO LXI.

De creatura. pag.789.
sect. I. Quid sit creatio. pag.789.
sect. II. Quomodo distinguitur creatio à principio, & à termino creato. pag.791.
sect. III. Soluuntur obiecta in contrarium. pag.793.
sect. IV. Vtrum virtus creandi communicari possit alicui creaturæ. pag.795.
subsect. I. An sit de fide nullam defactò creaturam aliquid creasse. pag.795.
subsect. II. An vis creatiua principalis communicari potest à Deo alicui creaturæ. pag.798.
subsect. III. Duæ aliæ ratione idem suadentes expenduntur. pag.800.
subsect. IV. Affertur, & propugnatur ratio S. T. qua suadetur implicare creaturam posse aliquid principaliter creare. pag.805.
subsect. V. Soluuntur obiecta contra implicantiam creaturæ potentis principaliter aliquid creare. pag.809.

An sit

Digitized by Google

subsect. VI. An sit dabilis creatura, quæ instrumentaliter aliquid creare possit. pag.810.

DISPVTATIO LXII.

De dependentia creaturarum à Deo in conseruari, & operari. pag.812.
sect. I. Vtrum creaturæ pendeat immediatè à Deo in conseruari per verum, & physicum influxum. pag.812.
sect. II. Vtrum creaturæ pendeat immediatè á Deo quantum ad operari. pag.815.
sect. III. An causæ secundæ præter simultaneum Dei concursum requirant etiam physicam eius prædeterminationem ad operãdum. pag.819.
subsect. I. Quid de necessitate proueniente ex subordinatione causarum secundarum ad Deum. pag.819.
subsect. II. An munus primæ causæ physicum prædeterminationem sibi vendicet. pag.821.
subsect. III. Expenditur num ex actualitate operationum causarum secundarum prædeterminatio requiratur. pag.822.
subsect. IV. Quid de indifferentia potentiæ liberæ. pag.823.
subsect. V. An ex Decreto Dei applicatiuo suæ omnipotentiæ ad concurrendum cum causa secunda libera rectè possibilitas physicæ prædeterminationis colligatur. pag.824.
subsect. VI. Dissoluuntur obiecta contra Decretum executiuum indifferens à nobis assignatum. pag.827.

Digitized by Google

ANDREAS DE PVTEO

PRÆPOSITVS PROVINCIALIS
Societatis Iesu in Regno Siciliæ.

POteſtate ad id mihi facta à P. N. Ioanne Paulo Oliua Generali Præpoſito, quoad me ſpectat, facultatem concedo, vt mandetur typis liber, cui titulus R. P. *Ioſephi* Polizij Societatis *Ie*ſu Philoſophicarum quæſtionum Tomus Tertius : virorum grauium, atque ſapientum eiuſdem Societatis iudicio examinatus, & approbatus; ſi ita videbitur ijs ad quos ſpectat. *In* quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtrę munitas dedimus. Panormi. die 29. *Martij* 1673.

Andreas de Puteo.

Digitized by Google

ANDREAS DE PVTEO

PRÆPOSITVS PROVINCIALIS

Societatis Iesu in Regno Siciliæ.

POtestate ad id mihi facta à P. N. Ioanne Paulo Oliua Generali Præposito, quoad me spectat, facultatem concedo, vt mandetur typis liber, cui titulus R. P. Iosephi Polizij Societatis Iesu Philosophicarum quæstionum Tomus Tertius: virorum grauium, atque sapientum eiusdem Societatis iudicio examinatus, & approbatus; si ita videbitur ijs ad quos spectat. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Panormi. die 29. Martij 1673.

Andreas de Puteo.

Digitized by Google

TRACTATVS VNICVS IN TRES ARISTOTELIS LIBROS DE ANIMA

PROOEMIVM.

ET Philosophus benevolos auditores huius partis philosophiæ naturalis, in qua de anima differit, sibi reddat; eius nobilitatem, ac dignitatem, qua supra reliquas extollitur, amplissimis verbis exagerat. ad id autem melius suadendū, hoc ferè argumento vtitur: Ea scientiæ pars, quæ nobilitate materiæ, & cognitionis certitudine ceteras superat; nobilior, atque honorabilior æstimanda est: scientia enim ab obiecto ex modo in ipsum tendendi specificatur, atqui scientia de anima, ad reliquas philosophiæ naturalis partes comparata, hoc modo se habet; si quidem vna parte anima, quæ est eius materia circa quam, inter cæteras formas dignior, quas aliæ speculatur, principem obtinet locum; & ex alia nullius formę notiores, quas aliæ speculatur, principem obtinet locum; & ex alia nullius formę notiores effectus habemus, quam animæ, eosque in nobis singulis modo experimur; vnde fit vt etiam in modo procedendi, qui incertitudine materiæ laborat, maximè consistit, hæc scientia reliquis antecellat, ergo æstimanda est nobilior reliquis. verum clarius ni fallor facto doctissimi viri Patris Suarez dignitas huius scientiæ comprobatur; ille enim post enauigatum omnium Metaphysicarum, ac Theologicarum scientiarum oceanum, tanta fœlicitate, quanta viri docti cognitum habent, senio penè confectus, Physicas de anima quæstiones non dedignatus est instituere, ac tractatum tertium hanc materiam complectentem, parti secundæ summæ Theologiæ addere, vt Diuo Thomæ conformaretur, qui prima parte, postquam de Deo, & Angelis, ac de opere sex dierum disputauit; eas omnes quæstiones, quæ ad animam pertinent, secunda parte considerationis hominis instituit; & ò vtinam mors paululum expectasset, donec ille tertiam tractationem, quam disputare aggressus fuerat, compleuisset. profectò multa, quæ de anima adhuc subaudita continentur, clarè luce patescerent. Atque hæc de dignitate materiæ.

2 Quantum vero ad horum librorum obiectum attinet, duæ circumferuntur sententiæ, quas breuiter examinare oportet. quidam enim, inter quos Albertus Magnus, Caietanus, Toletus, & alij primò dicunt esse solam animam: ipsa librorum inscriptione permoti, quæ est de anima, contra quos facit; quod subiectum partis scientiæ contineri debet sub obiecto totius, vt hoc de illo prædicetur tanquam vniuersale de particulari. atqui corpus naturam habens, quod est obiectum totius Physicæ, non potest prædicari de anima. ergo non rectè assignatur anima pro subiecto horum librorum.

3 Ad hoc respondet Ruuius *de anima quæst.* 2. procemiali: non requirere subiectum partis, vt obiectū totius de eo prædicetur in recto; sed contentum esse si prædicetur in obliquo; atqui de anima prædicatur, quod sit pars entis naturalis. ergo &c. sed contra est, nam si prædicatio in obliquo obiecti vniuersalis ad constituendum obiectum particulare in scientia satis esset; sequeretur, quod tum materia prima, tum forma substantialis distributiue acceptæ, essent obiectum partiale physicæ: siquidem de illis prædicatur in obliquo corpus naturale: non minus quam de ipsa anima. sed hoc falsum esse vidimus, cum de obiecto physicæ ageremus. ergo &c. & ratio huius est; quia pars obiecti non debet esse essentialis, sed potestatiua, ad hoc vt à scientia partiali possit tanquam obiectum suum considerari; sed de huiusmodi parte debet prædicari

cati in recto obiectum scientiæ totalis, & non in obliquo. ergo &c. ad fundamentum autem, cui hæc opinio nititur, facilè respondetur; quod quemadmodum octo libri physicorum inscribuntur de natura, licet habeant pro obiecto corpus naturale, & duo de Generatione, & Corruptione, licet habeant pro obiecto corpus generabile, & corruptibile: ita & hi tres dicuntur de anima, quod ideo Aristoteles facit, vt ostendat rationem formalem, quam formaliter in suis obiectis materialibus huiusmodi libri inuestigare ibi proponunt.

Secundò verò Comptonus in procemio horum librorum asserit eorum obiectum attributionis esse Hominem. 4 Sed contra etiam est, quia, vel nomine obiecti attributionis intelligit adæquatum, ad quod principia, & passiones dicant attributionem; vel præcipuum inter obiecta particularia: si primum falsum est. nam obiectum horum librorum adæquatum non est solus homo, quemadmodum neque obiectum adæquatum librorum physicorum; si verò dicat secundum, verum quidem asserit; sed per hoc non satisfacit difficultati, quæ de obiecto eorum adæquato procedit.

5 Alij tertiò apud Ruuium, aiunt, obiectum quidem horum librorum separatim acceptorum esse solam animam: non tamen sic accipiendos esse, sed pro vt cum paruis naturalibus faciunt vnum, & hoc modo acceptos habere pro obiecto corpus animatum. *Ita* Quiros *in suo cursu tract. 6. Procem. num. 44.*

6 Contra hos etiam facit: quia non minus agitur de natura, deque eius passionibus in octo libris physicorum, quam in his agitur de ipsa anima, deque proprietatibus, & operationibus eius. sed hoc non obstante non dicimus obiectum octo librorum solitariè sumptorum esse naturam; non tamen sic accipiendos esse, sed pro vt faciunt vnum cum reliquis tractatibus physicis; & hoc modo acceptos habere pro obiecto corpus animatum. ergo neque debemus illud asserere de his tribus libris; & rectè id quidem, quia aliud est huiusmodi libros non continere scientiam de omnibus corporibus animatis, eorumque proprietatibus in specie; aliud verò non disputare de corpore animato, eiusque partibus in communi primum verum est: secundum falsum. sed sufficit quod de corpore animato, eiusque partibus agant ad saluandum, quod eorum obiectum sit corpus animatum, etiam prout contra distinguntur à paruis naturalibus, & separatim ab illis accipiuntur. ergo &c.

7 Ex quibus clare deducitur obiectum adæquatum horum librorum esse corpus animatum, de quo corpus naturale, quod est adæquatū totius physicæ, prædicatur in recto tamquam vniuersale de particulari. Atque hæc est communis sententia Recentiorum, quos sequitur Quiedus *in suo procemio*, & alij.

DISPVTATIO PRIMA

DE ESSENTIA ANIMAE

secundum se eiusque diuisione.



IN his tribus libris de Anima, sic Aristoteles procedit; vt libro primo fere integro occupetur in refellendis, & confutandis veterum philosophorum placitis circa animæ substantiam, & qualitatem; enarrans, quosdam ex eis existimasse animam compositam esse ex atomis; alios verò constare ex elementis; non nullos ex vnitatibus aliquam numeris; alios autem dixisse eam esse vnum ex elementis; hos quidem ignem, illos verò aerem, aut quid simile; alios denique esse armoniam quandam, quam nonnulli ex eis ex contrariarum qualitatum elementorum complexione, atque temperie resultare docebant; quarū omnium opinionum, seu potius deliramentorum confutationes legere potest qui velit apud ipsum Aristotelem, eiusque interpretes; quin imo quilibet vel mediocriter philosophicis præceptis imbutus, illarum absurditatem ex se facilè conijcere valebit.

Deinde libro secundo ex propria sententia statuit, primò quid sit Anima, postea de eius *generibus, ac facultatibus*; tum de Anima *vegetatiua verba facit, & ad extremum animam sensitiuam, eiusque sensus, ac facultates externas contemplatur.*

Tertio denique libro, primò disputat de sẽsibus internis, secundo de anima rationali eiusque facultatibus, tertiò denique de principio motus animalium, de quibus omnibus nos eius vestigijs inhærentes, & illius methodum magna ex parte nostro more sequentes disputationibus consequentibus tractabimus; & primo quidem loco, quid sit anima secundum se & quotuplex sit.

SECTIO PRIMA

Traditur definitio animæ & explicatur in quo sensu illa sit actus primus.

VNica Conclusio recte dicitur anima cum dicitur esse: *Actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis*, ita ferè Aristoteles *hic lib. 2. tex. 6.* quem omnes sequuntur. 4

Dicitur primò *actus*; anima enim non potest esse potentia, tum quia comparatur ad materiam, & ad corpus, vt perfectiuum ad perfectibile; tum etiam quia per illam animata à rebus inanimatis distinguuntur: in materia autem seu potentialitate corpora omnia substantialia inter se conueniunt. Neque potest esse compositum corporeum: tum quia corpus non est ex numero eorum, quæ sunt in subiecto, & in alio, anima autem ex omnium opinione est in corpore: tum etiam quia alioquin quando anima est in corpore deberet admitti corporum penetratio, est igitur anima actus sine forma.

Dicitur secundò *actus primus*. dupliciter autem actus aliquis dici potest primus; primò negatiuè inquantum non supponit alium actum ante se, secundò positiue per ordinem ad secundum; & hoc adhuc dupliciter, vel quia est principũ effectiuũ siue radicale, siue formale proprij exercitij, seu productionis effectus, vel quia est actus primarius, eo quod reliqui actus, qui secũdarij appellãtur ad ipsum ordinantur, ipse vero non ordinatur ad alium actum. Iam verò Anima, & idem esto iudicium de reliquis formis substantialibus, cum quibus in ratione actus primi genericè conuenit, omnibus tribus modis habet rationem actus primi, sed quia in dicta definitione dicitur actus primus corporis, & non operationum suarum; ideircò non videtur hæc particula sumi debere secundo modo, sed tum primo, in quantum non supponit actum priorem se, tum etiam tertio in-

quantum cæteri actus accidentales, qui sunt in corpore ad illam ordinantur tamquam actus secundarij, & minus principales ad primarium & principaliorem, vt pote substantialem, quod autem anima sit hac ratione actus constat ex eo, quia alioquin esset actus accedentalis, atque adeo formis substantialibus inanimatorum corporum ignobilior, neque posset vnum per se cum materia in genere substantiæ constituere.

7 Obijcies primò: accidentia quæ disponunt materiam ad recipiendam animam sunt actus materiæ antecedens introductionē ipsius animæ. ergo potius anima est actus secundus, & accidentia actus primus, quam è contra.

Respondeo nos in physicis docuisse, quod licet accidentia præcedent tempore introductionem formæ substantialis; in instanti tamen introductionis illius sint posteriora natura, quia materia hoc ipso quod existit per existentiam formę; prius debet intelligi esse, quam esse calidam v.g. humidam &c. atqui, est simpliciter per formam; ergo &c.

Quoniam verò multi putant materiam habere propriam existentiam: ideò addo in horum sententia animam rectè dici actum primum, hoc est, primario & principaliter intentum à natura; quia reliquæ dispositiones quanis illam tempore antecedant, ad eam tamen tamquam media ad finem ordinantur.

8 Obijcies secundò: anima reddit corpus formaliter potens proxime operationes vitales exercere, ergo est potius potentia, quam actus.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam, ratio negationis est, quia licet anima reddat corpus potens vitaliter operari: prius tamen habet constituere ipsum in ratione viuentis, & animati; quin imo nisi esset actus primus illius substantialiter viuificans ipsum, nulla ratione reddere valeret illud sic operatiuam.

9 Obijcies tertiò: actus secundus est nobilior primo, primus enim importat potentialitatem in ordine ad secundum. At verò secundus totus est actualitas: sed anima est nobilissima omnium formarum, ergo potius dici debet actus secundus quam primus.

Respondeo: distinguendo maiorem; & quidem si cætera sint paria, concedo quod actus secundus sit nobilior primo. Vnde melius est quod eadem res sit in actu secundo: quā in actu primo: at si cætera non sint paria: nego maiorē sic concessa minore, nego consequentiam, ratio negationis est, quia dū anima dicitur actus primus respectu corporis, & alij actus dicūtur secūdi est disparitas, quod anima ita est actus primus, vt sit substantialis, & faciat vnum per se cum materia; quod non habent reliquæ formæ accidentales, quæ dicuntur actus secundi hoc est secundarij & minus principales corporum naturalium.

SECTIO SECVNDA.

Quid veniat nomine corporis in definitione tradita.

Quatuor circumferuntur de hac partitura explicationes. Prima est Arriagæ, Suriadi & aliorum, quos citat & sequitur Ouiedus *controu. 1. punct. 1. num. 6.* & dicit esse communem: hæc vult nomine corporis in præsenti significare solam materiam primam non quidem deorganizatam (id enim per sequentes particulas explicatur) sed secundum se sumptam.

Secunda est Soncinatis, Gregorij, Argentinæ, & aliorum, qui dicunt venire materiam affectam varijs dispositionibus organicis, reddentibus illam aptam ad operationes vitales habendas.

Tertia est Suarij *disput. 15. metaph. sect. 10. num. 15. & tom. 3. in tertiā partē disput. 51. sect. 4.* qui sequitur Capreolum, Caietanum, & alios putat: nomine corporis in dicta definitione venire totum compositum ex materia, & anima; non secundum omnes gradus, quos habet ab anima, sed tantum secundum illum, secūdum quem constituitur in ratione corporis substantialis abstrahentis à viuente & non viuente.

Quarta denique est Ruuij *lib. 2. de anima cap. 1. qu. 5.* quam dicit esse Themistij, Simplicij, Philopponi & aliorum antiquorum interpretum Aristotelis, quos sequitur Toletus *super tex. 4.* porrò hæc explicatio est, nomine corporis intelligi totum compositum animatum, cuius anima est actus primus cōstitutiuus, pro solutione autem difficultatis.

Dico primò, contra primam explicationē: *nomine corporis in tradita definitione non venire solam materiam primam secundum se.*

Probatur primò: nullibi apud Aristotelem, & probatos philosophos inuenitur materiam primam secundum sè appellari Corpus; & rectè id quidem. omnes enim dicimus nomen corporis quadrupliciter à philosophis vsurpari: primò pro gradu methaphysico, qui se habet vt genus subalternum in prædicamento substantiæ, & predicatur in quid de viuente, animali, & homine. Secundò pro composito ex materia prima, & forma substantiali, quod diximus esse obiectum physicæ. Tertio pro parte materiali viuentium propria, quatenus varijs organis prædita est, videlicet ore, pedibus, stomaco, manibus &c. in quo sensu dicimus animal constare ex anima, & corpore. Quartò denique pro corpore methematico, hoc est pro quantitate trinè dimensa, habente, scilicet, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. sed materia secundum se nullum est ex his quatuor. ergo non potest intelligi nomine corporis.

Probatur secundò ex absurdo: quia si materia secundum sè veniret nomine corporis: non solum mixta omnia, sed etiam elementa dici possent constare ex corpore, sicuti dicūtur

[illegible] vivere, omnia enim constant materia, sed hoc est falsum. ergo &c.

16 Respondet ad hoc Oviedus consequentiæ sequelæ; ad minorem vero ait, quod quamvis materia habeat rationem corporis propriè, & philosophicè loquendo: vsus tamen meliùs vult hoc nomen, materiæ deorganizatæ, vel composito substantiali tribuendum.

17 Sed contra, quia si materia secundum se propriè & philosophicè haberet rationem corporis verumque apud philosophos sæpe occurreret hoc nomine; sed nullibi hoc est assignare: ergo &c. quod 7. *Metaph. tex.* 39. dixit Aristoteles manifestum esse; quod anima sit substantia prima, corpus verò materia: hoc ideo fecit quia voluit explicare, quid esset corpus substantialiter acceptum, vt contra distinctum ab anima. Nunc tamen non sit particula corporis abstractè prolatum significare materiam?

18 Dico secundò contra tertiam explicationem: *nomen corporis in definitione animæ non venit (positum animarum sensitivarum illius tantum gradus, qui abstrahit ab anima-ri, & animato; & constituitur in ratione corporis organici.*

Probatur primò: quia significaret in dicta definitione nomen corporis, sequeretur falsò dici, quod anima esset actus primus huius corporis, sed hoc est inconveniens. nam sic falsa esset definitio tradita; ergo &c. sequela probatur; quia anima sumpta secundum gradum metaphysicum animæ, supponeret huiusmodi corpus metaphysicè constitutum per actum metaphysicum corporeitatis. ergo falsò diceretur anima actus primus huius corporis. antecedens patet in hac sententia; consequentia probatur, quia si hoc non obstante, anima vere

21 dici posset huius corporis primus actus: maximè quia eadem est, quæ tribuit illi gradum corporis, & gradum viventis, sed hanc rationem nullam esse, suadetur ex eo, quia in sententia Suarij anima definitur secundum illos gradus, quos habet vt anima; secundum quos determinat corpus metaphysicum, quod abstrahit ab animato & inanimato, sed secundum hos gradus, non supponit se ipsum tribuentem materiæ primæ rationem corporeitatis, & constituentem eam illa gradum Corporis; ergo falsò in hac definitione diceretur anima actus primus huius Corporis.

19 Probatur etiam secundò, quia per hoc differt definitio physica à metaphysica, quod metaphysicum per conceptus metaphysicos tradatur: contra verò physica per physicas entitates, sed hæc definitio, vtique pertinens ad Animatum, censenda est physica; nomen autem corporis sumptum secundum gradum metaphysicum abstrahentem à viuente, & non viuente, importat conceptum metaphysicum; ergo nomen Corporis in dicta definitione non potest in hac acceptione sumi.

20 Dico tertio *sive nomen Corporis in secunda sive in quarta acceptione sumatur, hoc est sive, significet materiam variè deorganizatam, sive compositum ex huiusmodi materia & anima secundum omnes suos gradus actuus: definitio in rei veritate nullo*

pacto consentiunt secum in hac conclusione Rubius, Arriaga, Oviedus, Comptonus, & alij Recentiores.

Probatur; quia vere anima, tum respectu materiæ deorganizatæ, tum etiam respectu totius corporis animati habet rationem actus primi; cum hac tamen differentia, quod respectu prioris se habet vt actus primus informativus, quatenus illam actuat, & informet; respectu verò posterioris vt actus constituens, quatenus vnam cum materia constituit ipsum compositum, non solum enim dicimus animam esse formam materiæ; sed etiam esse formam animalis; hoc enim ex Corpore tamquam ex materia, & ex anima tamquam ex forma constituitur.

Objicies primò contra secundam explicationem, si nomine corporis in definitione tradita veniret materia deorganizata, sequeretur, quod superflua esset particula organici; sed hoc non est dicendum; ergo &c. 21

Respondeo ob duplicem finem posse in definitione apponi particulam aliquam, primò per se ad suum significatum in ea ponendum, quod alias non haberet: secundò veluti per accidens, ad suum significatum; quod alias sub obscurè haberetur, explicandum, & aperiendum, quo posito distingo sequelam: superflua esset in definitione animæ particula (organici) quantum ad suum significatum in ea de nouo ponendum, concedo; quantum ad suum significatum, quod aliunde obscurè habetur, aperiendum, nego sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam, & dico, quod, licet particula Corporis in definitione significet Corpus organicum; quia tamen id obscurè præstat ratione multiplicis significationis, quam habere paulo ante vidimus; ideo apponitur particula organici; non ad addendum aliquid supra id quod significat in dicta definitione Corpus, sed ad illud tantum determinandum, & manifestandum.

Objicies secundò: falsum est quod anima sit actus primus materiæ variè deorganizatæ; ergo nomine Corporis in tradita definitione non venit huiusmodi materia. consequentia patet, antecedens probatur: materia deorganizata est conflatum ex se ipsa, tamquam subiecto, & ex varijs formis accidentalibus, illam diuersimode informantibus. sed anima nequit esse actus primus huius conflati; alioqui reciperetur in formis accidentalibus, tamquam in subiecto partiali. ergo &c. 22

Respondeo distinguendo antecedens: falsum est, quod anima sit actus primus materiæ deorganizatæ reduplicatiuè acceptæ, concedo, specificatiuè, nego antecedens, & consequentiam ad antecedentis probationem, distingo eodem modo maiorem: materia deorganizata reduplicatiuè sumpta est conflatum ex ipsa, & ex formis accidentalibus illam deorganizantibus, concedo; specificatiuè, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam in sensu intento. dico enim, quod quando definitur anima: Actus primus Corporis organici sive particula (Corporis) significet solam materiam,

&

& particula Organici, afferre illi suam peculiarem significationem; siuè significet materiā de organizatam, & hoc solum declaretur per particulam, organici, potest fieri eadem difficultas: ad quam dicendum, neutro modo accipi Corpus Organicum reduplicatiuè, quasi vero, tum respectu materiæ, tum respectu accidentium anima debeat sè habere vt actum primum; sed specificatiuè tantum; vt notetur, quod anima est quidem actus primus solius materiæ: eam tamen exigit variè dispositam, & in plura organa accomodatam; vt possit in ea suas vitales operationes exercere; & hoc est quod nostri doctores volunt, dum dicunt Corpus in tradita definitione importare materiam primam conuenientia organa cōnotantem; vt significent, quod quamuis materia proportionata animæ debeat esse pluribus organis variegata, atque distincta; tamen anima respectu horum non sè habet, vt actus primus, sed respectu solius materiæ.

23 Instabis: si anima vniretur materiæ primæ, nulla organizatione disposita, adhuc constitueret cum ea compositum animatum, ergo nō est de essentia animæ esse actum primum Corporis importantis organa.

Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens; non est de essentia animæ esse actum primum Corporis organici: actualiter, concedo; exigitiuè, nego consequentiam, quamuis enim miraculosè possit existere anima bruti in materia non organizata, imo & extra omnem materiam; tamen exigit habere Corpus organicum.

24 Contra quartam verò explicationem obijcies quarto: actus informans importat essentialem ordinem ad potentiam cuius est actus; ergo per illam definiri debet, sed anima est actus informans, & potentia, ad quam dicit essentialem ordinem est materia secundum se; ergo nomine corporis in tradita definitione non potest venire compositum animatum; sed sola materia secundum sè.

Respondeo; distinguendo antecedens: actus informans importat essentialem ordinem ad potentiam, cuius est actus: ita vt importet etiā huiusmodi ordinem ad totum, quod vna cum potentia constituere debet in ratione entis per sè, concedo; ita vt non importet dictum ordinem, nego, & sic distingo consequens: anima per potentiam, ad quam ordinatur definiri debet, ita vt possit etiam definiri per totum concedo; ita vt non possit; nisi in ordine ad potentiam, nego consequentiam; & dico animam non solum dicere essentialem ordinem ad materiam sed etiam ad compositum animatum, quod cum materia constituere debet, vnde est, quod per vtrumque rectè valeat definiri, nec immeritò: est enim primus actus vtriusque, materiæ quidem quia hæc se habet vt primum subiectum illius: compositi vero quia hoc est eius effectus formalis, eamque vt meliorem sui partem essentialem includit.

25 Obijcies quintò; Aristotiles nomine Corporis in definitione tradita intellexit materiā primam, siue demum affectam organis, siue nō parum in presentia refert, ergo quod nomine Corporis veniat in dicta definitione compositum viuens, est ad minimum contra mentem Philosophi, omnia patent; præter antecedens, quod probatur ab Quiedo *controu. 1. de anima puncto 1. num. 8.* pluribus testimonijs ex definitionis contextu desumptis *tex.* enim 4. sic habet: Quoniam autem & Corpus huiusmodi vitam habens, non erit vtique Corpus anima, non enim est eorum, quæ in subiecto Corpus, magis autem sicut subiectum, & materia est. Iam ergo nomine Corporis venit materia. *Item tex. 7. sic.* Vnde non oportet quærere si vnum, & anima, & corpus; sicut neque cæram, & figuram; neque omnino vniuscuiusque materiam, & id cuius est materia: tum sic: eam distinctionem ponit Philosophus inter animam, & corpus, quæ est inter cæram, & figuram, sed distinctio inter hæc est adæquata. non enim cæra includit figuram, ergo neque Corpus in definitione includit animam. alioquin inadæquatè distingueretur ab illa. Aliud exemplū similē ponit *tex. 10.* sicut inquit oculus est pupilla, & visus: sic ibi anima, & Corpus animal. quæ verba D. *T. lect. 2. sic explicat.* ad mētem auctoris, sicut oculus est aliquid compositum ex pupilla sicut materia, & visu sicut forma: ita animal est compositum ex anima, sicut forma; & Corpore, sicut materia. ergo &c.

Respondeo in hac re diuisos esse auctores; quidam enim dicunt nomine Corporis Philosophum intellexisse solam partem materialem viuentis. alij verò, solum compositum animatum, quamuis de cætero vtrique putent definitionem secundum sè vtramque explicationem admittere.

Contra hos omnes ego existimarem, quod cum Aristoteles rectè perspexerit; vtrouis modo dicta particula in sua definitione sumeretur, semper facere rectum sensum, ac iuxta præcepta Logica definitionem constituere; promiscuè secundum vtramque acceptionem eam vsurpasse, modo pro toto composito, modo pro parte materiali vt dictum est, & quidem quod eā vsurpauerit ad alteram compartem significandam patet ex locis in obiectione adductis. quod etiam ad totum compositū animatum exprimendum suadetur ex alijs, quæ in eodem contextu definitionis habentur & primò quidem ex *tex.* 3 vbi volens Philosophus indagare cuius Corporis anima sit actus post quam diuisit Corpus naturale in viuens, & non viuens; hæc habet: Quare omne Corpus naturale participans vita, substantia erit. substantiā autem sic, vt composita. Postea vero textu immediatè sequenti hoc modo concludit: necesse est ergo animam esse sicuti formam Corporis naturalis potentia vitam habentis. Tum sic Illius Corporis naturalis anima est forma per Aristotilem, quod est viuens, & substantia composita. sed hoc includit animam. ergo in ordine ad huiusmodi Corpus definit etiam animam Aristoteles. Idem suadetur secundò *ex tex.* 8. vbi post definitionem traditam sic concludit: Vniuersaliter igitur

dictum

dictum est, quid sit anima, substantia enim, quæ secundum rationem, hoc autem est, quod quid erat esse huiusmodi Corporis. quamuis autem anima possit dici, quod quid erat esse respectu materiæ, quatenus est actus illius ad substantiale compositum eam determinans (vt explicat Ouiedus hunc locum.) negari tamen non potest, quin verius & in sensu magis proprio dicatur talis, respecta totius compositi animati, quod constituit. Tertio denique suadent *ex text. 10.* vbi explicans quid veniat nomine Corporis organici potentia vitam habentis, sic habet: Non est autem quod abiicit animam potentia existens vt viuat, sed quod habet. *Semen autem & fructus potentia huiusmodi Corpus est.* In quem locum D.T. Dicitur autem aliquid esse in potentia dupliciter; vno modo sicut non habet principium operationis, alio modo, cum habet quidem, sed non operatur secundum ipsum. Corpus autem cuius, actus est anima est habens vitam in potentia, non quidem primo modo, sed secundo; & hoc est, quod dicit: Corpus non sic esse in potentia ad vitam, vt abijciens animam, id est carens principio vitæ, quod est anima: sed vt habens huiusmodi principium: *at verò semen*, & fructus sunt in potentia ad huiusmodi Corpus vitam, sicut abijciens animam. ita fere S. D. Præterea idem *parte prima qu. 76. art. 4. ad primum* dicendum inquit, quod Aristoteles non dixit animam esse actum Corporis tantum: sed actum Corporis physici organici, potentia vitam habentis, vnde manifestum est, quod in eo, cuius anima dicitur actus; etiam anima includitur, eo modo loquendi, quo calor dicitur actus calidi, & lumen actus lucidi, non quod seorsum sit lucidum sine luce: sed quia lucidum est per lucem; & similiter dicitur quod anima est actus corporis, quia per animam, & est Corpus, & est organicum; & est potens vitam habens. Atque hæc quantum ad significationem compositi animati. quod etiam aliam de materia idem S. D. admittat: patet ex explicatione textus quarti; vbi hæc habet: Sed ingenita dum sit triplex substantia, scilicet compositum, materia, & forma; & anima non est ipsum compositum, quod est Corpus habens vitam, neque est materia, quæ est corpus subiectum vitæ. *Colligitur per locum à diuisione, quod anima sit substantia, sicut forma, vel species talis Corporis, scilicet corporis physici habentis in potentia vitam.* vbi videtur S. D. tum respecta compositi, tum respectu materiæ organicæ animam dicit actum primum Corporis.

Inhabit: si nomine Corporis organici Aristoteles intellexisset partem materialem viuentis, quæreretur, quod non docuisset quid sit anima, sed potius quid sit, nempe Corporis organici actus. Ad quæ addentur illa verba (potentia vitam habentis) hæc potius explicant ipsum Corpus organicum; animam autem non nisi valde remotè, & mediatè, quatenus dicitur actus dicti Corporis. ergo dicendum est, quod Philosophus solum compositum nomine Corporis naturalis intellexit. Confirmatur. si quis petenti quid est forma hominis? responderet; est actus materiæ; cuius forma est principium ratiocinandi: ineptam traderet explicationem. cum nulla facta mentione subiecti, potuisset immediatius dicere est forma, quæ se habet, vt principium ratiocinandi. ergo à pari potius definienda esset anima actus, qui sè habet vt principium vitæ: quã actus materiæ organicæ potentia vitam habentis.

Respondet Ouiedus, supponendo Philosophum in ordine ad solam materiam definisse animam, quod melius fecisset, si eam in ordine ad totum compositum definisset. nam sic proposita difficultas non haberet locum: hoc enim ipso quod explicaret cuius Corporis anima esset actus: immediatè, & proximè explicaret ipsam animam, per quam Corpus organicum formaliter cõstitueretur intrinsecè. 28

Verum in hoc tripliciter mihi dispicet hic auctor. Primò quia sibi persuadet se melius Aristotelicam definitionem explicare, quam fecerit ipse met Aristoteles: qui eam tradidit. Secundò quia existimat Philosophum non definisse animam in ordine ad totum compositũ, sed solum in ordine ad alteram compartem. Tertiò denique, quæ censet, quod proposita difficultas vim habeat contra definitionem traditam per materiam Organizatam, quod vt falsum esse ostendam.

Respondeo ad illam, negando sequelam; ad cuius probationem aio; quod hoc ipso quod explicatur cuius Corporis anima sit actus informans: rectè intelligitur quid illa sit. quod sic suaderem. essentia animæ præter respectum ad totum, dupplicem adhuc respectum importat, vnum ad subiectum, cuius est forma: & alterum ad operationes vitales, quarum est principium elicitiuum. Sed materia deorganizata vtrumque respectum sufficientissimè declarat. primum per hoc, quod est id respectu cuius anima se habet, vt actum primarium, hoc est substantialem. Secundum per hoc quod variis organis prædita esse dicitur. hæc enim non nisi ad diuersas operationes eliciendas exigi possunt. ergo per hoc quod declaretur cuius materiæ anima sit actus; rectè explicatur, quid illa sit: & quidem proximè; si quidem quoties essentia definiti est respectiua: eius immediata Cognitio ex Cognitione termini, qui ab ea respicitur dependet. rectè enim Aristoteles *lib. prædicam. cap. de his, quæ ad aliquid*. Ad aliquid sunt quæcunque hæc ipsa, quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum. 29

Ad Confirmationem: concedendum, quærenti quid sit anima hominis? malè responsurum: est actus materiæ, cuius forma est principium ratiocinandi. sed nego ita sè habere definitionem Aristotelicam animæ per materiã de organizatam traditam. Ab ea enim si vellet regulari respondens: dicere teneretur. anima hominis est actus primus Corporis organici potentia vitam rationalem habentis. & sic definitionem laudabilem respondisset. Contra verò si dixisset, est forma, quæ sè habet vt 30

prin-

Digitized by Google

principium ratiocinandi dubium enim interrogantem reliquisset num ea esset forma Corporis, nec nè? & si esset, num informans, an verò existens? Diminutam igitur & infirmam definitionem tradidisset, & rectè. ex duplici enim respectu, quem anima hominis dicit: in vnius tantum cognitionem interrogantem venire fecisset.

SECTIO TERTIA.

Explicantur reliquæ particulæ definitionis.

31 EXplicatis iam tribus prioribus Aristotelicæ definitionis particulis: nimirũ *actus primus corporis*. In hac sectione reliquas tres particulas perspicuas facimus. hoc est *naturalis organici potentia vitam habentis*.

Et quidem, quantum attinet ad earum primam conueniunt interpretes: per eam excludi Corpus organicum artificiale. cum enim quam plurima corpora artefacta variam de organizationem, & heterogeneitatem in suis partibus sibi vendicent: vt sunt naues, domus, currus &c. nequis putaret huiusmodi Corporum organicorum actum primum esse animam: apposita est particula, Naturalis, seù physici; vt notetur Corpus organicum, cuius anima est actus primus, debere esse naturale.

32 Dicitur quintò (*organici*) hoc est cõstãtis pluribus organis. Porro organũ idem fere significat, ac instrumẽtũ; quare Corpus organicũ idem erit, ac Corpus constans ex pluribus partibus, quæ sè habeant vt instrumẽta diuersa, apta ad multiplices operationes exercẽdas, diuersitatẽ autẽ hanc dictæ partes acquirunt beneficio diuersæ magnitudinis, tẽperamenti, atque figuræ, quam singulæ sibi vendicant: & per hoc differt anima ab omnibus alijs formis: cum enim sit omnium perfectissima, est principium diuersarum operationum immanentium; ideoque requirit diuersitatem organorum in toto composito, siuè in suo perfectibili; quod patet primò in plantis, quæ constant ex folijs, coruice, radicibus, medulla, ramis, & similibus. Secundò in animalibus, quorum partes organicæ, vt aduertit Aristoteles *lib. 8. non sunt simplices*, sicuti plantarum; sed sua etiam heterogeneitate distinctæ; & hoc propter maiorem perfectionem, quam habent operationes animæ sensitiuæ supra operationes animæ vegetatiuæ, contra verò fœtus insectorum propter suam imperfectionem nullam diuersitatem in omnibus partibus Corporum, quæ componunt, vel materiæ, quam informant, exposcunt; vt videre est in formis elementorum, & mixtorum in animatorum, quæ, quantum est de sè, nullam exigunt heterogeneitatem in toto.

33 Hanc solidissimam Philosophi doctrinã videtur reuocare in dubium Arriaga *disput. 1. sect. 1. nu. 9.* vbi quæreos vtrum Corpus organicum, ita sit proprium viuentium: vt nulli alij conuenire possit: Respondet quæstionem hanc esse de solo nomine, hoc est de significatione vocis (*organici*) quare tres eius acceptiones distinguit. & si quidem primò significet varietatem accidentium, ac dispositionum in diuersis partibus Corporis, dicit non esse proprium solius animæ. Iaspis enim, & cælum, & Cadauer, & embrio, huiusmodi de organizationem admittunt. si verò significet secundò Corpus ita diuersè dispositum vt, siue proximè siue remotè ordinetur ad operationes vitæ; tunc ait solam animam, & formas per sè illam antecedentes, & subsequentes habere Corpus organicum. Denique si tertiò organicum, solum significat dispositiones proximas, & immediatas ad vitam: concedit solà viuentia prædita esse corpore organico.

34 Verum ego vt ex hac tertia acceptione incipiam: licèt non negem corpus organicum sic acceptum, esse proprium animatorum tantum: non tamen mihi persuadere possum in hoc sẽsu in definitione ab Aristotele accipi. inde enim sequeretur quod definitio esset obscurior definito: vel saltem æque obscura, quod est contra regulas bonæ definitionis. sequelã probo, quia vel magis, vel æque difficile est scire, quid nam sint dispositiones proximæ, & immediatæ ad vitam: quam, quid sit anima. sæpe enim aduertimus animal esse mortuum, non tamen illud aliqua ad vitam proximã dispositione carere, sæpe eciã viuere incipere, & quid de nouo habeat ignoramus; si ergo ly organicũ proximas, & immediatas dispositiones ad vitã importaret: vel ignotior, vel æque ignota definitio esset, ac definitum. repugnaret enim quod intelligeremus quid esset Corpus organicum, nisi sciremus, quæ nam sint huiusmodi dispositiones.

35 Quare dicendum existimo cum communi nomine (*organici*) venire heterogeneitatem quandam, seù diuersitatem dispositionum, quãtitatis, & qualitatum per uarias corporis partes diffusam, ac per se exactam ab ipsa anima, cuius heterogeneitatis beneficio partes illæ ad diuersas operationes exercendas per sè ordinantur, ac disponuntur v.g. pes ad ambulandũ, oculus ad videndum, auris ad audiendum, os ad cõmedẽdũ, ac loquẽdũ &c. porrò hanc diuersitatẽ esse notiorem anima, nemo est qui neget, patet enim ad sensum viuentia omnia non habere similitudinem omnimodam, ac homogeneitatem in suis partibus, quæ apparenti, sed magnam heterogeneitatem, atque dissimilitudinem quare in ordine ad hanc, animam definire, est illã per aliquid notius explicare.

Atque hæc acceptio *organici* videtur esse media inter primam, & secundam ab Arriaga enumeratas: non enim importat Corpus præcisam diuersitatem accidentium in suis partibus quomodocunque habens: sed talem vt ad diuersimode operandum inseruiat, & quidem ita vt sit huiusmodi diuersitas per se exacta à forma, quæ est anima; & per hoc patet responsio ad rationes (in contrarium ab auctore) adductas: dicendum enim eas diuersas accidentium combinationes, quæ in Corporibus non viuentibus ab illo enumeratis reperiuntur, vel nulla ratione construere instrumenta apta ad

vita-

vtrinque operandam: vel si aliquo modo conferuntur, non exigi per se à formis substantialibus illorum corporum; vnde est vt dicta formæ non habeant essentiam actus primi corporis organici, neque hoc modo definiri cum veritate possint.

36 Deinde, descendendo ad singula de Iaspide gemma, dico illam accidentium diuersitatem non constituere eius partes organicas, hoc est instrumenta apta ad diuersimode operandum, vt patet: alioquin illæ deberent in omnibus eiusdem speciei eorum seruare ordinem, vti videmus in viuentibus.

Porrò hanc heterogeneitatem in Iaspide, & similibus lapidibus discoloribus puto oriri, ex eo quia eius forma non est vni determinatæ qualitatum combinationi addicta. sed tale exigit temperamentum: vt siue abundet vna qualitas in vna parte, siue alia in altera, dummodo reliquæ in materia habeantur; ipsa sit plenè contenta. vnde fit vt vel in elementorum mixtione, vel in alia simplicis eius productione, non sit ab agentibus productiuis illius expectandum, vt tota massa materiæ vniformiter disponatur; sed, etiam si sit multipliciter disposita: adhuc tamen ad eius generationem procedatur; & hinc est vt dicat Cęsius omnes Iaspides cõuenire in eo, vt natiuum odorem semper varium habeant, atque inæqualem.

37 Ad Cęli heterogeneitatem respondet Compronus *disp. prima sect. secunda* stellas non continuari cum suis orbibus. vnde non magis facere cœlum corpus organicum: quam arbores, lapides, & flores terram, in qua sunt. Sed contra est: quia licet hoc dici quoque modo possit de planetis: at non de sideribus, quę sunt in firmamento, quę certa lege cum ipso firmamento circumuoluuntur, eiq; inserta sunt: quare melius dicendum huiusmodi heterogeneitatem non exigi à forma cęli per se, sed solum per accidens, & in ordine ad gubernandum vniuersum, sicuti etiam motum circularem. Patet hoc quia si per sè exacta fuisset: ex prima die, qua cęlum creatum fuit, debuisset huiusmodi heterogeneitatem habere, sicuti homo ab initio suæ creationis membra sua habuit, eo quod per sè sibi debebantur, atqui, vt habetur Genesis primo: cęlum post quam creatum fuit tres dies intercesserunt, vt esset à Deo actus illuminatum. *sic enim habetur*: Dixit quoque Deus fiant luminaria *in firmamento cæli*, & diuidant diem ac noctem &c. & factum est vespere, & mane dies quartus. cum prima die vna cum terra in principio creatum fuerit. ergo &c.

Denique ad id, quod attinet ad formam embrionis, & cadauericam: eodem modo dicendum, vtramque per accidens deorganizationẽ in sua materia habere, & non ratione sui prioremquidem, quia est productiua dispositionum diuersarum in ordine ad animam. posteriorem verò, quia illam inuenit à forma præcedente, in materia relictam, eamque potius ab ea paulatim abigit, atque corrumpit.

38 Dicitur denique sextò (potentia vitam habentis) Ad quam particulam explicandam, supponendum: dupliciter nomen vitæ sumi posse: primò pro vita substantiali, perquam viuens in esse viuentis formaliter constituitur, secundò pro accidentali; hoc est pro operationibus vitalibus, quæ à vita substantiali proceedunt, tamquam actus secundus à primo. Ad quam autem ex his duabus vitis dicatur corpus organicum habere potentiam, ab acceptione particulæ corporis dependet. si enim hæc particula significet totum compositum viuens, non potest intelligi, nisi de potentia ad vitam accidentalem; quia in ordine ad substantialem corpus iam est in actu. vnde non potest rectè dici, quod sic potentia illam habens, si verò nomine corporis veniat pars materialis deorganizata viuentis: intelligenda est hæc particula de potentia ad vitam substantialem: cum constet, materiam primam non esse potentiam, neque in potentia ad operationes vitales, maximè intellectiuas, & volitiuas, quæ sunt propriæ animę rationalis, & solum exercentur ab illa cum aliquali dependentia à phantasmatibus, quandiu est in corpore.

Quæ cum ita sint dubium tamen est inter Aristotelis interpretes, vtrũ hæc vltima particula pertineat essentialiter ad definitionẽ traditã nec ne? adquod breuiter respondeo, *negatiue* cum D. Tom. qui hoc probat *secundo de anima lectione prima* ex verbis Philosophi *tex. 6.* vbi, post quam dixit, quod anima est actus primus corporis physici potentia vitam habentis; subdit; tale autem, quod sit organicum: & post quam ostendit huiusmodi organa omnibus corporibus animatis competere, sic concludit: si autem aliquid commune in omni anima oportet dicere, erit vtique primus actus corporis naturalis organici. ad quæ S. Doctor: Non oportet, inquit, addere potentia vitam habentis. loco enim huius ponitur organici, & rectè id quidem, siquidem, vt constat ex dictis: corpus organicum, siue sumatur pro toto conflato viuenti, siue pro parte eius materiali, hoc ipso quod est organicum sufficienter innotescit, quod sit potentia vitam habens. Vnde constat hæc verba ad maiorem declarationem, & explicationem tantum posita esse: quamuis enim differant inter sè deorganizatio, & potentia ad vitam, siue substantialem, siue accidentalẽ: prius tamen est corpus esse deorganizatum, quã potens viuere, siue in actu primo substantiali, siue in actu secundo accidentali, vt patet. 39

SECTIO QVARTA.

Duo obiecta contra dicta soluuntur.

40 OBijcies primò: tradita definitio competit etiam formæ assistenti. ergo competit alteri à definito. consequentia patet; quia nomine formæ, seù animæ assistentis intelligimus illum actum, qui non vnitur corpori ad faciendum vnum per sè cum illo; sed ad aliquid in eo operandum tantum: quemadmodum nauta vnitur naui; & intelligentiæ motrices, cælo, & Deus, orbe, qui ideo mundi anima à philosophis apellatur. At verò anima essentialiter sè habet, vt forma informans materiam primam

& vnum in genere substantiæ cum illarum istituit. antecedens verò probatur, primò, quia nõ potest assignari particula ratione cuius hmusmodi forma assistens à tradita definitione excludatur. secundò auctoritate Aristotelis. hic enim *tex. vndecimo lib. secundo* post quam animam definiuit; hæc habet; At verò quasdam animæ partes nihil prohibet esse separabiles à corpore, propterea quod nullius corporis sunt actus; amplius autem immanifestum, si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis. si igitur nihil prohibet dicere animam nullius corporis esse actum, & ignoratur verum respectu corporis, sè habeat sicuti nauta respectu nauis. ergo etiã si vtrumq; verum sit: adhuc verificabitur de ea definitio, per Aristotelem.

41 Respondeo, negando antecedens; & ad priorem eius probationem dico, formam assistentẽ excludi à definitione animæ per priorẽ particulã: actus enim primus corporis nõ potest esse nisi forma substantialis illius, quã necessario supponere debet forma assistens, quæ illi tamquã actus secundarius intelligitur aduenire. Ad posteriorem verò ex auctoritate Philosophi desumptam dico: in priori parte textus citati per partem animæ, vel intelligi potentias rationales, intellectum, scilicet, & voluntatem: vel ipsam animam rationalem, quæ sè habet, vt pars potestatiua animæ in communi: & siquidem veniunt potentiæ; solum de illis negari, quod sint organicæ, & materiæ affixæ: sicuti sunt potentiæ sensitiuæ: si verò sermo est de animabus rationalibus: negari, quod sint actus quantum ad esse pendens à materia: sicuti sunt cæteræ formæ substantiales informantes. quo ad verò intelligentiam posterioris partis textus; sciendum, quod nauta respectu nauis potest dupliciter considerari. primò quatenus est forma eius assistens, & non informans: secundò quatenus in vna eius parte consistens illam dirigit, atque gubernat. porrò incertitudo, & dubietas Philosophi non est verum anima sè habeat sicuti nauta primo modo consideratus; sed vtrum sè habeat sicuti secundo modo: quamuis autem vtrumque voluerit Plato: potest tamen vnum ab alio separari; atque adeo existimari, quod anima respectu aliquarum tantum partium corporis sit actus primus, & forma informans: respectu verò aliarum sit solum assistens. sed de hoc alibi cum eodem agendum.

42 Obijcies secundò: saltem definitio tradita nõ est essentialis, sed descriptiua. ergo non est illi penitus acquiescendum; sed alia melior inquirenda. consequentia videtur certa. antecedens verò probatur dupliciter. primò quia ordo ad accidentia non potest esse essentialis animæ. sed in hac definitione definitur anima per ordinem ad accidentia. nam corpus organicum per diuersas accidentium combinationes constituitur in esse organici. ergo &c. secundò quia definitio essentialis tradi debet per priora secundum naturam. sed hæc definitio traditur per priora nobis: ergo &c. maior patet, & minor probatur, quia corpus organicum ex dictis dupliciter sumi potest: vel pro materia deorganizata, vel pro toto composito. sed vtroque modo est posterius natura anima. priori quidem, quia includit potentiam, & accidentia; posteriori verò quia tale compositum animatum est effectus formalis ipsius animæ. effectus verò omnis semper est posterior natura sua causa. ergo &c.

Respondeo, negando antecedens; & ad priorem eius probationem, nego maiorem. dico enim quod anima præter ordinem predicamentalem quem in communi sententia dicit ad suam accidentariam deorganizationem quando actu informat materiam, habet ordinem transcendentalem ad illam. ex suis enim intrinsecis prædicatis, est exactiua diuersorum organorum in materia ad suas actiones vitales exercẽdas; quę quidem exigentia est, vt de sè patet, respectiua, & habet pro termino ipsa accidentia deorganizantia materiam. Ad posteriorem verò probationem distinguo maiorem: definitio essentialis, quæ traditur per prædicata essẽtialia debet esse per priora secundum sè, concedo; quæ traditur per terminos extrinsecos, ad quos essentialis habitudo rei definiendæ terminatur, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorẽ: definitio hæc traditur per priora nobis; ita vt hæc se habeant vt terminos extrinsecos, ad quos essentialis habitudo animæ terminatur, concedo; ita vt se habeant vt prædicata essentialia ipsius animæ, nego minorem, & consequentiã; & ad minoris confirmationem dico: vnum dupliciter posse definiri per aliud. primò tamquam per aliquid sibi essentiale: & tunc verũ est, quod hoc debet esse prius natura definito: est enim pars essentialis illius, & distinctè cognoscenda. secundò tamquam aliquid sibi extrinsecum terminans essentialem ordinem, quem definitum importat ad illud, & tunc falsum id esse, constat ex definitionibus causarum, quæ traduntur per effectus: sic dicimus albedinem esse actũ albi, lucem actum lucidi &c. quoniam verò definitio animæ, vtpote physica, non traditur primo; sed secundo modo: hinc fit, vt licet materia deorganizata, & compositum viuens sint priora, & notiora nobis: non obstent, quo minus tradita definitio sit essentialis; & ratio vlterior est, quia non ponuntur in ea tamquam termini intrinsecè pertinentes ad animam; sed tantum extrinsecè, quatenus, scilicet, terminant eius respectum essentialem, qui in ordine ad illos optimè explicatur.

Instabis ex Ouiedo *nu. decimonono*: licet ordo ad actiones vitales sit de essentia animæ: at ordo ad deorganizationem non est de eius essentia metaphysica, quamuis sit identificatus cũ ipsa anima. ergo definitio non est essentialis; consequentia constat ex dictis. antecedens verò probatur, quia organizatio est intenta ab anima non propter se ipsam, sed propter operationes ad quas deseruit. vnde potentiæ vitales sunt, quę illam exigunt, & sic ordo eam respiciens est prædicatum secundarium animę, procedens ex primario, sed essentia animę consistit in prędicato primario, quod est aliorum radix. ergo ordo ad deorganizationem non est de eius essentia methaphysica. 43

Respondeo dupliciter; & primò quidem, dato antecedente, quod, scilicet, ordo animæ ad deor-

deorganizationem non sit de eius essentia metaphysica; nego tamen consequentiam. ratio negationis est, quia hæc definitio non traditur per conceptus metaphysicos: sed per physicas entitates, sicuti solet fieri in physicis. quare sufficit, quod dictus ordo identificetur cum essentia animæ, vt censeatur essentialis, quod non aduertisse Oniedum hoc loco non possum nō mirari, cum ipse paulante *num. 4. eiusdem punctis* huiusmodi doctrinam expressè tradiderit: sed quid quid sit de hoc.

Respondeo secundò, negando antecedens. ad cuius probationem concesso assumpto, quod nimirum deorganizatio non sit intenta ab anima per sè ipsam, sed in ordine ad vitales operationes exercendas: nego tamen ordinem ad deorganizationem absolutè loquendo censendum esse prædicatum secundarium; quemadmodum enim informatio materiæ est intenta ab anima in ordine ad compositum animatum constituendum, quod respicit, tamquam finem proximum, in quem primariò instituta est à natura; & nihilominus nemo dixerit definitionem animæ per ordinem ad materiam tradi per prædicatum secundarium, atque adeo non esse essentialem (hoc enim modo neque definitio materiæ, qua dicitur esse subiectum primum vnius cuiusque *propter eandem rationem existimanda esset* essentialis:) sic etiamsi deorganizatio sit intenta ab anima propter operationes, ad quas deseruit, ordo ad deorganizationem non est censendus prædicatum secundarium. Ratio huius est, quia per eundem ordinem per quem respiciuntur naturaliter fines respiciuntur media, vti vidimus in physicis: quare hoc ipso, quod ordo ad vitales operationes est prædicatum primarium animæ: etiam erit huiusmodi ordo ad deorganizationem.

44 Sub instabis, quamuis ordo sit idem; tamen anima per prius intelligitur respicere operationes vitales; quam deorganizationem. ergo redit difficultas.

Respondeo distinguendo antecedens, per prius in genere causæ finalis, concedo. in genere causæ materialis, nego antecedens, & consequentiam. dico enim, animam *duplicem habere respectum*: vnum ad suas operationes *in genere causæ finalis*, alterum ad suam materiam *in genere causæ materialis*; & vtroque respectu deorganizationem attingere. Porrò licet priori respectu per prius
57 terminetur ad operationes vitales: quam ad deorganizationem: non tamen posteriori: & ratio est, quia in genere causæ materialis deorganizatio sè habet, vt determinans materiam, ita vt sit potius propria animæ, quam cuiuscumque alterius formæ substantialis. quod autem hinc sequatur, quod primariò, licet partialiter, animę respectum terminet: probatur; quia anima duo essentialiter habet. vnum quod sit forma physica substantialis; alterum quod sit talis forma. primū satis explicatur, per hoc quod dicatur esse actus primus Corporis: at verò secundum nequit explicari, nisi per habitudinem ad determinatam materiam; sed materia non intelligitur esse determinata ad illam potius, quam ad aliam formam substantialem, nisi beneficio deorganizationis; si quidem secundum se est indifferens ad quamlibet. ergo hoc ipso quod anima habeat definiri in ratione formę, sicuti ratio actus primi sè habet respectu illius, vt genus; ita ordo ad materiam varijs organis accommodatam, vt differentia; adeo vt, quandiu huiusmodi ordo non intelligitur ad deorganizationem partialiter terminari, non intelligatur vltima differentia, per quam anima constituitur in esse animæ, & à quacumque alia forma substantiali distinguitur.

SECTIO QVINTA

An Corporis ratione organici per formas substantiales, quas partiales appellant constituatur.

QVidam existimant rationem organici, 45
in ordine ad quam sectione præcedenti animam definitam esse probauimus: præter materiam, varijs figuris, ac dispositionibus affectam, importare quasdam formas substantiales inuicem, essentialiter inter se diuersas pro diuersitate partium corporis, quas quidem formas partiales appellant: tum quia singulæ singulas partes corporis organici, & non totum corpus informant: tum etiam quia, ad totalem formam, quæ est anima subordinatione quadam referuntur, non secus ac dispositiones accidentales, v. g. calor, & siccitas ad formam ignis, inquantum disponunt formaliter materiam ad illam recipiendam, & cum ea in eadem materia perseverant. Ita Dandinus 2. *de anim. text.* 12. *p.* 3. *digr.* 8. Comineh. *de Sacram. qu.* 76. *dub. vn.* Tannerus *tom.* 4. *d.* 3. *q.* 5. *d.* 2. & *alij* contra quos sit.

Vnica conclusio: non dantur in viuente 46
huiusmodi formæ partiales: sed eius corpus organicum sufficienter in sua dispositione constituitur per quædam accidentia heterogeneitate quadam inter se disposita, ac distributa per singulas corporis partes. Est Sancti Thomę *part.* 1. *qu.* 76. *art.* 4. & alibi, quem sequuntur omnes ferè Thomistæ, nec non ex nostris, Fonseca, Suarez, Conimbricenses, Toletus locis citatis ab Auersa ibidem, quibus adde Valentiam, Vasquez, Salas Albertinum, Ruuium, Oniedum, Competoum, & alios.

Probatur primò ex Aristotele *secundo de generat.* 32. vbi subiectum generationis per hoc ab alterationis subiecto distinguit, quod alterationis subiectum sit ens actu: generationis verò minimè. sed, si darentur formæ partiales, subiectum generationis vi-

uentum jam esset ens actu; esset enim materia informata formis substantialibus partialibus: neque dicas Philosophum tantum excludere a subiecto generationis ens in actu completo: materiam autem formis partialibus affectam, esse quidem in actu, sed incomplete: ne id dicas, inquam; quia ibi Aristoteles argumentatur contra illos, qui generationis subiectum existimabant esse aerem; ex hoc inferebs generationem fore alterationem, quod si responsio de actu incomplete faceret satis, potuissent aduersarij eius argumentum eludere, & asserere, aerem esse ens in actu incomplete, & non completo.

47 Confirmatur *ex quarto meth. cap. vltimo, & ex secundo de anima tex. 9.* vbi docet carnem, & oculum esse æquiuoce carnem, & oculum, & *secundo de gen. animalium cap. 1.* hæc habentur: nomen est enim facies, nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquiuoce dicetur facies aut caro, proinde quasi lapidea, aut lignea facta sit. quod si carni, aut facies constituentur in suo esse per formas partiales, & non per solam animam, quemadmodum post mortem formæ partiales permanent per aduersarios, ita dicendæ erunt, & propriè, non autem æquiuocè caro, & facies essentiæ.

48 Probatur secundò, non sunt multiplicandæ entia sine necessitate, præsertim in tanto numero, pro diuersitate enim partium heterogeneorum, quæ sunt in viuente, aduersarij diuersas species formæ partiales constituunt: atqui nullam esse earum necessitatem, sed bonum omne & naturæ posse per diuersas accidentium combinationes, quæ ab anima subordinatas, aliunde in diuersis materiæ partibus reperiuntur, argumentorum solutione, subiecimus patebit; & suadetur ex eo, quia cum huiusmodi formæ essent necessariæ, maximè ad fabricandam heterogeneitatem, quæ existit in diuersis partibus Corporis existentibus vt sic ad hanc non esse necessarias, patet ex eo, quia sicuti heterogeneitatem substantialem tot formarum partialium pelicus alij æquum immediatè ab anima: ita nobis dicimus ab eadem immediatè secundum heterogeneitatem accidentalem multis formis subordinatis: inconuenientia

49 Probatur tertio, quia forma illa, quæ aduenit in actu completo respectu materiæ se habet vt accidens, non educere illi potest vnum esse, eam quæ de terminata & debile constituere, quod dictum subiectum vltimum proprium est, sed si darentur formæ partiales, eas aduenire materiæ in actu completo constitutæ, nequaquam esset primum esse, eam que adeo respectu illius se haberet vt accidens, ergo ens manet quod ex varietate formæ substantialis, quam primum illi tribuit Aristoteles esse Compositum esse vnum per se, & *sect. 3. num. 13.* probatur minor, quia anima reperiret materiam illam formis partialibus informatam, & per eas in specie vltima constitutam, adeo vt naturaliter antea extiterit, & existere post mortem possit beneficio illarum solitarie acceptarum. quid enim aliud sit existere in actu completo, si hoc non est, assignari difficile poterit ab aduersarijs.

Confirmatur: quia si anima adueniens materiæ formis partialibus informatæ, non se habet vt accidens, sed vt substantialis forma; debet sine dubio dare illi esse substantiale Corporis viuentis &c: sed ex hoc sequitur, materiam illam fore bis Corpus; vnum enim corporeitatis gradum iam supponitur a formis partialibus habuisse, alterum verò acciperet ab ipsa anima: sequitur etiam dictam materiam esse bis in specie infima; & quidem in specie rei animatæ primò, quia formæ partiales non sunt animatæ: deindè verò beneficio animæ in specie rei animatæ. sed hæc naturaliter repugnare nemo non videt. ergo &c. 50

Respondent aliqui primò materiam illam 51
dupliciter considerari posse primò indiuisibiliter, id est secundum se totam; & sic non constitui per formas partiales in specie infima, sed per animam, quæ sola illam hoc modo acceptam respicit. secundò diuisibiliter, & per partes; & sic sumptam constitui in specie ima per formas partiales, iuxta illarum diuersitates, in quantum singulæ, singulas materiæ partes sibi vendicant. Contra tamen est; quia transeat, quod anima, vt anima est, indiuisibiliter respiciat materiam viuentis (scio enim hoc a multis rectè negari, quod probant ex anima vegetatiua, & fortasse etiam sensitiua.) tamen vt forma substantialis est, respicit illam præscindendo ab eo, quod totaliter, vel partialiter sumatur: atqui vt forma substantialis est, exhibuit illi esse corporis. ergo ad minimum eadem materiæ portio erit, bis corpus, & bis substantia completa, quod naturaliter repugnat. adde argumentum nostrum: atque procedere contra materiam diuisibiliter sumptam, quia si semel habemus, quod hæc est per formas partiales in determinata specie constituta, quomodocumque sumatur, est in ea facere vnum per se cum alia forma, cui se subordinata præcedens.

Respondent alij secundò formam partialem præsente totali non exhibuere materiæ gradum corporis, nec quemuis alium. Sed contra hoc manifestè facere videtur. nam implicat dari causam formalem in subiecto, absque eo, quod sequatur effectus formalis. quid enim aliud est corpus, quam effectus formalis formæ substantialis in materia, & quid per aduersarios caro est, quam effectus formalis formæ partialis ipsius carnis existentis in materia? vsi igitur admittendæ sunt formæ partiales, non est negandum 52

dum materiam aliquo benefacio gradum esse possit saltem obtinere.

53 Respondent denique alij tertiò: ex ratione facta deducis nec per absolutam quidem Dei potentiam posse dari animam, quæ exigat in diuersis partibus suæ materiæ diuersas formas partiales substantiales illi subordinatas; sed hoc videtur derogare diuinæ potentiæ. ergo &c.

54 Respondeo concessa maiore cum Comptono, *sect. 111. num.* 14. negando minorem. ratio negationis est, quia nullum diuinæ omnipotentiæ præiudicium fit asserere, quod non possit rerum essentias ad libitum variare v.g. quod nequeat facere hominem, qui non sit animal rationale, vel materiam primam, quæ non sit primum subiectum &c. atqui de essentia formæ substantialis est esse actum primarium materiæ, eamque vltimo ad certam quandam speciem determinare, vti sæpe probatum est. ergo sine vllo diuinæ omnipotentiæ præiudicio negatum à nobis, posse dari huiusmodi formas partiales substantiales animæ subordinatas. quia hoc ipso esset, & non essent actus materiæ primarij; & simul constituerent, & non constituerent illam in determinata specie.

55 Sed Contra instabis: si hoc verum esset; sequeretur nequæ posse diuinitus duas formas totales substantiales eandem materiam informare. sed hoc est falsum. ergo &c. minor patet, quia *non potest huius rei* assignari impli*cantia*, *sequela* verò probatur, quia eodem modo videtur deduci, quod quilibet ex eis esset, & non esset actus primarius illius materiæ, quod que constituerent, & non constituerent illam in determinata specie. sicut ex formarum partialium pluralitate deducitur.

56 Respondeo primò: concessa sequela, negando tamen necessariò ad eius probationem deberi implicantiam constituere in eo, quod non possibus capacitatem in eodem recipiendi simul duas formas totales eandem materiam: neque naturaliter, quam nullo habemus rationem positiuam id asserendi, neque obedientialiter, quia in casu illo miraculoso materia deberet reddi capax materiam per aliquid supernaturale, & diuinum, quod esset quid increatum &c. hæc non; siquidem æquè Deus id posset in potentia receptiua ex se ad vnum vel alterum, & hoc æquè, quia de vtroque differt formaliter ab vtro pati materiam primi subiecti, & ipsa esse materia: vel si non, quia quando substantiæ potentiales essentiales vnius ordinis possunt; sed quid quid sit de hoc &c.

57 Aliter Respondeo secundò, negando sequelæ cum sua probatione; dico enim quod casu, quo forma v.g. hominis posset aliæ eandem materiam miraculosè informare, quælibet ex duabus istis esset actus primarius illius materiæ, & eam ad suæ speciei constituendæ complementum determinaret, ita vt vtriusque tantum pars constituatur; non verò vtraque. ratio huius est, quia, vt non possunt subordinatæ actiones; sic neque formæ partiales subordinatæ animæ. quare quemadmodum implicat, quod in eadem linea duo indivisibilia, quorum vnum est subordinatum alteri in ratione ordinis, terminet illam lineam: non autem implicat, quod illam terminent si nullam habeant inter se subordinationem, sed æque primò invicem cõpenetrata adhæreant; ita, & in casu nostro potest sine implicantia intelligi, quod dictæ formæ totales æque primò eandem materiam informent, quodque duo composita substantialia inadæquatè inter se distincta constituant. neque dicas hoc ipso quod vna ex dictis formis intelligeretur aduenire materiæ actuatæ per alteram formam, iam conuinceretur esse accidens respectu illius, quatenus iam aduenit enti in actu completo. Contra enim est, quia licet id verum esset casu, quo ex suis intrinsecis exigeret materiam illo modo actuatam, atqui determinatam, vt patet ex ratione formæ accidentalis in communi: quia tamen forma aduenies id non haberet: hinc est, vt de ea minimè verificari posset, quod aduenit enti completo formaliter & reduplicativè accepto, sed ad summum materialiter, & specificativè; inquantum aduenit materiæ, quæ, licet secundum se, & ex ratione, qua respiceretur, & actuaretur ab ea, esset quid incompletum: per accidens tamen esset completa per aliam formam. Per accidens, inquam, non quod forma illa se haberet, vt accidens respectu materiæ, sed quod nil obstaret, quo minus ipsa quoque faceret vnum per se cum dicta materia. non negauerim tamen vnum ex huiusmodi compositis non posse de altero prædicari, quia non est idem rectum in vtroque sicuti est in compositis accidentalibus, ratione cuius vnum de altero cum veritate prædicari potest. vt siccum est calidum.

58 Atque ex his remanet impugnata sententia Scoti *in 4. dist. 11. qu. 3. art. 2.* volentis in omnibus viuentibus, exclusis plantis, præter animam dari vnam totalem formam substantialem inanimem, quam corporeitatis apellat. atque esse animæ subordinatam, per quod differt hæc forma corporeitatis inuecta à Scoto, ab illa, quam inuenit Auicenna *lib. 1. sufficientiæ cap. 2.* hic enim volebat in quolibet composito substantiali admittendam esse formam quandam substantialem distinctam à propria, per quam poterbatur in specie ima, eamque formæ esse actum materiæ, & ideo illa inseparabilem, vnam vnique compositis communem.

59 At verò Scotus in solis viuentibus sensitiuis illam ponebat, atque adeo negabat esse materiæ coelum. sed aiebat, tunc primò in ea produci, cum primò generetur animal ex non animali; post eius verò corruptionem perseuerare in materia quandiu cadauer in aliud sit de elementorum siue mixti non conuertatur. Verum vtriusque sententia conuenit in eo, quod admittit in materia plures formas substantiales, quarum vna sit incompleta & ordinata ad disponendum, æque aptandam materiam ad aliam; cum qua simul coexistere debeat in ipsa materia; quod vidimus concepui formæ substantiales repugnare. Aliquis posset, quis asse-

re

re quantitatē, reliquaque accidentia exacta tāquam dispositiones à formis substantialibus, habere etiam rationem formæ substantialis incompletæ, preparantis materiam ad alias nobiliores se & totales recipiendas. siuè igitur dicantur partes materiales viuentium constitui in ratione organici per aliam formam eiusdem rationis in omnibus, siue per plures diuersæ rationis, æque est impossibile, ac implicatorium.

SECTIO SEXTA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

60 OBijcies primò: quædam Aristotelis loca, in quibus partiales formas videtur admittere: *Primò enim de anim. tex.* 58. docet aliam esse formam mixtionis ab anima: formam autem mixtionis appellat aggregatum ex formis partialibus. *tex. autem* 72. docet: quod si anima esset corpus duo corpora se penetrarent; anima, scilicet, & corpus, quod informatur ab illa. item *secundo de anim. tex.* 37. omnia, inquit, instrumenta animæ sunt corpora naturalia. *præterea* 8. *phys. tex.* 27. docet: eundem motum esse posse violentum, & naturalem eidem animali: hoc autem veritatem non haberet, nisi idem animal diuersas formas substantiales in se contineret; denique *lib.* 3. *de partibus animalium cap.* 4. docet: prius in animali generari cor, deinde reliquas eius partes; quod cum non possit intelligi de generatione quoad animationem. si quidem simul corpus animalis animatur: intelligi vtique debet de generatione quoad formas partiales.

61 Respondeo explicando singula loca; & ad primum dico Philosophum nomine formæ mixtionis non intelligere aggregatum ex formis partialibus, sed solam armoniam, seù temperiem contrariarum qualitatum elementorum, quam rectè docet realiter distingui ab anima; contra Antiquos, qui in ea animam constituere existimabant.

62 Ad secundum verò dico: ibi Philosophum loqui ex suppositione, posito enim, quod anima esset corpus; deberet componi ex materia & forma; & quia vnum corpus nequit respectu alterius habere rationem formæ, altera pars materialis viuentis deberet consequenter informari alia forma; & sic duo corpora, compenetrata forent in vno viuente. nisi mauis textum hunc de Corpore mathematico explicare, dum enim quantitas sequitur materiam, si in vno viuente duo reperirentur materiæ; rectè infertur duo item corpora mathematica in eodem compenetrata existere.

63 Ad Tertium ex secundo de anima dico: verba textus esse hæc: omnia naturalia corpora animæ instrumenta sunt; sicut animalium, sic & plantarum; tamquam gratia animæ existentia, quem locum Diuus Thom. *sect.* 7. sic exponit. non solum anima est finis viuentium corporum; sed etiam omnium naturalium corporum in istis inferioribus; quatenus omnibus illis vtitur tamquam instrumentis; nego igitur partes organicas viuentium appellari ab Aristotele corpora naturalia, cum quo tamen stat eas secundum se acceptas rectè dici corpora naturalia posse, quatenus informantur anima, quæ licet non possit illis pluralitatem tribuere quatenus dat gradum viuentis, seù animalis, potest tamen quatenus dat gradum substantiæ completæ, seù corporis.

64 Ad quartum dico: quod vnus, idemque motus potest, & naturalis esse, & violentus respectu eiusdem formæ, vt includentis diuersos gradus: sic motus progressiuus sursum est violentus animæ, pro vt virtualiter continet formam terræ, grauitatem exigentis, & est naturalis eidem animæ, quatenus ab intrinseco est locomotiua quocumque appetitus naturalis inclinat.

65 Ad vltimum denique dico: Philosophum vel ibi loqui de generatione cordis sub forma embrionis, quæ est inanimis, diuisibilis, & ad aduentum animæ corrumpenda: vel de generatione cordis sub anima ipsa, & sic dicēdum partes viuentis in eius sententia animari successiuè; eo quod complementum dispositionum successiuum acquirere existimet. de qua re nos suo loco.

66 Obijcies secundò: ex diuersitate dispositionum, atque proprietatum rectè intelligitur diuersitas specifica Corporum substantialium; sed in partibus animalium, diuersas, imo contrarias qualitates, & proprietates reperimus, vt duritiem, & siccitatem in osse; humiditatē verò, atque mollitiem in carne &c. ergo dicēdum est huiusmodi partes substantiales specie inter se differre,

Respondeo: si argumentum hoc haberet vim, probaret etiam in vno quoque viuente pro diuersitate partiū corporis diuersas dari animas; quod, etiam per aduersarios, est absurdum; sed quid quid sit de sequela hac: distinguo ego maiorem: ex diuersitate dispositionum, atque proprietatum, quæ reperiuntur in totis per se existentibus, tamquam distinctis omnino subiectis, rectè colligitur diuersitas specifica; concedo maiorem; ex diuersitate dispositionū, & proprietatum in partibus non quidem per se, sed in toto aliquo existentibus, rectè colligitur diuersitas specifica, nego maiorem; & distincta hac ratione minore; nego consequentiam. ex diuersitate enim, quæ reperitur in carne, ossibus, cæterisque viuentium partibus, quæ existunt in toto viuente sola perfectio vnius, & eiusdem formæ, quæ dispositiones adeo diuersas exigit, rectè colligi potest.

67 Obijcies tertiò: ex vna parte caro viua, & caro mortua eadem habent accidentia. non est igitur cur negemus eamdem habere formam substantialem: non quidem animam. ergo partialem: ex alia verò parte caro, & nerus in viuente diuersas habent definitiones. ergo & diuersas formas, non totales, ergo partiales dantur igitur formæ partiales.

Res

Respondeo, distinguendo antecedens prima partis: caro viua, & caro mortua habent eadem accidentia ordinata primò, & per sè ad formas substantiales vtriusque carnis; nego antecedens: habent eadem accidentia, quæ primò, & per sè ordinentur quidem ad formam carnis viuæ, quæ est anima; per accidens verò, & consequenter cum forma carnis mortuæ, quæ est cadauerica coniungantur, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia si essent eadem accidentia ordinata eodem modo, rectè ideatur forma substantialis, colligi posset à nobis. Ad posteriorem verò partem, distinguo antecedens. caro, & nerus diuersas habent definitiones accidentales, concedo; essentiales, nego antecedens; & consequentiam. quando enim definiuntur, accipiuntur secundū proprias rationes, quo pacto includunt combinationem propriarum dispositionum, imo, & distinctas facultates vitales. sic nego consequentiam.

68 Obijcies 4. nisi darentur formæ partiales sequitur, quod sæpe in morte animalis, vel materia remaneat spoliata omni forma, vel quod succedat forma cadaueris; sed neutrum dici potest; ergo &c. sequela patet. nam quando animal moritur ex iugulatione, febri, demersione, &c. si materia non remanet denudata omni forma: non nisi forma cadaueris assignabilis est, quæ succedat. *minor quo ad primam partem etiam patet ex dictis in physicis, quo ad secundam verò probatur:* tum quia forma ista cadaueris non haberet causam productiuam sui: tum etiam quia non potest à nobis assignari, num in omnibus animalium cadaueribus diuersę speciei, & in singulis eorum partibus illa sit eiusdem; an verò diuersæ speciei. ergo &c.

Respondeo, concessa sequela, negando minorem, quo ad secundam partem. verè enim in dictis casibus succedit animæ immediatè forma cadaueris, quam non intendit natura per sè, & permanenter, sed transeunter, & in ordine ad alias formas: scilicet vermium, elementorum &c. quarum dispositiones, quia non potuit ita introducere, vt vsque ad earum complementum anima perduraret in materia: ideirco, quo adusque compleantur dictam formam in illa conseruat. quamuis autem ea sit *nobilior elementorum formis*: quia tamen non *est intenta à natura in via generationis*; sed in via corruptionis; eo quod materiam ex perfecto ad imperfectum statum impellat: ob hoc nihil obstat, quo minus ad dictas formas ignobiliores se ab illa valeat ordinari. Ad priorem probationem in contrarium. patet ex dictis cū de resolutione vsque ad materiam primam. Ad posteriorem verò quidam existimant diuersitatem specificam formarum cadaueris desumendam esse per ordinem ad dispositiones antecedentes, & disponentes ad mortem; ita vt si bos, & homo V. G. frigore moriantur, eorum formæ cadauerosæ sint eiusdem speciei infimæ; sed minus probabiliter; alij verò probabilius dicunt sumendam esse per ordinem ad viuentiū corpora; ita vt humana corpora, quam speciē formæ cadaueris; equina verò, aliam habeant; & sic de cęteris. Zabarella autem censet, quod etiam pro diuersitate partium heterogenearum in vno cadauere diuersę sint formę cadauerosę, atque adeo corpus animalis demortuum sit vnū, non quidem simpliciter, sed solum per aggregationem.

Alij denique asserunt partem formæ cadaueris, quę est in osse vnius animalis V. G. esse eiusdem rationis cum parte formę, quę est in carne, &c. quam quidem sententiam, dum alij probabiliorem existimant, non video cur etiam non dicant omnes formas cadaueris esse eiusdē speciei infimę, quemadmodum enim heterogeneitas partium vnius animalis fiat per illos cū vnitate specifica formę cadaueris, in quantum diuersitatem illam nō sibi per sè vendicat dicta forma, sed secundario, & per accidens, ac solum in via corruptionis: ita & heterogeneitas, seu diuersitas corporum demortuorum cum eadem vnitate eiusdem formę stare poterit. Ego verò nihil firmum inuenio in hac parte. aduerto tamen solutionem huius instantię ex ipsis met aduersarijs petendam esse, cum enim ponant formas partiales. quęro ex eis, num pro diuersitate viuentium specifica multiplicentur species, nec ne. V. G. forma partialis ossis, vel carnis Bouis differt nè specie à forma partiali ossis vel carnis Equi? & quid quid ipsi dixerint de huiusmodi formis, dici à nobis poterit de formis cadauerosis viuentium diuersarum specierum. rursus quemadmodum ipsi dicunt, quod forma partialis carnis hominę viuę differt specie à forma ossis humani, item viui. idem nos dicere possumus de mortuis. non enim videtur assignabilis disparitas.

Obijcies quintò ex Theologis, nisi darentur formę partiales, sequeretur primò quod Christi Domini corpus fuisset in morte corruptum contra illud *psalmi decimoquinti* iuxta SS Patruum interpretationem, *nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Sequeretur secundò, quod eiusdem corpus mortuum non fuisset idem numero, ac viuens, quod est etiam contra Sanctos Patres. Tertiò denique, quod Anima Christi Domini in consecratione hostię veniret ex vi verborum. si quidem per ipsam constitueretur essentialiter Corpus Christi, quod ex vi verborum ponitur sub speciebus panis, sed hoc est contra Concilium Tridentinum *sess. decima cap. tertiò* vbi definit animam Christi venire per cōcomitantiam in hostiam consecratam, & non ex vi verborum; ergo &c. 70

Respondeo ad singula. & ad primam sequelam dico Christi Corpus in morte fuisse corruptum quantum attinet ad separationem animæ à corpore: Psalmum autem, & Sanctos Patres negare illi corruptionem quo ad putrefactionem, & reductionem in uermes, cineres, aut elementa.

Ad secundam verò aio. Corpus Dominicum fuisse idem numero, quando iam in sepulcro iacebat, ac quando erat viuens. non quidem ratione formę substantialis, sed ratione eiusdem suppositalitatis verbi diuini, quæ in vtroque statu fuit eadem. aliquando enim individuatio su-

Digitized by Google

sumitur pro suppositalitate ipsa, quatenus hæc reddit naturam vltimò terminatam, & omnino incommunicabilem alteri, atque adeo secundum omnem rationem in sè constitutam, & à quouis alio distinctam, vt patet ex definitione personæ, quam ex Boetio attulimus in methaphysicis. nisi hic quoque mauis nomine corporis intelligere materiam affectam quantitate, cæterisque dispositionibus: illa enim cum his eadem numero remansit, quia individuatio materiæ ab eius essentia minimè distinguitur.

Ad tertiam dicendum cum Conimbricensibus *secundo de anim. cap. nono*, & alijs nomine corporis in verbis consecrationis hostia venire materiam affectam quantitate, & dispositionibus, illam ad exercendas vitales operationes disponentibus, ac deorganizantibus; qua ratione sumptum corpus, certum est non constituere essentialiter per animam. videtur hoc sufficienter probari posse ex forma verborum. si enim veniret totum compositum, non rectè dictum fuisset à Christo esse corpus suum. sicuti neq; demonstrando se ipsum aliquis benè diceret, hoc est meus homo, meum individuum &c. & rectè id quidem, nam possessiuum illud partialitatem quamdam importare debet, quæ habetur hoc ipso, quod nomine corporis in consecratione venit pars materialis Christi Domini affecta accidentibus eam deorganizantibus, vt supra innuimus.

71 Instabis si pars materialis Christi in triduo mortis non remansit informata formis partialibus, quas habuisset in vita eiusdem; non posset assignari num fuisset tunc informata forma cadaueris, nec ne? sed hoc est absurdum. ergo &c.

Respondeo non nullos negatiuam partem tueri: alios verò, & si oppositum velint, negare tamen dictam formam fuisse assumptam à diuino Verbo, sed solam materiam, aiunt, fuisse tunc hypostaticè illi vnitam, & animam in limbo existentem: alios verò communiter asserere vtrumque: materiam, scilicet, illam fuisse in eo triduo forma cadaueris informatam: & dictam formam à diuino verbo assumptam, neque obstare, quod forma illa cadaueresa in resurrectione postea dimissa fuerit, vtpote corrupta: verba enim sancti Damasceni *lib. tertio fidei cap. vigesimosexto* quæ in Ecclesia Catolica vsurpantur pro axiomate scilicet (Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit) veritatem habere de ijs, quæ verbum assumpsit permanenter, & ex primaria intentione: non autem de ijs, quæ transeunter, & veluti consequenter, cuiusmodi fuit forma cadaueris; & certè multæ partes materiæ, anima Christi informatæ iam, fuerunt vi caloris naturalis, procedente tempore, in vapores resolutæ, atque adeo a verbo dimissæ, nec tamen hoc censetur inconueniens, aut contra dictum Damasceni etiam in aduersariorum sententia.

72 Obijcies sextò fundamentũ, quo vtitur P. Caprinus *in suis apibus philosoph. lib. secundo disputat. decima cap. tertio* sic: si alicuius hominis oculus ita irrecuperabiliter læditur, vt cæcus euadat, oculus læsus adhuc informatur anima rationali, quam sensum doloris retinet, & vegetat: & tamen dictus oculus nunquam accidentia ad visionem necessaria recuperabit; ergo signum est, quod aliquod comprincipium substantiale dictorum accidentium recuperatiuum amiserit; sed non est anima, neque materia, vt patet, erit igitur forma partialis oculi. cum autem non sit maior ratio de oculo hominis, ac de reliquis eius membris, neque de ipso homine, ac de cæteris viuentibus, rectè colligitur in his quoque omnibus formas partiales admittendas esse, omnia patent præter primam consequentiam, quæ sic suadetur: nullo alio efficaciori argumento probamus aquam, lignum, & similia composita substantialia vi agentium naturalium formam substantialem amisisse, quam, quia experimur ita alterata fuisse, vt non possint post pugnam qualitates deperditas recuperare, alioquin si ad solam accidentium combinationem recurreremus, non esset cur substantiales formæ deberent admitti; ergo &c. Confirmatur, quia digitus abscissus nunquam amplius per vegetationem ab anima recuperatur. sed hoc non aliunde orisi potest, nisi quia perijt cõprincipium substantiale, forma videlicet partialis, in qua anima rationalis in ea parte vegetationem exercere possit. dantur igitur formæ partiales.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. dico enim quod quando oculus irrecuperabiliter cæcus euadit, semper aliquo substantiali humore infestatur, cuius virtutem actiuam, ac reactiuam anima suis viribus, ac qualitatibus superare non potest: quod idem dicendum quoties aliqua alia pars corporis, vel duritie, vel mollitudine superflua à suo naturali statu discessit. sicuti enim quandiu lagena aquam continet, nequit propriam siccitatem recuperare, & aqua igni superposita frigiditatem: ita oculus, & similes partes corporis, quandiu humore noxio infestantur, contra quem præualere non possunt. non est igitur cur in dictis casibus ad formarum partialium deperditionem confugiamus, cum præsertim experiamur sæpe huiusmodi partes læsas adhuc informari anima, quam constat plures dispositiones in materia requirere, quam ipsas formas partiales, quin etiam huiusmodi formis tanquam dispositionibus in sententia aduersariorum indigere; vt mirum sit in casu posito materiam oculi humani deperdere formam partialem, & nihilominus anima rationali adhuc informari. deinde fac, quod informetur, quæro num loco formæ deperditæ succedat alia, an non? si primum explicandum remanet num ea sit partialis, num totalis? neutrum enim dici posse videtur, & quidem quod non sit totalis patet, alioquin eadem materia oculi duplici forma totali informaretur, quod saltem naturaliter repugnat. partialis verò forma si datur, est instituta à natura, vt per eam forma totalis exequi rectè possit munus suum. hæc autem instituta esset, vt in statu violento anima perseueraret; quod repugnat: sin autem dicatur secundum, hoc est, nullam aliam succedere, cum constet huiusmodi oculum æque benè vegetare, & sensu tactus

præ-

præditum esse: rectè deducitur neq; animam vegetatiuam, neque sensitiuam imperfectam formis partialibus tanquam dispositionibus indigere, quod aduersarij non admittunt. Atque ex his patet responsio ad probationem primæ, cõsequẽtiæ; distinguo enim eius antecedẽs, in quo assumebatur: nullo alio efficaciori argumento, probari formas substantiales, quam videre aquã, lignum, & cætera; ita aliquando alterari vt nunquam accidentia deperdita recuperare valeant, absente agente contrario, concedo; ad eius præsentiam, nego antecedens, & consequentiam; quia iam diximus in oculo cæco humorem contrarium ab anima superari non posse.

73 Dices, aliquando ob meram potentiæ debilitatem hominem reddi cæcum; sed tunc non possumus confugere ad humorem resistentem virtuti actiuæ, quam habet anima reducendi se ad pristinum statum, ergo &c. Respondeo hoc argumentum ex virium deperditione, quæ paulatim debilitantur petitum, ab omnibus esse soluendum; quamuis enim admittantur formæ partiales in sene, iam habetur adequatum principium substantiale suas qualitates remissas recuperandi; unde ergo prouenit vt illas recuperare non valeat, ita vt aliquando propter meram caloris naturalis extinctionem, & omnimodam virium destitutionem moriatur? siue igitur formæ substantiales admittantur, siue negentur eadem militat difficultas.

74 Ad Confirmationem ex digito abscisso desumptam concessa maiore, nego minorem; quod scilicet irrecuperabilitas eius oriatur ex eo quod perijt forma partialis, cum qua tanquam cum substantiali comprincipio anima in ea parte vegetationem exercere potuisset. prouenit enim huiusmodi irrecuperabilitas potius ex eo, quod viuens, nõ nisi per intus susceptionem alimenti vegetare valeat; atque adeo semper supponere debet membrum, in quo exercenda est vegetatio. Quod idem tenentur dicere aduersarij nam si pars ossis detrahatur ab osse aliquo homogeneo, vel pars nerui à nerno experientia constat quod nequeat, quod remanet neque neruus suas partes deperditas per adgenerationem, seu vegetationem recuperet; si igitur carentia formæ partialis huiusmodi recuperationem impedit animæ, dicendum est quod neque in osse neque in nerno sint formæ partiales; nam recuperatio digiti deperditi non à forma partiali ipsius digiti, sed à forma partis vicinæ, quæ remanet expectari deberet.

SECTIO SEXTA

Explicatur secunda anima definitio.

75 ARistoteles *secundo de anima tex.* 24. aliam tradit animæ definitionem, per quam intẽdit probare priorem huc vsque explicatam: ea est huiusmodi. *Anima est principium, quo primo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus*, ex qua sic priorem demonstrat: quod est primum principium viuendi &c. est actus primus corporis organici potentia vitam habentis; sed anima est huiusmodi primum principium. ergo; &c. sed age iam veniamus ad eius explicationem.

Dicitur primò (principium, quo primo viuimus) per quam particulam differt primò anima ab omni alia forma inanimatorum, sed non viuentium, nulla enim ex eis est principium vitalis alicuius operationis. differt secundò á composito ipso viuente, quia hoc se habet, vt principium, quod viuit, non verò vt principium, quo. differt denique tertiò ab altera comparte nimirum á corpore, seu materia, quia licet non solum anima, sed etiam corpore tamquam duplici partial principio viuimus: id tamen, quo primo viuimus non est corpus, sed sola anima, quod sic suadetur. id quo primò viuimus sentimus &c. est primum principium vitæ, sensus &c. sed huiusmodi principium non potest esse materia, seù corpus organicum contradistinctum ab anima. quia hoc habemus commune cum alijs non viuentibus saltem cum embrione, & cum cadauere. ergo &c. ex quo discursu patet falsitas sententiæ eorum, qui volunt definitionem traditam, vt soli animæ competat sic esse formandam. Anima est principiũ quo tanquam actu, & forma primò viuimus sentimus &c. quamuis enim non addatur illa particula (tamquam actu, & forma) non nisi de sola anima verificatur definitio; quatenus ipsa tantum est primum principium, quo vitales operationes exercemus. 76

Dicitur secundò (viuimus) pro quo notandum, viuere, pro vitali operatione acceptum dupliciter sumi posse. primò pro communi ratione, in qua omnes vitales operationes conueniunt; secundò pro speciali operatione animæ vegetatiuæ secundum communem vsum, quo nomen generis speciei imperfectissimæ tribuere consueuimus. Iam verò Caietanus existimat huiusmodi particulam in priori significatione sumendam, atque adeo his solis duabus particulis adæquatam animæ definitionem contineri. est principium, quo primò viuimus. quia cum viuere sit omnibus operationibus vitalibus cõmune. iam omnes comprehendit: ita vt reliquæ particulæ ad maiorem explicationem dictarum operationum tantummodo faciant: non verò sint ad essentialem definitionem necessariæ; sed alij omnes docent oppositum; & rectè id quidem, quia si viuere communem rationẽ omnibus operationibus vitalibus in tradita definitione significaret; quemadmodum ad explicandas operationes in specie additæ sunt ab Aristotele sentimus mouemur, & intelligimus: ita debuisset apponi etiam vegetamus; & quidem primo loco; non enim assignabilis esset dispar ratio, quod cum non fiat: signum est, quod pro ipso vegetare dicta particula ab illo sumatur; & rectè id quidem, nam intentum Philosophi, hoc ipso, quod fuit per operationes in præsenti definitionẽ animam explicare: debuit eas distincte apponere; alioquin confusam tradidisset definitionem, seù potius minus distinctam; quod nõ videtur sine vrgenti necessitate dicendum; quæ cum nulla appareat, absolutè tenendum est, viuere, hoc loco pro 77

Digitized by Google

vegetare accipiendum esse. nam cum quatuor sint modi viuendi, quorum primus est per intellectum, secundus per sensum, tertius per motum ab intrinseco, & quartus per vegetationem, hac particula operationes huiusmodi quarti viuendi significat, quæ licet omnibus viuentibus sint communes, eas tamen specialiter sibi vendicant plantæ.

78 Dicitur tertiò (sentimus) qua voce operationes animæ sensitiuæ comprehenduntur, quæ sunt propriæ animalium, per hoc enim distinguitur animal à plantis, quod hæc ita vegetant vt non sentiant, contrà verò animal, & vegetat, & sentit.

Quamuis autem plures sint sensus, qui animalibus insunt non tamen singulis omnes conueniunt, solus enim sensus tactus est illis communissimus, ita vt nulli eorum à natura negetur, vnde fit vt in ordine ad huiusmodi sensum fiat animalis, vt sic, constituatur. ordo verò ad reliquos v. g. ad visum, auditum &c. ex eorum perfectione procedat, ita vt quo vnum eorum genus est perfectius altero, eo plures sibi vendicet sensus.

79 Dicitur quartò (mouemur) hoc est vitaliter, & ab intrinseco motum localem edimus, illum ex nobis inchoando: quod est proprium solorum animalium. licet non omnium. imperfecta enim, quæ Zoophyta hoc est plantanimalia appellantur, vt sunt ostrea, spongiæ, & similia eumdem semper locum, sicuti plantæ retinent, potrò licet vitalis hic locomotiua non importet gradum specialem animæ à sensitiua distinctum, vti suo loco dicetur; eius tamen Aristoteles in animæ definitione mentionem fecit, eo quod significet actum vitalem valde nobilem, ad cuius exercitium plures aliæ vitales operationes concurrere debent, ad quem tamquam media ad finem ordinantur.

80 Dicitur demùm quintò (intelligimus) per quam particulam actus animæ rationalis, qualis est, explicabatur, vt sunt iudicare, discurrere, libere amare, vel odio habere, & cætera similia. circa quod illud notandum occurrit, quòd dupliciter huiusmodi actus considerari possunt: primò quatenus præscindunt ab ordine ad phantasmata, & conueniunt cum intellectionibus, & volitionibus angelicis; secundò quatenus discriminantur ab illis per hoc, quòd dicant ordinem ad phantasmata, & cum aliquali dependentia ab organis corporis elicitur; & quidem si primo modo sumantur non sunt apti ad faciendum hos venire in cognitionem animæ rationalis, eò quòd non procedunt ab illa, vt talis est, sed vt substantia spiritualis est, conueniens cum intelligentijs. Contrà verò si posteriori modo, vnde fit, vt dicta particula in definitione significet intelligere quoddam certum, & determinatum, quod fit cum dependentia à phantasmatibus, & cum quadam indigentia organorum, non quidem proximè inseruientium ad actum intelligendi eliciendum; sed ad formanda phantasmata, ex quibus formatio, & vsus specierum intelligibilium dependet.

81 Contra definitionem sic explicatam obijcies primò: vnius rei vna est definitio; ergo hoc ipso, quod anima definitur actus primus corporis organici, non potest etiam definiri principium, quo primo viuimus sentimus &c. respondeo, distinguendo antecedens; & si quidem sermo sit de definitione metaphysica, quæ traditur per proximum genus, & vltimam differentiam concedo: si verò de physica, quæ traditur per causas, vel effectus, nego antecedens, & consequentiam. dico enim, quod cum eiusdem rei possint esse plures causæ, & effectus: plures etiam possunt illius definitiones physicæ fieri; & quidem ita, vt vna sit medium demonstrandi alterum positò, quòd contineat causam priorem, vel effectum alius.

81 Obijcies secundò, illa definitio, quæ non conuertitur cum suo definito non est admittenda; sed hæc definitio non conuertitur cum suo definito: falsum enim est, quod anima plantarum sit principium, quo primo plantæ viuant, sentiunt, mouentur, & intelligunt. ergo non est admittenda.

Respondeo: interpretes Aristotelis hoc argumento pressos in variis abijsse sententias, inter quas Simplicius *lib. 2. de anima cap. 2. text. 14.* existimauit, falsum esse, hanc definitionem animæ communi competere; cum constet de sola anima rationali verificari, quæ in homine est principium omnium illarum operationum vitalium, de quibus in eadem definitione fit. sed hoc est expresse contra Aristotelem, qui *text. 12.* docet se aggredi iterum definire animam ex manifestioribus, quam prius ex obscurris definierat. ita vt per hanc posteriorem definitionem probet rectè traditam esse priorem. atqui luce clarius est priorem definitionem esse de anima in communi, & non de sola rationali; ergo de eadem dicendum, quod sit posterior. secundò Aegidius ad eundem textum dicit traditam definitionem nouesse vnam, sed quadruplicem, quam breuitatis studio ad formam vnius redegerit Aristoteles: verè tamen in ea contineri definitiones singularum specierum. ita vt definitio animæ vegetatiuæ sit, principium, quo primo viuimus, sensitiuæ verò principium, quo primo sentimus, & sic de reliquis. Sed non minus improbabilis est hæc responsio, quam priori. quamuis enim quoad rei veritatem, & in aliquo bono sensu aliquam speciem probabilitatis habere possit: at non iuxta Aristotelis mentem. hoc enim ipso, quod eadem anima definitur per posteriorem, quæ definita est per priorem, & quod posterior sit medium priorè demonstrandi, si definitum prioris est vnum, impossibile est definitum posterioris esse multiplex atqui hoc modo res procederet si definitio ipsa quatuor definitiones contineret. ergo &c.

83 Tertiò alij putant huiusmodi definitionem cum aliqua distinctione, per gradationem quamdam eius particulas copulando, intelligendam esse; hoc ferè modo. Anima est id quo primò vel solum vegetamus, vel vegetamus, & sentimus tantum, non autem mouemur; vel vegetamus sentimus, & mouemur tantum, non verò intelligimus: vel vegetamus, sentimus, mouemur, & intelligimus. ita vt semper prior gra-

Digitized by Google

gradus accipiatur cum negatione subsequentis in suis inferioribus, à quibus immediate participatur. verum hæc explicatio repugnat cum Aristotelis menti, qui operationes vitales indefinitione copulatim, & non disiunctim enumerauit tum vnitatis definitionis, nam sic, tot essent definitiones, quot operationes vitales numerarentur, vt de se patet. quare his responsionibus posthabitis ad difficultatem.

Respondeo, concessa maiore, negando minorē. ad cuius probationē, nego quod supponitur: nimirum definitum per hanc definitionem esse animam plantarum, est enim anima in communi sumpta veluti suppositione simplici; quia sensus definitionis non est, quod quælibet anima sit principium omnium illarum operationum; sed quod omnes hæ operationes proueniant ab anima hac, vel illa; & licet faciat sensum distributiuum, atque copulatiuum in ordine ad inferiora: non est hoc intelligendum secundum distributionem absolutam, sed benè secundum distributionem accommodam: sic, anima est principium, quo primò vegetant quę: cumque vegetatiuam vitam habent, quo primò vegetant, & sentiunt quęcumque habent vitam vegetatiuam, & sensitiuam; & sic de reliquis; & hac ratione definitio licet absolutè loquendo conueniat soli animę in communi; at facta distributione accōmoda etiam conuenit eius speciebus in particulari.

84 Obijcies tertiò; hęc definitio competit Deo, & animę rationali secundum adæquatam rationem eius consideratæ. ergo competit alteri à definito; & sic est vitiosa. antecedens quo ad priorem partem probatur ex illo Pauli act. 17. (in ipso viuimus mouemur, & sumus) quo ad posteriorem verò, quia nulla est anima rationalis, de qua non potest dicta definitio secundum omnes partes collectiuè acceptas verificari.

Respondeo negando antecedens, quo ad vtramque partem; & ad priorem eius probationem dico; quod licet Deus sit id, á quo tamquā à causa prima accipimus esse, & operari: non est tamen, id quo primò viuimus, sentimus &c. quia ipse non nisi determinatus à causis secundis naturaliter operatur; atque adeo principium, quo primò viuimus &c. non est nisi anima, quæ illum determinat ad exercendas vna cum ipsa vitales operationes vegetatiuas sensitiuas &c. ad posteriorem verò dico, quod licet anima rationali adæquata definitio competat, at non in eodē sensu accepta, in quo vidimus competere animæ in communi, atque adeo solum materialiter, stante Aristotelis acceptione, verificetur de illa.

85 Obijcies quartò: non potest explicari nū huiusmodi definitio essentialis sit, an verò accidētalis. ergo reijcienda est veluti confusa. consequentia est bona; antecedens probatur, quia ex vna parte videtur esse essentialis, tum quia verba in definitione accipi solent aptitudinaliter: tum etiam quia Philosophus postquam priorem tradidit definitionem, cap. 2. ait sè velle assignare aliam, quæ eius causam contineat; & postea hanc esse posteriorem definitionē affirmat; quod verò putanda sit accidentalis suadetur, tum quia etiam si definitio quo ad aptitudinem operationum vitalium, quas continet intelligatur: anima tamen non nisi mediis potentijs redditur formaliter apta illas exercere, sed potentiæ sunt eius proprietates. ergo &c. tum etiam quia idem Aristoteles ibid ait. priorem definitionem esse ex obscuris, hanc verò posteriorem ex clarioribus; & quidem nobis: non verò natura; nam subdit eam continere causam, per quam prior fit, & appareat, apparentia autem non est, nisi per ordinem ad nos,

Respondeo negando antecedens. puto enim 86
eam esse essentialem si rectè intelligatur, & explicetur. ita videlicet, vt sit sensus, quod anima sit principium primum principale, & radicale prædictarum operationum vitalium, atque hæc est communis sententia Græcorū interpretum ad priorem autem rationem incontrarium dico aptitudinem esse duplicem, formalem, & radicalem, quamuis autem anima per potentias vitales reddatur formaliter apta ad vitaliter operandum: at per suam essentiam redditur apta radicaliter. hoc enim ipso quod potentię vitales intelliguntur ab eius essentia tamquam proprietates immediate profluere: aptitudo radicalis ad vitaliter operandum, nō potest illi, nisi essentialiter conuenire. Ad posteriorem verò ex Aristotelis auctoritate depromptam aio, dupliciter definitionem traditam considerari posse; primò secundum habitudinem principij effectiui, quam animæ conuenire declarat secundò secundum terminū dictæ habitudinis. quo posito dico, quod licet, si dicta definitio secundo modo consideretur, sit nobis clarior, & apparentior priore; in quantum manifestiores nobis sunt vitales operationes, in ordine ad quas anima per eam definitur; quam corpus organicum, in ordine ad quod definitur per priorem: at verò si consideretur primo modo est clarior, & apparentior natura; eo quod importet primam originem, & radicale fundamentum, vnde procedat, quod anima tam variam organorum supellectilem in sua materia exigat, nimirum vt operationes vitales per illa valeat exercere. quoniam verò Philosophus posteriori modo hanc definitionem consideravit; idcirco eam ex clarioribus, & apparentioribus nobis procedere dixit, non tamen tacuit eam etiam notiora natura continere, hoc ipso, quod affirmauit per eam tradi causam, per quam prior fit, & appareat.

SECTIO SEPTIMA

Quot sint genera Animarum.

VNica conclusio tria sunt animarum genera 87
Vegetatiuum, Sensitiuum, & Rationale. ita Aristoteles *secundo de anim. tex. 31.* quem sequitur D. Thomas *prima parte qu. 38. art. 1.* & alij communiter.

Probatur. quia nomine animæ intelligimus formam, quæ est principium operationum excedētium in perfectione operationes formæ rerum inanimatarum. illa igitur anima con[illegible]

Digitized by Google

re debet genus animæ ab alio genere distinctũ, quæ est principium nobiliorum operationum, iis, quæ ab altera anima proueniunt: atqui generа operationum cum hac proportione eleuatarum supra totum genus formæ inanimis sunt tantum tria, ergo animatum genera tria tantum esse debent. vltima consequentia constat sicuti etiam primum antecedens; quod confirmari potest ex eo, quod viuentia à non viuentibus per hoc distinguimus, quod scilicet per sè, & ex primaria naturæ institutione habeant principium intrinsecum se ipsa principaliter mouendi, vel operandi, vt acquirant suæ perfectionis complementum, quod neque habuerunt à generante, neque ipsitio suæ productionis exegerant ab illo; contra verò non viuentia. Prima verò consequentia patet: nam sicuti anima in communi habetur ex diuersa elauatione & eminentia supra reliquas formas inanimes, quę colligitur à posteriori ex diuersa operatione supergrediente operationem illarum: ita genera animarum debent enumerari ex maiori vel minori nobilitate operationum supergredientium operationes formarum inanimatarũ, subsumptum verò suadetur: genus operationum nobiliorum supra operationes formarum animæ inferiorum, vel primò consistit in productione qualitatum materialium, hoc est disponentium ad formæ substantialis introductionem, quæ supergrediatur operationes naturæ inanimis, quatenus operationes huius sunt ab extrinseco principio, animæ verò à principio intrinseco; digestio enim v. g. & similes operationes animæ vegetatiuæ fiunt quidem per calorẽ, & reliquas primas qualitates: at viuens non plus attrahit nutrimenti, quam requiratur ad nutritionem, & vegetationem: contra ignis v. g. comburit omne combustibile, & sè augens per iusta positionem, non verò per intussusceptionem alimenti, ex quibus deducimus infimum genus animæ, scilicet, vegetatiuæ, quæ habet operari per primas qualitates, conuertendo alimentum in substantiam aliti. vel secundò consistit in productione quarumdam operationũ quæ non sint materiales, neque inquantum disponunt ad formæ substantialis introductionem, neque inquantum de potentia materiæ educuntur, cuiusmodi sunt intellectiones. & sic habemus genus animæ rationalis, oppositum adæquate priori. vel denique tertiò consistit in operationibus mediis inter duo dicta genera extrema; quæ quidem operationes, neque sint omnino spirituales, id est independentes à materia nec ordinantur ad disponendam materiam ad formam substantialem recipiendam, sed medio quodam modo se habent; & hę operationes sunt sensationes, quæ genus animæ sensitiuæ nobis tradunt. Anima igitur Vegetatiua constituit primum genus animæ; quia operatur proximè per primas qualitates per quas formæ inanimes operantur. Sensitiua verò secundum, quia licet per dictas qualitates non operetur: operatur tamen dependenter ab organis, dictis qualitatibus instructis, at verò Rationalis tertium eo quod neque per qualitates primas operatur, neque per organa habentia illas tamquam dispositiones; sed remotarium, dum est in corpore, corporeis organis indiget.

Obijcies primò vt ex regulis bonæ diuisionis est, vt quo ad fieri potest tradatur per mẽbra diuidentia proximiora diuiso. sed anima in communi potuisset proximius diuidi in vegetatiuam, & cognoscitiuam, deinde verò hæc subdiuidi in sensitiuam, & intellectiuam. ergo tradita diuisio non rectè procedit. Respondeo, distinguendo maiorem: vt tradatur quo ad fieri potest per membra proximiora diuiso, quomodocumque spectentur hæc membra nego: sumpta secũdũ eam rationẽ, secũdũ quã fit diuisio, concedo maiorem, & sic distinguo minorem: Anima in communi potuisset proximius diuidi in vegetatiuam, & cognoscitiuam, non attenta ratione, secundum quam fit diuisio, cõcedo; attenta dicta ratione, nego minorem, & consequentiam. dico enim quod quando dicitur diuisio fieri debere per membra proximiora diuiso: non debet hoc intelligi de quacumque proximitate, alioqui diuisio entis in decẽ prædicamenta esset viciosa, eo quod potuisset tradi per proximiora membra, nempe per substantiam, & accidens; sed de proximitate secundum eam rationem, secundam quam diuisio intenditur. quoniam verò in casu nostro diuisio animæ fit, secundum diuersos gradus perfectiores, & nobiliores, quibus anima eleuatur supra modum operandi formarum inanimatarum, cum constet intellectiuam eleuari supra modum operandi animæ sentientis per hoc, quod absque organo, & qualitate corporea suos actus vitales exerceat: hinc fit, vt ea debuerit esse vnum ex primarijs, & immediatis membris diuisiuis animæ. 88

Obijcies secundò, locomotiuum constituit distinctum genus potentiæ vitalis per Aristotelem, ergo debet constituere genus animæ distinctum à tribus. consequentia probatur, quia genera animarum non distinguntur á nobis: nisi á posteriori in ordine ad operationes, & facultates diuersas. 89

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, dico enim, quod ad constituendũ vnum genus animæ distinctum ab alio, vt constat ex dictis, duo requiruntur: primò vt vnum sit nobilius altero: secundò vt ignobilius reperiatur realiter à nobiliore separatum, non tamen nobilius ab ignobiliore. iam verò locomotiuum, vel sumitur secundum totam suam latitudinem pro vt non solum mutationem totalis loci, sed etiam partialis comprehendit, & sic nunquam reperitur sine sensitiuo. Zoophyta enim, & cætera sensitiua, quæ plantanimalia appellantur, eo quod sint vni certo loco affixa, mutant partialiter locum, quatenus retrahuntur à noxijs & ad conuenientia dilatantur. vel sumitur pro vt perfectum tantum est, & solum motum de loco ad locum totalem importat, & sic non est sensitiuo nobilius, sed ordinatum ad illud tamquam instrumentum ad causam principalem. id circo enim natura huiusmodi motum perfectis animalibus concessit: quia ad proprię vitę conseruationem quam plu-

ribus

sibus reliuis se longè diuisis egent: contra verò Zoophyta in eodem loco reperiunt omnia, quæ sibi ad vitam conseruandam necessaria sunt: & hinc est vt locomotiuum non constituat genus animæ à tribus assignatis distinctum. Ad probationem verò consequentiæ dico, non sufficere nobis quamcumque diuersitatem operationum, & facultatum vitalium ad constituendum distinctum genus animæ: nisi sint inter se separabiles, & vna nobilior altera. contra verò ad constituendum distinctum genus potentiæ.

90 Instabis si tradita doctrina esset vera: sequeretur, quod præter genus animæ sensitiuæ admittendum esset genus animæ visiuæ, audiuæ &c. eo quod gradus sensitiuus per sensum tactus est imperfectior, & reperitur à parente sine gradu visiuo &c. e contra verò nunquam gradus visiuus sine tactiuo; sed consequens est absurdum. ergo & id vnde sequitur. Respondeo, negando sequelam; ad cuius probationem dico: ad constituendum distinctum genus animæ non sufficere quemlibet modum perfectiorem operandi separabilem supra aliud, intra eundem gradum: alioquin cum quædam animalia pauciores, quædam verò plures, eosque perfectiores sensus habeant: rectè deduceretur debere per ea multiplicari genera animarum. Requiritur ergo vt perfectior modus operandi transferatur ad genus diuersum, cum aliqua elevatione supra imperfectiorem: at verò gradus visiuus continetur sub eodem genere, sub quo continetur gradus tactiuus; quamuis enim differat in eo quod sit illo perfectior, quia tamen eius modus operandi est dependens ab organo per operationes, quæ licèt non dissonant ad formam substantialem, sunt tamen corporeæ, & materiales, ideo non

91 constituit distinctum genus animæ.

Obijcies tertiò: per Aristotelem *à tex. 13. lib. 2.* quatuor sunt animatorum genera animum. Vegetatiuum, Sensitiuum, Locomotiuum, perfectum, & Rationale, ergo, & quatuor debent esse genera animarum. probatur consequentia, quia non possunt plus multiplicari cõcreta, quam abstracta. ergo si genera animatorum sunt quatuor, etiam quatuor debent esse genera animarum.

92 Ad hoc respondent primò Conimbricenses, *lib. 2. de anima cap. 3. qu. 2. art. 2.* genera animatorum esse quatuor: posito, quod eorum numerus sumatur à distincta vita accidentali illorum, hoc est à distinctis generibus vitalium operationum. cum quo stat, quod si sumeretur à vita substantiali, sicuti numerus animarum: tria tantum eorum genera distinguenda essent. Contra tamen est, quia nos non aliunde vitam substantialem distinguere possumus, nisi per respectum ad vitam accidentalem. de facto enim ideo dicimus, animam rationalem esse essentialiter diuersam à sensitiua, quia eam in homine operationes essentialiter diuersas exercere videmus. ergo si numerus animatorum à distincta vita accidentali desumitur, etiam desumi ab eadem debet numerus animarum.

93 Respondet secundò Quiedus *numero 11.* differentiam, quæ est inter animalia imperfectè localiter se mouentia, & perfectè, sufficientem non esse ad assignandum genus speciale viuentis, à sensitiuo essentialiter distinctum. neque nouum esse apud Aristotelem, inter differentias essentiales, plures accidentales reperisi permixtas. sed contra est; quia Potentia, quæ est in zoophytis restringendi se, & dilatandi differt essentialiter à potentia, quæ est in alijs animalibus transferendi se ex vno loco totali in alium. ergo non est cur non sit sufficiens ad assignandum genus speciale viuentis. antecedens probatur à fortiori, quia potentia volandi aquilæ differt essentialiter à potentia progressiua hominis: licet per vtramque homo, & aquila totalem locum mutent; quanto magis igitur potentia constringendi se, & dilatandi essentialiter diuersificabitur ab eisdem potentijs. & confirmatur quia in animalibus perfectis alia est potentia, per quam se constringunt, & dilatant persistendo in eodem loco; & illa, per quam progrediuntur, vel volant, vel natant; quod patet, ex eo quia ad illos motus edendos vix indigent instrumentis organicis; contra verò ad hos quam pluribus, eisque varijs; quoniam verò in vno eodemque subiecto non dantur plures facultates solo numero distinctæ, dicendum est eas distingui inter sè essentialiter: iam verò sufficere hanc diuersitatem ad constituendum distinctum genus animatorum ex modo dicendis planum fiet.

Respondet tertiò Suarez *lib. 2. de anima cap. 7.* 94
num. 13. se (salua auctoritate Philosophi,) quod ad rem spectat non censere esse maiorem rationem multiplicandi locomotiuum sub ratione animæ, quam sub ratione viuentis, seù animati, & fortasse ab Aristotele solum fuisse illum gradum distinctè numeratum inter viuentia: quia ad tradendam doctrinam de gradu perfectionis aliquam animalium; & ad explicandam specialiter potentiam motiuam perfectam visa est illi partitio accommoda.

Verum hæc responsio potest intelligi dupliciter: primò, vt existimet in rei veritate diuisionem animæ in tria genera esse deficientem, atque adeò addendum esse quartum genus, nimirum locomotiuum; sicuti additur in diuisione animatorum; at facta suppositione illius diuisionis hanc esse redundantem, quia illi minimè conformatur, atque hæc fuit sententia Caietani *secundo de anima cap. 4.* secundò, vt putet diuisionem animæ in rei veritate esse sufficientem: animatorum verò redundantem; atque adeo si obseruare velimus bonæ diuisionis præcepta; viuentium genera constituenda esse eantum tria. vt voluit Viguerius *tract. 1. de anima.* verum vtrouis modo intelligatur responsio repugnat doctrinæ Aristotelis, eiusque interpretum, qui absolutè defendunt vtramque diuisionem rectè traditam esse; cum præsertim insufficienter à Suarez diuisio animatorum in quatuor membra excusetur per hoc, quod ad tradendam doctrinam de gradu, & potentia perfecta locomotiui sit accommodata. sic enim excusari etiam potuisset si facta ab Aristotele per quinque membra fuisset, & habuisset ad-

iun-

iunctum genus appetitiui. iam enim hæc etiam ratione facta maiorem commoditatem dedisset disserendi de huiusmodi potentia, sed hoc non
95 videtur concedendum. ergo &c. his igitur responsionibus posthabitis.

Respondeo ego, concesso antecedente, negando consequentiam ad cuius probationem dico, quod licet verum sit abstractorum genera ad multiplicationem generum concretorum multiplicanda esse ex suppositione, quod ex eodem capite diuisio totius concreti, & totius abstracti procedat, animati, scilicet, & animæ in communi: nil tamen obstat si ex diuersis capitibus vtriusque diuisio accipiatur quin numerus partium potestatiuarum concreti possit esse maior numero partium potestatiuarum abstracti: quod autem ita res procedat in casu nostro, suadetur ex eo, quia animatorum genera non numerantur à Philosopho penes diuersũ, ac nobiliorẽ modũ eleuationis operationũ supra modũ operandi corporũ inanimatorũ; sic enim tria tantũ, vt vidimus de animabus, esse deberent; sed penes subiecta ipsa animata in quibus reperitur aliquod genus actuũ seù potẽtiarũ vitalium realiter separatum ab alijs, siue demum vnum genus importet eleuatiorem modũ operandi supra alium, siue non: quoniam verò subiecta harum potentiarum, seù actuum vitalium, in quibus ea separatæ realiter inueniuntur sunt quatuor: hinc fit, vt non obstante, quod tria sint animarum genera: rectè procedat, quod quatuor numerentur genera animatorum. maior constat, & minor probatur. nam quædam subiecta animata sunt, in quibus reperiuntur potentiæ vegetatiuæ tantum, hoc est nutritiua, augmentatiua, & generatiua, sine sensitiua, & rationalibus. & hæc constituunt primum, & infimum genus animatorum. quædam verò sunt in quibus reperiuntur potentiæ sensitiuæ cum appetitiua sine potentia transferendi sè ex vno in alium locum totalem. & sine potentijs rationalibus. & hæc constituunt secundum genus. quædam verò, quæ ita vegetant, & sentiunt, vt habeant potentiam mutandi adæquatum locum, absque eo, quod discurrere valeant; & hæc constituunt tertium genus. quædam denique habent, quod præter dictas operationes atque potentias, intelligant & discurrant, & constituunt quartum. ex quibus sequitur, quod rectè tradita sit vtraque diuisio.

96 Sed instabis pro Suarez. licet, ex suppositione, quod ex diuersis capitibus sumantur diuisiones, ac rectè deducatur, quod vna per plura, altera per pauciora membra fiat: tamen, quo ad rem spectat, non est maior ratio cur hæc ex hoc determinato capite procedat: illa verò ex alio; & non è contra. ergo &c. antecedens suadetur, quia eodem modo genera viuẽtiũ constitui poterant ex diuersis gradibus operationũ, quibus supra operationes non viuẽtium paulatim ascendunt, sicuti constituuntur genera animarum. ergo &c.

Respondeo negando antecedens, cum sua probationẽ. ratio discriminis est, quia res quẽadmodum cognoscitur à nobis: ita & diuiditur, diuisio enim non cadit nisi supra rem taliter, vel taliter cognitam. Atqui viuens sensu ipso cognoscitur differre à non viuente. ergo eius diuisio fieri debuit in membra proximiora, & viuersaliora, quæ sensu ipso percipiuntur non solum differre à non viuentibus, sed etiam inter se. sed hæc sunt nec plura nec pauciora, quam quatuor; nam viuens vel differt primò à reliquis, tum non viuentibus, tum viuentibus per hoc, quod vegetet tantum, ut planta; uel secundò per hoc, quod uegetet, & sentiat tãtum, ut zoophyta; uel tertiò per hoc etiam, quod ab intrinseco moueatur de loco ad locũ, ut aquila; uel denique quartò per hoc, quod, præter hæc tria habeat intelligere, ut homo; ergo quo ad rem ipsam spectat uere diuisio uiuentis in quatuor membra fieri debuit.

Contra verò anima ipsa sensibus minimè percipi potest, sed in eius cognitionem non nisi post varias reflexiones, & multiplices discursus, atque obseruationes deuentum est, quibus tandem innotuit esse forma substantialis reliquis formis inanimatorum nobilior, atque in modo operandi multo illis perfectior. eius igitur diuisio fieri debuit in membra; quæ diuersis gradibus perfectionis formas inanimatorum superabant, & inuicem unum supra aliud se extollebat; sed huiusmodi membra non sunt nisi tria; uti probatum est, uegetatiuum, scilicet, sensitiuum, & intellectiuum. ergo spectata rei natura diuisio animæ in tria membra rectissime instituta est.

Atque ex his obiter colliges diuisionem etiã 97
potentiarum cum maximo fundamento in re inquinque genera traditam esse; nempe in uegetatiuũ, sẽsitiuũ, appetitiuũ, locomotiuũ & intellectiuũ, & ratio huius rei est, quia cum potẽtiæ specificentur ab obiectis medijs actibus: sicuti ex his nos uenimus in cognitionem illarum: ita ex diuersitate eorum, potentiarum diuersitatem, ac genera cognoscere debemus. atqui quinque esse huiusmodi obiecta conuenientia uitę, suadetur breuiter hoc discursu; uel enim obiectum potentiæ uitalis est realiter unitum animæ: uel ab illa separatum. per ordinem ad obiectum unitum constituitur potentia uegetatiua, cuius munus est nutrire, & uegetare uiuens, eiusque semen in ipso uiuente ad propagandam speciem elaborare. si autem obiectũ est separatum ab anima: uel ita separatum est ut illud anima ad sè quodammodo attrahere possit, & facere suum ex eo, quod illud sibi exprimat, eiusque imaginem in se efformet: uel ita separatum est, ut potius anima tendere debeat ad illud, ut ipsum possideat atque participet. & si quidem primo modo se habet: posito, quod importet essentialiter esse corporeum, & minus uniuersale, constituit genus potentiæ sensitiuæ, si uerò quantum est de se abstrahit ab esse corporeo uel incorporeo atque adeo est communissimum, & omne intelligibile comprehendit: constituet genus potentiæ intellectiuæ. si uerò secundo modo se habeat: uel anima tendere debet ad illud moraliter hoc est tamquam in finẽ suum, & sic constituet genus potentiæ appetitiuæ: uel tendere debet ad illud rea-

realiter tanquam in terminum sui motus; & constituet genus potentiæ locumotiuæ: cum igitur hæc partitio se teneat ex parte ipsorum obiectorum, & habeat fundamentum in re; rectè deducitur etiam diuisionem potentiæ vitalis in quinque genera benè traditam esse ab Aristotele, spectata ipsa rei natura, & fundamento ex re ipsa accepto.

98 Dices: cognitio sensitiua, & intellectiua, distincta potentiarum genera constituunt. ergo & appetitus sensitiuus, ac rationalis etiam duo alia distincta genera constituere debet, & sic sex erunt genera potentiarum, & non quinque.

Respondeo, negando consequentiam, Ratio disparitatis est, quia appetitus sensitiuus, & rationalis differunt inter sè veluti per accidens hoc est, per aliud, quia totam suam diuersitatem desumunt per comparationem ad sensitiuam, & intellectiuam cognitionem. quamuis enim habeant intrinsecam disconuenientiam essentialem, in quantum appetitus sensitiuus est potentia materialis, & necessaria; rationalis verò spiritualis, & libera: hæc tamen disconuenientia refunditur in potentiam sensitiuam, & intellectiuam, quatenus illis debiti sunt appetitus proportionati, sibique conuenientes: vnde est, vt in diuisione non debuerit apponi duplex appetitus, sed benè duplex potentia cognoscitiua: alij verò inter quos Maurus *l. 4 q. 14* diuersam rationem refundunt in similitudinem obiectorum sic: *tota differentia inter appetitum sensitiuum, & rationalem consistit in eo, vt obiectum sensitiui sit minus commune quam rationalis; sed hæc virtualiter explicata est in eo, quod potentia sensitiua ponitur distincta ab intellectiua; ergo non est cur debuerit appetitus sensitiuus poni tanquam membrum distinctum à rationali in potentiarũ diuisione, quia per hoc non explicata fuisset noua differentia. Verum hoc discrimen, nisi refundatur vltimo in assignatum à nobis, non euacuat difficultatem, quia semper aduersarius potest vlterius instare, quærendo cur, cum æquæ huiusmodi differentia obiectorum potuisset innotescere per enumerationem potentiarum appetitiuarum, ac per cognoscitiuarum: cur inquam potius potentiæ cognoscitiuæ enumerantur tãquam duo membra distincta ab Aristotele, & non potentiæ appetitiuæ? standum igitur est disparitati à nobis traditæ.*

SECTIO OCTAVA.

An diuisio Animæ in dicta tria membra sit vniuoca.

99 PRO resolutione difficultatis notandum ex Suarez *lib. 2. de anima cap. 6. num. 13.* mẽbra diuidentia in hac diuisione dupliciter sumi posse, primò pro vt à parte rei existunt separata, & realem habent oppositionem, ac in suppositis essentialiter distinctis reperiuntur; in quo sensu anima vegetatiua dicitur illa, quæ ita operationes vegetabilium exercet: vt realiter non possit se extendere ad operationes sẽsitiuas, cuiusmodi est anima plantarum. sensitiua verò, quæ præter operationes vegetabilium, etiam sensitiuas exercet; sed ad intellectiuas minimè pertingit, cuiusmodi est anima brutorum. rationalis denique illa, quæ ita est principium operationum vegetabilium, & sẽsitiuarum: vt etiam sit principium intelligendi.

Secundò possunt tria illa membra sumi secundum præcisas, & abstractas rationes vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: ita vt membrum inferius præscindat ab eo, quod à parte rei sit, vel non sit cum superiore coniunctum; sic sumitur anima vegetatiua quatenus dicit principium vegetandi, siue contrahatur per differentiam insensibilitatis ad plantas, siuè per differentiam sensibilitatis ad animalia; sic etiam sensitiua, quatenus est principium sentiendi, præscindendo ab eo, quod sit determinata per irrationalitatem in brutis: vel per rationalitatem in hominibus: quanta autem sit diuersitas inter membra diuisionis his duobus modis accepta, constat ex eo, quod in priori acceptione sub anima vegetatiua non comprehenduntur, nisi animæ plantarum, & sub sensitiua non, nisi animæ brutorum. at vero in posteriori sub vegetatiua non solum animæ plantarum sed etiam brutorum omnium, ac hominum directè continentur, quatenus vegetant, & sub sensitiua, tum brutorum, tum hominum, quatenus sentiunt. de intellectiua non facio mentionem, quia sub illa siuè membra diuidentia priori, siue posteriori modo accipiantur semper eedem, & solæ animæ rationales comprehenduntur; eo quod non est per inferiores differentias formales vlterius contrahibilis, sed solum per indiuiduales, quæ cum materiales sint: non faciunt ad diuisionem animæ, quæ formaliter consideratur. iam verò quid de diuisione animæ vtroque modo accepta dicendũ sit, duobus subsectionibus sequentibus explicabimus. 100

SVBSECTIO PRIOR.

Statuitur vniuocatio diuisionis animæ priori modo consideratæ.

PRima conclusio: si membra diuidentia accipiantur primò modo, hoc est prout reperiuntur à parte rei diuisa, & realem oppositionem habent: diuisio animæ est vniuoca; & quidem generis in species. huic communissimæ sẽtentiæ duplex philosophorũ classis refragatur; inquarum altera est Auerroes, Themistius, & Simplicius qui *lib. 2. de anima tex. 7.* animæ vniuocationem negant: eo quod existimant rationalem esse minus propriæ animam; in altera verò stat Iandunus 2. *de anima qu. 3.* Alexander de *sensu & sensib. in principio*, Albertus 2. *de anima cap. 5.* & alij, qui ex contraria ratione eandẽ vniuocationem negant: quia nimirum, rationẽ animæ soli rationali verè, & propriè competere putant; cæteris verò non nisi secundum quid; veraque tamen classis eodem fere fundamento nititur, nobilitate, videlicet, & excellentia, qua rationalis duabus reliquis excellere constat, & prior quidem sic discurrit: anima ratio- 101

rationalis cum sit in se subsistens non communicat se ipsam totaliter materiæ; nec quantū ad esse, nec quantum ad operari est dependens ab ipsa materia. ergo non est verè, & proprie anima. posterior autem sic: viuens propriè, & simpliciter est, quod se ipsum mouet, sed sola anima rationalis se ipsam mouet, quia ipsa sola operatur propter finem, suam operationē in illum dirigendo, ergo solum ipsa est verè, & propriè anima; reliquæ verò duæ impropriè.

102 Verum assertio nostra probatur primò absolutè: quia anima rationalis vniuoce conuenit cum anima bruti in gradu sensitiuo. ergo vniuoce etiam conuenit cum eadem anima bruti, & anima plantæ in gradu vegetatiuo: non est igitur cur diuisio animæ in dicta tria membra non sit vniuoca. probantur singulæ propositiones huius discursus; & primò quidem antecedens sic: animal vniuoce de bruto, & de homine prædicatur. est enim genus subalternum in prædicamento substantiæ, atque adeo eius inferiora vniuoce in illo conueniunt; sed eadē est ratio quantum ad vniuocationem de forma in communi; ac de eius composito. nam si forma respectu inferiorum suarum formarum est analoga, impossibile est, quod compositum ex illa respectu inferiorum suorum compositorum sit vniuocum, vt de se patet. cum igitur forma constitutiua animalis sit anima sensitiua, rectè deducitur, quod anima rationalis, & anima bruti vniuocè in eius ratione conueniant. Prima verò consequētia suadetur ex eo, quia eodē modo se habet anima rationalis ad animam bruti in ordine ad sentiendum: ac sè habet ad eandem animam bruti, & ad animam plantæ in ordine ad vegetandum; nulla enim in hoc potest assignari disparitas, vt considerāti patet: ergo vniuocè etiam conuenit cum anima bruti, & cum anima plantæ in gradu vegetatiuo. secūda verò consequentia videtur certa, quia diuisum in tria illa membra, prout á parte rei existunt separata, & realem habent oppositionem ad inuicem, est anima vegetatiua ab illis abstracta; ea enim diuiditur in vegetatiuum insensibile, quod est arbor, & in vegetatiuum sensibile, quod est brutum, & in vegetatiuum rationale, quod est homo. non est igitur cur diuisio animæ in hæc tria membra sic accepta non sit vniuoca, quod erat probandum.

103 Dices diuisum in vegetatiuum, sensitiuum, & rationale prout realem oppositionem habent est anima, quæ tanquam forma constituit genus viuentis in recta linea prædicamentali substantiæ; sed huiusmodi non est anima vegetatiua in communi, sed est anima, quæ abstrahit à vegetatiua, sensitiua, & rationali. ergo quamuis concedatur, quod anima rationalis quatenus vegetatiua, & sensitiua est, conueniat vniuocè cum brutis, & plantis: non tamen sequitur, quod diuisio animæ in communi sit vniuoca.

Respondeo, negando minorem; gradum enim viuentis in recta linea prædicamentali substantiæ constitui formaliter per vegetatiuam animam suaderi potest multipliciter, primò quidē ex Aristotele, qui *secundo de anima cap.* 2. docet primam vitæ rationem esse vegetatiuam, & in secunda definitione animæ vsurpat viuere pro vegetari; dicens, animam esse id, quo primo viuimus &c. suadetur secundò, quia alioqui linea prædicamentalis substantiæ, quæ est ab omnibus recepta esset deficiens, atque adeo non rectè constructa, quod hac fere ratione probatur: non minus homo vegetat, quam sentiat; ergo si quia sentit cum brutis, in eius linea prædicamentali ponitur gradus animalis: etiā, quia vegetat cum plantis debuisset poni in eadem linea gradus vegetatiuus, ita vt primum locum occuparet gradus substantiæ, secundum gradus corporis, tertium gradum viuentis, quartum vegetantis, quintum animalis sextum denique hominis; nè igitur hoc dicamus, sustinere debemus, quod gradus viuentis in dicta linea non constituatur formaliter per animam quatenus est principium vitalis operationis præscindentis ab operatione vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; sed quatenus est principium operationis vegetatiuę præscindentis ab eo, quod sit, vel non sit coniuncta in eodem subiecto cum perfectioribus operationibus vitalibus, sensitiuis, videlicet, & intellectiuis. Tertiò denique, quia gradus animalis in dicta linea non sumitur ab anima, quæ potest abstrahi à sensitiua, & rationali, quatenus vtraque est cognoscitiua, vna per sensum, altera per intellectum, sed sumitur ab anima sensitiua, & sic constituit genus, quod vniuocè de homine, & bruto prædicetur; ergo gradus viuentis in dicta linea non debet sumi ab anima, quæ potest abstrahi à vegetatiua, sensitiua, & rationali, sed à vegetatiua, quæ cum sit infima omnium formarum vitalium, dat denominationem generis gradui, quod constituit, & facit viuens. vnde ortum habuit eorum existimatio, qui hoc non aduertentes dixerunt: huiusmodi gradum viuentis in recta linea formaliter prouenire ab anima, quatenus est principium vitalis operationis in communi, & non à vegetatiua vt sic.

Probatur secundò conclusio destruendo fundamentum, cui initiuntur duæ contrariæ classes auctorum, quos vidimus negare hanc diuisionē esse vniuocam. nam vniuocatio inter plures species non excluditur per hoc præcisè, quod vna ex illis sit nobilior, & perfectior alijs. omnes enim supponimus bruta, & homines vniuocè in ratione animalis conuenire: & nihilominus homines sunt nobilioris, & altioris ordinis; quam bruta. quin imo ipsamet bruta, si inuicem comparentur, magnam inter sè diuersitatem in perfectione habent. ergo ex eo quod anima rationalis sit reliquis duabus nobilior: non bene deducitur non posse vniuocè cōuenire cum illis in ratione formæ viuentis. 104

Deinde ad vtramque sententiam in particulari descendendo, sic arguo contra priorem; ea enim dupliciter intelligi potest, primo quod anima rationalis non sit verè, & propriè forma informans, & viuificans corpus; sed sit tantum illi assistens: sicut nauta nauī. & sic intellecta est expressè contra definitionem Ecclesiæ *in Clementina prima de Summa Trinitate, & Fide Catholica, edita in Concilio Viennensi à Clemente V. & postea confirmata in Lateranensi 3. sect. 8.* In quibus 105

quibus statuitur, quod si quis dixerit animam rationalem non esse formam corporis humani per se & essentialiter: tamquam hæreticus essendus sit.

Constat autem, quod sola forma informans sit per se & essentialiter talis. nam assistenti, solum per accidens, & contingenter competit movere corpora; Secundò intelligi potest dicta opinio, quod, non obstante, quod anima rationalis sit verè, & propriè forma informans corpus: ad hoc impropriè animæ rationem participet; & sic omni probabilitate caret, nam quemadmodum in ratione formæ vniuocè convenit cum cæteris formis, & constituit gradū corporis: ita & in ratione animæ vniuocè debet convenire cum reliquis animabus, & constituere gradum viuentis. vel si impropriè est anima, impropriè animabit corpus, & per cōsequens impropriè erit forma illius, quod est contra Concilium.

106 Neque rationes, quas afferunt pro se huius prioris sententiæ auctores habent vim. Ad primam enim dicendum falsum esse animam rationalem non communicare se ipsam totaliter materiæ; quamuis enim in se subsistat: habet tamen essentialiter esse verè, & propriè formæ illius, sed fit est, huiusmodi secundum se totam illi vnitur. ergo totaliter illi communicatur, quia communicatio formalis in vnione informativa materiæ posita est. Per quæ patet responsio ad secundam, quæ ducebatur ab independentia, quam anima rationalis habet à materia quantum ad esse, nam sicuti ratio formæ substantialis vt sic non constituitur per exigentiam dependentiæ à materia quantum ad esse: ita neque ratio formæ viuentis, vt dictum est, & sic quamuis animæ rationalis non pendeat, quoad esse à materia: non sequitur quod non conueniat cum reliquis animabus vniuocè. Ad tertiam denique de independentia à materia quantum ad operari dicendum, animam rationalem quandiu est in corpore huiusmodi dependentiam habere, quod patet, quia non solum operationes vegetatiuas, & sensitiuas sine materia exercere nequit, sed neque rationales. alioquin ex lesione corporis homo non posset reddi amens, & mente captus; neque ex organorum impedimento euadere inhabilis ad operationes intellectiuas exercendas, quod tamen est apertè contra experientiam. quo modo autem hoc non obstante verum sit eius potentiam intellectiuam non esse organicam dicetur inferius.

107 Iam verò contra eosum sententiam, qui dicebant, diuisionem tradiam esse analogam, eo quod sola rationalis sit verè, & propriè anima licet concilij definitio non procedat: procedit tamen ratio facta contra præcedentem. nam anima bruti, & anima hominis conueniunt vniuocè in ratione principij sensitiui. ergo animæ plantæ, bruti, & hominis conueniunt vniuocè in ratione principij viuentis, antecedens supponitur, consequentia verò probatur: si qua enim esset disparitas, ea maximè ex ratione fundamentali huius sententiæ desumeretur; quia animam viuens propriè, & simpliciter est quod se ipsum ab intrinseco mouet; cuiusmodi non est nisi anima rationalis, quæ sola propter finē propriè operatur, dirigendo operationes suas liberè in bonum sibi, vt conueniens cognitum; hanc autem rationem non procedere suadetur: quia licet per se, & propriè se ipsum mouere propter propriam perfectionem acquirendam, sit de ratione viuentis; hoc tamen intelligendum est physicè, & in genere efficientis tantū; non verò moraliter se ipsum in finem cognitum libere dirigendo. atqui constat belluas, & plantas physicè se ipsa mouere efficienter per veram efficientiam inchoādo motum ex intrinsecis suis in sè ipsis, ad propriam perfectionem acquirendam; ergo, quamuis anima rationalis habeat, quod se ipsum moraliter mouet in genere causæ finalis; dirigendo operationes suas in finem à sè cognitum, cum prædominio illarū; nō inde fit vt ipsa sola sit verè, & propriè anima 108

Maior huius discursus, quæ sola probatione eget suadetur, primò ex secunda definitione animæ ab Aristotele tradita in ordine ad operationes sibi proprias, quæ quidem operationes, quantum est de se, non exigunt vt principium, à quo exerceantur, moueat se moraliter, sed solum physicè, vt de se patet; ergo &c. Secundò, quia visio Dei in patria est perfectissimus actus vitalis; sed ea non est libera, ex operantis directione in finem ordinata, sed necessaria, per quam beati à Deo prædeterminati finem vltimum consequuntur; ergo &c. Tertiò denique quia sufficere ad rationem viuentis potentiam ad physice sè mouendum suadetur omnibus illis locis sacræ scripturæ, in quibus plantis, & bestijs tribuitur absolutè vita. quæ sunt quam plurima; item auctoritate Patrum; inter quos Dionysius *lib. de diuinis nomin. cap. 6.* animalia, inquit, & omnes plantæ iuxta extremam vitæ harmoniam vt viuant acceperunt; quibus accinit Aristoteles *secundo de anima tex. 14.* vbi postquam docuit plantas viuere: id solum probat ex eo, quod ab intrinseco physicè mouentur his verbis: videntur enim, inquit, in se ipsis habere potentiam, & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt: non enim sursum quidem augentur, deorsum verò non; sed simpliciter in vtramque, & in omnem partem alumtur, & viuunt semper, quousque possunt accipere alimentum.

Obijcies contra conclusionem: Anima vege- 109
tatiua plantæ, & animalis habent inter se essentialem diuersitatem; ergo falsum est quod in ratione animæ vegetatiuę vniuocè conueniant. consequentia patet, quia ea, quæ conueniunt vniuocè in ea ratione, in qua sic conueniunt non differunt essentialiter. antecedens sit Suarez Lusitanus *de anima tract. 1. disput. 1. sect. 2. §. 3:* sustineri a Francisco Suarez *lib. 1. de anima cap. 6. num. 5.* & his ferè rationibus probari: primò quia magis differunt duo gradus vegetatiui, quorum vnus est in planta, alter in animali, quam duo, qui in duplici planta reperiuntur. secundò quia gradus vegetatiui in planta, & in animali diuersis indigent organis

nis . organorum autem diuersitas diuersitatem essentialem videtur arguere. tertiò quia dicti gradus desumuntur á formis essentialiter diuersis eiusmodi sunt anima plantæ, & animalis . quarto denique quia diuersas exigunt differentias .

110 Respondeo, distinguendo antecedens : anima vegetatiua plantæ, & animalis habent inter sè essentialem diuersitatem in ratione principij vegetandi vt sic, nego : in ratione talis, & talis principij, concedo antecedens, & nego consequentiam . dico enim, quod planta, & animal in ratione principiorum vegetabilium dupliciter sumi possunt . primò inadæquate pro vt dicunt tantummodo rationem principij vegetandi vt sic . secundò adæquate pro vt dictam rationem contractam tam, & determinatam important, quarum autem, si hoc secundo modo accipiantur, essentialiter differant : at non si primo modo. porrò hoc ad vniuocationem sufficere patet ex ratione animalis, quæ, licet contracta ad brutum, & ad hominem, diuersitatem essentialem inuoluat : hoc tamen non obstante, est vniuoca . quia ad hoc satis est, si inadæquate, & secundum se consideratæ perfectè præscindant á differentijs. Ad probationem in contrarium dico Franciscũ Suarium, quando loco citato docet animam vegetatiuam plantæ, & animalis habere inter sè essentialem diuersitatem, non loqui de illis secundum sè, sed pro vt per suas differentias contrahuntur, quod constat tum ex cap. 8. vbi ex professo probat huiusmodi animas in ratione vegetatiui vniuocè conuenire : tum etiam ex *num. 6. & 7. cap. 6. citati*, vbi quærens num differentia per quam anima vegetatiua animalis essentialiter differt ab anima vegetatiua plantæ, sit intra eundem gradum vegetatiuũ an verò sit alterius ordinis, nempe sentiendi .

Respondet esse alterius ; quod probat ex eo, quia si differentia contrahens gradus viuentis in animali intra gradum vegetabilium contineretur : vel esset subalterna, vel atoma . primum repugnat, *quia*, cum hæc differentia esset superior ad gradum sentiendi, deberet assimilare animal alicui viuenti non sentienti, quod non posset esse planta vt patet ; quia per hanc differentiam animal differret à planta . aliunde verò scimus non dari aliud viuens in mundo, quod neque sit planta, neque animal ergo &c. neque potest dici secundum, quod, scilicet, dicta differentia sit atoma . quia sic vnum individuum animalis esset in duplici specie infima substantiæ ; nimirum in specie animalis, & in specie plantæ, quod est impossibile .

111 Hæc cum ita sint nescio quo pacto Suarez Lusitanus loco citato professus est se sentire contra Suarez in eo, quod sustinebat gradus vegetatiuos plantæ, & animalis sumptos præcisè à differentijs non differre essentialiter . quasi verò Suarez oppositum doceat, cum constet ex dictis hanc esse formalissimè eius sententiam : quod vlterius confirmari potest ex eo, quia Lusitanus in soluendis quatuor illis rationibus, quas pro contraria sententia adduxerat, eadem prorsus doctrina vtitur, qua vtitur est ipse Suarez, qui cum obiecisset sibi *num. 6.* quod animal non solum differat à planta, quia est præditum sensibus, quibus illa caret, sed etiam facultatibus partis vegetatiuæque essentialiter differunt in vtrisque : respondet *nu. 9.* quod licet dictæ facultates in planta, & animali sint specie diuersæ : illa tamen maior perfectio essentialis, quam habent in animali ex sola coniunctione ad gradum sentientem eis prouenit ; eo quod non est in eo alia differentia media, vnde dicta diuersitas oriatur . Hæc Suarez. videamus nunc, si placet, quo modo Lusitanus obiectionibus nomine Suarij contra se propositis satisfaciat. ad primam dicit gradum vegetatiuum vnius plantæ magis differre à gradu vegetatiuo animalis, quam alterius plantæ ratione solius contractionis, prouenientis à gradu sentiendi : non verò si præcisè sumatur : & ad secundam ; diuersitatem organorum, & facultatum non exigi à gradu vegetatiuo in animali, nisi ratione contractionis . porrò hæc sunt quasi formalissima verba Suarij . ad tertiam concedit gradus vegetandi desumi à diuersis formis, plantæ, scilicet, & animalis, sed in ordine ad eandem operationem in specie, & ad quartam dictos gradus solum identice acceptos exigere diuersas illas differentias ; non verò formaliter . quæ responsiones quamuis non afferantur á Suario, eo quod sibi obiectiones non proponit : sunt tamen eius doctrinæ consonæ, atque concordes, vt mirum sit quo modo Lusitanus profiteatur se in hoc puncto Franciscum Suarium habere contrarium ; fortasse, quia gloriosum est contra robustissimum hostem pugnare præsertim cum victoria . sed illud prius curandum erat, vt certa pugna constaret, verum hæc satis .

SVB SECTIO POSTERIOR.

Statuitur Analogia diuisiuis anima posteriori modo considerata .

SECVNDA Conclusio membra diuidentia secundo modo sumantur ; hoc est præcisè, & quatenus ratione tantum inuicem opponuntur . diuisio animæ non erit vniuoca ; sed analoga . est contra multos Recentiores, inter quos est Quiroga *loco citato num. 19.* in cuius fine addit contra sè stare Suarez . *lib. primo de anima cap. secundo num. 19.* vbi ad coincidentiam graduum in eandem physicam entitatem existimauit diuisionem hanc posteriori modo acceptam non posse esse vniuocam. Verũ Suarez ne verbum quidem de hac re loco citato habet cap. verò octauo. vbi ex professo, quæstionem de diuisione animæ in dicta tria membra instituit. n. 19. docet tãtũ eã nõ esse generis.

112

in

sit species, etiamsi contingat esse vniuocam. & hoc non quia membra diuidentia coincidant in eandem physicam entitatem quomodocunque, vt ei falsò adscribit Oviedus; sed cum impugnet paritate potentiæ intellectiuæ, & voluntatis, quæ licet ponantur identificari animæ rationali, vniuoce tamen inter se conueniunt; sed quia ita coincidunt, vt non differant per differentias formaliter penitus oppositas; sed per subordinatas, quarum vna sit per aliã contrahibilis, atque determinabilis, nimirum vegetatiua per sensitiuam, & vtraque per rationalem; & ex hoc deducit huiusmodi diuisionem in membra diuidentia præcisè accepta non esse generis in species, Caterum eam esse vniuocam expressè docet ipse Suarez *num. 9.* eiusdem capitis. vbi ait, quod non solum viuens in communi prout cà gradu vegetabili sumitur sit vniuocum, sicut in numero præcedenti intendebat aduersarius: sed etiam vt significat corpus, seu compositum animatum, constans ex anima, pro vt abstrahit à dictis tribus gradibus præcisè consideratis. Hæc notare placuit circa mentem Suarij, vt ostenderem, quod, licet eius auctoritatem plurimi faciam; & si in ea esset sententia, eum tanquam ducem semper, multo tamen cautius in citandis pro me auctoribus æstimem veritatem.

113 & Probatur autem nostra assertio primò sic. anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis præcisè considerata in ratione animæ vt sic, imperfectè inter se conueniunt, ergo diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, pro vt hæc membra præcisè sumuntur, & abstrahunt ab eo, quod sint, vel non sint in eadem entitate connexa analoga est, & non vniuoca. consequentia videtur certa, quia analoga dicuntur, quæ in ratione significata per nomen partim conueniunt, & partim differunt, quare hoc ipso, quod tria membra diuidentia in ratione significata per nomen animæ imperfectè conueniunt, diuisio in dicta membra non erit vniuoca, sed analoga. antecedens verò suadetur, quia membra diuidentia in hac diuisione conueniunt in ratione animæ secundum vltimas differentias, secundum quas differre ponuntur, ergo imperfectè in dicta ratione conueniunt. consequentia patet. antecedens probatur, quia tria dicta membra ponuntur differre secundum rationem rationalis, sensitiui, & vegetatiui. quod autem in eisdem conueniant in ratione animæ conueniant, sic vinceremus. quilibet ex his rationibus formaliter consideratis habet, quod sit principium suæ peculiaris actionis vitalis, vt quidem constat apparet in omnibus. anima rationalis; ea enim pro vt vegetatiua est, & formaliter sub primo diuisionis membro continetur, est principium nutritionis; pro vt verò sensitiua, & sub secundo, est principium, tum interius, tum exterius sensationis, pro vt denique rationalis, & constituens tertium diuisionis membrum, est principium intellectionis. sed sensatio, vegetatio, & intellectio sunt formaliter operationes vitales. ergo eadem membra diuidentia in hac diuisione secundum vltimas differentias, secundum quas differre ponuntur in ratione animæ, etiam inter se conueniunt.

114 Dices rationem factam conuincere membra diuidentia non posse perfectè præscindere à ratione animæ vt sic. atqui cum hoc stat, quod ipsa ratio animæ perfectè præscindat ab illis. ergo, non obstante dicta ratione, saluatur, quod diuisio in tria membra præcisè considerata sit vniuoca. maior, & consequentia patent, minor verò probatur, quia ad vniuocationem siluandam non est necessaria mutua præcisio ex parte vniuoci, & vniuocatorum, sed sufficit ex parte vniuoci tantum.

Respondeo, cõcessa maiore negando minorẽ, cum sua probatione; quod enim inter rationem vniuocã, & vniuocata dari debeat mutua præcisio, satis probatũ est in logicis; & cõfirmatur ex eo, quia hoc ipso, quod ratio communis ita imbibitur in membris diuidentibus, vt hæc secundum suas vltimas rationes differentiales nõ possint ab ea præscindere, manifestè deducitur, quod in sua abstractione illas inuoluat, sed sic non perfectè præscindit ab eis. ergo &c.

115 Probatur secundò conclusio. tria membra diuisionis secundo modo considerata important tres differentias subordinatas in linea prædicamentali, quarum vna sit contrahibilis per aliã, nempè differentiam vegetabilem, sensitiuam, & intellectiuam; & quidem prima est contrahibilis per secundam in animali; & prima, & secũda per tertiã in homine: sed differentiæ subordinatæ secũdũ se cõsideratæ nõ possunt conuenire vniuoce, ergo diuisio animæ in dicta tria membra non est vniuoca. maior, & consequentia constant. minor verò suadetur, quia omnis conuenientia vniuoca, vel est generica, vel specifica; sed differentiæ subordinatæ secundum se consideratæ non possunt cõuenire inter se generice, neque specifice, ergo non possunt vniuocè conuenire. maior videtur certa, paritate ex aliis conuenientijs vniuocis ducta. minor autem eliciatur, quia nulla differentia sinè generica sit, siue specifica potest diuidi in genus, & differentiam, alias esset, & non esset differentia. esset quidem vt supponitur, non esset autem, quia iam in ea inferiora conuenirent, atque adeo potius censenda esset conuenientia, quam differentia. confirmatur id quod dicimus, quia impossibile est, quod forma physica constet ex materia, & forma, nisi quia esset, & non esset forma. ergo à pari impossibile est, quod differentia constet ex genere, & differentia. antecedens est certum; sic minus certa videtur consequentia. nam genus, vt omnes fatentur, in constitutione essentiali se habet, vt materia metaphysica, & differentia vt forma item metaphysica; quemadmodum igitur repugnant in physicis forma ex materia, & forma composita, ita in metaphysicis differentia constans ex genere, & differentia.

116 Ad hoc argumentum Suarez *cap. 8. num. 19.* negat communem conuenientiam vniuocam, vel generica esse, vel specificam; & ad probationem in contrarium dicit conceptum communem viuentis, quod à generico, & specifico abstra-

hitur, videlicet rationale, sensitivo, & rationali re vera non esse genus, etiam si contingat esse univocum, sed esse quasi transcendens quoddam: quod differentias extra suam rationem, & propriè contrahentes non habet.

Sed contra est, quia quemadmodum ens, cuius sententia conceptus entis, ideo non est univocus, quia est prædicatum transcendens per omnia sua inferiora, & non habet differentias extra sui rationem, ac proprè eum contrahentes: ita dicendum est, quod conceptus communis animæ, scilicet anima abstractus à gradu vegetativo, sensitivo, & rationali, hoc ipso quod per gradus hosce transcendit, & eorum differentias involvit, non sit univocus, sed analogus: non enim ulla videtur disparitas assignabilis inter utrumque.

117 Objicies primò ex Suarez cap. 8. citato: definitio animæ cum omni proprietate convenit animalibus, Vegetativæ, Sensitivæ & Rationali, ergo univoce conveniunt in definito. ergo diuisio definiti per definitionem animæ erit univoca. hæc secunda consequentia clarèt, antecedens verò probatur, quia quilibet ex illis gradibus est vltimus actus corporis organici, potentia vitam habentis, & in hoc habent formalem conuenientiam, ac propriam similitudinem inter se. ergo definitio cum omni proprietate de illis verificatur: prima autem consequentia fundatur, quia si analogicè conueniunt, ergo analogicè sunt animæ. ergo analogi animati. ergo analogicè informant. ergo analogicè uniuntur corpori ut forma, sed hoc videtur à fide Catholica dissonare. præsertim loquendo de anima rationali. ergo &c.

118 Respondeo concessa antecedentia, negando consequentiam; ad cuius probationem notate analogiam esse duplicem, una est cum conuenientia formali, alia per improprietatem, & metaphoram. quo posito dico, consequentiam illa procedere de priori analogia, secundam nullam continere absurditatem, non autem de posteriori secundò quam sunt absurde, & male cohærentes. siquidem illam conuenientiam membris diuidentibus animæ communi ego concedo, quam communiter actiones Philosophi concedunt accidentibus impertinentibus diuidentibus accidens in commune, quemadmodum igitur analogia inest inter quantitatem, & qualitatem, & reliqua accidentia, in quæ accidens non univocè dicitur fiat cum conuenientia formalis in habitudine transcendentis, ratione accidentis, & non constituendo propriam speciem, & improprie quidem illorum communem rationem. sic enim vere, & proprie definitio animæ cum omni proprietate verificatur, quatenus est analogia, quæ est inter tres gradus, seu quos anima incommunicabiliter participat, conuenientiam formalem inadæquatam imparitatis, seu imperfectam, eo quod in suo conceptu illos gradus sui rationem inuoluit, & non præscindit ab illis. sicut ens integrè probatum maiori, & minori. ergo absolutè conclusionem, non quibus patet respondeo ad tertio argumentum, quo idem auctor noster diuisionem univocationis probatum. 7. sic sensibile non dicitur animæ per habitudinem ad animam rationalem, nec per rationem eius, ergo utraque univocè ratione animæ conueniunt. Ex veritate enim antecedentis non sequitur consequentiam eodem exemplo quantitatis, & qualitatis apparet, quamvis enim altera exibis non dicatur accidens per habitudinem ad alteram, nec per rationem eius, sed tantùm habitudinem, vtcumque implicare, verè tamen, & propriè altera accidentalis rationem retineret: malè tamen quis inferret ens in ratione accidentis, univocè conuenire. ita dicamus in casu nostro.

Objicies secundò ex eodem Suario num. 9. 119
inter animam hominis & plantæ datur univoca conuenientia in ratione vegetandi; ergo eadem ratio animæ rationalis ut rationalis, quæ est cum sensitiva, & vegetativa in ratione animæ univocè conuenit. nam vt dicitur esse ratio.

Respondeo concessa antecedente, ad consequentiam dico animam quamvis, ut rationalem, posse duplicitèr sumi primò ut reduplicatiuè continens illum gradum, ab quo sensu nicitur homo ut homo est anima rationalis. secundò, ita ut reduplicatiuè solum intimum gradum differentiæ ultimò constituentem, & ab aliis gradibus distinguentem, quo posito dico, quòd anima rationalis primo modo sumpta potest cum sentiri à bruto rationem habere, seu habeat, & eam vegetativa plantæ in ratione principij vegetandi univocè conuenire rationem secundò modo, eò quòd illi gradus differentiales essentiæ & conueniant ultimo distinctius quorum neutrum in anima rationali vtcumque est hoc secundo modo quæstio nostra procedit. hinc facilè solui conclusionem, & rationem.

Objicies tertiò, membra indifferentia 119
ratione communi precisè accepta conueniunt, vtpotè inter se in ratione formæ substantialis, ergo & in ratione formæ vtcumque substantialis metaphysicè acceptæ, nam eminentior videtur esse vnio ratione, sed hæc forma non est nisi anima, quæ ex nostro principio vniuersali. ergo huiusmodi diuisio animæ in membra indifferentia, præter rationem quòd fundetur in quia omnia viuentia eo quantùm vnuntur vnione corporis substantialis, sed hoc formaliter conuenire per formam substantialem. ergo & vniuocè conuenient in ratione formæ substantialis.

Respondeo primò, negando posse antecedens, sed hanc improbabilitatem suadent ex eo, quia in animalibus non est, nisi una ratio substantialis, non est autem vna ratio formæ substantialis, tamen, ut supponimus, sunt membra indifferentia animæ, ergo &c. maior patet, igitur est dicta membra in animalibus esse vnum vniuocè conuenire in huiusmodi communi conuenientia, quæ est inter rationem formæ in potentia, & rationem formæ in potentia vltimò constituentem requiritur.

Respondeo secundò, admisso antecedente, 121
negando consequentiam, ratio verò disparitatis sumi potest ex eo, quia ex ipso, quòd membra diuidentia animæ dicantur constituere complementum animatum, debent necessariò involuere in suo conceptu rationem formæ substantialis, quæ non est abstracta differentijs per-

præscindat à non eâdem secundum se respectu eorum sit vniuoca. at ratio animæ præcisè accepta per dictas differentias transcendit, & illas extra fui rationem esse non patitur, & ideo haec non potest non esse analoga.

122 Obijcies quæcùmque actus vitales proueni entes à tribus animabus dividentibus animã in communi præcisè sumptam, conueniunt inter se vniuoce in ratione operationis vitalis: ergo, & ipsæ tres animæ in ratione primi principij
123 vitalis; sed ratio principij vitalis est anima in communi; ergo &c.

Respondeo negando antecedens. ratio enim, quã assignauimus ad euitandam analogiam inter animas, æquè militat pro earum operationibus vitalibus; nam hæ secundum vitimas suas rationes imbibunt vitalitatem accidentalem, quæ formalissimè vitalem operationem importat. Hinc deducitur animam sensitiuam, & rationalem non contrahere vniuocè in ratione formæ cognoscitiuæ, neque eorum actus in ratione communi. vtraque enim rationes, & aliæ similes sunt transcendentes, & ab vltimis differentijs suarum inferiorum præscindere nequeunt. quare, contrà latam vniuocationem militat eadem ratio, quæ contra Vegetatiuam, Sensitiuam, & Rationalem præcisè acceptas, in ratione animæ, & se consideratas.

124 Objicies quæ anima rationalis licet informet corpus secundum gradum vegetatiuum, & sensitiuum, quem continet, non tamen illud informat secundum gradum intellectiuum ergo dicitur anima vegetatiua, sensitiua, & rationalis præcisè tamquam non est vnaquæ per intrinsecam conceptionem formalem, sed per accidens, & improprietatem. consequentia videtur certa, quia nomine animæ rationalis præcisè semper venit anima vt intellectiua. antecedens verò sustinetur à Caietano *prædicam. quæst. 20. art. 1.* & Ferrariensi *lib. 2. contra gent. cap. 58. & 66. ad primum hoc dicendum*, & probatur primò, quia intellectus dominatur
125 tui corpori. ergo nec anima rationalis, vel intellectiua, aut formaliter accepta intellectus quidem secundò anima, vt intellectiua non est principium alicuius operationis in corpore organico. ergo non vt actus primus illius; sed vt anima debet esse actus primus corporis. ergo &c. secundò denique quia si anima vt intellectiua esset forma corporis, etiam per impossibile neque vegetatiua esset, neque sensitiua, adhuc tamen talis esset, sed hoc est falsum, ergo &c. quòd patet exemplo animæ vegetatiuæ, quæ vt dicunt non fit corpus informatum, sed tantùm probat, quia vegetatiua, & sensitiua non esset vnaquæque actus primus organici corporis, cum organum corporis dumtaxat ad exercendas actiuo potentiam vegetatiuam, vegetatiuæ, & sensitiuæ necessarium sit corpus. ergo &c.

126 Respondeo distinguendo maiorem modo eius negare antecedens, eiusque falsitatem probare primò, quia Concilium definit animam rationalem per sè & essentialiter esse formã corporis; sed quod conuenit alicui per se, & essentialiter conuenit illi, vt tale est. igitur hoc ipso quòd anima rationalis, vt talis rationalitatem reduplicat; rectè deducitur, quod vt rationalis est, sit corporis forma. secundò quia anima secundum eandem indiuisibilem entitatem est sensitiua, & rationalis. ergo non potest informare merè materiam secundum vnam, & non secundam aliam rationem. consequentia suadetur, quia anima informat materiam ei se vniendo; sed non posset se vnire materiæ, vt sensitiua, & non vt rationalis; quia vnio non est præcisiua. ergo &c. tertiò denique, quia animam vt sensitiuam informare materiam non est aliud, quã tribuere toti per veram informationem gradũ animalis. ergo animam informare materiam vt rationalis est, nihil aliud est, quam per veram informationem tribuere toti gradum rationalis. sed id præstat anima, dum hominem rationalem constituit. ergo vt rationalis est, est forma materiæ. propter hæc & similia argumenta dicunt aliqui inter quos Rubio *lib. 2. de anima cap. 1. & 2. qu. 5. num. 80.* asserere animam rationalem, vt rationalem, non esse formam corporis, non solum esse falsum, sed periculosum in fide.

Ad auctoritatem verò in contrarium Quidoldus *contra. 5. puncto 3. num. 29.* dicit Conc. 125
nam, & Ferrariensem intelligendos esse de anima intellectiua, vt intellectiua, prout reduplicat ipsum intellectum, qui cum non recipiatur in corpore, sed in sola anima: rectè negatur esse vera forma corporis. verum hæc interpretatio videtur violenta cum dicti auctores expressè loquantur de eodem subiecto diuisionis animæ in communi; atque alibi de principio intellectuali substantiali. Alijs præterea modis exponit Hurtadus *disp. 6. sect. 3.* videlicet rationem operationum, quas anima, vt rationalis est independenter à materia exercet, rationemque earum, sit posse dici non esse formam corporis, sed neque hæc exclusiua procedit. nam ad hoc vt forma vtatur materia secundũ aliquã vim, qui habet in se, non est necesse, vt in dicta materia exercere valeat operationes, quas secundum dictam vim elicere potest. deficiente enim anima bruti vitam ossibus brutis secundũ quod sensitiua est, quamuis in ossibus functiones vitales exercere non possint dependenter ab humano corpore intelligere non recte deducitur non esse vitam, vt rationalis, & recte, ne hoc enim sufficit, vt talis terminet eius vnionem.

Quamobrem ego vnam supponionem Caietani & Ferrariensis datam, & simul eos cum 126
suis aduersarijs conuincam dicendo quod hæc 8 11
propositio. Anima rationalis, vt intellectiua est hoc est forma corporis, ex suppositione, quod reduplicet solum gradum intellectiuum per se facere triplicem sensum, vnum realem ex parte prædicati; ita vt significet, quod nec intelligat, nec se vnat per formã corporis. 127
& hic sensus est manifestè falsus, quia ad hoc verificandum sufficit vt secundum quod sensitiua sit huiusmodi; in eadem enim indiuisibili entitate sua vtramque rationem identificatam habet, vti supponimus.

Secundus, & tertius sensus conueniunt in hoc quod ex parte prædicati propositionem for-

formaliter exponant, differunt verò in eo quod secundus reduplicat gradum intellectiuo prout importat vltimam differentiam adæquatam, cuius beneficio homo vltimo constituitur in ratione hominis, & differt ab omni eo quod non est homo; & in hoc etiam sensu falsum est, quod anima, vt intellectiua, non sit forma corporis, quia sic accepta, constituit hominem vt rationalem eo modo, quo accepta, vt sentiua constituit illum, vt animal. tertius verò sensus potest esse iste, vt reduplicet gradum intellectiuum, non pro vt vltimam hominis differentiam adæquatè significet; sed solum inadæquatè inquantum dicit rationem intellectiui communem Angelis, & hominibus. & in hoc sensu existimarem sine vllo erroris periculo posse rectè sustineri, quod anima, vt intellectiua non sit actus corporis. ratio quæ me mouet est, quia anima secundùm hanc rationem conuenit cum angelis; ergo secundum eam, præscindit ab eo quod sit, vel non sit forma; non igitur secundùm illam dici potest, loquendo de sensu formali, quod sit talis antecedens, & prima consequentia patet, secunda verò suadetur, quia hæc propositio est vera, homo, vt animal non est rationalis, sed non nisi, quia animal præscindit ab eo quod sit vel non sit rationalis; ergo hoc ipso quod ratio intellectiui præscindat à ratione formæ informantis materiam, rectè etiam dici potest, quod anima, vt intellectiua non sit forma materia. 127

Iuxta hanc doctrinam facile respondetur obiectioni principali, & argumentis ex vtraque parte adductis: partim ad propugnandum, partim ad oppugnandum eius antecedens, in quod tota refunditur difficultas. & quidem quod ad principalem obiectionem attinet, dico quod antecedens, anima rationalis informat corpus secundùm gradum intellectiuum inadæquatè acceptum, concedo. adæquatè sumptum, nego antecedens, & consequentiam & ad primam ex rationibus, quæ ad eam propugnandam afferebantur dico, quod quemadmodum intellectus humanus adæquatè sumptus alligatur corpori quantum ad hoc quòd humano modo operari requirat vires dependentes à dispositionibus cerebri, & phantasmatibus: ita & anima rationalis, vt rationalis est actus corporis, quia vitalis, non solum dicit gradum intelligendi vt sic, sed cum aliquo dependentia ab organo corporeo in eius operationibus; quod sufficit ad saluandam in ea ratione formæ 128

Ad secundum verò distinguendum ab antecedens: & si quidem vt intellectiua adæquatè sumatur, concedendum eam non esse actum primum alicuius operationis intrinsecæ potentiæ; aliter autem adæquatè negandum. vnicum ex parte præcedit, ita vt [illegible] 129

[illegible] tellectiua adæquatè; cum enim ea constituatur talis per hoc, quòd dependenter à phantasmatibus exigat intelligere: impossibile est, quòd si non foret sentiua, esset rationalis, nec valet paritas de gradu vegetatiuo, qui potest esse sine sentiuo; cum enim huiusmodi gradus sint inter se subordinati, non est mirum, si ita superior possit esse sine inferiore, vt inferior sine illo, ne per absolutam quidem Dei potentiam esse possit. 132

Nec maiori difficultate tribus aliis argumentis à recentioribus in contrarium adductis nostra distinctione satisfieri potest. Ad primum enim, quod est Ruuij *quæstione 59.* dicendum, ad saluandum dictum Capreoli sufficere fateri animam rationalem, quæ rationalis est, adæquatè esse formam corporis. quemadmodum enim ex illa definitione non rectè colligitur, quòd anima quatenus ens est vt sic, aut quatenus substantia partialis est, sit forma corporis; alioquin omne ens deberet esse huiusmodi, & in specie ipsa materia prima, cum qua conuenit in ratione substantiæ incompletæ: ita neque quòd quatenus est intellectiua præcisè. 133

Ad secundum, quod est Quiedi *primo citato num. 25.* concesso antecedente, quod scilicet anima secundum eandem indiuisibilem entitatem sit sentiua, & rationalis, negatur consequentia, eam scilicet, non posse non habere rationem formæ informantis, pro vt rationalis est inadæquatè, neque probatio in contrarium obstat; quia procedit in sensu reali; ex eo enim quòd, verbi gratia, non sit præcisiuum, solum sequitur quòd terminetur ad omnia prædicata formæ taliter, & existentiæ accepta, quod est verissimum: at non negatur, si dicta prædicata formaliter accipiantur, quin quæ illorum positiua importent aptitudinem ad dictam vnionem terminandam, quædam verò quantum est de se indifferentiam & præcisionem dicant, huiusmodi tamen esse rationem intellectiui vt sic, supra probauimus. 134

Ad tertium denique, quod est vtriusque auctoris dicendum ex eo solum concludi animam vt rationalis est adæquatè, dicere formaliter rationem actus eo quod tribuit homini esse rationale; hoc autem non solum non est contra nostram doctrinam, sed valde illi consonum, quòd si dicat animam etiam tribuere homini esse intellectiuum, per quod habet conuenientiam cum angelis. & tamen vt intellectiua est præcisè non forma materiæ. 135

Respondeo ad dandam hanc & similes denominationes tota sufficere ratione quod sit res talis, & materiam informet, posito quod ex partes totius non sit repugnantia ad huiusmodi denominationes recipiendas. vnde etiam si, quæ talis non importet rationem formæ, ad hunc poterit hominem denominare intellectiuum & similem angelis in ni intellectiua [illegible] 136

DISPVTATIO SECVNDA

DE SVBIECTO ANIMAE.

DVplex hoc loco quæstio discuti solet. vna est, an anima sit in omnibus partibus Corporis, in quibus aliquæ vitæ operationes exercentur: altera est, quæ nam sint illæ partes illius Corporis in particulari, in quibus est anima. Prouenitque autem hæc quæstione suppositis, eam hoc ipso, quod est in aliqua parte sui corporis, illam informare; non enim, vt vidimus, se habet, vt forma assistentem, sed informantem.

SECTIO PRIMA.

Anima secundum substantiam suam sit in omnibus partibus corporis quibus exercentur aliquæ operationes vitales.

1 Affirmatiua quam docet D. T. 1. part. qu. 76. art. 8. & qu. de anima art. 10. & de anima secundum communem cap. 7. col. & cum eo alij passim communiter quamplures ex antiquis, quos citat Suarez apud Complutenses de anima cap. 5. qu. 9. qui existimarunt animam non esse in toto corpore viuente, sed in determinata tantum eius parte, quam aliqui fuisse dicunt esse caput, alij pectus, alij cerebrum, alij demum cor, quam ultimo citato loco habet Iustus Lipsius de anima tract. 5. cap. 2.

2 Probatur autem assertio nostra primò, quia anima est actus corporis organici: ergo informat omnes partes corporis, in quibus aliqua vitalis operatio exercetur: probatur consequentia, quia vna tantum pars E. V. cor, vel cerebrum, non est corpus organicum, sed organum. Corpus enim organicum, vt docet Aristoteles secundo de anim. text. 8. constat omnibus variis organis, huiusmodi ait esse plantam, quæ constat ex radice, medulla, cortice, ramis, & cæteris, quæ habent vt sint instrumenta ad diuersas operationes vitales exercendas necessaria, & confirmatur ex text. 20. vbi ait, Plantarum partes etiam diuisas ab inuicem adhuc viuere, & quod earum anima est in illis vna actu, & multiplex potentia, si autem vnam tantum partem informaret, hoc falsum esset.

3 Probatur secundò: si in vna tantum parte animalis anima secundum substantiam suam existeret, sequeretur quòd totum animal non esset verè & propriè animal, sed illa tantum pars quæ anima sensitiua informaretur, sed hoc est absurdum, ergo &c. minor videtur certa, tum quia nemini assistabs veniet apud omnes totum non hominem viuentem aggregatum: tum etiam quia alias totum animal esset ens quodlam per accidens constans ex aggregato plurium substantiarum substantialium, quarum quælibet esset substantialiter viuens, aliud verò non viuens: sequela verò probatur, quia illud solum est verè & propriè animal, quod constat ex anima sensitiua, tamquam forma, & corpore tamquam materia, sicuti illud solum est formaliter ignis, quod constat ex materia & forma ignis; ergo si vna tantum parti esset substantialiter præsens anima sensitiua: illa sola esset verè & propriè animal.

4 Probatur tertiò: si anima non esset in omnibus partibus corporis in quibus aliquæ operationes vitales exercentur, sed solum in vna parte v. g. in corde animalis: quæro, num in eius carne v. g. in qua exercentur sensationes, sint saltem potentiæ vitales, à quibus dictæ sensationes procedunt, an non? sed vbi solum sunt vbi est anima. neutrum sustineri probabiliter potest ergo &c. maior patet, minor probatur, quia si primum, ergo huiusmodi potentiæ non sunt instrumenta coniuncta respectu animæ, quemadmodum igitur quis calor v. g. est instrumentum ignis, sed non coniunctum, potest existere in aqua nullo ignè existente, ita possent in corpore animalis reperiri omnes potentiæ animæ tum sensitiuæ, tum vegetatiuæ, etiam si in nulla parte corporis existeret anima. neque minus probabiliter sustineri potest secundum quod nimirum in diuersis

tis partibus corporis, in quibus vitales operationes exercentur non sint potentiæ vitales. Primò quia daretur actio in distans, nam oculus V. G. distat à corde; & tamen scimus, quod actus visionis, nō nisi in oculo exercetur, se secundò, quia sensationes sunt operationes immanentes, quæ, scilicet, debent recipi in eodem principio, à quo procedunt, vel ad minus in eodem subiecto informato ab illo principio, sed hoc non haberent sensationes, quæ exercentur in oculo, si potentia sensitiua esset solum in corde, vbi supponitur existere anima; nam reciperetur in subiecto, in quo non esset potentia sensitiua; ergo &c.

5 Obijcies secundò: Aristoteles *libro de motu animalium cap. 7.* docet: animam respectu corporis habere se, vt moderatorem respectu ciuitatis; sed moderator in vna tantummodo ciuitatis parte residet, & non in tota; ergo & anima est tantum in vna parte corporis, & non in toto.

Respondeo Philosophum comparare animam cum gubernatore vrbis quantum ad dirigendum, & gubernandum corpus animalis; & in hoc esse parem rationem. quia sicuti gubernator ex vna parte ciuitatis, totam gubernat: ita anima operationes pertinentes ad gubernationem corporis non in toto corpore, sed in solo cerebro, & corde exercet. non enim vbicunque est anima, ibi cognoscere, discernere, & appetere debet; sed in solis illis organis, quæ habent dispositiones debitas ad illa munia exequenda, ex quarum defectu in ossibus non sentitur, de quo in textu citato solum loquutus est Aristoteles.

6 Instabis, idem *lib. de motu cap. 1.* ait iam determinatum esse de anima; quod in vna aliqua corporis parte existat. pertò hanc partem *secundo de partibus anim. cap. 1.* asserit esse cor; ergo per Aristotelem in solo corde existit anima.

Respondeo: communiter dici cor esse sedem animæ: non quia non sit in alijs partibus corporis: sed quia, ex eo quod in corde sit, pendeat, quod operetur in alijs, & per consequens quod in illis existat; cum enim vitales operationes mediis spiritibus faciat, & eos in corde fabricetur: meritò dicimus animam peculiariter in corde residere; & hæc fuit mens Aristotelis locis citatis. his tamen non obstantibus requiri etiam animam quantum ad substantiam suam præsentem in omnibus partibus corporis ex huiusmodi spiritibus suaderi potest, quia nequeunt spiritus per se ipsos, vt potè eiusdem rationis, ac essentiæ, tam diuersas operationes in eisdem partibus exercere; nisi ibi adesset anima, quæ eis vtendo, tamquam instrumentis coniunctis tanta heterogeneitate operaretur.

7 Obijcies secundò: læso corde statim animal moritur: non tamen læsis alijs corporis membris; præterea si quod ex eisdem membris fortiter ligetur: V. G. brachium; ita vt communicatio, quam habet cum corde impediatur: pars illa impedita incipit carere sensu, & motu; sed contrarium accideret, si anima esset in reliquis partibus. ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, nego minorē quoad vtramque partem; dico enim; quod ideo si lædatur cor recedit anima, non autem si lædantur cætera membra, quia ex corde pendet, quòd sit in cæteris membris, non autem è contra, propter rationem dictam. vnde fit, vt cor dicatur primò viuere, & vltimò mori. ex eo autem quod membra ipsa exigunt communicationem cum corde ad hoc, vt moueantur, & sentiant, solum colligitur, quod transmissio spirituum, qui ad huiusmodi operationes exercendas necessarij sunt, procedat à corde. neutrum igitur euincit, ipsam animam non esse secundùm substantiam suam, nisi in corde.

8 Obijcies tertiò partes aliquæ corporis contrarias exigunt dispositiones V. G. cor calorem valdè intensum, cerebrum valdè intensum frigus; ossa ficca in excellenti gradu esse debēt, caro verò valdè intensè humida &c. ergo anima non potest, nisi vnam illarum informare. consequentia suadetur, quia nequit vna forma contrarias dispositiones exigere.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; cuius distinguo probationē: non potest vna forma exigere contrarias dispositiones totales, concedo; partiales, nego; & dico, animam esse quandam formam totalem respicientem tanquam materiam sibi proportionatam corpus heterogeneitate quadam organizatum, atque dispositum cuius partes, licèt distributiuè acceptæ contrarijs dispositionibus sint affectæ; collectiuè tamē cōsideratæ cōficiunt vnam adæquatam dispositionem exigētiæ ipsius animæ correspondentem. ea enim ex suis intrinsecis ordinetur ad diuersas operationes vitales in diuersis partibus corporis exercendas; pro diuersitate ipsarum operationum diuersas in illis dispositiones, imo contrarias exigit.

SECTIO SECVNDA.

An quatuor humores & spiritus sint animati.

9 VVlgati humores in animali sunt quatuor; sanguis, qui per venas, & arterias diffluit; pituita, seu flemma; flauabilis, seu colera; & atrabilis, seu melancholia; qui omnes teste Galeno, quatuor elementis respondent: & sanguis quidem, qui cum calidus sit, & humidus, per totum corpus diffunditur, aeri. pituita autem, quæ est succus humidus, & frigidus, a cerebro potissimum ducens originem, aquæ; colera, quæ est calida, & ficca; & à natura in vexicula quadam iecori alligata tamquam in carcere detinetur, igni: atrabilis denique, quæ est succus quidam frigidus, & siccus in lienem, tamquam in corporis sentinam demissus, terræ.

10 Spiritus autem sunt miræ tenuitatis corpuscula ex de fecato sanguine genita, quæ, siue quia obtutum oculorum refugiunt; siue etiam

quia

Digitized by Google

quia per totum corpus fluat aura tenuissima spiritus, inquantum à præcipuo corporis membro ea reliqua organa continuò diffluunt, spiritus appellantur; & sunt in duplici differentia, quidam enim dicuntur vitales, qui originem ducentes à corde, per arterias totum corpus permeant, atque ad vitales omnes membrorum actus deseruiunt: quidam verò animales, qui à Cerebro, quod est operationū animalium principium, per nervos deferuntur, eorumq; auxilio sensitiuæ operationes exercentur. sunt qui addant tertij generis spiritus, quos naturales nominant, eorumque originem ponunt in hepate, quos dicunt seruire operationibus animæ vegetatiuæ scilicet nutritioni &c. His autem prænotatis sit

§1 Vnica conclusio, neque quatuor dicti humores, neque spiritus, siue vitales sint, siue animales, siue etiam naturales, si dantur, sunt animati. ita S. T. S. Bonav. Alensis, Scotus: Durandus, Soto, Suarez, Cardin. de Lugo, Vasquez, Conimbric. Rubius, Mureta, Tannerus Valentia, Compton. *de anima disput. 3. sect. 2. dub. 1.* contra Caietanum, Toletum, Valentiā, Bagnes, Hurtadum, Arriag. & Oviedum loc. ab eodem Comptono citatis *sect. 2. num. 2.*

§2 Probatur autem vnica ratione, reliquis postpositis, quę minus videntur efficaces: vbi nulla vitalis operatio inuenitur: ibi existimandū est non esse animam; *sed neque in quatuor humoribus, neque in spiritibus tum vitalibus, tum animalibus vlla operatio vitalis apparet, ergo neque quatuor humores, neque spiritus sunt animati. maior videtur certa; quia actus primus est in ordine ad actum secundum*; nec enim aliunde nos colligere possumus aliquid viuere: nisi *ex operatione aliqua vitali*, quam in eo exercere videmus. alioquin dicere aliquis impunè posset, lapidem, ferrum, & cętera huiusmodi

§2 *animata viuere. & ideirco extra vllam controuersiam est pellem, carnem, ossa, & reliquas similes partes viuere. quia experimur eas aliquam vitalem operationem in se habere; minor verò probatur, quia inter vitales operationes vniuersalissima, quę non solum omni, & toti conuenit; sed singulis eius partibus competit est nutritio, & augumentatio ab intrinseco, per intus susceptionem alimenti*; sed dicti humores, & spiritus augentur per iuxta positionem *simulis substantiæ, sicuti* augetur aqua, vt patet *ex sanguine, qui formatur in hepate, & postea transmittitur in venas, & præcedenti conimq; gitur ergo &c.*

§3 *Ad hoc argumentum responderi potest primò, maiorem veram esse loquendo de toto aliquo composito: constat enim, quod, nisi in eo appareat aliqua vitalis operatio: temerè asseratur viuere: falsam verò esse, si loquamur de singulis partibus alicuius totius, quod aliunde constat esse viuens. vt enim huiusmodi partes viuere censeantur, sufficit si per se in aliquo viuente comprobentur existere. atqui ita se habent quatuor vulgati humores. per se enim exiguntur ab anima, si ergo &c.* Ita fere Arriaga *disput. 1. de anim. sect. 9. sub sect 1. nu. 272.* Sed contra est: quia duo sunt genera operationum vitalium, quæ *in animali exercentur*: Vnum determinatum, quod competit tantum toti, vt totum quoddam est, sub quo genere comprehenditur operatio generatiua, factiua, vrtiua, auditiua, & similes, quæ determinata quędam organa, vt exerceantur, exposcunt. Alterum est vniuersalissimum, quod singulis eius partibus competere debet, cuiusmodi est sola vegetatiua modo vitali, hoc est, per intus susceptionem alimenti, ad quam proximè exercendam nullum determinatum, ac speciale organum est necessarium, sed remotè solum ad præparandam materiam. porrò, licet verum sit, quod primum genus operationū non sit necesse, vt competat singulis partibus viuentis propter rationem dictam: falsum tamen, quod non competat secundum propter contrariam rationem.

Ad id autem quod dicebatur, sufficere ad inferendum, quod aliquid viuat, si comprobetur per sè in aliquo viuente requiri: dicendum huiusmodi indicium non esse sufficiens. alioquin, si de eo constaret, nulla prorsus esset dubitatio, quā præ manibus habemus. quēadmodū igitur corpora solida per se exigunt repleri in suis poris aliquo tenui corpore; quod sit diuersę rationis ab illis: ita & viuentia possunt per se exigere habere intra se aliquod corpus, quod non viuat. quare hoc indicium vanum est, nisi aliundè probetur huiusmodi humores, & spiritus animatos esse.

Respondent alij secundò: nil mirum, si in humoribus, & spiritibus nulla vitalis operatio conspiciatur. licet enim informentur anima; non tamen, vt anima est, sed vt substantialis forma præcisè, secundum quod conuenit cum reliquis formis inanimatorum.

Hanc responsionem impugnat Suarez *lib. 2. de anim. cap. 5. nu. 7.* Contra ordinem naturæ esse dari animam, vbi nulla operatio animæ apparet. natura enim vnicuique rei præbet operationes illi conformes.

Verùm ab hac impugnatione possent se tueri aduersarij, negando assumptum: & dicendo, quod quemadmodum non est contra ordinem naturæ dari animam *rationalem* in pede hominis, & ibi nullam operationem rationalem apparere; ita neque esse absurdum, animam esse in humoribus, in quibus nulla cernatur operatio vitalis. nam sicuti gradus animæ est, veluti differentia contrahens rationem formæ substantialis vt sic: ita gradus rationalitatis rationem animæ sensitiuæ. quare, si stare potest rationalis in pede, sine vlla operatione rationali: non est cur non possit stare anima in humoribus sine vlla prorsus operatione vitali. satis enim est si in reliquis partibus vim suam operatiuam ab intrinseco patefaciat. melius igitur impugnāda videtur secunda responsio, principio à nobis supraposito, quod, scilicet, licet non repugnet dari animam in aliqua parte corporis, in qua non exerceat illas operationes vitales, quæ specialibus indigent organis, ad hoc vt fiant; at repugnat, quod in ea non exerceat nutritionem per intus susceptionem alimenti, eo quod quælibet pars debet habere vnde peruenire possit ad suam magnitudinem à viuente exactam; nec

abeuntium vnde separata iactura ex contrariorum actione proueniente: aliunde verò nō est capax per iuxta positionem materiæ vtrumque consequi debuit: igitur habere vim à natura ab intrinseco se nutriendi; quod si non habet nunquam signum est eam non informari anima. Neque dicas nutritionem fieri per pororū dilatationem & repletionem eorum: atque adeo partem illam corporis, quæ sit inter vnum, & alium porum nō nutriri per intus susceptionē, sed per iuxta positionem: & tamen informari anima, & vegetari non posse de omnibus partibus viuentibus verificari. no id dicas, inquam, quia pars illa corporis inter vnum, & alterum porū intercepta si per iuxta positionem nutritur est minima: at humores, de quibus loquimur sunt in magna quantitate, quare sicuti maiores partes nutriuntur &c. debent necessariò nutriri modo dicto, ita debebunt humores, si essent animati.

18 Respondet tertio *Hurtadus disp. 1, de anima sect. 6. §. 36.* negando in sanguine nullam vitalē actionem haberi. crescit enim, inquit, & decrescit, sicut caro, deinde dato assumpto. negat eum non animari, sicuti enim, ait, in osse est animus absque eo, quod sentiat, ita potest esse in sanguine sine vlla prorsus operatione vitali.

19 sed non opere pretium est vtraque via aduersarium premere: priori quidem sic, quia nō quodvis augmentum, & decrementum est vitalis operatio, alioquin quæ maris aqua, & luna, & multa alia corpora statis temporibus crescant, & decrescant, de illis affirmandum esset, quod viuerent. solum igitur augmentum, quod fit ab intrinseco, & decrementum, quod fit secundū partes proportionales seruata integritate totius figuræ inter vitales operationes numerandum sunt; atqui sanguis, & alij humores non crescunt, & decrescunt hoc modo, vt probauimus; ergo &c. posteriori verò via impugnatur argumento principali, quia vbi nulla apparet vitalis operatio, ibi perperam dicitur esse anima. Ad partem verò ex ossibus desumptam dicendum eam non esse ad rem, procedit enim à secundum quid ad simpliciter. sicuti enim non valet hic modus argumentandi: stat vita in plantis absque sensu ergo stare potest in lapide etiam si nulla in eo operatio vitalis appareat: ita nequeillic: ossa etiam si non sentiant viuunt, ergo & humores etiam si non nutriantur. disparitatem supra assignauimus.

20 Quarta responsio est Ouedi *puncto 4, numero* 6. asserentis sanguinem augeri per intus susceptionem, & idem de reliquis humoribus dici posse, quod hac fere ratione concludit, non constare sanguinem augeri per iuxta positionem, ergo augetur vitaliter ab intrinseco, consequentia patet, quia constat augeri. antecedens verò probatur, si constaret maximè, quia est fluidus, sed hæc ratio nulla est, quia multa solida augentur per iuxta positionem, alia verò per intus susceptionem, ergo idem de fluidis dici debet; in quibus nulla apparet ratio, propter quam non possint per intus susceptionem augeri.

21 Sed hæc responsio valdè lubrica est; ad quā nego antecedens, ad cuius probationem sanguinem non præcisè, quod fluidus sit posse augeri per intus susceptionem, sed quia aliter esse ponitur fluidus, quare ratio in contrarium ex corporibus solidis deducta est potius contra auctorē. sicuti enim per hoc, quod aliqua corpora solida ab intrinseco augeantur nō bene concluditur, sic augeri lapides, & metalla: ita & in casu nostro, dato quod aliquod corpus fluidum ab intrinseco etiam nutriatur, vt humor chrystallinus, de quo suo loco: non rectè deducitur idem dici posse de sanguine. disparitas lata est, quia cum humor chrystallinus partibus solidis continuetur: potest rectè intelligi ex eis nutrimentum attrahere, quod in suam substantiam conuertat, & sic vitaliter augeri.

22 At hoc dici nequit de sanguine, quia nouus sanguis vel in hepate vel in corde generatur: & inde per venas cum antiquo commiscetur. non potest igitur saluari, quod alimentum sibi attrahat, & illud per suam actionem alterando, in se vitaliter conuertat.

23 Ad hoc negauit nor doctus quidā Recentior: cor, vel hepar formare vltimo sanguinem, sed solum perfectius elaborare chylum, & illum submistrare sanguini tamquam alimentum.

24 sed contra, quia præter quam quod hoc sit cōtra communem cum Philosophorum, tum medicorum sententiam; non apparet quomodo cor, vel hepar mittat chylum sanguini existenti in capite, uel in pede, deberent enim dari uenæ quædam, per quas, tamquam per canales, & euniculos deferretur chylus, & quidem distincte ab ijs, quæ sunt sanguinis receptacula, ut nimirum quemadmodum partes solidiores ex uasibus sanguinis attrahunt sibi alimentum ad nutritionē necessariū, ita sāguis ex uasibus chyli sed hoc est apertè falsum: non enim apparent in toto corpore huiusmodi uenæ retro &c.

25 Ad hoc Respondit Recentior: sanguinem in corpore continua circulatione moueri, ita ut ille, qui modo est in pede: hinc ad breue tempus sit in capite, & è contrario; qui est in capite descendat in pedem. quo posito; facilè intelligi posse, dixit, quo modo transeundo per cor, uel hepar, alimentum sibi ad nutritionem requisitum partes sanguis desumant. Sed contra est quia licet possimus quoquomodo imaginari cor, uel hepar esse à natura constitutum instar tabernæ diuersoriæ, in qua sanguis fessus perpetet, ac successiuè paulisper reficiatur: at non solidè, & philosophicè discurrendo. Primò quia venæ ad idem principium à quo, ex una parte, procedunt minimè recurrunt ex alia, sed in varios ramulos per totum corpus diuidentur, quorum aliqui adeo angusti sunt, vt non immerito capillis comparentur, neque habent ex ea parte uersus, quam restringuntur continuationem cum alijs, ita ut uideatur impossibilis quod totus sanguis possit per eas liberè permeare. Deinde nos uidemus in aliquibus corporis partibus aliquando maiorem sanguinis copiā reperiri quā in alijs, & in quibusdā uenis

Digitized by Google

sanguinem maximè fęculentum existere. quod si sanguis per totum corpus refluere, neutra experientia saluari posset. denique fac vt refluat, & circumeat: profectò si ipse stomacum haberet, posset vtique defendi, quod transeundo per cor, vel iecur cibum sibi necessarium sumeret, vt postea paulatim illum digerendo in se conuerteret; sed non ita res procedit: quare oporteret, vt ille liquor, quem hic Doctor chilum defecatum appellat immiscereatur sanguini transeunti per cor, vel iecur; quēadmodum aqua miscetur vino; & postea procedente tempore ab actione sanguinis conuertetur in substantiam illius; sed quamuis aqua vino immixta, sic conuertatur in vinum, nemo dixerit; quod vinum per intus susceptionem alimenti ex ea nutriatur. ergo neque hoc modo nutriretur sanguis, & per consequens actio illa, qua fit augeretur non esset vitalis.

25 Quod si quis ad hæc diceret: verè hoc argu-
11 mento probari non posse sanguinem vitaliter nutriri, eo quod totum corpus permeat: non tamen non posse reliquos humores, qui determinatam quandam, fixamque sedem in corpore sibi vendicant: impugnabitur ex eo, quia multo magis sanguis pertinet ad vitam animalis; quam reliqui humores. vnde nullus est, qui negeat animam sanguini, & reliquis concedat humoribus, sicuti neque spiritibus, tum vitalibus, tum animalibus; quippe totum corpus diffundantur. igitur hoc ipso, quod probatum est *sanguinem non esse animatum*, à fortiori constat, neque tres reliquos humores, neque spiritus quidquam esse substantialiter sanguis vitam habere.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

26 OBijcies primò ex Hurtado *disp. 1. de anima, sect. 6. §. 40. Iamsicut* 37. dicitur: Anima omnis carnis in sanguine esse. sed hoc non potest exponi de alimento, quia idem posset dici de vino, & herba. ergo debet exponi de informatione præcipua animæ, sicuti exponit August. *qu. 57. in Leuiticum* vbi ait: Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne viuitur. ipsum vitam corporis vocauit animam. *Confirmatur ex Matt. 16.* Caro, & sanguis non reuelauit tibi, & *ex prima ad Corinth. 15.* Non omne caro, & sanguini. vbi Hilarius hominis portio diuiditur in carnē, & sanguinem tamquam in principes eius partes; ergo sicuti caro animata est, ita & sanguis

Respondeo Compton. *sect. 1. num. 2.* ad obiectum Moysem illis verbis afferre rationem cur prohiberet Hebræis comedere sanguinē; quod scilicet significare voluisset sanguinem esse animatum: sequeretur, quod etiam debuisset eo ipso carnium interdicere. ideo igitur, inquit, anima dicitur esse in sanguine, quia effuso omni penè sanguine deficit animal. non tamen ablata magna quantitate carnis. sed contra hanc explicationem posset instare Hurtadus dicendo: potiori iure animam informare sanguinem: quam carnem; quia non solum respicit illum tamquam materiam suam, sicut carnem, sed etiam tanquam alimentum totius corporis; & ideo prohibitum esse Hebreis; non verò carnem. cæterum disparitatem assignatam nullam esse, patere ex eo, quia non procedit eadem proportione; ex vna enim parte ponit totius sanguinis effusionem: ex alia verò ablationem magnæ quantitatis carnis, quod si tota carnem auferri ab animali posuisset: sicuti posuit totum extrahi sanguinem: profectò appareret, siue ex vnius, siue ex alterius ablatione sequi infallibiliter mortem.

Melius igitur respondendum videtur. ideo 27
dici animam carnis esse in sanguine quia tota quanta est in eo occupatur; post quam enim illum elaborauit ex chilo, eo vtitur ad totius corporis nutritionem, nec non etiam ad omnes tum vitales tum animales operationes, quatenus ex eo tenuissimos spiritus educit, qui ad illas exequendas necessarij omnino sunt, & hęc fuit bona congruentia cur eius comestio prohiberetur Hebreis, non verò carnis. porrò materiam circa quam occupatur animus solere dici id, in quo est ipse animus, quamuis non informetur ab illo, est euidens. dicimus enim de auaro totum esse in pecunia, de docto totū esse in libris, de fabro totum in lignis; & denique animum ipsum potius esse vbi amat, quam vbi animat. contra hanc explicationem frigida est illa Hurtadi instantia: quod nimirum sic posset dici animam esse in vino, & herba. nam in his, & similibus valdè remotè animus occupatur, & non nisi per accidens. sic licet dicamus auarum esse totum in pecunia, nemo dixit eum esse in fodinis, vel in monetaria officina. Augustinus verò dum ait: Aliquid vitale esse in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne viuitur, assignauit rationem, cur anima tota quanta est occupetur in sanguine. quia, nimirum, est materia proxima vnde corpus ab ea viuificatur. Ad confirmationem dico in scripturis nomine carnis, & sanguinis simul venire totum hominem, qui corpore, & anima constat: & carnem quidem ad corpus, sanguinem verò ad animam significandam referri, eo quod in eo plurimum vitalis spiritus inest: quod si nomine carnis, & sanguinis inferior tantum hominis portio venit, vt vult arguens: ideo est, quia hæc portio concupiscit aduersus spiritum carnalibus affectionibus, & passionibus, quorum priores per carnem, posteriores verò per sanguinem significantur, quatenus sanguinem excitando, vt plurimum commouentur.

28 Obijcies secundò ex eodem *ibidem* §. 41. sāguis est vera hominis pars. ergo informatur anima. consequentia patet quia omnes partes sunt continuæ, tum quia non est alia forma totius, alia partis; tum etiam, quia alioquin homo non esset vnum ens per se, sed aggregatum per accidens. antecedens verò præter quā, quod est expressè Aristotelis *secundo de partibus cap. 2.* probatur tripliciter primò ex Innocē-

rio tertio in *extrauag. de celebratione missarum*. vbi docet: aquam, & sanguinem fluxisse è latere Christi; vt ostenderetur corpus eius habuisse quatuor humores, qui ad veram hominis constitutionem pertinent; atqui homo solis suis partibus constituitur. ergo &c. secundò ex Tridentino *sess. 13. cap. 3.* vbi dicitur corpus esse sub speciebus vini: sanguinem verò sub speciebus panis, animam quoque sub vtriusque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius morituras, inter se copulantur. ergo anima copulatur Christi sanguini in calice. quia, cum sit pars ipsius sanguinis illum comitatur vbique. tertiò denique quia illud est pars integralis hominis, sine quo homo esset mutilus; sed sine sanguine talis esset homo; ergo &c. maior patet, quia si nulla pars deest homini, non est mancus. minor verò probatur, quia sanguine effuso homo inutilis ad vitæ functiones euadit, & continuo exanimatur, sed hoc non prouenit ex defectu alimenti. non enim reliquæ partes sunt adeo voraces, vt sic repentè, pabulo deficiente, intereant. ergo profluente, quia deficit vna ex præcipuis hominis partibus, à qua reliquæ omnes dependent.

29 Pro responsione notarem partes corporis, quod facit ad rem nostram, esse in duplici differentia: quædam enim se habent vt vitalium operationum instrumenta, & hæ sunt veluti partes primariæ corporis animalis, quæ informantur anima: quædam verò sunt, quæ fouent, & conseruant à contrarijs suis instrumenta, & ideo dici possunt secundariæ; atque hæ non sunt animatæ, sed institutæ à natura in corpore animalis ad conseruandas partes primarias in suo debito temperamento. sic sanguis qui calidus est, & humidus calore suo fouet corpus animatum, & humiditate illud irrigat, & idem cum proportione dicendum de reliquis humoribus, qui ideirco habent rationem elementi respectu aliarum partium in ratione instrumenti cõsideratarum. hoc posito distinguo antecedens: sanguis est vera hominis pars, secundaria, concedo: primaria, nego antecedens, & consequentiam. porrò Aristoteles quando sanguinem inter partes animalis enumerat, loquitur de secundarijs, quando verò ab illis excludit *vt secundo de partibus cap.* 10. loquitur de primarijs: ex quibus patet responsio ad singulas antecedentis probationes. ad primam enim ex extrauaganti desumptam dicendum: verum quidem esse sanguinem ad veram hominis constitutionem pertinere, hominemque ex solis suis partibus constitutum esse; inde tamen non sequi omnes dictas partes informari anima; sed solum illas, quæ ita ad hominis constitutionem pertinent, vt in eis aliquæ vitales operationes exerceantur.

30 Ad secundam verò ex Tridentino, admissa auctoritate citata, nego consequentiam. ex eo enim quod dicatur sub speciebus vini esse animam vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes inter sè copulantur: malè deducitur animam esse partem sanguinis; quod patet ex eo, quia etiam ibi dicitur sub eisdem speciebus esse corpus vi naturalis &c. & tamen nemo dixerit corpus esse partem sanguinis, vel è contra; sanguinem partem corporis. alioquin vi verborum, vel non veniret in hostiam totum id, quod significat corpus, sed pars illius: vel non veniret in Calicem totum id, quod significat, sanguis, sed pars illius. solum igitur ex textu citato colligitur tria hæc: nempe corpus, sanguinem, & animam esse partes Christi Domini, & quidem inter sè copulatas vi naturalis connexionis, & concomitantiæ. porrò rationem copulæ non importare physicã vnionem inter ipsas partes, quæ inter sè copulari dicuntur, patet ex Cicerone, qui sæpè hoc verbo vtitur ad significandam tantummodo coniunctionem aliquam. vt cum dixit, quod equester ordo cum senatu copulatus fuit & *in Verrem n.* 134. copulati in ius peruenimus; & sæpe alibi.

Ad tertiam denique rectè dicit Oviedus *n.* 2. 31
quod si quis, concessa maiore, negaret minorem, videlicet, hominem exanguem esse mutilum non posset facilè conuinci. si quidem ad probationem respondere facilè posset; ex eius antecedente non benè deduci consequentiam. nam etiam sine vera homo est ineptus ad omnes vitæ operationes, & diu in vita conseruari nõ potest. & tamen non benè ex hoc aliquis inferret: aerem esse partem hominis. sed mihi longe alia mens est. concedo enim hominem sine sanguine esse mutilum, atque adeo sanguinem esse partem illius. nego tamen eum viuere; eo quod hoc solum partibus primarijs competit: non autem secundarijs, cuiusmodi est sanguis. Ad probationem verò in contrarium dico: ex eo quod homo exanguis sit ineptus ad operationes vitæ exercendas, & diu conseruari non possit; non rectè colligi sanguinem esse partem corporis primariam. primites enim partis non ex necessitate, quam habet corpus illius deducitur, vt vidimus; sed ex eo, quod in ea aliqua vitalis operatio exerceatur. cæterum ideò homo exanguis non potest operari, quia operationes vitales exerceri nequeunt sine spiritibus: sanguis verò non solum est illorum materia, sed etiam sedes, & quia esse est propter operari, ideirco, deficiente toto sanguine, homo moriatur necesse est; ad eum plane modum, quo deficiente toto oleo in lucerna flamma statim extinguitur. cõcum hoc autem benè stat cum eo, quod sanguis sit pars hominis secundaria. atque hæc quantum ad triplicem probationem antecedentis præcipui argumenti Patris Hurtadi. 32

Ad Probationem verò consequentiæ, qua ex eo quod sanguis esset vera hominis pars colligebatur, eum informari anima. nego antecedens, quod nimirum omnes partes viuentis sint continuæ. quamuis enim id verum sit, si loquamur de primarijs, at falsum loquendo etiam de secundarijs; & quidem hanc discontinuationem inter sanguinem, & reliquas corporis partes agnouit Aristoteles *secundo de partibus cap.* 3. dicens: sanguinem concludi in corde, & venis tamquam in vase; constat autem

aquam

aquam ; & quemlibet alium liquorem non continuari cum vase, in quo continetur. imo aliqui nostræ sententiæ sectatores sibi videtur huiusmodi discontinuationem clarè deducere ex sanguinis fluiditate; fluidum enim cum solido continuari non potest, quare cum hæc discontinua sint, & nequeant vnica numero informari forma, contra aduersarios inferunt sanguinem non esse animatum, supponendo ex alibi dicendis in vno vincere, non nisi vnam numero animam concedendam esse. verùm ego huic discursui non satis fido. scio enim humorem chrystallinum esse fluidum, & tamen viuere, eo quod in eo visio exerceatur, atque adeo cum partibus solidioribus continuari. quod si quis neget dictum humorem esse fluidum, sed dicat cum Rubio *lib. 2. de anima cap. 7. qu. 8.* esse quasi cõgelatum, sicuti chrystallus, & quasi aqua cõgelata: atque adeò posse cum solidioribus partibus continuari : quid dicet de substantia aerea, quæ in organo auditus tympano contecta existit, quam informari anima multi tuentur, eò quod existimant in ea auditionem fieri; si igitur hæc substantia valdè fluida, & liquida potest cum reliquis partibus solidioribus continuari; poterunt etiam multò magis sanguis, & reliqui humores, & ideò ego non probo ex discontinuatione eorũ, carentiã vitæ, sed potius ex huius carentia aliundè probata nego Hurtado continuationẽ.

33 Et ad *priorem probationem in contrarium dico* : quod licèt verum sit non esse aliam formam totius, & partis, quæ primariò ad totius constitutionem pertinet; tunc falsum est, si loquamur de parte ad totius constitutionem secundariò pertinente; hanc enim informari posse distincta forma patet à priori, quia pars viuens debet necessario perennis susceptionem alimenti nutriri ; non posse autem hoc modo nutriri sanguinem certo certius est, nam neque ex venis, neque ex carne, neque ex aliqua alia parte potest nutrimentum sibi proportionatum attrahere, vt probauimus : ergo &c.

34 Ad posteriorem denique probationem eius-
51 dem antecedentis, quæ dicebatur, quod si sanguis non continuaretur cum reliquis partibus p sequeretur, quod homo non esset ens per sè; sed aggregatum per accidens.

Respondeo, distinguendo sequelam ; & si quidem sermo sit de homine essentialiter accepto nego: si verò de homine integraliter cõsiderato subdistinguo non esset vnum ens per se, sed aggregatum per accidens; absolutè, hoc est, non intentum per se à natura. sed quale est acervus lapidum; quia nec vlla naturali subordinatione ad acervum componendum constituit; nego ; esset aggregatum per accidens respectiuè, hoc est respectu sui ipsius essentialiter considerati, sed per se à natura intentum, & importans in suis partibus intrinsecam quãdam aptitudinem, & naturalem ordinationem respectu totius, concedo sequelam ; sed nego ex hoc sequi sanguinem cum reliquis partibus continuari. explico distinctionem : homo dupliciter sumi potest : essentialiter, & integraliter essentialiter consistit in indiuisibili siuè demum physicè, siuè Metaphysicè considereretur ; & quidem metaphysicè dicit tantum esse animal rationale. physicè verò solum animam rationalem vnitam materiæ, & materiam ipsam tot partes entitatiuas habentem : quot sunt præcisè necessariæ ad constituendum hominem & in hoc sensu, neque manus, neque pedes ingrediuntur conceptum entis per sè, siquidem, siuè homo illas habeat, siuè non : eandem prorsus essentiam retinet. atque adeò, rectè possunt intelligi. adesse in eo, & abesse præter eius essentiæ corruptionem.

Contra verò si homo integraliter consideretur; ita est ens per sè: ut admittat latitudinem quamdam in suis partibus, & quantum ad numerum, & quantum ad magnitudinem; & quia duplici genere partium materialium constat, quarum vnum informatur anima, alterum minimè; ideò si accipiatur integraliter quatenus secundum genus partium importat, videtur aggregatum per accidens respectiuè, hoc est in ordine ad sè, vel essentialiter, vel secundùm quod continet partes primi generis acceptum; sed hoc non facit, vt dici absolutè possit ens per accidens. nam etiam in ordine ad se ipsum acceptum essentialiter videtur esse aggregatum per accidens, quatenus includit in sè partes omnes animatas, quibus integratur : & tamen absolutè loquendo non potest dici tale, vt de se patet. vt igitur dici possit homo absolutè ens per sè, & non per accidens integraliter ; sufficit si partes, quas includit sint institutæ à natura ad sui integritatem ; quid quid sit vtrum informentur alia forma substantiali, nec nè. 43

Instabis, vnum per sè vel constat ex partibus habentibus vnum esse, vel ex partibus cõtinuis. sed homo respectu sanguinis neutro modo sè habet. ergo nequit censeri vnum per sè. 36

Respondeo vnum per sè constans ex partibus habentibus vnum esse, non esse aliud, quam vnum per sè essentiale, & vnum per sè constans ex partibus continuatis, quod facit ad rem nostram, esse vnam integrale constans ex partibus integrantibus primi generis. præter hæc autem datur vnum per sè certij generis, quod scilicet constat ex partibus, quarum vna ex suis intrinsecis est ordinata ad aliam, & obtinet à natura determinatum locum in toto per sè primo, & secundo modo accepto. ad distincta maiore, ad minorem dico, hominem integraliter integritate secundo modo considerata esse vnũ per sè certij generis, quamuis constet pluribus formis substantialibus, quarum vna sit anima ; alia verò minimè, quia sic acceptus est, quid organicum heterogeneum, per quæ patet falsitas consequentiæ.

Obijcies tertiò ex eodem Hurtado §. 43. Verbum, non solum assumpsit animam, & corpus, sed etiam sanguinem; sed si sanguis nõ esset animatus illum minimè assumpsisset. ergo &c. maior supponitur tanquam certa, minor verò expresse asseritur à Durando, & alijs, qui ex eo, quod putarunt sanguinem non esse animatum intulerunt eum non fuisse assumptum á Verbo; & probatur quia Christus non assumpsit naturam irrationalem, quod si dicas non assumpsisse 37

Digitized by Google

fisse illam solam, sed quatenus pertinet ad cõplementum rationalis: Contra, quia non fuit opus tali assumptione: sufficeret enim assũptio corporis, & animæ, vt verbum esset verus homo, sicuti homo est verus homo sine animatione sanguinis. confirmatur quia præferret indecentiam quamdam, quod Deus verè esset, & denominaretur sanguis sicuti verè est, & denominatur homo: sed si sanguis non informaretur anima, & sumptus esset à verbo deberet denominare Deum sanguinem. ergo &c. minor suadetur, quia quod pertineat ad hominis complementum, non tollit quia sit natura completa constans ex materia, & forma substantiali, sicuti aqua, licet pertineat ad complementum vniuersi, quia non complet vnum ens per sè.

38 Respondeo, concessa maiore, negando minorem. ad cuius probationem dico; quod licèt Durandus sanguinem Christi Domini non fuisse assumptum à Verbo existimauerit: eius tamen opinio censetur erronea à *Suarez lib. 2. de anima cap. 5. num. 4.*, eo quod scripturæ nostram redemptionem illi attribuunt tamquam pretio de condigno atque infinito *prima Petri primo*: non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sanguine agni immaculati redẽpti estis: ad *Hebr. vltimo*. propter quod, & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum. &c. *prima Ioann. secundò* sanguis Christi emundat nos. & passim alibi: quare relicta auctoritate Durandi; ad rationem dico: quod quamuis Christus assumpserit sanguinem non animatum: non tamen debet concedi, quod assumpserit naturam irrationalem, quia natura in dicta propositione significat integritatem quamdam, atque totalitatem, sicuti in hac Verbum assumpsit naturam humanam, alioquin eum assumpserit materiam primam, quæ in sè est natura irrationalis, posset etiam in sententia aduersariorum hoc idem verificari de verbo, quod nemo concedit. cum igitur Verbum non assumpserit sanguinem, nisi vt partem naturæ humanæ, hinc fit, vt non possit verificari, quod naturam irrationalem assumpserit.

39 Ad impugnationem autem huius doctrinæ, qua dicebatur non fuisse opus tali assumptione ad verificandum quod Deus esset verus homo. respondeo iuxta superius dicta, quod, quemadmodum non valeo hoc argumentum: non fuisset opus assumptione extremi digiti ad verificandum, quod verbum esset verus homo. ergo non assumpsit extremum digitum: ita neque valet argumentum illud Hurtadi: & rectè id quidem; sicuti enim licet digito non assumpto verus homo fuisset essentialiter: non tamen integer integritate primi generis. ita assumpto corpore: non tamen sanguine aliisque humoribus, fuisset quidem integer integritate primi generis: non autem secundi. quoniam verò Verbum voluit non solum assumere naturam humanam essentialiter, sed etiam integraliter vtraque integritate perfectam: hinc fit, vt opus ei fuerit assumere sanguinem, & reliquos humores.

40 Ad confirmationem respondet Comptonus *sect. 1. num. 9.*, licet propositiones hæ: *Deus est sanguis, Deus est flegma &c.* non sint vsurpandæ, cum non reperiantur in scriptura, & patribus: posse tamen eas in aliquo sensu esse veras, cum verè sanguis fuerit vnitus verbo; atque adeo sicuti dicitur *Deus est caro*, licet caro sit solum substantia partialis respectu hominis; ita dici posse Deus est sanguis quantumuis sanguis sit substantia partialiter assumpta. 41

Verùm hæc responsio non satisfacit. nam quando conceditur: propositionem hanc *Deus est sanguis*, in aliquo sensu esse veram: vel hic sensus admittit prædicatum absolutè, & sine addito posse verificari de subiecto: vel admittit solum posse verificari cum addito: sic V.G. *est sanguis partialiter*, in quantum, scilicet, sanguis est pars hominis per hoc secundùm non respondetur difficultati propositæ ab Hurtado: primùm verò est omnino falsum. & minimè concedendum, quia ad huiusmodi prædicationem verificandam fuisset necessarium, vt Verbũ per sè vltimatè, & tamquam naturam totalem sanguinem assumpsisset, & non in ordine ad aliud, & tamquam partem humanæ naturæ. neque paritas, quæ affertur de carne quidquam valet; Verbum enim dicitur caro factum à Diuo Ioanne secundum hebraicam phrasim. Hebræi enim cum humiliter de homine loqui volunt passim eum carnem appellant *Psal. 64.* ad te omnis caro veniet. *Psal. 117:* non timebo quid faciat mihi caro, *Isaiæ 40.* videbit omnis caro salutare Dei. ad *Rom. 3.* ex operibus legis non iustificabitur omnis caro; & passim alibi; quia enim volebat Euangelista (vt notat Theophilactus) Dei dignationem, & miserationem ostendere, qua propter homines homo fieri nõ est dedignatus; hominem apellat nomine quo eius abiectio maximè declaratur; quare nego hoc nomine in verbis Ioannis significari carnem, imo adeo neque significari hominem per figuram synecdoche, sumendo partem pro toto, sed significari propriè hominem non minus quam, per vocem Gallus, propriè significetur homo in Gallia natus. 42

Melius ergo ad confirmationem negandum est, quod, si sanguis non informaretur anima deberet posse prædicari de Verbo, quod illum assumpsit, & ad probationem in contrarium dico, sanguinem esse quidem naturam completam physicè, in quantum hoc ipso, quod cõstat materia, & forma substantiali non est vlterius complebilis, cum hoc tamen stat, quod ex suis intrinsecis sit ordinatus in bonum animalis, ad illud, videlicet, integrandum, atque perficiendum. ad exemplum verò, quod sumitur ex aqua, ergo paritatem. disparitas autem est quia vniuersum, cuius pars dicitur aqua, non est vnum per sè, sicuti est animal; vnde fit vt strictiùs, & nobiliori titulo vendicet sibi homo ad se ordinatum sanguinem, tamquam sibi subordinatum quam mundus aquam. inquo, quod si Verbum primò, & per sè assumpsisset vniuersum, sicuti assumpsit naturam humanam. quemadmodum non potest de facto de eo affirmari in recto, & absolutè nunc, quod sit sanguis, ita neque potuisset in eo casu affirmari, quod esset aqua.

Obij-

Digitized by Google

43 Obijcies præterea quartò. Aristoteles *tertio de historia cap. 19.* vis dum animal viuit sanguinem seruare: atque seruare; ea ratio potest esse quia anima debet informare quæcumque necessaria sunt ad conservationem viuentis. sed huiusmodi est sanguis, ergo cor. Respondeo, quod attinet ad Aristotelem ingenuè fateri hunc locum, cum sua opinioni suffragari: quare hic citatus exponendus est, quod loquatur de animatione in fieri, non verò in facto esse, quatenus est materia proxima saltem sensibilis nutritionis; atque adeò facile conuertendo se in partes primarias viuentis animatum. dicta saltem sensibilis: scio enim nonnullos docere sanguinem non immediate in carnem conuerti, sed priùs ex eo generari roremquandam, deinde cambium, posteà gluten, & sic quadrare carnem; sed vel dicendum eum non differre ab huiusmodi substantijs essentialiter; vel si differt, eas non esse ita sensibus subiectas, sicuti ipse sanguis. ad rationem autem ex necessitate, quam de sanguine habet viuens ne moriatur, nego inde deduci, quod sit animatus.

44 Obijcies quintò: non minus est necessarius chylus ad vitam animalis, quam sanguis, sed, non obstante hac necessitate, chylus nullo modo est pars animalis, ergo dum fatemur sanguinem esse partem debemus sustinere, quod animetur.

45 Respondeo sanguinem duplex munus in animali habere, vnum nutrimenti, aliud complementi; non solum enim subministrat nutritioni materiam, sed etiam est necessarius ad perfectam integritatem, & decorganizationem corporis ipsius animalis, quatenus corpus organicum exigit in se habere quandam substantiam, qua foueatur, & in suo debito temperamento conseruetur; & ideo corpora in resurrectione habebunt sanguinem suum, sicuti etiam reos alios humores, quemadmodum habuit Corpus Christi Domini, quando ex mortuis resurrexit, porrò nisi sanguis esset de complemento corporis id minimè fieret, namque statu gloriæ id ipsum restaurabitur humano corpori, quod ad illius perfectionem necessarium erit. vide Suarez *3. parte tom. 3. disp. 46. sect. 1. num. 4.* quj pro sectam D. T. *in 4. dist. 44. qu. 1. art. 1. qu. 3. ad 3.* quo posito, distinguo maiorem: non est minus necessarius chylus, quam sanguis, & consideremus sanguinem, vt nutrimentum præcisè, concedo; si verò vt aliquid complementum, nego maiorem: quia chylus non habet perficere animal, sed solum nutrire, quare concessa minore, nego consequentiam, neque dicas inde sequi primas etiã & secundas qualitates esse partes corporis animalis, cum ad eius complementum pertineant: ne id dicas, inquam, quia de primaria ratione partis rei substantialis debet esse, quod sit substantia, qualitates autem sunt accidentia; idemque dici potest de quantitate, alijsque accidentalibus entitatibus. Frigida autem est Arriaga huius responsionis impugnatio, quam affert *disp. 1. de anima sect. 9.* quod nimirum cum sanguis non vniatur corpori, respectu illius per inde se habeat, ac si esset accidens, eo quod pars per nos solum dicit esse necessariam ad conservationem animalis, & ad vitales eius operationes exercendas, quod æquè conuenit accidentibus, ac sanguini; contra enim est, nam licet quamuis Petrus non vniatur Paulo non ideò infertur per inde se habere respectu Pauli, ac se habet accidens: ita in casu nostro, Deinde addo, falsum esse per me partem solum importare esse necessariã ad conseruationem, importat enim præterea esse taliter necessariam, vt sit substantia.

46 Obijcies sextò: quando irascimur feruescit sanguis circa cor; dum verecundamur accurrit ad faciem; dum timemus ad cor. quando verò colerici existimus difficilè bile fumet iecur &c. sed hi sunt vitales actus respectu ipsius sanguinis & bilis; ergo iam in humoribus aliqua vitalis operatio reperitur.

47 Respondeo negando minorem: actus enim vitalis, qui est iudicium vitæ in eo, in quo est, non est quicumque à causa viuente procedit, alioquin dicendum esset chylum informari anima, eò quod elaboratur à principio vitali, quod est ventriculus, nec non etiam sanguinem ipsũ per hoc præcisè, quod hepatis actione producitur, imo etiam pura excrementa quando expelluntur, mouentur enim sursum, deorsum. &c. solus igitur ille actus est signum vitæ, qui vel sit per intus susceptionem alimẽti, vel illam necessariò præsupponit, quoniam verò motus, siue sanguinis siue bilis nec rum importat, sed est alteratio quædam, ab exteriori loco proueniens, nempe ab anima medijs spiritibus, ideò non est signum vitalitatis in ipso.

SECTIO QVARTA.

Corollarium de quibusdam alijs partibus, quatuor humoribus similibus.

47 ATque ex his colligi potest, non solum humores pure excrementitios non esse animatos, vt lacrymas, sudores, vrinam, atque saliuam; sed neque lac, neque semen, neque pinguedines, neque medullam ossium. in nullo enim ex his aliqua vitalis operatio exercetur à natura, vt experientia constat, præterea vt aliquid de dictis rebus in particulari dicamus: humores pure excrementitij tamquam inutiles imo etiam noxij à natura ex toto corpore pelluntur. ergo non solum non sunt animati, sed neque vllam habent rationem partis respectu viuentis; atque adeo corpora Beatorum sine his humoribus resurgent; quod verò nec lac, nec semen sint animata suadetur vlterius, ex eo quia vel non differunt essentialiter à sanguine, sed sunt partes sanguinis vera ratione, concoctæ, vt videtur sentire Aristoteles *lib. 4. de generatione animalium cap. 8.* adeoque sicuti sanguis non est animatus, ita neque illa: vel si essentialiter differunt à sanguine, vt docent alij: cum sine vtriusque animal sit integrum, vt apparet in masculis, ac fœminis ante pubertatem: non est cur inter animalis partes connumerentur.

tur, adde quod semen est institutum ad formandam prolem, & hæc ad illam alendam, vnde ordinantur ad aliud distinctum ab animali, à quo formantur. partes autem ordinantur per se ad totum, cuius partes existunt. quod si semen plantarum est animatum: ideo est quia crescit per introsusceptionem alimenti, & apparet esse continuum ipsi plantæ, quod non habet semen animalis. deinde si spadones sunt deficientes, & manchi: non oritur ex eo quod semine careant, sed quod careant instrumentis vitalibus, quibus semen in animali generatur. denique si filius dicitur de substantia patris procedere: non est sensus quod semen, quod accepit á patre, fuerit eius animâ informatum; sed quod vel fuerit ab illius corpore decisum; vel fuerit eius pars secundaria, vtpote eiusdem essentiæ cum sanguine, & habuit virtutem ex forma ipsius generantis, vt loquitur D. T.

49 De pinguedine distinguit Comptonus *sect. 3. art. 4.*, & siquidem sermo sit de ea, quæ hinc inde est intermixta carni, dicit viuere, quia veluti vnum quoddam videtur cum carne constituere; sin autem agamus de ea, quæ seorsùm in vnum veluti locum generatur, quæ solet esse inter pellem, & carnem negat viuere; eo quod misum in modum grauat animal, sed ego aliter distinguerem; & siquidem agatur de ea, quæ appellatur omentum, & se habet ad modũ membranæ tenuis, & pinguis, qua inferiores ventris partes integuntur: putarem esse animatam, quia est valdè necessaria intestinis, quæ sine ea pessimè se haberent, ac diffluerent, nec non etiam videtur crescere perinde susceptionem alimenti, propter duriores partes, quibus tanquam reticulis efformatur. si verò agamus de reliqua pinguedine, crederem non informari anima, siuè sit adeps, siuè seuum, siuè demum pinguedo specialiter dicta. differunt enim hæc aliqualiter inter sè, eo quod nomine adipis venit substantia quædam instar crassioris olei ex frigore concrescens in extremitatibus musculorum, ac neruosis partibus animalis; nomine verò pinguedinis specialiter accepta, substantia adipe humidior, quæ inter cutem, & carnem contineri solet; nomine denique seui, substantia præcedente crassior, ac valdè terrea, aptaque magis crescere, & propriè in animalibus altera tantum parte dentatis, & cornigeris existens. ratio autem cur hæc omnia minimè animentur esse possit, tum quia, vt dicunt medici, sunt substantialiter sanguis: tum etiam quia crescunt per additionem partis ad partem; serosa enim sanguine redundante augentur.

50 Ad rationes autem in contrarium à Comptono adductas dicerem maiorem vnitatem præferre partes eiusdem rami, quarum vna viridis est, altera ficca; quam pinguedinem, & carnem: & tamen constat ficcam non viuere. ergo ex coniunctione, quam habet pinguedo cum carne cui associatur, non benè colligitur quod simul cum ea viuat. præterea ex eo, quod omentum in ventre adeo pinguescat, vt mirum in modum graues animalium aliquando illud enecet non rectè colligi illud minimè viuere; probarem ex eo, quia rectè distingui potest inter pinguedinem natiuam, quam habet omentum, quæ est instar membranæ reticulatæ, ac aduentitiam; & priorem dicerem esse animatam, minimè verò posteriorem. sic quamuis videamus ex morbo pedem animalis mirum in modum aliquando augeri: ita vt totum vitalem humorem reliquorum membrorum ad se trahat, & sic animal interimat: nemo tamen dixerit pedem non viuere, ergo à pari neque dicendum est omentum non viuere, quia aliquando pinguedine abundet.

Quod denique attinet ad medullam ossium 51
eam non viuere probatur ex Aristotele *secundo de part. animal. cap. 6.* vbi docet: eam esse sanguinei alimenti coctum excrementum, quod in ossa distribuitur. porrò qua parte excrementum est sanguinis, peioris conditionis censenda est, quam sit ipse sanguis; vnde si hic non viuit, neque illa, qua verò parte est ossium alimentum similitudinem habet cum ipso sanguine, qui est alimentum carnis. ergo debet etiã et assimilari in eo, quod non viuat.

Atque hæc intelligenda sunt de medulla 52
ossium, ad differentiam medullæ capitalis, ac quo spinalis. capitalis enim est cerebrum, quod informari anima certo certius est, cum in ea operationes cognoscitiuæ potentiæ exerceantur. spinalis verò est substantia quædam crassior, ac neruosior cerebro, ex illo tanquam ex fonte per spinam dorsi originem trahens; 53
tanto durior, quanto longius in inferiores partes processerit. quam etiam esse animatam probatur, tum quia videtur esse eiusdem penè substantiæ cum cerebro. tum maximè, quia apparent in ea quædam venulæ sicuti etiam in cerebro, per quas alimentum defertur, quod euidens signum est vtrumque vitaliter crescere. quod si Aristoteles *secundo de partibus cap. 7.* asserit cerebrum non continuari cum reliquis partibus corporis, sed contineri in cranio tamquam in vase: solum negat non continuari cum partibus sensum tactus habentibus, quia neq; ipsum est hoc sensu præditum, quod si ab intrinseco tactum valdè hominem torqueat, & frequenter interimat. hoc non suo sensu, sed vestitus sui, id est, omenti hunc importat dolorem, vt testatur Macrobius, nomine omenti membranam, quæ totum inuoluit cerebrum significans. cæterum negari non potest cerebrũ esse coniunctum cum medulla spinali, & cum aliis quibusdam partibus, quibus alimentum trahit. sed quia est à toto cranio diuisum, & continetur ab illo, potest verè dici, quod sit in eo tanquam in vase.

SECTIO QVINTA.

Vtrum dentes, vngues, & capilli, hisque similia sint animata.

CONclusio est affirmatiua, ita D. T. *in 4. dist.* 54
44. qu. 1. art. 2. qu. 3. ad 3.

Probatur primò ex Aristotele, qui *secundo de gene-*

generat. Animal. cap. 4. ait, quod capilli, & pili, & vngues nutriuntur, & augentur, quod autē nutritur, & augetur viuit. deniq; *primo de histor. animal. cap.* 1. numerat pilos inter partes animatas viuētis. ait enim esse: quasdam partes in viuentis corpore valdè terreas, quæ sentire nō valent, cuiusmodi sunt ossa nerui, & pili; quamuis autem ex eo præcisè, quod pilos viuentis partes esse dicat, non sequatur eos viuere: sequitur tamen ex eo, quod ossibus, & neruis assimilentur.

54 Probatur secundò ratione: dentes, vngues, & capilli augentur per intro susceptionē alimenti; ergo sunt animata consequentia patet ex dictis. antecedens verò probatur, quia omnia ista nō solum crescunt per longitudinem, sed etiam per latitudinem, ac profunditatem, seruata eadē figura, atque eadē proportione partium, sicuti reliquæ partes, quas in animali viuere compertum est. vt patet: in pueris, illi enim dentes habent omni ex parte angustos, sed procedēte tēpore versus omnē partē crescunt, ac dilatantur; præterea vngues, quos initio exiguos, & graciles habebant; in adolescentia magnos, & crassos obtinent. deniq; eorū capilli in pueritia sunt valdè molles, ac subtiles, sed in virili ætate durescunt, & corpulētiores euadunt; etiam si ijdem numerò, qui erant ab initio permaneāt. Hoc autē impossibile esset, nisi tria dicta ex reliquo corpore attraherent sibi humorem, quem cōcoquerent, qui enim fieri potest, vt illa extrema pars capilli V.G. à capite valdè distans incipiat per circuitū dilatari per iuxta positionem *houx materiæ*? quænam esset ista materia, quam in se conuerteret. & quo modo adderetur, *in eius figurā se ad amussim cōformando.* profectò nisi quis velit ad libitum opinari, non videtur quomodo id possit sibi probabiliter persuadere. quoniam verò idem prorsus videmus contingere in spinis, testis, conchis, cornibus, ac pennis animaliū: dicendū quoq; est ea omnia pariter esse animata. neq; nos debet in oppositum inclinare, quod versus vnā, aut alterā partē parū crescant, quia etiā cutis secūdū profunditatē parū obtinet incrementi, & tamē nemo dixerit eā nō viuere.

55 Obijcies tamen primò contra conclusionē: animata habere debent terminū suæ accretionis; sed neque dentes, neq; vngues, neq; capilli habent huiusmodi terminum. ergo non sunt animata. maior supponitur. minor verò probatur, nam dentes quātūcūmq; cōmestione continua atterantur, semper tamē à natura reparantur, nouas eis particulas submittendo; alioquin breui tēpore consumerentur, *sicuti molæ in molēdino*. vngues verò quantumuis sæpè secentur, & capilli condantur, iterum atque iterum iidem augentur, ergo &c.

56 Respondeo, concessa maiore, negando minorē; ad cuius probationem, concesso integro antecedente, nego inde sequi ea non habere suæ accretionis terminum; & ratio est, quia huiusmodi terminum cōsistit in eo quod viuens post quā peruenit ad finem statū perfectū, non possit amplius crescere. sed in eo, quod magnitudinē sæpiùs quā vsq; ad illud cœpus crescendo acquisiuit excedere non possit; quod si illam expauerit, non est contra rationē viuentis eam sibi iterum reparare, vt cōstat ex arboribus, quæ si post quā ad vltimū terminū suæ magnitudinis peruenerunt, superiorum medietatē deperdant, incipiunt illam iterum crescendo sibi reparare; quēadmodū animalia carnē morbo, aut fame magna ex parte cōsumptā. iam verò ea de quibus loquimur nō posse ad quamcunque magnitudinē protendi patet ex vnguibus animalium, qui etiam si nunquam secentur non tamen semper augentur. Quod si dicas eorum cōtinuatum augmētum non apparere, quia iam alibunde atteruntur: quid dices de capillis, quos quamuis mulieres diligentissimè nutriāt, ac pectant; constat tamen certam habere magnitudinem, quam excedere minimè valeant?

Obijcies secundò: dentes in senibus sponte deeiduntur, ergo nō sunt animati. probatur cōsequētia quia nulla pars viuentis sponte decidit; ergo &c. 57

Respondeo, concesso antecedente, negando cōsequentiam. ad cuius probationē dico, quod licet per se loquendo verum sit nullam partem viuentis sponte decidere: at per accidēs, potest euenire, si nimirum morbo aliquo dissoluatur temperamentum, cuius beneficio pars illa reliquo corporis cōiungebatur. sic quia in Polonia, & Muscouia frigoris exuberantia corrumpit illā qualitatum armoniā, quę aures, & nasum humano corpori vnibat: inde fit vt dissoluta vnione separētur, ac decidant. idē contingit senibus, in quibus cū excremētitius humor abūdet, sicuti est causa vt dissoluatur vnio, quę animā eorū corpori associabat: ita quod marcescāt nerui, & fibræ, quibus dentes cum maxillis coniungebantur. vnde fit vt decidant.

Obijcies tertiò, capilli, & vngues ex materia excrementitia nutriuntur, ex qua materia nulla pars animalis augetur. ergo non sūt animata. 58

Respondeo, materiam excrementitiam, ex qua nutriuntur capilli, & vngues nō esse eiusdē rationis cum ea, quæ expellitur per vrinā, saliuam, & similia. hæc enim est omnino superflua, & ad nihil inseruiens, at illa quāuis sit secreta à reliqua, quā ad nutrīdas nobiliores partes animalis natura disponit esse tamē illi vtilis ad nutrīdas istas nobiliores, quib⁹ ad mēbrorū cōstitutionē indiget.

Obijcies quartò, partes extremæ vnguium, quæ non habent continuationem cum carne digiti sunt mera excrementa. ergo non viuunt: ita fere Hurtadus, & Arriaga.

Respondet Oviedus *puncto* 4 *n.* 18. inter medias, & extremas vnguiū partes nullū sè inuenire discrimen: tū quia pars quæ nunc est media succedente tempore fit extrema: tū etiā, quia vtraq; ijsdē omnino accidentibus prædita est. neq; signum aliquod diuisionis inter illas est inuenire. quare neutram partē viuere, atq; adeo absolutè vngues nō esse animatos defendit. primò quia nullum habent indiciū vitæ: deinde quia crescunt per iuxta positionem, vt patet, tū quia si in medio vngue punctū signes, successu tēporis in extrema eius parte videbis: tū etiā quia si duo signes puncta in eodē vngue semper æq; distabunt. tertiò deniq; quia homo nō diceretur mācus, seu ꝓ careat vnguibus.

Verū ego laudo quidē Oviedū quod notet auctores illos inconsequētiæ. vasq; eodē crimine, de quo illos accusat, ipsum ego redarguerē. dū ipse quoq; inconsequenter in hoc philosophatur, quod sic eximerē. eodē *puncto n.* 12. asserit dentes animari, eo quod nō augētur per iuxta positionē, sed per intus susceptionē alimenti, quod hac ratione concludit: pars dentiū, quæ est extra carnē, & in puero est angustior, in adolescēte fit latior, & augetur, sed illi partinō applicatur materia per iux- 60

Digitized by Google

ta positionem, vt augeatur. ergo &c. Atq; eadem prorsus ratio militat pro vnguibus, nã vnguis ille, qui in puero est angustior etiã fit in adolescẽte latior, sed non per iuxta positionẽ materiæ, nã seruat eandem figuram, quã habuit ab initio; & eadẽ proportione, qua crescit locus eius in digito, cui cõmissus est, ipse quoq; augetur; hoc autẽ per iuxta positionẽ materiæ fieri nequit: quãuis enim ex radice intelligatur procedere dilatatus, quo modo pars latior de nouo aduenies inueniet partem digiti sibi correspondentem latiorẽ, & tamẽ pars antiqua vnguis nõ superabitur in magnitudine extremæ partis eiusdẽ digiti, cũ præsertim commissura extremæ partis sit latior inferiore; eundẽtius idem probo ex vnguibus brutorũ. sic: vnguis pulli aquili i est valde subtilis instar acicula, & totus ferè extra carnem. postea verò secundum latitudinẽ crescit, ac dilatatur, non secus ac pars dentiũ, quæ in puero est extra carnem; sed non crescit per iuxta positionẽ materiæ, sicuti neque in eius sententia pars illa dẽtium. quemmodum igitur ex hoc rectè deducit auctor dentes viuere, eo q; crescunt per intus susceptionẽ alimẽti, hoc ipsu quoq; debebat deducere de vnguibus. Cõfirmatur, quia idẽ *n.* 14. sustinet plumas auiũ viuere; eo quod p intus susceptionẽ augẽtur, quod probat ex proportione, qua omnes eius partes augentur, quod non posse fieri per iuxta positionẽ suadet ex eo, quia alioquin auulsæ ab auibus augerẽtur. sed simile augmentũ proportionale in vnguibus animaliũ, experimur, vt videre est in vngue aquilæ. aliũde vero eos auulsos à digitis cernimus non augeri. ergo inconsequenter negat vngues per intus susceptionẽ crescere. ex quo constat sufficientissimum nos vitæ indicium in vnguibus habere, dũ per intus susceptionem eas crescere ad hominẽ demonstramus. iam verò ad primã rationẽ in contrariũ ex puncto in medio vngue signato, dico: ea solum conuinci vnguem semper crescere in longum quandiu secatur, quod nõ est contra nos, cum hoc enim rectè cõsistit, quod per intus susceptionem alimenti augeatur. quemadmodũ enim signũ, quo signatur surculus quando primò inseritur est quidẽ proximus radicibus, sed post quã ille crescit in arborẽ, valde distat ab illis: ita dicendũ de puncto, quo medius vnguis signatur.

61 Ad secundam verò, distinguerem assumptum: & si quidem duo illa puncta signentur in vngue pueri: nego crescente puero, eandem prorsus distantiam retinere. quẽadmodum enim vnguis in tali casu crescit secundũ omnes partes ita, & distantia, quæ inter duo illa pũcta intercipitur maior euadet. at si ea signentur in ungue viri, qui ad statũ suæ magnitudinis iam peruenit concedo retinere eandẽ distantiã; cum enim vnguis tunc nõ crescat, nisi in longum, non est mirũ si eandẽ distantiã inter sè semper puncta illa retineant.

62 Ad id denique; quod vltimo loco addebatur: animal, scilicet, sine vngue non esse mancum dico esse falsum. cũ enim natura vngues animali tribuerit ad firmandas extremas manuum vel pedum partes, & ad hostes offendendos; hinc oritur animal exungulatum malẽ sè habere, ac esse mãcum. his contra Quiedũ obiter notatis, ad obiectionem Respondeo facilè, negando antecedens: extremas videlicet, vnguium partes, quæ digitis supereminent esse meras excrementa vt constat ex rationibus ab Quiedo in cõtrarium adductis, & multo magis ex vnguibus auium, quorũ acies maximè pertinent ad eorum integritatẽ, atque figuram, quod si in nobis dictæ vnguiũ acies idẽtidem resecantur non est, quod de se sunt omnino superfluæ, sed quia nos cũ politioris vitæ rationẽ elegerimus: validioribus armis cũ hoste pugnare volumus; & siquid frangere, gladiũ, & cultrum, quam vngues adhibere satius ducimus.

Obijcies quintó ex eodem Quiedo *n.* 15. nullũ 63
in capillis indicium vitę habemus, deinde homo caluitie laborans non dicitur mancus. tertiò denique eorum augmentum maximum esse solet, quod signum est eos nullũ determinatũ magnitudinis terminum habere, ergo nõ sunt animati.

Respondeo: ad singula in antecedente posita, ferè patere ex dictis; ad vberiorem tamen doctrinam nego antecedens, & quo ad primum dico Microscopio cerni in capillis foramen quoddam per eorum longitudinem instar canalis decurrens, quod solidos illos esse non finit, nec non etiam cauitates quasdam veluti poros. hæc autẽ esse certa signa, quod per intus susceptionẽ alimenti nutriantur, videtur indubitatum. falsũ est igitur nullum vitæ indicium in capillis haberi, aliud indicium adducit Arriaga *Disput. prima de anima n.* 273. sumptum ex hominibus qui metu mortis subitò incanuerunt, quod fieri (inquit) non potuisset, nisi crines vitaliter humoré fugerent, qui ex repentino timore de calido mutatus in frigidum, totum eorũ temperamentũ vitiaret. verum hoc indicium non esse efficax rectè probat Quiedus, ex eo quia attractio illius humoris facta per radices potest nõ esse vitalis, sicuti contingit in lanis, quæ liquoré infectorũ nõ vitaliter ebibunt. sed instituit contra hoc ingeniosissimus Arriaga, quia sic res sè haberet, sequeretur, quod etiam si capilli fuissẽt abscissi, & capiti illorum hominum appropinquari debuissent dealbari, atqui hoc est contra sensum communem hominum. ergo &c. sequelã probat, quia non potest explicari quid inseruiat illa cõtinuatio capillorum, si actio non est vitalis.

Ad hoc respondet Quiedus in fine *n.* 16. noxium illum humoré, qui est in capite potus, producere qualitatẽ noxiam in capillorum radicibus, quæ deindè diffunditur per partes remotiores á radicibus. sed nõ soluit difficultatẽ. quemadmodũ enim qualitas illa noxia in radice producta potuit inficere reliquas partes capillorũ continuas cum ipsa radice; ita potuisset easdem partes inficere eidẽ radici contiguas: non enim videtur necessaria continuitas ad productionẽ qualitatis. melius ergo respondẽdũ videtur mihi ad Arriagã: crines nõ mutari præcisè per meram noxiæ alicuius qualitatis receptionem, sed per humoris valdè noxij ebibitionem. Porro ad hunc humoré ebibẽdũ non sufficere approximationẽ, sed requiri immersionẽ, vt scilicet capillus immergatur in illũ, patet ex infectione lanarũ, quæ non tinguntur, nisi in humorem tinctilẽ demergantur; verum quidẽ est humoré hunc esse adeo validũ, ac tenuem, vt, ad totã capilli longitudinẽ peruadẽdã satis illi sit, si radicẽ permeet; paulatim enim in alias partes remotiores se insinuat, easque inficit, ad cũ plane modum quo aqua, quę est in vase vt totã lini fascriolam madefaciat, satis est si extremã eius partem habeat in se immersam.

At-

Digitized by Google

65 Atque hæc quatenus ad primam præcipuè antecedentis partem; quoad verò secundam, in qua assumebatur hominem decalvatum non esse macilentum, nego assumptum: de facto enim ex pueris illis, qui Calvitium Eliseum exprobrarunt in Behel dicentes: Ascende calve, ascende calve: quadraginta duo laceratis sunt, ab ursis à Deo immissis, vt iniuriam ferarij vlciscerentur: vt habetur *quarto regum* 2. & rectè, nam vere homo calvus non est undequaque completus.

66 Quidam denique ad tertium de maximo eorum incremento, dixerunt eos habere terminos magnitudinis: sed nos autem addimus: capillos, quo magis propè radices secantur, eo velocius crescere; & quo longiores sunt eo tardius, donec penitus crescere desinant. in quo arborum ramos imitantur, qui postquam

67 resecantur statim velocissimè repullulant; ac processu tempore tandem augentur, quousque terminos magnitudinis sibi à natura prescriptos attingant. differt autem arborum incrementum ab incremento capillorum, quod arbores tum versus omnem partem crescant, & quælibet earum pars determinatum quendam situm in illis sibi vendicet, ita vt rami V.G. exigant coniungi immediatè quidem trunco, & eo mediante radicibus &c. inde fit vt non videantur partes inferiores propellere superiores: contrà verò quia capilli non nisi secundum *longitudinem vim suam augmentativam* maximè manifestant, & *aliunde non habent in suis partibus heterogeneitatem: eorum incrementum* fieri cernitur *per hoc*, quod *partes inferiores, superiores propellendo in eorum locum succedant*.

68 Obijcies sextò: capilli, & vngues crescunt etiam in cadaueribus, vt experientia animadversum est: ergo eorum augmentum in viuentibus non est perintùs susceptionem alimenti; sed per iuxtà positionem partis ad partem.

68 Respondeo ad hoc auctores nostri multipliciter: primò enim Alexander Aphrodis. *lib. 2. Problem. qu. 14.* negat capillos, & vngues verè crescere in demortuis, sed solum ita videri, eo quod emacerata, & consumpta carne, partes aliquæ inferiores detegantur: Sed contrà est primò, quia & hoc speciem aliquam probabilitatis habeat in vnguibus: nullam tamen in capillis, eo quod eorum radices, quibus pelli inhærent, sunt valdè breues, vt de se patet; & in cadaueribus adhuc insiti remanent pelli: contra etiam est secundò, quia multi restantur capillos, & vngues adeò creuisse aliquibus defunctis, vt aliquoties in anno, eos illis resecare necesse fuerit; cum enim essent undequaque corpora illa integra, & magnorum virorum, excitabant desiderium in alijs ea videndi: vnde eorum consanguinei non solum illis vestes mutabant, sed etiam capillos, & vngues identidem resecabant, ne alijs apparerent inusti: ergo &c.

69 Respondent alij secundò (inter quos videtur esse Maurus *lib. 4. qu. 28.* & Compronus *disput. 2. sect. 3.*) qui dicunt vngues, & capillos non informari, nisi anima vegetativa, atque adeò egressa rationali à corpore, eam partem in illis remanere, & hinc ortum, quod crescant in defunctis. id autem contingere posset ex eo, quia vngues, & capilli non sentiunt. quamuis enim aliqui dicant dari dolorem, quo capilli cum acerbissimo doloris sensu turgescant, & si resecentur emittant sanguinem, & æger moriatur; alij tamen putant hoc esse fabulosum, præsertim, quod attinet ad sensum doloris, dicentes, dato huiusmodi motu, dolorem non esse in capillis, sed in partibus corporis vicinioribus, ex quibus, sectis capillis, spiritus vitales cum sanguine in magna copia egrediantur, & idcircò hominem mori.

Hanc ego responsionem non probo. puto 70
enim capillos, & vngues in viuente animari eadem anima, quæ totum animal viuit, quia vnicam tantum animam in vno viuente agnosco, vt ex sequenti sectione constabit.

Respondent alij tertiò, quod quamuis augmentum capillorum, & vaginum in corpore 71
viuente sit vitale; in demortuo tamen est non vitale per iuxtà positionem materiæ excrementariæ, & non perintùs susceptionem alimenti.

Sed neque hæc responsio placet. si enim se- 72
mel habemus ea posse in cadaueribus non vitaliter augeri: gratis omnino dicimus in viuentibus augeri modo vitali. non enim potest assignari huius diuersitatis maior ratio; siquidem ex eo, quod sint in viuente, tantum abest, quod difficilius sine vita in se ipsis crescere valeant: vt multò facilius id faciant. nam in viuente habentur quotidie noua excrementa, quæ ad eorum augmentum necessaria sunt, ratione noui pabuli, quod subministrandum est partibus viuentibus. nec non etiam habetur anima, 73
quæ dicta excrementa illis subministrare valet. neutrum autem inuenire est in cadauere, vt patet.

His igitur responsionibus posthabitis. Re- 74
spondeo ego quartò, concesso antecedente, vngues videlicet, & capillos in cadaueribus crescere: negando consequentiam, qua colligebatur ea in viuentibus augeri per iuxtà positionem mortuo modo; & dico in vtrisque crescere perintus susceptionem alimenti modo vitali, non quod in cadauere informentur eadem anima, qua priùs; sed quia omnino diuersa, quæ sit solum vegetativa, & non sensitiva, quæque adhuc tenuissimum sensitiuæ in ipsis de nouo generetur; rationem desumo ex summa naturæ prouidentia, quæ nunquam in necessarijs deest, & facit semper totum id, quod potest, secundùm exigentiam, & capacitatem, quam in rebus naturalibus inuenit: quamuis enim anima in morte hominis ex toto corpore recedat, eo quod desint illi dispositiones ad eius informationem necessariæ: quia tamen in vnguibus, & capillis remanent dispositiones ad vitam vegetativam sufficientes: hinc est vt natura, ne desit in necessarijs, producat in illis animam quandam vegetativam, quæ quandiu habet pabulum, conseruetur, neque hinc sequitur deperditionem ad habitu dari regressum. quia differunt essentialiter capilli, & vngues quando animantur anima rationali viuente homine, à seipsis, dum animantur sola vegetativa in

eius morte, ad eum planè modum quo in morbo pediculari, quando materia corporis humani transit ab anima rationali ad animam pediculi; tunc enim neque fit transitum de privatione ad habitum, ut constat.

SECTIO SEXTA.

An in vna viuente vnica tantum, realiter, loquendo, detur anima.

74 CConclusio est affirmatiua: & omnium ferè Catholicorum contra Manicheos, qui duas animas in homine posuerunt: alteram malam, quam dicebant esse sensitiuam à malo demone productam; alteram bonam, & hanc esse rationalem à Deo creatam: hæc non etiam contra Auerroem, qui duas etiam in eodem homine constituit; vnam sensitiuam, & alteram rationalem, quam asserebat esse assistentem, & non informantem: sed etiam contra Philoponum, & Simplicium inquientes, tres esse duas animæ in homine realiter inter se ex diuinctos, nempè, vegetatiuum, sensitiuum, & rationalem. contra Mirandulanum, qui duas saltem animas admittit in homine sentientem, quæ virtute contineat vegetatiuum, & rationalem; & denique contra Paulum Venetum *in summ. de anim. cap.* 5. qui præter sensitiuam, & rationalem asserit hoc vegetatiuas species differentes in eo dari, quæ sunt partes diuersæ corporis humani vnam in dente, aliam in osse, aliam in carne &c. contra quos omnes.

75 Probatur primò assertio nostra auctoritate *sextæ synodi generalis Act. 10. can. 11.* vbi sic: Apparet quosdam ex temporis inopia rerum imperitos venisse; vt duas in homine animas impudenter dogmatizent, quod omnes & similia sentientes, cum veteris, & noui testamenti, & omnes Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem in homine asseruerint; sancta vniuersalis synodus anathematizat, quod concilium esse œcumenicum, ac vniuersale, & verba hæc fideliter continere rectè probat Quiedus *controu. punct.* 11. *num.* 3. idem sancitur *in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap.* 15. vbi hæc habentur: Nec duas animas dicimus esse in homine, vt Iacobus Syrus & alii Syrorum sentiunt, vnam animalem, qua animetur corpus, & immixtam sit sanguini: & alteram spiritualem quæ rationem ministret: sed dicimus vnam, eandemque esse animam in corpore, quæ & sua societate corpus viuificet, & semetipsam sua ratione disponat. Ex his & similibus auctoritatibus deducunt aliqui oppositam sententiam aut esse contra fidem, aut certè temerariam, & erroneam; inter quos Fonseca dicit non fuisse vllum temeritatis speciem defendi posse; Suarez verò secundum fidem esse parum tutam, alii verò contra non audent eam in vniuersum damnare, tanquam principiis fidei repugnantem, quia generalem synodum Anathematizasse solum errorem Manichæorum, vel etiam Auerroistarum & recte id quidem; indubitatum enim existimo, eos qui sustinent vnguem, & capillos in homine informari anima vegetatiua tantum; non vero rationali nullam censuram nobis incurrere, atque adeo multiplicem animam in vno viuente sic vniuersaliter acceptam, non esse damnatam; cæterum vtrum etiam sit damnata realis distinctio sensitiuæ, & rationalis, quam mordicus defendit Zabarella *lib. 6. de sacrificiis animæ cap.* 3. & Flam. Nob. *de generat. cap.* 4. alijs examinandum relinquo; tactum dicam sententiam negantem vngues & capillos in homine solâ vegetatiua informari, magis recedere ab eorum opinione, quæ inter Catholicos malè audit, atque adeo cum ex vna parte nulla sit ratio quæ oppositam efficaciter suadeat: ex alia verò non sit multiplicanda anima sine necessitate; non esse cur vngues, & capillis, quos viuos probauimus non concedamus animam totam.

76 Probatur secundò ab aliquibus ex *Genesis 2. cap. 7.* vbi. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. vbi non dicitur spiraculo, sed spiraculum, vt indicaretur, Adæ quam tantum animam à Deo productam fuisse, quod confirmat Caietanus ex eo, quod in Hebræo legitur spiraculum vitarum; eo quod illa eadem, quæ fuit spiraculum, res vitæ gradus continebat.

77 Verum hæc auctoritas, quantum est de se, parùm aduersatur explicationi. Deinde non sequitur: potest enim dici, vel quod nomine spiraculi vitæ intelligantur tota anima rationalis, per quam homo distinguitur à cæteris animantibus, quæ fuerunt animatæ absque eo, quod in facie eorum spiraculum vitæ fuerit. Deus atque quidem ea ratione appellat spiraculum vitarum inquiunt, id est viuificare omnibus alijs animantibus ea æqualitate, vel humano sensum libenter textus non admittit, eo quod significet ex dicto spiraculo factum esse hominem in animam viuentem, hoc est habuisse vitam simpliciter, præterquam dicere nomine spiraculi vitæ venire animam totalem hominis, quæ ex duplici, vel triplici partiali componitur, atque adeo ex dicto textu non posse colligi non dari huiusmodi animas partiales.

78 Probatur tertiò ab alijs sic vna tantum anima fuit in Christo, ergo vna etiam in reliquis hominibus; consequentia patet, & antecedens suadetur: si fuerunt plures vna, vel sensitiua, & vegetatiua corruptæ fuerunt in morte Christi, vel non, non primum, quia falsum esset illud axioma Vesbæ, quod semel assumpsit humanum ex primæua inceptione, nunquam dimittat, eam huiusmodi animæ cum pertineant ad primariam constitutionem naturæ humanæ procul dubio ex primæua inceptione assumptæ fuerunt, neque secundum, quia præter quam, quod fuissent miraculosè conseruatæ, & quidem supponuntur esse naturales, nequit assignari vbi huiusmodi animæ in triduo mortis extiterint. non enim in corpore, alioquin non fuisset verè mortuum, neque cum anima rationali, alioquin plures animæ in limbum descendissent, neque alibi, nam Ecclesiæ sensus est, mortuum quod fuit de anima Christi post mortem ad inferos descendisse; ergo &c.

Sed

79 Sed neque hoc argumentum de se est efficax, præscindendo ab intelligentia Ecclesiæ, ad quam pertinet definire, quando decet animam Christi ad inferos descendisse; quid veniat nomine animæ; collectio ne plurium animarum partialium ad vnam totalem animam componendam pertinentiũ, an verò vna simplex anima: nam de cætero si hoc non declarasset Ecclesia posset aduersarius respondere, quod ex suppositione, quod Verbum animam sensitiuam, & vegetatiuam nunquam dimiserit, & posito quod verè Christi Corpus fuerit in triduo mortuum, quodque totum, quod venit non nisi anima Christi descenderit in limbum: ex hac falsa consequentia deducatur, vegetatiuã, & sensitiuam miraculosè fuisse á Deo conseruatas, & cum rationali ad limbum descendisse; vtramque autem consequentiam non tam procedere ex distinctione animarum, quam ex triplici illa doctrina de fide, quam docet Ecclesia.

80 Quarta probatio desumitur ab aliis á posteriori sic: experientia constat animam rationalem ab organi læsione impediri in operationibus suis rationalibus: ergo est eadẽ cum sensitiua. consequentia patet, quia si distingueretur realiter ab illa: non esset cur in operando experiretur incommodum organi materialis, quod ad solas operationes sensitiuas deseruit. Verum neque hæc probatio procedit: posset enim facilè respõdere ab aduersarijs, concesso antecedente, negando consequentiam, & ad eius probationẽ dici, quod quamuis rationalis sit realiter à sensitiua distincta: quia tamen abstrahere debet à phantasmatibus species intelligibiles, quibus ad suas operationes intellectiuas producendas necesse habet: ad circa læso organo materiali phantasiæ, quod est productiuum phantasmatum: ipsa quoque in suis operationibus intellectiuis malè se habet. his ergo rationibus posthabitis.

81 Probatur efficaciter quinto. Ex vna parte potest vna, eademque anima esse principium operationum vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi: ex alia verò nulla est necessitas dicendi, quod de facto sit multiplex. ergo cum non sint multiplicanda entia sine necessitate, concludere debemus, non dari plures animas in vno viuente, atque adeo in homine vnam, & eandẽ animam esse vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. consequentia videtur solida. antecedens duas habet partes, & quidem quoad posteriorem præter quam quod ex solutionibus argumentorum patebit: suadetur, quia nulla est assignabilis, quo ad verò priorẽ probatur sic: quia licet non possit causa principalis materialis esse simul principium plurium operationum, quarum aliquæ materiales sint, aliæ verò spirituales: at, quod possit causa, quæ in sua substantia spiritualis est, non videtur dubitandum, neque ratione multiplicis generis operationum vt sic, quia vnus est sol, & tamen tot diuersorum generum operationes producit, quot quotidie experimur: neque ratione talium operationum, quarum aliquæ, videlicet, sint spirituales, aliæ verò materiales, quæ enim repugnantia in eo est, vt aliquod principium spirituale habeat virtutem in sè producendi vtrumque genus operationum, aut quæ implicantia in hoc est assignabilis?

82 Probatur sextò: si in homine essent tres animæ realiter inter se distinctæ: sequeretur, quod homo non esset vnum ens, per se essentialiter, sed aggregatum per accidens; sed hoc est inconueniens. ergo &c. minor patet. sequela verò probatur: illæ tres animæ iam non essent vniuersales sicuti ponebantur ideæ rerum à Platone, sed individuæ, & singulares, atqui nullum est individuum sub aliquo genere, quod non sit in aliqua determinata specie; ergo quælibet ex illis animabus esset in specie determinata, sed sic homo esset aggregatum ex pluribus speciebus, plantæ, videlicet, bruti, & hominis, cum igitur hæ species non possint facere vnum per se; rectè deducitur, quod homo non esset vnum per se, sed aggregatum per accidens.

83 Ad hoc Argumentum eludendum bifariam respondet Arriaga *sect. 3. num. 4.* primò nobis non constare hominem in eo sensu esse vnum per se, quandoquidem id non experimur. vnde ex eius vnitate per se, non posse nos animæ sum vnitatem rectè concludere, sed potius ex hac alijnde probata, inferre illam. secundò quia posset quis dicere, etiam si essent in homine plures animæ, hominem esse vnum per se, sicut dicunt, qui formas partiales admittunt.

84 Sed neutra responsio probationem factam debilitat. non prior, quia non minus constat hominem esse vnum per se essentialiter, quam esse hoc pacto vnum per se ignem, aurum, lapidem, &c. quemadmodum enim, licet horum vnitatem minime simus experti, tamen ratione naturali eam euidenter probamus; ita de vnitate per se hominis, paritate rationis, sentiendum est: dicere enim, quod homo sit minus ens per se, quam lapis, videtur naturæ lumini valde repugnans; adeo vt aliqui ex antiquis, ne id concederent, dixerint animam rationalem non exercere in eo munus formæ informantis, sed assistentis motum, quemadmodum in cælestibus orbibus mouendis, intelligentiæ; quod patet quam sit absurdum. Neque posterior responsio procedit, paritas enim ex formis partialibus desumpta nulla est; si quidem, qui eas admittunt mordicus negant illas in esse essentiali viuentis constitutionẽ ingredi, sed se habere vt meras dispositiones materiæ ita vt prædicata quidditatiua hominis V. G. ex anima rationali, & materia prima vnitis tantùmodo accipiantur; atqui in nostro casu tres dictæ animæ deberent esse partes essentiales ciusdã hominis, & vegetatiua subministrare illi prædicatum viuentis, sensitiua verò prædicatum animalis, quæ prædicata sunt de primario, & essentiali cõceptu ipsius hominis. quamuis igitur qui formas partiales admittunt saluare aliqualiter possint, saltem apparenter, hominem esse vnum per se: nos verò illi, qui pluralitatem animarum in vno viuente concedunt.

85 Aliter respondet ad idem argumentũ Oviedus *punct. 9. num. 5.* negando sequelam, quod scilicet homo esset ens per accidens, ad eius

verò

verò probationem ait brutum dicere formam sentitiuam, quæ cum rationali coniúgi non possit; quam non haberet homo, etiam si duas haberet animas, sed aliam sensitiuam necessario cum rationali coniunctam, idemque dici posse de anima vegetatiua.

86 Verùm ego hoc elucubrum non minus insufficiens putarem, quam præcedentia; nam absurdum, quod abhorret non euitat; siquidem licèt nos nomine arboris intelligamus viuens vegetatiuum, quod excludat à se sensitiuum; & nomine bruti sensitiuum, quod excludat à se rationale: si tamen in homine daretur duplex, vel triplex anima: negari non posset, quin in rei veritate anima sensitiua non solum illi afferret rationem generícam, per quam homo constitueretur in esse animalis, sed etiam specificam; nam quemadmodum nulla est forma individua, quæ non sit sub aliquo genere incompleto: ita neque, quæ non sit in aliqua determinata specie incompleta. atqui hæc ratio specifica huius animæ sensitiuæ deberet contineri intra gradū sensitiui, alioquin si importaret rationalem, eadem numero anima esset simul sensitiua, & rationalis, atque adeo frustra poneretur alia, quæ gradum rationalitatis afferret. ergo negari non posset, quin homo beneficio animæ sensitiuæ esset in specie infima intra gradum sensitiui, sed beneficio animæ rationalis deberet esse in specie infima gradus multo nobilioris nempe rationalis. iam igitur esset in duplici specie, quarum vna non abstraheret à perfectione animæ sensitiuæ, altera vero abstraheret. siuè demum ratione illius dicatur esse in specie bruti, siuè non, quæstio est de solo modo loquendi. Neque dicas duplicem illam differentiam animæ sensitiuæ, & rationalis esse partialem, atque adeò vtramque partialiter eò currere ad constituendam adæquatam differentiam vltimam hominis. Contra enim est primò, quia sicuti anima vegetatiua, & sensitiua ex eo, quod tribuerint homini suas rationes generícas constituerent illum adæquatè vegetatiuum, & sensibile, iuxta hanc sententiam, quam impugnamus: ita ex eo quod communicarent eidē suas rationes specificas deberet illam adæquate constituere in specie vegetantis, & in specie sentientis per differentias, quarum nec vna assurgeret ad gradum sensitiui, nec altera ad gradum rationalis. non enim posset assignari disparitas, cur gradus generici adæquati darentur ab illis distributiuè acceptis: non verò gradus specifici; ergo redit iterum difficultas. Contra etiam est secundò quia sic anima rationalis esset inferioris conditionis, quam sensitiua, nam sensitiua respectu hominis sumpti in ratione animalis se haberet, vt forma adæquata, & respectu eiusdē vt rationalis, vt inadæquata; at verò anima rationalis non nisi vt inadequata in ordine ad tribuendum illi gradum rationalitatis, sed hoc videtur absurdum, & gratis dictum. ergo &c. Contra denique tertiò, quia sic vltima differentia hominis importaret triplicem rationē differentialem inadæquatam, quarum prima esset in specie vegetatiui, secunda in specie sensitiui, & tertia in specie rationalis. sed ex hoc iam sequeretur huiusmodi differentiam adæquatam esse vnam per accidens, quia non posset explicari, quo modo haberet vnitatem per se. ergo absurdum; quod abhorret hæc responsio, iam non euitat, quod scilicet, homo non sit vnum ens per sè, sed conflatum per accidens.

Probatur denique septimò: quia experimur 87
hominem, ob applicationem ad operationes vnius gradus animæ, impediri ad eliciendum operationes alterius gradus. si enim ad litterarum studia incumbit, & profundis speculationibus mentem occupat; male concoquit cibum; & interdum, quamuis obiecta sensibus externis se offerant, illa minimè sentit, nec aduertit. è contra verò si nimirum, sensibilibus applicetur, non potest intellectualibus operationibus operam dare. Hoc autem impedimentum non contingeret, si plures animæ reperirentur in homine. siquidem vna quæque propias operationes sine impedimento elicere posset. ergo signum est vnum esse principium illarum. quod cum finitum sit, si pluribus intendat, minus sit ad singula.

Hoc etiam argumentum dupliciter conatur 88
Arriaga deprimere. primò quia non est maior difficultas hæc in animabus distinctis, quam in distinctis potentijs, sed distinctio potentiarum non bene impugnatur ex dicta experientia, qua homo in exercendis operationibus vnius facultatis impeditur ab exercitio operationum alterius. ergo neque distinctio animarum. secundò quia pars formæ equi, quæ videt in capite est diuersa, ab ea, quæ sentit in pede. sed nimia applicatio ad videndum impedit equum, ne tam perfectè sentiat in pede. ergo eadem si animæ essent distinctæ possent operationes vnius, operationes alterius impedire.

Sed neutra solutio solida est. Ad primam 89
enim facile negatur maior, nam si potentiæ sine distinctę hoc ipso, quod debeantur eidem animæ, habemus in quod refundamus, cur applicatio ad operationes vnius potentię impediat homihem ab exercitio operationum alterius; quia nimirum ipsa anima habet rationem causę principalis, quę per suas potentias operatur, ergo tam saluatur vnitas principij finiti, quod minus possit ad plura, quam ad pauciora, quamuis enim anima minimè immediate concurreret; semper tamen minus intensè exigeret per duas potentias operari, quam per vnam.

Neque est solidior secunda solutio. licet 90
enim pars animę quę est in pede sit alia à parte animæ, quę existit in capite. quando tamen anima exercet aliquam operationem in capite non per solam illam partem, quę ibi existit efficienter influit in illam, sed, per totā se ipsam. Ad eum plane modum, quo ignis decem palmorum ex eo, quod nix sit primo tantum palmo vicina, non inde sequitur, quod solum per dictum palmum agat in illam, & non per reliquos nouem consequentes, vt supponimus. vnde non est mirum si nimia applicatio equi ad exercendam aliquam operationem in capite impediat exercitium operationis in pede etiam enim saluatur vnitas principij. ac data anima-

rum

rum pluralitate non saluaretur.

91 Aliter soluunt alij tertiò hoc principale argumentum, dicentes: impedimentum illud stante animarum distinctione refundi posse in defectum spirituum, qui ad vitales operationes necessarij sunt: cum enim homo, quando applicatur vni operationi vitali, illos exhauriat, & consumat, non est mirum, si ab aliarum exercitio impediatur. Hãc solutionẽ impugnat Quiedus negando assumptum, eo quod pro diuersis animis diuersos spiritus assignandos esse supponendum est. verum hoc facilè negari ab aduersarijs potest, præsertim loquendo de anima sensitiua, & rationali. & rectè id quidem, non enim videntur alij spiritus ad operationes intellectiuas necessarij esse: nisi illi, quos anima sensitiua insumit in exercendis suis operationibus internis imaginationis, phantasię, & similiũ, nam animus rationalis non nisi remotè in operando pendet ab organo, ratione, scilicet, operationum animę sensitiuę.

92 Melius ergo videtur dicta solutio impugnanda ex eo, quia experientia constat, quod in ijs operationibus, quæ sunt cæterarũ impeditiuæ, potest homo sè diutius exercere absque eo, quod spirituum penuriam sentiat. ergo quod nunc ab aliarum exercitio impediatur, non potest prouenire ex penuria spirituum, sed ex finitate principij operatiui, quod, cum vnum sit, est minus aptum ad plura. antecedens est certum, consequentia suadetur, quia non est credendum, quod animus pro eo solo tempore spiritus necessarios elaboret, pro quo debet actu vitaliter operari, alioquin eodẽ modo ab operando impediretur, sed potius putandũ, quod regularitèr antecedenter dictos spiritus fabricetur, & postea illos paulatim insumat, donec ad eos reparandos refectionis necessitatẽ sentiat. ergo posito, quod habet V. G. spiritus ad profundè speculandum per tres horas V. G. si tres haberet animas, deberet posse per unam horam operationes illarum simul exercere, absque eo quod vna aliam impediret, atque adeo contentiosè speculari, & in sensibilibus delectari, ac denique cibum concoquere. sed nos experimur oppositum. ergo ratio ex spirituum consumptione deducta non habet soliditatem.

SECTIO SEPTIMA

Soluuntur obiecta contra præcedentis sectionis Conclusionem.

93 OBijcies primò illud Pauli *prima ad Corinth.* 5. (vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruentur). sed hic nomine spiritus non venit nisi anima rationalis, nomine vero animę non nisi sensitiua. ergo ex scriptura habemus pluralitatem animarum in vno homine.

94 Respondeo D. Hieronymum aduersus Heluidium narrare, sic hunc Pauli textum à nonnullis explicatum esse, sed non benè. nam vtroque vocabulo eandem animam rationalem significare voluisse Apostolum in ordine ad diuersa munia affirmat; & appellasse eam spiritum quatenus intelligit, animam verò quatenus viuificat corpus. quare nego minorem.

Obijcies secundò Aristoteles *secundo de gener. anim. cap. 3.* aut fœtum prius viuere vita plantę, deinde animalis, denique hominis. ergo in homine plures sunt animę in eius sententia. 95

Respondeo: duplicem afferri à doctoribus huius dicti Aristotelici explicationem. Vna est *D. T. in quæst. de anima art. 11. quæst. 3 de Potent. art. 9. & alibi*, quem sequuntur Bagnes, Valentia, Fonseca, Conimbricenses, & alij. qui omnes aiunt verè dari *in* embrione tres animas, sed successiuè; ita vt primò producatur in eo anima vegetatiua tantum, quando nimirum sunt dispositiones sufficientes ad illam; deinde introductis dispositionibus necessarijs pro sensitiua corrumpi vegetatiuam tantum, & produci sensitiuam, quę simul sit vegetatiua, & durare donec introducantur dispositiones perfectiores; tunc enim docent creari à Deo animam rationalem in embrione, ad cuius aduentum sensitiua antea producta corrumpatur. nec mirum, siquidem rationalis, quę aduenit habet rationem principij tum vegetantis, tum sentientis. Quod si obijcias his doctoribus non posse assignari à quo agente anima imperfectior, aduenientę perfectiore: corrumpatur. 96

Respondent corrumpi à generante, cum per virtutem formatiuam seminis disponat materiam ad subsequentem formam; hanc tamen corruptionem non fieri per se, sed per accidens, quatenus forma perfectior aduenies affert materię totam perfectionem, quam ab imperfectiore obtinebat. quod si addas inde sequi in morte hominis destructis dispositionibus ad animam rationalem necessarijs, debere posse remanere illas, quę sunt necessariæ ad animam sensitiuam; & his destructis, illas, quas exigit vegetatiua, quod est contra omnem experientiam; negant sequelam, & disparitatem assignant: quia natura (inquiunt), via generationis vsitus illis formis imperfectioribus, vt ab eis ad perfectissimam valeat peruenire. at nõ via corruptionis. de facto enim ex alimento facit chylum, ex chylo sanguinem, & ex sanguine carnem, nunquam tamen præposterè procedit: ita vt ex carne generet immediatè sanguinem, ex sanguine chylum, & ex chylo cibũ. & ideo ad abscessum animę rationalis non succedit anima sensitiua in materia, sed forma cadaueris. Quod si denique instes, ergo saltem embrio prius est planta, deinde brutum, & tandem fit homo: negant consequentiam. quia, (inquiunt) nomine plantę venit illa substantia vegetans, cuius materia non ordinatur à natura ad vlteriorem gradum, nempe sensitiuum recipiendum; & nomine bruti illa substantia sensitiua, cuius materia non ordinatur á natura ad recipiendum gradum rationalem. atqui in nostro casu haberi hunc ordinem in materia embrionis euidens est. 97

Altera explicatio dicti Aristotelici est Zimarę *in 2. de anim. tex. 43.* Maioris *primo de Ge-* 98

aur. quæst. 6. Philoponi, Alberti, & aliorum, qui dicunt Philosophum non agere de multiplici vita substantiali, sed de multiplici accidentali, & velle solum, quod eadem hominis anima prius incipiat exercere operationes vegetatiuæ, deinde sensitiuæ, ac demum intellectiuæ, & hoc ideo, quia operationes, quo imperfectiores sunt; eo dispositiones imperfectiores exigunt adhoc vt fiant. quoniam verò operationes vegetatiuæ sunt imperfectissimæ omnium vitalium: rationales verò perfectissimæ, sensitiuæ autem mediæ; hinc fieri vt prius dicatur infans viuere in actu secundo vita plantæ, deinde vita animalis, ac demum vita hominis; quamuis solam animam rationalem ab initio fuerit consequutus. acquiesco huic posteriori explicationi, quia facit per pauciora id, quod per plura facit prior: & quidem sine necessitate. nam hoc ipso quod habentur in embrione dispositiones sufficientes ad hoc vt anima detur, infunditur à Deo anima rationalis: quia non alias dispositiones intendit agens per semen producere in materia, quam illas, quæ ad sibi simile generandum necessariæ sunt, & quia vis ab imperfectioribus ad perfectiora procedat: hic processus non consistit in eo, quod prius disponat ad animam merè vegetatiuam, deinde ad sensitiuam, & demùm ad rationalem, sed in eo vt paulatim procedat in dispositionibus ad rationalem necessarijs introducendis, & vt interim materia illa sub forma embrionis contineatur.

Obijcies tertiò, si vna tantum anima esset in homine, sequeretur, quod homo non esset formaliter animal, non viuens, consequens est absurdum ergo &c. minor patet, quia homo definitur per animal tanquam per suum genus proximum, animal verò per viuens, genus autem formaliter de specie prædicatur: sequela verò suadetur; quia homo non haberet formaliter animam sensitiuam, nec vegetatiuam. hæ enim animæ formaliter acceptæ corruptibiles sunt, & materiales rationalis verò est immaterialis, & incorruptibilis. ergo sicuti virtualiter tantum haberet dictas animas: ita non esset formaliter animal, neque viuens.

Respondeo, negando absolutè sequelam, cuius probationem suppono ex dictis, animam sensitiuam, & vegetatiuam formaliter sumptas dupliciter accipi posse. primò præcisiuè, pro vt important principium vegetandi, & sentiendi ut sic. secundò exclusiuè prout dicunt principium vegetandi, & sentiendi non præcisè, sed cum negatione vlterioris gradus animæ. ita vt vegetatiua dicat negationem gradus sensitiui, sensitiua verò rationalis. quo posito, distinguo sequelam probationis: homo non haberet formaliter animam vegetatiuam, & sensitiuam: primo modo acceptas, nego. secundo modo, concedo. verè enim non est formaliter planta, neque brutum. porrò rationes generice conuenientis, & animalis, quæ de homine formaliter prædicantur, sumuntur ab anima vegetatiua, & sensitiua priori modo acceptis. quare parum refert si eas posteriori modo consideratas, homo formaliter non contineat. Ad vltimam probationem in contrarium dico, animam vegetatiuam, & sensitiuam præcisè acceptas, sicuti præscindunt ab eo, quod cum negatione vlterioris gradus coniunctæ sint, nec nè à vita præscindere ab eo quod sint corruptibiles, ac materiales: vel incorruptibiles, & immateriales. si enim habent negationem gradus rationalis sunt tales, contra verò si identificantur cum illo. vtrum autem homo possit saltem dici virtualiter continere animam vegetatiuam, & sensitiuam posteriori modo sumptas? dubium est. Oüedus negatiuè respondet. ratio illius est, quia homo non potest producere plantam, & brutum. contra verò alij respondent affirmatiuè, & rationem assignant eo, quod homo constituatur per animam rationalem, quæ perfectiori modo præstat illi id, quod præstat planta vegetatiua, & sensitiua bruti.

Quæstio est de nomine ortæ ex virtualis continentiæ acceptione. nam Oüedus eam putat virtutem causatiuam essentialiter importare, contrarij verò solum excessum in perfectione essentiali. melius quam loquitur Oüedus, quia excessus in perfectione essentiali sine virtute causatiua explicari potest si dicatur, quòd homo veram quæque animam posteriori modo considerata, licèt neque formaliter, neque virtualiter contineat: continet tamen illas eminenter.

SECTIO SEPTIMA

DISPVTATIO TERTIA

DE RATIONE CORPORIS, ET SPIRITVS.

AD VLTIMAM de diuisibilitate, & indiuisibilitate animarum hanc disputationem præmittimus, quæ nobis facem præferat; si enim semel habemus rationem spiritus in indiuisibilitate consistere, cum aliunde sciamus, quænam animæ spirituales sint, quæ verò corporeæ, facilè erit decernere eas, quæ diuisibiles, & eas, quæ indiuisibiles iudicandæ sint.

SECTIO PRIMA,

Expenduntur nonnullorum sententiæ de ratione Corporis, & Spiritus.

QVam plures super hac re opiniones circumferuntur, quas prius libet expendere, vt tandem nostram sententiam statuamus.

1 Prima est Ren. Descartes *part. 2. Phi. num. 4.* qui rationem corporis in actuali extensione constituit, in eo videlicet, quod longitudine, latitudine, & profunditate prædicum sit.

2 Hanc opinionem dicit Comptonus *disp. 7 de anim. num. 2.* à nullo Orthodoxo sustineri posse, & à Theologis reijci vt erroneam, eo quod in Eucharistia est Corpus Christi Domini nullam retinens extensionem. Oprima impugnatio ex hypothesi, quod Descartes loquatur de actuali extensione in ordine ad locum, quoniam verò datur etiam actualis rei in ordine ad se, de qua egimus in physicis, cum de quantitate: videndum, num de hac alia verba faciat; quod si ita est, existimarem eius sententiam nulla notari posse censura, cum certum sit Corpus Christi in Sacrosancta Eucharistia habere suam longitudinem septem *palmorum*, suamque latitudinem, & profunditatem *in ordine ad se*. licet careat illa, quæ est *in ordine ad locum*: quin imo censeo eam, si benè explicetur, esse reliquis præferendam, vt ex dicendis constabit.

3 Secunda opinio est dicentium: conceptum rei corporeæ consistere in dependentia intrinseca à materia prima tanquam à subiecto; siue proximè, sicuti pendet quantitas, & forma omnis substantialis excepta anima rationali: siue remotè sicuti primæ qualitates, quæ per nos sustentantur immediate à quantitate, atque adeo ea mediante ab ipsa materia. conceptum verò rei spiritualis positum esse in independentia tum proxima, tum remota ab eadem materia tanquam à subiecto.

4 Ouiedus *contr. 1. de anima punct. 3. num. 7.* hanc sententiam impugnat eo, quia species intelligibiles sunt spirituales; sed hæ producuntur in nostro intellectu dependenter à phantasmatibus, quæ sunt materialia; ergo non est de ratione rei spiritualis independentia à materia; quod si huius sententiæ patroni respondeant rationem spiritualitatis excludere dependentiam à materia in genere causæ materialis, non verò in alio genere: species verò intelligibiles licet in genere efficientis pendeant à phantasmatibus, inhærere tamen intellectui, qui in suo esse, neque proximè, neque remotè pendet à materia prima tanquam à subiecto. Contra Ouiedus impugnatur primò, quia nulla definitio huius differentiæ meminit; sed omnes rationem corporis explicant per dependentiam à materia, seu quantitate: secundò, quia actio, eo quod terminatur ad rem quantam V. G. ad calorem dicitur corporea. ergo etiam erit corporea si procedat à re pendente à materia. veraque impugnatio, patitur difficultatem ad primum enim possunt aduersarij respondere tripliciter, primò quidem, falsum esse phantasma materiale posse eleuari ab intellecto ad species intelligibiles spirituales efficiendas. secundò hoc admisso tranfeat alios huius differentiæ non meminisse: quid tum? laudabiliores fore, qui eam nouissimè inuenerunt. tertiò denique subiungere possunt: omnes quotquot per dependentiam à materia rem corpoream definiunt, intelligendos esse formaliter, quod nimirum loquuti sint de dependentia à materia tamquam à subiecto, eo quod materia essentialiter est primum subiectum vniuscuiusque.

Ad secundam verò sic. vel in ea agitur de actione productiua caloris dependenter à subiecto, vel de productiua independenter; cuiusmodi esset actio miraculosa, perquam Deus caloré crearet sine dependentia, tum proxima, tum remota à materia prima tanquam à subiecto. si de priori falsum esse eam non pendere à materia. si verò de posteriori, iam igitur hæc probatio

Digitized by Google

fundatur ab Ouiedo in actione creatiua caloris, atqui hanc rationem ipse, postquam recuit initio n. 7. subdidit eam passim apud recentiores reperiri, seque velle aliter sententiam impugnare: malè igitur nunc recurrit ad illam, & ex ea sibi ad suam rationem stabiliendam mutuatur.

7 His igitur Ouiedi impugnationibus post habitis; impugnatur primò hæc sententia argumento vulgato de actione creatiua caloris indipendenter à materia, & quantitate sic: hæc actio esset corporea, sed esset independens, tum proximè, tum remotè à materia, ergo falsum est rationem corporei in independentia à materia positam esse. impugnatur secundò quia improbabiliori sententia non implicat corpus essentialiter simplex, quod videlicet non admitteret in se compositionem materiæ, & formæ. tum sic huiusmodi corpus non penderet à matera prima ergo neque ratio corporis in dependenta à materia prima consistit; neque ratio spiritus in essentia huius dependentiæ.

8 Tertiò denique impugnatur dicta sententia, quia in materia prima maximè habetur ratio corporis, sed materia non pendet, neque proximè, neque remotè à se ipsa tanquam à subiecto ergo falsum est rationem corporis in dependentia à materia tanquam à subiecto positam esse.

9 Ad hoc respondent nonnulli concessa maiore, negando minorem; dicunt enim materiam primã in ratione corporei pendere à posteriori à quantitate, & hoc sufficere ad suam sententiam verificandam. Sed contra hanc responsionem est; quia dependentia à posteriori supponit rem iam in aliquo priori constitutam ergo non est sufficiens ad tribuendam materiæ primæ rationem corporei, quam antecedenter ad huiusmodi dependentiam habere supponitur. Quod si dicas verum quidem esse, quod dependentia ipsa à posteriori supponat rem in priori constitutam; at falsum loquendo de ordine ad dictam dependentiam. cum enim huiusmodi ordo sit transcendentalis, atque adeò de essentia rei, cuius est ordo; implicat, quod illam constituram supponat. contra hoc facit, quia sic materia prima nõ esset secundum se prima ratio corporis, sed cõstitueretur corporea per ordinem ad quantitatẽ; atqui hæc sententia docet oppositum, vti vidimus supra, nimirum ipsam quãtitatem, reliquasq; formas materiales constitui corporeas per ordinem ad materiam; atque adeo in materia prima rationem corporis reperiri. ergo hoc effugium se ipsum implicat; quin imo committit circulum vitiosum, siquidem probat à priori quantitatem esse corpoream per ordinem ad materiã, & item à priori materiam esse corpoream per ordinem ad quantitatem!

10 Tertia opinio constituit rationem corporei in sensibilitate, rationem verò spiritus in insensibilitate. dicendo rem corpoream illam esse, quæ potest aliquo sensu percipi, spiritualem verò, quæ nullo sensu perceptibilis est.

11 Comptonus *Disput. circa sect. prima* hanc sententiam impugnat, eo quod substantiæ omnes corporeæ, & multa eorum accidentia nullo sensu perceptibilia sunt. quod si dicant aduersarij defacto id ita sè habere: ad verificandam tamen suam sententiam satis esse, si de possibili non repugnet dari sensus dictarum substantiarum, atque accidentium perceptibiles: contra insurgit, quia idem dicunt aliqui de spiritibus, nimirum possibilem esse sensum, qui illos percipiat, iuxta quorum sententiam neutra definitio procederet.

12 Verum hæc impugnatio facilè à contrarijs solui potest dicendo: quod qui notionem alicuius rei assignat, non habet obligationem omnibus prorsus aliorum sententijs se conformandi. satis enim est si iuxta probabiliores, & magis vniuersaliores philosophetur. quoniam verò omnes communiter, paucissimis exceptis, docent implicare contradictionem posse rem spiritualem potentia aliqua sensitiua sentiri: hinc fiat; vt opinio hinc contraria nequeat rationibus corporis, & spiritus à sè assignatis derogare. Hac igitur impugnatione prætermissa.

13 Sic ego huiusmodi sententiam reijcerem: repugnat dari sensum, qui corporeas substantias, quæ defacto dantur in se ipsis percipere valeat; ergo falsa definitio, qua res corporea dicitur illa, quæ aliquo sensu perceptibilis est. consequentia patet. nam in definitione tradita non potest esse sermo nisi de rerum corporearũ sensibilitate in sè ipsis, alioqui si in alio, cum huiusmodi sensibilitas competat animo rationali, dum est in corpore, rectè deduceretur falsitas vtriusque notionis corporis, & spiritus. Antecedẽs ergo suadetur, quia si esset possibilis huiusmodi sensus: sequeretur quod alicui animali esset debitus. cum enim sensus omnis sit proprietas substantiæ sensitiuæ, vt inductione constat; quemadmodum repugnat dari proprietatem, quæ nulli rei connaturaliter competat; ita esse possibilem sensum nulli debitum animali. ponamus ergo, quod detur hoc animal: quæro a substantiæ, quæ sunt defacto emitterent ne species intentionales in eius sensum, per quem sentiri possent. an non? neutrum dici potest. ergo hoc animal est implicatorium. maior patet. minor probatur. non potest sustineri, quod immitterẽt, inde enim sequeretur dictas substantias defacto debere in aere huiusmodi species producere, alioquin essent in statu violento, dum contra suam exigentiam negaretur illis earum productio, quemadmodum enim etiam si nullum animal in mundo esset, violenter negaretur corporibus visibilibus influxus producendi suas species intentionales in aere: ita & substantijs materialibus, defacto producendi suas. eadem enim prorsus militat ratio in vtroque casu.

14 Iam verò quis prudenter discurrens persuadere sibi potest dari defacto in mundo productiones tot specierum intentionalium materialium, quæ ad nihil penitus defacto inseruiant: neque vnquam ab initio mundi vsque ad finem inseruire valeant. profectò nemo esset, qui artificem non reprehenderet, si videret in re ab eo arte facta multa haberi, quæ nullius vsui esse possent. Neque potest dici, quod non immitterent; nam vel hoc esset, quia huiusmodi substantiæ sine vlla specie immediatè sentiri debent ab hoc animali, sicuti dicũt aliqui de qualitatibus

entibus tangibilibus à nobis; vel quia licet indigerent specie, non possent illas per se producere, sed exigerent eas produci à Deo, casu quo animal illud possibile existeret. prioris dictæ falsitas patetum, ex Cæro, quod non potest naturaliter ab aliquo animali contingi; & tamen est corpus, & etiam quia nobilissimus omnium sensuum, qui substantias materiales in seipsis attingere posset, sua obiecta parum à se distantia percipere nequiret; quod omnibus ferè sensibus qui sunt de facto concessum est. falsitas verò posterioris suaderi potest ex eo, quia in tantum Angeli habuerunt rerum corporearum species initio infusas à Deo: in quantum res corporeæ non erant proportionatæ causæ in ordine ad producendas dictas species in eorum intellectu, ut infra loco videbimus. atqui hoc dici nequit de substantijs corporeis in casu nostro, si quidem species producendæ essent materiales, sicuti etiam subiectum, quod eas deberet recipere. ergo &c. Ex quibus colligo implicare potentiam sensitivam, quæ immediatè cognoscere valeat substantias rerum corporearum & rectè, est enim hoc proprium solius intellectus, qui rerum essentias penetrare potest.

SECTIO SECUNDA.

Expenditur eorum sententia, qui ponit Conceptum corporis impenetrabilitate, spiritus vero in penetrabilitate,

15 QUarto sunt, qui existimant rationem corporeitatis consistere in eo, quod excludat ab eodem spatio à se occupato id, quod sibi similem rationem participat. contra verò rationem spiritus admittere quantum est de se aliud, similem rationem participans: utrumque experientia probatur. videmus enim nunquam in eodem spatio posse duo corpora existere, sed unum excludere aliud; contra verò duos spiritus: quamvis enim in spatio in quo existit corpus humanum, existat eius anima; tamen in eodem spatio sæpe multa malorum spirituum millia repesimuntur, qui hominem vexant, vexatur in energumenis.

16 Verum hæc sententia sib vario sua accepta non habet probabilitatem. quia multa res corporeæ in eadem penetrantur: primum ipsa, & secundas quilibet, nec non etiam quælibet sua corporeæ: tamen non solum vasa sed etiam cum substantia corporea, cuius sunt accidentia, ab in eodem spatio commorantur fideles etiam materia, & forma substantialis materialis: immo etiam partes eiusdem materiæ vnidere est in venerabili Eucharistia, in qua totum corpus Christi Domini existit compenetratum in eodem loco.

17 Propterea Arriaga dicta sententia in 1. de anima sect. 4. subsect. 6. dicit, quod non corporeitatem recte definiat ens quantitatum: rem vero spiritualem ens non quantitatum. quod si vlterius quæras, quidnam ens quantitatum? disiunctivè respondet, nec esse, quod per se est impenetrabile cum altero eiusdem speciei; vel quod commensuratum cum ente hoc modo impenetrabili: si denique inquiras, quid huiusmodi commensuratio importet, ait importare dependentiam à re illa impenetrabili.

Cum enim rationem corporeitatis duo entiū genera participare possint, videlicet substantiæ corporeæ, quæ absolutè corpora apellantur: & formæ omnes materiales, sive substantiales sint, sive accidentales, quæ non possunt dici corpus, sed solum à corpore denominari corporeæ: licet verumque genus rationem entis quantitativi habeat: prius tamen rectè definitur per impenetrabilitatem. posterius verò per dependentiam à primo. 18

Hanc tamen sententiæ tradita limitationem probare non possum. contra primam definitionem arguo dupliciter. primò, quia æque obscurum est ens corporeum, ac ens quantitativum. ergo non benè ratio corporei per rationem quantitativi definitur. consequentia constat; quia definitio debet esse clarior definito; antecedens verò suadetur, quia vel agimus de cognitione confusa, vel de distincta: si primum tanta confusione cognoscunt homines rem corpoream, & quanta rem quantitativam, neque etiam habent clariorem notitiam vnius, quam alterius; vt cernere est in rudibus, & indoctis. si autem secundum. videmus non minorem esse controversiam inter philosophos in statuenda essentia vnius, quam alterius rei. nec paucriores opiniones circumferri in assignanda ratione quantitatis, quam corporis. ergo sive agamus de cognitione confusa, sive de distincta, non obscurum est ens quantitativum, quam corporeum. 19

Secundò quia dato, quod quantitativum sit notius, est tamen, quòd posterius corporeo. cum igitur nos quæramus primariam rationem corporei, malè illam definimus per rationem quantitativi. consequentia patet, quia tunc possemus excusari eam sic definiendo, quando non innotesceret aliqua alia prior, & anterior; sed innotescit, vt ex dicendis constabit. ergo &c. antecedens verò suadetur, & quidem si quantitas à substantia distinguatur (vt nos in physica sustinuimus) est evidens. si autem non distinguatur, non potest negari, quin sit quædam formalitas consequens essentiam rei corporeæ, ad eum planè modum, quo potentiæ animæ in sententia eorum, qui eas cum anima identificant, defenduntur. 20

Deinde definitiones membrorum dividentes 21
duplicitèr etiam impugnatur, & primo quidem primam, in qua dicitur corpus illud ens, hæc substantia per se impenetrabilis cum alia eiusdem speciei, sic: corpus æquale impenetrabile cum alio sive eiusdem speciei, sive diuersæ, vt puta ligno, lapide, & metallis omnibus, æqualem minimè repugnantiam habet vnum durum palmarium, & Gallicum in spatio palmari cum altero aureo, aut ferreo, argenteo, vel æneo, & quidlibet tale: igitur hæc impenetrabilitas explicatur, parium in ordine ad aliud eiusdem speciei, quam diuersis. 22

Ad hoc argumentum respondebit fortasse aliquis maiorem rationem esse, quia prima ratio

Digitized by Google

corporis est in materia prima. quoniam verò omnia corpora naturalia conueniunt in materia: hinc fieri vt quantumuis inter sè specie differant, semper verificetur, quod vna substantia impenetrabilis cum alia sit eiusdem speciei cum illa; nam omnes materiæ corporum naturalium sunt eiusdem speciei, vt de se patet.

23 Sed contra est primò, quia per hoc, quod aurum, & argentum conueniant in materia prima, non possunt verè dici, absolutè loquendo, esse eiusdem speciei, sed solum cum additione nimirum addatur (ratione materiæ), sed definitio corporis traditur ab auctore sine vllo addito, cum dicitur, quod sit substantia per se impenetrabilis cum alia eiusdem speciei, ergo absolutè loquendo falsa est, maior patet; minor probatur, quia si quod esset additum: maximè, particula illa, per se, quia denotaret primam originem corporis, quæ est sola materia, sed hoc dici nequit, nam quid quid competit per sè parti essentiali, nisi adsit peculiaris ratio, verificatur per sè de toto, vt patet ex risibilitate, quæ licet competat homini ratione animæ cum omni veritate dicitur homo per se risibilis, ergo &c.

24 Contra etiam est secundò, quia vna numerò materia prima non solum est impenetrabilis cum alia eiusdem speciei, sed etiam cum seipsa ratione diuersarum partium; si enim supponamus, eam esse bipalmarem, vnus palmus est impenetrabilis cum altero, atqui dicti palmi cum supponantur componere vnam numerò materiam, habent rationem vnius tantum substantiæ, ergo, quamuis species sumatur pro materia, male definitur corpus per substantiam impenetrabilem cum alia substantia.

25 Contra denique tertiò, quia non repugnat corpus simplex non constans materia, & forma; sed huiusmodi corpus nullo modo esset eiusdem speciei cum cæteris corporibus naturalibus quæ de facto dantur, neque ratione entis, neque ratione materiæ; ergo non rectè corpus definitur per substantiam per sè impenetrabilem cum alia eiusdem speciei. Per quæ patet, quod si quis secundò responderet, nomine corporis definitionis venire solam materiam primam, non effugeret difficultatem, nam corpus simplex verè esset compositum, & tamen non esset materia prima, neque illa constaret.

26 Respondet denique tertiò in dicta definitione esse sermonem de specie subalterna corporis, quæ in prædicamento substantiæ generi generalissimo substantiæ subalternatur; sub qua specie continentur omnia prorsus corpora tum composita, tum simplicia.

27 Sed contra hanc etiam responsionem facit, quia si in rei veritate idem esset dicere corpus esse substantiam per se impenetrabilem cum alia eiusdem speciei, ac esse substantiam impenetrabilem cum alia, quæ esset corpus, quia dicta species pro corpore sumeretur, eoque ad eo esset sermo, sed sic nihil profecisset Arriaga definitione, & tam obscuram reliquerat notionem corporis, quam antea; eo quod ipsum definitum contineret in se idem. Arriaga fatetur non ergo &c.

28 Secundò verò definitionem alterius membri, qua definitur res corporea, quæ commensuretur cum ente per se impenetrabili impugnarem ex eo, quia abutitur vocabulis, dum commensuratio substantiæ impenetrabilis explicata importare dependentiam à dicta substantia vtà subiecto, aliàs vt à forma, commensurari etiam aliud nihil esset, quam correspondere alteri tanquam mensuræ, atque adæquari illi adæquatæ, & nullam prò dependere, & purum inuentum, & quidem si dicta explicatio non data esset ex arte ad occultandam insufficientiam definitionis, quam de re corporea in communi ipse Arriaga tradiderat, non esset nimium premenda; quoniam verò in huno finem inuecta est, non videtur impunè dimittenda probo subsumptum Auctoris nu. 109. rem corporeã prout omnia materialia comprehendit definiere ens quantitatiuum, & explicauerat huiusmodi ens disiunctiuè, vel esse quod per se impenetrabile cum alio sibi simili, vel, quod habet commensurationem cum dicto ente impenetrabili. Porrò hæc explicatio primæ fronte videtur optima; siquidem quantitas non solum habet quantificare materiam, sed etiam reliqua omnia entia materialia, quæ suæ proximè, suæ remotè à materia pendent. verumtamen in eius sententia non potest sustineri, eo quod rationem quantitatis, non explicat per partium multiplicitatem, sed per solam impenetrabilitatem cum alio individuo eiusdem speciei, quæ impenetrabilitas euidenter reijcitur in gradibus intensionis, quos ille omnino homogeneos ponit, neque erit in duabus visionibus materialibus de duplici albedine, quæ esse possunt simul in eadé pupilla, vt ipse nu. 107. ingenuè fatetur. vnde coactus est commensurationem cum re impenetrabili explicare per dependentiam abilla, non obstante violentia, quam inferret vocabulo, dũ ipsum cogeret propriam significationem obliuisci, & id, quod nulla ratione significat notum facere.

Vlterius definitionem huius secundi membri 29
impugnarem ex eo, quia frustra ratiocinatur ponere partiali in ipsa substantia recepta posse saltem de potentia absoluta fieri, vt ipsa se docuisse dicat, quod hæc modificatio vnio esset commensurata materiæ, sed hæc vnio non esset corporea, ergo rem esse corpoream non importat commensurationem cum re impenetrabili, maiorpatet, quia dicta vnio dependeret à materia tanquam à termino intrinseco dependentiam autem tanquam à termino intrinseco essentiali sicuti à subiecto inhæsionis ab eodem auctore recipitur; minor autem suadetur ex eo, quod modificans constituatur subiecto, cui adæquate illa recepta quantitas ad rationem corporei, vel spiritualis, vt fert communis sententia.

Ad hoc argumentum pro variis corporeitatis 30
tionibus respondet Arriaga absolutè negando minorem, ad cuius probationem dico ad materialitatem à se non requiri, nisi vt res materialis habeat aliquod subiectum materiale, siue adhæsionis, siue inhæsionis, quoniam verò illa vnio recepta in anima rationali licet non haberet subiectum inhæsionis materiale, haberet tamen adhæsionis nimirum ipsam materiam, hinc fit vt esse materiale.

Sed

31 Sed contra est, quia præter quam quod hoc sit omnibus inauditum : nimirum, quod forma habens pro subiecto adæquato aliquod spirituale sit materialis : posset vrgeri paritas, quod etiam vbi angelicum deberet esse materiale, siquidem non minus pendet huiusmodi vbi à spatio determinato, nec minus penetratur cum illo, quam vnio illa animæ à materia prima, sed hoc expresse negatur ab omnibus ; ergo &c.

32 Aliter sententiam, quæ ponit conceptum corporis in impenetrabilitate, & conceptum spiritus in penetrabilitate limitat Ouiedus *Contra prima, puncto 5. §. 2. nu.* 8 dicens ; quod ratio corporis in tota sua latitudine, vt diuincti à spiritu, sit entitas, cui in statu qui naturaliter illi potest accidere, formaliter, ratione intrinseci, repugnat penetratio cum alia eiusdem speciei omnino à sè diuisa : ratio verò spiritus sit entitas, cui, in statu, qui illi potest naturaliter contingere, non repugnat formaliter, ratione intrinseci, penetratio cũ alia eiusdem speciei omnino à sè diuisa ; differt autem hæc limitatio à præcedenti in eo, quod hæc sustinet rationem corporei incommuni semper in impenetrabilitate consistere, quod non facit præcedens. quæ

34 solum corpus constituit impenetrabile cum alio eiusdem speciei.

33 Quod si ei, obijcias species visibiles plurium obiectorum numerò distinctorum V.G. duorum parietum esse entitates numerò distinctas, quibus, *in statu qui naturaliter illis potest contingere formaliter non repugnat inuicem penetrari ; quoniam sæpè in eadem pupilla simul existunt*, & tamen eas esse corporeas nemo dubitat.

34 Respondet propterea in definitione corporei additum esse, quod alia entitas, cum qua repugnat illi penetratio non solum debeat esse eiusdẽ speciei, sed etiam omnino à sè diuisa. quandiu enim duæ illæ species sunt in eadem parte subiecti, non habẽt omnimodam diuisionem ad inuicem. vnde non colligitur quin sit corporea. quia, adhuc stat ; quod quando existunt in subiectis diuinctis, vel in diuersis partibus eiusdem, inuicem penetrari nequeant.

35 Verum hanc etiam limitationem non esse ad rem probarem ex eo, quia sic huiusmodi formæ nullam ex se haberent intrinsecam impenetrabilitatem, sed tota refunderetur in ipsum subiectum, & per impenetrabilitatem illius impene-

36 trabiles *veluti extrinsecè* denominarentur, sed *hoc est absurdum* ergo &c. *sequela maioris suadetur*, quia ipsæ formæ, quantum est de se, haberent indifferentiam *ad mutuam compenetrationem* ; & tota repugnantia se teneret ex parte suorum subiectorum. minor verò probatur, quia quamuis formæ accidentales materiales sint corporeæ ad exigentiam subiecti, cui inhærent : debent tamen rationem corporei intrinsecè participare, ergo &c. præterea hanc subiecti impenetrabilitatem non sufficere ad rationem corporei tribuendam, suadetur ex anima rationali, quæ quandiu informat suum corpus nequit cum alia anima item rationali informante suum, compenetrari, & tamen eam non esse corpoream, in sensu, quem intendimus etiam quandiu est in corpore nemo dubitat. dico (in sensu quem intendimus) siquidem si corporeum sumatur pro forma dante esse corpori completo prædicamẽti substantiæ, certum est, quod sit corporea, sed nos intendimus rationem corporei assignare, quæ est realiter opposita spiritualitati, & repugnat in eandem numero entitatem cum illa coire. Scio ex his, quæ habet Ouiedus *loco citato nu.* 16. responderi posse ad hoc, negando paritatem. disparitas est, quia ad saluandam rationem entis spiritualis nó requiritur quod penetrari possit cum alio eiusdem speciei à se diuiso, *in omni statu*, qui illi naturaliter contingere potest, sed in aliquo tantum. quamuis igitur animæ rationales in statu coniunctionis non possint inuicem penetrari : non sequitur, quod sint corporeæ, eo quod possunt in statu separationis, qui naturaliter illis contingere potest.

Verum contra hanc responsionem facit, quia destruit totam auctoris doctrinam. ipse enim definierat corporeum per entitatem, cui in statu, qui naturaliter illi potest accidere, ratione intrinseci repugnet penetratio cum alia eiusdem speciei omnino à se diuisa. in corporeum verò per entitatem, cui in statu, qui illi potest naturaliter contingere, ratione intrinseci non repugnat penetratio cum alia eiusdem speciei omnino à sè diuisa. tum peto : vel status, qui naturaliter vtrique potest accidere apellat omnem statum : vel aliquem tantum. si primum, sicuti debet ; (nam propositio indefinita in essentialibus æquiualet vniuersali) ergo anima rationalis est corporea, quia in statu coniunctionis repugnat illi compenetratio, vti vidimus : sin autem dicatur secundum, iam de eadem anima pro diuerso statu vera quæ definitio verificari poterit ; & sic erit simul corporea, & spiritualis, quod est euidenter falsum. Quod si dicatur in priori quidem definitione statũ sumi vniuersaliter : in posteriori verò particulariter : præter quam, quod in paucissimis verbis admittitur æquiuocatio : sic vlterius insurgo. creet Deus per duplicem actionẽ creatiuam duplicẽ caloré cũ sic : vtraq; actio, & vterq; calor sunt corporea, sed ea possunt inuicem in statu aliquo, qui naturaliter potest illis contingere compenetrari, ita vt sint omnino inter sè diuisa, ergo neque in hoc sensu tradita explicatio definitionis rei corporeæ admittenda est. huius argumenti maior, & consequentia patent, minor verò probatur, quia vtrique calori per actionem creatiuam conseruato potest competere connaturaliter status, in quo existat sine subiecto. ergo, & status in quo possint compenetrari inuicem, itaut sint inter sè omnino diuisi ; idemque dicendum de actionibus creatiuis illorum.

37 Respondet adhoc Ouiedus *nu.* 12. Actionem creatiuam caloris extrahere quidem calorem à subiecto sustentationis, non verò à subiecto informationis. hoc enim subiectum (inquit) exigit semper calor, sive sit productus, sive creatus, ex suo præcisè, quod est corporeus. videlicet vt calori quantumuis creato sit actio potẽs competere status, in quo connaturaliter existat sine subiecto : ita neque status, in quo possint compenetrari cum alio à se omnino diuiso ; & idem de eius actione creatiua dicendum

Sed

Sed contra, quia aliud est calorem independenter à subiecto conservatum posse informare subiectum, & aliud ita exigere illud informare vt si non informet violentiam patiatur, quam vis enim primum verum sit, at secundum falsum: quod tamen duplici ter probatur: primo dictum de fundamentum ab Oviedo allatum, ibi hunc ferè modum: si calor creatus in omni statu connaturali exigeret informare subiectum, maxime quia esset corporeus, ut ipse ait, hanc meam rationem nullam esse contra me, quia inibi supponitur principium, cum enim quæramus vtrùm forma corporea in omni statu hanc exigentiam habeat assignatur pro ratione partis affirmatiuæ esse corpoream: quare circulus vitiosus admittitur: dum esse corpoream in forma pertinentem ad subiectum componunt in omni statu exactè: & hanc videmus quam esse corpoream probarunt secundò quia si quis dicat de ratione formæ corporeæ esse solum exigere subiectum, ens suppositum, quod non producatur per actionem creatiuam, facilè probabiliter discurrit, nam forma corporea actione creatiuæ beneficio elevatur ad modum existendi per se, quem animæ rationali ex suis intrinsecis habet. vnde eodem modo discurrendum est de hac forma quæ tenus per actionem creatiuam conseruatur, ac de anima rationali, sic anima rationalis quamvis in statu separationis quandam habeat inclinationem informandi materiam, non tamen eam exigit informare, cum alioquin violentiam pateretur in dicto statu, quod expressè negat Oviedus contra 16. punct. secundo; ergo neque forma materialis ponet actionem creatiuam, non exigetur habebit exigentiam informandi materiam. Neque dicas formam materialem beneficio agentis illius conseruatiui non amittere esse materiale; ergo neque exigentiam subiecti: nego consequentiam: quemadmodum enim humanitas Christi Domini beneficio vnionis hypostaticæ non amisit relationem subsistentiæ, & tamen non habet exigentiam propriæ & requisitæ subsistentiæ; quia nobiliori modo subsistit per alienam, & incretam, vna à parte, & in casu nostro cum quanto multo nobiliori modo existat forma materialis independenter à subiecto: non est cur violentiam patiatur, & extra illud creatur, & conseruetur.

39 Responderi aliter posset ad argumentum nostrum de duplici calore ex his quæ habet Comptonus disput. de anim. sect. 6. cap. 6. dub. 3. mirum dicatur actiones omnes creatiuas hoc ipso quod connaturales exigere quantitatem existere faciant terminos suos: censendas esse spirituales, & non corporeas?

40 Verum hanc responsionem impugnatis communi philosophorum sensu, qui omnino admittit existentiam actionem quandam esse corpoream, & spiritualem necessariò vtramque indispensabiliter suos terminos conformari, & rectè id quidem. Actio enim est via ad dandum esse effectui, & influxus causæ in ipsum effectum, quare implicat se non conformare illi quantum ad esse corporeum, seu spirituale. Verum vt solidius hanc responsionem impugnemus, placet eiusdem Comptoni opinionem de actione entis corporei, & spiritualis expendere, quæ illum ad has angustias redegit, postquam enim varias de hac re sententias confutauit, & conclusit actionem corporei, prout actionem spiritualitatis distinguitur, esse vnum, vel simpliciter, vel quid habens connexionem aliquam physicam cum illa, ita vt sine ea existere naturaliter non possit.

Contra hanc enim opinionem mulea facilius 41
& primò quidem, quod inde sequeretur primam rationem corporis esse quantitatem; per ordinem enim ad illam reliqua dicta rationem parent; hoc autem subiiner non posse, constare ex eo, quia licet quantitas sit corpus mathematicum, at corpus physicum, de quo principaliter agimus in præsenti, non per ordinem ad quod cætera dicimur corporea, est necessariò substantia, vnde substantia in dominio in corpus, & spiritum primò diuiditur, vt ex prædicamento substantiæ constat, & per ordinem admittimus reliquas rationem entis corporei, vel spiritualis participare; inter quæ numerandæ est ipsamet quantitas, quæ non potest dici in hac acceptione corpus, sed corporea tantum.

Secundò eandem opinionem facit secundò; 42
quia probabile est posse Deum producere qualitatem aliquam spiritualem dependenter à materia prima, vel à quantitate tanquam à subiecto sustentationis, sed dicta actio produceret esset spiritualis, & necessariam connexionem haberet cum quantitate, quatenus penderet ab illa; ergo &c. reliqui probatur.

Respondet ad hoc facile. & huiusmodi actionem fore corpoream quamvis terminetur ad 43
effectum spiritualem, neque hoc magis mirum esse, quam posse actionem accidentalem, & modalem producere rem substantialem.

Verum hæc responsio impugnatur, primò 44
quantum ad paritatem, quia quemadmodum non valet hic modus arguendi: res substantialis connaturaliter ponit per actionem accidentalem, & modalem produci; ergo & res spiritualis connaturaliter etiam potentia per actionem corpoream: ita non valet modus arguendi aduersarij; & ratio est, quia dicto in aliquibus debet conformari effectui, inter hæc autem ens spirituale, vel corporeum, & alias vero debet ab eo substantificari, vt de se patet mu.

Impugnatur secundò eadem responsio directè; 45
quia si semel habemus rem spiritualem posse actione corporea immediatè produci: debemus necessariò concedi quoque posse è contrario, corpoream produci actione spirituali, vt ipse mecum expressè concedit in sectionis sequentis: sed hoc admisso sequeretur posse Deum de potentia absoluta per actionem spiritualem producere ipsam quantitatem, vel materiam primam, ergo iam corrueret tota ratio in sententia minoris huius sequela patet. si non implicat diuinitus hæc se habere posse prout suo modo materiam rem spiritualem per actionem corpoream; & rem corpoream per actionem spiritualem produci: cum etiam non poterunt quantitas, & materia prima, quæ sunt entia corporea actione spirituali per absolutam Dei potentiam produci. conse-

quentia

quantia verò suadetur, nam vtraque actio haberet physicam connexionem cum quantitate; & ea quidem, quæ terminaretur immediatè ad ipsam quantitatē neq; diuinitus sine illa existere valeret, ea verò quę ad materiā non posset fine dicta quantitate existere connaturaliter: sicuti non potest materia. falsum igitur esset rationem corporei esse, vt, vel sit quantitas, vel quid physicè cum ea connexum, ita vt sine ea existere connaturaliter non possit.

Ex his quæ habet auctor *eadem sect. 6. num 7. & 8.* responderi adhoc argumentum posset, præter duas classes entium spiritualium, & corporeorum dari tertiam quandam classem eorum, quæ neque corporea sint, neque spiritualia, ad quam classem ea de, quibus dubitatur reuocari commodè poterunt.

Verum hæc responsio male audit apud sapientiores: & rectè. spirituale enim, & corporeum fruuntur à nobis tanquam duo membra adæquata diuidentia realiter rationem entis in communi; ita sè habentia, vt ex negatione vnius membri necessariò alterius positio colligatur, subiecti constantia præsuppositā; deinde deuorato hoc absurdo, Componi sententia melioris conditionis non redditur: neque enim sustinere potest eius auctor, quod actio illa productiua materiæ ad hanc tertiam classem pertineat, quatenus non habet propriam, & immediatam connexionem cum quantitate, sed remotam forsan, & *impropriam*: *in quantum* nimirum respicit materiam immediatè, quæ naturaliter existere non potest sine quantitate. alioquin omnis actio generatiua formæ materialis deberet propter eandem rationem ad hanc tertiam classem pertinere, eò quod nulla earum habet immediatam connexionem cum quantitate, sed solum cum materia, & forma ipsa materiali cuius est productio; & multo minus sustinere poterit, quod ad dictam tertiam classem spectet actio illa miraculosè productiua quantitatis: ea enim iam habet immediatam connexionem physicam, imò essentialem cum dicta quantitate, in qua connexione ipse rationem entis corporei consistere contendit.

SECTIO TERTIA.

Statuitur quid sit Corpus, & quid Spiritus, ac confirmatur probatur.

VT Clarius, quid in tota hac controuersia sentiendum sit, explicemus: notamus, aliud esse loqui de conceptu corporis, & spiritus: aliud verò de conceptu rei corporeæ, & spiritualis, prout à corpore, & spiritu distincta fruuntur. hanc reduplicationem appono eò, quod res corporea, & spiritualis dupliciter sumi possint. primò latè, & sic etiam omne corpus, & omnem spiritum comprehendunt; non solum enim dicimus intellectum esse ens spirituale, sed etiam Deum ipsum, & Angelos; neque solum dicimus albedinem esse materialē, sed etiam aquam, aerem, terram, & cætera huiusmodi, secundò possunt accipi strictè, qua ratione à corpore, & spiritu distinguntur, & significant ea, quæ ad illa pertinent, & earum relationes, quatenus inter sè differunt, imitantur. Iam verò de vtrisque separatim agendum, & prius de corpore, & spiritu pro quo sit.

Vnica conclusio *Corpus est substantia per se subsistens, extensiuè composita, extensione in ordine ad sè. Spiritus verò est substantia per se subsistens partibus extensiuis carens.* Iam verò primæ duæ particulæ in vtraque definitione se habent loco generis: posteriores verò loco differentiarum, & quidem per particulam (substantia) excluduntur à ratione corporis, & spiritus omnia accidentia, necnon etiam omnes modi substantiales, in quantum de nullo eorum verificari absolutè potest, quod sit substantia. per particulam verò (per sè subsistens) excludūtur omnes formæ substantiales materiales, quæ, licet sint substantiæ cum pendeant à materia, non possunt in sè subsistere, sed in toto, & propter eandem rationem excluditur etiam materia prima secundum sè spectata ex suppositione, quod non habeat propriam existentiam. per particulam autem (extensiuè compositam) notatur vltima differentia corporis in esse corporis, consistere in multiplicitate partium componentium vnum extensiuè. non quidem extensione in ordine ad locum, sed in ordine ad sè: quam extensionem diximus in physicis substantiam materialem independenter à quantitate in sè habere. per particulam denique (partibus extensiuis carens) notatur vltima differentia spiritus consistere non quidem in partium extensiuarum carentia (hæc enim cum sit non ens nequit esse differentia constitutiua entis realis perfectissimi cuiusmodi est substantia spiritualis). sed in positiua quadam perfectione, quæ indispensabiliter dictarum partium carentiam coniunctam habet. ita vt implicet habere huiusmodi partes.

Conclusio sic explicata defenditur à Vasquez. *prima par. to. 2. disput. 188. num. 10.* Granado *prima part. tract. 9. disput. 3 sect. 3.* Hurtado *disput. 2. de anima sect. 3. sub sect 4.* qui, licet definiat corpus per substantiam constantem ex partibus integrantibus, & spiritum per substantiam dictis partibus integrantibus carentem; nomine tamen partium integrantium non nisi extensas, extensione in ordine ad sè, intelligit, vt ipse se declarat; maluimus autem nos eas extensiuas potius, quam integrantes apellare, eò quod pars integralis sumitur vt opposita parti essentiali, & æque de parte intensiua, ac de extēsiua dici solet. corpus autem ita essentialiter ex partibus cōstat, vt essentialiter etiam respuat eas esse intensiuas.

Probatur autem nostra sententia primò auctoritate. nam Gregorius Nanzianzenus *oratione secunda de Theologia*: Compositio, inquit, pugnæ principium est; pugna autem dissidij, dissidium solutionis, & interitus; solutio verò nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit; quocirca in Deo nullum dissidium est, ne solutio consequatur; nec pugna, ne dissidium oriatur; nec compositio, ne pugna existat, ac proinde nec corpus est Deus, ne aliunde compositio oriatur. ex quo sic licet argumentari: si de ratione corporis non esset compositio partium extensiuarum: malè Theologus ex negatione compositionis inferret Deum non esse corpus: sed infert. ergo &c.

Præ-

52 Præterea Augustinus *to. primo lib. de quantitate animæ cap. 4.* hæc habet: Nam prius ab ſte quæro, vtrum corpus vllum putas eſſe, quod non pro modo ſuo habeat aliquam longitudinem, & latitudinem, & altitudinem? quanquam ſi hoc demas corporibus, quantum mea opinio eſt, neque ſentiri poſſunt, nec omnino corpora eſſe rectè exiſtimari. ſic premo hæc vltima verba: ſi demas corporibus, non pro modo ſuo (hoc eſt, nō in ordine ad ſe) habere latitudinē, longitudinem, & profunditatem; opinio Auguſtini eſt, non poſſe omnino rectè exiſtimari corpora, ergo de corporum eſſentia eſt, partes extenſiuas habere. denique D. T. *prima parte quæſt. 3. art. 1.* Probare volens Deum non eſſe corpus, ſic ſecundo loco in corpore argumentatur. In Deo, vt probatum eſt, nihil eſt in potentia, omne autem corpus eſt in potentia, quia continuum in quantum huiuſmodi eſt diuiſibile in infinitum; impoſſibile eſt igitur Deum eſſe corpus. tum ſic; ſi corpus vt ſic non importaret eſſentialiter multiplicitatem partium extenſiuarum; ſequeretur, quod dari poſſet corpus non continuum, atque adeo ſine potentia ſaltem remota ad diuiſionem. ſed hoc admiſſo nulla eſſet S. Doctoris ratiocinatio. nam dicere poſſent aduarſarij Dei eſſe huiuſmodi corpus, atque adeo impotens vt diuidatur. ergo &c.

53 Ad hæc reſpondet Arriaga *diſput. 1. de anima ſect. 4. ſubſect. 1.* & quidem quantum attinet ad Auguſtinum dicit, aliquos obſeruaſſe eum in materia explicandi corpus, & ſpiritum, præſertim circa Angelos, valde fuiſſe dubium. Sed contra eſt, quia aliud eſt S. Auguſtinum dubitaſſe, num Angeli eſſent corporei; aliud verò in quo nam ratio corporis poſita eſſet. quamuis autem demus primum, at falſum eſſe ſecundum patet ex loco citato, in quo ſuam opinionem ſine vlla dubietate declarat. quantum verò ad auctoritatem D. T. idem Arriaga duo reſpondet. Primò S. Doctorem ſtare pro ſè, dum multis in locis expreſsè docet animas brutorum perfectorum eſſe indiuiſibiles, non obſtante, quod ſint corporeæ. Secundò addit D. T. nunquam abſolutè negare ſpiritui partes vtcunque, ſed quantitatiuas. quemadmodum ergo, non obſtante, quod neget ſpiritui partes quantitatiuas, nos eidem non concedimus intenſiuas; ſic poterit ipſe concedere extenſiuas; nam vt *ex articulo 7. dictæ quæſtionis tertiæ* conſtat omnes partes indiſcriminatim excludit à Deo.

54 Contra tamen priorem reſponſionē facit, quia aliud eſt loqui de corpore aliud de re corporea, cuiuſmodi eſt forma omnis materialis. dato enim, quod S. T. putauerit rem corpoream non importare eſſentialiter multiplicitatem partium extenſiuarum: ex hoc non benè infertur, idem exiſtimaſſe de corpore, vt conſtat ad hominem, ex his quæ ipſe met Arriaga poſtea docuit à *nu. 100.* vbi voluit rationem corporis in impenetrabilitate conſtitui, rei verò corporeæ in dependentia intrinſeca ab ipſo corpore. ergo ex eo quod D. T. *ſuſtinuit* animas brutorum perfectorum *eſſe indiuiſibiles*: non bene deducitur ſe *non exiſtimaſſe corpora* eſſe eſſentialiter extenſa.

Contra poſteriorem verò ait: D. T. hoc ipſo, 55
quod negauit ſpiritui partes quantitatiuas, etiam extenſiuas ſe negare exiſtimaſſe, eò quod indubitanter putabat multiplicitatem partium extenſiuarum eſſentialiter exigere quantitatem, quæ eas redderet ſpatio diuiſibili commenſurabiles, atque adeo impenetrabiles, non minus quam ſint ejuſdem ſpatij partes. patet hoc ex *articulo 7. quæſt. 3.* quem pro ſè citat Arriaga. vbi ſanctus Doctor probare volens Deum eſſe omnino ſimplicem, hoc, inquit, poteſt eſſe manifeſtum primò quidem per ſupradicta. Tum enim in Deo non ſit compoſitio, neque quantitatiuarum partium; quia corpus non eſt; neque compoſitio formæ, & materiæ, neque in eo ſit, aliud natura, & ſuppoſitum; neque aliud eſſentia, & 57
eſſe, neque in eo ſit compoſitio generis, & differentiæ; neque ſubiecti, & accidentis: manifeſtum eſt quod Deus, nullo modo compoſitum eſt, ſed eſt omnino ſimplex. quæ ſic: ſi poſſet dari in ſententia D. T. compoſitio extenſiuarum partium quæ non eſſet etiam quantitatiuarum, inſufficiens, & manca fuiſſet eius enumeratio ad Dei ſimplicitatem inferendam. poſſet enim quilibet, conceſſo integro antecedente, negare conſequentiam, & dicere in Deo dictam compoſitionem ex partibus integrantibus, quæ in antecedente prætermiſſa eſt, & nullibi excluſa, reperiri. Quod denique ad partes intenſiuas attinet, quas nos rei ſpirituali concedimus: dico diſparem eſſe rationem; aliud enim eſt agere de ſpiritu, & aliud de re ſpirituali. ille, cum deſit ſubſtantia, patet non poſſe intenſionem, & remiſſionem recipere. contra verò res ſpiritualis poteſt eſſe qualitas, atque adeò intenſibilis & remiſſibilis. porrò D. T. loco citato agit de Deo, quem conſtat eſſe ſubſtantiam. vnde rectè ex eo, quod non ſit corpus, ſpiritum eſſe intulit, & hæc eſt ratio cur *art. 7.* nullam faciat in illa enumeratione intenſiuæ compoſitionis mentionem.

SECTIO QVARTA.

Idem Ratione ſuadetur.

PRobatur ſecundò noſtra aſſertio ratione. Omnia corpora, quæ videmus, ſunt ſubſtantiæ per ſè ſubſiſtentes extenſiuè compoſitæ, extenſione in ordine ad ſe. item inductione facta per omnes ſpiritus, quos nouimus, ſcimus, eos eſſe ſubſtantias per ſè ſubſiſtentes minimè extenſiuè compoſitas. ergo vltima differentia corporis, vt ſic rectè explicatur per extenſiuam partium compoſitionem in ordine ad ſè; & vltima differentia ſpiritus, per carentiam dictæ compoſitionis. antecedens inductione conſtat. corpora enim omnia, ſiue excludant à ſe compoſitionem eſſentialem ex materia, & forma, vt multi Cælos eſſe putant; ſiue eam includant vt ſunt elementa. & mixta, compoſita ſunt ex partibus extenſis in ordine ad ſè; item omnes ſpiritus ſiue ſit Deus, ſiue Angeli, ſiue animæ rationales dicta compoſitione carent. ergo &c. 58

Ad probandam verò conſequentiam (contra 59
Quiros *in ſuo curſu diſp. 79. num. 1.* qui hoc argumentum

gumentum non vrgere pronunciat.) ſuppono in aſſignandis, & explicandis rerum creatarum eſſentijs non poſſe nos procedere niſi inductione. porrò inductio duobus modis fieri poteſt, vt alibi notauimus. Primò merè à poſteriori, ex his quæ videmus defacto in indiuiduis eſſentiam illam participantibus. Secundo admiſcendo dictæ inductioni à poſteriori, rationem à prioris; videlicet aduertendo in indiuiduis illis rationem communem in qua inter sè conueniunt, ac adunantur, & ſecundum quam, à quolibet alio indiuiduo, quod eſt diuerſæ eſſentiæ diſcriminantur; & differunt. quamuis autem prior inductio ſufficiens non ſit, vt de sè patet: at poſterior eſt ſufficientiſſima; & eam in rerum definitionibus indagandis vnicè adhibere ſolemus; ſed inductio, quam facimus ad ſtabiliendum, quod vltima ratio conſtitutiua corporis ſit compoſitio ex partibus integrantibus, & vltima ratio ſpiritus ſit dictæ compoſitionis carentia poſteriori modo sè habet. fit enim per omnia corporum, & ſpirituum genera; aduertendo ex vna parte rationem communem, in qua omnia corpora primò adunantur, & ab alijs, quæ corpora non ſunt, primò differunt: & ex alia rationem communem in qua primò conueniunt omnes ſpiritus, & primò diuerſificantur ab his, quæ non ſunt tales. Quamuis enim omnia corpora conueniant etiam in eo, quod ſint inuicem impenetrabilia, & omnes ſpiritus, quod ſint inuicem penetrabiles. conſtat tamen rationem partium in corporibus eſſe impenetrabilitate priorem: & rationem excluſiuam partium in ſpiritibus priorem penetrabilitate. nam materia prima per prius habet conſtare partibus quam exigere quantitatem, quæ eas in ſpatio diuiſibiliter coextendant, vti vidimus, cum de quantitate: & de ratione indiuiſibilis, vt ſic, quantumuis materialis eſt, poſſe conſequenter compenetrari cum alio ſimili. ergo ſuſtinere debemus vltimam rationem corporis in multiplicitate partium, & vltimam differentiam ſpiritus in carentia dictæ multiplicitatis conſiſtere, quod erat probandum.

58 Ad hoc argumentum reſpondet Arriaga *ſect. 4. num. 54.* Poſſibilem eſſe vnam ſubſtantiam habentem partes integrales, quæ diuerſa loca naturaliter occupare poſſit, & etiam naturaliter per ſe ad punctum reduci. item è contrario poſſibilem eſſe vnam ſubſtantiam indiuiſibilem, quæ non poſſit cum alia eiuſdem ſpeciei in eodem loco exiſtere, ſeù penetrari. quamuis autem quæſtio ſit de nomine vtra ex eis dicenda ſit ſpiritus, & vtra corpus? ipſe tamen propter rationes adducendas inferius, priorem appellat ſpiritum: poſteriorem verò corpus. ergo falſum eſt rationem corporis conſiſtere in multiplicitate partium extenſiuarum: & rationem ſpiritus in earum carentia.

59 Animaduertis perdoctus Pater, poſteriorem ſubſtantiam reddere argumentum ſuum inefficax, eò quod in communi ſententia implicat, rem indiuiſibilem tangi, & non tangi adæquatè, ac ſecundum ſe totam. cum igitur in hoc conſiſtat compenetratio: profectò ſubſtantia indiuiſibilis, & impenetrabilis repugnabit. quare ab hac difficultate ſe conatur eximere dicendo, à ſe oſtenſum eſſe in phyſicis vnum punctum poſſe tangi ſine penetratione cũ alio: imò nec poſſe naturaliter vnum cum altero penetrari, quoniam verò vidit hoc effugium non eſſe tutum; & rectè, nam in aſſignandis rerum eſſentijs non debemus iuxta proprium ſenſum procedere, ſed iuxta communem ſapientum exiſtimationem, quibus niſi conformemur, quid intelligant nomine corporis, & quid nomine ſpiritus: nihil certi poterimus definire de illis: ideò Secundò reſpondet; quod etiam ſi hæc ſubſtantia ſimplex, & impenetrabilis repugnet, ſaltem non repugnabit illa altera conſtans partibus, & penetrabilis, ſed ſuppoſito, quod ſit poſſibilis ea erit ſpiritus: ergo ratio ſpiritus in carentia partium extenſiuarum minimè conſiſtit. Scio nonnullos adhoc argumentum negare minorem; cum enim videamus, inquiunt, omnia corpora conſtare partibus extenſiuis, & omnes ſpiritus illis carere, vt inductione facta probatum eſt: hoc ipſo, quod aliqua ſubſtantia per ſe exiſtens aſſignatur partes habens; vtique cenſenda eſt corpus, & non ſpiritus. verum ſic tota controuerſia ad quæſtionem de nomine reduceretur: vtrum videlicet huiuſmodi ſubſtantia dicẽda ſit corpus, an potius ſpiritus? quod maximè aduerſarius *num. 14. & 15.* intendit, vt licentiam, & libertatem obtineat ſuam ſententiam impunè defendendi.

Quare melius ego propugnandum exiſtimarem, hanc ſubſtantiam ab eo poſitam eſſe impoſſibilem; ſic enim controuerſia eſſet tota de re; eius igitur impoſſibilitatem tripliciter ſuaderem. Et primò quidem ſic: implicat ſubſtantia, quæ ſimul ſit corpus, & ſpiritus; ſed huiuſmodi eſſet dicta ſubſtantia. ergo &c. minor, in qua conſiſtit difficultas, ſuadetur, & quidem, quod eſſet ſpiritus iam tuetur auctor, quia per sè ad punctum reduci poſſet. quod verò eſſet etiam corpus ſic probatur: hæc ſubſtantia ab auctore ponitur habere partes, quæ diuerſa loca naturaliter occupare poſſint; ergo iam naturaliter eſſet impenetrabilis, ſed ratio corporis per eum in impenetrabilitate conſiſtit; ergo iam dicta ſubſtantia eſſet etiam corpus, quod erat probandum. Omnia patent præter primam conſequentiam, quæ ſic euincitur: ob nihil aliud corpus Chriſti Domini quantumuis in Euchariſtia omnes ſui partes compenetratas inuicem habeat, cenſetur tamen ſuam eſſentialem impenetrabilitatem retinere, niſi quia habet diuerſas partes, quæ diuerſa loca naturaliter occupare poſſunt, ſicuti defacto occupant in empyreo; ergo hoc ipſo, quod illa ſubſtantia ponitur habere partes, quæ diuerſa loca naturaliter occupare valeant, ponitur conſequenter eſſentialiter impenetrabilis, atque adeò corpus, ſimul igitur erit corpus, & ſpiritus, quod per ipſum implicat. 60

Dicet fortaſſe primò ſe non ponere eam ſubſtantiam partes integrantes habentem diuerſa loca naturaliter occupare excludendo ab 61

Digitized by Google

illis locis alia corpora, sed compenetrando se cum illis, & ideò non sequi eam esse impenetrabilem, atque corpoream.

62 Sed contra est: tum quia hoc non esset occupare diuersa loca vt de se patet; tum etiam quia pro vt substantia illa eo modo existeret, iam vna pars sui, quæ esset in vno loco, excluderet aliam ab eodem loco; ergo iam impenetrabiliter existeret in ordine ad se; multò magis igitur existeret impenetrabiliter in ordine ad alia corpora. probo consequentiam, quia minorem repugnantiam debet habere pars vnius totius ad existendum in vno loco cum alia sui comparte, quam cum alio corpore omninò extraneo, vt de se patet: Posset dicere secundò se non ponere dictam substantiam naturaliter occupare spatium illud diuisibiliter: sed indiuisibiliter; ita vt existat tota in toto, & tota in qualibet parte illius spatij; & ideò nullo modo esse impenetrabilem, neque respectu partium inuicem se excludentium ab eodem spatio, neque respectu alterius corporis extranei; & in hoc sensu illam spatij occupationem, quæ à se illi tribuitur, intelligendam esse.

63 Sed contra hanc argumenti solutionem facit primò, quia præterquam, quod hæc esset valde impropria occupatio spatij: sic non posset assignari ad quid illa partium multiplicitas dictæ substantiæ inseruiret. si enim de necessitate vbi esset vna pars extensiua, non possent non esse aliæ cum ea compenetratæ; natura nõ prudenter se gereret multiplicitatem illam partium extensiuarum ei concedendo. fecisset enim sine vllo emolumento per plura, quod potuisset facere per pauciora, si totam illam virtutem, quam partita est singulis illis partibus, in vnam indiuisibilem entitatem congessisset, reddendo eam indiuisibilem. Quam plures enim illarum virtutum solo numero multiplicatarum, & in eodem loco necessario existentium essent penitus otiosæ, cum vna sola sufficeret.

Tandem hanc solutionem, & possibilitatem illius substantiæ impugnarem Secundò, quia si posset dari substantia constans partibus per se penetrabilibus; siuè demum ea ponatur in vno tantum puncto spatij existere naturaliter posse: siuè etiam in spatio diuisibili, vel diuisibiliter, vel indiuisibiliter quomodocumque voluerit auctor: sequeretur, quod posset etiam dari alia substantia, siuè partibus constans, siuè non, quæ ad libitum sui posset naturaliter reddi penetrabilis cum alia substantia in eodem spatio, & impenetrabilis cum illa. sed hæc implicat, ergo & illa alia implicabit. minor patet, quia in sententia aduersarij repugnat aliquid esse simul corpus, & spiritum; sed sic erit dicta substantia. ergo &c. sequela verò maioris suadetur ex eo, quia si non obstante, quod non habemus exemplũ substantiæ constantis ex partibus penetrabilibus, eam dicimus non repugnare; multò magis debemus asserere, quod non repugnet substantia, quæ ad libitum suum posset naturaliter reddi penetrabilis, & impenetrabilis cum alia, quandò videmus quod corporibus beatorum id supernaturaliter concedatur. dum ad eorum libitũ non solũ penetrari possunt cũ alijs corporibus, sed etiam reddi possunt palpabilia; ad hoc enim vt aliquid sit palpabile alteri, debet necessariò esse impenetrabile cum eo, respectu cuius palpabile est, vt de se patet; quemadmodum igitur hæc duo supernaturaliter videmus nostra corpora habere posse: ita dici posset possibilẽ esse substantiam, cui vtrumque naturaliter debeatur ad libitum.

Dicet fortasse aduersarius, implicantiam 64
huius substantiæ colligi ex oppositione, quam habent inter se corpus, & spiritus, quæ secundum communem tum sapientum, tum rudium existimationem tanta est, vt prohibeat etiam diuinitus ea posse inter se identificari.

Audio: sed sic vlterius procederem. si nos 65
dicamus corpus per impenetrabilitatem, & spiritum per penetrabilitatem constitui, non possumus huius communis existimationis rationem vlteriorem afferre. vnde si quis, in hoc homines se decipere sustineret: nullatenus conuinci posset. contra verò si asseramus corpus per compositionem partium extensiuarum; & spiritum per dictæ compositionis carentiam essentialiter constitui, rationem à priori huius communis existimationis assignare poterimus: cum constet implicare contradictionem eandem entitatem esse, & non esse integraliter compositam; ergo hoc potius, quam illud debemus asserere; ne dicere cogamur, vel quod gratis hoc dissidium inter corpus, & spiritum homines posuerint, vel quod eius ratio à priori ignoretur à nobis.

Vrgebit secundò. etiam si dicamus rationem 66
corporis in compositione partium extensiuarum, & rationem spiritus in dictarum partium carentia positas esse; adhuc non assignamus implicantiam substantiæ per se existentis, quæ ad libitum sit ex suis intrinsecis penetrabilis, & impenetrabilis cum alia, pro vt sibi placuerit; ergo nostrum argumentum contra nos etiam retorqueri potest.

Respondeo negando antecedens; & ratio est 67
quia nos ita asserimus corpus multiplicitatem partium integralium essentialiter importare, vt velimus ex dicta multiplicitate oriri tanquam strictissimam proprietatem ipsam quantitatem, quę est exactiua actualis impenetrabilitatis cum alijs corporibus; & ita dicimus spiritum per carentiam partium integralium constitui, vt putemus ab eius substantia tanquam proprietatem oriri potentiam ad compenetrandum sè in eodem spatio cum qualibet alia substantia, siuè corporea, siuè spirituali. quo posito euidens est implicare contradictionem in nostra sententia substantiam illam ad libitum extrà penetrabilem, & impenetrabilem cum alia.

Dicit denique tertiò: gratis nos asserere 68
quantitatem esse proprietatem in quarto modo substantiæ omnis partibus integralibus constantis, & penetrabilitatem esse item proprietatem substantiæ indiuisibilis. ergo &c.

Respon-

Digitized by Google

69 Respondeo; negando antecedens: ratio est, quia nos in assignandis proprietatibus in quarto modo aliarum essentiarum duo obseruare solemus. vnum est, quod competant omnibus eam essentiam habentibus, & semper: alterum verò quod non competant alijs. cum igitur hæc eadem in re nostra verificentur de impenetrabilitate, & penetrabilitate respectu substantiarum, quarum vna constat ex partibus integrantibus, altera verò illis caret: debemus asserere eas esse proprietates dictarum essentiarum substantialium. Confirmatur, & explicatur id, quod dicimus: corpora omnia, quæ nouimus duo habent: multiplicitatem partium, & impenetrabilitatem, vt constat; vel ergo impenetrabilitas consequitur ad multiplicitatem partium tanquam proprietas, & hæc est mea sententia: vel multiplicitas partium ex impenetrabilitate necessariò procedit; & hoc non fauet sententiæ aduersarij. tantundem enim non esset possibilis substantia constans partibus naturaliter penetrabilibus & cet: siue vna, siue altera se habeat vt proprietas respectu reliquæ. cum igitur non possit assignari ab Arriaga aliquis alius gradus essentialis in dictis corporibus respectu cuius huiusmodi prædicata sè habeant vt proprietates, debet necessariò ab eodem sustineri vtrumque se habere vt primam radicem, & esse de essentia dictorum corporum; & quidem ita, vt ambo sint infra genus generalissimum substantiæ, & supra gradum viuentis. quæro igitur ex illo, quæ nam ex eis se habeat vt genus; quæ verò vt differentia? ex vna enim parte impenetrabile deberet habere rationem generis, & esse cõpositum ex partibus integrantibus rationem differentiæ, eo quod magis latè pateret in sententia aduersarij esse corpus, quam esse compositum. posset enim dari substantia indiuisibilis, quæ sit corpus, vt potè impenetrabilis. ex alia verò parte cum esse compositum ex dictis partibus tum spiritibus, tum corporibus per ipsum sit commune: deberet potius hoc se habere vt genus, & esse impenetrabile vt differentia, atque adeò idem respectu eiusdem esset determinatiuum, & determinabile; magis, & minus latè patens, quod non videtur dicendum. linquo sic non fore benè dispositam lineam prædicamentalem substantiæ, quam habemus: si enim corpus, quod sub genere generalissimo continetur, constitueretur essentialiter per esse impenetrabile iam non posset immediatè per gradum viuentis determinari. sed inter vtrumque gradum deberet intercipi gradus importans compositionem ex partibus integrantibus, quod sine sufficienti ratione positiua non videtur dicendum. ex quo deducitur rationem corporis per multiplicitatem partium extensiuarum, ad quam impenetrabilitas tanquam stricta proprietas consequitur, rectè explicari.

70 Denique impossibilitatem dictæ substantiæ constantis ex partibus penetrabilibus suaderem tertiò, quia si licitum esset Arriagæ inuehere hanc substantiam, non obstante quod omnes, quas nouit ex partibus constantes dari defacto, esse etiam impenetrabiles fateatur: liceret etiam esset alteri ponere possibilem substantiam per sè stantem siue ex partibus constantem, siue non, quæ esset ex suis intrinsecis indifferens ad penetrabilitatem, & impenetrabilitatem cum alijs habendam, ad eam planè modum quo dicimus aërem ex se indifferentem esse ad habendam, vel non habendam formam luminis; atque adeo, quod spectaret ad Deum, vt auctorem naturæ determinare quantum ad hoc dictam substantiam verum velitcam reddere penetrabilem, an verò impenetrabilem, sicuti enim, non obstante vniuersali coniunctione illorum prædicatorum, quam videmus: auctor dissociat vnum ab alio: ita alius potest penetrabilitatem, & impenetrabilitatem ab essentia alicuius substantiæ dissociare, dicendo ab ea neutram ex suis intrinsecis determinatè requiri. atqui Arriaga in sua sententia huiusmodi substantiam admittere nequit; si quidem neque spiritus esset, neque corpus; ergo in assignatis rationibus spiritus, & corporis non debemus ad libitum procedere, neque ea, quæ in omnibus spiritibus, & in omnibus corporibus passim coniuncta videmus pro voluntate dissociare; ne in has tricas, & inepias incidamus; sed cum animaduertamus omnia corpora ex partibus integrantibus ita esse composita, vt sint inuicem naturaliter impenetrabilia: & omnes spiritus ita dicta compositione carere, vt inuicem compenetrari naturaliter valeant. mordicus propugnare debemus dicta prædicata ex suis intrinsecis associata esse, atque connexa, quo posito cum rationabilius sit asserere impenetrabilitatem ex compositione, & penetrabilitatem ex indiuisibilitate procedere, quam è contra (vti notauimus) debemus consequenter sine dubitatione concludere essentiam corporis in dicta partium multiplicitate, & essentiam spiritus in carentia dictæ multiplicitatis, seu quod idem est in indiuisibilitate positam esse: hoc enim principio semel stabilito sine difficultate deducitur, quænam substantia putanda sit realis, quæ verò chimerica.

71 Dices: etiam contra nos posse aliquem vrgere idem argumentum dicendo: non implicare substantiam per se stantem, quæ quantum est de se sit indifferens ad habendas partes extensiuas, & earum carentiam; ergo &c. Confirmatur: partes extensiuæ per nos iure coincidunt cum integralibus, sed integrales non sunt essentiales rei, cuius sunt integrales; ergo essentia rei æquè bene cum illis, & sine illis consistere potest.

72 Respondeo, negando antecedens, & ratio est, quia, vel absolutè, vel ex suppositione posset dicto argumento nos aduersarius impugnare. non absolutè; quia sustinemus cum communi non dari substantiam mediam, quæ neque spiritus sit, neque corpus; atque adeò putamus quælibet assignabilem essentialiter esse, vel indiuisibilem, vel ex partibus integralibus compositam. neque ex suppositione; intantum enim hoc modo nos Arriagam impugnamus: in quantum ille multiplicitatem partium ab impenetrabilitate separat, sed nos non ponimus aliquid, ex quo possimus dicta difficultate vrgeri. ergo &c. minor

minor hæc suadetur; & simul dissoluitur Confirmatio, quia si quod esset; maximè quia dicimus partes, ex quibus corpus essentialiter constat, esse integrales; sed hæc ratio nulla est; quia de ratione harum partium solum est, vt nulla determinatè accepta sit de essentia rei, cuius est pars; non autem quod res non importet essentialiter aliquas indeterminatè, vt patet ex quantitate, quæ, cum essentialiter habeat vt sit diuisibilis in infinitum; quamuis nulla pars determinata sit de eius essentia; aliquas tamen essentialiter indeterminatas inuoluit.

73 Dices iterum ex nostra sententia sequi hominem esse simul spiritum, & corpus; quemadmodum enim ratione materiæ integraliter compositæ dicitur absolutè corpus: ita ratione animæ rationalis dicta compositione carentis, deberet dici absolutè spiritus, sed hoc falsum est; ergo &c.

Respondeo; difficultatem esse communem cum ijs, qui rationem corporis in impenetrabilitate, & spiritus in penetrabilitate constituunt, ad quam ego nego maiorem, & dico hominem absolutè corpus esse censendum; & non spiritum; ratio sumitur ex communi illo principio: Bonum ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu; cum enim ratio spiritus respectu corporis sumatur vt quid absolutè bonum, ad hoc vt competeret homini, de eo verificari deberet, quod neque ratione materiæ, neque ratione formæ esset integraliter compositus, contra verò vt de eo verificetur esse corpus sufficit si ratione vnius tantum partis essentialis dictam habeat compositionem.

SECTIO QVINTA.

Quid importet esse corporeum, & quid esse spirituale strictè sumptum.

74 PRima conclusio. Corporeum strictè sumptum pro vt videlicet à corpore distinguitur triplex est: vel enim Primò intrinsecè pertinet ad compositionem integralem corporis; vel Secundò pendet in genere causæ materialis siuè proximè siue remotè ab eo quod dat corpori rationem corporis; vel denique Tertio est modus primariò competens siuè corpori, siuè rei corporeæ primo, vel secundo modo acceptæ. ita ferè Hurtadus *de Anima disput. 2. sect. 4. sub sect. 5.*

75 Explicatur, & probatur conclusio quoad singula; & primò quoad Primum. Ad compositionem integralem corporis physici pertinent primò partes, ex quibus constat. secundò indiuisibilia, quæ inter partes intercedunt; tertiò superficies terminatiua, qua corpus ipsum in sua integritate perficitur: iam verò omnia ista esse corporea patet, quia ex vna parte neque spiritus sunt, neque corpora, eo quod hæc debent esse necessariò substantiæ per se stantes, cuiusmodi nullum ex tribus positis est. ex alia verò non sunt spiritualia, quia non pertinent ad spiritum; ergo sunt corporea, consequentia hæc euincitur, quia ens in tota sua latitudine sumptum rectè diuiditur in quatuor membra nimirum in corpus, & corporale: in spiritum, & in spirituale. Stet igitur omne, id quod intrinsecè pertinet ad compositionem integralem corporis verè, & propriè esse corporeum, quamuis enim pars integralis corporis, si separetur à corpore corpus sit; at non quandiu est in illo tanquam pars.

Explicatur etiam, & probatur conclusio quoad Secundum, in quo dicebamus omne, quod in genere causæ materialis siue proximè siuè remotè pendet ab eo, quod dat corpori rationem corporis esse corporeum. Pro quo supponendum, quod licet in corpore omnino simplici; si dabile sit, nequeat assignari vna pars, quæ det illi rationem corporis, & alia quæ non det; in alijs tamen assignabilis est, si quidem homo V. G. ex materia habet, & non ex forma, quod constet ex partibus integrantibus; vt de sè patet; quo posito dicimus, quod omnis illa forma, quæ in genere causæ materialis pendet à materia, siue immediatè cuiusmodi est quantitas, nec non etiam omnis forma substantialis, excepta anima rationali, quæ nullo modo pendet ab illa: siuè mediatè cuiusmodi est omne accidens, quod immediatè subiectetur in quantitate. omnis inquam huiusmodi forma est materialis. quod eodem modo suadetur, quia ex vna parte neque corpus est, neque spiritus, & ex alia non est spiritualis. ergo corporea. 76

Quoad denique Tertium, quod in conclusione dicebamus, nimirum omnem modum primariò competentem, vel corpori, vel rei corporeæ, siuè in prima, siuè in secunda acceptione sumptæ esse, corporeum cuiusmodi sunt relationes, quas huiusmodi res dicunt ad suas causas, & actiones per quas producuntur. 77

Probatur etiam quia modus sè habet ad rem cuius est modus, vt accessorium ad suum principale, quam sequitur in omnibus quoad fieri potest; ita vt censeatur vnum ens, realiter loquendo, cum illa. ergo regulariter loquendo existimandus est corporeus hoc ipso quod corpus, vel rem corpoream primò modificat. 78

Tria hic video posse obijci. Primò contra primam conclusionis partem, quia anima rationalis est spiritus. sed intrinsecè pertinet ad compositionem hominis, qui corpus est. ergo &c. Secundò contra secundam, quia per nos nō repugnat aliquam formam spiritualem posse diuitus à materia sustentari. ergo &c. Tertiò denique quia in sententia eorum, qui admittunt vnionem distinctam, & dicunt eam recipi in animam, profecto huiusmodi vnio est modus rei corporeæ, nimirum materiæ. sed ea est spiritualis. ergo &c. 79

Sed nullum ex his vrget. Ad primum enim dicendum animam rationalem esse quidem partem essentialem hominis, at non integralem; neque ad illam integraliter componendum intrinsecè pertinere. falsum igitur est, quod in nostra sententia sit corporea, pro vt à spirituali distinguitur, quia corporeum per nos in prima acceptione sumptum est omne, id quod ad com- 80

compositionem integralem corporis intrinsecè pertinet. Ad secundum aio quod quando forma aliqua spiritualis miraculosè à materia sustentatur, hoc non fit per potentiam naturalem, sed obedientialem: tum ex parte ipsius materiæ tum ex parte ipsius formæ. vnde non est mirum si ineat materiam secundum suæ intrinsecæ speciem, & formam illam non sit proportio, qualis inter subiectum corporeum, & eius formam inhærentem esse debet, vt eam esse corpoream concludamus. Ad tertium denique dico in conclusione loquutum de modis qui rei corporeæ primariò competunt. ratiocinor autem atque primò respicere extrema vnienda. atque adeò ex subiecto cui inhæret, corpoream, vel spiritualem tribuendā esse: cum igitur dicta vnio ponatur connaturaliter subiectari in anima, idcirco existimandam esse spiritualem, & non corpoream putarem.

81 Secunda conclusio: spirituale stricto modo sumptum prout distinguitur à spiritu duplex est; vel enim pendet in genere causæ materialis, siuè proximè, siuè remotè à spiritu, vel est modus primariò competens siuè ipsi spiritui, siuè ipsi rei spirituali primo modo acceptæ.

82 Explicatur simul, ac probatur conclusio; & primò quidem quantum attinet ad membrorum diuidentium numerum res est clara; in tantum enim nos numeramus inter res spirituales eas, quæ intrinsecè ad compositionem eius integrantem pertinent, sicuti fecimus res materiales connumerando: quia putamus spiritum excludere essentialiter à sè partes integrantes, vti satis supra probatum est.

83 Deindè verò quantum attinet ad prius diuisionis membrum. scio nonnullos existimare formam corpoream posse habere pro subiecto inadæquato spiritum, atque adeo velle accidentia materialia in homine sustentari partialiter, tum à materia, tum ab anima rationali, de quo suo loco. iuxta horum autem sententiam dicendum est sub priori membro contineri omnes, & solas formas, quæ adæquatè in genere causæ materialis connaturaliter pendent à spiritu. quod patet: earum formarum, quæ adæquatè pendent à corpore. earum autem formæ ab vtroque pendentes potius censeri debeant corporeæ, quam spirituales: ratio petenda est ex homine, qui licet ab vtroque pendeat, absolutè tamen existimatur corpus, & non spiritus.

84 Quod denique posterius membrum de modis primariò competentibus spiritibus, & formis spiritualibus, quod sint spirituales, & non corporei, constat: etenim pariter modorum corporis, & formarum corporearum, qui sunt corpore; modus enim in omnibus quoad fieri potest maximam habere debet conuenientiam cum re, cuius est modus. dicit, quoad fieri potest: constat enim, quod secundum suas essentialia, & secundum peculiares quasdam rationes ab essentialibus procedentes debet intrinsecè differre à dicta re.

85 Tria tamen contra hanc conclusionem videri possunt obiici. Primò quia probabile est dari posse compositum substantiale constans ex materia, & forma spiritualibus; ergo etiam spirituale strictè sumptum debet in tria membra distingui, quorum primum sit id, quod ad compositionem spiritus intrinsecè pertinet, &c. 84
Secundò quia, quod remotè pendet à spiritu, non pendet adæquatè ab illo: ergo explicatio allata ad excludendas à ratione spiritualitatis formas materiales, quæ inadæquatè pendent à spiritu repugnat conclusioni, in qua diximus. omne, quod, vel proximè, vel remotè in genere causæ materialis pendet à spiritu esse spirituale. Tertiò denique, quia actio, qua creatur anima rationalis connaturaliter in corpore organizato est spiritualis; sed dicta actio non est modus primariò competens animæ. ergo diuisio est insufficiens. maior patet; minor probatur, quia huiusmodi actio est etiam communicativa existentiæ animæ ipsi materiæ primæ: ergo competit etiam primariò ipsi materiæ. Sed omnia hæc non habent soliditatem. Ad Primum ergo dicendum; dupliciter posse fingi possibilem esse materiam spiritualem, quæ faciat vnum per se in genere substantiæ cum formā corporea spirituali. primò ita vt illam tantum recipiat sicuti nostra materia animam rationalem. secundò vt illam etiam in genere causæ materialis sustentet. si primo modo se habet, vtraque pars habebit rationem spiritus, & neutra spiritualis præsè dicetur: si verò secundo modo, sola materia erit spiritus, forma verò habebit rationem rei spiritualis priori modo acceptæ. vnde patet eas spirituale strictè sumptum adæquatè in duo membra dicta rectè diuisum esse.

Ad Secundum distinguendum est antecedens. 86
quod remotè pendet à spiritu non pendet adæquatè ab illo: per pendentiam formalem, concedo, per pendentiam radicalem, nego antecedens, & consequentiam. explico distinctionem ex suppositione, quod forma materialis sustentetur in homine à toto composito, neque formaliter, neque radicaliter pendet à sola anima. siquidem supponitur partialiter sustentari à materia prima: vt constet hanc esse primum subiectum; atque adeo causalitas, quam exercet in formam illam materialem, non potest refundi in ipsam animam tanquam in radicem: ac verò forma spiritualis V. G. intellectiua, quam anima rationalis corpori vnitā producit, etiam si immediatè sustentaretur ab intellectu, & nō mediante ab ipsa anima; licet non pendeat adæquatè formaliter à substantia animæ, pendet 87
tamen adæquatè radicaliter, in quantum, tota dependentia, quam in genere causæ materialis habet, refunditur in illam solam, tanquam in radicem; eo quod intellectus, si distinguitur, ponitur esse forma totaliter in genere causæ materialis pendens ab ipsa anima. rectè igitur primum membrum diuisionis rei spiritualis ex suppositione quod accidentia materialia subsistentur in toto constituitur per hoc, quod siuè proximè siuè remotè adæquatè pendeat à spiritu. quia tamen nos hanc suppositionem non admittimus: ideo non putamus faciendam esse in diuisione de particula, adæquatè, mentionem.

Ad Tertium denique, concessa maiore, 87
distinguo: videlicet creationem animæ rationalis

in

in corpore esse propriè spiritualem. nego minorem, eam scilicet, non esse modum primarium ipsius animæ.

88 Ad rationem in contrarium dico: dictam actionem non esse primariò ordinatam, nisi ad dandam existentiam animæ rationali, & solum secundariò ad dandam existentiam materiæ primæ dirigi, videlicet, mediante anima; per quod differret ab vnione modo, si daretur, quæ est æque primò ordinata ad vniendam veramque partem simul.

SECTIO SEXTA

Eandem prosequor difficultatem.

89 HVrtadus *disput. 2. de anima sect. 3. subsect. 5. §. 72.* Definit rem corpoream esse illam, quæ, aut est composita ex partibus integrantibus, aut ad huiusmodi compositionem intrinsecè pertinet. rem verò spiritualem, vt sic, esse, quę integranti compositione caret.

90 Priorem definitionem inductione probat, eo quod omnia entia corporea, vel sunt vniones, seu terminationes partium integrantium, vel dictis partibus constant, posteriorem verò exclusione aliarum definitionum, quia res spirituales non potest adæquatè differre à corporea per independentiam à materia. nã creatio albedinis est materialis, & non pendet à materia. nec per penetrationẽ, eo quod puncta, & superficies cõpenetrari possunt, sicuti etiam albedinis creatio, & vbi supernaturale Christi in Eucharistia, quãuis hæc omnia sint corporea. ergo per solam carentiam partium integrantium.

91 Huic Hurtadi sententiæ non acquiesco. Primò, quia in tradendis rerum vniuersalium definitionibus, quantum fieri potest, iura eorum, quæ in rebus particularibus dissidium habent integra seruare debemus. atqui hoc non fit ab Hurtado, nam Thomistarum sententia est, quam multi sequuntur, animas brutorum perfectorum esse indiuisibiles, easque corporeas. item alium Suarez valde probabiliter censens, vbi modum, quo Angelus spatio diuisibili coexistit posse constare partibus integralibus: & tamen certum est illud esse spirituale, si datur. neutra ergo definitio est bona. quia vtraque competit alteri à definito. prior, vbi Angelico; posterior, animæ brutorum perfectorum.

92 Deinde sic ego argumentor. Motus localis spiritus V. G. Angeli, est spiritualis, sed hic motus est compositus ex partibus integrantibus, quarum vna succedit alteri. ergo &c. Dicet partes integrantes proprias rei corporeæ debere posse simul coexistere, sicut defacto coexistunt partes subiectiuæ motus ligni palmaris V. G. cuius pars motus prioris semipalmi existit cum parte motus posterioris. sed contra quia probabile est dari posse punctum separatum; sed hoc, vti probauimus in libris de generatione, moueri posset localiter; ergo cum constet huius motum fore corporeum, nec tamen habere partes simul existentes, nequit sustineri de essentia rei corporeæ, vt sit, esse compositionem ex partibus integrantibus simul existentibus.

Mea igitur conclusio est, neque corporeum neque spirituale præsè sumpta posse definiri distinctè, nisi disiunctiuè, sic: ens corporeum est quod, vel intrinsecè pertinet ad compositionem corporis, vel ab illo ingenere causæ materialis dependet, vel denique est modus primariò illi conueniens. ens verò spirituale: quod vel pendet à spiritu in genere causæ materialis: vel est modus primariò ordinatus ad illum. duas habet partes assertio; prior est negatiua, videlicet, corporeum, & spirituale non posse sinè disiunctione distinctè definiri; dico, distinctè, quia posse confusè nulli dubium esse debet, si nimirum dicamus: Corporeum præsè sumptum esse, quod speciali quodam modo, pertinet ad corpus, & Spirituale, quod speciali etiam quodam modo refertur ad spiritum. sed quia hi speciales modi, nisi disiunctione explicentur, cõstare minimè possunt, ideo addo particulam restrictiuam, distinctè; iam verò hæc pars ex dictis huc vsque remanet sufficienter probata, si quidem neque per impenetrabilitatem, & penetrabilitatem, neque per compositionem partium integrantium, & eius carentiam; neque per aliquid aliud, corporeum, & spirituale rectè definiri posse ostendimus. Posterior verò pars affirmatiua in hunc ferè modum suadetur; si assignatæ definitiones non essent rectè traditæ vel esset, quia in eis definiretur disiunctiuè res communis, vel quia non adæquaretur cum suis definitis, vel denique quia definitiones non essent clariores eisdem definitis, sed primum non impedit, duo verò sequentia falsa sunt. ergo &c. maior patet. minor suadetur; & quidem quoad primum probatur ad hominem contra Hurtadum, qui rem corpoream definit esse eam, quæ aut est composita ex partibus integrantibus, aut ad huiusmodi compositionem intrinsecè pertinet. contra etiam ad hominem contra Arriagam, qui absolutè profitetur, non esse nouum, neque reprehendendum definire disiunctiuè aliquam communem rationem, & rectè id quidem, plerumque enim quamuis habeatur conceptus rationis communis confusè significatus aliquo modo vnus, non potest tamen distinctè explicari, nisi ad disiunctionem recurratur: sicuti est in casu nostro. quoad secundum verò eadem minor suadetur; quia ex vna parte nihil corporeum assignari potest, quod sub definitione rei corporeæ à nobis tradita non comprehendatur; & nihil spirituale, quod sub definitione rei spiritualis minime concludatur; ex alia verò de nullo pertinente ad vnum diuisionis membrum verificari potest definitio alterius membri; ergo definitiones traditæ adæquantur eum suis definitis. certum denique, quod in eadem minori subsumebam probatur ex eo, quia diuisio est oratio totum in suas partes distribuens. ergo impossibile est definitionem, quæ fit per diuisionem non esse clariorem definito, quia nullo alio meliori modo rem confusam distinctè cognoscimus, quam singulas eius partes inspiciendo. 93

Ex his colliges primò leuitatem rationum, quibus Hurtadus suas definitiones suadere conabatur. ad priorem enim negatur omnia entia 94

corpo-

Digitized by Google

corporea aut esse composita ex partibus integrantibus, aut intrinsecè ad huiusmodi compositionem pertinere. vt patet ex animabus brutorum perfectorum in sententia Thomistarum, & ex vbicatione, per quam Angelus in loco diuisibili constituitur in sententia admittentium vbi intrinsecum modum, & in communissima sententia ex motu locali ipsius Angeli. ad posteriorem verò negatur etiam assumptum, rem videlicet, spiritualem non posse aliter definiri, nisi per carentiam partium integrantium, vti vidimus.

93 Colliges secundò: ex hac nostra doctrina facillime dissolui argumenta eorum, qui contendunt rationem corporis non consistere in compositione partium integralium, nec rationem spiritus in carentia dictæ compositionis. placet leuiter vnum aut alterum tangere, vt appareat quam sint soluta difficilia, nisi ad ea, quæ huc vsque dicta sunt à nobis, recurratur.

94 Primum sumitur ex Quiedo puncto 5. *num.* 2. sic: Gratia habitualis est spiritualis, & constat ex partibus intensiuis. ergo non repugnat rem spiritualem partes extensiuas habere. consequentiam, vt verum fatear, male probat arguens dicendo, intensionem, & extensionem in qualitatibus extrinsecè solum differre ratione subiecti, atque adeò eosdem gradus, qui vnisi eidem parti subiecti faciunt intensionem: si vniantur diuersis partibus facere extensionem. *Hoc enim rectè negatur paritate ducta à quantitate, quæ per hoc, quod secundum diuersas partes eandem materiæ partem informet, non* ideò censetur intensa: eò quod partes extensiuæ essentialiter differunt à intensiuis. melius ergo consequentiam probant alij paritatem, eò quod veraque compositio simplicitati repugnat.

95 Ad hanc difficultatem respondet Hurtadus *num.* 77. negando consequentiam, & paritatem, eò quod compositio extensiua est valdè imperfecta, intensiua verò perfectior, quarè non est mirum si prior sit propria solius rei corporeæ vtpotè imperfectioris. Sed contra, & quidem difficulter, instat Comptonus *sect.* 2. *num.* 3. tum quia multæ res spirituales sunt quam pluribus materialibus imperfectiores, tum etiã quia licèt extensio sit imperfectior intensione, affert tamen aliqua commoda subiecto suo. ergo non est cur ab omni ente spirituali remoueatur.

96 Ac verò si solutio ex nostra doctrina petenda, nulla remanet difficultas; concesso enim antecedente, distinguo consequens, non repugnare rem spiritualem præsè sumptam quatenus condistinguitur à spiritu habere partes extensiuas, nouo do consequentiam, si loquamur de rè spirituali late accepta, quæ sit substantia per se existens, nego consequentiam; & ad paritatem dico, quod quemadmodum ex eo, quod detur qualitas constans ex partibus intensiuis, non rectè inferetur posse dari substantiam huiusmodi partes habentem vitaque ex eo, quod detur qualitas spiritualis intensa, quod sit possibilis substantia spiritualis extensa. Ratio est, quia non magis repugnat substantiæ in communi intensio, quam substantiæ spirituali extensio, vti supra probatum est.

Secundum argumentum sumitur ab eodem 97
Quiedo *num.* 4. ex vnione spirituali, quam in homine concedit Hurtadus sic: hæc vnio est diuisibilis in partes integrales. ergo non est de ratione rei spiritualis dictis partibus carere. antecedens suadetur: si esset indiuisibilis, vel quando homo nutritur remaneret eadem, vel corrumperetur, & alia de nouo aduenirent. neutrum dici potest. ergo est diuisibilis, quæ ad nouam materiæ additionem augetur. minor euincitur; non primum, quia vnio non est indifferens ad modo has, modo illas partes vniendas, sed est essentialiter addicta extremis suis. neque secundum, quia in eo instanti, in quo nutritus homo, eius animus debet in aliquo priori præintelligi vnitus materiæ, eò quod nutritio sit actus vitalis. at si in eo instanti corrumperetur vnio vetus, & noua produceretur pro eo priori anima non intelligeretur vnita materiæ, sed solum pro posteriori. ad summum enim in eo priori intelligeretur vnita per semiunionem corpoream; quæ non sufficeret; si quidem vnio, quæ constituit viuens non debet esse partialis, sed totalis, & sic nutritio illa non procederet à principio viuente; non igitur esset actus vitalis.

Porrò hæc difficultas, quæ insolubilis est in 98
sententia Hurtadi, in nostra nullo negotio dissoluitur, quamuis enim nos omnem penitus vnionem modalem inter materiam, & formam negemus: ea tamen admissa, & quidem ex duplici semiunione composita, & dato etiam quod semiunio spiritualis, quæ in homine habetur sit diuisibilis, diximus consequens: ergo non est de ratione rei spiritualis carere partibus integrantibus; & si quidem res spiritualis ponatur esse substantia absoluta per se existens negamus. si vero ponatur esse modus, vel forma inhærens, concedimus. Vide quam facile ad versariorum machinæ dissoluantur. eiusdem farinæ sunt cetera argumenta aliis contra rationem corporis, & spiritus afferri solita, quæ in sententia quidem eorum, qui ab omnibus prorsus entibus spiritualibus compositionem integralem excludunt vix, aut ne vix quidem, probabilem solutionem inueniunt: contra verò in nostra, qua solum intendimus dictam compositionem à substantijs spiritualibus per se existentibus excludere, nil curamus de alijs entibus spiritualibus: nullam præ se ferunt difficultatem.

Contra illam nihilominus tria video posse 99
obijci. Primò quidem, quia non videtur maior ratio cur dictam compositionem vel potius substantiæ spiritualis negamus à non alijs entibus spiritualibus. ergo &c. Secundò, quia non implicat posse Deum rem aliquam corpoream *V. G* albedinem per actionem spiritualem creare; si autem hæc adhuc constare posset partibus integrantibus, non posset assignari per quid in ratione rei spiritualis constituerentur. ergo &c. Tertiò denique, quia in hac nostra sententia non est assignabilis vna ratio communis spiritualitatis, in qua omnia prorsus entia spiritualia conueniant, siue sint substantiæ per se existentes, siue formæ inhærentes, siue modi; sed hæc videntur inconuenientia. ergo &c.

Ad

100 Ad primum est negandum assumptum: maior autem ratio est, quia, nisi substantiam spiritualem per sè existentem dicamus per carentiam compositionis extensiuæ constitui: non habemus, per quid eam primò à corpore discernamus, vti supra probatum est; vbi vidimus impenetrabilitatem ex multiplicitate partium ortum habere; at verò admittendo compositionem extensiuam in reliquis entibus spiritualibus, adhuc habemus, per quid hæc à corporeis differant, nimirum per hoc, quod sint formæ à spiritu adæquatè pendentes ingenere causæ materialis, vel sint modi illam primariò respicientes.

101 Ad secundum dicendum: dupliciter posse intelligi, quod albedo per actionem spiritualem creetur. Primò, ita vt existentiam materialem acquirat. Secundò: vt reddatur existens per existentiam aliquam spiritualem: & si quidem priori modo intelligatur creari, dico implicare contradictionem, quod eius creatio sit spiritualis. Ratio est, quia actio specificatur à termino suo formali, & proximo, vt omnes volunt; cũ ergo in casu nostro huiusmodi terminus sit existentia corporea; implicabit profectò per actionem spiritualem produci posse. At verò, si posteriori modo; admitto creationem albedinis fore spiritualem, & ad rationem in contrarium dico, quod quamuis huiusmodi actio esset composita ex partibus extensiuis, haberet tamen esse spiritualis ex suo primario termino, nimirũ ex existentia spirituali, quæ essentiæ albedinis eius beneficio communicaretur.

102 Ad tertium denique dico: quod, quamuis habeatur ratio communis omnibus rebus spiritualibus, ea tamen à nobis definiri non potest, nisi disiunctiuè, sic: Ens spirituale latè acceptum, vel est substantia per se existens carens partibus extensiuis, vel forma in genere causæ materialis pendens ab illa, vel denique modus ad illã primariò ordinatus.

SECTIO SEPTIMA.

Expenditur sententia quædam recens de essentia entis spiritualis.

103 Ruardus Lynceus *tom. 2. suæ philosophiæ lib. 6. tract. 1.* nouam quandam sententiam circa essentiam entis spiritualis conatur inuehere, qua omnes opiniones, quas hucusque hac de re addiximus, conciliari inter se posse putat: eam iubet in præsenti examinare, ne nouitatis amatores absque præuia disquisitione in illam inclinent. Iam verò huiusmodi sententiam, cuius quanta est: cribus assertionibus capite. primo auctor concludit; quarum Prima, quæ habetur *nu.* 2. est, rem esse incorpoream, hoc est spiritualem, triplicem importare negationem: nempè rem illam non esse corpus: neque dependere ingenere causæ materialis à corpore: ac demum non habere conditionem aliquam propriã corporis, prout omnino, ac præcisè corpus est. Porrò has conditiones sex omnino esse ait: nimirum Compositionem ex partibus integralibus, Sensibilitatem, quod nimirum aliquo sensu corporeo percipi possit, Impenetrabilitatem, Corruptibilitatem, saltem radicalem (qualem habet materia prima) Irrationalitatem, & Carentiam libertatis. Probat deinde hanc assertionem sic: ad rem incorpoream constituendam, non sufficit prima negatio, vt patet ex accidentibus materialibus; neque secunda, vt patet ex materia prima; neque tertia vt patet ex forma Cæli, quæ incorruptibilis est, & ex anima brutorum perfectorum, quæ indiuisibilis; ergo tres dictæ negationes necessariæ sunt ad rem aliquam spiritualem constituendam.

Secunda verò assertio, quam tradit *nu.* 3. est huiusmodi: Non implicat contradictionem creatura aliqua, quæ penes idem realiter sui, simùl corporea, ac etiam spiritualis sit; idque non impropriè solum, sed propriè, & rigorosè. 104

Tertia denique assertio, quam tradit *nu.* 7. sic procedit: Vt res aliqua totaliter spiritualis sit; & omnino immaterialis oportet, vt sex illas corporis conditiones sè collectiuè sumptas excludat, & sex conditionibus illis oppositis prædita sit. Ratio est, quia quamdiu vna res aliquam ex assignatis conditionem admittit, iam est partim corporea; ergo, vt sit adæquatè spiritualis, omnes debet excludere. quamobrem, qui dicunt substantiam indiuisibilem, & impenetrabilem, esse spiritualem: bene dicunt; quique eam affirmant esse corpoream etiam bene dicunt, idemque asserendum de substantia constante ex partibus integrantibus penetrabili, & de reliquis similibus. vtrumque enim veritatem habet. Vides, qua ratione concilientur omnes sententiæ: quæ inter sè videbantur oppositæ? 105

Contra hanc opinionem sic explicatam 106
Prima conclusio sit aduersus primam assertionem: non rectè res spiritualis, seù incorporea per triplicem illam negationem definitur.

P. Arriaga in suo secundo cursu *Disput. 1. de anima a nu.* 27. probat hanc nostram conclusionem multipliciter; & Primò quidem, quia prima negatio nihil porsus declarat, cum incorporeum ipsis terminis negationem corporis importet. Secundò, quia duæ priores negationes ad rem spiritualem explicandam sufficiunt. hoc enim ipso, quod aliquid: neque corpus est: neque pendet materialiter à corpore; iam est spirituale. Tertiò, quia sola tertia negatio ad rem spiritualem explicandam sufficientissima est, nam hoc ipso, quod aliquid caret conditionibus peculiariter assignatis alicui rei, euidenter sequitur non esse illam rem. Quartò denique, insurgit contra modum argumentandi, quo Lynceus suam assertionem de triplici negatione probat. tum quia à sensu distributiuo ad collectiuum negatiuè procedit, sic: neque sola prima negatio, neque sola secunda sufficit ad rem spiritualem constituendam; ergo requiritur tertia, nam prima, & secunda simul sumptæ erunt sufficientes; tum etiam, quia ad probandum non sufficere solam carẽ tiam sex conditionum ab eo assignatarum; sic procedit: non sufficit vna ex eis, vt patet ex anima leonis, quæ indiuisibilis est, & tamen est materialis, & ex forma Cœli, quæ etiam materialis est, licèt sit indiuisibilis. 107

Verum hæ rationes non videntur solidæ ad 108
no-

Digitized by Google

noſtram concluſionem comprobandam. Ad primam enim poteſt Lyncæus reſpondere, quod ſicuti corporeum magis latè patet, quam corpus: ita incorporeum, quam negatio corporis; quare licet ex terminis conſtet in corporeum negationem incorporei importare: at non importare negationem corporis Ad ſecundam, negabit auctor duas priores negationes ad rem ſpiritualem explicandam ſufficere; vt patet, ex puncto, quod licet neq; corpus ſit, neque pendeat à corpore materialiter, eſt tamen corporeum, & non ſpirituale, vti videbimus. Ad tertiam dicet ſe non aſſignaſſe ſex illas corporis conditiones, vt omnium earum negationem ad rem ſpiritualem neceſſariam eſſe ſignificaret. ſed vt oſtenderet ſufficere ad id negationem alicuius ex illis coniunctam cum duabus præcedentibus (ſic enim expreſſè numero illo primo dicit.) Ex quibus patet reſponſio ad quartam, neque enim duæ priores ſine tertia, neque ſola tertia, erunt ſufficientes rem ſpiritualem conſtituere, neque enim Lynceus ad probandam non ſufficere ſolam carentiam omnium ſex conditionum vtitur ſola indiuiſibilitate animæ Leonis, & incorruptibilitate formæ cæli, ſed ad oſtendendum, quod non ſufficiat carentia alicuius ex ſex illis. His

108 igitur rationibus poſt habitis.

Probatur primò à nobis aſſertio; quia in huiuſmodi definitione à Lynceo tradita ratio entis *ſpiritualis per carentiam corporis declaratur, abſque eo, quod prius ſtatutum ſit in quonam* ratio entis corporei conſiſtat. vnde fit vt ignotum per æquè ignotum explicetur. quod vitium auctores omnes, qui hac de re agunt vitantes: onus ſibi imponunt vtriuſque rei rationem explicandi, & rectè id quidē, æquè enim operoſum, ac difficile eſt, quid ſit corpus, ac quid ſit ſpiritus determinare. ergo &c.

110 Dicet primò ex fine nu. 2. ſe, rem ſpiritualē per trinam negationem rectè explicatam eſſe probando, iam notionem corporis tradidiſſe; illo videlicet, argumento. Corpus omnium conſenſu trina dimenſione, videlicet, longitudine, altitudine, & latitudine coaleſcit; ergo rectè res ſpiritualis corpori contrapoſita trinā negationem importat. Sed contra: quia vt argumenti taceam leuitatem, quod paritate numeri ternarij, vt ſic, contentum eſt: Hoc ipſo quod corpus eſſentialiter trinam dimenſionem importat, *iam implicat dari corpus indiuiſibile, ſicuti per ipſum repugnat dari rem ſpiritualē triplici illa negatione carentem; ſed hoc auctor negat; ſæpè enim docet non implicare corpus, quod ſimul indiuiſibile ſit, & impenetrabile.* ergo &c.

111 Dicet fortaſſe ſecundo: ſe nomine corporis intelligere id, quod omnibus dictis ſex conditionibus præditum eſt. ſed contra, quia in eius ſententia id, quod dictas conditiones importat tum corpus poteſt eſſe tum res corporea vt decet eodem num. 2. & confirmatur: quia calor v. g. non eſt corpus, ſed corporeus, & tamen omnibus illis conditionibus inuenitur affectus, eſt enim integraliter compoſitus, impenetrabilis, cū alio ſimili, ſenſibilis, corruptibilis irrationalis, & neceſſariò operatiuus. ergo falſum eſt eſt nomine corporis ſe intelligere id, quod ſex illis conditionibus coaleſcit.

112 Contra eandem aſſertionem probatur ſecundo noſtra concluſio: quia falſum eſt per triplicē illam negationem rectè definiri omnem rem ſpiritualem. ergo &c. antecedens ſuadetur: nam etiam in aliquibus rebus corporeis dictæ negationes reperirentur, vt patet ex punctis, tum continuationis, tum terminatiuis, quæ neque corpora ſunt, neque corpori inhærent, & præterea diuiſibilitate carent, quæ eſt vna ex conditionibus corporis. item ex actione creatiua albedinis extra ſubiectum, quæ præter duas negationes, corporis, nimirum, & formæ corpori inhærentis: habet etiam carentiam impenetrabilitatis (vti ſupra vidimus) quæ inter ſex conditiones rei corporeæ enumeratus; ſed tum puncta quantitatis tum actio creatiua albedinis ſunt abſolutè corporea; ergo iam habemus res corporeas triplicem illam negationem importantes, atque adeò falſum eſſe, rem ſpiritualem per dictas negationes rectè explicari, ac definiri. Dicere autem punctū quantitatis eſſe partim ſpirituale, eſt aduerſari valdè manifeſtis; quis enim probabiliter ſibi perſuadere poterit ens omnium rerum corporearum viliſſimum, ſicuti eſt punctum, ſe ſupra illas per veram, & propriam rationem ſpiritualitatis aſſurgere?

113 Præterea hoc aſſertum putarem habere contra ſe definitionem concilij Lateranēſis ſub Innocentio *cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica. ibi* Deus ſua omnipotenti virtute ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem: angelicam, videlicet, & mundanam, & deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtantem. iam ex hac ſententia cum punctum partim ſit ſpirituale, partim corporeum; ſequeretur nullam mundanam creaturam poſſe dici adæquatè corpoream, quia iam includeret in ſe puncta, quæ partialiter ſpiritualia eſſent; atque adeò media, atque communia.

114 Probatur tertiò: quia malè ſex illæ conditiones tanquam propriæ corpori aſſignantur. ergo &c. antecedens probatur; vel enim dictæ conditiones procedūt omnes ex ratione differentiali conſtitutiua corporis, vt ſic, in eſſe corporis; vel non, ſed vna ex dicta ratione, alia ex alia, &c. neutrum dici poteſt in ſententia auctoris; ergo &c. maior patet, minor probatur, & quidem ſi procederent omnes ex ſola ratione differentiali conſtitutiua corporis, vt ſic, in eſſe corporis: repugnaret ratio corporis ſine omnibus illis collectiuè acceptis; quemadmodum, quia calor, & ſiccitas in gradu excellenti proueniunt ex ſola ratione differentiali ignis: repugnat ignis, qui calore, & ſiccitate, ex ſuis intrinſecis careat. atqui ipſe putat poſſe dari corpora ſine collectione illarum, vnum; nimirum, indiuiſibile ſimul, & impenetrabile, aliud corruptibile ſimul, & inſenſibile &c. vt habet in 4. ergo &c. neque dici poteſt, quod omnes ex diuerſis rationibus procedant. non enim poſſunt aſſignari in omnibus corporibus huiuſmodi diuerſæ rationes, quarum vnaquæque ſuam Petu-

peculiarem conditionem ex assignatis sibi vendicet; aliunde verò assignanda esset peculiaris conditio, quæ proueniret ex praecisa ratione differentiali, quæ constitueret corpus in esse corporis, vt sic: atque adeò superflue numerata fuissent tot conditiones propriæ corporis, neque ex negatione cuiuscumque rectè inferretur ratio ipsius; ergo &c.

115 Secunda conclusio est contra secundam assertionem. implicat contradictionem, eandem prorsus realitatem indiuisibiliter acceptam habere simul propriè rationem corporis, & spiritus, seù rei corporeæ, & spiritualis quantumuis inadæquatè.

116 Probatur primò. quia si non implicaret, rem aliquam penes eandem realitatem indiuisibiliter acceptam esse simul corpoream, & spiritualem propriè, & rigorosè; sequeretur quod omnes ferè Theologi ex eo, quod Deus, Angelus, & anima rationalis sunt spiritus, malè arguissent ea non esse corpora, & è contra, ex eo, quod reliquæ substantiæ per se existentes sint corpora; malè deduxissent, eas non esse spiritus; possent enim verè, & propriè vtrumque esse; sed hoc videtur nimis audaciter assertum; ergo &c. sequela patet; quia hic auctor in sua conclusione loquitur de spirituali, & corporeo latè sumptis: atque adeò vale dari posse substantiam per se existentem, quæ simul sit corpus, & spiritus, cuiusmodi esset illa, quæ multiplicitatem partium integrantium, & penetrabilitatem haberet; & illa, quæ simul insensibilis, & corruptibilis esset, &c. ergo malè Theologi ex eo quod Deus, Angelus, & Anima rationalis essent spiritus; non esse corpora concluserint, & è contrario, loquendo de reliquis substantijs per se existentibus.

Neque dicas: huiusmodi consequentias rectè deduci à theologis, eo quod in antecedente firmo sit de spiritu, & corpore adæquatè acceptis.

117 Contra enim est, quia si auctores illi putassent vtramque rationem in vnam indiuisibilem entitatem coalescere posse: debuissent, se explicare; & non de corpore, ac spiritu in communi, tanquam de rationibus omnino incompossibilibus loqui; cum igitur inter corpus, & spiritum adæquatè, & inadæquatè sumptis non distinxerint; signum est, quod putauerint huiusmodi distinctionem impossibilem esse, atque adeò nullum dari posse ens, quod sit corpus, & spiritus inadæquatè, sicuti nullum potest dari quod vtrumque sit adæquatè; ita nec re id quidem; nam, vt benè notat D. Tho. in *primo dist. 16. qu. 1. art. 4. in corpo.* spiritus est nomen impositum ad significandum subtilitatem alicuius naturæ; subtilitas autem dicitur per remotionem à materialitate; vnde ea, quæ minus de materia habent, vocamus, grossa, sicut terram; & ea, quæ minus, subtilia; sicut aërem, ignem, ventum, nec non etiam subtilissimum sanguinem, per quem animæ operationes vitales in organis corporeis exercent. omnia enim hæc spiritus appellamus. quare in hoc sensu non dubium, quin eadem substantia sit corpus, & spiritus. Quoniam verò à nobis in præsenti controuersia spiritus accipitur pro ea substantia per se existente, quæ caret materia prima tum formaliter tum æquiualenter accepta, prout, videlicet, est principium quantitatis; sicuti corpus pro substantia, ex qua procedit quantitas tanquam proprietas; hinc fit, vt rectè existimauerint Theologi, non esse possibilem substantiam, quæ sit simul corpus, & spiritus inadæquatè, sed omnem aut esse corpus, aut spiritum.

Probatur secundo; quia si esset possibilis res 118
quæ secundum suam entitatem indiuisibiliter acceptam partim esset corporea, & partim spiritualis: ea per Lyncæum esset, quæ ita non est corpus, neque forma inhærens corpori, vt habeat aliquam tantum ex conditionibus corporis ab eo assignatis, sed hoc est falsum; ergo &c. sequela maioris patet ex eius doctrina. minor verò probatur, quia inde sequeretur cognitiones, & volitiones angelicas esse huiusmodi, nimirum partim corporeas, & partim spirituales; sed hoc est contra communem, tum sapientum, tum rudium, existimationem. omnes enim putamus, dictas operationes angelicas esse purè spirituales; ergo &c.

Probo sequelam; nam cognitiones, & vo- 119
litiones angelorum ex vna parte non sunt corpora, neque formæ corpori inhærentes; ergo iam priores duas negationes habent: ex alia verò parte inhærent aliquibus ex assignatis seu conditionibus corporis, vt non nullius haberent, nempè corruptibilitatem. sunt enim de se naturaliter corruptibiles; ergo iam partim essent spirituales, & partim corporeæ.

Duas ad hoc argumentum auctor responsio- 120
nes affert. tractatu sequenti *cap. 3. nu. 15.* vna est: huiusmodi angelicæ accidentia ita simpliciter spiritualia esse, vt vestigium aliquid materialitatis habeant: altera verò ea adæquatè recipi in subiecto incorruptibili; eaque propterea esse æquiualenter immortalia, & incorruptibilia; iuxta communem paremiam; quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Sed neutra responsio satisfacit. Contrà priorem enim quæro: quid hoc vestigium materialitatis, quod indicijs accidentibus angelicis reperitur, importet? Vestigium enim, vt inquit D. Tho. *p. quæst. 45. art. 7. cor.* demonstrat motum alicuius transitus. vnde est, quod in creaturis omnibus inuenitur representatio Trinitatis per modum vestigij, quatenus quælibet habet aliquas, quæ necesse est reducere in diuinas perfectiones sicut in causam. atqui res corporeæ non sunt causa cognitionum, & vo- 121
litionum angelicarum; ergo in his non habetur rerum materialium vestigium; quod si dicat: importare solum conuenientiam quandam in corruptibilitate: vrgeo, quia hæc conuenientia non est sufficiens fundamentum ad asserendum, quod essentialiter conueniant cum reliquis rebus corporeis in ratione propria corporis. quemadmodum enim terra habet conuenientiam cum igne in siccitate; & in frigiditate cum aqua: nemo tamen dixit, eam esse partim terram, & propriè ignem, & partim

verè

verè, & propriè atque adeò dari posse ignem inadæquatum, qui videlicet aliquam tantum ignis conditionem participet, & adæquatum, qui habeat omnes; & similiter loquendo de aqua, & alijs primis corporibus: ita quamuis cognitiones, & volitiones angelicæ cum rebus
112 corporeis in corruptibilitate conueniant. malè dicitur eas esse partim verè, & propriè corporeas, & partim verè, & propriè spirituales, & incorporeas.

121 Contra posteriorem verò responsionem arguo sic: si accidentia angelica per hoc, quod in subiecto incorruptibili recipiuntur, essent æquiualenter incorruptibilia: quatenus quidquid recipitur per modum recipientis recipitur; sequeretur, idem posse de omnibus formis materialibus asseri; sed hoc est inconueniens. &c.

122 Sequela maioris probatur: non minus est incorruptibilis materia prima, quæ est subiectum omnium formarum materialium; quam sit substantia angeli; ergo fiunt ex eo, quod cognitiones, & volitiones angeli recipiantur in substantia angeli, censentur incorruptibiles æquiualenter, quatenus quidquid recipitur per modum recipientis recipitur; etiam formæ omnes materiales, ex eo quod recipiuntur in materia prima: erunt propter eandem rationem eodem modo æquiualenter incorruptibiles. minor verò suadetur, nempè hoc esse absurdum, quia in hac via aduersarius sustinet dicta accidentia angelica esse adæquatè spiritualia. ergò tenentur fateri incorruptibilitatem tum propriam, tum per æquiualentiam esse vnam ex conditionibus rei adæquatè spiritualis, sed sufficit conuenientia in vna conditione ad constituendam rem inadæquatè spiritualem in eius sententia;
123 ergo iam omnis forma materialis censenda esset inadæquatè spiritualis, quod quam absurdum sit, nemo non videt.

123 Ad hoc Argumentum responderi potest primò: accidentia materialia, vt quantitatem, primas qualitates, &c. dependere in genere causæ materialis à corpore; atque adeò deesse illis secundam negationem ex tribus assignatis ad rem spiritualem constituendam.

124 Sed contra est. Primò quia non quam explicat Doctor quid sit corpus. Contra. Secundo quia ex eo, quod aliqui nel desit prima negatio ex tribus assignatis ad rem spiritualem constituendam non sequitur illam rem non esse partialiter spiritum in sententia Doctoris. ergo ex eo quod quantitati, primisque qualitatibus non competat negatio dependentiæ in genere causæ materialis à corpore &c. non benè deducitur propterea per hoc ea non posse esse inadæquatè spirituales. consequentia est euidens, antecedens verò probatur, quia super omne ens possibile substantia, quæ sit diuisibilis, foro & penetrabilis, atque adeò sit corpus simul & spiritus partialiter; sed prima negatio ex assignatione notionis spiritus est negatio corporis ergo iam hæc substantia non habet primam negationem; impossibile enim est, quod ens
125 indiuisibile subiecto sit simul forma, & eius negatio; & rectè id quidem. omnes enim ex vnanimi supponimus, quod adæquata ratio corporei sex illis assignatis conditionibus comprehendatur, & ratio adæquata incorporei totidem illis oppositis. & ex alia parte, quod sufficiat participatio vnius ex illis conditionibus ad rationem, cuius est propria, partialiter inducendam. si præterea ad inducendam rationem spiritualitatis requireretur quoque negatio corporis, omnia implicarentur; iam enim non posset eadem res esse spiritualis simul, & corporea, ne in adæquatè quidem. ergo eodem modo dicendum est, neque requiri negationem dependentiæ à materia; sed sufficere conuenientiam in aliqua conditione propria rei spiritualis absolutè. 9. 11

Ad Argumentum principale ex formis materialibus desumptum responderi Secundò potest, negando paritatem. disparitas esse potest, quia Angelus est tum formaliter, tum radicaliter incorruptibilis. & ideò non est mirum, si eius cognitiones, & volitiones per hoc quod recipiantur in illo, censeantur æquiualenter incorruptibiles. as verò materia prima est radicaliter corruptibilis; quatenus est principium corruptionis formarum, quæ in ea sunt. unde ex eo, quod quantitas, & primæ qualitates illi inhæreant impossibile est, quod sint æquiualenter incorruptibiles.

Contra tamen est, quia materia prima respectu quantitatis non est radicaliter corruptibilis. cum enim quantitas sit cõmuna materiæ, non potest dici, quod hæc sit principium corruptionis illius; ergo saltem quantitas erit simul corporea & spiritualis, & quidem magis propriè quam cognitiones, & volitiones angelicæ, si quidem hæ sunt incorruptibiles æquiualenter, at verò quantitas formaliter.

Contra etiam est secundo, quia non minus 126
est angelus radicaliter corruptibilis in ordine ad suas cognitiones, & volitiones, quam materia prima respectu reliquarum formarum materialium, quæ à se dependent, quid quid sit de quantitate; ergo nulla responsio. consequentia patet, antecedens etiam. quia materiam esse radicaliter corruptibilem respectu formarum materialium est esse principium corruptionis illarum. modo idem. Lyncæus. sed Angelus est æquiprincipium corruptionis suarum cognitionum, ac volitionum. nam in quantum Angelus est corruptionem exigit per hoc quod talia de nouo æquirat, & non possit, nisi hæc [illegible]

127 [illegible] assertionem audacis hæc de tota ista adæquatè spiritualis, & continua incorporea [illegible]
128 non est hoc ens ex illa conditione corporis [illegible] quia intellectiones, & volitiones angelicæ, vel reliquæ, sunt adæquatè spirituales. sed tamen quæritur, si illis conditionibus collectiuè acceptis sufficit quam remotio [illegible]

SECTIO OCTAVA.

Soluuntur obiecta ex Lyncæo.

129 OBijcies primò ex his, quæ habet hic auctor num. 11. Baconus in 4. distinct. 46. art. 2. docet nō implicare contradictionem creaturam, quæ indiuisibiliter accepta, sit spiritualis simul, & corporea; & huiusmodi dicit esse defacto ignem infernum, qui in vna, eademque entitate cōtinet virtutem comburendi, tum corpoream, si est noster ignis, tum spiritualem, per quam realiter Dæmones cruciantur; & hoc etiam modo supponit esse animam rationalem, quæ simul est vitus sensitiua, & intellectiua. ergò hæc entitas spiritualis simul, & corporea non est omni prorsus auctoritate destituta. Confirmatur ex his, quæ habet num. 9. quia S. Thom. p. quæst. art. docet animas sensitiuas hoc ipso, quod sunt cognoscitiuæ, gradum quendam immaterialitatis habere.

130 Respondeo negando antecedens. hic enim auctor, nempè Baconus expressis verbis profitetur sè sine assertione possibilitatem huius ignis proponere, ergo falsum est in eius sententia creaturam, quæ simul corporea, & spiritualis sit, non implicare; eius verba sunt hæc.

131 Vera difficultas in hac materia est, quo modo talis virtus spiritualis possit recipi in rè corporali; ideo eius possibilitatem sine assertione ostendo. vbi intelligendum, quod virtutem spiritualem recipi in corpore, quod est intelligere, ipsius corporis, vno modo sic, quod ipsa virtus spiritualis conformaret, quæ de se est materialis, fiat vna forma per essentiam, sicuti Deus facit vnam formam de intellectiua, & sensitiua &c. hæc Baconus. Quantum verò ad id, quod dicitur de anima rationali, posset in bono sensu accipi, quod habeat simul de corporea, & spirituali in genere entis, quia per vitalem actum mouet, quibus tam sensitiuas, tum intellectiuas operationes producit; citerum formaliter in se ipsa est materialis quidem esse, corporeque ipsemet Lyncæus expressè fatetur. Virtutes autem dari possit aliquæ res, quæ illi quidem haberi ratione, valeant tamen cum materiali entitate spirituales operari, dictum est à nobis lib. 1. tract. de Generat. & Corruptione, ad cōfirmationem adducitur immaterialitas animæ sensitiuæ, cum tamen S. Thom. loco citato dicat oppositum, & ratione, cur anima brutorum cognoscat res sine phantasmatibus, non habet negationes à Lyncæo requisitas ad rei spiritualis notionem, quia videlicet nullo modo illi sunt corpori vnitæ, & quia non possunt corpori vnitæ, & quia non possunt corpori vnitæ, & quia non poss

quoſdam ex Thomiſtis, nimirum Capreolum, Caietanum, Ferrarienſem, & alios exiſtimaſſe Angelos eſſe inuicem impenetrabiles; in quantum volunt eos fieri præſentes loco formaliter per operationem, loco verò adæquato per operationem adæquatam. quoniam verò aliundè cum communi ſupponunt compenetrationem, per præſentiam ſimultaneam in eodē loco adæquato conſtitui: hinc eſt, vt conſequenter ad ſua principia negent Angelos eſſe inuicem penetrabiles: cæterum non negant eos poſſe eſſe in eodem loco materialiter, ſicuti eſſent duę animæ in eodem corpore. verum, vt planum fiat, hanc Lyncei ſententiam eſſe valdè rationibus deſtitutam, & omni ex parte minitari ruinam.

136 Reſpondeo ſecundò, permiſſa maiore: negando minorem. dico enim, quod iuxta diuerſas ſententias poteſt quidem probabiliter ſuſtineri ſubſtantiam illam ex hypotheſi, quod ſit poſſibilis, vel ſpiritualem, vel corpoream eſſe. nullo tamen modo eam vtrumque partialiter eſſe, defendi poſſe. quare in ſententia eorum, qui dicunt eam eſſe ſpiritualem, ad probationem prioris partis minoris negatæ diſtinguerem maiorem: ea ſubſtantia haberet conditionem propriam rei corporeæ propriam in quarto modo, nego; in ſecundo, concedo; & ſic diſtinguerem minorem, quæuis conditio propria rei corporeæ in quarto modo ſufficit, vt res eam habens ſit abſolutè corporea, concedo; ſi eſt propria, in ſecundo modo, nego minorem, & conſequentiam. qui enim tuentur hanc ſubſtantiam fore ſpiritualem, dicent impenetrabilitatem non eſſe proprium rei corporeæ in quarto modo; quod nimirum competat omni, & ſoli, & ſemper, ſed in ſecundo, quod ſcilicet competat omni quidem, ſed non ſoli, ſicuti eſſe bipedem reſpectu hominis. Ad elucidationem verò reſponderem non omnem defectum inferre rationem corporis, vt conſtat ex dependentia ab alio, quæ æquè de omni rè creata verificatur, ſiuè ea ſpiritualis ſit, ſiue corporea: ſed ſolum illum, qui perfectioni ſpiritualitatis vt ſic opponatur; iam verò impenetrabilitatem non eſſe imperfectionem ſpiritualitati, vt ſic, oppoſitam, probari poſſe ex eo, quia alioquin neceſſariò deduceretur omne, quod eſſet penetrabile cum alio eiuſdem rationis fore ſpirituale, quod ſupra vidimus eſſe euidenter falſum. Vnde ſit, quod, vel omnes ſex aſſignatæ imperfectiones collectiuè acceptæ, vel, quod aliquæ tantum ſint defectus ſufficienter inducentes rationem entis corporei.

137 Ad exemplum ab actu voluntatis, alioquin bono deſumptum, qui poteſt ſimul eſſe malus ex aliqua tantum circumſtantia, quia militat etiam contra me, abſolutè reſpondeo, illud potius facere contra auctorem: nam dupliciter actus bonus poteſt intelligi ſimul eſſe malus. Primò extrinſecè tantum, ratione imperij, quo imperetur. Secundò intrinſecè ita vt idem actus indiuiſibiliter ſumptus quoad ſua intrinſeca, partim ſit bonus V.G. ratione obiecti ſecundum ſe, & partim malus videlicet ratione alicuius circumſtantiæ tenentis ſe, vel ex parte ipſius actus, vel ex parte ipſius obiecti, qualis eſſet V.G. actus Religionis caſu quo eſſet hic, & nunc à Deo reflexè prohibitus: vel impediret obſeruationem alicuius præcepti, ipſe verò eſſet ſupererogationis; & quidem, ſi ſermo ſit de actu bono ſimul, & malo primo modo: ille quidem eſt poſſibilis; ſed non facit ad caſum noſtrum. nam auctor intendit probare, poſſe rationem ſpiritualitatis, & materialitatis intrinſecè in eadem entitate reperiri. affert verò exemplum de actu, qui intrinſecè bonus ſit, & extrinſecè ratione videlicet imperij malus. ſio autem agatur de actu bono, & malo ſecundo modo: dico cum communi huiuſmodi actum implicare contradictionem, qui nimirum retineat honeſtatem virtutis religionis V. G. & nihilominus ſimul contrahat malitiam oppoſitam illi præcepto, quod violat. Ratio euidens, ni fallor eſt, quia implicat, quod eadem indiuiſibilis entitas ex ſuis intrinſecis talis ſit vt ſimul, & ſemel licitè prohiberi, & mandari, aut ſuaderi poſſit in ſenſu compoſito; ſed huiuſmodi eſſet actus, ſi haberet intrinſecam bonitatem, & malitiam, quamuis partialiter. nam qua bonus poſſet mādari, & ſuaderi, qua verò malus prohiberi, & hæc ſimul: ex quo fit exemplum hoc, quod auctor appoſitiſſimum apellat ad ſuam ſententiam probandam, ſit tale ad illam diſſuadendam, & improbandam.

Atque hæc quantum ad probationem prioris 138
partis illius minoris. Ad probationem verò poſterioris, in qua ſubſumebatur, illam ſubſtantiam eſſe ſimul ſpiritualem. Reſponderent proculdubio Arriaga, & Oniedus, qui eam eſſe tantum corpoream exiſtimant à Lynceo petit principium, dum aſſumitur ſubſtantiam illam ſimul impenetrabilem, & indiuiſibilem includere negationem corporis, cum enim ratio corporis in eorum ſententia in impenetrabilitate conſiſtat, & non in complexione omnium illarum ſex conditionum abeo aſſignatarum: manifeſtè repugnat in eorum principijs poſſibilitatem huiuſmodi ſubſtantiæ admittentibus, dicere, quod ea rationem ſpiritus verè, & propriè includat. neque id, quod paulò aliter addit auctor ſibi fauet: dum ſic argumentatur: ſubſtantia illa non eſt corpus eiuſdem rationis cum noſtro corpore, cum formaliter extenſa non ſit, habet igitur negationem corporis, de quo loquimur. conceſſo enim antecedente, negabunt conſequentiam, ac dicent argumentum procedere à ſecundum quid ad ſimpliciter, quia aliud eſt habere negationem eorum corporum, quæ ſunt de facto; & aliud negationem corporis vt ſic, & quamuis auctor contra hanc reſponſionem vrgere poſſit dicendo in huiuſmodi ſubſtantia ſe non agnoſcere negationem corporis vt hic; hoc eſt, præſcindentis à corpore adæquatè, & inadæquatè accepto: quia tamen ſupponeret dari huiuſmodi diuerſitatem inter corpora, vt quædam rationem corporis adæquatè, quædam verò inadæquatè participent: ideò non eſt audiendus, donec eam probet, quod præſtat num. 5. & 6. qua tamen vi ſequens obiectio demonſtrabit. 139

Obijcies ergo ex eodem 4. ſi eadem res non poſſet eſſe ſimul corporea, & incorporea, maximè, quia inintelligibile eſſet id. Quod idem

Digitized by Google

tificatur cum corpore, esse etiam spirituale; sed hoc est falsum; ergo &c. maior patet. minor probatur supponendo duo: Vnum est, quod omnis res prout corporea plura respicit connotata non minus quam viuens, animal, homo & quæuis alia ratio generica, aut specifica. Alterum verò, quod connotata corporis prout talis, sint sex illa initio assignata, videlicet, integralis compositio, impenetrabilitas &c. cõtrà verò connotata spiritus sex alia illis contraria. tum sic: licet inintelligibile sit, quod eadem indiuisibilis res sit Corporea simul, & Incorporea in ordine adeadem prorsus connotata: at potest rectè intelligi, quod talis sit in ordine ad diuersa; videlicet, corporea in ordine ad impenetrabilitatem, incorporea verò in ordine ad indiuisibilitatem; ergo &c.

140 Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem, vt ex duobus suppositis incipiam, dico: ex priori, oppositum plane ei, quod intendebat Lynceus, deduci. quemadmodum enim etiam si ratio animalis plura respiciat connotata: non benè tamen deducitur, quod illud viuens, quod aliqua ex eis nõ respiciat, sit animal partialiter tantum, & non totaliter; ita & in casu nostro; Et ratio vtriusque est, quia sepè pluralitas connotatorum facit ad solam perfectionem physicam entis connotati; vt est pluralitas potentiarum sensitiuarum respectu animalis; vnde sicuti exeo, quod talpa V.G. non videat, & pisces non audiant: non bene infertur, quod partialiter tantum differentiam metaphysicam animalis participent: ita neque ex eo, quod detur res corporea, quæ aliqua ex sex assignatis differentijs careat; quod differentiam rei corporeæ partialiter tantum habeat, & non totaliter; & rectè id quidem; differentiæ enim essentiales, vti supponimus, sunt Indiuisibiles. vnde vel totaliter habentur, vel nullo modo. Posterius verò suppositum, etiam permisso priori, manifestè falsum esse comprobatur, vt patet discurrenti per sex illas conditiones rebus corporeis assignatas. nam Primò integralis compositio, vti supra vidimus, in communi sententia competit motui Angelico. Deinde impenetrabilitas non est ita propria rei corporeæ, vt omni conueniat, vt patet ex indiuisibilibus quantitatis, & ex formis materialibus intentionalibus in eodem subiecto existentibus, aliisque rebus de quibus supra. Tertiò sensibilitas non minus competit animæ rationali in corpore existenti, quam reliquis formis substantialibus propria subiecta informantibus. Quartò, sicuti materia prima est incorruptibilis formaliter, radicaliter verò corruptibilis, in quantum est causa corruptionis formarum, quas habet in se; ita & substantia Angeli vti innuimus. Quantum denique attinet ad quintam, & sextam conditionem tanquam propriam rebus corporeis assignatam; vtriusque falsitas euincitur ex multis rebus absolutè spiritualibus, vti sunt Gratia sanctificans, motus Angelicus, & similes, quæ neque rationales sunt, neque liberæ. falsum igitur est sex hæc connotata esse propria corporis. Quod si dicat se de illis collectiuè loqui; id falsum esse constat ex indiuisibilibus rerum corporearum.

Denique vt faciam argumento satis: dico eodem modo inintelligibile esse, quod eadem indiuisibilis entitas in ordine ad eadem prorsus connotata, sit corporea, & spiritualis, ac in ordine ad diuersa. Ratio est, quia non dantur diuersa connotata ita propria rei penitus corporæ, vel penitus spiritualis in communi: vt possint dispergi, & inuicem permisceri, ita vt in vna indiuisibili re vnum proprium rei corporeæ, & alterum proprium rei spiritualis reperiatur. 141

Quod vt probem, suppono, quod sicuti rei corporeæ, & spirituali communissimè acceptis non potest assignari definitio sine disiunctione: ita neque certa quædam, & communia connotata; sed connotatum corporis est quantitas, quæ arguit in subiecto suo multiplicitatem partium extensiuarum, & exigentiam impenetrabilitatis: connotatum verò rei corporeæ pressè sumptæ, vel est intrinseca pertinentia ad cõpositionem integralem corporis, vel dependentia ingenere causæ materialis ab ipso corpore, vel denique ipsum corpus primariò à se modificatum; & oppositum cum proportione dicendum de connotatis spiritus, & rei spiritualis pressè sumptis. atqui inintelligibile est, quod detur substantia per se existens, quæ conueniat in connotatis corporis, & spiritus; ergo intelligibile est, quod detur substantia, quæ sit corpus, & spiritus partialiter. 142

Item inintelligibile est, quod detur forma, vel modus, quæ primario sibi vendicent, tum corpus, tum spiritum informare, ac modificare: ergo inintelligibile quoque est, quod detur forma, vel modus, quæ partim sint spirituales, partim corporeæ. 143

Atque ex his colliges, nullas esse paritates, quæ afferuntur ab hoc auctore n.ro eiusdem tractatus, ad suam sententiam comprobandam, quarum altera sumitur ex actu intellectus, qui potest in ordine ad diuersa esse certus, & incertus, clarus, & obscurus, & sic esse scientiæ, & opinionis, vel etiam fidei. altera verò ex actu voluntatis, qui potest esse simul amor, & odium respectu diuersorum obiectorum. Disparitas enim lata sumitur ex dictis; quia nimirum implicat, quod connotata rei spiritualis, & rei corporeæ, prout tales sunt, ab eadem entitate respiciantur, non minus quam implicet ab vna entitate respici connotata animalis rationalis, & irrationalis, pro vt rationalitatem, & irrationalitatem redoplicant. at non implicat, quod respiciantur ab eodem actu intellectus connotata scientiæ, & opinionis: vel fidei, & ab eodem actu voluntatis connotata amoris, & odij. Linquo non valere argumentari ab identitate rerum intentionalium ad identitatem realium; alioquin sicuti vna indiuisibilis cognitio potest representare essentias duarum rerum, quarum vna sit adæquatè spiritualis, & altera adæquatè corporea; ita posset etiã vna indiuisibilis entitas essentias earundem rerum adæquatè acceptarum continere, quod à Lynceo in sua tertia assertione expressè negatur; & quidem per hæc abunde satisfactum est rationibus, quas ipse ad probandam suam sententiam initio adduxit.

D I-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVARTA

DE INDIVISIBILITATE ANIMAE RATIONALIS.

DE fide est animam rationalem esse spiritum strictè sumptum à corpore nimirum condistinctum. hoc enim definitum est in Lateranensi supra citato illis verbis. Sua Omnipotenti virtute Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & spiritualem; Angelicam videlicet, & Mundanam; ac deinde humanam quasi communem, spiritu, & corpore constantem. Et colligitur ex omnibus illis scripturis inquibus animus noster absolutè spiritus appellatur. hoc posito, non obstante, quod viderimus spiritum vt sic essentialiter à se diuisibilitatem integralem excludere, specialiter in præsentia quærimus: num anima rationalis sit indiuisibilis? & quamuis præsens locus solum videatur exigere, vt de eius indiuisibilitate in partes integrales agamus: nos etiam de indiuisibilitate eiusdem in partes essentialer disputabimus. vtrum scilicet illa secundum se ex partibus essentialibus, actu, scilicet, & potentia componatur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum anima rationalis sit indiuisibilis integraliter.

1 Conclusio est affirmatiua, & eam dicit Suarez *lib. 1, de anima cap. 13. num. 1.* sequi euidenter ex eo, quod spiritualis sit, in quo sibi manifestè contradiceret, si putasset de essentia substantiæ spiritualis non esse carere partibus, vt falsò illi tribuit Arriaga *Disput. prima de anima. num.* 102. non obstante, quod contrarium docuisset Hurtadus.

2 Addit præterea Suarez loco citato hæc verba: Vnde conclusio si non de fide, est certè fidei proxima, vt docet D. Agust. *Contra Epistolam fundamenti, cap. 16. & 19. & epist. 22. tom. 2. lib. 10. de Trin. cap. 7. tom. 3. & lib. de quantitate animæ.* Chrysostom. *hom. 5. de incomprehensibili Dei natura tom. 5.* Gregorio Niss. *2. de anima cap. 2.* Tertull. *lib. 2. de anima* D. Tho. *p. p. qu. 76. art. 8.* & Latius *secundò contra gen. cap. 72. & de spiritualibus creaturis art. 4. quæst. de anima art. 11.* & consentiunt Theologi omnes *in primo Dist. 8. & in 2. distinct. 6.* itaque, & si non est expressè definita, est tamen fidei proxima, quia ferè euidenter sequitur ex definitionibus fidei, si enim est omnino spiritualis debet esse indiuisibilis. Hæc ex Suario transcripsi, vt constet non benè Arriagam n. 139. dicere nec ex fide posse hanc veritatem suaderi, eò quod licèt fide teneatur animam esse spiritualem, immortalem, capacem visionis Dei &c. hæc tamen omnia rectè possunt saluari, etiam si constet partibus expressè verò nullibi definitur, eam partibus carere. quamuis enim hoc nullibi definiatur expressè: at communis sensus Ecclesiæ nobis auctoritate Sanctorum Patrum, ac Theologorum declaratus, docet iuxta Suarium ex fide, quam de eius spiritualitate habemus, rectè probari, ac suaderi. quoniam verò non omnes hoc principium admittunt; ideò ab eo præscindendo.

Probatur secundò nostra assertio, quia nisi indiuisibilis esset; præcidatur ab homine V. G. pes. quæro: quid de parte illa animæ, quæ pedem illum informabat, factum sit? non enim potest dici Primò, quod iam corrupta sit, quia sic totam animam corruptibilem esse conuinceretur: neque Secundò, quod in præciso pede remanserit, si quidem experientia constat pedem illum mortuum remanere; atque adeò destitutum anima. neque Tertiò, quod in tibiam contracta sit: siquidem iam vna, & eadem pars materiæ duplici parte eiusdem rationis hoc modo informaretur; tibia enim supponitur esse informata parte animæ sibi correspondente. neq; Quartò, quod sit in aliquo loco extra corpus: deberet enim esse vel in Cælo, vel in Purgatorio, vel in Inferno; iuxta statum, in quo, quando pes præcisus fuit, reperiebatur homo. quid igitur, si pes alius præcidatur postea, dum idem homo in contrario statu existit, profectò vna pars animæ huius hominis deberet esse in Cælo, altera verò pœnis inferni cruciari, quo nihil est absurdius. denique sit vbi vis, quæro: num sit operatiua nec ne? si affirmas; iam ergo illa pars erit anima integra, & totalis. si ne-

negas; ergo perijt. esse enim est propter operari, nam si res nequit operari, nequit naturaliter existere, vt inductione constat.

4 Peracutum Arriagæ ingenium huic argumento minimè acquieſcit; ac illud quatuor vijs ſoluere conatur à nu. 126. quas omnes æquum eſt examinare. Prima eſt, quia poſſet quis dicere eam animæ partem, quæ ſeparatur, eſſe quidem operatiuam, neque ideò eſſe animam totalem, ſed adhuc dicere ordinem ad alias comparres, ſicut licèt omnes dicamus eam operari poſſe ſeparatam, non ideo ſequitur eſſe eam ſubſtantialiter completum quid.

5 Verum hæc ſolutio non ſatisfacit; & Ratio eſt, quia ſi illa pars animæ eſſet operatiua extra corpus; certè non niſi per intellectum, & voluntatem, ſi quidem nullæ aliæ operationes extra corpus poſſunt abea exerceri præter has. ex hoc autem ſequeretur omnes eius partes eſſe homogeneas, quatenus ſi in nobiliſſimis operationibus interſe conueniunt, non videtur cur non etiam in reliquis ignobilioribus poterunt. conſequens autem reſponſioni repugnat; quia, vt inductione patet, quotieſcunque partes aliquæ homogeneæ componunt aliquod totum, ſi ſeparentur ab inuicem, tota quædam euadunt: ſic duo palmi aquæ bipalmaris, quamuis vniti vnam totalem aquam componant: at ſi ſeparentur quælibet ſuam totalitatem acquirit nullum dicens ordinem ad aliam compartem. iam igitur illa pars animæ, quæ præciſum informabat pedem, eſſet anima totalis integraliter, quod erat probandum. Atque hinc patet diſparitas: cur ex operatione in ſtatu ſeparationis non colligatur, eius totalitas eſſentialis, quia nimirum ad hanc totalitatem habendam non ſufficit, vt ſuis terminis concludatur, ne vlterius protendatur; ſed neceſſe eſt, vt ſit eſſentialiter completa, quod non competit animæ extra corpus exiſtenti, ſicuti neque intra.

6 Secunda via ſic procedit: poſſunt aliqua entia diuidi ferè vſque ad indiuiſibile, vt patet in atomis, etiam ſi vix in eo ſtatu valeant operari. cur ergo non poterit ea pars animæ ſeparata naturaliter conſeruari abſque eo, quod in eo ſtatu aliquid operetur? Confirmatur: non eſt neceſſe, vt quælibet res exiſtens ſit operatiua, vt conſtat ex modis; ergo poterit pars illa exiſtere, & nihil operari.

7 Verum neque hæc ſolutio placet. quia ideo corpus aliquod quando eſt valdè exiguum nihil ferè operari poteſt, quia ſupponitur operari debere tranſeunter in paſſum externum, quod vel ratione contrariarũ qualitatum illi reſiſtit, vel ratione magnitudinis extra illius ſphæram conſtituitur. at in caſu noſtro pars illa animæ deberet operari immanenter omnino. ergo non eſſet cur impediretur. Deinde tranſeat, quod, ſi animæ pars præciſa, eſſet adeò exigua, non poſſet operari: at quando haberet magnitudinem cruris, vel brachij, hæc ratio omnino ceſſaret, ſed ita res ſe habere poteſt: ergo. Ad confirmationem verò dicendum, quod licèt loquendo de illis rebus, quæ non ſunt ex ſuis intrinſecis operatiuæ, verum ſit non eſſe neceſſe, vt dum exiſtunt, valeant operari, vt patet ex modis, & fortaſſe etiam ex materia prima: ac hoc falſum eſt, ſi loquamur de rebus, quibus natura virtutem operatiuam conceſſit; huiuſmodi enim res tandiu conſeruantur, quandiu operari poſſunt, vt patet.

Tertia via eſt, quia poſſet quis reſpondere, 8
eam partem animæ manere quidem intra corpus non informando illud, ſed vniendo ſe cum reliquis, quæ ipſum informant: nec eſſe abſurdum, quod huiuſmodi pars ob defectum ſubiecti minimè illud informet.

Sed contra hanc ſolutionem facit, quia iam 9
huiuſmodi pars eſſet in ſtatu ſeparationis a corpore; ergo poſſet operari omnino independenter à corpore, cum præſertim in ſenibus, & infantibus maior eſſet pars non vnita corpori, quã vnita. conſequentia videtur certa. antecedens verò probatur. quia ſi dicta pars non eſſet in ſtatu ſeparationis; vel exeo quia eſſet in eodem loco, in quo eſt corpus, vel etiam ex eo, quia eſſet vnita alijs partibus informantibus corpus; neutrum eſt ſufficiens ad eius ſtatum ſeparationis impediendum; ergo &c. maior patet ex ſufficienti partium aſſignatione. minor ſuadetur, & quidem quantum ad primum, eſt certa; quamuis enim anima Beata ſit penetrabilis in eodem loco cum Petro viatore, non per hoc ſtatum ſeparationis amittit, ſi penetretur; quantum verò ad ſecundum ſuadetur, quia ſtatus ſeparationis obtinetur per carentiam vnionis immediatæ cum corpore; ſed illa pars animæ quantumuis vnita reliquis, iam non eſſet vnita immediatè corpori, vt patet. ergo &c. Maior huius ſyllogiſmi, quæ ſola probatione eget, probatur hoc exemplo: detur V. G. miraculoſè forma ignis bipalmaris, quæ ſecundum vnum palmum ſit creata à Deo, & ſecundum 1
alium educta à palmo materiæ; ita tamen, vt ſecundum hunc poſteriorem palmum informet materiam illam, ſecundum verò priorem ſit tantum illi intimè præſens: profecto per hoc præciſè, quod prior palmus ſit integraliter vnitus palmo educto, eique compenetratus, ſicuti non poteſt dici quod materiam illam informet, ita neque, quod non ſit in ſtatu ſeparationis reſpectu illius; ergo à pari quamuis pars animæ, quæ pedem informabat abſciſſum, remaneat naturaliter vnita cum reliquis partibus eiuſdem, & in eodem loco cum illis, per hoc non poteſt ſuſtineri, quod non ſit in ſtatu ſeparationis reſpectu corporis.

Quarta deniquo via, quam Arriaga inire tentat, eſt; quod licet anima partibus integrantibus conſtet, omnes tamen ſint per informationem in toto corpore, & omnes in ſingulis eius partibus, ſicuti eſt Chriſtus Dominus in venerabili Euchariſtia; atque adeo caſu quo pes, vel brachium abſcinderetur à reliquo corpore, nulla pars animæ ſepararetur, & nulla exiſteret abſque eo, quod informaret corpus. 10

Verùm neque hæc ſolutio habet plus probabilitatis, quam præcedentes. quæro enim ex illo: vel vna pars animæ eſt ſufficiens ad animandam partem materiæ ſibi æqualem, vel non: hoc ſecundum dici non poteſt; alioquin imperfectiores eſſent partes animæ rationalis, quam 11

par-

Digitized by Google

partes aliarum animarum materialium; nam quælibet pars harum formarum V. G. plantæ, unguis &c. est sufficiens animare partem materiæ sibi correspondentem, absque eo, quod in eadem materia indigeat consortio reliquarum partium; quod autem neque dici possit Primum, suadetur ex eo, quia sicuti quoties vnum corpus sufficienter informatur vna anima totali, non admittit naturaliter alium: ita neque pars corporis, si sufficienter erit animata ab vna parte animæ, admittet naturaliter alias; cum igitur in casu nostro quælibet pars animæ dicatur esse sufficiens ad animandam, se solam, partem corporis sibi æqualem, impossibile est, vt dicta pars admittat in se reliquas partes animæ tanquam formas eam partialiter informantes.

12 Præter has vias, quibus aggressus est Arriaga ad argumentum principale expugnandum, duæ aliæ tentatæ sunt ab aliis: quarum prior est, quod anima rationalis licèt sine replicatione suarum partium ab initio corpus informet, procedente tamen tempore iuxta mensuram augmenti corporis replicentur eius partes, & sic vna, & eadem pars in augmentatione hominis diuersa subiecta partialia informet, & animet; in diminutione verò semper aliqua pars illius informare desinit plura subiecta partialia; quæ supponebatur informare: cum enim homo quando primò generatur, sit in vltimo termino parvitatis, repugnat vt adeò diminuatur, vt infra

11 dictum terminum existere valeat; nulla igitur pars animæ in diminutione est, quæ hominis informet materiam.

13 Hanc responsionem impugno. Primò, quia per eam, illa virtus, & perfectio, quæ negatur toti animæ, dum diuisibilis esse statuitur, conceditur singulis eius partibus diuisibilibus. nam si esset indiuisibilis, eodem modo ipsa posset intelligi modò ad maius subiectum dilatari, & modò contrahi ad minus, quo modo dicitur in hac via, quod eius partes faciant. atqui rationabilius est hoc concedere toti animæ, eam indiuisibilem statuendo: quam eius partibus. ergo &c. maior patet. minor probatur dupliciter. Primò, quia hic modus contrahendi se ad minus spatium, & dilatandi ad maius est proprius rerum indiuisibilium, quæ sunt virtualiter diuisibiles. alioquin eadem, res diuisibilitatem formalem simul, & virtualem haberet, quod videtur finitam perfectionem excedere rei creatæ. Secundò, quia hic modus informandi per hoc, quod forma sit tota in toto & tota in qualibet parte, est nobilior; ergo potius toti animæ rationali, quam singulis eius partibus concedendus est.

14 Eandem responsionem impugno. Secundò supponendo in toto brachio V. G. esse solam par-

11 tem animæ pluries replicatam, illam, nimirum, quæ in prima hominis formatione reperiebatur in brachio; nam illa eadem postea in nutritione eiusdem brachij est, quæ incipit replicari; alioquin si replicaretur illa, quæ est in pede, ea existeret connaturaliter in duplici loco distanti, qui modus existendi est nobilissimus, & neque ipsis angelis communiter concedi solet. hoc posito sic argumentor: Præcidatur hominis alicui maiori totum brachium: profecto pars illa, quæ pluries erat in eo replicata, vel non informaret materiam, vel secum informaret; iam in eadem parte duplex forma partialis existeret: vtrumque est absurdum iuxta hanc responsionem. si quidem ea inuecta est ad vtrumque saluandum. ergo &c.

Dices: deperdit in tali casu replicationem 15
alterius partis æqualis, quæ in augmentatione aliorum membrorum fuerat acquisita; nec pars, quæ informabat brachium existat sine subiecto. Sed contra est, quia illa pars replicata habet omnia requisita ad informandam partem corporis, quam prius informabat; ergo violenter desinet informare illam. Et rectè id quidem: si enim hæc pars naturaliter replicata 9
naturaliter informat partem illam, non est cur debeat cedere alteri parti animæ subiectum suum, vt illud informet.

Posterior denique via potest esse dicentium, 16
quod quemadmodum per nos idem corpus per rarefactionem occupat maius spatium, & per condensationem, minus; absque eo, quod vel vacuum, vel compenetratio partium illius sequatur: ita eadem anima ad accretionem corporis adtum illud informat, & ad diminutionem ita se illi accomodat, vt nulla pars eius informet eandem partem, quæ informatur ab alia.

Verum hic modus respondendi remanet 17
forsitan impugnatus ex modo dictis; si enim non videtur rationabile, quod pars replicata ad aduentum alterius relinquat informare subiectum partiale, quod prius informabat: multò minus anima rationabile erit, quod in augmentatione, vel diminutione hominis totum compositum dissoluatur, & iterum constituatur de nouo. Quod autem id in casu nostro sequeretur, suadetur paritate condensationis, & rarefactionis corporum. quando enim aqua palmaris V. G. rarefit in lebete, vt ignis supponit; & incipit occupare spatium bipalmare, nulla pars illius remanet in eodem situ, in quo erat prius, & eo- 9
dem modo, quando ad pristinam densitatem reducit, omnes eius partes pondosum se ad totum minorem, relinquendo maiorem, pari ratione anima nostra per motum similem rarefactioni incipere informare partes materiæ, quas in augmentatione acquisiuimus, & per contrarium motum similem condensationi desinere eas informare partes, quas per diminutionem, vel absolutionem amittimus; secundum nullam partem sui posset remanere, vnita parti materiæ, quam antea informabat, sed iuxta omnes deberet variare subiectum. sed hoc videtur irrationabiliter assertum, vt de se patet: nam sic totum compositum dissolueretur, ita vt secundum nullam sui partem permaneret sicuti erat antea, & si datur vnio distincta secundum se totam, variari debet. ergo &c.

Sed age iam videamus, si placet, quibus ra- 18
tionibus sententiam de animi rationalis indiuisibilitate defendat Arriaga, dum nauseabundus, neque nostris, neque aliorum argumentis acquiescere potest. duplex ab eo huius rei affertur ratio num. 141. Vna est communis au-

Digitized by Google

ritas, quæ in quæstionibus de facto, maximi, inquit, ponderis esse solet: Altera verò, quia argumenta, quæ fiunt ad eius indiuisibilitatem probandam, licèt non conuincant aperte: valde tamen probabiliter eam suadent. quare cum nullum afferatur ad suadendum oppositum, quod vrgeat: communis sententia remanet certa. Tertiam addit numero sequenti, nimirum, quod licèt rationes, ex quibus diuisibilitas animi colligitur, cum eius diuisibilitate valeant cohærere, ideoque in ordine ad potentiam absolutam non conuincant; dubitari tamen non potest: eas facilius cum indiuisibilitate componi: Porrò in ordine naturali faciliora, & non difficiliora poni debent.

19 Equidem hæ rationes, vt verum fatear, nullo pacto me mouent. Non Prima: nam quando communis auctoritas in quæstione de facto rationem assignat, tota quanta est, in eam refunditur; sed omnes communiter indiuisibilitatem nostri animi, vel ex eius spiritualitate, vel saltem ex eius incorruptibilitate deducunt; ergo dum hæ rationes non suadent intentum, neque communis auctoritas illud persuadere poterit Arriagæ, dum profitetur, se probasse omnes in hoc fuisse delusos, atque deceptos. Neque secunda ratio habet vim; ad suadendam enim animæ rationalis indiuisibilitatem non sunt expectanda argumenta Demonstratiuè concludentia, neque enim qui ea adducunt, onus suscipiunt hanc veritatem demonstrandi strictè, sed solum valde probabiliter illam suadendi. Cum igitur post tot circuitus, id expresè Arriaga concedat, iam dat manus, & profitetur solutiones, quas in contrarium attulit, non fuisse solidas; quandoquidem nihil de magna earum probabilitate minuerunt. cæterum falsum esse, quod auctor addit, nimirum, ad probandam animæ rationalis diuisibilitatem, nullam argumentum suppetere; ex dicendis sectione sequenti planum fiet.

20 Contrà denique Tertiam eius rationem dicerem prædicata quidditatiua essentias constituentia non esse capacia maioris, ac minoris difficultatis, vt inuicem coniungantur; vt patet ex animalitate, & rationalitate. hoc enim ipso, quod ea non inuenerint contradictionem in ordine ad constituendam essentiam hominis: non maiori difficultate conueniunt inter se, quam animalitas, & hinnibilitas, vel rugibilitas ad constituendam essentiam equi, vel leonis. Et Ratio est, quia rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, quantum ad hoc: vel enim sunt possibiles, & sic sunt reales; vel impossibiles, & sic chymericæ: maior ergo, & minor difficultas habet locum in ijs, quæ cum inter se realiter distinguantur: inuicem debent vniri. quare si semel habeamus rationem spiritualitatis, incorruptibilitatis &c. sine vlla contradictione posse constituere essentiam rei indiuisibilis, & rei diuisibilis: impossibile est, vt cum maiori facilitate vnam potius, quam alteram constituat, & quod vna, vt pote facilior, admittenda sit in ordine naturali, alia verò, vt difficillior, per absolutam tantum Dei Potentiam. Quod si dicat maiorem, vel minorem difficultatem summi debere in ordine ad nos, qui de huiusmodi rebus disputamus. Sic etiam ego dicam non naturaliter existere hominem, sed per absolutam Dei Potentiam, & ex lege extraordinaria, eo quod maiori difficultate percipitur à nobis, quo modo animalitas cum rationalitate coniugatur, quam cum hinnibilitate, rugibilitate &c. quemadmodum igitur nullus hoc probabiliter dictum putabit: ita neque illud.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contra animæ rationalis Indiuisibilitatem.

OBijcies primò: Aristotiles 8. *phys. tex.* 78. habet, quod omnis virtus informans habet partes. sed anima est virtus informans; ergo saltem per Aristotilem anima rationalis est diuisibilis. 21

Respondeo: Philosophum intelligendum esse de partibus siue formalibus, siue virtualibus, in quātum forma informans necessariò debet coexistere subiecto diuisibili; & sic anima rationalis est tota in toto corpore, & tota etiam in qualibet eius parte, neque est indiuisibilis vt punctum, quod neque formaliter, neque virtualiter est extensum; sed vt Deus, & Angeli, qui licèt indiuisibiles sint, rebus tamen diuisibilibus coexistunt.

Obijcies secundò: forma, quæ recipitur in subiecto, debet ad eius extensionem extendi; sed quod extensum est, est diuisibile; ergo &c. minor patet. maior probatur, quia quidquid recipitur admodum recipientis recipitur. 22

Respondeo: dupliciter aliquid ad extensionem alicuius rei extendi posse. Primò, ita vt tosi illi rei extensæ coexistat: Secundò, ita vt secundum vnam partem correspondeat vni parti illius rei extensæ: secundum verò aliam, alteri parti. Iam verò forma, quæ recipitur in subiecto; sufficit si primo modo ad extensionem subiecti coextendatur; ex quo non sequitur, quod diuisibilis sit, vt patet in Deo, qui etiam si toti mundo coexistat; tamen in se indiuisibilis est. Porrò illud Axioma: quidquid recipitur &c. varios habet sensus. Potest enim Primò intelligi ratione terminationis, ita vt sensus sit: quod si recipiens sit V. G. sphæricum; id quod adæquatè recipitur in illud, debeat se sphæricæ figuræ accommodare. Secundò ratione exigentiæ, quod scilicet, id, quod recipitur, iuxta recipientis exigentiam recipi debeat. Tertiò denique ratione correspondentiæ ex eo, quod singulis subiecti partibus correspondere debeat. in nullo autem ex dictis sensibus fauet Aduersarijs hoc Axioma, vt patet.

Obijcies tertiò: nisi anima rationalis diuisibilis esset; non posset explicari quomodo relinqueret aliquas corporis partes, & quomodo alias incipiet informare: neque quæ ratione in pede V. G. staret, & in corde moueretur; vel in dextera manu sursum, in sinistra verò deorsum eodem tempore ferretur. ergo &c. 23

Respondeo, quod anima rationalis incipit de nouo informare partes materiæ exto, quod in

Digitized by Google

illis, vel eiusdem dispositiones debitas: desinit verò easdem partes informare eo, quod ex eis istæ dispositiones auferantur. In hoc autem neque propriè extenditur, neque propriè contrahitur, sed id præstat eo, quod incipiat de nouo, atque desinat esse, in illis partibus. Ad id autem, quod dicitur de motu, & quiete, seu de duobus motibus contrarijs, ideo, quod res virtualiter diuisibilis, quamadmodum est anima in corpore, quando non monetur, vel quiescit adæquatè, potest prout diuersis partibus subiecti correspondet, diuerso modo se habere; & in vna quidem parte moueri, in altera vero quiescere, in hac sursum, & in illa deorsum eodem tempore ferri; neque in hoc est vlla contradictio, aut contrarietas; quia hæc non fiunt ab anima sumpta pro vt eidem parti corporis correspondet, sed pro vt comparatur ad diuersas. ex quibus patet falsitas totius antecedentis.

24 Obijcies quartò, sæpè caput hominis abscissum voces emisit, & risum edidit. ergo signum est, quod viuebat; anima igitur hominis videtur diuisibilis.

Respondeo voces illas, vel emitti ex miraculo, vel ex dæmonum arte, vel demum eo, quia aer ille fuerit antecedenter ad abscissionem à pulmone iam conclusus, & per asperam arteriam iam emissus; ac demum motu labrosum à spiritibus concitatorum, imperfecta quadam ratione articulatus. risus autem ille abscissi capitis fictus omnino est, potius enim debuisset flere: prouenit autem ex motu quorundam musculorum, qui dissoluuntur difficilè, aut ex neruorum contractione, non autem à potentia risiua.

SECTIO TERTIA.

An anima rationalis sit composita ex partibus essentialibus: materia videlicet, & forma.

DVpliciter apprehendi potest animum nostrum esse essentialiter compositum. Primò vt constet materia corporea. Secundo vt spirituali, & quidem de vtraq; seiunctim videtur agendum per sequentes subsectiones.

SVB SECTIO PRIMA.

Num constet materia corporea.

25 CONclusio est negatiua, quæ quidem videtur in Lateranensi Concilio definita *loco supracitato in cap. fimiter*, vbi asseritur Deum, post Angelicam, & Mundanam creaturam, condidisse Humanam, quasi communem ex Spiritu, & corpore constantem. Communis enim fidelium sensus est, nomine spiritus hic intelligi Animam Rationalem: quod falsum esset, si materiam corpoream includeret. ad eum plane modum, quo propter eandem rationem falsum est hominem esse spiritum.

Vlterius ratione suadetur hæc veritas in hunc fere modum, si anima rationalis constaret materia corporea, vel hæc esset eiusdem rationis cum nostrate, vel diuersæ; neutrum dici potest; ergo &c. maior patet, minor quo ad priorem pars comprobatur, quia si esset eiusdem rationis, cum certum sit, animam informare nostrum corpus; sequeretur Primò, quod daretur penetratio corporum, essentet nim in eodem loco compenetrarentur duæ materiæ primæ, quarum altera esset pars essentialis animæ, altera verò esset nostrum corpus; & quidem vtraque sua peculiari quantitate prædita, quia hæc, vt inductione patet, est de proprietas materiæ nostratis. Sequeretur Secundò, quod animæ rationalis materia haberet nostrum corpus pro subiecto, & sic esset, & non esset primum subiectum; esset quidem, quia ea est essentia nostratis materiæ; non esset autem, quia haberet aliud vlterius subiectum, in quo ipsa reciperetur, nempè nostrum corpus. dicere autem, quod anima ratione alterius partis, hoc est formæ, quam includeret, informaret vtramque materiam, est periculosum in fide. Nam inde sequeretur, eam non esse formam informantem, sed assistentem, contra definitionem Concilij Viennensis, & Lateranensis. Probo sequelam: nomine animæ iam veniret constatum ex materia eiusdem rationis cum nostra, & ex forma spirituali; sed huiusmodi constatum non informaret corpus nostrum, sed eius forma, quæ non esset anima; ergo, dum diceretur anima rationalis esse forma corporis, intelligi deberet de forma assistente, quod est contra Concilia.

Quod verò materia corporea, ex qua anima 26
nostra constaret, neque possit esse diuersæ rationis à nostrate, quæ erat posterior pars minoris subsumptæ; suadetur a Poncio *disput. 5. de anima quæst. 2. num. 14* ex eo; quia fundamenta aduersariorum, si quid probant, eam esse eiusdem rationis euincunt; non satisfacit; responderi enim posset euincere quidem eam esse eiusdem rationis generice, at non specificè, vt de facto dicebat Auicenbron *in lib. fontis vitæ* vbi sustinebat; substantias spirituales constare materia, vt aduertit Suarez *in metaph. disput. 13. sect. 14. num. 2.* Melius igitur probatur dicta pars, quia hæc materia diuersæ rationis hoc ipso, quod esset materialis, iam constaret partibus extensiuis; ergo esset quanta non minus, quam nostra. antecedens patet ex notione substantiæ corporeæ communiter receptæ, vt *loco citato* docet Suarez; & à nobis in præcedenti disputatione probatur. consequentia verò suadetur, quia nostra materia non alia ratione exigit quantitatem, nisi quia integrantibus, seù, quod idem est extensiuis partibus constat, & in illas est diuisibilis; videtur enim quasi euidens, quod id, quod plures habet partes extensas, in ordine ad se, eas quoque exigat extensas habere in ordine ad locum: cum autem peculiarissimum quantitatis munus sit huiusmodi extensionem afferre subiecto, vt ostendimus in physicis, rectè deducitur implicare dictam materiam quantùuis alterius rationis non esse quantam. sicuti propter eandem rationem implicaret corpus essentialiter simplex, si esset possibile, quantitatem non exi-

exigens, neque enim dici potest cum aliquibus huiusmodi materiam, quantum est de se, esse indifferentem ad exigendam, vel non exigendam quantitatem, & determinationem expectare à forma, quam recepit, & si quidem hæc corporea sit eam exigere: contra verò si spiritualis, vt in casu nostro. quemadmodum enim nostra materia hanc non habet indifferentiam, ita nec illa alia, & rectè id quidem, nam ratio multiplicitatis partium extensiuarum importat essentialem exigentiam quantitatis, vt sæpè vidimus. hoc fundamento iacto facilè impossibilitas huius materiæ, ex qua componatur anima rationalis, ex dictis, conuincitur. nam ex admissa daretur penetratio corporum mathematicorum, dicarum, videlicet, quantitatum. hoc enim ipso, quod animam hominem componeret, eius materia quanta cum materia quanta humani corporis in eodem loco adæquato simul existeret. neque igitur materia corporea eiusdem rationis cum nostrate, neque diuersa, anima rationalis constare posset, quod erat probandum.

27 Obijcies: materia corporea est principium distinctionis numericè formarum existentium intra eandem speciem, sed animæ rationales sunt formæ, quæ numero distinguntur intra eandem speciem. ergo constant materia corporea.

Respondeo maiorem esse falsam, vti suo loco dicetur, quod si haberet veritatem, ad summum intelligenda esset de principio extrinseco; ita vt sensus sit formas non esse numero multiplicabiles nisi, quia dicunt ordinem ad materiam; in quo sensu concedi potest animas rationales ratione huius ordinis, quem dicunt ad materiam primam numero distingui. neganda tamen consequentia, quod nimirum ex illa componantur, sicuti negatur, contendentes formas materiales siue substantiales siuè accidentales, propter eandem rationem, constare materia.

28 Obijcies iterum: sicuti nequit aliquid res creata agere aliquid nisi in virtute primi actiui, ita neque aliquid pati nisi in virtute primi passiui at qui sola materia corporea est primum passiuum. aliunde verò anima rationalis quam plures formas accidentales sustentando patiuè causat; ergo constat materia corporea.

Respondeo, negando maiorem. disparitas est; quia agere perfectionem importat: omnis autem perfectio creata ex Dei virtute dimanat. at pati involuit imperfectionem, quam non est necesse vt creaturæ expectent ab alio; ipsæ enim ex suamet entitate, & præscindendo à quocunque alio sunt imperfectæ. vnde vt anima rationalis respectu suorum accidentium patiuè se habeat, non indiget materia distincta. sed per se ipsam id præstare valeat. Et in hoc sensu rectè dici potest, respectu illorum se habere, vt primum passiuum, quatenus non supponit aliud ex quo componatur, atque adeò negandum materiam corpoream in omnibus rebus esse primum passiuum, vt patet in Angelis. Iinquo primum actiuum non componere agentia naturalia, quod videtur supponere argumentum.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum sit possibilis substantia spiritualis composita ex forma, & materia spirituali.

HAnc controuersiam contra vniuersitatem proponimus, vt Recentioribus nos conformemus, qui fere eam instituere solent, & vt eiusdem dedocatur, quid de anima rationali sentendum sit.

Conclusio est negatiua: purò enim implicare contradictionem huiusmodi substantiam, arad. D. Thom. *de spiritualibus creaturis art. 9. & 1. p. quæst. 8. art. 2. item Suarez Disput. 29 metaph. sect. 14. præterea num. 14. & tom. 2. de Angelis cap. 7. Arriaga in primam partem disput. 19. cap. 1. Granado tract. 2. de Angelis disput. 2. num. 10. Hurtadus de anima disput. 2. sect. 2. n. 68.* & alij communiter. est tamen primo contra eos, qui putant esse de ratione substantiæ creatæ habere causam materialem intrinsecam, ex qua componatur, atque adeò omnem spiritum materia spirituali necessariò constare. citantur pro hac sententia *Aristoteles secundo metaphys. ex. 12.* vbi ait omne quod mouetur habere materiam, nec non etiam commentator *in metaph. tex. 20.* eamque probabilem existimat Alensis *2. part. quæst. 20. membr. 2.* vbi triplicem distinguit materiam, elementarem, cœlestem, & spiritualem. item Richardus, Aureolus, Ploticus, & alij apud Suarez *sect. 14.* citatum. 3. est etiam secundo contra alios, qui licet existiment dari posse substantiam spiritualem simplicem, & huiusmodi esse de facto Angelos, & animas rationales, putant tamen non implicare contradictionem, aliquam compositam ex materia, & forma quantumuis spiritualis sit. sic docet Arriaga *de Anima disput. 5. sect. 5. & de Angel. disput. 3. sect. 3.* Curdus *Comment. Phys. punct. 3.* Barbosa *ad quæst. 50. primæ partis art. 2. quæst. 2. dub. 2. §. 1.* Comptonus *disput. 9. de anima sect. 2.* & alij Recentiores.

Antequam ad nostram conclusionem, contra hos posteriores insistere adgrediamur: deceptionem priorum veluti præ manibus transennam præfigere debemus, existimantium in omni substantia spirituali creata necessariò admittendam esse compositionem essentialem ex materia, & forma substantiali, quarum vnaquæque spiritualis sit. ex nullo enim capite huiusmodi necessitas prouenire potest. non enim primo prouenire ex ratione formali substantiæ spiritualis creatæ. quia de ratione substantiæ huius solum est subsistere per se cum dependentia in genere efficientis ab alio, & cum carentia partium integrantium; sed totum hoc haberi potest absque compositione ex materia, & forma spiritualibus. ergo &c. minor dubia patet, præcisè enim per hoc, quod intelligamus rem aliquam per se existentem, & dependenter in genere causæ efficientis à Deo, & carentem partibus integrantibus, siuè impenetrationem: habemus adæquatum conceptum substantiæ spiritualis creatæ; quod autem totum hoc haberi possit absque compositione ex materia, & forma spiritualibus

Digitized by Google

bus euincitur; quia licèt omnis creatura essentialiter exigat esse aliqualiter composita: substantia tamen spiritualis hoc ipso, quod non est à se, sed dependenter à Causa Prima plures habet in se compositiones metaphysicas; nimirùm ex essentia & existentia, ex natura, & suppositalitate; & ex genere, & differentia, quæ omnes cum omnimodam simplicitatem excludant; sufficientissimæ sunt ad rationem creaturæ inducendam; ergò necessitas dictæ compositionis non potest prouenire ex ratione substantiæ spiritualis creatæ, vtfica. Quod autem neque possit ex ratione muneris sui, quod est accidentibus subesse, etiam plusquam certum. Nam per hoc præcisè, quod dicta substantia incompassta non intelligitur habere omnem perfectionem, cuius est capax, sufficienter intelligitur posse in se recipere aliquam formam accidentalem, quæ vel proximè illam perficiat, vel remotè per hanc, quod recipiat in se alia accidentia, quæ sint perfectiones illius. Quod si Aristoteles lococitato dixit: Omne quod mouetur habere materiam: vel intelligendus est de motu physico, atque sensibili, vel de materia metaphysica, siue ea sit genus, siue potentia passiua, identificata tamen cum actu primo, vt eadem realiter sit causa productiua, & receptiua illius motus, vt in sexcentis est manifestum: supposito igitur, quod substantia spiritualis creata, neque ratione essentiæ suæ, neque ratione sui muneris, neque ex aliquo alio capite assignabili exigat necessariò esse composita essentialiter.

31 Probemus nunc si placet nostram assertionem, qua sustinemus huiusmodi substantiam hoc modo compositam implicare contradictionem, sic: substantia hæc, tum ex parte formæ spiritualis, tum ex parte materiæ item spiritualis, ex quibus constaret, est implicatoria: ergo &c. antecedens in quo est difficultas, quo ad vtramque partem probandum est.

Probatur verò quo ad priorem: deforma implicat forma substantialis spiritualis dicens ordinem essentialem ad materiam spiritualem tanquam ad compartem; ergo substantia spiritualis composita implicat ex parte formæ. antecedens euincitur: implicat forma substantialis spiritualis, quæ indigeat materia spirituali; ergò, & quæ dicat essentialem ordinem ad illam tanquam ad compartem: consequentia patet, quia omnis ordo essentialis formæ substantialis ad materiam prouenit ex incompletione ipsius formæ; eius autem incompletio fundatur in indigentia, quam habet ipsius materiæ. vnde si ea non indigeret, iam esset ens completum, & sic non diceret ordinem essentialem ad illam, tanquam ad compartem ad componendum vnum per se ingenere substantiæ. Antecedens verò secundi enthymematis probatur, quia si indigere posset materia, vel ad essendum, vel ad operandum: non ad essendum quia est de ratione formæ substantialis spiritualis non indigere subiecto substentante, vt colligitur ex anima rationali, quæ inter entia substantialia spiritualia, quæ nouimus, infimum locum sibi vendicat, neque ad operandum, quia operationes substantiæ spiritualis, qualis, sunt omnino tres intelligere, velle, & loco moueri; sed ad nullam ex his forma spiritualis materia spirituali indigeret, nam intellectiones, & volitiones sunt operationes per se sistissimè immanentes, quæ exigunt recipi in eodem puncto principio, à quo prodeunt. Materia forma illa spiritualis per easdem facultates dictas operationes recipere, per quas eliciunt, & sic ratione illarum non indigeret materiali compartis; quare nisi anima rationalis emundare deberet species intelligibiles dependentes à phantasmatibus ad huiusmodi operationem eliciendas: non indigeret eo pacto, vt patet ex statu separationis, in quo multa intelligit, & vult sine vlla dependentia ab illo. Ad motum denique localem eliciendum formæ illam materia spiritualis non egere suadetur ex eo, quia de ratione formæ est, suam localiter 34
mouere materiam; si igitur dicta forma potest ex vno in alium locum materiam spiritualem transferre, multò magis poterit sola transferri seipsum producendo, & recipiendo motum localem in se: esset igitur huiusmodi forma neque quòad esse, neque quòad operari spirituali materia indigere, quod erat probandum.

Probatur implicantia compositi spiritualis ex 32
parte formæ: probatur nunc ex parte materiæ, quæ erat altera pars antecedentis principalis, sic. Huiusmodi materia spiritualis si daretur, esset simul, & non esset intellectiua; sed hoc implicat. Etc. maior, in qua est difficultas suadetur contra Arriagam, qui in n. 69. docet, nam libet viam iniri tutò posse, & quidem, quòd non esset intellectiua, quod ipse negat. Sub hac via videtur mihi plusquam certum, quia vis intelligendi competeret ei ratione formæ, vt ponè habenti rationem actus: aliundè verò repugnat in eodem composito habere duplicem vim intellectiuam realiter distinctam: inde enim sequeretur dari etiam duplex arbitrium arbitrium, voluntatem enim est per sequi intellectus, & ad eius multiplicationem multiplicari debet. huius autem rei absurditas suadetur, nam vtraque posset se determinare ad suam electionem, quarum vna esset oppositia alteri, & sic posset forma eligere peccatum, materia verò negationem peccati, atque adeò vna damnari, altera beari. Neque dicas ratione sympathiæ vtramque semper ad idem volendum, vel non volendum se determinare. Quæro enim ex te, stante hac sympathia, vel vna potest eligere oppositum alteri, quod eligit altera, vel non? si primum ponamus, quod eligat iam possibili posito in actu nullum sequitur absurdum; atqui ex hoc sequeretur, quod vna poenam, altera præmium mereretur: ergo &c. si verò dicatur secundum, voluntas illa igitur non erit libera, quia libertas non stat sine prædominio suorum actuum, vt de se patet.

Porrò vim huius argumenti non effugies, di- 33
cendo primò; huiusmodi impotentiam non esse antecedentem, sed consequentem, quamuis enim proueniat ex suppositione actus, qui ab vna voluntate procedit: quia tamen non est huiusmodi respectu actus ab altera eliciendi, sed

illum

Digitized by Google

illum antecedit, hinc fit, vt, si non ab illa, certè ab hac auferat libertatem.

Neque item effugies respondendo Secundo vtramque aquè primò cum prædominio antecedenti suorum actuum ad eandem electionem se determinare, & non vnam ex suppositione determinationis alterius, quia hoc etiam libertati repugnat; quamuis enim voluntas non fit antecedenter per modum actus prius prædeterminata; si tamen in actu secundo induit necessitatem aliquam, & non ex suppositione sui actus: iam libertatem amittit; iuxta commune proloquium, quia omnis necessitas, quæ non prouenit ex suppositione exercitij libertatis, ei repugnat, atque contrariatur. Quare cum huiusmodi sympathia aliquam ponat necessitatem in his duobus principijs liberis, & non ex suppositione actus, eorum destruet libertatem.

34 Porrò altera pars principalis maioris, in qua assumebamus contra eundem Arriagam, dictam materiam spiritualem debere esse necessariò intellectiuam suadetur ex eo, quia vis intelligendi fundatur in gradu spiritualitatis substantialis, vt suppono cum D. Tho. *p. p. quæst.* [illegible] & cum melioribus Theologis *in primo dist.* 15. quod ego suo loco probabo contra nonnullos Recentiores præsertim cõtra Arriagam; sed hæc materia esset ex se spiritualis substantia; ergo deberet esse necessariò intellectiua. incompletionem enim, quam haberet, nihil ei obesse, patet ex forma, quæ ponitur ab aduersarijs intellectiua simul, & essentialiter incompleta. Neque dicant incompletionem coniunctam cum ratione formæ intellectiuitatem inducere, quia, si semel habemus substantiam spiritualem incompletam posse non esse intellectiuam; non esset cur id exigeret ratio formæ: vt patet ex substantijs materialibus, in quibus, quia ratio materialitatis non est inductiua gradus cognoscitiui, multæ formæ materiales defacto dantur, quæ cognoscitiuæ non sunt.

Neque iterum addant sufficere materiæ spirituali, quod dicat essentialem ordinem ad formam, quæ sit intellectualis; quia huiusmodi est nostra materia, quæ licet maximè corporea sit: essentialiter tamen ad animam rationalem, à qua compleri potest, ordinatur. Quod si non vnicè, parum refert. nam etiam si dicat ordinem ad alias, per hoc tamen non amittit ordinem ad illam; & sic falsum est benè satisfieri gradui spiritualitatis, qui in materia spirituali ab aduersarijs conficta reperitur per hoc, quod dicat ordinem ad formam intellectiuam.

Neque denique adiungant rationem intellectiui respici ab ordine huius spiritualis materiæ formaliter, & reduplicatiuè; quia ex hoc huiusmodi materia gradu intellectiui carere deberet; nequit enim potentia includere rationem illam formalem, quam respicit formaliter in suo actu, alioquin non respiceret illum vt turpe pulcrum.

(✠)

SVB SECTIO TERTIA.

Respondetur argumentis aduersariorum.

OBijcies primò, non repugnare illum substantialem spiritualem indigere subiecto sustentante, ergo &c. antecedens probatur, quia hæc indigentia stare potest cum ratione actus substantialis, vt patet in formis materialibus; & cum spiritualitate, vt constat ex accidentibus spiritualibus. Quod autem possit stare cum vtroq; vtcumq; sumpto, euincitur primò, quia nos potest assignari repugnantia, quam dicat horum exemplorum vnio cum subsistentabilitate. Secundò, quia defacto datur subsistentia in Angelo, quæ substantialis simul est, ac spiritualis; & tamen est subsistentabilis: ergo &c. 35

Respondeo, negando antecedens; Ad cuius probationem dico, subsistentabilitatem repugnare prædicatis substantiæ spiritualis vtcumq; sumptis; & ad priorem rationem in contrarium aio, ex identitate horum prædicatorum resultare perfectionem quandam, quæ sit essentialiter exclusiua à se sustentabilitatis. sicuti ex eadem identitate intelligitur resultare perfectio operandi operationes vitæ intellectiuæ absque indigentia proxima consortij subiecti distincti. Ad posteriorem verò dico prædicatum substantialitatis, quod reperitur in subsistentia esse diuersæ omnino rationis ab eo, quod asserimus cum spiritualitate coniunctum sustentabilitatem excludere. illud enim non sufficit ad denominandam subsistentiam ab solutè substantiam, sicut sufficit illud, quod est in forma, illam sic denominare; & Ratio est, quia subsistentia dicitur substantialis, quia est vltimus terminus substantiæ; contra verò forma, quia dictum terminum exigit, beneficio, cuius in se, & per se existat, apellatur substantia. 37

Instabis ex Comptono *Disp. 9. de anima sect. 2. nu. 10.* Ex eo, quod anima rationalis sit independens à subiecto sustentante, non rectè deducitur omnes formas spirituales esse hoc modo independentes; ergo &c. Antecedens probatur: ex eo, quod aliq; formæ materiales sint dependentes à materia tanquam à subiecto substentante, & materialiter in eas influente, non rectè deducitur omnes formas materiales hoc modo ab illa dependere. cum ipse Suarez asserat formas Cæli defacto produci per creationem; ergo è contra ex eo quod videamus animam rationalem carere dependentia in genere causæ materialis, non sequitur omnes formas spirituales esse huiusmodi. 36

Respondeo negando antecedens, nisi enim hoc principium stabile teneatur, quod nimirũ, forma substantialis spiritualis ex sua essentiali perfectione postulet independentiam à subiecto sustentante, clauditur omnino nobis via lumine naturali probandi aduersus Ethnicos animam nostram non pendere quo ad suum esse in genere causæ materialis à corpore; atque adeo non possumus eius incorruptibilitatem illis suadere. nam si semel admittimus formam substantialem spiritalem posse à subiecto spirituali dependere

cur

est non aliam, & à materiali cum aliundè constet causalitatem in hoc genere esse imperfectissimam, & nihil derogare de perfectione effectus, ad quem terminatur, vt patet ex forma substantiali materiali, quæ est simpliciter materia prima perfectior: & tamen non respuit in hoc genere causalitatem illius, cur igitur eam respuet forma spiritualis, num quia est indiuisibilis? at in sententia Thomistarum etiam anima brutorũ perfectorum est huiusmodi, & tamen pendet à materia; an verò, quia est penetrabilis? sed non apparet quomodo penetrabilitas huiusmodi dependentiam excludat, vt patet ex qualitatibus materialibus idem subiectum informantibus. Neque aliquid aliud potest assignari, perfectione substantialis spiritualitatis exclusa, cuius beneficio à se dependentiam à materia prima reijciat. cum igitur aliunde constet posse animi incorruptibilitatem naturali lumine à nobis probari, profecto non aliâ, quia impossibile appareret, quod substantia spiritualis pendeat in suo esse à subiecto substentante, siue demum illud corporeum sit, siue spirituale.

37 Iam verò ad probationem antecedentis nego assumptum; dico enim quod omnes formæ materiales essentialiter indigentiam subiecti substentantis includunt, ita vt implicet contradictionem dari aliquam à parte rei, quæ absque miraculo sine huiusmodi dependentia existere valeat. Ratio huius est, quia alioquin non possemus naturaliter esse certi de corruptibilitate saltem animalium perfectorum; nec nobis relinqueretur via eos, qui sustinerent illas esse incorruptibiles, redarguendi; quod minimè dicendum videmur. nam sic malè se natura nobiscum gessisset, dum in re tanti momenti, & 38 quæ infinitorum errorum nobis præbent occasionem, cæco modo nos, sine vllo indagandæ veritatis inchoamento, permisisset errare. si quam enim nobis reliquisset viam, ea maximè consisteret in illo principio lumine naturæ noto quod ex prædicatis oppositis, quorum alterũ necessariò sit concedendum rebus; magis perfectum, cuiusmodi, in casu nostro esset incorruptibilitas, non sinè ratione ponitur concedendum sit. Verum hoc principium haberet locum in casu nostro spectata perfectione belluarum perfectarum, quæ tanta est, vt vix excogitari possit videatur alia maior, quæ non perueniat ad perfectionem hominis, quod si locum non haberet, non multum curandum esset. nam etiam ipsi Aduersarij illud in sua opinione relinquunt, dum volunt Angelos defacto, & animas rationales esse essentialiter simplices non obstante, quod concedant spirituales substantias, tum completas, tum incompletas posse esse compositas; contra eam illos etiam militat instantia: siquidem esse simplex, & compositum sunt duo prædicata opposita, quorum alterum de rebus, de quibus agitur, verificari oportet; ratio eadem, vt cæteris paribus prius sit nobilius, & perfectius posterius, atque adeo sine possibili aliqua ratione non est concedendum. Porrò, hoc non obstante eius fidei ratione possimus desituri sint Aduersarij absolutè illud negetis, & animabus concedant insolidum auctoritate Maiorum. Cætera quoq

si difficultas instauraretur; profecto, ne videretur gratis id affirmasse, necessariò ad implicantiam substantiæ spiritualis essentialiter compositæ recurrere deberent. cum igitur illud principium æquè militet contra ipsos: dicendum, eos sic philosophantes non habere rationem, qua corruptibilitatem animarum perfectarum belluarum persuadeant.

Ad id denique, quod vltimo loco Comptonus addebat, nimirum ipsum Suarez existimasse dari formas materiales independentes à materia 38
dũ asseruit formas cæli fuisse per creationem initio à Deo productas: *Miror* eum hanc notam viro sapientissimo inussisse; cum ipse sæpe docuerit expressissimis verbis oppositum. optimus est locus, qui habetur *disp. 13. metaph. sect. 13. num. 1.* vbi sic: forma cælestis est, vt extra suam materiam conseruari non possit: pendet ergo ab illa in esse tanquam à subiecto, in quo substentetur; exercet ergo illa materia circa talem formam causalitatem suam sic ille: quid clarius de mente Suarij. quomodo autem hoc cohæreat cum eo quod existimauerit formam cæli factam initio à Deo per creationem fuisse: à nobis dictum est abundè in physicis, cum de existentia materiæ, & ab eodem explicatur pluribus loco citato, quem, qui vult, consulere poterit.

Obijcies secundò etiam factus substantialis 39
spiritualis nequeat pendere à materia spirituali tanquam à subiecto substentante; potest tamen pendere ab illa tanquam à conditione sine qua existere minimè valeat; sicut in communi sententia materia prima pendet à forma; ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ratio est, quia gratis omnino in forma spirituali huiusmodi dependentia fingitur, cum nequeat assignari radix, in qua fundari valeat. Quemadmodum igitur dicimus implicare vnum hominem, qui ex suis intrinsecis pendeat in existendo ab alio homine tanquam à conditione sine qua non, quia sine ratione hæc connexio concipitur. ita propter eandem rationem asserimus implicare formam spiritualem pendentem à materia spirituali tanquam à conditione. Ad id autem, quod affertur de materia prima.

Respondeo negando paritatem. disparitas est, quia aliunde nobis constat materiam primam ita esse ens incompletum, vt ad nihil aliud in essentia possit in natura sua recipiendas, & substentandas formas, nisi cum Recentiores communiter negent eam sic in existendo pendere posse à priori à formis colligunt, quod pendeat ab illa à posteriori tanquam à conditione sine qua hæc ratio non militat in nostro casu; siquidem non constat posse dari formam spiritualem essentialiter incompletam à spirituali materia complementum sum expletiuum. imò de hoc est 40
res controuersa præsertim ideo nisi huius possibilitas aliunde profectum nulla est ratio à conditione desumpta.

Obijcies tertiò ex Arriaga num. 10. posse forma illa spiritualis requirere coexistentiam illius subiecti, vel ad recipiendas species obiectiue, vel ad eas efficiendas saltem partialiter producendas; ergo &c. antecedens probatur, quia

tale

tate animæ equi, quæ indiget materia pro speciebus materialibus: ergo potest etiam indigere forma spiritualis pro spiritualibus suis aliquo subiecto spirituali.

40 Respondeo, negando antecedens: & ad eius probationem nego paritatem: disparitas est, quia substantiæ totaliter spirituales non possunt accipere species intentionales ab obiectis, sed illas expectare debent à Deo, vt ostendunt Theologi in materia de Angelis: at verò substantiæ, vel ex toto materiales, vt est equus, vel ex parte, qualis est homo recipiunt species ab obiectis immissas; & quia non habetur ratio specialis cur illæ non imitentur conditionem reliquarum qualitatum materialium ab extrinseco dictis substantijs prouenientium, quæ respiciunt earum materiam tanquam commune subiectum, hinc fit, vt huiusmodi species ab obiectis causatæ siue in equo, siue in homine recipiantur in eorum materia: cum hac tamen differentia, quod in homine præter species materiales sic causatas, dantur aliæ spirituales, quæ virtute intellectus agentis extrahuntur à phantasmatibus, & hæ quidem non habent pro subiecto materiam, sed ipsam formam vt de se patet. Ex quo deducitur, non esse cur forma aliqua spiritualis ad hunc finem subiectum spirituale requirat, quia per se ipsam sufficientissima est recipere dictas species, sicuti anima rationalis. atque hæc quantum ad recipiendas species: quantum verò ad eas producendas, dicendum nullum ens purè spirituale intellectiuum, aut debere, aut posse in se causare species obiectorum suorum, vt patet ex his, quæ communiter dicunt Theologi loquendo de Angelis.

Obijcies quarto ex eodem *num.* 172. etiam si forma illa spiritualis non penderet à subiecto spirituali in ordine ad aliquid operandum, posset ordinari ad constituendum cum eo aliquod totum per se in genere substantiæ. ergo non implicat. antecedens probatur duplici paritate. prima ducitur ab anima rationali, quia non ideo hæc est incompleta, quia potest aliquas in corpore operationes exercere, sed potius è contra, ideo potest exercere in eo aliquas operationes, quia est incompleta; ergo quamuis illa alia non penderet à subiecto spirituali in operando, posset ordinari ad illud informandum, & totum aliquod cum eo constituendum. secunda paritas ducitur à forma ignis diuinitus separata à materia, quemadmodum enim hæc extra materiam posita posset calefacere, & alias operationes exercere, quas naturaliter existens in materia exercet: nihilominus quia esset incompleta adhuc ordinaretur ad illam; ergo à pari loquendo de illa forma.

41 Respondeo negando antecedens. & ad primæ eius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. dico enim, quod licet potentia, quam habet anima rationalis ad exercendas suas operationes vitales cum dependentia à corpore, sit quid posterius sua incompletione essentiali: est tamen terminus essentialis ordinis, per quem in ratione entis incompleti constituitur; ita vt si nullatenus indigeret corpore ad operandum, sicuti non eget ad existendum, recte inferri posset à posteriori, quod ea esset ens completum. sic licet potentia, quam habet homo ad ridendum sit posterior rationalitate, ita vt non ideo homo sit rationalis, quia est risibilis: sed potius è contra: ideo est risibilis, quia rationalis: non tamen sequitur, quod etiam si homo non haberet potentiam ad ridendum, adhuc tamen esset rationalis. Ad posteriorem paritatem sumptam à forma ignis extra subiectum diuinitus conseruatam, quæro ex Arriaga, quando assumit, quod huiusmodi forma in eo statu posset calefacere, & alias operationes, quas defacto exerceret in materia, operarie vel loquitur de calefactione, aliisque operationibus immanentibus, vel de transeuntibus, quas scilicet operatur in alieno subiecto? si de secundis; paritas non est ad rem; quia operationes, quas forma spiritualis in subiecto spirituali existens exercere debet, sunt vitales, atque adeò immanentes: sin autem de primis, falsum est, quod assumit: quemadmodum enim omnes qualitates, siue primæ siue secundæ, quas habet ignis, recipiuntur in sola eius materia, & non in sola forma; ita & omnes operationes productiuæ earum à materia in genere causæ materialis dependent. quare ex hypotesi, quod forma ignis miraculosè existeret extra materiam, nulla ex illis operationibus, quas exercere solet quando in ea reperitur, operari posset; quod adeò verum est, vt etiam iuxta sententia eorum, qui putant, omnia accidentia recipi in toto compositi, debeat omnino concedi; quatenus subiectum partiale, cuius modi in eo casu esset forma ignis, non potest exercere omnes subiecti totalis. falsum igitur est, formam ignis non indigere subiecto ad operandum immanenter.

Et quidem per hæc patet ad id, quod habet Compeonus *disput. 9. de anima sect. 2. num. 9.* dum ait, formam substantialem ad subiectum spirituale ordinatam non egere illo, vt sit: sed solum vt completa sit; ad eum planè modum, quo anima rationalis (inquit) eget corpore, ad hoc vt sit in statu maximè sibi connaturali; quamuis illo non egeat, vt simpliciter existat patet, inquā impugnatio. cum enim constet, omnem incompletionem in indigentia debere fundari hoc ipso quod forma illa non indigeret subiecto spirituali, neque ad essendum, neque ad operandum, recte deducitur, quod respectu illius non esset incompleta, neque indigeret illa vt completè existere posset. quod verò addit de anima rationali, aperte militat contra ipsum. nam nisi hæc indigeret corpore ad operationes vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ eliciendas, quamuis impossibile esset ex se ipsa sibi comparare species intelligibiles ad operandum locaque liter necessarias; non ideo esset ens incompletum, vt patet ex Angelis, qui, licet non habeant vim acquirendi sibi species ex obiectis, sed eas à Deo sibi expectent infundi: non ideo sunt essentialiter incompleti, aut compositi.

43 Obijcies quinto ex Oviedo *controuer. 5. physic. punct. 5. num. 3.* forma illa posset indigere subiecto ad aliquas saltem operationes, si non ad omnes. sed hoc sufficeret ad essentialem eius incompletionem, vt patet in anima rationali, quæ licet

licet indigeat corpore ad vegetandum, & sentiendum; non verò ad intelligendum: adhuc tamen est incompleta. ergo &c. maior suadetur; in ordine ad certas operationes posset indigere subiecto: primò tanquam comprincipio actiuo, sicut multi sentiunt animam indigere materia, quam dicunt partialiter cum ea efficienter concurrere ad operationes vitales materiales, secundò vt esset passiuum principium illarum, quas forma, & si spiritualis, non posset recipere; nam est sententia trita, quod sensationes bruti non recipiantur in forma, sed in materia.

Respondeo, negando maiorem; ad cuius probationem nego assumptum. quo ad vtramque partem. Ratio est quia forma spiritualis non potest vitaliter operari, nisi intelligendo, volendo, & localiter se mouendo; sed ad nullum ex his indigere potest subiecto tamquam comprincipio, siue actiuo, siue passiuo, ergo &c. minor, quæ sola probanda est, quoad vtramque partem probatur, & primò quo ad primam de comprincipio actiuo, quia si semel admittimus puram potentiam spiritualem posse partialiter ad intelligendum concurre: non habemus, vnde conuincamus eos, qui assererent, animam rationalem vna cum materia in nobis operationes spirituales producere, atque adeò eam extra corpus non posse esse adæquatum earum principium, & per consequens nec naturaliter existere. probo sequelam, quia sicuti per te ratio puræ potentiæ passiuæ non excluderet vim spiritualiter cooperandi cum forma illa, ita neque ratio corporeitas cum nostra. nam tota ratio repugnantiæ in nostra non oritur ex materialitate: multi enim volunt phantasmata simul cum intellectu agente concurrere efficienter ad species intelligibiles coefficiendas: sed oritur ex ratione puræ potentiæ. quare si hæc non impedit, ne materia spiritualis coefficiat. neque impediet, ne coefficiat nostra materialis. quod si aliqui putant materiam primam defacto simul cum anima efficienter causare operationes sensitiuas: viderint ipsi, quid ad propositam difficultatem debeant respondere. ex terminis enim uidetur repugnare, quod materia prima sit vitale principium formale, in se habens potentiam partialem vitaliter operandi; & ideò hi auctores ab omnibus ferè exsibilantur.

Quo ad posteriorem verò partem eadem minor suadetur ex eo, quia sicuti de ratione substantiæ creatæ, vt sic, est posse se sola accidentaliter perfici; ita & posse se sola aliqua accidentia recipere. cum ergo forma spiritualis nullis accidentibus possit melius perfici quam suis operationibus intellectiuis, & volitiuis: necessariò deducitur, quod respectu illarum sit adæquatum subiectum. & rectè id quidem; ad hanc enim adæquationem habendam sufficit rem esse partialiter substantiam, vt constat tum à posteriori ex anima nostra, & ex materia prima, quarum vna quæque est adæquatum subiectum multorum accidentium. tum à priori, quia substantia à substando dicitur. vnde si aliunde non repugnat (sicuti est in Deo) dicendum est, quod de ratione cuiuscumque substantiæ sit ex se aliquas formas accidentales sustentare posse.

Quod si sensationes bruti recipiuntur in eius materia, & non in forma; ratio potest esse, quia in materia supponunt propriam deorganizationem, quæ maximè ad earum receptionem conducit, & est illis valde coniuncta.

Instabis: anima rationalis licèt sit adæquatè productiua in nobis caloris naturalis, tamen non est illius receptiua; ergo hac etiam ratione poterit esse illa forma spiritualis respectu suarum potentiarum. Confirmatur; quia in tantum anima rationalis recipit in se suas spirituales potentias: in quantum non est incompleta per ordinem ad subiectum spirituale, sed solùm per ordinem ad materiale: sed illa forma supponitur incompleta per ordinem ad spirituale. ergo posset suas potentias non recipere. 44

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam. disparitas lata est, quia calor naturalis, & reliqua accidentia materialia, quæ ponuntur ab anima rationali coniuncta corpori emanare, ratione materialitatis, quam habent, sunt inepta recipi in subiecto spirituali, vt suppono; & ideo recipiuntur in corpore: at verò compositum ex forma, & materia spiritualibus esset totaliter spirituale, atque adeò nullam posset exigere potentiam materialem, quæ ratione materialitatis esset apta potius partem materialem illius, quam formalem informare. Ad confirmationem nego causalem; & dico, quod ex hypotesi impossibili, quod anima rationalis esset per ordinem ad spirituale subiectum incompleta: deberet esse adæquatè receptiua suarum potentiarum spiritualium vt patet ex dictis.

Subinstabis calor, & siccitas sunt proprietates formæ ignis, sed hæ recipiuntur in materia ignis; ergo etiam si potentiæ intellectiua, & volitiua essent proprietates illius formæ spiritualis dicentis ordinem ad spiritualem materiam: adhuc possent habere pro subiecto dictam materiam? 45

Respondeo, distinguendo maiorem: calor, & siccitas sunt proprietates purè formæ ignis, nego: sunt proprietates impurè, concedo; & concessa minore nego consequentiam. disparitas est, quia potentia intellectiua, & volitiua non essent, nisi proprietates purè illius formæ non autem impurè. explico distinctionem: illa dicitur purè proprietas, quæ ita ratione profluit ab essentia, cuius est proprietas, vt existere naturaliter nequeat sine illa. non ita calor, & siccitas se habent respectu ignis; & rectè id quidem; non solum enim sunt instrumenta, quibus ignis operatur extrinsecus. sed etiam se habent per modum dispositionis tollentis indifferentiam, quam de se habet materia prima ad omnes formas, reddendo illam potius susceptiuam formæ ignis: quam cuiuscunque alterius. quare non est mirum, si vendicent sibi tanquam subiectum proprium materiam, quam debent disponere, ac præparare; & non formam ignis. at verò potentiæ intellectiua, & volitiua, nec una de loco motiua, quas sibi vendicaret tanquam proprietates forma substantialis ab aduersa-

uersarijs posita nihil tale haberent; quia non essent dispositiones ad materiam spiritualem, determinandam ordinatæ, ut de se patet.

SVBSECTIO QVARTA.

An ex possibilitate substantiæ spiritualis essentialiter compositæ, possibilitas animæ rationalis eodem modo compositæ rectè colligatur.

46 Conclusio est affirmatiua: puto enim, quod deuoratis implicantijs, quæ impossibilem substantiam spiritualem essentialiter compositam euincunt: nulla alia superest, quæ impossibilitatem animæ rationalis ex materia, & forma spiritualibus constantis efficaciter persuadeat. est contra quam plures Recentiores, qui materiam spiritualem possibilem propugnant, inter quos est Quiros in suo cursu *disp.* 81. *n.* 14.

Placet eorum implicantias expendere, ut inde constet, si quæ est, eam contra uniuersum genus substantiæ spiritualis compositæ militare. Prima, & communis ratio sic procedit: Anima rationalis est ens incompletum; ergo implicat componi ex subiecto spirituali. probant consequentiam, quia si illo componeretur, iam esset completa, eodem modo ac equus, qui constat subiecto, & forma materialibus.

47 Arriaga *Disput.* 1. *de anim. sect.* 5. *nu.* 178. negat hanc implicantiam esse conuiencentem quamuis enim, inquit, non possint dari duæ formæ, una alteri subordinata in eodem composito: possunt tamen dari duæ materiæ. disparitatem assignat eò, quod esse primam radicem, qui est conceptus substantiæ, non potest conuenire duabus formis inter se subordinatis; sed solùm illi, quæ exigit secundam; & sic sola prima erit substantialis. at de ratione subiecti substantialis est sustentare formam substantialem. unde cum non solùm primum, sed etiam secundum recipiant immediatè substantialem formam: ambo erunt substantiæ.

48 Hæc impugnatio non procedit. Primò, quia esse primam radicem eorum, quæ sunt incomposito competit toti ratione utriusque partis. quia licet à forma primò procedant qualitates, quæ in illo existunt, at in materia ultimò recipiuntur. atque adeò non minus est prima radix ingenere efficientis forma: quam materia ingenere causæ materialis. disparitas igitur assignata inter pluralitatem formarum, & materiarum non procedit. Secundò quia auctor ita imaginatur animam rationalem compositam ex forma, & materia spiritualibus, ut materia se habeat ut forma respectu corporis; respectu uerò alterius compartis spiritualis ut subiectum tum sic: implicat per ipsum dari duas formas substantiales in eodem composito, unam alteri subordinatam; ergo, & duas materias quarum una spiritualis sit, altera corporea. Probatur consequentia, quia ex his materijs, una, videlicet spiritualis, iam se haberet ut forma respectu alterius; ergo si anima rationalis esset composita ex materia, & forma spiritualibus iam homo constaret ex duplici forma, & quidem utraque spirituali. quod enim vna esset simul materia parum referret; per hoc enim non tolleretur quin etiam esset forma: quare hac impugnatione Arriagæ posthabita, imbecillitalem illius primæ, & communis implicantiæ ostenderem ex eo, quia in tantum per aduersarios substantia spiritualis potest ex materia spirituali componi, in quantum potest aliqua forma spiritualis, dicta materia, vel ad essendum, vel saltem ad operandum indigere, sed totum hoc de anima rationali quantumuis incompleta verificari potest; nil enim vetat quin ideo materiam spiritualem admittat, quia altera compars, ex qua componitur, dictam materiam, vel ad essendum vel etiam ad operandum operationes spirituales exigat, ergo &c.

Secundo Ouiedus *de anima controuers.* 1 *puncto* 1. § 3. *nu* 18. sic discurrit. anima rationalis est forma; ergo non componitur ex subiecto, & forma. antecedens patet. consequentiam suadet, quia si semel haberemus, quod forma posset ex subiecto, & forma componi. rursus illa forma, ex qua componitur, ex alio subiecto, & ex alia forma componi posset, & sic in infinitum formæ procederent: in idem recidit; si dicas: materiam illam spiritualem, ex qua anima rationalis componeretur non esse formam. Nam si semel habemus hominem duplici materia constare: non esset assignabile, cur non posset dari aliud compositum constans ex triplici, & aliud ex quadruplici in infinitum. 49

Verum neque hæc repugnantia est solida, possent enim aduersarij respondere Primò, quod in tantum forma aliqua spiritualis est essentialiter composita, quia vel ad essendum, vel ad operandum materia indiget spirituali, sed huic indigentiæ iam plenè per vnam spiritualem materiam prouisum esset. ergo repugnat dari aliud compositum duplicem materiam spiritualem in voluens, sed ad summum datur homo, qui vnam spiritualem, & aliam corpoream exigit, quatenus operationes vtriusque generis exercere potest, siuè demum materia spiritualis habeat etiam rationem formæ, siuè non.

Possent etiam respondere secundò; quod quamuis sit absurdum in vno eodemque composito admittere infinitas materias, vel infinitas formas: at nullum esse absurdum, quod in vno detur duplex materia, & vna forma, ex quibus essentialiter constet, in alio triplex, in alio quadruplex in infinitum. quemadmodum enim sunt possibiles essentiæ, quarum vna sit perfectior alia in infinitum; ita vt nunquam perueniatur ad vltimam, quæ sit perfectionis infinitæ; sic etiam in casu nostro ex suppositione, quod non repugnet materia spiritualis ad formam item spiritualem essentialiter ordinata: erunt possibilia huiusmodi composita, absque eo quod vnum aliquod assignabile sit, quod constet infinitis materijs.

Argumentatur tertiò Ouiedus *loco citato*: De ratione materiæ substantialis compositi est esse puram potentiam, & primum subiectum nullam in sua entitate formam includens. ergo de ratione formæ eiusdem substantialis compositi est esse purum actum nihil includens subiecti, quod alio actu informetur. 50

Sed

quod ad hoc facile respondere posset; primo quod quemadmodum non obstante, quod materia prima sit pura potentia, & primum subiectum, in sententia tamen Scotistarum admittit formam corpoream, cuius beneficio recipiat susceptiua alterius formæ substantialis, ita posset in casu nostro haberi quod simile. Secundo dicitur respondere posse, distinguendo antecedens: dicendo compositionem materiæ substantialis compositi adæquatè materialis esse puram potentiam, & primum subiectum, nihilum in se formam actualem, formam includens; dendo compositionem materiæ substantialis compositi, quæ sit partim materiale, & partim spirituale, nego; & eodem modo distincto consequente: dicerem, quod quando compositum est adæquate materiale, ideo eius materia est pura potentia, & primum subiectum non includens in se vllum actum, quia materia prima, cui essentialiter dicta competunt prædicata, est sufficientissima subministrare formæ materiali, quæ est altera compars illius cōpositi omnem causalitatem, quam dicta forma, siuè ad existendum, siue ad operandum requirit: at verò quando compositum est partim spirituale; potest eius forma esse talis; vt in genere causę materialis exigat aliquam causalitatem, quam à materia prima non possit accipere, vel in ordine ad essendum, vel ad operandum spiritualiter. vnde non sit mirum; si huiusmodi compositum possit constare duplici materia, quarum altera *sit sustentativa operationum materialium atque adeò corporea*: altera verò spiritualium *atque adeò incorporea*; quæ respectu vlterioris formæ, quæ esset dictarum operationum effectiua se haberet vt materia: respectu verò subiecti corporei ut forma; & inde fiat ut de ratione materiæ huius compositi non sit esse purum potentiam, & primum subiectum nullam in se formam includens, neque de ratione formæ inde compositi esse purum actum nullum subiectum seu potentiam perfectibilem continentem.

51 Quarta denique repugnantia quam affert idem auctor *n.* 20. est hæc: si materia spiritualis animum rationalem componeret; sequeretur, quod simul cum materia corporea suas operationes exerceret. ergo ex hoc capite illa materia spiritualis non esset necessaria. sed nequo adhoc vt forma spiritualis educatur ex illa: hæc enim creatur. ergo ex nullo capite necessaria esset, atque adeò essentialiter superflueret.

Verum hæc implicantia, stante doctrina, qua ipse Ouiedus in Physicis probat materiam spiritualem in composito substantiali non esse superfluam; facilè dissoluitur; negari enim primò potest sequela antecedentis; ac dici à materia illa spirituali, ex qua anima rationalis componeretur nullam exercendam esse simul cum materia corporea operationem vitalem, sed substentandas tantum operationes spirituales, quæ ab altera cōparte spirituali producerentur quidem, sed nullatenus sustentari possent; quem admodum enim dicit, quod incompositio totaliter spirituali forma posset indigere subiecto spirituali vt esset passiuum principium operationum spiritualium, quas ipsa produceret, quidem: at recipere non valeret: ita dicam ego de anima rationali duplici portione spirituali constante, & affert exemplum ab eo adductum ad excludendam superfluitatem materiæ spiritualis, nempe etiam separationis istius in summo animorum ordine recipiendum in eius ambra, qui eliciuntur, sed in materia. secundo concessa sequela, negari posset consequentia: quam admodum enim ipse eodem loco ait, quibus formis spiritualibus possit dicere subiectum spirituale esse aptum, & proximum, quæ tendunt in conservationem subiecti esse vltimum actuum operationum compositi, ita de facto nihil obstare, quin materia spiritualis cum sua forma actiones sensitiuas exerceat simul cum materia corporea exercere operationes sensitiuas in homine, ad quas exercendas sola materia corporea non esset sufficiens. vnde sicuti in sententia eorum, qui dicunt materiam simul cum forma actiones sensitiuas producere, non recte infertur formam ad eas producendas minimè necessariam esse: ita in hac sententia. atque hæc quantum ad priorem partem argumenti, in qua necessitas materiæ spiritualis in ordine adoperandum excludebatur.

Quantum verò ad posteriorem, in qua excludebatur necessitas in ordine ad essendum; iam materiæ spiritualis assertores concedunt non repugnare formam spiritualē posse in genere causæ materialis ab illa pendere. inter quos Arriaga loco citato; & ad id, quod aliqui ex nostris inde colligunt: nimirum huiusmodi formā esse incorruptibilem respondent: negando sequelam. Sumpta paritate ex forma Cæli, quæ licet pendeat à materia, est tamen incorruptibilis, quia (vt recte) tam corruptibilitas formæ à materia dependentis tota quanta est refunditur in separabilitatem eius ab ipsa materia. quare, hoc ipso, quod naturaliter separari non potest, erit profecto incorruptibilis. quemadmodum igitur ipsi fatentur compositum ex materia, & forma spiritualibus fore incorruptibile non obstare, quod forma à materia sustentetur. ità dici potest de anima rationali quantumuis pars eius perfectiua à perfectibili in genere causæ materialis dependeat.

Denique quod, hoc non obstante, verificari 52
posset de eadem anima, quod esset creata, & non educta, constat ex his, quæ diximus in physicis, quibus accinit Suarez. nimirum, quod ad compositi alicuius creationem astruendam sufficiat, quod ita secundum se totum de nouo producatur, vt neutra eius pars tempore antecedenti præextitisse supponatur.

Et quidem ex his, quæ huc vsque philosophati sumus, satis apparet posita possibilitate compositi constantis ex materia, & forma spiritualibus, non haberi efficax argumentum, quo probetur, animum nostrum non posse esse huiusmodi. quare aduersarij dum vnum concedunt, alterum negant; valdè se implicant, ac confundunt. nec aduertunt solutiones, quas adducunt ad soluendas nostras implicantias de compositi spiritualis possibilitate militare contra ipsos dum retorquentur ad probandam non implicantiam huiusmodi compositionis in anima. verum hoc ipsi viderint. illud nobis vltimo loco



DISPVTATIO QVINTA

DE DIVISIBILITATE ANIMAE PLANTARVM, Atque Brutorum.

HIS explicatis occasione indivisibilitatis animæ rationalis, quæ sicuti & de reliquis animabus instituimus, obiter adnotando, difficultatem in eis procedere de divisibilitate quo ad solas partes integrantes; non verò quo ad partes quoque essentiales. nulli enim dubium esse potest, esse ex materia, & forma compositas, cum enim sint materiales, & materia rerum materialium sit ea, quam primam communiter appellamus; idem esset dicere, huiusmodi formas esse essentialiter compositas, ac constare nostrate materia, & sic neque possent ulteriorem materiam informare, neque deberent.

SECTIO PRIMA.

Quòd Anima plantarum, & bellarum imperfectarum sint indivisibiles.

CONclusio est affirmativa, & omnium ferè Recentiorum, quorum princeps *libro de longitudine, & brevitate vitæ*, hanc habet: Assimilantur autem plantæ insectis, sicuti dictum est prius. divisa enim viuunt, & duæ & multæ sunt ex una. porrò insecta à Philosopho appellantur apes, vespæ, vermes, lucertæ, angues, cæteraque reptilia, quæ nomine imperfectorum animalium à nobis comprehenduntur, libro autem *de memoria, & somno* eam videtur: Plantas & insecta vnam habere animam essentialem, plures autem potentialem.

Probatur autem experientia; videmus enim arborum ramos à stipite abscissos diu vivere, & certæ communitatis radices emittere, vegetari, frondibus olerea ponere, ita ut maduerimus, eandem ducere à reliquo corpore gratiam, ad locum tempus se movere, dolorem que sentire, nonnullum autem gramen ex radicibus, quæ in humido durare possunt, ut pater in homine jugulato; ergo cum plantarum tum insectorum anima debet dici, quod divisibilis sit; neque enim aliter posset per divisionem animam suam ille corrumpere, & duas de novo indivisibiles generare esse. Vt sic. Quæ in sua essentia, & esse, non quia gratia id asserimus & dici idem posset de reliquis formis rerum inanimatarum, ac consequenter omnium formæ substantiales indivisibiles essent, quia etiam quia magnam ad corruptionem minus formæ alia eiusdem speciei in eodem subiecto produci solet in plantis autem sine generatione hoc evenire. Adversarium verisimilem habere quod in adversariis quæque sui ergo

huiusmodi formæ habeat terminos magnitudinis, & non possunt sine sue augeri? facilè respondeo, rationem esse; quia anima insectorum, quæ est in capite, per species sentationū determinari debet, ne reliqua membra in suis operationibus dirigere valeat, quare in bonū totius determinatā distantiam à reliquis membris sibi vendicat, & exposcit plantæ verò per radices nutrimentum attrahunt.

Ani ex his tempore impugnare sententiæ Simplicii, Vgonis Senensis & aliorum, qui Platonē sequuti (si verum est quod ait Marsilius Ficinus *lib. 1. de Theologia Platonica cap. 3. & lib. 8. cap. 1.* diverunt omnem animam esse indivisibilem in partes integrantes.

Verum quædam alia aliorum, sententia media inter duas extremas circumfertur, quæ docet, dictas animas in quibusdam certis partibus corporis esse indivisibiles, in iis nimirum, in quibus non habent virtutes vitales, in aliis verò in quibus organa vitalium potentiarum repesiuntur per quas operationes vitæ vitales exercere, esse divisibiles; quatenus experientia constat, quod si abscindatur pars aliqua plantæ sine medulla, aut cortice, non poterit vivere, etiam si terræ mandetur, vel alteri plantæ per insitionem ingeratur, quod non eveniret, nisi anima, quatenus est in illa parte, esset indivisibilis.

Contra eam hanc etiam sententiam probatur nostra conclusio, & primo quantum ad id, quod dicit, in partibus minus præcipuis huiusmodi animas esse indivisibiles, nam vel sunt indivisibiles sicuti punctum, quod neque formaliter, neque virtualiter est extensum, & hoc non, quis parum materiæ divisibilem informant, quod sine virtuali extensione fieri nequit; vel sunt indivisibiles sicuti communiter ponitur esse Angelus, & anima rationalis, & hoc neque, quia quod est hoc modo indivisibile cæteris paribus est perfectius eo, quod divisibile est; sed hu-

huiusmodi partes, eo ipso quod dicuntur non habere virtutes vitales, & organa potentiarum, per quas vitæ opera exercentur, ponuntur imperfectiores diuisibilibus; ergo &c. deinde quatum ad id, quod asserit in partibus magis præcipuis easdem animas esse diuisibiles, sic impugnatur: partes corporis, in quibus organa potentiarum residunt, censetur præcipuæ; atqui animam huiusmodi partes informantem debere esse indiuisibilem in sententia aduersariorum suadetur, quia si in duas V. G. partes diuideretur oculus, vel cor alicuius animalis insecti, neutra pars illius viueret; ergo huiusmodi animæ etiam, vt essent in præcipuis partibus corporis deberent poni indiuisibiles. antecedens patet. consequentia suadetur: quia in quam cunque animæ, quæ est in partibus minus præcipuis censetur per aduersarios indiuisibilis, inquantum si abscindatur aliqua ex his partibus, vt experientia constat, non viuit, sed idem accidit parti oculi, cordis; ergo &c.

Vltimo loco totaliter hæc opinio improbatur ex eo, quia quando dicit has animas esse diuisibiles secundum eas partes, in quibus organa, & vitales potentiæ residunt, secundum verò alias indiuisibiles, vel est sensus, quod habeant quasdam partes diuisibiles, quasdam verò indiuisibiles, & hoc repugnat, quia ex diuisibili, & indiuisibili non potest resultare aliquod continuum nisi quando indiuisibile se habet vt terminus, vel vnio, vt patet in quantitate. cæterum inauditum est dari de facto totum, quod aliquas partes habeat diuisibiles, alias verò indiuisibiles prioribus continuatas, ita vt partim sit formaliter, partim verò virtualiter extensum: vel est sensus, quod eadem anima secundum se, respectu diuersarum partium corporis hanc habeat diuersitatem, ita vt respectu præcipuarum sit diuisibilis, respectu verò minus præcipuarum indiuisibilis, & hoc multo magis repugnat, quia diuisibilitas, & indiuisibilitas non sunt prædicata, quæ per extrinsecam denominationem rebus competere possunt, vt de se patet. sed vnum, vel alterum debet competere rei, de qua agitur secundum suum esse consideratæ. quare ex aduersarijs quæro de anima vermis, aut arboris V. G. vel hæc secundum se considerata habut partes integrantes, vel non? si primum iam est diuisibilis: si verò secundum indiuisibilis. implicat igitur, quod respectu aliquarum partium corporis diuisibilis sit, respectu verò aliarum indiuisibilis.

Ad experientiam autem, in qua hæc opinio fundabatur ex quibusdam plantarum partibus desumptam, quæ si terræ mandentur, vel inserantur, viuere nequunt, dicendum, quod cum esse sit propter operari, & pars animæ existens in parte illa materiæ decisæ non habeat instrumenta ad vitaliter operandum necessaria, ideo corrumpitur, & desinit esse cum quo fiat, quod illa pars animæ, quæ illi particulæ materiæ correspondet non minus sit diuisibilis in plures partes, quam ipsa materiæ particula, æquiuocatio autem ab aduersarijs committitur, eo quod diuisibile illud solum existimant, cuius partes post diuisionem conseruari naturaliter possunt, quod est omnino falsum.

Contra nostram assertionem obijcies primò. quælibet pars animarum insectorum, & plantarum non pendet adæquatè à sola parte materiæ, cui correspondet, sed à quibusdam certis, ac determinatis, à quibus si separetur, corrumpitur. ergo nec adæquatè educitur à sola parte materiæ, cui correspondet, sed ab alijs pluribus; sed id, quod est huiusmodi necessariò est indiuisibile; ergo &c. Antecedens patet ex dictis. consequentia verò suadetur, quia dependentia in genere causæ materialis ab aliquo subiecto habetur regulariter per eductionem à potentia illius subiecti. subsumptum verò probatur. quia forma, quæ educitur ab aliquo subiecto debet esse intrinseca illi subiecto; si igitur pars formæ, quæ est in materia digitali V. G. est etiam in materia palmari: ergo est in illis virtualiter extensa, & per consequens in se indiuisibilis.

Respondet Ruuius *vbi. 3. de anima cap. 3. qu. 2. nu. 113.* concesso primo enthymemate, negando subsumptum, quia (inquit) licet singulæ partes animæ non possint inquibuscunque partibus materiæ separatæ conseruari: nihilominus, cum eas informent, ad diuisionem extrinsecam necessariò diuiduntur, quamuis per diuisionem illam corrumpantur. Sed contra est, quia hoc ipso, quod vna pars animæ pendet à pluribus partibus materiæ sibi æqualibus, & abipsis educitur, iam est illis omnibus intrinseca, atque adeò virtualiter in eis extensa, & sic in se indiuisibilis, vt dicitur in argumento, quare hac responsione posthabita.

Respondeo ego, distinguendo primum antecedens, quælibet pars animarum insectorum, atque plantarum non pendet adæquatè à sola parte materiæ, cui correspondet, si latè accipiatur dependentiæ vocabulum, concedo; si strictè, nego antecedens, & consequentiam ac dico, quod pars animæ, quæ est V. G. in minima particula animalis insecti, pendet in genere causæ materialis per strictam dependentiam ab illa sola parte corporis, cui correspondet. at quia vt ipsa exigat conseruari requiritur etiam tanquam conditionem, sine qua non, concursum certarum quarundam partium, quatenus absque illis operari nequit: hinc fit, vt ab illis etiam latè pendere materialiter possit. ex hoc autem non sequitur, vt ab illis educi debeat, neque, quod eas intrinsecè afficiat. vnde est, quod omnem virtualem extensionem, quæ propria est rerum indiuisibilium ab ea excludamus.

Obijcies secundo: si anima insectorum esset diuisibilis: sequeretur, quod tota de potentia totius materiæ educeretur, & pars de potentia partis sibi correspondentis. ergo in nutritione simul cum noua parte alimenti pars animæ adueniret. sed sic augumentum illorum fieret per iuxta positionem. ergo &c.

Respondeo, concesso enthymemate, negando subsumptum, dico enim, quod hoc ipso quod insectum intus alimentum suscipit, & per omnes partes illud distribuit, ac demum per virtutem vitalem illud ipsum in se conuertit; iam augetur vitali modo, sicuti cætera animantia; cuius rei signum est, quod huiusmodi augmen-

tum

tum non potest procedere in infinitum, sicuti augmentum non viuentium, eo quod eius virtus augmentatiua uitalis est, & usque ad certum terminum operari potest.

10 Obijcies Tertiò: id circo animas plantarum, & insectorum diuisibiles esse asserimus, quia videmus partes illarum à reliquo corpore diuisas viuere. sed non est necesse dicere, quod viuant eadem anima, qua viuebant antea. ergo &c. maior patet; & minor probatur, quia frumentum è spica decisum terræque mandatum quando germinat certum est viuere; sed non eadem anima, qua viuebat in spica; ergo neque partes Plantarum, & insectorum diuisæ viuunt eadem anima, qua in illis viuebant.

Respondeo, concessa maiore; negando minorem propter rationem in prima nostra probatione assignatam. ad probationem in contrarium concessa maiore, & minore; nego consequentiam. disparitas lata est, quia frumentum non germinat nisi corrumpatur, & putrefiat. Vnde non est mirum si, quando postea virescit in herbam, non eadem numero anima, qua antea viuebat, sed distincta animetur. contra verò ramus decisus ex arbore, si animam, quam antea habebat per hoc, quod exiccetur, amittat: etiam si terræ mandetur, ac irrigetur, nunquam virescet. hoc autem euidens signum est, quod eandem retineat animam, quam habebat in arbore.

11 Instabis *nullum viuens potest secundum se perpetuari, sed si plantarum animæ diuisibiles essent, hoc eueniret; semper enim ex priori planta præcidi posset ramus, & plantari, & sic in infinitum viueret prima planta, ergo &c.*

Respondeo, negando minorem: dico enim, quod post aliquas ramorum præcisiones ex plantis, quæ successiuè plantantur non reperietur in illis amplius neque materia neque forma primæ plantæ: si quidem planta habet suum calorem naturalem, quemadmodum animalia, qui quidem calor paulatim partes consumit, vnde est quod egeat nutritione.

12 Obijcies quartò: cauda lacertæ abscissa dolet, & refugit à contrario, & vna eius pars aliam adiuuat ergo in ea est vis cognoscitiua, & appetitiua. sed hoc non contingeret nisi eius anima esset indiuisibilis, vbique potens cognoscere, & appetere ergo &c.

13 Respondet *Suarez lib. 2. de anim. c. 5.* negando *subsumptum* dicit enim in his animalibus *imperfectis phantasiam, & appetitum diffusa esse per totum corpus.* Sed contra, quia licet sic esse diffusa, tamen solum in vna parte habet organum aptum: melius ergo respondetur existimo. Refugientia illam à dolore, & à contrario defensiua neutique partium in cauda sectarum non prouenire ab anima sensitiua, & appetitiua, sed fieri mortuo quodam modo fieri in non viuentibus quando à contrarijs fugiuntur agendo per antiperistasim.

SECTIO TERTIA.

Vtrum animæ Brutorum Perfectorum sint Indiuisibiles.

CONclusio est negatiua. ita Scotus *in 4. dist. 44. qu. vnic. art. 1.* quem sequuntur Durandus, Caietanus, Iandunus, Marsilius, Toletus, Rubius, Pererius, Murica, Hurtadus, Arriaga, & Oniedus locis citatis à Comptono *disputat. 8. de anima sect. 2. nu. 3* contra Caietanum Ferrar. Bagnes, Complutenses, Albertum Magnum, Alensem, Bonauent. quos citat idem Comptonus nu. 4. ad numerans eis Conimbricenses *lib. 2. de anima cap. 1. quæst. 8 art. 3.* & Suarez *lib. 3. de anima cap. 13. nu. 7* sed notandum priores quæstionem problematicè dissoluere respondendo argumentis, quibus vtraque sententia fundatur. quare neque pro nostra, neque pro contraria absolutè citandos esse. vltimum verò videlicet Suarez verè loco citato indiuisibilitatem harum animarum propugnare; quia tamen tractatum hunc morte præuentus absoluere non potuit, & ea quæ in hoc eodem capite, & in sequentibus habentur, ex his, quæ adolescentior in scholis dictauerat, addita sunt: ideò absolutè stare pro nobis, eo quod doctior factus mutauit apertè sententiam, vt constat ex his, quæ habet *in metaphys. disput. 15. sect. 10. nu. 35.* vbi expressè huiusmodi animas esse diuisibiles probabilius existimat, & *nu. 40.* addit partes animarum perfectorum animalium esse heterogeneos. ex Recentioribus autem nobis contrarij sunt Lynetus & Quiros locis infra citandis.

Probatur assertio vnica ratione: Animæ perfectorum animalium educuntur, & pendent à subiecto diuisibili: ergo nequeunt esse indiuisibiles, sed ad diuisibilitatem subiecti diuisibiles sunt. antecedens à non nullo recentiore negatur, nimirum à Daniele Senerto *in suis Hypomnematibus physicis*; quem videtur sequi Quiros *Disp. 31. nu. 10.* dum ait, defendi posse, animam bruti causari à solo minimo naturali materiæ primigeniæ, & vel etiam ab vnico ramum eius indiuisibili, eo quod ad materialitatem sufficiat; eiusdicti falsitas constat ex eo, quia sic anima bruti non exigeret corpus organicum, sed posset in materia non organizata produci, quod nemo concedet. posita ergo veritate antecedentis. Ad probationem consequentiæ suppono, me non intendere eam vi formæ ex illo antecedente deducere, quasi verò hoc ipso, quod aliqua forma sit indiuisibilis non possit à subiecto diuisibili pendere, fortasse enim nulla in hoc est assignabilis repugnantia; præsertim in sententia eorum, qui rationem compositi in solo impenetrabilitate cum aliqua re eiusdem speciei consistere defendunt. solùm itaque tendo dicere consequentiam ratione materiæ, hoc est animam Bruti perfecti, negari non posse, quod sic suadeo; Non potest anima bruti perfecti esse totaliter in toto, & pendere à toto subiecto diuisibili, & non ita à singulis eius partibus, sed necessariò debet esse à toto, & pars à parte pendere, & esse: sed eo ipso, quod hoc modo se habet est diuisibilis, & non indiuisibilis, ergo &c. minor est certa,

certa; quia sicuti per hoc forma indiuisibilis differt à diuisibili, quod sit tota in toto subiecto, & tota in singulis eius partibus. contra verò diuisibilis tota in toto, & pars in parte, ita etiam: si indiuisibilis pendet à subiecto, debet tota à singulis subiecti partibus pendere. cùm enim partibus, per quas vna ab vna, & altera ab altera parte despendeat; sicuti propter contrariam rationem pendet forma diuisibilis; ergo &c. Maior igitur, in qua est difficultas, suadetur: nisi anima bruti tota penderet à toto subiecto, & pars à parte; sequeretur, quod quando brutum per augmentationem augeretur, eius anima inciperet pendere à parte subiecti de nouo acquisita; & quando per decretionem minueretur, inciperet non pendere à parte subiecti nouiter deperdita. sed ex hoc sequitur, quod naturaliter à pluribus causis totalibus totaliter concurrentibus in genere causæ materialis pendeat, vel ab vna totali, & alia partiali. nam equus V.G. plus materiæ per aggenerationem acquirit, quam initio suæ generationis habuerit. ergo, si quando genitus fuit, eius anima pendebat à materia illa tanquam ab vna causa totali: tempore procedente, quando postea augebitur, pendebit à materia tanquam à duplici causa totali, vel vna totali, & altera partiali; simile quid dicendum in diminutione; si enim equus amittat V. G. coxam, eius anima à reliquo corpore tanquam à causa adæquata pendebit; ergo antea dum supponitur etiam à materia coxæ pendere, duplicem causam totalem totaliter influentem habuit; ne igitur hæc dicamus tenere debemus, aliam esse partem animæ bruti, quæ, quando augetur, incipit dependere à materia, quæ de nouo aduenit; & aliam, quæ quando mutilatur, cessat dependere à parte decisa, atque adeò corrumpatur.

15 Quadrupliciter responderi ad hoc argumentum potest; Et primò quidem negando animam bruti, si est indiuisibilis; debere necessario immediate dependere à toto subiecto, quod informat, vt tota dependeat à singulis eius partibus.

16 Sed contra est, quia vel dependere debet à toto subiecto indiuisibiliter accepto; vel à toto diuisibiliter. verumuis dicatur, sequitur, quod tota pendere debeat à singulis eius partibus. ergo &c. Maior patet, minor probatur; & si quidem dicatur primum, quod, scilicet, debeat tota anima bruti à toto subiecto indiuisibiliter sumpto pendere. ergo ablata quacumque parte subiecti, quantumuis minima, cessabit ab illo pendere; iam igitur pendet à singulis eius partibus; sin autem eligatur secundum, quod nimirum debeat ab illo diuisibiliter accepto dependere, contra etiam est; quia non potest explicari in quo hæc diuisibilis acceptio subiecti consistat; nisi in hoc, quod anima à qualibet eius parte dependeat. non enim potest dici, quod consistat in eo, quod, facta quacunque diuisione subiecti, anima tamen indiuisibilis ab eo dependeat; hoc enim est manifestè contra experientiam, dum secetur equus in duas partes æquales, in neutra anima conseruatur; neque quod semper à corpore possit abscedere aliqua pars minima proportionalis, & quæ non pendeat, quia datur minimum, quod sic, in huiusmodi corporibus; vt constat. neque potest alio modo explicari, nisi dicto à nobis. ergo &c.

Secunda responsio potest esse dicentium, animam brutorum perfectorum pendere tantum à materia, qua in primo generationis instanti cōstabat corpus organicum; quod si aliquid illius deperdatur, nisi tantundem de nouo acquiratur, quod succedat loco prioris ad conseruandam animam, hæc proculdubio corrumperetur; sin autem plus est quod acquiritur, excessus illius in eius conseruationem minimè influat. Ita ex parte Complutenses. Contra tamen hanc responsionem est primò, quia est contra præcipuos huius sententiæ patronos, qui dicunt: formam materialem dependere à subiecto per informationem illius; impossibile igitur est animam bruti informare partes materiæ, quæ in augmentatione, acquiruntur, & ab illis minimè dependere. Contra secundò; quia partes illæ materiæ, quas in primo generationis instanti animalis corpus coniunctas habebat procedente tempore augmentationis beneficio incipiunt inuicem notabiliter distare. quis autem credat animam equi informare quidem omnes partes corporis equini, at pendere solùm ab aliquibus inter se distantibus; cum constet, nullum effectū existere posse extra sphæram suæ causæ quandiu actu pendet abilla; & sit plusquam certum, causam materialem non posse se extendere ad causandum, vbi ipsa non est, eo quod exigit necessariò compenetrari cum effectu, quem causat, Neq; sufficit, quod in vno tantum loco id habeat, non verò alibi: alioquin si accidens quod in vno loco pendet à materia, miraculosè alibi replicaretur; sequeretur, quod connaturaliter ibi independenter à subiecto existere posset, quod nemo concedet, & rectè id quidem, quia etiam si sit indiuisibilis res, vbicunque est, à suis causis dependeat, necesse est.

Contra eandem secundam responsionem facit tertiò, quia quælibet ex partibus, quas habet corpus organicum equi V. G. in primo generationis instanti; si anima equi esset indiuisibilis sufficeret ad causandam illam in genere causæ materialis. ergo tota responsio corruit. probo antecedens, quia si non sufficeret; vel oriretur ex indiuisibilitate animæ, vel ex perfectione illius, vel ex aliquo alio capite; nullum dici potest; ergo &c. maior patet, probo minorem, & quidem, quod non oriatur ex eius indiuisibilitate, vt sic videtur certum, quia per se loquendo, conformius est naturæ formæ indiuisibilis exigere subiectum indiuisibile, quam diuisibile, quod si exigat diuisibile, vt sit minimum, quod physicè loquendo dari potest; sicuti è contra forma diuisibilis connaturaliter est habere subiectum diuisibile ex partibus extensiuis constans, quas ipsa habet, quod verò neque oriatur ex illius perfectione, suadetur, quia forma quo nobilior est, eò minus indiget influxu causæ materialis. dependentia siquidem à materia imperfectionem redolet, vt de se patet.

Aliud caput assignari non potest, nisi quis recurrat ad multiplices operationes vitales, quas anima illa exercere debet, quæ sine organorum

17

18

norum diuersitate fieri non possunt. Verum hic facilè redarguitur, si aduertat aliud esse formam indiuisibilem indigere tot materiæ partibus tamquam causis, quæ in sui existentiam influunt: & aliud indigere illis tamquam conditionibus, sine quibus existere nequeat. iam ex necessitate operandi, non primam, sed secundam indigentiam oriri constat ex anima imperfectorum animalium, quæ licèt sit diuisibilis, & quælibet eius pars pendeat tanquam à causa materiali sòlùm ab illa materia, quam informat: non potest tamen illam informare in quacumque minima quantitate. sed coniunctionem cum alijs quibusdam particulis materiæ propter eandem rationem necessariò, requirit.

Contra denique dictam responsionem insurgo quartò, quia ex ea sequeretur animam perfectorum animalium mutare subiectum. si enim est indifferens ad dependendum à priori, vel posteriori materia: post multum temporis totaliter pendebit à noua; sed contra hoc reclamat commune proloquium: Quod non detur transmigratio formę materialis de subiecto in
81 subiectum. ergo &c.

89 Respondet ad hoc Comptonus *sect. 3. num. 14.* primò Proloquium illud dici de solo accidente: nos autem loqui de forma substantiali. secundò etiam accidens posse migrare, quantum est de se, de subiecto in subiectum, sicuti potest relicta priore causa *efficiente* pendere à *posteriori*. *tertiò addit naturaliter id non posse contingere in accidente, eo quod partes materiæ, quarum singulis correspondet sua pars quantitatis, inter se penetrari non possunt* contra verò si possent. nullum tamen ex his dictis mihi satisfacit. non primum quia impotentia ad transmigrandum, si habetur in accidente, non potest prouenire, nisi ex eius dependentia à subiecto. sed in hoc eadem ratio militat, si de forma substantiali materiali loquamur. ergo &c. neque secundum, quia in libris de Generatione latum assignauit discrimen cur forma materialis possit mutare causam efficientem, & non materialem; & est euidens, si modus causandi vtriusque causæ consideretur. vna enim est extrinseca, altera intrinseca suo effectui. neque denique tertium, quia superioribus dictis contradicit. primò quidem in quo disparitas inter formam substantialem, & accidentalem asserebatur. *quod enim duæ partes materiæ ratione quantitatis, quam habent non possint*
71 *inuicem penetrari, non minus impedimento* esse debet formæ substantiali ne transmigret, quam sit formæ accidentali, vt de se patet.

20 Secundò verò dicto contradicit quia dum ad transmigrandum accidens de subiecto in subiectum dicit esse necessariam vtriusque subiecti compenetrationem, quæ naturaliter haberi non potest. iam assignat disparitatem cur possit eadem forma naturaliter modo ab vna; modo ab altera causa efficiente pendere; & non à materiali, quia nimirum ad mutandam dependentiam effectiuam causarum efficientium compenetratio minimè est necessaria.

21 Tertia responsio ad argumentum principale est eiusdem Comptoni. *sect. 3. nu. 13.* vbi ait:

in nutritione, & augmentatione equi dari nouam actionem procedentem à noua illa parte materiæ, quam anima equi incipit informare: manere tamen priorem actionem totalem, neque esse absurdum, quod in hoc casu eadem forma naturaliter à duplici causa totali, vel ab vna totali, & altera partiali dependeat; si enim esset, id ex superfluitate procederet. Atqui hic noua illa partialis actio aduenies non esset superflua, quia redderet animam aptam informare diuersam partem materiæ, ad quam informandam per actionem præcedentem non erat idonea, quod sufficit vt non sit superflua. Quod confirmat exemplo vnionis, & vbicationis: sicuti enim inquit, repugnat naturaliter duplex vnio, & vbicatio totalis, vel partialis in eodem loco, & in eadem parte materiæ, non tamen indiuerso loco, & indiuersa parte. vt constat ex Angelo, & anima rationali respectu spatij, & corporis: ita in casu nostro. idem prorsus dicit loquendo de prima animæ equi productione, ait enim actionem illam constari ex pluribus partibus quarum singulæ non à tota materia, sed a singulis eius partibus, quæ informantur, anima dependet: ita tamen vt quælibet quantum est de se sit sufficiens dare esse ipsi animæ indiuisibili.

Verum hæc responsio, licèt plausibilis primo aspectu videatur, nihil tamen solidiratis habet. Ratio est quia in rei veritate concedit posse eundem numero effectum à pluribus causis totaliter influentibus simul naturaliter pendere, quod omnes pernegant; & quamuis in præsenti casu hoc non esse absurdum conetur ostendere: quatenus cuilibet earum influxui, distinctum munus assignat, dum dicit per vnum totalem influxum animam reddi aptam informare vnam partem materiæ, per alium verò aliam: nihil tamen proficit. nam influxus causæ materialis: sicuti etiam efficientis est primo, & per se ordinatus ad dandum esse effectui. quare hoc ipso, quod plures admittuntur influxus, quorum quilibet per se solus est sufficiens dare esse formæ sibi indiuisibili. iam conuincitur causarum superfluitas. alioquin in nullo casu conuinci posset: quemadmodum enim Comptonus ait actionem sequentem non esse superfluam, eo quod reddit animam aptam informare partem diuersam materiæ, ad quam informandam per actionem præcedentem non erat idonea: ita dicet alius: neque esse superfluam actionem illam, quæ reddit animam secundo aptam eandem informare partem materiæ: licèt eam inueniat beneficio prioris actionis aptam eandem partem informare primo; eo quod ratione huius posterioris aptitudinis anima melius in suo esse informatiuo illius partis stabilitur, quatenus casu, quo vna ex dictis actionibus cessat: adhuc per aliam conseruatus existens. sicuti ergo, quamuis hic assignet sequenti actioni totali diuersum munus à præcedenti, non euitat superfluitatem: ita neque Comptonus.

Ad confirmationem verò ex vbi, & vnione desumptam dico: eam stare pro mè: quæro enim ex illo: quid nomine vbicationis, & vnionis

totalis intelligat, quando aſſerit ijs habitis poſſe naturaliter haberi ab angelo aliam vbicationem ad alium locum, & ab anima aliam vnionem ad aliam materiam? profectò niſi intelligat eam, quæ correſpondet cauſæ totali, & totalitatem eodem modo accipiat in vtroque caſu: nihil facit. quemadmodum igitur nomine cauſæ totalis intelligimus illam, quæ explet totam naturalem capacitatem, quam habet effectus, hic, & nunc dependendi à cauſa, & exiſtendi ſimpliciter: ita nomine vnionis totalis illam, quæ explet totam naturalem capacitatem, quam habet forma vniendi ſecum materia, & exiſtendi vnitam, & nomine vbicationis totalis illam, quæ explet totam naturalem capacitatem, quam habet Angelus ſe in aliquo determinato ſpatio collocandi, quod dici ſolet, Sphæra adæquata extenſionis virtualis angelicæ: quo poſito dico, quod ſicuti anima vnita per vnam vnionem totalem vni corporis non poteſt per aliam ſiue totalem, ſiue partialem naturaliter neque illi, neque alteri corpori vniri; & ſicuti Angelus per vnam vbicationem totalem vni ſpatio præſentatus, non poteſt per aliam ſiue totalem, ſiue partialem præſentari neque illi, neque alteri naturaliter: ita, & in caſu noſtro anima equi dependens ab vna parte materiæ tanquam à cauſa totali, non poterit neque ab illa, neque ab alia parte naturaliter ſiuè tanqram à cauſa totali, ſiuè tanquam à partiali dependere.

24 Quarta denique reſponſio, ad argumentum principale, quæ ab aduerſarijs communiter adhibetur eſt, quamlibet partem materiæ quantumeſt de sè eſſe ſufficientiſſimam ad cauſandam in genere cauſæ materialis adæquatè totam animam materialem indiuiſibilem: nihilominus tamen in præſentia reliquarum partium, quæ ab illa informantur, attemperare ſuum concurſum, & ſolùm partialiter concurrere, atque adeò ex omnibus partibus collectiuè acceptis vnum adæquatum concurſum exhiberi: in abſentia verò alicuius partis partialiter concurrentis, reliquas, quæ remanent, ſuum augere concurſum, ſupplendo defectum partis deperditæ. totum hoc confirmant exemplo plurium cauſarum efficientium totalium, quæ ſimul applicatæ alicui paſſo, ſingulæ ſuum concurſum attemperant in productione effectus, partialiter in illum influendo.

25 Sed contra hanc reſponſionem facit, quia in inſtanti aggenerationis animæ equi V. G. in priori naturæ ſupponitur adæquate exiſtere, ſed non dependenter à materia, quam in eo inſtanti primo acquirit; ergo dependenter ſolùm ab alia, quam ſupponitur antea habuiſſe. maior huius patet, quia augmentatio eſt actus vitalis, qui procedere debet ab anima bruti, quod augetur. minor verò probatur, quia materia cum in eo inſtanti primo acquiratur, non poteſt intelligi informata anima equi, niſi in poſteriori naturæ, quia vt ſic habet rationem effectus, qui ſemper in aliquo priori ſupponere debet exiſtentiam ſuæ cauſæ efficientis. conſequentia verò claret; ex qua ſiquet reſponſionis falſitas. tantum enim abeſt ad aduentum nouæ partis materiæ, antiquam ſuum attemperare concurſum; quin imo, ſi verum eſt, quod anima dum augetur, aliquid materiæ antecedentis vi contrarij deperdit, quamuis ſit multo minus eo, quod acquirit: ſi inquam, hoc verum eſt; abſolutè materia antiqua hoc inſtanti maiorem concurſum exhibere deberet, vt partis, quæ tunc deperditur concurſum ſuppleret, & per hoc patet diſparitas inter cauſas efficientes, & materiales. nulla enim ex efficientibus ponitur a ſuo effectu in inſtanti, quo influit, dependere, & ideo non eſt mirum ſi in eo inſtanti poteſt cum alijs ſuum influxum attemperantibus influere in effectum. ſolutionem huic argumento adhibet Arriaga *num.* 115. dicendo ex illo ſolum euinci, animam equi in primo nutritionis inſtanti non dependere à materia, quam tunc denouo acquirit; at non euinci, quod in inſtantibus ſequentibus ab ea minimè pendeat. Vnde dici poteſt ab aduerſarijs attemperationem concurſus non fieri à materia antiqua in primo illo inſtanti, ſed in ſequentibus.

Ouiedus *num.* 8. occaſione huius ſolutionis 26
queritur de Ariaga, quod totus ſit in alienis rationibus euertendis, & nullam propriam meditetur; ex quo oritur, vt ſuam ſententiam omni fundamento deſtitutam relinquat; & quidem negari non poteſt Arriagam, ſententiam adeò plauſibilem de diuiſibilitate animæ bruti perfecti valdè debili fundamento propugnare, dum facit illius cauſam communem cum plantis, & inſectilibus; arguendo à paritate rationis aliarum formarum materialium non viuentium, quæ omnes diuiſibiles ſunt: quaſi verò non ſtatim occurrere poſſit ſpecialis ratio ex nobilitate, vel ſaltem ex diuerſitate, quam animæ materiales, ſi non omnes: ac ſaltem animalium perfectorum oſtendunt in operando, valdè alienam à modo operandi formarum non viuentium. cæterum quamuis hoc nomine non ſit Arriaga laudabilis: ex eo tamen, quod oſtendat modum aduerſarijs reſpondendi argumentis noſtris, non video cur reprehendendus ſit, & non potius laudandus. in philoſophicis enim diſputationibus non aliud, quam veritatem venamur, ad quam conſequendam quis quis viam aperit non niſi ſumma dignus eſt laude; ſed de his hactenus; ad rem noſtram ſi placet accedamus. triplici argumento Ouiedus Arriagæ ſolutionem impugnat.

Primum ſic procedit: anima in primo inſtanti augmenti animalis informat ſubiectum de nouo aduenientem, abſquè quod pendeat ab illo. ergo poterit etiam in ſecundo inſtanti illud eodem modo informare, ab eo minimè dependendo. verùm huius diſcurſus leuitas ſuadetur à ponendo, quod Deus producat in hoc inſtanti lucernam, quæ hoc cubiculum illuminet, & poſt quam vidit iam illud illuminatum in poſteriori naturæ in eodem inſtanti comprehenſo produxerit ſecundam lucernam debitè applicatam aëri in cubiculo exiſtenti: tum ſic in primo illo inſtanti lumen à prima lucerna productum adæquatè pendet ab illa. ergo in ſecundo

Digitized by Google

eundo etiam instanti poterit ab eadem totaliter pendere, & sic nunquam dependere à secunda lucerna. hæc consequentia est falsa; ergo, & illa Ouiedi, & rectè, in vtraque enim variatur status, in quo loquitur antecedens, nam ideò in primo instanti neque noua materia in formam, neque secunda lucerna in lumen influere possunt, quia supponunt illa in priori signo existentia, sed hæc ratio cessat, loquendo de secundo instanti. ergo sicuti in secundo instanti potest prima lucerna attemperare concursum, quem habebat in lumen, & admittere secundam in societatem illud causandi: ita poterit materia antiqua in eodem secundo instanti attemperare concursum, quo animam indiuisibilem sustentabat, & admittere nouam materiam tanquam concausam partialem ad conseruandam illam.

28 Secundum Ouiedi Argumentum est huiusmodi: in quocumque instanti forma incipiat pendere à noua materia per attemperationem concursus materiæ veteris, passio attemperata, quę in genere causæ materialis prouenit à materia, in genere efficientis iam procedit à forma. ergo in eo instanti in quo est, supponit formam priorem natura, & sic à duplici causa totali, vel ab vna totali, & altera partiali pendebit.

29 Hanc etiam impugnationem leuem existimo, falso enim nititur fundamento, nimirum, quod sicuti in primo aggenerationis instanti anima per actionem vitalem conuertit substantiam alimenti in substantiam aliti, ita postea in alijs sequentibus instantibus eandem actionem continuet in materiam alimenti. quod falsum omnino est. postquam enim ipsa aggenerauit sibi dictam materiam, ex veteri, & ex noua resultat vna materia, quam non sibi appropiat anima per aliquam vitalem operationem. sed per hoc, quod conseruatur à Deo in dicta materia per actionem ab illa pendentem, vti dicimus de effectibus, qui solùm in fieri indigent influxu causæ efficientis creatæ. vnde fit vt quando in secundo augmentationis instanti influxus veteris materiæ, per aduentum nouæ variatur, non debeat pro priori naturæ intelligi anima existere, quia respectu illius actionis non se habet vt principium efficiens, sed vt solus terminus, in quem vtraque materia influit.

30 Tertiò denique sic arguit Ouiedus. Ista augmentatio in casu nostro terminatur ad formam à subiecto pendentem; ergo ex vi augmentationis forma existit, & conseruatur in genere causæ efficientis; sed talis actio efficienter procedit ab ipsa anima; ergo simul habet pro principio effectiuo, & pro termino ad quem, tum in genere causæ efficientis, tum in genere causæ materialis ipsam indiuisibilem animam, quod est impossibile. sed neque hoc argumentum difficilem habet solutionem. dici enim ad primum antecedens potest, augmentationem in casu nostro terminari quidem ad formam à subiecto pendentem, cum duplici tamen limitatione. vna est, vt forma non pendeat tunc à nouo subiecto per augmentationem acquisito, sed à veteri solum; altera quod à veteri non pendeat per actionem illam augmentatiuam; sed per aliam non vitalem procedentem à causa prima. alioquin enim limitatione deficiente; sequeretur, quod anima, vel à duplici causa totali in genere causæ materialis penderet, vel in genere efficientis à se ipsa. sic explicato antecedente; neganda est consequentia. dicendumque formam indiuisibilem, à qua procederet augmentatio, non existere, nec conseruari efficienter ex vi augmentationis, alioquin in genere 31
efficientis causaret se ipsam, & sic augmentationem habere quidem pro principio effectiuo ipsam animam: non verò pro termino ad quem, neque in genere causæ efficientis, neque in genere materialis. quod si quæras, quid ergo habet pro termino? Responderem, habere ipsam materiam primam nouiter acquisitam additam præcedenti, & informatam ipsa anima, à qua actio illa augmentatiua procedit. breuiter cum in eo primo instanti anima bruti supponeretur non indigere alio subiecto sustentante, se haberet in ordine ad augmentationem pro eodem instanti exercitam, sicuti se habet anima rationalis quando in corpore existens nouam sibi aggenerat materiam.

His igitur Ouiedi impugnationibus contra 31
responsionem Arriagæ relictis; illam ego oppugnarem, eo quod non euitat tria absurda, quæ contra secundam responsionem intulimus. iam enim in primo illo aggenerationis instanti anima bruti informaret partem materiæ, quæ aggeneratur, & non penderet ab illa; item, penderet in eodem instanti à partibus materiæ veteris inter se distantibus; ac demum in animalis nutritione de subiecto in subiectum transmigraret. ergo &c.

Ad hæc, placet mihi aliam inire viam, quæ 32
tota tertia, & quarta aduersariorum responsio ad nostrum principale argumentum nec non Arriagæ fuga facilè dissoluetur. ea est, concursum causæ materialis non admittere maioritatem, & minoritatem, sed consistere in indiuisibili, æque adeò neque attemperari, neque corroborari posse. hoc probo multiplicitèr, & primò quidem ad homines contra Thomistas: quemadmodum enim illi putant influxum formæ in materiam consistere in indiuisibili, quia vel forma aliqua dat existentiam materiæ, vel non dat: si dat, est totalis causa formalis illius: sin minus, nullo modo est causa. non enim potest concipi, quod modo plus, modo minus in eam influat, dãdo illi existentiã: ita dico ego de influxu materiæ in formã: non enim potest assignari disparitas. idé probari potest contra alios, qui negat materiam existere per existentiam emendicatam à forma: quæro enim ex illis, num quando fecundus gradus caloris incipit informare ferrum iam per primum gradum antea calefactum; num, inquam, facit vt ad sui præsentiam primus gradus suum concursum in calefaciendo ferrum attemperet, & quando postea ferrum ex calido vt duo euadit calidum vt vnum ad sui absentiam idem calor vt vnum suum corroboret concursum in calefaciendo ipsum ferrum? minimè herele. ergo neque noua materia per aggenerationem ab equo acquisita facit, vt antiqua suum attemperet concur-

Digitized by Google

cursum. neque pars antiquæ per diminutionem deperdita, vt ea, quæ remanet illum corroboret: quamuis enim forma in hoc casu non causet propriè materiam, sed impropriè: constat tamen quod eius influxus quicumq; tandem ille sit in indiuisibili positus sit.

Secundò assigno disparitatem cur in genere causæ efficientis potest dari concursus attemperantia, & corroboratio ad aduentum, vel abscessum similium causarum: non autem in genere causæ materialis, & formalis. nam causa efficiens est de se extrinseca suo effectui, vt sæpè dixi, & ideò à natura sphæram suæ actiuitatis obtinuit, ratione cuius plus in viciniores, quã in remotiores partes agat. Hoc ipso autem, quod plus minusuè in eundem effectum influere possit, facile intelligitur quo modo ad aduentum, vel ad abscessum similis causæ suum minuat, vel augeat concursum. At verò causa materialis, & formalis sunt intrinsecæ effectui. vnde non obtinuerunt à natura sphæram, ad quam possint causalitatem suam extendere. quia non nisi compenetrentur cum effectu suo illud causare possunt.

Tertiò denique, quia gratis, & sine vllo fundamento tribuitur materiæ extensæ hic modus causandi per attemperationem, & corroborationem concursus, & inuehitur solùm ad propugnandam indiuisibilitatem animarum perfectorum animalium, contra communem, & ordinarium modum, quo causa materialis diuisibilis causare solet; nec habemus vllum in natura vestigium huius causalitatis. ergo dictus modus tamquam fictitius est reijciendus; vt potè, qui opponitur ei, qui notus est nobis.

Vnum hic obstare posse video; & est multos existimare; si non formas omnes accidentales saltem aliquas sustentari à toto composito substantiali, etiam si putent hoc non distingui realiter á partibus collectiuè acceptis. sed in horum sententia influxus causæ materialis habet latitudinem, si quidem à duplici causa partiali prouenire potest; materia scilicet, & forma: nõ videtur igitur principium, quod à nobis assumitur, admodum firmum. verùm hæc instantia non multum negotij facessit, lata enim disparitas inter hanc sententiam, & illam aduersariorum intercedit. Hæc enim quamuis admittat duplex partiale principium materialiter immediatè influxiuum in formam accidentalem, vult tamen vtrumque esse debere in eodem omnino loco simul compenetratum, & in neutro distributiuè accepto reperiri potentiam, quæ ad præsentiam alterius comprincipij influxum suum attemperet, & in eius absentia illum corroboret. contra verò aduersariorum opinio ponit partes materiæ in ordine ad locum extensas, & impenetratas, quarum vna respectiuè, ad alteram, modo totaliter, modo partialiter in formam indiuisibilem influat; vnde fit vt cum allata sententia fiet concursum causæ materialis non admittere magis, & minus, sed in indiuisibili esse positum, non verò cum sententia quã impugnamus.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur & soluuntur obiecta contra diuisibilitatem animæ brutorum perfectorum.

Obijcies Primo: Aristotiles *lib. de iuuentute & sanectute cap. 1.* docet, quod anima perfectorum animalium, vt possibile est, maximè vna est; sed maxima vnitas non est nisi indiuisibilitas. ergo animæ perfectorum animalium indiuisibiles sunt. 36

Respondeo: Philosophum ideò dixisse animæ perfectorum animalium esse maximè vnam, quia licet diuisibilis sit: diuidi tamen non potest in partes post diuisionem durantes; sed necesse est, si diuidatur, vt repente corrumpatur. hoc autem habet ex summa sui perfectione, quæ ad hoc vt existat diuersas in diuersis partibus materiæ dispositiones requirit, inter quas continuitas partium numeranda est. atque hæc est maxima vnitas in certo quodam, ac determinato genere, hoc est, rerum diuisibilium; non autem absolutè, & simpliciter, sicuti est vnitas indiuisibilium. quod si communiter partes animæ perfectorum animalium dicuntur informare materiam indiuisibiliter; ideò est, quia nulla pars informat partem materiæ sibi correspondentem; nisi cum connotatione, quod cæteræ notabiles informent reliquas materiæ partes sibi itidem correspondentes. scio Hurtadum *loco citato de anima* § 106. velle, nonnulla bruta, quæ imperfecta appellamus, esse perfectiora ijs quæ inter perfecta recensemus; sic dicit, serpentem esse perfectiorem Mure, Talpa, & similibus, vnde argumentum à priori desumit ad nostram sententiam probandam sic: forma serpentis est perfectior forma muris, & est diuisibilis. ergo diuisibilitas animæ non ex eius perfectione sed ex materialitate oritur. verùm hæc eadem facilitate, qua assumuntur ab vno, negantur ab alio. quare in hac re non videtur discedendum à Communi philosophorum sensu sine vrgenti ratione, quæ nulla apparet in casu nostro.

Obijcies secundò: si pungatur pes animalis, totum corpus sentit dolorem, & si vna potentia vehementer operetur, cæteræ ab operationibus suis desistunt, sed hæc non ita se haberent, nisi anima esset indiuisibilis; ergo &c. 37

Respondeo, negando minorem: dolor enim sentitur toto corpore animalis, licet in vnica eius parte persistat, propter vnitatem, & continuitatem, quam habent inter se partes omnes animalis; & multò magis propter subordinationem, quam habent ad potentiam appetitiuam, quæ ab imaginatiua excitata imperat motum in alijs partibus. Vehemens autem operatio vnius potentiæ id circo operationes cæterarum potentiarum impedit, vel quia cæterarum spiritus ad se attrahendo consumit, vel quia, licet verè non impediat illas, ita tamen sensum communem occupat, vt hic ad illarum operationes non possit aduertere.

Obijcies tertiò: si anima bouis V.G. diuisibilis 38

lis esset, sequeretur, quod bos corpulentior fortior, ac robustior esset boue minore; sed oppositum experientia docet; videmus enim boues minoris molis robustissimos esse. ergo &c. sequela autem probatur ex Aristotile 8. *physicorũ* tex. 8. vbi ait, quod maior magnitudo maiorem habet virtutem.

Respondeo hoc argumento probari posse etiã arborum, & insectorum animas indiuisibiles esse, propter eandem experientiam. sed quidquid sit de hoc: distinguo ego sequelam: sequeretur, quod bos maior esset fortior boue minore, si cætera essent paria, concedo; posito, quod non sint cætera paria, nego sequelam. Ad minorem autem dico: bouem mediocris staturæ, ideò robustiorem esse corpulentione, quia corpulentioris natura non potuit intrinsecus organa, propter eorum magnitudinem, tam benè formare, distinguere, ac perpolire: sicuti formauit, distinxit, ac perpoliuit organa minoris. quoniam verò vitalis operatio suæ perfectionis mensuram ab instrumento organico desumit: hinc est, vt bos corpulentior leuior; fortiter verò staturæ mediocris poterit, quod si rectè corpulentior formatus fuisset; fortissimè in suis operationibus sine dubio se haberet.

39 Obijcies quartò: si animæ perfectorum animalium diuisibiles essent, possent vtique earum partes separatæ durare. sicut durant partes Lacertæ, & similium insectorum. sed hoc est contra experientiam; ergo &c. minor patet, & maior probatur, quia non ob alium finem videtur natura concessisse formis materialibus extensionem partium, nisi vt post diuisionem aliquantulum conseruentur.

Respondent aliqui, concessa maiore, negando minorem, & adducunt pro se Aristotelem testantem se vidisse arietem abscisso capite ambulantem; & Galenum, qui affirmat se etiam vidisse victimas ambulantes extractis exitis, atque visceribus, verum hæc testimonia non euincunt animam perfectorum animalium extitisse in vtraque parte corporis post diuisionem. sed solũ in vna, atque adeò eius diuisibilitatem minimè probant, sed solùm persistentiam in corpore illo manco ambulante. imò dici potest, quod quemadmodum caput hominis post separationẽ à reliquo corpore aliquoties loquacem vidimus beneficio spirituum adhuc in eo durantium: ita & in his casibus assignatis, atque adeò neque *corpus illud habere animam*. Melius igitur negamus maiorem; quamuis enim animæ perfectorum animalium sint diuisibiles, non sequitur eas posse diuisas durare, eo quod possint esse talis naturæ, vt exigant dispositiones nonnullas ad existendum: atque adeò non possint in pluribus partibus diuisi corporis conseruari. Quod quidem verum puto, etiam si vera esset sententia Quiros *disp. 42. sect. 9.* docentis nihil perire ex defectu rei habentis se pro posteriori, quia dici potest partem illam animæ pendere à priori ab vnione continuatiua materiæ, eo quod de ratione actus corporis organici sit materiam taliter deorganizatam exigere ad sui durationem. ad probationem verò maioris, nego assumptum, & dico naturam formis materialibus diuisibilitatem tribuisse ad exigentiam subiecti materialis, à quo dependere debent, & non vt possint in varias partes diuisæ conseruari, quod patet exemplo animarum insectilium: eas enim certum est non solum esse diuisibiles secundum latitudinem, sed etiam secundum longitudinem, & tamen diuisæ secundum latitudinem conseruari non possunt, vt cernere est in anguillis atq; lucertis: quæ, si diuidantur secundum longitudinem; earum partes viuunt, ac si in latum à capite videlicet ad caudam neutra pars viuit; ex quo deducitur, falsum esse naturam concessisse formis materialibus diuisibilitatem, vt possint in varias partes diuisæ conseruari.

Obijcies, quinto, si equus alterum pedem molli luto infigat, alterum verò in duro lapide firmes; discernet vtique inter vnum, & alterum. quare lapidi nixus, conabitur pedem ex luto extrahere; sed ad discernendum inter duo, necesse est, vt vtrumque ab eodem principio percipiatur. ergo iam anima equi est indiuisibilis. Respondeo, concessa maiore & minore; nego consequentiam. dico enim, quod, licèt anima equi diuisibilis sit, quia tamen habet sensum tactus in vtroque pede: ideò vno sentit molliciem luti: & altero duritiem lapidis; & quia omnia membra mittunt species suarum sensationũ per neruos sensorios ad caput, vbi est sensus communis; hinc fit vt equus sibi formet cognitionem sensationis vtriusque pedis, ex qua cognitione determinatus postea superius imperat reliquis membris, & præsertim alteri pedi supra petram constituto, vt conatum edant ad extrahendum pedem luto immersum. 40

Obijcies sextò non implicat dari formas materiales indiuisibiles à subiecto diuisibili dependentes; ergo neque implicabit dari animas perfectorum animalium indiuisibiles, sed dicendo, quod de facto ita sint, sit per pauciora, quod aliàs fieret per plura. ergo &c. 41

Respondeo antecedens absolutè concedi, ab Arriaga *nu.* 157. & primam consequentiam ab Quiedo *nu.* 14. vbi ait, possibilem esse animam vegetatiuam, & sensitiuam indiuisibilem secundum partes integrantes. verùm, quidquid sit pro modo de antecedente, negandam ego omnino existimo consequentiam: puto enim implicare contradictionem animam materialem extensiuè indiuisibilem. ratio est, quia illa essentia; quæ postularet semper existere in sua sibi innaturali vtique esset chimærica, & implicatoria; eo quod ex suis intrinsecis principijs inclinaret per se ad suum malum. Status enim innaturalis est malum naturæ, vt de se patet. sed huiusmodi foret talem animam materialem indiuisibilem probatur ex discursu, quo ipse Quiedus *loco citato* eius possibilitatem suadet; supponendo duo principia, quæ alijs locis probauit. Primum est, indiuisibilitatem non repugnare rei materiali: Secundum, formas materiales esse posse, quibus positis, sic argumentatur: indiuisibilitas non repugnat huic animæ ratione cui pertinentis, vt supponit, nec ratione nutritionis, quia hæc fieri potest absque vlla dependentia huiusmodi animæ à materia, quæ dependentia diuisibilitatem arguit in animabus brutorum 42

&

& plantarum, quæ de facto dantur. ergo ex nullo capite repugnat materialis anima integraliter indiuisibilis. tum sic: Status ille, in quo forma materialis independenter à materia conseruatur est illi innaturalis; sed hæc anima hunc solum statum ex suis intrinsecis exigere posset. ergo hæc anima postularet non aliter existere, quam in statu innaturali. consequentia huius est euidens; nec minus euidens videtur esse maior: si quidem status formæ materiali connaturalis est existere dependenter à materia, & ab illa in genere subiecti caufari: minor verò patet ex ratiocinatione ab Oniedo facta. nam illum solum statum hæc anima indiuisibilis ex suis intrinsecis exigere potest, in quo suas operationes vitales vegetandi, & nutriendi valeat exercere. sed hic status habet necessariò inibitam independentiam eiusdem animæ à materia, nam si dependeat à materia, & dictas operationes exerceat; non potest non esse diuisibilis. ergo &c.

42 Eodem fere modo impugnandi essent, qui possibilitatem huius animæ materialis indiuisibilis hac ratione suaderent: Non implicat quod vnus effectus pendeat à pluribus causis totalibus totaliter concurrentibus; sed anima indiuisibilis materialis iam penderet à pluribus partibus materiæ, quæ se haberent vt plures causæ materiales totales totaliter in eam concurrentes: ergo non implicat huiusmodi anima. Respondendum enim hanc animam sic fore constitutam, vt ex suis intrinsecis exigeret semper pendere à pluribus causis materialibus totalibus totaliter concurrentibus; atque adeò non posse existere, nisi aliquo intercedente miraculo, quod nullo modo de forma substantiali, quę est essentialiter natura, putandum est. natura enim cũ statu aliquo naturali necessariò debet esse connexa. neq; quãtum est de se, statum sibi vendicare innaturalem. atque hæc mihi videtur sufficiens ratio negandi non solum possibilitatem formarum materialiũ indiuisibilium vitalium, sed etiam non vitaliũ; eo quod hæ semper postularent in statu innaturali existere: nimirum, dependenter à subiecto diuisibili, totaliter secundum quamlibet partem sui influentem in illis; nisi forte fingantur à subiecto diuisibili indiuisibiliter sumpto exigere dependere; ita; videlicet, vt si subiectum nouam partem acquirat; forma non possit se extendere ad eam informandam: si verò aliquam quantumuis minimam partem ex his, quæ supponitur habere, deperdat: eadem forma exigat corrumpi: quod quam longè distet à natura, & exigentia rei indiuisibilis, nemo non videt.

SECTIO QVARTA.

Dissoluitur Ratio fundamentalis P. Quiros.

43 DVplici argumento, vtitur Quiros *in suo cursu Disput. 81. sect. 2.* ad probandum animas non solum perfectorum, sed etiam imperfectorum animalium indiuisibiles esse. Primum sumitur ex non implicantia animæ materialis indiuisibilis, cui in fine sectionis præcedentis fecimus satis: Secundum autem, pro quo hanc sectionem instituimus est huiusmodi: Anima materialis bruti est per se vna, distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei, & non per accidens ratione materiæ, & discontinuationis. sed hoc esse falsum, si constaret partibus, ergo omnis huiusmodi anima est indiuisibilis. maior probatur primò, quia animæ brutales per se sunt plures in esse possibili; ergo independenter à materia habent distinctionem, alioquin in esse possibili essent sicuti formæ ignis, quæ de se sunt indifferentes ad multiplicitatem vel vnitatem habendam. secundo, quia sicuti non possunt duæ voluntates liberæ per se non esse suppositò distinctæ, eo quod nequeunt in se determinando conuenire, ita neque duo appetitus sensitiui propter similem rationem. minor verò principalis, quod scilicet animæ sensitiuæ non forent per se distinctæ, si partibus constarent, suaderur: tum quia duæ animæ possent coalescere in vnam animam, & vna diuidi in duas. tum etiam quia anima leonis parui beneficio nutritionis fieret duplo maior. ergo ex illa mediante alius paruus leo æque bene fieri posset.

Respondeo primò per duplicem retorsionem, 44
quarum prima est, quia si quid hoc argumentum probaret, euinceret animas plantarum indiuisibiles esse, eo quod sunt per se plures, & quælibet facit suppositum per se distinctum, alioquin plures arbores in vnam coalescere possent, & sic in infinitum crescere: sed hoc est absurdum ergo &c. ad hanc retorsionem respondet Quiros *nu.* 151. nonnullos concessisse maiorem, se verò illam negare, eo quod censeat plantas non esse per se distinctas suppositò, neque hoc sit contra minimum naturale; quia hoc solum facit, ne viribus naturæ nutriantur sine termino, cum quo stat, quod si duæ plantæ vnirentur, vnam efficerent. Sed contra est, quia in tantum putat hic auctor animas duorum equorum esse per se suppositò distinctas, in quantum æquè apprehendimus duos homines suppositò distinctos, ac duos equos, vt habet *nu.* 16. sed etiam æque apprehendimus duas arbores suppositò distinctas, ac duos homines; ergo &c. Rursus eodem *num.* 16. à priori probat, animas brutorum esse per se suppositò inuicem distinctas ex ordinatione, quam habent ad vnius defensionem, augmentum, & conseruationem, sed hanc ordinationem in plãtarum animabus experimur, vt euidenter cernere est in Amoris herba dicta etiam Anonyma, quæ non solum ad sui augmentum, & conseruationem inclinat, sed etiam leuiter tacta ad sui defensionem statim se colligit, & folia contrahit, ergo etiam dici debent plantarum animæ esse suppositò distinctæ, & quælibet earum vna per se, & non per accidens ratione materiæ. Contra denique facit tertio, quia eadem facilitate, qua concedit auctor, quod si duæ plantæ interse vnirentur vnam efficerent; & ideo censet non esse per se suppositò distinctas; affirmabo ego, quod si duæ animæ leonum inter se coniungantur, unam componant, & quod minimum naturale illarum solum faciat, ne viribus naturæ in magnam molem sine termino nutriantur, & ideò dicam, non esse per se suppositò distinctas, ergo nulla solutio: Secunda verò retorsio sic procedit:

Digitized by Google

esse: quia hæc natura, quæ habet [illegible] 7. sustinet non repugnare spiritui diuisibilitatem extensiuam. tum sic: si daretur huiusmodi spiritus esset vtique per se vnus, & quidem distinctus per se suppositò ab alio eiusdem rationis; pro eo enim militant multo magis rationes, quibus ipse *nu.* 16. citato vtitur ad idem de brutorum animabus suadendum, præsertim ea, quæ sumitur à distinctione, quam independenter à materia haberet ab alijs; ergo diuisibilitas extensiua non prohibet, quin quælibet brutalis anima sit per se vna, & distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei. consequentia est euidens, quia diuisibilitas si vnitati per se esset contraria, non minus eam excluderet à spiritualibus creaturis possibilibus, præsertim si essent formæ informantes, quam ab animabus brutis: Neque dicat Quiros: omnes huiusmodi spiritus diuisibiles inter se differre specie; quia saltem partes vnius inuicem comparatæ essent eiusdem speciei, quæ diuidi ac discontinuari possent ad inuicem; de quibus redit argumentum.

45 Respondeo secundò directè ad argumentum principale distinguendo maiorem: Anima bruti est per se vna distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei, ratione terminorum magnitudinis, & paruitatis, quos sibi necessario vendicat, concedo: ratione suæ entitatis ab huiusmodi terminis præscindentis, nego maiorem, & sic distinguo minorem: esset falsum si constaret *partibus, quod esset per se vna distincta per se suppositò ab alia*, ratione sui, concedo: ratione *terminorum magnitudinis*, & paruitatis, quos sibi appropriat, nego minorem, & consequentiam. explico distinctionem: Dupliciter forma aliqua intelligi potest per se vna distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei, & non per accidens: Primò ratione suæ entitatis, & independenter omnino à materia, ad quam ordinatur, & informat, & hoc modo est vna per se sola anima rationalis, quæ est indiuisibilis, & non habet beneficio vnius materiæ vt sit vna, cũ indifferentia, vt ad eius diuisionem plurificetur, & ad eius continuationem cum alia continuetur; sicuti habet forma ignis V.G. vel lapidis. Secundò forma erit per se vna, & non per accidens ratione terminorum magnitudinis, & paruitatis, quos sibi vendicat, consistit autem hæc vnitas per se in eo quod si forma peruenit ad terminũ *magnitudinis à natura sibi præscriptum non possit continuando se cum alia eiusdem rationis crescere. sin autem ad terminum paruitatis non possit diuisionem pati, & in plures formas multiplicari. & sic quoad magnitudinem est vna per se quatenus independenter à materia habet distinctionem à quacumque alia eiusdem rationis, necnon etiam est vna per se quoad paruitatem, quia non potest recipere ex diuisione materiæ, quam informat multiplicationem. Iam verò hac ratione quælibet anima materialis est per se vna distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei. verum quia non est huiusmodi ratione suæ entitatis præcisè, idcirco intra eosdem terminos est indifferens vt cum alia continuetur, vel diuidatur in plures animas, & hinc fit vt si terminus magnitudinis serpentis sit decem vlnarum V.G. anima vnius serpentis quinque vlnarum, poterit cum anima alterius serpentis eiusdem magnitudinis in vnam animam coalescere, & ratione materiæ continuari. è contra verò anima decé vlnarum in duas partes diuidi, quarũ quælibet serpétem quinq; vlnarum constituat. Ratio à priori huius rei est, quia quæuis anima materialis, siue bruti siue plantæ sit, sicuti in perfectione est media inter formã inanimem, & inter animam rationalem, ita, & in vnitate, ac distinctione à reliquis eiusdem rationis vnde est vt intra terminos suæ magnitudinis, & paruitatis considerata non habeat vnitatem, & distinctionem, nisi tantum per accidens ratione materiæ; sicuti formæ inanimatorum: si verò sit in termino magnitudinis sit per se vna, & distincta per se suppositò ab alia eiusdem speciei versus maioritatem. sin autem in termino paruitatis, non possit in duas minores diuidi. ad eum planè modum quo est anima rationalis, quam in hoc imperfectè imitatur.

Atque ex his patet responsio ad duas maioris principalis argumenti probationes. dico enim animas brutales per se esse plures in esse possibili, si accipiantur sub termino magnitudinis, & paruitatis, quia sic non potest vna continuari cum alia, nec in plures diuidi: nego autem ex hoc sequi intra hos terminos independenter à materia habere distinctionem, & vnitatem. idemque dicendum de duobus appetitibus sensitiuis, distinguntur enim per se, si sint in termino, sin autem intra hunc terminum, per accidens, quod idem tenetur dicere aduersarius de voluntatibus liberis, quas sibi vendicant substantiæ spirituales possibiles in plures partes diuisibiles. Patet item responsio ad duas minoris probationes. dico enim quod quoties duæ animæ possunt coalescere in vnam, & vna diuidi in duas, neutra ex illis duabus est vna per se distincta per se suppositò ab alia, sed per accidens, quia solũ ratione materiæ, quam informant, habent ad inuicem distinctionem. cæterum secundum se sunt indifferentes ad vnitatem vel multiplicitatem, vt patet ex leunculo quinque palmorum, qui excreuit ad decem palmos, nulla enim est repugnantia in eo, quod ex illo Deus duos quinque palmorum efficiat, vel ex duobus eiusdem magnitudinis vnum decem palmorum efformet.

46

1

2

D I-

DISPVTATIO SEXTA

AN PARTES ANIMARVM DIVISIBILIVM Sint homogeneæ, an verò Heterogeneæ.

PRæsens quæstio non procedit de partibus integrantibus animæ, quæ correspondent partibus corporis similes dispositiones habentibus, constat enim omnes partes animæ, quæ subiectantur in carne animalis V. G. siuè hæ sint in capite, siuè in pede esse eiusdem rationis, atque adeo homogeneas: nulla est enim ratio, quæ talium partium diuersitatem suadeat; intelligenda est ergo quæstio de partibus eiusdem animæ, quæ correspondent portionibus corporis diuersimodè deorganizatis, & quærimus an V. G. pars animæ, quæ informat carnem, sit homogenea, hoc est omnino similis cum parte animæ, quæ informat nerum, vel os: an verò sit heterogenea, hoc est dissimilis? & sic de reliquis. Porro similitudo hæc, vel dissimilitudo non attenditur quoad sibi vendicandam, vel non vendicandam peculiarem causam materialem; de hoc enim alibi dictum est; sed quoad habendam, vel non habendam eandem rationem specificam, vel quasi specificam: num, videlicet, pars animæ, quæ est in oculo, sicut defacto habet, virtutem intrinsecam videndi, sic etiam habeat virtutem intrinsecam audiendi, gustandi, &c. ita vt si materia illa oculi organizationem auris, vel gustus nacta fuisset: illa pars animæ, quæ modo videt, audire, seu gustare defacto potuisset, nec ne? & siquidem potuisset: euincitur partes animæ esse homogeneas; contra verò heterogeneas.

SECTIO PRIMA.

Statuitur nostra sententia, fundamenta verò Arriaga, & Quiros dissoluuntur.

1 VNica conclusio. Partes integrantes eiusdem animæ diuisibilis sunt homogeneæ, hoc est eiusdem rationis, atque virtutis operatiuæ dixi eiusdem animæ: nam si comparentur partes integrantes animæ brutis cum partibus animæ equi nulli dubium est eas esse heterogeneas, ita Gregorius, Caietanus, Capreolus, Soncinas, Bagnes, Soto, locis citatis à Comptono *disput. 4. sect. 1. num. 3.* & eos sequuntur alij Thomistæ communiter, necnon etiam Arriaga *disput. 1. sect. 6. num. 204.* Oniedus *contr. 3. punct. 2. num. 6.* Ioannes Poncius *disput. 1. de anim. num. 139.* & Quiros in suo cursu *tract. 6. disput. 11. sect. 1. num. 9.* contra Ioan. Andream, Paulum Venetum, Niphum, Suarez, Ruuium, Murcianum, Hurtadum, quos citat, & sequitur idem Comptonus loco citato *num. 4.* & 5. necnon etiam contra Lynceum, Mauritium, & alios recentiores locis infra citandis.

2 Probatur prima assertio ab Arriaga *num. 212.* valdè efficaciter, vt sibi videtur, sine necessitas non sunt diuersificandæ entitates. atqui nulla est necessitas diuersas eiusdem animæ partes cõstituere. ergo non sunt censendæ heterogeneæ, sed homogeneæ. Verùm hoc argumentum non habet vim; tum quia facile retorqueri potest ab aduersarijs contra nos: tum quia nullo negotio eludi potest. Primum patet si dicatur, quod sicuti non sunt diuersificandæ entitates sine necessitate: ita neque multiplicandæ perfectiones: multiplicari autem in nostra sententia, dum parti formæ, quæ informat oculum equi conceditur vis, & perfectio gustandi, audiendi, imaginandi, &c. quæ nunquam ibi exercere defacto poterit. Secundum suadetur si respondeatur: dupliciter nos vnam entitatem diuersificare posse, ab alia; primo addendo ei maiorem aliquã perfectionem, qua careat alia; secundo detrahendo illi perfectionem, quæ est in alia. porro licèt vt primo modo diuersificemus vnam entitatem ab alia: positiuam aliquam necessitatem ostendere debeamus; non tamen si secundo modo: sufficit enim, vt eam sic diuersificari euincamus si nullam dari necessitatem ad similem perfectionem illi concedendam; probemus: nulla enim alia ratione eos, qui putabant plantas non diuersificari ab animalibus in perfectione sensitiua melius redarguebant vtiqui: quam hoc argumento: nulla est necessitas eas æquiparandi in dicta perfectione animalibus. ergo ea carent. malè igitur in casu nostro expectat Arriaga vt afferatur necessitas ab aduersarijs negandi partem animæ, quæ est in oculo animalis virtutem, quã agnoscimus in reliquis partibus; cum potius illi necessitatem eam non negandi incumbat ostendere. Oniedus *num. 2.* ait ex carentia necessitatis fortius colligi similitudinem, quam dissimilitudinem, ac diuersitatem inter partes animæ. rationem assignat, quia multiplicando virtutem sensitiuam V. G. in osse, multiplicatur virtus, quam in alijs partibus agnoscimus, & certo scimus, in illis dari: at negando ossi talem virtutem multiplicatur entitas, quæ nescitur defacto dari in rerum natura, & adhuc dubium est an sit possibilis, nimirum pars animæ bruti habens solam virtutem vegetandi. Sed hic quoque discursus soliditate caret; possunt enim facilè respondere aduersarij negando assumptum, ac dicendo

tendo siue concedatur in esse dari virtutem sensitiuam, siue negatur multiplicari semper entitatem, quæ in se quidem nescitur defacto dari in rerum natura, & adhuc dubium est num sit possibilis: quamuis sciatur defacto in alijs dari. falsum igitur est ex illo principio fortius similitudinem colligi. consequentia patet; antecedens vero quantum ad posteriorem partem est doctrina Ouiedi: quo ad priorem autem probatur, quia non potest concedi virtus sensitiua in esse, quin multiplicetur in illo pars animæ sensitiuæ eiusdem rationis cum reliquis, sed hæc est entitas, quæ in se quidem nescitur defacto dari in rerum natura (alias nulla esset de ea controuersia) & adhuc dubium est an sit possibilis, saltem naturaliter, quia nunquam, & in nullo casu actiones vitæ sensitiuæ ibi exercere valeret. ergo non solùm si negetur, sed etiam si concedatur in esse dari virtutem sensitiuam multiplicatur entitas, quæ nescitur dari defacto in rerum natura, & adhuc dubitatur num sit possibilis. Dices pro Ouiedo, quod quamuis siuè negatur siuè concedatur anima sensitiua in esse multiplicetur entitas, quæ in se nesciatur: at eam illi concedendo haberi exemplum in alijs partibus, quod non habemus eam negando. Contra tamen est, quia etiam negando habemus exemplum in plantis, in quibus habetur principium vegetandi sine principio sentiendi. quod si hic assignatur à te disparitas, quæ est inter totam plantam, & partem animalis: etiam afferri potest ab aduersarijs disparitas ad tuum exemplum dicendo partes animæ bruti in quibus virtutem sensitiuam experimur habere dispositiones à virtute sensitiua exactas, quas non habet pars animæ informans os. vtrum autem vna disparitas præponderet alteri dubium est, & ideo non debemus eam, quæ facit contra nos silentio præterire, & ac si non esset, aduersarios paritate impugnare: nisi eam antea dirimamus.

3 Probatur secundo ab eodem Arriaga ibidem conclusio à simili sic: reliqua composita non viuentia constant forma substantiali homogenea, vt omnes fatemur; ergo & viuentia. consequentia suadetur, quia si qua esset disparitas maximè esset diuersitas operationum, & organizationis, quæ in pluribus viuentium partibus reperitur; sed hæc non solum non est sufficiens ad arguendam diuersitatem in partibus animæ, sed ne multiplicitatem quidem illarum: vt patet ex rationali, quæ licet diuersas operationes, & organizationes in diuersis partibus corporis habeat, est tamen indiuisibilis. ergo &c. Sed neque hæc probatio solida est. quare ab aduersarijs concesso antecedente, negari potest consequentia, & ad eius probationem ex anima rationali desumptam dici: quod natura comparatum est, vt ea, quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus colligantur, vt patet in potentijs sensitiuis. videmus enim quod quilibet ex sensibus externis vendicat sibi pro obiecto adæquato peculiare sensibile: oculus coloratum, auris sonorum, gustus sapidum &c. at sensus communis, qui est superior ad omnes quinque sensus particulares, se extendit ad omne sensibile; ita vt licèt sit vnus in se, habeat tamen pro obiecto adæquato omnia obiecta ipsorum quinque sensuum; idem dicendum in casu nostro, nimirum, quod licet vna pars animæ materialis vnam peculiarem deorganizationem, & operationem in viuente sibi vendicet, alia aliam; ex quo oritur, quod hæterogeneæ sint: anima tamen rationalis, vtpote omnium perfectissima, secundum suam indiuisibilem rationem multiplicitatem omnium de organizationum, & operationum, quæ habetur in homine, sibi vendicat tanquam propriam. quemadmodum igitur malè quis argumentaretur hoc modo: diuersitas obiectorum sensibilium non arguit diuersitatem in sensu communi, & ideò vnus cum sit, potest attingere omnia sensibilia; ergo à pari, neque eadem diuersitas obiectorum arguet diuersitatem in sensibus particularibus; atque adeò sensus, qui potest audire potest etiam videre, gustare, & cæt. ita, & Arriaga. dum sic discurrit diuersitas organizationis, & operationum illam consequentiam non arguit diuersitatem in anima rationali. ergo neque in reliquis animabus.

Ad hæc Quiros *in suo cursu Dispu. 81. sect. 3.* quadruplici item argumento nostram sententiam probare conatur. Quorum primum *num. 29.* sic procedit: Diuersa organizatio in homine non arguit distinctam animam in suis partibus ne quidem numericè, licèt in illis diuersas operationes debeat exercere. ergo neque in brutis distinctam specificè, consequentia suadetur, quia materialitas in brutis solum est insufficiens indiuisibilitati in toto supposito sed huic insufficientiæ satis per partium multiplicitatem occurritur. ergo &c. Secundum verò *nu. 30.* in hunc ferè modum. Anima oculi canis amissis proprijs dispositionibus ad videndum necessarijs non perit. ergo cum non petat illos per se, non erit hetherogenea. antecedens suadetur, quia ex vna parte illa pars retinet sensum, ex alia verò non datur causa productium in cane animæ sensitiuæ de nouo; ergo & cæt. Tertium autem *num. 31.* sic. pars animæ existens in organo imperfectiore producit partem existentem in organo perfectiore; ergo sunt homogeneæ, alioquin causa minus perfecta effectum perfectionem produceret: antecedens probatur tum ex plantis in quibus à trunco producuntur fructus. tum ex animalibus, quia mater per matricem influit in partes fœtus, quæ sunt multo perfectiores ipsa matrice. Quarto denique *num. 32.* hoc pacto: in mare, & fœmina licèt dentur diuersæ dispositiones, non ideò earum animæ sunt heterogeneæ; ergo idem dicendum de carne, & osse in eodem animali existentibus. 4

Verum ab his etiam argumentis facilè aduersarij se tueri posse videntur. Ad primum enim concesso antecedente, negarent consequentiam, & ad eius probationem distinguerent maiorem: materialitas in brutis est solùm indiuisibilitati in toto supposito insufficiens, proximè, & for- 5

& formaliter: at verò remotè, & radicaliter est etiam insufficiens exercitio diuersarum operationum in partibus diuersis; eo quod forma bruti ex materialitate habet debitum cum diuersis partibus materiæ se conformandi, atque adeò in singulis se diuersificandi, quo quidem debito, beneficio immaterialitatis suæ anima rationalis omnino caret.

6 Ad secundum, concesso antecedente; negabũt consequentiam quoad vtramque partem; & dicent partem animæ in canis oculo existentem non modo habere esse visiuam, sed etiam sensitiuam, & ideò quandiù durant in materia illa dispositiones ad sensiendum, non debere corrumpi; ad eum planè modum quo quamuis in humano corpore destruantur dispositiones necessariæ ad ratiocinandum, remanet in eo anima rationalis, quandiu aliquas alias vitales operationes exercere valet. Quod si hoc non probat Quiros, addere possent aduersarij, naturam corrupta forma visiua, ad exigentiam dispositionum, quæ manent in materia oculi, producere formam sibi correspondentem, sicuti in putri materia formam, quam eius dispositiones exigunt.

7 Ad tertium autem, negabunt antecedens: partem scilicet animæ imperfectiorem producere perfectiorem. & ad priorem probationem in contrarium dicent; fructus esse imperfectiores arbore, ex qua gignuntur: ad posteriorem verò negabunt matricem feræ esse causam principalẽ fœtus, qui in ea procreatur; hic enim fit dependenter á semine tanquam ab instrumento; quod à causa principali quantumuis cæca obtinere posse vim instrumentalem formæ visiuæ effectricem nemo dubitat.

8 Ad quartum denique, concesso antecedente negabunt consequentiam: & disparitatem assignabunt facilè, dicentes marem, & fœminam non differre inuicem notabiliter; habent enim omnia ferè accidentia similia, & ea in quibus dissimilitudo reperitur, nonnunquam mutato sexu, & manente eodem individuo deperdunt. contra verò caro, & os magis notabiliter videri inter se differre quam canem, & lupum; agnum, & hædum; His igitur probationibus posthabitis aliter ad nostram sententiam probandam procedendum est.

SECTIO SECVNDA.

Afferuntur solidiores probationes pro Homogenitate Animarum Diuisibilium.

9 IAM verò, quod huiusmodi animæ diuisibiles sint homogeneæ Probatur efficaciter. Primò sic: Si earum partes heterogeneitatem haberent: vera esset eorum sententia, qui docebant in vno viuente plures dari animas, sed hoc est contra ea, quæ diximus *disput. de subiecto animæ sect. 6.* ergo &c. sequela probatur, quia si partes animæ essent heterogeneæ; anima ostrum equi V. G. esset tantum vegetatiua non verò sensitiua, canis autem sensitiua, & non hinnibilis, & sola illa anima esset hinnibilis, quæ informaret partem corporis in qua potentia hinniendi reperitur, sed sic in equo darentur tres animæ specie diuersæ, quia nullum est individuum sub aliquo genere, quod non sit in aliqua determinata specie vnde quælibet ex dictis animabus haberet suam differentiam specificam, non extrahentem illam à proprio gradu, & sic equus esset aggregatum ex pluribus speciebus, plantæ, videlicet, sensibilis, & hinnibilis, quæ non possent facere vnum ens per se essentialiter, sed per accidens, dato quod faciant vnum integraliter: Neque dicas huiusmodi animas esse incompletas, quia nullus ex his, qui plures animas in vno viuente ponebant, putabat eas esse completas, vel saltem de hoc non curabant.

Probatur secundò principaliter eadem conclusio, quia si partes animæ diuisibilis essent heterogeneæ, vel differrent solum individualiter, vel differrent etiam specie: neutrum dici potest. ergo non sunt heterogeneæ. pro veritate maioris notarem: diuersitatem specificam in ea à me non sumi strictè, quasi verò sensus sit, quod debeant differre, vel specie ima vel numero. sic enim non haberetur sufficiens partium enumeratio; nam possent inter se differre genere: sumitur ergo latè pro quacumque differentia essentiali, in quo sensu non potest maior illa negari; nam ea, quæ inter se differunt à parte rei, vel essentialiter, vel solum numericè differant necesse est. minor verò suaderur, quo ad priorem partem contra nonnullos asserentes: diuersitatem esse extra illarum essentiam. nam si pars animæ, quæ oculum informaret, esset principium radicale videndi, & non audiendi: contra verò pars quæ informaret aurem principium radicale audiendi, & non videndi; sicuti potentiæ, ad quas astringuntur, differrent inter se essentialiter: ita, & principia radicalia illarum. nam ob nihil aliud conuenimus nos aquam, & aerem habere essentias diuersas: nisi quia licèt in humiditate conueniant: forma tamen aquæ est radicale principium frigoris, & nõ caloris; forma vero aeris, caloris, & non frigoris. ergo si pars animæ, quæ est in oculo est radicale principium videndi, & non audiendi, & pars quæ est in aure principium audiendi, & non videndi: non differrent inter se tantum numericè, sed essentialiter. Nonnulli ex aduersarijs hoc argumento pressi concedunt, partem animæ, quæ est in oculo, quantum est de se audire posse; sicuti & partem, quæ est in aure videre; adeoque non differre inter se specie, putent: addunt tamen eas esse heterogeneas eo quod quælibet suum peculiare temperamentum exposcit; quæ nimirum est in oculo, temperamentum oculi, & non auris, quæ verò in aure temperamentum auris, & non oculi; Sed contra est primò, quia temperamentum organi non nisi in ordine ad vitales operationes exigitur: implicat ergo dari partem animæ exigentem temperamentum vtius organi, & non alterius, & habentem virtutem elicitiuam vtriusque generis sensationum: si enim illam haberet, sicuti æquè inclinaret ad audiendum, & videndum: ita non magis temperamentum vnius organi, quam alterius exigeret. deinde dando aduersarijs, quod assumunt,

fic

Digitized by Google

sic argud secundo: non minus exigentiæ temperamẽtorũ notabiliter diuersorũ in diuersis partibus animæ existentes diuersitatem essentialem in eas inducunt: quam exigentiæ diuersarum potentiarum vitalium. ergo, sicuti, si pars animæ, quæ est in oculo exigeret virtutem visiuam, & non auditiuam; & pars quæ est in aure auditiuam, & non visiuam: hæ duæ partes differrent inter se specie; sic etiam differre debent, si vna exigat temperamentum oculi, & non auris, altera verò auris, & non oculi: consequentia patet; antecedens verò suadetur, quia non minus exigentia ad vnum temperamentum notabiliter diuersum coarctata specificatur ab ipso temperamento: tanquam à termino, quam exigentia ad vnam potentiam vitalem restricta, ab ipsa potentia specificatur; in vtraque enim exigentia par ratio militat. ergo &c.

Dices in nostra sententia inter gradus qualitatis datur heterogeneitas ordinis, quæ consistit in eo, ut secundus gradus exigat in subiecto primum, Tertius secundum, & sic de reliquis, sed hæ diuersæ exigentiæ non inducunt in eos, per nos, specificam diuersitatem; ergo neque inparem animæ, exigentiæ diuersæ diuersorum temperamentorum. 11

Respondeo, concessa maiore, & minore, negando consequentiam. disparitas est, quia exigentia, quam habet secundus gradus primi, in eo subiecto, in quo produci debet, tribuitur à natura in hunc finem: vt cum illo ordinem seruet, vt quæ vnius eiusdemque qualitatis partes sint inter se ordinatę. atqui ordo consistere potest inter res solo numero distinctas, vt de se patet. ergo non est cur dicta exigentia essentialem diuersitatem inducat. at exigentia temperamenti notabiliter diuersi, non nisi á diuersa essentia prouenire natura comparatum est. non enim aliter nos venire possumus in cognitionem, vnam rem differre essentialiter ab alia, nisi per hoc, quod videamus eam diuersum qualitatum temperamentum exigere; & hoc, etiam si diuersitatem in operationibus minimè aduertamus.

Sic probata minore argumenti principalis, quoad priorem partem, in qua assumebamus: nõ posse dici partes eiusdem animæ esse heterogeneas per solam differentiam individualem; probo nunc eandem minorem, quo ad posteriorem, quæ erat dictas partes non posse esse heterogeneas essentialiter, sic: Ea, quę faciunt vnum per continuationem, non possunt essentialiter differre, sed partes animæ faciunt vnum continuum. ergo essentialiter differre nequeunt. maior, quæ sola probatione eget, suadetur, quia non ob aliud aqua viuo immista non facit vnum continuum cum illo, nec aer licèt sit contiguus mari illi continuatur, nisi quia differunt inter se essentialiter; ergo ea, quæ faciunt vnum per continuationem non possunt essentialiter differre. 12

Respondent ad hoc argumentum aduersarij distinguendo maiorem: & si quidem ea, quæ essentialiter differunt sunt completa, concedunt: sin autem incompleta, negant. si quidem continuatio partes non omnino in se integras importare debet per omnes. quoniam verò partes animæ supponuntur essentialiter incompletæ ex suis intrinsecis ad vnam integram animam constituendam ordinatæ: hinc sic nullam esse consequentiam, & nullam etiam maioris probationem, in qua agitur de rebus essentialiter completis. Memini me hanc responsionem *in lib. de Generatione obiter impugnasse disput. de Heterogeneitate gradus sect.* 1. nunc autem ex professo eam sic insector quo ad vtrumque distinctionis membrum; & quidem quo ad primum sic: si ijs, quæ essentialiter differunt sufficeret incompletio ad faciendum vnum continuum: sequeretur primò, quod ex materia, & forma substantiali non solum fieret vnum per se essentialiter, sed etiam vnum continuum, si quidem vtraque est eius incompletum, & differunt inter se essentialiter; sequeretur item secundò, quod in sententia eorum qui negant sanguinem informari anima, adhuc staret eum cum reliquo corpore continuari; vtrumque enim secundum se spectatum suam habet incompletionem. at sanguinem, si non est animatus, non continuari cum reliquo corpore, communis fere sententia. ergo &c.

Ad hoc secundum Respondet Comptonus *sect.* 2. *num.* 7. & 8. se non videre implicantiam quantum ad disconuenientiam prædicatorum, quod sanguis, licèt non informetur animo, cum reliquo corpore continuari possit. aliunde tamen argui forte posse non vniri corpori; quatenus valet omnia sua munera præstare; etiam si minimè viuatur, nimirum ipsum nutrire, atque fouere, eiusque vitales spiritus circumvehere; Imo experientiam probare, quod sit in venis tanquam aqua in vase absque eo quod cum illis continuetur. 14

Verum huius tripartitæ responsionis prima pars absurditatem potius sententiæ aduersæ, quam probabilitatem euincit. cum enim communis Philosophorum sensus sit, quod si sanguis informetur anima, continueetur cum reliquo corpore: sin minus non continuetur: videtur clarè deduci eos concedere inter existimare continuationem à conuenientia prædicatorum essentialium, & discontinuationem à disconuenientia dependere. nihil enim aliud est sanguinem informari anima: quam conuenire eum corpore in ratione animati, & aliud nil non informari, quam in eadem ratione disconuenientiam habere cum illo, quare cum aduersarius fateatur, quod attenta prædicatorum disconuenientia sanguis, etiam si non informetur anima, valeat tamen cum reliquo corpore continuari: iam suam sententiam esse contra communem sensum, atque adeò minimè probabilem ingenuè fatetur. Secundam verò partem responsionis sic impugno: si, ex eo quod sanguis omnia sua munera præstare possit, etiam si non vniatur cum corpore, rectè argui posset eum non esse defacto vnitum corpori; sequeretur quod inde etiam deduci posset, neq; partes aquæ maris inter se continuari, quandoquidé quælibet ex eis rectè etiã omnia sua munera præstare possit, etiam si non sit continua reliquis. fac enim auferri 15

ſuperfi diuinitus ſuperficiem continuatiuam; quæ eſt inter duas partes palmares vnius aquæ: numquid non vtraque pars eodem modo humectaret, infrigidaret, atque reſiſteret, ſicuti quando erant voitæ? ita certè. quemadmodum igitur non valet diſcurſus in parte aquæ; ita neque in ſanguine. Ad id denique, quod tertio loco addebatur; nimirum, experientia comprobari ſanguinem eſſe in uenis taquam aquam in vaſe; dico; quod quemadmodum illi, qui aſſerunt eum eſſe animatum; id negant, neque ex eo, quod ſit liquidum contineri poſſunt, vti ſuo loco vidimus: ita debent negare aduerſarij hoc ipſo, quod ad continuationem non eſſe neceſſariam eſſentialem conuenientiam partium defendunt. neque experientia obſtat; quia hæc ſolùm euincit ſanguinem circumquaque venis occludi: quemadmodum oſſa carnibus. verum autem contineatur cum dictis venis, ſicuti oſſa carnibus non poteſt ſub experientiam cadere.

16 Atque hæc quantum ad prius diſtinctionis membrum: quoad verò poſterius, in quo dicebatur: tunc ea, quæ eſſentialiter differunt, non poſſe facere vnum per continuationem, quando ſunt in ſe completa, ſicuti ſunt aqua, & vinum: mare & aer, & cætera huiusmodi, quæ ideò non poſſunt inuicem continuari, non autem, quia differunt eſſentialiter. contra ſic: aqua, & vinum duo habent, quod ad rem noſtram facit, eſſe nimirum entia completa; & eſſentialiter inter ſe differre: ſed ineptitudo ad continuationem faciendam non prouenit eis ex eo quod ſint inter ſe entia completa: ergo ex eo quod eſſentialiter differant. hoc ipſo igitur quod partes animæ ponuntur eſſentialiter diuerſæ: erunt ad vnam animam continuandam ineptæ; minor, quæ ſola probatione eget, ſuadetur, quia duæ aquæ ſunt duo entia completa, & tamen poſſunt continuari, ergo ineptitudo ad continuationem faciendam non prouenit ex eo, quod ſint entia completa; ſed ex eo, quod eſſentialiter inter ſe differant: aliter poſſet argumentum duci ex illa maiore ſic; ſed ineptitudo ad continuationem faciendam non poteſt prouenire ex completione, vt patet ex aquis. ergo, ſi non prouenit ex diuerſitate eſſentiali, quæ habetur inter vinum, & aquam: non eſt cur hæc duo continuari non poſſint. non me fugit: poſſe aduerſarios vim huius argumenti declinare, ſi dicant: ineptitudinem, quam habent vinum, & aqua ad continuationem faciendam ex differentia eſſentiali, & completione eorum collectiuè acceptis prouenire: in logicis autem haberi, quod non valeat argumentari à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum. verum hoc effugium non eſt tutum: oſtenſa enim aptitudine ad continuationem cum vtriſque diuiſim ſumptis conuenientem, niſi ab aduerſarijs aſſignetur ſpecialis aliqua oppoſitio, ex illorum coniunctione prouenies victoria ſtat pro nobis: vt patet inductione facta in ſexcentis rebus.

17 5. Arriaga poſtquam argumentum noſtrum ex homogeneitate ad continuationem requiſita defendit: *nu.* 210. ſubdit, ſe abſolutè illud efficax non putare, eo quod licèt de facto non vniantur continuatiuè, niſi quæ ſunt eiuſdem ſpeciei: nullam tamen apparet repugnantia in oppoſito. ad inſtantiam verò ex aqua, & vino; mare, & aere, ac ſimilibus deſumptam, reſpondet, quod ſicuti; quamuis conſtet, res eiuſdem ſpeciei continuari poſſe: tamen non continuantur duo adamantes, duo lateres, duæ chartæ &c. ſic; etiam & abſolutè rebus diuerſis continuatio non repugnet: non ideò omnibus in quacunque circumſtantia non repugnat. hoc autem in peculiaribus harum naturas experientia cognitas reſerendum eſſe; Sed hæc reſponſio facilè impugnatur, aſſignando rationem cur allatæ res homogeneæ non continuentur; ea vero eſt, quia ad continuationem requiritur participatio eiuſdem numero termini; nam (vt habemus ex Ariſtotele *in prædicam.*) continuum eſt, cuius partes ad vnum communem terminum copulantur. ad hæc autem vt duo aliqua huiuſmodi terminum communem ſibi comparent; neceſſe eſt, vt ſint fluida, quemadmodum enim fluida; beneficio humiditatis, facilè alieno termino terminantur: ſic etiam quando ſunt homogeneæ producunt inter ſe communem terminum, ratione cuius vnum excurrit ad aliud, ita vt non habeat, per quid diſtinguatur ab illo. atqui duo adamantes, duo lateres, & reliqua ſimilia, ſolida ſunt, & dura, quæ, ſicuti ratione ſiccitatis prædalentis repugnant alieno termino terminari: ita & deſtructis proprijs terminis communem in ſe producere, eoque inuicem copulari. Hoc autem non poteſt dici loquendo de Vino, & Aqua in eodem vaſe exiſtentibus; vel de mari, & aere communibus, non eſt igitur ad arcanas rerum naturas confugiendum in aſſignando cur hæc non continuationem potius faciant; & non illæ; ſic multo minus ad experientiam, quæ enim, obſecro, experientia aſſignari poteſt in eo, quod duæ aquæ ſimul permixtæ faciant continuationem, non verò aqua, & vinum? nulla profectò. vt conſideranti patet, quid ergo recurſus ad experientiam prodeſt?

Aliter diſcurrit Lyncens *lib.* 10. *Phyſ. tract.* 2. *cap.* 4. vt enim tefellat principium illud: Res diuerſæ ſpeciei continuari non poſſunt: adducit primo vnionem graduum intenſionis, quæ eſt inter extrema diſſimilia. Secundò punctum, lineam, ſuperficiem, & corpus, quæ in ratione quantitatis ſpecie diſtinguntur; & tamen inuicem continuantur. ex quo deducit etiam rem ſpiritualem, & materialem inuicem continuari poſſe. nam res ſpiritualis eſt indiuiſibilis, vt linea, quæ iam continuantur. tertiò non ideo quatuor elementa naturaliter continuari non poſſe, quia ſunt diuerſæ ſpeciei, ſed quia inuicem pugnant, & colluctantur; cum tamen naturalis continuitas pacis, & amicitiæ ſignum ſit. Nullum verò in his argumentis lumen probabilitatis inuenio. Non in primo; quia quamuis multi aliquam diſſimilitudinem inter gradus eiuſdem qualitatis agnoſcant: at omnes communiter negant, nam eſſe eſſentialem; atqui præſens quæſtio cum aduerſarijs eſt num partes eiuſdem animæ eſſentialiter differant? vtrum enim habeant aliquam diuerſitatem numericam alterius eſt conſiderationis. neque in ſecundo, nam, vti vidimus, cum de compoſitione continui, & in- 18

diui-

Digitized by Google

diuisibilibus punctum additum lineæ non magis illam extendit, nec linea ampliat superficiem, nec superficies corpus: ideoque hæc inuicem non continuantur, sed punctum est terminus communis, in quo continuantur partes lineæ, vel vltimò terminantur, & idem dicendum de linea respectu superficiei, & de superficie respectu corporis; atque hæc in sententia Aristotelica, quod si loquamur iuxta opinionem Zenonis: negandū est punctum, lineam, superficiem, & corpus differre inter se essentialiter quoad intrinseca; cum linea constet ex solis punctis, & superficies ex meris lineis, & corpus ex meris superficiebus per Zenonem. nil ergo mirum si in hac via hæc omnia continuari possint ad inuicem. Ex quo patet non minus distare à veritate: quam à communi sententia corolarium, quod ex dictis deducebatur à Lynceo: rem videlicet spiritualem posse continuari cum materiali. si enim sic liberet ineptire: posset aliquis tueri ex Deo, & mundo vnum ens continuum resultare, quo nil ridiculosius, quod denique asseritur in tertio, falsū esse, constat ex eo, quia si potentia, quam habent elementa ad inuicem pugnandum, esset eis impedimento ne continuarentur; non solùm ea, quæ differunt inter se essentialiter; sed neque ea, quæ differunt solùm accidentaliter continuari valerent. Probo sequelam: siue enim ponamus partes viuentis V.G. carnem, & ossa Leonis differre inter se essentialiter ratione formæ heterogeneæ; siue solùm accidentaliter, ratione qualitatum contrariarum; constat eas inuicem pugnare, & colluctari; & carnem quidem vi caloris, & humiditatis, quibus abundat agere in ossa; ossa verò vi frigoris, & siccitatis, in quibus excellunt reagere in ipsam carnem; & tamen nemo dixerit ea inuicem non continuari. Item constat, quod, si duæ aquæ quarum altera frigida est, altera verò calida in eodem vase ponantur, inter se colluctabuntur: & tamen omnes censemus ex vtraque vnam aquam continuatam resultare. falsum igitur est: ideo integralem vnionem inter elementa non posse consistere, quia inuicem pugnant, sed quia sunt diuersæ speciei.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur argumenta heterogeneitatem animæ diuisibilis probantia.

19 OBijcies primò ex Comptono *sect.* 1. *num.* 5. pars formæ equi, quæ est in pede petit diuersas dispositiones à parte, quæ est in capite. ergo hæ duæ partes essentialiter distinguantur. antecedens est certum. consequentia euincitur, quia petere similes dispositiones est praedicarū intrinsecum longè diuersum ab eo, quod est petere alias dispositiones, ab illis valde dissimiles, & sic partes illæ magis inter se differunt, quam duæ partes animæ carnis, quæ similes omnino dispositiones exigunt.

Respondeo, negando antecedens. dico enim quamlibet partem animæ equi petere omnes dispositiones, quæ sunt necessariæ ad vitam equi; & ratio est quia nulla pars sine illis omnibus diu conseruari, aut benè se habere potest, ex hoc autem benè deducitur, omnes esse homogeneas, & eiusdem rationis.

Instabis. appetitus innatus non fertur circa id, quod naturaliter est impossibile. sed impossibile est, quod quælibet pars animæ equi informet naturaliter materiam habentem omnes dispositiones, quæ sunt necessariæ ad vitam equi; quia sic deberet esse simul in toto corpore equi; ergo nequit petere determinatè omnes dispositiones necessarias. 20

Respondeo concessa maiore, ac minore: distinguendo consequens, non potest quælibet pars petere determinatè omnes dispositiones necessarias ad vitam, determinatione se tenente ex parte eiusdē partis, cōcedo: determinatione se tenēte ex parte ipsarum dispositionum, nego consequentiam, & dico, quod licet quælibet pars petat omnes, & singulas, quia sine illis nequit existere: non tamen illas omnes petit pro se tantū, sed cū indeterminatione, vel pro se, vel pro alijs cōpartibus seu vel immediatè, vel mediatè habendas.

Subinstabis ex eodem Comptono. si hæc responsio consisteret; posset defendi, quod nulla res naturalis determinatè dispositiones exigeret; sed indeterminatè, sicuti dicimus de partibus animæ; sed hoc est absurdum; ergo &c. 21

Respondeo, negando assumptum; quia quando res sunt adæquatæ in se ipsis, & vna non est pars alterius, non possunt dispositiones aliquas cum indifferentia, vel pro se vel pro alijs respicere, quia non faciunt vnum, neque se inuicem ad sui integritatem, & conseruationem requirunt; sicuti contingit in casu nostro partibus eiusdem animæ equi. contra hoc autem frigida est illa auctoris impugnatio: quod nimirum: variæ res naturales constituunt vniuersum, & ad illius integritatem, & conseruationem sunt necessariæ, ad cuius bonum magis propendere debent, quam ad bonum proprium; Quemadmodum enim ex hac vnitate, & inclinatione ipse non rectè colligeret omnia corpora naturalia esse entia incompleta, & ex suis intrinsecis ordinari ad inuicem, sicuti dicit de partibus heterogeneis eiusdem animæ: ita neque debes inferre, quod ad dispositiones omnes naturales indifferenter inclinent, & rectè: nam vniuersum est vnum per accidens, & per aggregationem plurium, quod est ab vno per se valdè diuersum. vnde non valet patitas ex vno ad aliud, vt omnes sustinere debemus.

Obijcies secundò ex eodem *num.* 11. in pede equi nullum est vestigium potentiæ visiuæ, nec auditiuæ in oculo. ergo sine fundamento statuitur, partes animæ, quæ sunt in pede oculo, & auree esse homogeneas. antecedens patet, quia pari fundamento quis dixerit in vite esse virtutem producendi rosas, in ficu vuas, & in quauis arbore fructus omnes. consequentia verò probatur quia quemadmodum vitis differt essentialiter à roseto, & vna arbor ab alia valdè diuersa, ita, & partes eiusdem animæ propter eandem rationem differre debent. Respondeo negando antecedens. dico enim sufficientissimum vestigium iudicandi, quod in pede equi sit potentia visiua, &c. esse vnitatem integralem, quam in toto equo conspicimus, per quod patet responsio ad proba- 22

tio-

tionem antecedentis. neganda enim est paritas propter contrariam rationem; siquidem experientia constat ficum, vitem, & similes arbores esse suppositа distincta, atque completa; quorum vnumquodque quoad suum esse est independens ab alio.

23 Obijcies tertio, ex Lynceo *lib. 10. phys. tract. 2. cap. 2. nu. 23.* ex eo colligimus equum, & Leonem essentialiter differre; quia ab intrinseco, & inamissibiliter diuersas dispositiones, ac diuersa organa sortiuntur; sed etiam oculus equinus, & auris equina hoc modo se habent. ergo etiam hæc differunt inter se essentialiter. maior patet, quia præscindendo ab ea proprietatum intrinseca exigentia, & inamissibili possessione, nullum habetur fundamentum diuersitatis specificę inter equum, & leonem. minor verò probatur, quia nunquam deprehensus est oculus equinus, retenta propria essentia, alias dispositiones organicas præter visuales acquisiuisse; aut eas cum dispositionibus aurium, aut narium commutasse. ergo signum est, quod ab intrinseco, & ex vi propriæ exigentiæ illas habeat.

24 Respondeo, distinguendo maiorem: ideo equus & Leo essentialiter differunt, quia ab intrinseco, & inamissibiliter diuersas dispositiones, & organa sortiuntur, cum determinatione ex parte suarum formarum ad hanc speciem organorum, ac dispositionum, & non ad aliam, concedo: cum indifferentia, nego maiorem, & sic distinguo minorem: oculus equinus, & auris equina ab intrinseco, & inamissibiliter diuersas dispositiones, & organa sortiuntur cum indifferentia ex parte suarum formarum concedo; cum determinatione, nego minorem, & consequentiam. explico distinctionem, & simul disparitatem assigno: ideo equus, & Leo differunt essentialiter, quia eorum animæ dispositiones, quas ab intrinseco, & inamissibiliter sibi vendicant, quantum est de se, nō respiciunt cum indifferentia, nec quælibet earū est indifferens ad vtramlibet organizationem habendam, sed anima equi dispositiones, & organa equina, & anima leonis tantum leonina exposcit; contra verò pars animæ, quæ est in oculo, est indifferens ad habendas dispositiones totius corporis distributiuè, & ad informandum organum siue oculi, siue auris, siue cuiuscumque alterius partis equinæ. quare licèt determinatè, & inamissibiliter possideat dispositiones necessarias ad videndum: non tamen eas determinatè exigit. Quod si quæras vlteriorem rationem huius discriminis: petenda est ex dictis, nimirum, eo quod Leo & Equus sunt duo suppositа completa, non ordinata ad aliquod tertium constituendum. vnde fit, vt per se ipsi debeant sibi determinare has potius dispositiones, quam alias: at vero anima, quæ est in oculo, & anima, quæ est in aure eiusdem animalis, sunt intra idem suppositum, tanquam eius partes, ad quod spectat determinare sibi proprias dispositiones, & organa.

Ad minoris probationem, in qua dicebatur: nunquam oculum equinum, retenta propria essentia, alias dispositiones organicas acquisiuisse, aut eas cum dispositionibus aurium commutasse; dicendum: quod licèt non repugnet essentiæ oculi equini habere dispositiones aurium, &c. repugnat tamen toti animæ, quæ malè se haberet, si vnum organum in aliud conuerti posset. vnde est, quod sit ei negata virtus à natura reparandi ab integro organa; vti in responsione ad sextam obiectionem dicetur.

Instabis primò contra principalem distinctionem: mas & fœmina sunt duo suppositа completa, sibi determinantia dispositiones, & operationes diuersas, vt patet ex actu generationis: & tamen non differunt specie. ergo nulla disparitas. Respondeo, negando antecedens, quod ad primam partem, dico enim eandem numero animam rationalem esse indifferentem ad dispositiones maris, & fœminæ. vt patet ex multis, qui, cum antea essent fœminę, masculi euaserunt, non sic autem se habent equus, & Leo, nunquam enim vidimus alterum eorum conuersum in alterum. quare dicendum est animam cuiuslibet eorum determinatè proprias dispositiones sibi vendicare. 25

Instabis secundò ex eodem Lynceo *num. 25.* dupliciter: Primò quidem, quemadmodum dicitur, quod oculus equinus, & auris equina non differunt specie, neque dispositiones diuersas determinatè postulant, eo quod sunt partes eiusdem totius, quod dictas dispositiones sibi determinatè vendicat: ita dici potest de equo, & Leone, quod neque dispositiones quas possident, determinatè exigant; eo quod sint partes subiectiuæ eiusdem totius potestatiui, hoc est, sint individua eiusdem speciei, cui incumbat eas dispositiones sibi determinatè vendicare. ergo nulla solutio. Deinde, materia prima equi habet peculiares affectiones, diuersas ab affectionibus formę eiusdem equi; & quælibet ex eis suas affectiones determinatè postulat, quamuis ambæ sint partes eiusdem totius, penes quod talium affectionum exigentia esse potest. ergo idem dicendum est de partibus animæ equi, quarum vna est in oculo, altera in aure. 26

Respondeo: neutram instantiam habere quidquam solidi. ad vtramque enim facile negatur paritas; ad priorem quidem dicendo, nos nomine naturæ specificæ substantialis intelligere principium aliquod radicale, quod aliquas dispositiones, ac proprietates determinatè, & specialiter sibi vendicet; easque in omnibus suis individuis requirat; atqui totum hoc saluatur dicendo: quod auris equina, & oculus equinus nō differant specie; adhuc enim stat quod natura equina sit radicale principium determinatè exigitiuum quarumdam dispositionum, & organorum, quæ sibi vendicat in omnibus equis in particulari: non autem saluari potest, si dicamus, equum, & Leonem differre tantum numero quandoquidem non possimus assignare in vtriusque principium aliquod radicale determinatarum dispositionum, & organorum; quæ æquè participentur ab illis. magna igitur inter vtrumque habetur disparitas. 27

Ad posteriorem verò dico: verum quidem esse materiam determinatè sibi vendicare suas proprias affectiones, & formam item equinam suas: nego tamen hinc rectè deduci, quod partes animæ equi debeant etiam determinare sibi pro- 28

prias

prias dispositiones, & organa: disparitas est, quia ex materia, & forma resultat vnum essentiale, quod necessariò diuersitatem specificam inter extrema requirit: quatenus ex actu, & potentia constare debet; & quia ea, quæ specie differunt peculiares affectiones determinatè sibi vendicãt: hinc fit, vt materia, & forma respicere nequeant
22 indeterminatè affectiones suas: at ex anima, quæ est in oculo equino, & ex ea, quæ est in ore equina, vnum integrale resultat. quod non exigere diuersitatem specificam inter extrema, ex quibus constat, patet ex aqua, marmore, & similibus, quæ constant ex partibus eiusdem rationis; quod si hæc sunt homogenea in suis partibus, equus verò heterogeneus nihil obstat; nam huiusmodi heterogeneitas potest per solas diuersorum accidentium combinationes saluari, exactas ab eadem anima homogenea, quatenus diuersas operationes in diuersis corporis partibus exercere debet.

29 Instabis iterum: si à nulla parte formæ equi requirerentur determinatè dispositiones oculi: sequeretur, quod neque requirerentur ab omnibus, sed hoc est absurdum; ergo &c. maior patet. minor probatur quia sic neque determinatè
21 requirerentur à tota forma, quæ à suis partibus minimè distinguitur. Respondeo distinguendo sequelam neque requirerentur ab omnibus diuisim acceptis, concedo collectiuè, nego sequelam, & sic, distincta minore, nego consequentiam. ad *minoris probationem* dico: totam formam importare omnes partes collectiuè, & non diuisim, seu distributiuè sumptas. Porrò licet partes diuisim sumptæ dispositiones respiciant determinatè determinatione se tenente ex parte dispositionum, & indeterminatè indeterminatione se tenente ex parte sui ipsarum: at verò collectiuè acceptæ respiciunt dictas dispositiones determinatè determinatione se tenente ex vtraque parte, tum nimirum ex parte sui: tum ex parte ipsarum dispositionum, quia hoc est proprium essentiarum specificè, & completè acceptarum.

17 30 Obicies quarto ex Mauro *tom.* 4 *qu.* 26. *ad quintum*: nulla forma siue totalis, siue partialis debet poni in subiecto per se inepto ad præcipuas operationes ipsius formæ, ita vt illas semper impediat, sed si anima bouina totum esset homogenea, illa pars animæ, quæ est in pede poneretur in subiecto per se inepto ad exercendas præcipuas operationes imaginationis, & appetitus, ita vt semper impediret illas: ergo &c.

Respondeo primò hoc argumentum probare animam rationalem non informare totum corpus humanum, constat enim eam non posse in pede, vel manu intelligere, ac velle, quod si hæc præstet in capite, per hoc solum saluatur, eam debere poni in capite: at non quod etiam in pede, hoc ipso quod pes est per se ineptus ad illas operationes, quæ sunt præcipuæ animæ rationalis, & est impedimento, ne ea ibi exerceantur ab illa: sed quid quid sit de hac paritate.

31 Respondeo secundo distinguendo maiorem: Nulla forma siue pars formæ debet poni in subiecto per se inepto ad præcipuas operationes ipsius formæ, ita vt illas semper impediat; & si quidem sermo est de ineptitudine, & impedimento adæquato, concedo: si autem de ineptitudine, & impedimento inadæquato, nego maiorem, & sic distincta minore, nego consequentiam. explico distinctionem: dupliciter subiectum aliquod potest intelligi ineptum ad præcipuas operationes formæ: primo adæquatè si nimirum, tum in se, tum in quouis alio, cum, quo facit vnum continuum habeat ineptitudinẽ ad illas operationes: secundo inadæquatè quando nimirum licèt in se sit ineptum: continuetur tamen cum alio positiuam aptitudinem ad illas habente, eodemque modo discurrendum est de impedimento: tunc enim subiectum est per se adæquatè impeditiuum præcipuarum operationum formæ: quando ita illas excludit à se, vt nullo modo faciat vnum continuum cum subiecto illarum capaci; tunc verò est impeditiuum inadæquatè, quando licèt ea à se excludat; continuatur tamen cum eo subiecto positiuam capacitatẽ & aptitudinem ad illas habente. quamuis autem subiectum, quod est per se ineptum, & impeditiuum adæquatè præcipuarum operationum formæ non possit recipere illam formam: potest tamen illam recipere, si est per se ineptum, & impeditiuum inadæquatè eo quod ratione continuationis ita pertinet ad complementum subiecti apti, & capacis illarum: vt aliquam saltem ex minus præcipuis recipere valeat. quoniam verò pars animæ quæ est in pede bouis ponitur à nobis in subiecto inadæquatè inepto, & impeditiuo præcipuarum operationum animæ bouis: non verò adæquatè; quatenus pes bouis facit vnum continuum cum capite, vbi est aptitudo, & capacitas ad illas: hinc fit, vt possit hic recipere illam partem formæ sibi correspondentem.

Instabis: tunc haberetur in pede bouis inadæquatè ineptitudo, & impedimentum ad præcipuas operationes formæ bouis: quando eadem omnino esset forma, quæ est in pede, ac in capite. dum enim alia est forma partialis pedis; & alia capitis, forma pedis adæquatè redditur inepta, & impedita à dispositionibus pedis ad potentiam V. G. imaginatiuam, & appetitiuam exercendam *in* pede. ergo nulla distinctio.

Respondeo, negando antecedens quãuis enim si forma esset indiuisibilis, posset dici quoque in pede ineptitudinem, & impedimentum inadæquatè habere: hinc tamen non sequitur, non posse idem cum veritate dici, posito, quod sit diuisibilis, & ratio est, quia ex forma partiali, quæ est in capite, & ex ea, quæ est in pede iam fit vna integra forma. quemadmodum igitur de hac vna forma verè dici potest, quod sit inadæquatè in pede: ita etiam, quod ibi ineptitudinem, & impedimentum inadæquatè habeat ad præcipuas suas operationes exercendas. Ad probationẽ antecedentis aio, quod ineptitudo, & impedimentum, quæ adæquatè afficiunt animam partialem correspondentem pedi secundum se consideratam: afficiunt inadæquatè illam pro vt cum reliquis partibus integrat vnam animam. quoniam verò absolutè loquendo ita à parte rei sumendæ est, quia partes non sunt in toto à parte rei nisi in potentia (vt docet Aristoteles in 8 Physicis:) hinc fit vt absolutè non debeat dici

impedita

impeditè, & inepta adæquatè in pede; sed in adæquatè.

33 Obijcies quintò nisi partes animæ materialis essent heterogeneæ, sequeretur, quod tam integer esset bos magnus carens cruribus: quam paruulus vitulus illis præditus, sed hoc est absurdum. ergo &c. sequela probatur: nam in vtroque tot essent partes formæ atque materiæ; supplente boue per excessum aliorum membrorum, crurium suorum defectum; atqui hoc non posset dici posita heterogeneitate partium animæ. ergo &c. Respondeo primò negando hoc argumentum non habere locum in sententia aduersariorum. multi enim ex eis concedunt partem animæ informantem crus dextrum non esse heterogeneam cum parte informante crus sinistrum, & certè omnes tenentur dicere animam, quæ cutem informat esse homogeneam; nulla enim intrinseca diuersitas apparet in cute: si qua enim habetur ratione figuræ: oritur ab extrinseco nimirum à membris, quæ diuersimodè figurata sunt. Iam tolle à boue vnum crus, vel magnam cutis partem: numquid erit integer admissa heterogeneitate animæ, per hoc quod tantum habet formæ, & materiæ quantum vitulus? minimè hercle; argumentum igitur æquè ab aduersarijs soluendum est. Respondeo secundo negando sequelam; ad cuius probationem dico; integritatem animalis non consistere in tanta vel tanta quantitate materiæ, & formæ, sed in habendis tot organis, quot sunt illi necessaria ad omnes suas operationes exercendas: quare si daretur bos minor musca, vel culice; haberet autem suam deorganizationem requisitam; hic tam esset integer, quam quilibet alius bos in magna mole existens.

34 Obijcies sextò: aliquando in oculo carnis dispositiones introducuntur, sed in tali casu oculi dispositiones deperduntur: ergo anima carnis differt essentialiter ab anima oculi. Consequentia probatur: quia si non differret; vtique posset dispositiones oculi deperditas aliquando in eam materiam introducere. respondeo concessa maiore, & minore, negando consequentiam; & ad eius probationem dico, quod si quid probaret; euinceret vtique, quod in homine huiusmodi dispositiones oculi deperditæ reparari possent ab anima; nam scimus carnem illam, in quam conuersus fuit oculus, informari ab eadem anima non solùm specie, sed etiam numero, à qua oculus, cum vigeret, informabatur. ratio igitur vniuersalis cur non possit anima informans carnem illam, dispositiones oculi in eius materiam introducere, petenda est ex impotentia, quam habet omnis anima ad reparandas dispositiones membrorum totaliter deperditas. quamuis enim quando deperduntur ex parte, possit illas interè resarcire, si non habeat impedimentum suæ virtuti prævalens: at ex integro eas producere minimè potest. hoc enim est solius virtutis seminalis; & hinc fit, vt digitus adscissus, aut oculus erutus iterum in corpore elaborare naturaliter nequeat: non autem quia pars animæ digiti aut oculi sit diuersæ rationis ab ea, quæ in toto corpore remanet.

SECTIO QVARTA.

Ex suppositione, quod vnio inter animam, & corpus sit modaliter distincta, numeca quoque sit homogenea.

35 Conclusio est affirmatiua, quam tuetur Arriaga *de anim. disp. 5. sect. 6.* Oniedus *Controu. 1. punct. 7.* Lynceus *lib. 10. tract. 2. cap. 3.* & ex Antiquis, Scotus, Alensis, Gregorius, Gabriel, Durandus, Marsilius, & Caietanus, quos citant, & sequuntur Conimbricenses primo de *Generatione cap. 4. qu. 22. art. 3.* contra Comptonum, & alios quam plures, qui dicunt partes in homine esse substantialiter dissimiles, non quidem quoad materiam, quia hæc est omnino homogenea in suis partibus; neque quoad formam, quia ea est omninò indiuisibilis, sed quoad vnionem, quæ pro diuersitate dispositionum, quas exigit, diuersa est. ex quo videtur sequi iuxta eorum opinionem, quod reliquæ animæ materiales vniri debent materiæ per vnionem ex partibus essentialiter diuersis constantem.

36 Probatur primò assertio nostra à Lynceo *loco citato num* 27. sic: si vnio capitis esset diuersa essentialiter ab vnione cordis: sequeretur quod esset forma substantialis animalis; sed hoc est absurdum; ergo &c. minor patet, quia inde deduceretur duas in quacunque parte materiæ animalis dari formas substantiales; animam, videlicèt, & dictam vnionem; sequela verò probatur multipliciter. Primò ex Aristotile docente formam, seu actum esse quæ distinguit, & constituit hoc aliquid. sed caput, & cor beneficio vnionis specie distinguerentur, & constituerentur in proprio esse specifico; ergo &c Secundò quia vnio capitis esset prima & præcipua radix earum proprietatum, & dispositionum, per quas caput à corde specie differret. ergo esset forma substantialis capitis. antecedens patet, quia prima, & præcipua radix non est materia capitis, vt patet, neque anima eius; alias cum etiam in corde sit; deberet ibi capitis dispositiones, & proprietates exigere; quod est apertè falsum. consequentia verò probatur, quia ideo anima rationalis est forma substantialis hominis: quia est prima, & præcipua radix operationum, & proprietatum, per quas homo differt à leone, & reliquis animantibus; ergo à pari, si vnio capitis, &c. Tertiò ad hominem contra non nullos, qui ideò negant, vbicationem esse rem, quia sic vniretur rei vbicatæ per vnionem à se distinctam; quod repugnare probant ex eo, quia dicta vnio haberet essentiam vbi; vtpotè quæ subiectum determinato loci spatio essentialiter alligaret. At etiam vnio capitis ad determinatas dispositiones, & operationes ipsum caput alligaret. ergo iam esset forma substantialis capitis. Quartò denique, quia, si dicta vnio non esset forma substantialis capitis: maximè quia vel modus esset, vel aliam formam substantialem ultimum animam præsupponeret. non primum; quia possibiles sunt formæ substantiales identificatæ cum modis ita vt modales censeantur: pò-

que

Digitized by Google

que ſecundùm ; quia licèt vnio illa animam rationalem ſupponat, at non tanquam informatem, & munus formæ ſubſtantialis exercentem; & quamuis eam ſic ſupponeret ; aduerſarijs incumberet explicare cur ſicuti vna cognitio aliũ actum denominantem ſupponere poteſt, & tamen pro poſteriori ipſa denominat; cur, inquit, in præſenti &c.

37 Verum ego huiuſmodi probationem nullo modo probare poſſum; puto enim quod quamuis vnio inter animam, & corpus eſſet modus, & eius partes integrantes eſſentialiter inter ſe diſtinguerentur : adhuc tamen non ſequereretur huiuſmodi vnionem eſſe formam ſubſtantialem animalis ; eo quod non eſſet prima radix proprietatum, ſed illam ſupponeret. Ad primam autem rationem in contrarium ex Philoſopho allatam, dicerem: formam ſubſtantialem conſtituere, & diſtinguere vnum adæquatum ſuppoſitum ab alio item adæquato, non autem partes eiuſdem ſuppoſiti ; & ratio diſcriminis eſt, quia in ordine ad diſtincta ; & adæquata ſuppoſita non poteſt dari vnica forma exigens in illis diuerſas operationes, & diſpoſitiones. quia quodlibet ex eis habet ſuam peculiarem formam, quæ ſe habet vt adæquatum principium illius diuerſitatis : at in ordine ad diuerſas partes eiuſdem ſuppoſiti poteſt optimè intelligi, quod detur vnica forma exigens in eis illam diuerſitatem. quoniam verò caput, & cor, de quibus loquimur, *ſupponuntur eſſe partes eiuſdem animalis : hinc fit, vt etiam ſi vnionis ſubſtantialis beneficio eſſentialiter diſtinguerentur ad inuicem, & conſtituerentur, quodlibet in ſua propria ratione*: non rectè deducatur, vnionem eſſe eorum formam ſubſtantialem.

38 Ad ſecundam autem negarem maiorem: vnionem, ſcilicèt, capitis eſſe primam, & præcipuam radicem earum proprietatum, per quas caput ſpecie à corde differret ; & ad eius probationem dicerem: primam, & præcipuam radicem eſſe animam ; nec referre, quod illa ſit etiam in corde, in quo capitis diſpoſitiones minimè exigit, quia, licèt ea ſit formaliter homogenea : eſt tamen virtualiter heterogenea, quatenus ad diuerſas operationes exercendas in diuerſis partibus corporis, diuerſas etiam exigit diſpoſitionum combinationes ; quare ſi pro earum diuerſitate diuerſas etiam exigeret partiales vniones, quæ à dictis combinationibus diuerſis ſpecificarentur : *huiuſmodi vniones non habituræ eſſent in animali rationem primæ, & præcipuæ radicis proprietatum, & diſpoſitionum, quæ ceruntur in partibus*.

39 Ad tertiam verò aſſererem: probabilius diſcurrere eos, qui negant vbi eſſe rem ; ex eo quod vnio, quæ vniret illam ſubiecto, haberet eſſentiam vbicationis, quatenus determinato loci ſpatio alligaret ipſum ſubiectum : quàm Lynceum ipſum, qui ideo negat vnionem capitis eſſe heterogeneam cum reliquis partibus, quia eſſet forma ſubſtantialis eiuſdem capitis ; eo quod ad determinatas diſpoſitiones, & operationes ipsũ alligaret. Ratio diuerſitatis eſt, quia vbi præcisè conſtituitur per alligationem ſubiecti ad ſpatium aliquod determinatũ : quæ quidem alligatio, cum æque reperiretur in unione vbi eum ſubiecto, ac in ipſo vbi : rectè deducitur utrumque eſſentiam vbi participare ; at qui tenent unionem heterogeneam dicerent : formam ſubſtantialem non conſtitui per hoc, quod alliget partem animalis ad determinatas diſpoſitiones, & operationes quomodocumque : ſed per hoc quod ſit prima, & principalis radix exactiua dictæ alligationis: conſtat autẽ hoc ſoli animæ competere, non uerò eius unioni, quia hæc etiã quatenus heterogenea eſt, exigitur ab illa.

Ad quartam denique, concederem aſſumptũ ; 40
ac dicerem, vnionem illam non poſſe habere rationem formæ ſubſtantialis partium; & quia modus, & quia ſupponeret aliam formam ſubſtantialem, & ad priorem rationẽ in contrarium reſpõderẽ, quod, licèt non implicet forma ſubſtantialis identificata cum modo : nullum tamen habemus inditium, quod de facto detur ; aliàs, qui tenent vnionem modum, deberent aſſerere, illam cum omnibus formis materialibus ſaltem ſubſtantialibus identificari ; atque adeò implicare contradictionem formam elementarem V G. vel bruti exiſtere poſſe extra materiam. ad poſteriorem verò aſſererem, quod quamuis vnio illa animam rationalem non ſupponeret vt iam informantem, & munus formæ ſubſtantialis exercentem : inde tamen non rectè deduceretur, eam fore formam ſubſtantialem, quia ex ſuis intrinſecis eſſet ordinata ad reddendam ipſam animam informantem, & exequentem munus formæ ſubſtantialis, vt patet. Quantum denique ad id, quod auctor quærebat ex aduerſarijs : cur vna cognitio poſſit ſupponere aliam in intellectu actu denominantem illam : & non vna forma ſubſtantialis in materia, aliam actu informantem, eſt difficultas communis, & ſolutu facilis ; ſi dicatur munus cognitionis eſſe accidentaliter perficere intellectum; at munus formæ ſubſtantialis eſt perficere materiam ſubſtantialiter. Accidentalis autem perfectio poteſt multiplicari iuxta capacitatem ſubiecti : at perfectio ſubſtantialis non item : quia quidquid aduenit primæ radici operationum & diſpoſitionum conuincitur eſſe accidens illius. Hæc igitur Lyncei ratione poſthabita.

Probatur facilè noſtra concluſio ; quia poſito, 41
quod vnio inter animam, & corpus modaliter diſtinguatur : gratis, & ſine vllo fundamento aſſeritur, quod ea debeat pro diuerſitate complexionis accidentalis, quam habent partes corporis, diuerſificari. ergo dicendum eſt, eam eſſe in toto corpore homogeneam: conſequẽtia patet ; antecedẽs ſuadetur ex eo, quia ſicuti vna eademque anima non obſtante, quod in ſuis partibus ſit homogenea, poteſt exigere in partibus materię illis correſpondentibus diſpoſitiones diuerſas : ita poteſt dici de vnione diſtincta, quod nimirum etiam ſi habeat vnire formam cum partibus materiæ diuerſimodè deorganizatis : ipſa nihilominus ſit quoque homogenea. non enim poteſt aſſignari diſparitas. Verum hoc videtur eſſe certum. illud potius controuerſum: num ex hypoteſi, quod partes animæ materialis ſint heterogeneæ, etiam partes vnionis debeant eſſe huiuſ-

Digitized by Google

modi, & quidem, si loquamur de partibus vnionis, quæ est inter materiam, & ipsam animam materialem: affirmativa sententia est indubitata, quia extrema diuersæ rationis, impossibile est, quod vniantur per vnionem eiusdem rationis, vnio enim specificatur ab extremis, & per ordinem ad illa essentiam suam desumit, ergo hoc ipso quod partes eiusdem animæ ponuntur essentialiter inter se differre, implicat quod vniantur cum materia per vnionem homogeneam. At verò si sermo sit de partibus vnionis, per quam anima rationalis in homine vnitur corpori, dubium est. Affirmatiuè respondet Arriaga *loco citato n.* 25. quem sequuntur Quiedus *num.* 2, & Comptonus *disp. 4. sect.* 3. sed probabilius videtur respondendum negatiuè, cum Hurtado *disp. 2. de anima sect.* 8. vbi post quam docuit partes viuentium materialium esse essentialiter heterogeneas: asseris omnes partes hominis esse omnino substantialiter similes, ita vt non solùm à materia, & anima rationali, sed etiam ab vnione, quæ est inter illas omnis heterogeneitas excludatur.

42 Probatur ratione ab ipso Hurtado allata: inter extrema eiusdem rationis debet dari vnio eiusdem rationis. sed extrema vnienda in homine sunt eiusdem rationis, quantumuis enim partes corporis diuersâ habent deorganizationē, extrema tamen vnionis in illis semper sunt partes materiæ primæ, & animæ rationalis, ergo non est cur

43 partes vnionis debeant esse diuersæ rationis.

Respondet ad hoc Arriaga: inter extrema eiusdem rationis posse dari vniones diuersæ rationis, quando nimirum diuersitas sumitur aliunde, quam ab ipsis extremis, iam verò in rem se habet in casu nostro, probat, quia vnio quæ est inter animam, & caput humanum respicit etiam diuersas dispositiones ab eis, quas respicit vnio, quæ est inter animam, & humanum corpus quod si neges: probet ex eo, quia in tantum pars animæ materialis in vna parte corporis dispositiones diuersas exigit, ac in alia, vt nimirum conseruetur in esse. sed vnio humana est, quæ ad sui conseruationē illas diuersas dispositiones exigit: non verò anima rationalis, vt de se patet, ergo etiam si extrema vnionis humanæ sint eiusdem rationis, ipsa tamen est heterogenea.

44 Sed contra est, quia licèt verum sit, quod inter extrema eiusdem rationis possint dari vniones, quæ inter se essentialiter differant, vt patet ex: dupplici vnione inter animam, & corpus equi; quarum vna esset dependens à materia: altera; independens; tamen in casu nostro non potest assignari vnde huiusmodi diuersitas sumenda sit, quod enim partes vnionis determinatè diuersam deorganizationem respiciunt, falsum est; & ad probationem in contrarium, nego causalē maioris: dico enim, quod si partes animæ materialis diuersas dispositiones sibi determinatè vendicarent, quæ libus suas peculiares: finis per se primarius earum esset diuersitas operationum, ad quas exercendas dictæ partes essent essentialiter ordinatæ, quia tamen esse est propter operari; inde fieret, vt conseruatio in esse se haberet vt finis secundarius, & non primarius: quorum verò si daretur vnio distincta, ea non esset operatiua; hinc fit, vt non respiceret secundum suas partes organa corporea eo respectu, quo anima diuisibilis secundum suas, hoc est formaliter; ita nimirum, vt specificaretur ab illis; sed materialiter tantum, quod patet ex eo, quia si supponamus animam rationalem ita esse indiuisibilem, vt diuersitatem operationum in diuersis partibus corporis minimè exercere posset, proinde dubio vnio contenta esset dispositionibus homogeneis, nec diuersitatem deorganizationis in illis exigeret. Pauca alicet ad argumentum principale respondet Quiedus dicens, similitudinem extremorum non arguere similitudinem vnionis, quando diuersitas vnionis sumi potest à diuersa exigentia dispositionum, quas in diuersis exigit. tunc enim, inquit, diuersæ dispositiones exactæ arguere possunt à posteriori diuersitatem partium vnionis. sed contra: quia, licèt verum sit, quod si diuersæ dispositiones humanum corpus organizantes essent determinatè exactè à diuersis partibus vnionis; rectè deduci posset huiusmodi partes esse heterogeneas: quia tamen hæc exigentia non probatur in illis, sed supponitur: hinc fit vt nulla sit deductio.

Obijcies primò, ex Comptono *sect.* 3. *nn.* 50. 45 diuersitas dispositionum in brutis arguit diuersitatem partium animæ materialis illorum. ergo, & diuersitas dispositionum in homine debet saltem diuersitatem partium vnionis in illo indicare. consequentia patet, quia eodem modo vnio capitis in homine non petit easdem dispositiones, quas petit vnio pedis, sicut pars animæ bruti, quæ correspondet capiti, non exigit easdem, quas exigit pars eiusdem animæ pedi correspondens.

Respondeo: concesso antecedente ex posita suppositione; negando consequentiam; disparitas est, quia diuersitas dispositionum in brutis, quæ ponuntur anima heterogenea constatere exigitur primò, & per se ab ipsis partibus animæ; at dicta diuersitas in homine non exigitur primò, & per se à partibus vnionis humanæ, sed ab anima rationali ad diuersas operationes in diuersis partibus corporis exercendas. Vnde patet, ad probationem consequentiæ; negandum est enim assumptum, atque dicendum vnionem capitis humani, si inuenisset in capite dispositiones pedis, quantum est de se munus suum vniendi animam rationalem cum illa parte materiæ æquè benè exercuisset; atque adeò exigentiam deorganizationis diuersæ non in vnionem, sed in animam rationalem refundendam esse. hoc autem non posse dici de partibus animæ bruti earum heterogeneitate suppositâ, vt patet ex doctrina aduersariorum.

Obijcies secundò ex eodem ibid. Anima ra- 46 tionalis, ob virtualem suam heterogeneitatem, dispositiones heterogeneas in corpore exigit. ergo, & heterogenea vnione illi coniungitur. consequentia suadetur, quia dispositiones non petit illa, nisi vt vnita, seu vnienda; vt enim separata, eis non indiget.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; cuius distinguo probationem: & si quidem sermo sit de dispositionibus vt sic concedo, quod illas petat anima rationalis vt

vnita

vnita seu unienda: sin antè de dispositionibus talibus, hoc est heterogeneis, subdistinguo, petit illas vt vnita ita vt vnio se habeat vt conditio ad illas petendas, concedo: ita vt se habeat vt ratio formalis, seu finis petitionis nego. vt enim dixi, diuersitatem dispositionum in corpore exigit anima primò, & per se in ordine ad diuersas operationes, quas in illo exercere debet, quia verò id præstare nequit, nisi sit vnita corpori: idcirco dici potest, quod vt vnita dictam diuersitatem exposcat reduplicando conditionem.

Obijcies tertiò ex eodem num. 6. exigentia diuersarum dispositionum, licèt vt quod, & in 47
actu primò remoto animæ rationali tribuatur: tamen vt quo, & in actu secundò proximo tribuitur vnioni, ergo vnio debet esse necessariò heterogenea. consequentia videtur certa, quia exigentiam tam multiplicis deorganizationis nequit habere vnio nisi ratione diuersarum partium, quas habet. antecedens suadetur, quia vnio est quoddam exercitium, ac veluti actus secundus animæ, & ideo hæc diuersa quasi modo per illam in diuersis corporis partibus se extendit; in osse videlicet vt vegetatiua, in carne vt sensitiua, in oculo vt visiua. ergo &c.

Respondeo: negando antecedens: vnio enim animæ rationalis, quantum est de se, neque vt, quod, neque vt quo, diuersam exigit deorganizationem in corpore: ad probationem antecedentis 48
distinguo assumptum: vnio est quoddam exercitium, ac veluti actus secundus animæ, sumptæ ingenere causæ formalis, concedo: sumptæ ingenere causæ efficientis, seu vitaliter operantis, nego antecedens. quoniam verò anima, vti notauimus, diuersitatem dispositionum in corpore non requirit primò, & per se ad illud informandum, sed ad exercandas in eo vitales operationes: hoc ipso quòd partes vnionis non sunt vitales operationes, quas anima exercere potest: rectè deducitur eas non exigere vt quo, & in actu secundo proximo illam dispositionum diuersitatem. Quod verò vltimo loco addebatur; nimirum animam rationalem beneficio vnionis diuerso quasi modo in diuersis corporis partibus se extendere; in osse videlicet, vt vegetatiuam, in carne vt sensitiuam &c. dupliciter intelligi potest. primò in ordine ad informandum, quasi verò anima rationalis non informet os secundum se totam, sed solùm secundum, quod vegetatiua est: carnem verò secundum, quod sensitiua &c. secundò in ordine ad operandum; ita vt sensus sit, quod licèt secundum se totam sit vnita omnibus, & singulis partibus organicis corporis; tamen in esse non exerceat nisi operationes vegetatiuas; in carne, ex sensitiuis non nisi tactiuas; in oculo præter tactiuas, visiuas tantum &c. & si quidem in primo sensu sumatur (vt ab aduersario deberet sumi ad probandum intentum) omni probabilitate caret; si quidem vnio cum physica sit non est præcisiua. vnde vnit materiæ animam secundum eas omnes rationes, secundum quas est illi substantialiter vnibilis, vt de se patet; sin autem in secundo, verum, sed non prodest aduersario, vt de se etiam patet, quia considerat animam vt operatiuam,



Digitized by Google

DISPVTATIO SEPTIMA

DE DIVERSITATE ANIMARVM EIVSDEM speciei inter se.

1 PRæsens controuersia; vt rectè aduertit Arriaga hic *disp. 5. sect. 7.* ad metaphisicum propriè spectat; siquidem eodem modo de omnibus indiuiduis cuiuscumque speciei siuè corporeis, siuè spiritualibus fieri potest: quia tamen recentioribus visum est, postquam de diuersitate partium integrãtium animæ disputarunt; de diuersitate partium subiectiuarum eiusdem in specie ima consideratæ sermonem instituere, nos vt illis morem geramus, huiusmodi disputationẽ hoc loco etiam exagitamus. vnum notantes: diuersitatem, quo ad rem nostram facit, duo importare: dissimilitudinem, & inæqualitatem perfectionis. quid autem vtrumque significet ex suis oppositis, nempè ex similitudine, & æqualitate facile conijci potest. similitudo itaque consistit in hoc, quod vnum sit sicuti aliud; hoc est, quod vnius indiuiduatio non habeat per quid magis differat ab indiuiduatione alterius, quam à qualibet alia. quod si habet per quod differat magis: iam non est sicuti aliud, & sic est illi dissimile. æqualitas verò perfectionis posita est in eo, quod vnum indiuiduum cum alio comparatum sit æquè perfectum, & bonum; ac est illud; quod si non est huiusmodi, habetur inæqualitas perfectionis inter illa. hac igitur terminorum explicatione præmissa: nos prius de dissimilitudine, posteà verò de inæqualitate disputabimus.

SECTIO PRIMA.

An omnes animæ eiusdem speciei atomæ sint necessario inter se dissimiles.

2 CONclusio est affirmatiua. est tamen primò contra eos, qui dicunt quamlibet dissimilitudinem, quantumuis minimam, importare distinctionem specificam, atque adeò implicare animas eiusdem speciei posse esse dissimiles. de his mentionem facit Comptonus *disp. 5. de anima sect. 2.* qui etiam addit: nonnullos præcedentem opinionem limitantes, dicere tunc dissimilitudinem, specificam distinctionem inducere inter aliqua duo, quando reperiri potest aliquod tertium minus dissimile vni extremorum, quam sit alterum extremum, quod si hoc nequeat inueniri, aiunt: dissimilitudinem illam, quæ inter dicta extrema reperitur, non esse sufficientem ad diuersitatem specificam inducendam; & sic nullum indiuiduum intra eandem speciem posse esse magis dissimile vni, quam alteri indiuiduo. Est etiam secundò contra alios, qui sustinent intra eandem speciem animarum possibilia esse indiuidua, quorum aliqua inter se comparata similia sint; aliqua verò dissimilia, ita Ouiedus *controu. 1. de anima punct. 8. §. 4. num. 32.*

3 Porrò nulla alia ratione videtur probari posse melius assertio nostra, quam duas hasce contrarias nostræ sententias impugnando; ex earum enim falsitate rectè deduci illius veritas ac certitudo poterit. Primã itaque sententiam Comptonus *loco citato sect. 3. nu. 7.* sic insectatur: si quælibet dissimilitudo quantumuis minima inter duo indiuidua distinctionẽ specificam importaret: sequeretur, quod nulla duo essent eiusdem speciei; sed hoc est apertè falsum. ergo &c. sequelam probat, quia vnumquodque indiuiduũ suam differentiam numericam includit, per quã in esse talis indiuidui substantialis constituitur; sed huiusmodi differentia est ratio, qua indiuidua inter se vltimò opponuntur; ergo iam omnia diuersificarentur specie. Verum ad hoc argumentum Respondere possent aduersarij ex his, quæ habet Ouiedus *loco citato nu. 2.* in hac controuersia non agi de dissimilitudine ex indiuiduali differentia proueniente, cum constet hanc non diuersificare specie extrema, inter quæ reperitur. sed de quacumque alia, quæ minimè ex indiuiduatione procedat. huic tamen responsioni posset fortasse Comptonus occurrere negando assumptum, atq; dicendo; vt præsens quæstio locum habeat, non esse supponendam indiuiduale differentiã constitutam; quandoquidem eius cõstitutio ex illa dependet. nam, qui sustinent minimam dissimilitudinem non sufficere ad specificam differentiam inducendam: dicere consequẽter tenentur, eam ad indiuiduationem saltem reductiuè spectare. contra verò, qui sufficere contendunt, ad speciem; quare dicendum necessariò est in præsentia agi de dissimilitudine animarum vt sic; & videndum, quæ nam dissimilitudo faciat animas differre inter se specie; quæ verò numero; non verò de dissimilitudine, quæ sit extra numericam.

Melius igitur ratio Comptoni impugnaretur 4
ex eo, quia dissimilitudinem cum distinctione confundit, & pro eodem sumit vtramque, cum tamen ea inter se differant. Ad hoc enim vt habeamus duo inter se indiuidualiter distincta, sufficit, quod de illis verificari possit vnum realiter

Digitized by Google

ter loquendo non esse alterum : at verò vt habeamus, duo dissimilia, præter talem distinctionem, est præterea necesse, vt verificetur, quod vnum non sit sicuti alterum. Atque hęc videtur esse sententia Arriagæ *sect. 8. citato subsect. 3.* vbi absolutè probat duo indiuidua eiusdem speciei posse esse omnino similia. quomodo autem id verum sit, etiam si nulla indiuidualis differentię exceptio fiat, ex responsione ad argumentum Comptoni planum fiet. ad quod neganda est sequela, & ad eius probationem, concessa maiore, distinguenda est minor: differentia numerica est ratio, qua indiuidua inuicem opponuntur, oppositione sufficienti ad dissimilitudinem inducendam, nego. ad inducendam distinctionem, concedo; & ad consequentiam dicendum, quod quamuis indiuiduatio sit ratio, per quam indiuidua vltimò opponantur: quia tamen eodem prorsus modo potest se habere in illis, quo ad hoc: id circo, quantum est de se, ea potius similia, quã dissimilia reddat; Quod vt exemplo planum fiat, sumo E. G. duas indiuiduationes duarũ quantitatum palmarium A, & B. & sic discurro: quamuis indiuiduatio quantitatis A. distinguat illam numericè à quantitate B. & indiuiduatio quantitatis B. eam à quantitate A, quia tamen nihil præstat vna indiuiduatio suæ quantitati, quod similiter non præstet altera suæ; sed in omnibus simili prorsus modo se habent: hinc fit vt earum beneficio vna quantitas censeri debeat similis alteri potius, quam dissimilis.

5 *Duo pro Comptono contra hoc adduci posse videntur:* Vnum est, nos sustinere animas eiusdẽ speciei esse necessariò inter se dissimiles, sed dissimilitudo hæc non potest procedere à prædicatis genericis, vel specificis illarum, quia in his perfectè conueniunt, ergo ab indiuidualibus. Alterum verò potest esse huiusmodi. Hoc ipso, quod vnum indiuiduum non est aliud, iam habet negationem illius; ergo iam est illi dissimile, quia maior dissimilitudo non datur ea, quæ ex forma, & carentia formæ procedit.

6 Sed facilè ad vtrumque respondetur; & ad primum quidem, dicendo aliud esse loqui de indiuiduationibus, vt sic, & secundum se consideratis; aliud verò de his, vel illis in particulari, quamuis autem verum sit quædam indiuidua aliquarum specierum beneficio suarum indiuiduationum dissimilia esse: cum hoc tamen stat de ratione *indiuiduationis vt sic non esse, dissimilitudinem inducere.*

7 *Ad secundum verò Concesso antecedente*, nego consequentiam; & *ad eius probationem* dico, quod licèt quando vnum subiectum habet formam, & aliud carentiam formæ valdè inter se sint dissimilia: si tamen illud, in quo est carentia dictę formæ habeat formam similem, & in altero dictæ formæ carentia correspondeat; iam incipiunt esse similia, quatenus carentiæ formarum in illis per similes formas compensantur, porrò hoc euenire in casu nostro suaderur, quia hoc ipso, quod duo sint numericè distincta: ita vnum non est alterum: vt alterum non sit vnum; & sic negationi, quam habet vnum entitatis alterius, correspondet in altero negatio entitatis illius. vtrinque ergo habetur compensatio sufficiens ad dissimilitudinem excludendam, & ponendam tantummodo distinctionem.

8 Hac igitur Comptoni ratione posthabita breuiter probo falsum esse quamlibet dissimilitudinem quantumuis minimam inter indiuidua specificam distinctionem inducere. Primò ex

9 gradibus intensionis eiusdem qualitatis, qui dissimilitudinem habet inter se quatenus duo primi gradus caloris sunt magis similes, quam primus, & secundus, & tamen hi non differunt essentialiter; vti probauimus suo loco. Quod autem ad hoc respondet Quiros *loco cit. num.* 10. dicendo huiusmodi gradus verè esse diuersę speciei incompletæ: sed quia ad vnam qualitatem componendam ordinantur; ideò non dici differre specie, non satisfacit; tum quia gratis dicitur, tum etiã quia sequeretur materiam, & formam esse eiusdem speciei à fortiori, quia ordinantur ad vnũ per se constituendum, quod esset magis vnum, quam calor intensus.

9 Secundò ex visionibus beatis, quæ licèt sint eiusdem speciei infimæ, quatenus omnes ab essentia diuina specificantur: sunt tamen inter se dissimiles quatenus diuersas representant creaturas atque hęc est sententia communissima inter Theologos, quam docet D. T. *in prima qu. 14. art. 5.* vbi dicit, intellectum non specificari per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur: Fertiò denique, quia in omnibus ferè indiuiduis, præsertim substantialibus, sub eadem specie contentis dissimilitudinem aliquam aduertimus, vt inductione facilè constare potest. ergo non est de ratione cuiuscumque dissimilitudinis, quantumuis minimæ diuersificare specie indiuidua, inter quæ reperitur. hanc probationem in præsentia innuisse sat erit. paulo post enim eam vberius cõfirmabo. Interim arguo contra eos, qui præcedentem opinionem limitantes dicebant: tunc dissimilitudinem inter duo extrema indiuidua specificam distinctionem inducere; quando reperiri potest aliquod tertium indiuiduum, cui vnum extremorum sit minus dissimile, quam alteri extremo. quamuis enim hæc sententia sic coarctata non sit expresè nostrę conclusioni cõtraria: est tamen tacitè; quatenus nos non putamus impossibile sub eadem specie animæ dari aliqua indiuidua, quæ maiorem dissimilitudinẽ habeant inter se comparata: quam cum alijs eiusdem speciei. ex eo igitur hanc aduersariorũ regulam impugno: quia inde sequeretur, quod duæ cognitiones ab eodem indiuiduo factæ, quarum vna esset de Petro altera de Paulo differrent inter se specie; sed hoc videtur absurdum. ergo &c. minor patet; omnes enim Philosophi conuenire videntur in hoc, quod existiment duas visiones, quarum vna intuetur hanc numero albedinem, altera illam, non differre inter se specie, sed solo numero vt affirmat Arriaga *loco citato num.* 227. probatur ergo sequela: minus differunt inter se duæ cognitiones, quæ habent pro obiecto eumdem Petrum; quam illæ, quarum vna habet pro obiecto Petrum, altera Paulum. ergo si tunc dissimilitudo inter duo indiuidua specificam distinctionem induceret, quando assignari potest aliquod indiuiduum, cui vnum extremum sit minus

Digitized by Google

nus dissimile, quam alteri: iam cognitio de Petro differret specie à cognitione de Paulo: quia iam dari posset tertia cognitio, cui, vtpotè habenti pro obiecto eundem Petrum, esset vnū extremorum minus dissimile, quam alteri extremo.

9 Aliter probatur ab alijs falsitas huius opinionis ad homines contra eos, qui agnoscunt inter materiam, & formam vnionem modaliter distinctam sic: Vnio A, quæ nunc intercipitur inter animam, & corpus Petri magis differt ab vnione B, quæ est inter animam, & corpus Pauli; quam ab vnione C, quæ inter eandem animam, & corpus Petri haberi potest. ergo si regula aduersariorum est vera, iam Petrus, & Paulus differunt specie, quod constat non esse minus absurdum, quam id, quod nos inferebamus de cognitionibus: antecedens patet nam vniones A, & C respiciunt eadem numero extrema vnienda. vnio verò B extrema numero distincta: consequentia verò probatur, quia vniones Petri, & Pauli iam specie distinguerentur cum vnioni Petri esset similior alia vnio eiusdem Petri. ergo etiam Petrus, & Paulus distinguerentur specie, quia implicat dari duo tota, quorum vnum contineat aliquid specie diuersum ab eo, quod continet alterum: quin differant inter se specie.

10 Responderi posset ab aduersarijs ad hoc argumentum concesso antecedente negando consequentiam; & ad eius probationem dici: quod licèt vniones Petri, & Pauli differant specie, non tamen Petrus, & Paulus inter se: vltimam verò confirmationem discursus in hunc ferè modum distinguerent: implicat duo tota continere aliqua specie diuersa: quin diuersificentur specie; & si quidem ea, quæ sunt specie diuersa se habeant vt partes vtriusque totius, concederent: sin autem vt vniones, negarent. ratio disparitatis esse potest, quia nos in assignandis corporum substantialium speciebus, ad eorum materiam, & formam tantum attendimus; & ea putamus eiusdem speciei, quæ in materia, & forma conueniunt: illa verò diuersæ, quæ vel in vtraque, vel in alterutra differunt. nihil omnino de vnione curantes; & rectè id quidem; tum quia eius existentia est valdè dubia; & imperceptibilis: tum etiam quia est minimę entitatis, & facit vnum realiter cum extremis, inter quæ existit, vade nil mirum si nullius considerabilitatis sit in ordine ad rerum naturalium species diuersificandas.

11 Sed contra hanc responsionem facit, quia si vniones Petri, & Pauli differrent specie: sequeretur, quod non possent ipsorum animæ specie conuenire. sed animæ se habent vt partes Petri, & Pauli. ergo iam Petrus, & Paulus differrent inter se specie, quod erat probandum. nulla ergo est allata distinctio: omnia patent, præter sequelam maioris; quæ sic euincitur. quoties duæ res dicunt ordinem transcendentalem ad terminos essentialiter diuersos, toties differunt inter se essentialiter, sed si vniones Petri, & Pauli differrent specie, eorum animæ dicerent ordinem transcendentalem ad terminos essentialiter diuersos. ergo iam differrent inter se essentialiter, maior videtur certa; agimus enim de terminis essentialiter diuersis, respectis qua talibus; quia omnis respectus à suo formali termino specificatur. minor verò suadetur, & quidem, quod anima Petri dicat ordinem transcendentalem ad vnionem, videtur certum; quia est essentialiter semiens de suo primario conceptu ordinata ad faciendum vnum per se cum materia. quod verò vniones animarum Petri, & Pauli differant inter se essentialiter est Aduersariorum doctrina; quod denique dictæ vniones respiciantur ab illis, qua tales sunt, est luce clarius. quia anima Petri non est indifferens ad faciendum vnum per se cum corpore Petri per vnionem Pauli; vel cuiuscunque alterius, sed est ex suis intrinsecis determinata ad solas vniones Petrinas, quæ per aduersarios differunt specie à quacumque alia. Comptonus *hic sect. 1. num. 5.* existimat hoc argumentum non habere vim contra sententiam, quam impugnamus, quæ dicit solam eam dissimilitudinem, specificam distinctionem inducere inter extrema, qua minor inueniri potest alia. quamuis autem animæ Petri, & Pauli ratione ordinum transcendentalium, quos ad suas vniones dicunt, aliquam habeant dissimilitudinem: quia tamen nulla alia anima haberi potest, quæ minus differat ab vtraque, quam illæ inter se: hinc fieri, vt illa dissimilitudo non sit sufficiens, ad eas essentialiter diuersificandas.

12 Verum hæc responsio supponit ab aduersarijs nullum aliud signum specificæ distinctionis admitti inter duo; nisi quando datur aliquod tertium minus dissimile alteri eorum, quam illa inter se sint. Hoc autem non esse probabile ex duplici absurda sequela suadetur, quarum prior est, quia inde sequeretur, quod magis diuersificarentur ordines transcendentales per terminos numero distinctos, quam per terminos specie distinctos. siquidem anima Petri, & anima Pauli solum numericè distinguerentur per aduersarios; & tamen faciunt differre specie proprias vniones, quæ ordinantur ad illas; at verò vniones dictarum animarum specie differentes: non inducerent diuersitatem specificam inter animas ipsas, quæ transcendentalem ordinem dicerent ad illas. posterior verò sequela absurda est, quia si ex hominibus non esset possibilis nisi Petrus, & ex equis solus Bucephalus; inde sequeretur, quod hæc duo non distinguerentur specie; non enim dari posset alius homo, cui magis Petrus assimiliari posset, quam Bucephalo, nec alius equus cui magis Bucephalus, quam Petro: hoc autem est absurdum, ergo &c.

13 Ad hanc posteriorem sequelam ait Comptonus *num. 6.* aliquos fortè respondere posse primò illam concedendo, eo quod nullam contineat absurditatem. nam si ex vna quaque specie animalis (inquiunt) vnum tantum indiuiduum possibile esset: animal non esset genus respectu illorum, quia non esset prædicabile de pluribus differentibus specie. Respondent tamen alij secundò dictam sequelam negando, eo quod dari potest aliquid aliud animal similius Petro: quàm sit Bucephalus; & quia nullum brutum dari potest, inter quod, & Petrum non sit producibile similius: ideo nunquam Petrus poterit specie con-

Digitized by Google

conuenire cum bruto aliquo. quod si argumentū transferatur ad Gabrielem, & Deum contendēdo ex aduersariorum doctrina sequi Gabrielem fore eiusdem speciei cum Deo: similiter respondent implicare creaturam tam similem Deo: vt alia similior producibilia non sit.

14 Verum neutra responsio subsistit. non prior, nam ex hypotesi impossibili, quod omnes homines, & omnes equi implicent præter Petrum, & Bucephalum, iam utriusque essentia physica remanet sicuti erat prius. ergo & metaphysica, quæ fundatur in physica non diuersificaretur. si igitur prius utriusque essentia distinguebatur specie; impossibile est, quod postea incipiant esse eiusdem speciei, hoc enim sine ulla mutatione essentiæ metaphysicæ illorum intelligi nequit. ad rationem autem in contrarium, quod nimirum, si ex una quaque specie animalis unū tantùm individuum esset possibile: animal in communi non esset amplius genus; eo quod non posset prædicari de pluribus differentibus specie: nec non etiam ad eius confirmationem dicendum, quod licèt animal in eo casu non posset prædicari de pluribus differentibus specie prædicabili, posset tamen de pluribus differentibus specie subiicibili: trita enim est distinctio speciei, quam tradunt Logici in subiicibilem, & prædicabilem, quorum multi sustinent posse unam rationem ab alia separari, atque adeò non implicare naturam specificam immultiplicabilem in plura individua, ut docent communiter Thomistæ.

15 *Neque posterior responsio solidior est. dum enim dicunt* aduersarij Petrum non posse conuenire specie cum ullo bruto, eo quod assignato quocumque bruto semper est reperire aliud minus dissimile Petro: quam sit illud quod assignatur, & ob hanc etiam rationem neque Deum posse conuenire essentialiter cum Gabriele, aut quauis alia determinata creatura; quia semper est assignabilis creatura perfectior quacumque assignata: non aduertunt aliud esse loqui de facto sicuti res absolutè se habent; aliud verò ex hypotesi, & facta aliqua suppositione impossibili. quamuis autem id, quod esserunt verum sit absolutè loquendo: at falsum facta hypotesi, quod omnes penitus creaturæ implicarent præter Petrum, & Bucephalum; vel quod omnia entia contradictionem inuoluant præter Deum, & Gabrielem; tunc enim stando in suis principijs, quod ea dissimilitudo inter duo, qua reperiri nō potest minor, non inducit diuersitatem specificam, sed numericam, tenentur asserere Petrum à Bucephalo, & Deum à Gabriele numericè tantùm, & non essentialiter differre, quod autem hanc hypotesim admittere debeant Aduersarij: patet ex eo, quia illam aliam de implicantia omnium individuorum naturæ humanæ, & equinæ excepto Petro, & Bucephalo admiserunt; dum ad bruta magis similia homini confugerunt.

16 Reiiciendo impugnanda secunda opinio, quæ intendebat intra eandem speciem Atomam animarum dari nonnullas inter se similes, non nullas verò dissimiles: quoniam verò quantum attinet ad dissimilitudinem seruit nobiscum, quantum verò ad similitudinem est contra nos, qui sustinemus omnes animas intra eandem speciem contentas debere necessariò esse aliqua ratione dissimiles: sat erit ostendere nullas dari animas omnino similes inter se intra eandem speciem.

Probatur autem hoc dupliciter. Primò à priori sic: Quælibet anima in particulari dicit necessario ordinem intrinsecum ad suas peculiares operationes vitales, quas exercere potest; ergo quælibet est necessariò reliquis omnibus dissimilis; consequentia patet paritate, quia duæ visiones, quarum vna est de Petro, alia de Paulo, præcisè per hoc dissimiles inter se sunt, quia vna dicit ordinem intrinsecum ad vnum numero subiectum: altera ad alterum. item duæ vniones, quarum vna est Petri, altera Pauli, non nisi per hoc sunt inter se dissimiles, eo quod vna ordinatur ad vniendam animam, & corpus Petri: altera ad vniendam animam, & corpus Pauli: atque hæc est doctrina communiter ab aduersarijs recepta. ergo hoc ipso, quod ex animabus sub eadem specie comprehensis, quælibet in particulari dicit specialem ordinem ad suas peculiares actiones vitales, quas exercere potest; quælibet erit necessariò dissimilis reliquis.

Antecedens verò probatum est à nobis in libris de Generatione, in quibus ostendimus quālibet causam esse ex se determinatā ad producēdū hic, & nunc hunc potius effectum, quam alium, atque adeò dicere intrinsecum ordinem ad peculiarem seriem suorum effectuum, & vlteriùs idē antecedens confirmatur ex eo, quia non videtur credibile, quod omnes homines qui hunc numero parietem claritate V. G. vt quatuor videre possunt, sint indifferentes ad illum videndum per quamlibet visionem possibilem, quæ suam specificationem à dicto pariete desumit, & est clara vt quatuor. quamuis enim possit quoquo modo sustineri, quod quilibet suas peculiares visiones de tali pariete indeterminatè respiciat, quodque ad hanc numero potius: quam aliam producendam expectet determinari à Deo: asserere tamen quod omnes visiones humanæ possibiles indiscriminatim à quolibet homine in particulari respiciantur: ita vt in illis non sit, neque meum, neque tuum, sed quælibet æquè pertineat ad quemlibet: videtur inordinatio quædam nullo modo ferenda; cum præsertim nulla sit ratio, neque congruentia illam inducendi in naturam. quamuis enim nonnulli ita discurrant circa effectus non vitales, dicantque calorem A.V.G. æquè ab omnibus ignibus tum existentibus, tum non existentibus fieri posse: rem tamen attentius consideranti statim sese offert disparitas pro casu nostro, quæ prouenit ex nobiliori, & perfectiore connexione, quam habet anima cum suis operationibus vitalibus, ea quam habet ignis cum calore. cum enim hæc inter terminos non vitales versetur: non est mirum, si eam natura minimè perficere elaboratè curauerit; at illa, de qua loquimur inter vitam substantialem, & accidentalem intercipitur: vnde valdè consentaneum fuit, vt quemadmodū terminos habebat nobiliores, & perfectiores; ita ipsa quoque nobilior esset, atque perfectior, per hoc quod maiorem ordinem, ac dispositiōnē seruaret; cuilibet vitæ substantiali in particulari

17

ri

ri suas peculiares operationes vitales assignando, ac tribuendo.

18 Ex his autem confirmatur nostra sententia contra Quiros *qui disput. 78. sect. 1.* negat animas eiusdem speciei atomæ posse esse dissimiles, & concedit in entibus respectiuis eiusdem speciei posse dissimilitudinem reperiri; & quod maius est, ideo negat dissimilitudinem in animabus, quia sic diuersificarentur specie, quod contendit non contingere entibus respectiuis.

19 Probatur deinde secundò eadem assertio à posteriori sic: Nunquam fuerunt in mundo duo viuentia sub eadem specie contenta in omnibus operationibus, ac accidentibus proprijs omnino similia; ita vt Dæmon aliquando dixisse feratur: omnes homines, quos ipse vsque ad illud tempus nouerat, semper in aliquibus se animaduertisse dissimiles. atqui nequit maior ratio de his ac alijs possibilibus assignari. ergo dicendum est non posse dari duas animas intra eandem speciem omnino similes, sed omnes esse dissimiles. minor, in qua est difficultas, suadetur ex eo, quia nos experimur animalia quædam non solum in eodem loco, & ex ijsdem parentibus; sed etiam ex eodem vtero simul procedere, ita vt non sit excogitabilis maior coniunctio naturalis ea, quam habent defacto: & tamen dissimilitudinem aliquam inter illa animaduertimus; eandem igitur dissimilitudinem haberent omnia possibilia, si existerent.

20 Ad hoc respondet Oniedus *loco citato* §. 4. *nu.* 33. diuersitatem operationum in distinctis numero viuentibus, in diuersitatem accidentium posse reduci, & horum diuersitatem ab extrinsecis causis prouenire. sicut enim idem homo (inquit) aliquando imperfectè aliquando perfectè operatur, propter diuersa accidentia: sic distincti homines similes, propter diuersas causas extrinsecas possunt dissimiles operationes exercere. in idem recidit Comptoni responsio dum *Disput. citata sect. 3. num. 3.* ait: varietatem dispositionum, & accidentium habere se per accidens in viuentibus, nec magis petere hanc animam has dispositiones, quam alias. siquidem videmus aliquos nasci giboſos, alios cæcos &c. quis autem dicat has dispositiones ab animabus peti?

21 Sed contra hanc responsionem facit, quia licèt diuersitas dispositionum, quam in distinctis hominibus experimur, in causas extrinsecas remotè refundi possit, quatenus parentes per virtutē seminalem, tamquam per instrumentum suum illam causant: at quod proximè non exigatur ab animabus ipsis non est probabile. si enim per accidens omnino in ordine ad illas se haberet: sequeretur, quod quælibet anima esset indifferens ad hoc potius temperamentum habendum, quam aliud: sed hoc sustineri non posse sic suaderem: Diuersum est temperamentum hominum natura frigidorum, à temperamento eorum, qui natura calidi sunt. Atqui experientia constat, quod si frigidi plus equo incalescant, vel in calidis frigus abundet, ita vt illorum temperamenta mutentur ad inuicem: præter quam quod vtriq; malè se habeant, ac ægrotent: si in illis vis sanatiua morbo præualet; anima, quæ frigido temperamento gaudet, paulatim incipit expellere à suo subiecto calorem superfluum, producendo in eo frigiditatem sibi debitam. Contra verò, quæ calorem prædominari in suo temperamento amat, incipit expellere à subiecto suo superfluum frigus, producendo in se illum caloris excessum, quem alia tamquam noxium respuebat: porrò hoc esset impossibile; si vtraque ad vtrumque temperamentum indifferentiam haberet. Ob nihil enim aliud dicimus nos, dissimiles esse formas, quæ aquam, & ignem constituunt: quam quod videmus eas ita sibi oppositas dispositiones vendicare; vt si gradum aliquem ex eis amittant, non solùm malè se habeant; sed etiam vt primùm possunt, contrarium expellendo, illum recuperare nitantur. non est igitur cur non eodem modo discurramus loquendo de temperamentis viuentium eiusdem speciei; cum videamus ea non aliter in eorum amissione, & recuperatione se habere; quam prædicta corpora naturalia.

Ad paritatem, quam adducit Oniedus de vno eodemque homine, qui aliquando perfectè, aliquando imperfectè operatur, licèt non sit dissimilis à se ipso dicendum: nos concedere aliquam diuersitatem dispositionum ab extrinsecis causis posse viuentibus prouenire, ratione cuius modo perfectius; modo imperfectius operentur: sed solum negare omnem huiusmodi diuersitatem in dictas causas refundendam esse. dicimus enim, quod illa diuersitas, quæ se habet per modum habitus in quolibet viuente, & eum qua ipsum benè se habet, & quam deperditam reparare conatur, procedit ab eius anima; & hanc sufficere ad colligendum quamlibet animam intra eandem speciem cuilibet esse dissimilem. Atque ex his patet etiam. ad confirmationem à Comptono adductam de corporibus à natiuitate claudis, cæcis, giboſis, &c dicimus enim eorum animas huiusmodi defectus minimè requirere, sed eos refundendos esse in vitium virtutis formatiuæ seminis, quæ non potuit perfectè totam materiam corporis elaborare. quemadmodum enim nullum semen habet tantum virium, vt possit corpus ita disponere, vt anima ad primum sui aduentum possit in eo perfectas operationes vitales, ad quas inclinat, elicere: ita multa sunt adeò imbecilla, vt vel nullas in eo partes, vel valdè ruditer distinguere, atque formare valeant.

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur, & diluuntur obiecta in contrarium.

Contra conclusionem in præcedenti sectione probatam. Obijcies primò; ex dictis, per nos dari possunt individua sub eadem specie atoma omnino similia. ergo non est cur etiam sub eadem specie atoma animæ omnino similes dari nequeant. non potest enim assignari ratio cur non possint duæ animæ rationales, vel duæ rugibiles inter se comparatæ nullam habere dissimilitudinem? Respondeo negando consequentiam. ratio disparitatis; est quia vti supra probauimus: stat omnimoda similitudo cum distinctione numerica. Vnde in illis individuis in quibus

Digitized by Google

bus non potest assignari aliquid, quod respiciatur ab vno, & non respiciatur à reliquis, non habetur dissimilitudo. vt contingit in modis eiusdem numero subiecti, qui non sunt operatiui, neque fiunt per actionem distinctam, neque inproduci vnus exigit præcedere, vel subsequi aliũ sed expectant determinari à voluntate producẽtis; vt essent duo motus Angelici per idem omnino spatium ad eundem prorsus terminum tendẽtes. quoniã verò non est assignabilis anima, quæ non sit operatiua, atq; adeo quæ non dicat ordinẽ ad suas peculiares actiones vitales, quas exercere valeat, hinc fit, vt nulla sit alteri omnino similis, licèt sub eadem specie comprehendatur.

Obijcies secundò: non valet argumentari ab
25 eo, quod est defacto, ad id, quod de possibili fieri potest. ergo licèt omnes animæ eiusdem speciei aliquam dissimilitudinem inter se habeant: non sequitur non posse dari saltem per absolutam Dei potentiam aliquas omnino similes. Respondeo distinguẽdo antecedens, & si quidem ei, quod est defacto, non admisceatur ratio à priori, ad id
26 quod est de possibili se extendens, concedo. posito quod admisceatur, nego antecedens, & consequentiam; & dico quod quemadmodum ex eo, quod videamus potentias sensitiuas, quæ dantur defacto non posse percipere obiecta spiritualia: rectè deducimus neque posse per absolutam Dei potentiam creari aliquam aliam, quæ dicta obiecta percipere valeat, eo quod militet in omnibus eadem *impotentiæ ratio*: ita quia dissimilitudinis *ratio ex vita substantiali* desumpta æquè *militat* pro *animabus*, quæ defacto dantur, ac pro *reliquis possibilibus*: ideo de omnibus sine vlla differentia pronunciandum est, eas non posse esse inter se penitus similes.

26 Obijcies tertiò diuersitas specifica non nisi in dissimilitudine fãdatur. ergo implicat animas eiusdem speciei posse esse inter se dissimiles. antecedens patet, quia non potest assignari respectu nostri aliud fundamentum distinguendi speciem equum V.G. à leone, præter dissimilitudinem, quam inter vtrumque videmus. Consequentia euincitur; quia esse animas eiusdem speciei importat esse inter se similes: esse verò dissimiles specificam differentiam euincit; ergo implicat dari animas eiusdem speciei inter se dissimiles.

Respondeo distinguendo antecedens: diuersitas specifica fũdatur in dissimilitudine notabili, concedo. *in dissimilitudine quacumque, quantũuis minima*, nego antecedens; & consequentiam. *& ad probationes incontrarium dico vnicũ* quidem *fundamentum distinguendi species rerum*, esse *dissimilitudinem, quam videmus in illis*: non tamẽ *quæcumq; dissimilitudo* est ad hoc sufficiens, sed sola notabilis; quare non est cur plures animæ nequeant esse eiusdẽ speciei, & nihilominus esse inter se dissimiles; eo quod per huiusmodi dissimilitudinem non differunt inter se notabiliter.

Instabis: non potest assignari quænam sit notabilis hæc dissimilitudo sufficiens ad distinguen-
27 dum specie animas, inter quas reperitur. ergo &c. Respondet Arriaga *disput. cit. num.* 242. eam ex communi hominũ acceptione pendere; pro quo aduertit: aliud esse differentiam indiuiduorum in se non pendere ex acceptione hominum: aliud quod hæc vel illa differentia dicatur specifica, aut solum numerica; primum fatetur non pendere ex arbitrio hominum; si quidem res omnes ex se ipsis habent differre inter se, vel conuenire: at secũdum, ait, pendere ex acceptione vocis huius (differentia specifica) eo quod homines pro suo libitu vsi sunt hac voce ad hoc potius, quam quodvis aliud significandum.

Verum hæc responsio non satisfacit, eo quod 28
quæstionem de re cum quæstione de nomine confundit. aliud enim est quærere, quæ nam sit differentia notabilis, & aliud, cur faciat vt ea, inter quæ reperitur, dicantur differre specie: primũ dubium est de re, siquidem in eo quæritur ratio, & amplitudo dissimilitudinis notabilis, quæ impossibile est, vt in hominum arbitrium refundatur. quod enim aliqua sint inter se parum, alia vero multum dissimilia, constat se tenere ex parte ipsorum extremorum, quæ inuicem comparantur, nullo intellectu de illis cogitante. secundum verò dubium est de nomine. nam quod ea, inter quæ dicta dissimilitudo notabilis reperitur, dicantur differre specie potius, quam genere, vel numero ex hominum institutione dependet. dum igitur hic auctor priori dubio per solutionem posteriori adhibendam respondet: confusione terminorum auget potius difficultatem; quam soluat. Qua in re, eo minus mihi excusabilis videtur, quo facilius, ex his, quæ eodem loco habet æquiuocationem suam deprehendere potuisset. inducit enim quendam rogantem quanta dissimilitudo ad specificam differentiam necessaria sit? cui post quam respondit necessariam esse notabilem; iterum eundem introducit quærentem; quæ nam sit notabilis differentia, quæ non? & responsum illi dat: hoc ex communi acceptione pendere, eo quod pendeat ex acceptione huius vocis (differentia specifica) en quo modo in paucissimis verbis à quæstione de re ad quæstionem de nomine in responsione transitum facit, & vnam cum alia quæstione confundit. Hac igitur responsione posthabita.

Respondeo ego notabilem differentiam experientia sensuum sufficientissimè iudicari posse. quod enim notabiliter differant inter se homo, equus, Leo, Canis, & similia ex diuersa organizatione corporum, & diuersis operationibus, quas exercent nemo est tam rudis, qui deprehendere non valeat. item, quod homines inter se comparati, & equi inter se, & Leones inter se nõ differant notabiliter, sensus ipsi iudices esse possunt, qui experiuntur in illis similia organa, & operationes; & quamuis in singulis differentiam aliquam inspiciant, eam non esse notabilem animaduertunt; eo quod minima sit, & parum curanda. Confirmatur hæc responsio ex eodem Arriaga, qui *eadem Disputat. sect. 8. nu.* 264. Hæc verba formalia ex propria sententia habet: videmus ipsis oculis colorem rubeum, & viridem esse notabiliter diuersos. Ecce quomodo notabilis differentia non sumitur à libito hominum; sed se tenet ex parte ipsarum rerum, quæ comparantur. Illud potius difficultatem facere potuisset: cum notabilis differentia, tum ad species, tum ad genera distinguenda necessaria sit: cur hæc differentia notabis sufficiat pro generibus,

Digitized by Google

& non pro speciebus constituendis; illa verò è contra pro speciebus satis sit, non verò pro generibus: ad quod breuiter dicerem differentiam notabilem non consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem quandam. constat enim tum hominem, & equum notabiliter inter se differre: tum plantam, & animal inter se; sed multò magis notabiliter differt animal à planta: quam equus ab homine; ex quo breuis regula deduci potest: nimirum, quod ad constituendam differentiam generica inter duo valdè notabilis differentia necessaria est; ad constituendam verò specificam sufficiat minor, dummodo sit notabilis.

21

Obijcies quarto quælibet res indiuidua habet à natura suas peculiares species intentionales, & suas peculiares actiones prædicamentales, in quibus cum nulla alia communicare potest, & tamen ex hoc non sequitur omnia indiuidua inter se dissimilia esse; ergo neque ex eo, quod quælibet anima eiusdem speciei dicat ordinem intrinsecũ ad suas vitales operationes sequitur quod sit dissimilis alteri.

30

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas est, quia peculiaritas specierum, & actionum est prædicatum trascendens per omnia prorsus indiuidua excurrẽs, & ideo non est sufficiens ad dissimilitudinem constituendam, sicuti neque, quod vna res non sit alia: non ita se habet peculiaritas operationum vitalium, vt patet.

SECTIO TERTIA.

Vtrum animæ eiusdem speciei atomæ sint necessariò in perfectione inter se æquales.

31 Conclusio est negatiua. puto enim intra eandem speciem infimam dari posse aliquas animas, quæ inter se comparatæ sint æquè perfectæ; comparatæ verò cum alijs, vel aliqualiter excedant illas in perfectione, vel excedantur ab illis. est Arriagæ *Disput. citata sect. 7. subsect. 1. & 2.* Ouiedi *puncto* 8. §. 4. contra Quiros *Disput. 78. sect. 1. nu. 5.*

32 Probatur primò: experientia constat plura dari indiuidua eiusdem speciei, quæ sint multo perfectiora alijs, ideoque nobiliores dispositiones exigunt, & operationes meliores exercent. cuiusmodi æquũ est credere fuisse animam Christi Domini, & animam Beatissimæ Matris eius, comparatas cum reliquis animabus in quauis differentia temporis existentibus. item constat sæpè duo animalia sub eadem specie contenta æstimari communiter æquè perfecta, eo quod nihil perfectionis reluceret videtur in vno magis, quam in alio, vt patet ex duobus equis, gallinis, canibus &c. ergo animæ eiusdem speciei atomæ ita se habent, vt quædam ex eis inter se comparatæ sint æquè perfectæ: quædam verò, vel magis, vel minus perfectæ.

33 Probatur secundò paritate ex indiuiduis aliarum rerum desumpta: cognitiones enim humanæ, quæ sunt de leonibus V. G. censentur esse eiusdem speciei atomæ. sed ex his quædam sunt in perfectione æquales. illæ nimirum, quæ habent pro obiecto, vel eundẽ numero leonem, vel vnum tantum; quædam verò inæquales, videlicet illæ, quarum vna attingit vnum leonem, alia verò duos, alia tres &c. Constat enim, quod cæteris paribus illa cognitio, quæ plura attingit obiecta, est aliqualiter perfectior ea, quæ attingit pauciora. quemadmodum igitur cognitiones intra eandem speciem atomam non sunt necessariò in perfectione omnes æquales, sed quædam æquales sunt, quædam inæquales: ita & animæ sub eadem specie infima constitutæ possunt se habere ita: vt quædam comparatæ cum aliquibus sint æquè perfectæ: cum alijs verò, vel magis, vel minus perfectæ.

Ad hoc respondere posset aliquis primo asserendo instantiam, sic: non valet per nos hoc argumentum: dari possunt indiuidua alicuius speciei omnino similia; ergo, & indiuidua specierum animæ, neque igitur valebit hoc aliud: dari possunt indiuidua cognitionis humanę de Leonibus, quorum aliqua sint æqualia in perfectione: alia verò inæqualia. ergo dari etiam possunt indiuidua eiusdem speciei animæ eodem modo. 34

Sed contra est. siquidem ex vero antecedente falsa colligitur consequentia disparitas est, quia ad similitudinem requiritur, quod vnum sit sicuti est aliud. porrò hoc licet reperiri possit in aliquibus indiuiduis alicuius speciei, vti vidimus; at nõ in indiuiduis specierum animæ; propter rationem supra assignatam; & ideo omnes animæ cuiuscumque speciei infimæ aliquam dissimilitudinẽ inter se semper habeant necesse est. æqualitas verò perfectionis consistit in eo, quod vnum sit tam perfectum, & bonum quam aliud, quoniam verò nulla assignari potest peculiaris ratio cur animæ indiuiduæ, ex eo quod animæ sint, hoc vel necessario exigant, vel necessario respuant: hinc fit vt sicuti indiuidua cæterarum rerum possunt vtroque modo se habere; sic & indiuidua eiusdem speciei animæ. 35

Ab alijs Responderi potest secundò non posse dari æqualitatem perfectionis sinè similitudine. cum igitur per nos animæ eiusdem speciei necessariò debeant esse dissimiles; procul dubio repugnabit, quod possint esse æquales. sed contra hanc responsionẽ facit falsitas assumpti; quod enim non repugnet duo esse inter se dissimilia; & tamen æquè perfecta; patet primò ex duobus ignibus palmaribus, qui licèt sint æqualis perfectionis: sunt tamen inter se dissimiles quatenus vnus respicit suam peculiarem seriem effectum, & alter suam. Patet secundò in sententia admittentium vnionem distinctam. nam vnio, quæ est inter materiam, & formam vnius equi, est æqualis perfectionis ac alia, quæ est inter materiam & formam alterius equi: & nihilhominus sunt dissimiles inter se? quamuis igitur omnes animæ sub eadem specie ima constitutæ, dissimiles necessariò inter se existant: non sequitur non posse esse in perfectione æquales: ex quo sequitur, quod licèt omnis inæqualitas perfectionis dissimilitudinẽ imbibat, quia hoc ipso, quod aliquid est inæquale alteri, est illi dissimile: non tamen omnis æqualitas importat similitudinem, vti paulo ante notaui. 36

Respondent alij tertiò falsum assumi in nostra probatione; cognitionem scilicet de duplici 37

leone

leone esse magis perfectam cognitione de vno. quandoquidem non est intensiuè perfectior illa, sed solum extensiuè, quod logicè accidentalem tantummodo prædicationem importat: Sed contra est, quia omnia prædicata, quæ indiuisibiliter identificantur rei, de qua agitur, si de se sunt perfectiua, eius perfectionem intensiuam augent. si quidem physicè loquendo omnia ad eius intrinsecam, & entitatiuam constitutionem pertinent, vt patet *in casu nostro*. non enim potest assignari *cur* cognitio per hoc, quod sit representatiua vnius bouis V.G. aliquam perfectionem intensiuam acquirat supra cognitionem representatiuã vnius lapidis; non verò per hoc, quod sit representatiua plurium boum supra illam, quæ vnum tantum bouem representat: quod si hæc differentia, perquam secunda cognitio differt à prima, à logicis dicitur accidentalis: ideo est, quia nõ est notabilis, nec apta ponere dictam cognitionem in alia specie: propter quam rationem differentia individualis accidentalis etiam appellatur.

Respondent denique alij quartò cognitionem humanam de duobus leonibus differre specie intrinseca à cognitione de vno leone, licèt specie obiectiua, & ex parte obiecti differat solo numero.

38 Sed contra est, quia cognitiones humanæ speciem suam intrinsecam non desumunt, nisi vel ex obiecto, vel ex modo tendendi, sed dictæ *cognitiones non differunt specie ratione obiecti, vt conceditur; neque habent diuersum modum tendendi*, vt de se patet. ergo falsum est, quod differant specie intrinseca. confirmatur, quia si visio duorum leonum differret specie intrinseca á visione vnius leonis, sequeretur quod etiam hoc modo differret visio albedinis intensæ vt duo, à visione albedinis intensæ vt vnum, non enim posset assignari maior ratio; sed hoc esse falsum omnes testantur. ex eo quod indè deducunt ipsas quoque albedines differre inter se specie, quia non aliundè prouenire potest distinctio specifica visionum, ab eodem homine prouenientium, nisi à diuersitate specifica obiectorum, posito quod habeant eundem modum tendendi; ergo &c.

SECTIO QVARTA.

Afferuntur, & soluuntur obiecta contra præcedentem conclusionem.

39 OBijcies primò: *si possent dari animæ eiusdem speciei inæquales in perfectione*; ponamus V.G. quod dentur mille animæ inter se gradatim inæquales, ita vt prima excedat secundã, secunda tertiã, tertia quartam, & sic de cæteris. tũ sic omnes istæ animæ ex vna parte essent intra eandem speciem atomam, vt supponimus: ex alia verò non essent. nam prima valde distaret ab vltima, & sic notabiliter differret ab illa. ergo prima saltem, & vltima non conuenirent specificè. ita ferè ex Quiros *loco citato*.

40 Respondent aliqui primò negantes suppositum, ac dicentes intra eandem speciẽ impossibile esse, quod tanta inæqualitas reperiatur. Sed contra est, quia in cognitionibus, ex quibus nostra secunda probatio sumpta est, dari potest ista gradatio; nam humana cognitio de duobus leonibus est perfectior cognitione de vno leone, & cognitio de tribus, cognitione de duobus; & cognitio de quatuor cognitione de tribus; in infinitum: & tamẽ omnes huiusmodi cognitiones, vti probauimus, sunt in eadem specie ima; de quibus iã potest fieri argumentum propositum. non est igitur, cur hæc gradatio inæqualis perfectionis negetur in animabus eiusdem speciei.

Respondet secundò Arriaga, dupliciter. primo quidem *sub nu.* 249 dicendo eam inæqualitatem in animabus non esse specificam eo, quod notabilem differentiam non importat, quia non desumitur per ordinem ad operationes specie diuersas; sed easdem paulo facilius, & intensius efficiendas; quæ differentia non censetur notabilis. secundò verò *num. sequenti* ait non esse absurdum concedere, quod licèt in ea gradatione prima anima non differat specie à secunda, tertia, & reliquis intermedijs: differat tamen specie à millesima, eo quod respectu illius, & non aliarum notabilẽ habeat differentiam; & quia millesima similẽ comparationẽ habet cum eisdem intermedijs, quam ponimus habere primã, vt nõ differat notabiliter ab illis: hinc fieri, vt non valeat hoc argumentum: prima anima, & millesima sunt eiusdem speciei cum animabus intermedijs, ergo, & inter se; quia inter se notabiliter differunt: non autem comparatæ cum illis. Verum, vt ingenuè fatear, neutra mihi responsio videtur solida. non prior, quæ desumitur ex diuersitate operationũ, quarum aliquæ, paulo facilius, & intensius alijs efficiuntur; assumendo, quod ea diuersitas non arguit diuersitatem specificam in principijs, à quibus procedunt: Cõtra quod facit primò, quia licèt verum sit, quod quando parua est huiusmodi diuersitas specificam diuersitatem non arguat, quando tamen est magna, cum notabilis sit, debet arguere. at qui magnam esse in casu nostro suadetur ex eo, quia anima rationalis V.G. quę mille gradibus perfectionis se extollit supra aliam, poterit elicere intellectiones perfectiores vt mille operationibus alterius &c. Contra idem facit secundò, quia dato quod differentia notabilis, & intensio diuersitatem specificam inter operationes minimè inducat: possunt tamen aduersarij dicere, quod operationes dictarum animarum rationalium non solum in intensione, & facilitate differant, sed etiam in substantiali claritate, atque essentiali perfectione; quatenus sunt proprietates principiorum, à quibus dimanant. eo quod cæteris paribus, quo principium in entitate sua nobilius est: eo nobiliores sibi vendicat proprietates: en tibi quo modo ratio, quæ affertur eandem patitur difficultatem, ad quam soluendam adducitur. cum de entitate ipsa operationum, præscindendo à facilitate, & intensione illarum, possit fieri eadem difficultas, quæ fit de earum principijs substantialibus.

41

Neque plus soliditatis habet secunda responsio, 42
quæ procedit via præcedenti contraria, admittendo inter primam, & millesimam animã illius perfectiuæ gradationis dari differentiã specificã eam

Digitized by Google

eam impugnare primò, quia, vt fert receptissimum axioma: In creatis, quæ sunt eadem realiter vni tertio, sunt eadem realiter inter se; ergo & quæ sunt eadem formaliter vni tertio, non possunt non esse eadem inter se formaliter; eadem enim ratio, quæ militat pro reali identitate plurium in antecedente, militat eodem modo in consequentia pro formali. atqui huiusmodi axioma præsens responsio non admittit, si quidem concedit primam, & millesimam animam esse idem formaliter in specie ima cum secunda, vel tertia illius gradationis: negat verò esse idem formaliter inter se specificè. ergo non est admittenda. Eandem responsionem impugnarem secundo, quia ex ea sequeretur, quod aliqui homines saltè ex possibilibus constantes anima rationali, & nostrate materia, deberent differre inter se specie; illi nimirum quorum vnus esset vt mille perfectior alio. atqui hoc non esse admittendum patet, quia cum æquum sit, vt animæ Christi Domini, & Immaculatæ eius Genitricis tantus perfectionis excessus, si est naturaliter possibilis, supra quam plures animas rationales, & præsertim supra perditissimam Iudæ animam, concedatur: inde deducitur Christum, & Virginem non esse eiusdem speciei infimæ cū reliquis omnibus hominibus saltem possibilibus: atque adeo verbum non assumpsisse naturam specificam atomam omnium nostrum; quod non videtur sanè dictum.

43 His igitur responsionibus prætermissis. Respondeo tertio admittendo suppositum: dari, videlicèt, posse mille animas gradatim in perfectione crescentes intrà eandem speciem: ad probationem in contrarium, nego primam valdè distare ab vltima, atque adeo notabiliter ab illa differre: ratio est quia parua quælibet distantia inter duo extrema cum sit diuisibilis in infinitū in via Aristotelica: potest diuidi non solùm in mille partes æquales inter se, sed etiam in decies mille, & centies millies in infinitum; vnde nō est mirum, si facta gradatione in perfectione inter primam, & millesimam animam, non reperiatur notabilis diuersitas sufficiens distinctionem specificam constituere: porrò in hac responsione, vt liquet, nulla est petitio principij; ad excludendam enim notabilem differentiam inter huiusmodi animas non affertur pro ratione conuenientia specifica illarum; sed solùm ostenditur gradualem illam inæqualitatē perfectionis, quæ supponitur inter dictas animas, non inducere in illas necessario notabilem diuersitatem.

44 Obijcies secundò ex eodem Quiros, si quædam animæ essent æquales inter se, & non cum alijs sub eadem specie infima comprehensis: sequeretur, quod per aliquod prædicatum conuenirent inter se, & differrent ab alijs. sed illud prædicatum esset specificum, & non indiuiduale, siquidem esset commune multis. ergo iam dictæ animæ differrent specie, contrà suppositum. Respōdeo negando minorem, & ad probationem in contrarium, dico non quodcumque prædicatum commune esse sufficiens ad tribuendum gradum specificum illis, quibus est commune, sed solū ea, quæ notabilem differentiam illis afferunt. quoniam verò æqualitas perfectionis, quæ in aliquibus indiuiduis eiusdem speciei reperitur non facit illa notabiliter differre ab alijs, quibus sunt in perfectione inæqualia: hinc fit, vt non inducat illis specificam diuersitatem.

Instabis. prædicatum illud commune æqualis perfectionis, per quod aliqua indiuidua ab alijs differunt, non est indiuiduale; ergo est specificum. antecedens patet; quia differentia indiuidualis nequit esse communis. consequentia euincitur, quia inter prædicatum indiuiduale, & specificum non datur medium. Respondeo negando antecedens, cuius distingo probationem: differentia indiuidualis nequit esse communis vniuocè, concedo. analogicè, nego; & dico, quod licèt indiuidua nequeant in differentia indiuiduali perfectè conuenire, hoc est, vniuocè: non est tamen cur imperfectè, & analogicè non possint. defacto enim, si consideremus indiuiduationes humanas, quis negare potest eas maiorem habere conuenientiam, inter se comparatas: quam si cum indiuiduationibus equinis, vel leoninis componentur. 45

Aliter Respondent aliqui apud Ouiedum nu. 21. dicendo huiusmodi prædicatum esse indiuiduale inadæquatè, quod vna cum alijs adæquatam indiuiduationem vnius tantum indiuidui propriam componat. hanc tamen responsionem impugnat ipse Ouiedus ibidem dupliciter. primò, quia, quælibet differentia debet esse indiuisibilis in partes, etiam si illas non vt partes, sed per modum simplicis conceptus includat. sed indiuiduatio est differentia quædam; ergo &c. Secundo, quia differentia communis, ne inadæquatè quidem potest ad indiuiduationem pertinere. ergo nulla solutio. antecedens probat, quia differentia communis huic, & illi indiuiduo, nequit esse id, per quod hoc indiuiduum differt adhuc inadæquatè ab omnibus alijs. ea siquidem est ratio conueniendi, quæ per differentias indiuiduales est contrahenda; ergo ne inadæquatè quidem potest ad indiuiduationem intrinsecè pertinere. Quare ipse num. sequenti aliam affert responsionem dicendo: tale prædicatum commune importans æqualem perfectionem in aliquibus indiuiduis eiusdem speciei, esse putandum medium inter specificum, & indiuiduale; eo quod neutrum ex illis esse potest, vt patet ex dictis. quod si inferas; ergo diuisio speciei infimæ in omnia sua indiuidua non erit immediata. siquidem inter ipsa, hæc differentia media intercipitur: Respondet in rigore veram esse consequentiam: quia tamen de huiusmodi differentia non curant logici; neque ea ad lineam prædicamensalem constituendam vtuntur: ideo illam cum differentia indiuiduali confundunt. 46

Verum vt, quid ego de vtraque responsione sentio, aliquid dicam. quod ad priorem attinet, existimarem eam in bono sensu accipi posse, si nimirum nostræ conformetur, intelligaturque de inadæquatione analoga, non vniuoca; quemadmodum enim in sententia docentium ens esse analogum respectu inferiorum suorum, dicitur esse prædicatum essentiale inadæquatum respectu substantiæ, quantitatis &c. quia non explicat rationes illis proprias, per quas inter se differunt, licèt eas includat: ita dici etiam potest 47

quod

Digitized by Google

quod prædicatum illud, ratione cuius quædam animæ sub vna specie comprehensæ sunt inter se æquales; sit indiuiduale inadæquatè, quatenus non exprimit indiuiduationes illarum adæquatè acceptas: sicuti exprimunt Petreitas Paulleitas &c. porrò contra dictam responsionem sic intellectam neutra Ouiedi oppugnatio vim habet. non prior, quia in ea admittitur, quod differentia indiuidualis non sit resolubilis, & diuisibilis in plures rationes, quarum vna perfectè præscindat ab alia; sed quæ imperfectè solùm; in quo sensu non potest probabiliter negari differentis resolubilitas æque diuisibilitas. quis enim negat rationalitatem diuidi posse in plures conceptus analogos, quorum primus explicet illam in ratione entis, secundus in ratione substantialis differentiæ, tertius in ratione spiritualis, quartus in ratione indigentis materia ad operandum &c. neque maiorem vim habet posterior, inqua assumebatur, quod differentia communis nè inadæquatè quidem possit ad indiuiduationem pertinere. si enim distinguatur differentia communis in vniuocam, & analogam; & concedatur assumptum de vniuoca; negetur verò de analoga, statim tota difficultas euanescit. nam ratio communis analogæ est ratio conueniendi simul, & disconueniendi, atque adeò non indiget per differentias indiuiduales vlterius contrahi.

48 Quantum verò ad posteriorem responsionem, quam ad obiectionem principalem affert ipse Ouiedus; eam duplici ratione censeo non posse subsistere. vna est, quia admittendo illud prædicatum æqualis perfectionis medium inter specificum, & indiuiduale, facit per plura, quod non solum æquè benè, sed etiam melius potest fieri per pauciora; quod probo ex eo, quia si asseramus illud esse indiuiduale inadæquatum, seù analogum; ex vna parte inter prædicatum specificum, & indiuiduale non multiplicamus tertium prædicatum: ex alia verò parte melius conformamur regulis dialecticorum, quas pro lineæ prædicamentalis constitutione tradunt; quod nimirum omnia prædicata vniuoca entis per se in recta linea prædicamentali debeant poni; contra quam facit hic auctor, dum ait huiusmodi prædicatum medium ad dictam lineam minimè pertinere, neque de eo dialecticos curasse.

49 Altera ratio ad infirmandam Ouiedi responsionem sumitur ex ijs, quæ ipsemet paulo post videlicèt §. 5 docet: vbi post quam probauit dari posse differentias essentialiter oppositas inter se æquales: *num.* 42. *in* hunc ferè modum sibi obijcit: si darentur species aliquæ inter se æquales: pono esse leonem, & equum, tum sic: magis leo conueniret cum equo, quam cum homine in ratione formalissima, per quam differret ab equo, ergo non omnes differentiæ immediatè genus contrahentes, essent æque oppositæ; quod est contra omnes philosophos, & dialecticos: Ad quod respondet directè *num.* 44. posito, quod duo differentiæ sint æqualis perfectionis inter se, & inæqualis cum alijs, adhuc non reperiri conuenientiam aliquam inter æquales; neque plus differre species inæquales in perfectione; quam æquales; quia æqualitas (inquit) perfectionis nullum fundamentum præbet ad abstrahendam rationem aliquam vniuocam. nam sic: æqualitas perfectionis reperta inter differentias specificas, non est prædicatum medium inter prædicatum genericum, & specificum, alioquin præberet fundamentum ad abstrahendam ab illis rationem aliquam vniuocam; ergo neque erit prædicatum medium æqualitas perfectionis reperta inter differentias indiuiduales. non enim potest assignari in hoc maior ratio; nam si respóderet negando paritatem; ac dicendo: consequètiam esse de subiecto non supponente; quatenus æqualitas perfectionis non reperitur inter differentias indiuiduales, sed inter ipsa indiuidua per rationem aliquam extra dictas differentias. Contra est, quia non est maior ratio, cur differentiæ ipsæ specificæ, essentialiter inter se oppositæ, possint æqualitatem perfectionis inuicem comparatæ in se admittere; & non differentiæ indiuiduales. ergo recurrit difficultas. atque adeo dicendum inconsequenter hunc auctorem concessisse prædicatum medium inter rationem specificam, & indiuidualem, ac illud negasse inter rationes genericam, & specificam. poterat enim contra communem Philosophorum, ac Dialecticorum sensum illam excusationem prætendere, qua vsus fuerat paulo ante, dicendo prædicatum illud non pertinere ad rectam lineam prædicamentalem, neque de eo curare Dialecticos: verum difficile est falsitatem vndequaque occultare; ipsa enim identidem aliud agentibus se manifestat, & suum prodit auctorem. nullus enim quod sciam, hæc prædicata vniuoca media approbauit, aut de illis vllam fecit aliquando mentionem.

Obijcies tertio impossibile est idè esse æquale, & inæquale eidem; siquidem hæc duo priuatiuè opponuntur. sed hoc ipso, quod vna anima singularis est in eadem specie infima, in qua alia reperitur: iam est illi æqualis in perfectione specifica. ergo impossibile est, quod sit illi inæqualis in perfectione indiuiduali. Respondeo maiorem esse veram absolutè loquendo, & pro statu reali: at nos quando de inæqualitate perfectionis animarum sub eadem specie atoma existentium disputamus, loquimur secundum quid, & pro statu intentionali, hoc est considerando illas inadæquatè cum præcisione à prædicatis æque perfectis, quæ includunt. in quo sensu non est absurdum, quod idem sit secundum vnam rationem æquale alteri, & secundum aliā inæquale eidem; quia sic æqualitas, & inæqualitas non important oppositionem priuatiuam, sed præcisiuam tantum; quæ, adhoc vt sit contradictoria debet cadere supra eandem rationem formalem, nimirum supra rationem specificam: vel supra indiuiduationem illarum. 50

Instabis: à parte rei duæ illæ animæ, vel sunt inæqualis perfectionis, vel æqualis. non primum, alioquin esset falsa cognitio, quæ conciperet illas æquales. ergo secundum. Respondeo concessa maiore, negando minorem, dico enim eas pro statu reali esse inæquales, quia verè nemine cogitante vna excedit aliam. ad probationem in contrarium, nego hinc sequi cognitionē, qua affirmamus illas in gradu specifico æqualitā- 51

tem

tem inter se habere, falsam esse quia affirmatio non cadit supra illas, pro vt sunt aperte rei, sed prout se habent in intellectu, concipiente earum essentiam cum præcisione ab indiuiduationibus, in quibus sunt inæquales.

SECTIO QVINTA.

An duæ animæ specie diuersæ sint necessario inæqualis perfectionis.

52 NEgatiuè Respondet Arriaga *Disputat. citata nu.* 262. Id autem probat multipliciter. & primò quidem ex diuinis relationibus, quæ licèt vt distinctæ ab essentia sint notabiliter inter se diuersæ: sunt tamen omnino in perfectione æquales, ita vt non valeat vna, pluſquam alia æstimari iuxta illud Athanasij; totę tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

53 Verum hæc probatio ob duplicem rationem mihi non videtur solida. prior est, quia Scotistæ cum Durando sustinent relationes diuinas ex se formaliter neque perfectionem, neque imperfectionem importare; & ex his, qui asserunt eas includere perfectionem, aliqui contendunt hanc non esse aliam, etiam ratione distinctam à perfectione essentiali, quam dicit natura Diuina. Vasquez verò *Disputat.* 122. addit quod licèt sit alia: realiter tamen loquendo non sit triplex, sed vna tantum. fundare autem sententiam philosophicam in conclusione Theologica adeo controuersa, quæ tot habet diuerticula, videtur cedere in præiudicium aduersariorum, quasi verò ipsi auctoritate Theologorum exterriti, repente daturi sint manus, nihil penitus de tanta opinionum diuersitate scientes; Posterior verò ratio insufficientiæ procedit ex eo, quia admissa diuinarum relationum notabili diuersitate cum omnimoda æqualitate, & multiplicitate perfectionis relatiuæ coniuncta; non benè tamen deducitur eodem modo se habere posse in creatis ea, quæ differunt specie. Disparitas est, quia species creatæ, cum sint entia per participationem, non nisi ratione maioris, vel minoris participationis de primo ente distingui inter se essentialiter possunt: At verò diuinæ relationes sunt entia à se, atque adeo summè perfectæ, alioquin inæquales diuinas personas constituerent. quare ratione solius oppositionis distingui ac diuersificari possunt, quæ quidem oppositio, cum versetur inter terminos omnino æquales, nequè ratione terminorum perfectionis inæqualitatem in eas inducere potest. Contra hanc disparitatem submurmurat Arriaga *num.* 265. eo quod nequit (vt ipse loquitur) vnq vel apparens ratio assignari cur color rubeus, & viridis V. G. non possint esse inter se æquales, nisi infinitam, imo diuinam perfectionem includant. valet ergo hic discursus: datur notabilis diuersitas in diuinis relationibus sine inæqualitate. ergo dari etiam potest in rebus creatis. hæc tamen replica non vrget; quia aliud est rationem positiuam afferre cur inter species creatas necessario inæqualitas perfectionis intercedere debeat; & aliud assignare disparitatem, cur argumentum ex relationibus diuinis deductum, ad quincendam inter dictas species æqualitatem sit inefficax. Iam verò qui contendit esse inefficax, non tenetur, ad primum, sed solum ad secundum, ad quod præstandum sufficit, si assignet necessitatem, ob quam diuinæ relationes debeant esse inter se æquales, quæ necessitas in speciebus creatis non habeat locum. Atqui hoc nos abundè præstitimus, assignando posteriorem rationem insufficientiæ huius argumenti. ergo &c.

Desideraſſet opinor aliquis Recentior, vt id 54
quod ab Arriaga assumitur in antecedente, negassem; supponendo diuinas personalitates secundum se consideratas, & ab essentia præcisas, esse inter se inæquales. verum ego opinionem hanc non solum non existimo tutam, sed eam puto valdè periculosam in fide; vtpote quæ inæqualitatem diuinarum personarum inenitabiliter inducit. quoties enim duo ita se habent, vt constitutiuum partiale vnius sit perfectius constitutiuo partiali alterius; implicat quod illa non sint in perfectione inæqualia, si alterum partiale constitutiuum sit in vtroque æquè perfectum, vt patet in homine, & equo, qui licèt in materia prima sint pares, quia tamen anima rationalis est perfectior equina: necessario sequitur, quod homo sit perfectior equo. porrò licèt diuinæ relationes non sint de essentia personarum; illas tamen vna cum essentia diuina adæquatè constituunt: quare si vna relatio esset perfectior alia: implicaret omnino diuinas personas non esse inter se in perfectione inæquales, quia essentia diuina, quæ allis adderetur, esset prorsus eadem in omnibus. Scio eos, qui hanc inæqualitatem astruunt, negare sequelam; dicendo diuinam essentiam hoc ipso, quod sibi aliquas rationes, quantumuis inter se inæquales, identificat, in supremo ordine illas collocare, & facere eas esse actum purum; & sic illas omnimodè æquales constituere. Verum melius de Deitate sentiunt, qui sustinent diuinas relationes non solum identicè; sed etiam formaliter esse inter se æquales; dum dicunt eas per hoc præcisè, quod intelliguntur esse diuinæ, & includere essentialiter diuinum esse transcendens, iam in supremo ordine collocari. atque adeo rationem actus puri, & omnimodam æqualitatem imbibere. Quoniam verò nos catholici obligationem habemus sentiendi de his omnibus, quæ sunt formaliter in Deo, quantum possumus perfectissimè; ita vt nihil illis melius excogitare queamus: hinc fit, vt hanc opinionem de inæqualitate diuinarum relationum formaliter, & secundum se consideratarum, omnes ferè Theologi tanquam absurdam reijciant, ac detestentur; quorum vestigijs nos inhærentes, putamus verissimum esse antecedens, quo in sua prima probatione vtitur Arriaga, posito, quod Scotistarum sententia non sit admittenda; sed ex eo malam consequentiam deduxisse.

Secundam probationem affert idem auctor 55
nu. 263. sic; duæ cognitiones ab eodem Angelo elicitæ, æquè intensæ, vna de Petro, altera de Paulo, licèt sint inter se dissimiles, non sunt tamen in perfectione inæquales. ergo non est cur duæ animæ non possint esse specie dissimiles, & simul in perfectione æquales: Sed neque hæc pa-

ritas

Digitized by Google

ritas, est sufficiens. facilè enim responderi potest concesso antecedente, negando consequentiam, & disparitatem assignari ex eo, quia dissimilitudo, quam duæ illæ cognitiones habent, est materialis, & ideo, nil mirum, si inæqualitatem perfectionis minimè importet: at in casu nostro ponitur esse formalis, inter duas videlicet animas specie differentes: quemadmodum igitur implicat dissimilitudinem numericam, seu materialem inæqualitatem notabilè perfectionis importare inter dissimilia; nam sic transiret in specificam, & formalem: ita impossibile est quod dissimilitudo specifica, & formalis æqualitatem perfectionis includat, quin transeat in materialem ac numericam modo infra explicãdo. Aliter hoc argumentum de cognitionibus adducit Quiros *disput. 78. sect. 2.* sic: Cognitio creata ad paternitatem tendens, vel etiam vnio hypostatica, dicunt perfectionem æqualem cum cognitione vel vnione tendente ad filiationem. sed differunt plus quam numericè, pro diuersitate videlicet terminorum. ergo à pari duæ animæ diuersæ speciei possunt esse æquales: verum neganda est etiam illi minor; eo quod differentia materialis cum sit, non potest esse essentialis.

56 Tertia probatio est huiusmodi: ex ipsis terminis manifestum videtur aliud esse diuersitate, aliud inæqualitatem. ideoque sæpè moraliter res valde diuersas tantidem æstimamus; & physicè æqualem ex eis solemus capere voluptatem. ergo diuersitas specifica nõ arguit necessariò inæqualitatem. Verum hic discursus rimis ex vtroque latere fatiscit. non enim negant aduersarij aliud esse diuersitatem, & aliud inæqualitatem. sed solum contendunt diuersitatem illam, quæ ex differentia essentiali procedit, perfectionis in æqualitatem necessariò inducere. contra hoc autem id, quod ex moralibus, & physicis adducitur nil prorsus valet. si enim æqualis valor, quem diuersis omnino rebus imponimus, & æqualis voluptas, quam de illis capimus, esset argumentum efficax ad probandum animas specie diuersas posse esse æqualis perfectionis, conuinceret etiam nullam prorsus inæqualitatem inter res creatas admittendam esse. non enim assignari possunt res adeo diuersæ, quas homines non possint æstimare tantidem, & æqualem voluptatem ex illis haurire: videmus enim, quod in seruum pecunia sibi hominem comparant, & sæpè maiorem voluptatem de re deteriore, quam de meliore capiunt. non igitur rerum æqualitas vel inæqualitas ex hominum arbitrio, vel dispositione taxanda est, qui intra fines, quos intendunt, modo nobiliorem rem, modo ignobiliorem nec plutis faciunt nec minoris alia: sed ex meritis intrinsecis ipsarum taxanda est.

57 Vltimò, eorum, quod ab eo dictum est manifesta (vt sibi videbar) ratione in hunc ferè modũ confirmat. videmus ipsis oculis colorem rubeũ, & viridem esse notabiliter diuersos; eos autem esse in perfectione inæquales minimè videmus. atqui si diuersitas ea notabilis esset formaliter inæqualitas; sequeretur quod videre eos colores esse diuersos, ac videre esse inæquales idem prorsus esset. Hæc tamen confirmatio ideo infirma est quia nimis probat, siquidem auctoris sui sentẽtiam oppido impetit. cum enim ipse iueatur posse dari aliquas species in perfectione equales, & alias inæquales. quæro ex eo quomodo color rubeus, & viridis in perfectione se habeant? vtrumlibet asserat; habet contra se argumentum suum; nam oculis nos eorum diuersitatem videmus; non autem eorum æqualitatem, vel inæqualitatem. ergo neque æquales sunt, neque inæquales. quod si dicat; argumentum probare solam diuersitatem notabilem vt sic non esse formaliter inæqualitatem ex eo, quod idem esset videre colores illos esse diuersos, ac esse inæquales: hoc autem non procedere, si diuersitas ponatur indifferens ad æqualitatem, vel inæqualitatem inducendam: Contra est, quia quando oculis videmus dictos colores esse notabiliter diuersos, non videmus diuersitatem vt sic in communi, sed talem determinatam, quam essentiales differentiæ rubedinis, & viriditatis inducunt; sed hæc determinata diuersitas, vel est formaliter æqualitas, vel inæqualitas in eius sententia: ad eum planè modum, quo in sententia aduersariorum omnis est inæqualitas. ergo si contra hos valet consequentia, quod debeamus de eorum inæqualitate certificari: valebit etiam contra illum, quod vel de æqualitate, vel de inæqualitate deberemus etiam certiores reddi. cæterum non valet hic modus argumentandi: Hæc duo sunt formaliter idem; ergo si aduertimus vnum, alterum quoque aduertamus, necesse est: constat enim colorem esse formaliter idem cum accidente, & hominem cum animali rationali: & tamen per hoc, quod aduertamus illud obiectum, quod videmus esse colorem, vel esse hominem, non sequitur nos reddi certos, quod sit accidens, vel animal rationale.

Arriagæ sententiam sequutus Ouiedus duobus alijs argumentis eam suadere nititur. vnum, 58
quod adducit *num.* 48. est huiusmodi. non repugnant duo animalia, quæ sint notabiliter diuersa, & sint etiam inter se in perfectione æqualia. tum sic: vel hæc differrent specie. vel non: si primum; ergo ad specificam distinctionem non est necessaria inæqualitas. si verò dicatur secundum; ergo poterunt dari individua, quorum operationes, & principia notabiliter differant, & tamen non distingui specie. sed inde sequeretur, quod dissimilitudo notabilis non esset sufficiens ad astruendam specificam individuorum diuersitatem, quod est contra nos. ergo &c. Alterum verò, quod in priori fundatur, & affertur *num.* 49. est huiusmodi: præcisè ex sola notabili operationum differentia sufficienter rerum species inter se distinguuntur; ergo ad huiusmodi distinctionem habendam non requiritur inæqualitas.

Hæ quoque rationes elanguescunt in eo, quod 59
supponant dari posse duo individua notabiliter diuersa, & in perfectione æqualia. cum enim notabilis diuersitas in inæqualitate perfectionis in contraria sententia posita sit implicabit procul dubio duo esse notabiliter diuersa, & simul in perfectione æqualia. quare ad prius argumentum neganda est suppositio. & ad posterius negandum est antecedens, vtpotè de subiecto non supponente; non est igitur cur hic auctor *num.* 28

hostem

Digitized by Google

hostem sibi fingens, eam sic infectentur. Tu dicis ad distinctionem specificam requiri essentialiter inæqualitatem operationum, & non sufficere notabilem illarum differentiam. ergo illa individua, quæ sunt in perfectione æqualia, etiam si in suis operationibus notabiliter differant, non distinguentur specie. Nunquam enim aduersarius se affirmabit asserere non sufficere notabilem operationum differentiam ad distinguendum specie duo individua; sed solum, quod implicet sine inæqualitate perfectionis dicta notabilis differentia haberi possit, vti supra innuimus. his igitur rationibus solutis.

58 Nostra conclusio sit. Duas animas specie diuersas necessariò esse inæqualis perfectionis. Hæc assertio tota fundatur in eo principio metaphysico: Quod videlicèt, non possint dari duæ essentiæ specie distinctæ æquales in perfectione. quod, teste Arriaga, communis veterum Philosophorum sententia tuetur; & plures Recentiores præsertim Thomistæ defendunt; ac propugnat Hurtadus *disput. 2. de anima sect. 8. subsect. 6. Vasquez tom. 2. in primam partem disput. 22. a num. 11.* nec non etiam Suarez *in metaph. disput. 29. sect. 3. nu. 16.* vbi non putat probabile oppositum, vt dicit Arriaga: sed solum asserit principium, quod communiter vsurpatur, non esse euidens: ex ineuidentia autem vnius contradictorij probabilitatem alterius non rectè deduci conspicuum est.

59 Probatur primò principium illud auctoritate Aristoteles enim 10. *metaph. sect.* 5. docet: Differentias diuidentes genus se habere sicuti priuationem, & habitum. sed priuationes, & habitus necessariò sunt in perfectione inæquales; ergo, & differentiæ diuidentes genus; atqui essentiæ specie distinctæ huiusmodi differentias includunt repugnat igitur dari essentias specie distinctas æqualis perfectionis. confirmatur ex Axiomate communiter in philosophia recepto. species rerũ sunt sicuti numeri. sed species numerorum sunt essentialiter inæquales; ergo, & species rerum.

60 Duas responsiones ad hoc argumentum inuenio. prior est Arriagæ *num.* 256. vbi ait: facile posse Aristotelem, aliosque Philosophos explicari de speciebus rerum communiter loquendo; non autem, quia id sit de conceptu formali diuersitatis specificæ. Verum ex hoc, licèt non euidenter concludatur veritas illius principij, quod scilicèt, dari nequeant duæ essentiæ specie distinctæ, quæ non sint inæqualis perfectionis: valdè tamen probabiliter suadetur, vt docet Suarez *loco supra citato*. vbi sic ratiocinatur: In omnibus rebus essentialiter diuersis, quas nos experimur videtur hæc inæqualitas reperiri. ergo valdè probabile est illud principium; & rectè id quidem. non enim nos rerum essentias, essentialemque earum connexionem aliunde venamur: quam ab experientia, cum igitur experiamur species rerum inter se comparatas sæpe esse inæqualis perfectionis: debemus asserere differentias essentialiter oppositas inæqualitatem perfectionis necessariò vel includere, vel exigere. quia quod semper fit non per accidens, sed per se fieri existimandum est.

Posteriorem responsionem tradit Oniedus *loco citato num.* 37. quæ est huiusmodi: Paritatem inter differentias oppositas relatè ad priuationẽ, & habitum, & ad species numerorum, consistere in eo, quod sicuti priuatio, & habitus non possunt in eandem entitatem confluere: ita differentiæ oppositæ, ex quibus rerum species consurgunt, non possunt realiter identificari; & sicuti numerus omnis consistit in indiuisibili: ita & essentiæ rerum. si quidem per quodlibet prædicatum, siue illis additum, siue demptum penitus destruuntur quamuis igitur inter priuationẽ & habitum; & inter numerorum species necessariò reperiatur inæqualitas: non sequitur, quod eadem necessitate existat inter differentias diuidentes genus, quia paritas non debet procedere in omnibus, vt de se constat.

Porrò hæc explicatio, licèt prima fronte satis accomodata videatur; re vera tamen non plus probabilitatis habet, quam præcedens, quod sic ostendo; Paritates ex priuatione, & habitu, & ex numerorum speciebus acceptæ, licèt non debeant sumi ita, vt rerum essentijs, quo ad omnia conueniant: debent tamen intelligi ita, vt congruant illis: quatenus habent aliquid peculiare, quod non habent reliqua, quæ non sunt ipsæ. atqui si intelligerentur in ordine ad identitatem, & indiuisibilitatem: sumerentur secundum quod rerum essentiæ conueniunt cum alijs rationibus, & nihil peculiare de illis innotescere facerent: si verò in ordine ad inæqualitatem perfectionis, ab omnibus alijs distinguerentur, & aliquid speciale, & notatu dignũ continent; ergo relatè ad inæqualitatem, & non ad identitatem, & indiuisibilitatem intelligendæ sunt; consequentia videtur certa, maior verò probatur paritate; qui enim identidem dicunt; Deum in mundo se habere vt cælum, & solis instar esse: ridiculè exponerentur in ordine ad meram realitatem, quod nimirum, sicuti sol, & cælum sunt entia realia: ita & Deus: debent enim intelligi quoad influxum in res omnes, qui est proprius solius causæ primæ. ergo à pari. minor verò suadetur, quia etiam individua habent quod non possint identificari inter se, & quod consistant in indiuisibili. non solum enim Petrus non potest coire in vnam entitatem cum Paulo, sed neque amittere, vel acquirere aliquod prædicatum siue specificum, siue individuale, ita vt remaneat idem Petrus: at notabilem inæqualitatem perfectionis habere, est ita proprium differentiarum essentialium, & specierum quæ ex eis resultant, vt fatentibus ipsis aduersarijs, non possit competere alijs. 61

Probatur secundò idem principium ratione, quia omnis forma essentialis siue physica sit, vt anima; siue metaphysica, vt differẽtia, per hoc differt à subiecto, cum quo debet facere vnum per se; quod ipsa non solùm quoad modum significandi, sicuti est forma accidentalis; sed etiam verè, & propriè importet essentialiter perfectionem, & pulcritudinem; sicuti subiectum turpitudinem, & imperfectionem. vnde est quod habeat rationem actus, sicut illud potentiæ; ergo repugnat duas formas essentialiter inter se differre, & esse in perfectione æquales: antecedens est certum: consequentia verò suadetur; quia id, 62

quod

Digitized by Google

quod est essentialiter perfectio, nisi multiplicetur secundum magis, & minus semper intelligitur multiplicari materialiter, hoc est numerice; & ratio huius est, quia multiplicatio formalis in ratione perfectionis, habetur præcisè per hoc, quod magis, vel minus ad increatam perfectionem res multiplicatæ approximentur. quandiu enim æquè distant ab illa, semper in eodem perfectionis gradu esse censentur; atque adeò nisi sit inæqualitas perfectionis in formis, quamuis habeatur in ratione perfectionis illarum multiplicatio, ea non est censenda formalis, sed materialis; ergo si ratio formæ essentialis tum physicæ tum metaphysicæ importat essentialiter esse perfectionem: implicat duas formas essentialiter inter se differre, & esse in perfectione æquales.

63 Confirmatur, & explicatur id, quod diximus. ex eo quod scalarum gradus sunt essentialiter id, quo ad ædificiorum altitudinem conscenditur: implicat, quod habeantur duo gradus essentialiter inter se differentes; & faciant hominem æquè distare à summitate ædificij; quamuis vnus ex eis ponatur esse lapideus, alter verò aureus, vel argenteus. ergo à pari, cum forma omnis in sua quidditate esse perfectionem formaliter includat: perfectio autem omnis sit, per quam tamquam per rationem vnicam formalem ad summam Dei perfectionem accedimus: proculdubio implicabit dari duas *formas essentialiter diuersas æquè perfectas*; & *quidem hoc intelligebant Doctores nostri, quando communem assertionem illo argumento probabant: Quæ inæqualiter* distant ab ente, seu non ente: non possunt esse inter se æqualia, sed rerum essentiæ inæqualiter tum ab ente, tum à non ente distant. ergo &c. agebant enim de distantia non quo ad pluralitatem prædicatorum, sed quo ad multiplicitatem graduum perfectionis, qui vt formaliter differant inæqualitatem importare necessariò debent. sic autem intellecta probatio hæc, omnes aduersariorum solutiones paruipendit, vt constare potest ex dictis.

64 Dices: ex his habetur, quod si darentur duo individua notabiliter diuersa, & essent æquè perfecta, non differrent inter se essentialiter; sed hoc est contra communem; ergo &c. Respondeo: distinguendo sequelam maioris; non differrent inter se essentialiter absolutè, nego; conditionatè, *hoc est, differrent simul, & non differrent*, concedo, & sic distincta minore, nego consequentiam. *cum enim notabilis differentia nequeat nisi cum notabili inæqualitate perfectionis esse coniuncta*. quamuis explicitè vna præscindatur ab altera, implicitè tamen semper illam includet. sic si ponerentur duo scalarum gradus esse notabiliter inter se dissimiles in ratione gradus, & tamen æquè distare à summitate scalarum, simul haberent, & non haberent rationem gradus eiusdem scalarum.

Dices iterum: ea, quæ differunt secundum magis, & minus: non differunt essentialiter; sed inæqualitas perfectionis huiusmodi differentiam inducit; ergo inæqualitas perfectionis non importatur à formis, quæ essentialiter inter se differunt. Respondeo hoc argumentum æquè militare contra aduersarios, qui non negant duas formas essentialiter diuersas esse posse inæqualis perfectionis. sed quid quid sit de hoc: distinguo ego maiorem: quæ differunt secundum magis, & minus in aliqua qualitate non differunt essentialiter concedo; in essentiali perfectione, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam; & dico, quod differentia secundum magis, & minus propriè oritur ex diuersa intentione eiusdem qualitatis. ex eo videlicèt, quod in vno subiecto habentur plures illius gradus, & in altero pauciores. quoniam verò nos non habemus voces aptas, quibus explicemus duas essentias simplices, & indiuisibiles, quarum vna in essentiali perfectione excedat alteram, dicimus quod vna sit magis; altera minus perfecta: quodque hæc in tot, vel tot gradibus perfectionis superetur ab illa; non quod ex parte obiecti hæc graduum diuersitas habeatur, aut in ipsis essentijs esse existimetur à nobis; sed quia non possumus huiusmodi diuersitatem inter dictas essentias aliter explicare. 65

Dices tertiò cum Quiros *sect. 2. cit.* ad æqualitatem in perfectione sufficit, si vnum secundum aliquam rationem sit sicuti alterum, hoc est secundum quantitatem perfectionis; sed duæ animæ specie diuersæ possunt esse huiusmodi, vt patet; ergo possunt esse in perfectione æquales. 66

Respondeo distinguendo maiorem: sufficit si vnum secundum aliquam rationem sit sicuti alterum, & si quidem sermo sit de ratione transcendente per omnia prædicata vtriusque, cuiusmodi est quantitas perfectionis, concedo: sin autem agatur de ratione speciali, & determinata, nego maiorem, & ad minorem dico, quod duæ animæ specie diuersæ possunt, quidem ita comparari, vt vna in aliquo prædicato determinato V.G. in ratione animalis sit sicuti altera, non tamen in prædicato transcendente: quantitatem perfectionis importante.

Digitized by Google

DISPVTATIO OCTAVA

DE CONCEPTV VITAE ATQVE VIVENTIS.



1 Animam cum Aristotele initio definiuimus: Actum primum corporis naturalis organici potẽtia vitam habentis; Quid igitur vita sit, ratione cuius animata omnia, viuentia dicantur, operæ pretium est explicare; & quia Deus, & Angeli, licèt non sint animati; viuentes quoque esse, & vitam habere certo certius est: hinc fit vt rationem vitæ, atque viuentis, pro vt ad omnia siuè animata sint, siuè non, se extendit inuestigemus. vbi illud notandum est: nos in præsenti non indagare vitæ definitionem, vt postea ex ea, quæ nam sint viuentia, statuamus; potius enim his cognitis atque suppositis, communem definitionem, quæ de omnibus verificari possit, perscrutamur, & quidem, Deum, Angelos, & omnia animantia viuere certò certius omnibus semper fuit. de plantis nonnulli ex antiquis dubitarunt, de quibus mentionem facit Clemens Alexandrinus *lib. 8. Stromatum*. illos autem quidam Recentiores sunt secuti, qui, si credere dignum est, vt ab hac molesta quæstione de conceptu vitæ communi Deo, & Plantis se liberarent: negarunt Plantas propriè viuere: sed reclamant in contrarium scripturæ. Apostolus enim *ad Corinth. 15.* loquens de plantis: tu quod seminas (inquit) non viuificatur, nisi prius moriatur. vnde Augustinus *serm. 27. de verbis Apostoli*: nobis, inquit, viuere cum arboribus, & fruticis commune est; nam vitis viuit, cum viret; cum aresçit, moritur; & ratio id apertè suadet. experimur enim in plantis quoddam operationum genus excedens in perfectione operationes rerum inanimatarum; ipsæ enim per intus susceptionem alimenti versus omnem partem se dilatant, & crescunt; & instar animalium non solum habent certos terminos suæ magnitudinis, & paruitatis, sed etiam vitæ, ac durationis in esse. ita vt de earum vita dubitare, sit ire contra lumen fidei, & rationis.

SECTIO PRIMA.

Confutatio Arriagæ sententiæ, statuitur conceptus vitæ viuentibus omnibus communis.

2 PErdoctus Arriaga *disput. 2. sect. 1. subsect. 5.* postquam duplicem distinxit vitam: alteram physicam, quam dixit esse vegetatiuam: alterã intentionalem, quam cognoscitiuam appellauit, docet quod licet in vita physica conueniant inter se plantæ, bruta, & homines, quatenus nutriuntur, & crescunt; & in intentionali omnia animalia, Angeli, & Deus ipse, quatenus sunt omnia cognoscitiua: non tamen ex vtraque vita abstrahi potest ratio vitæ communis vtrique, quę vnica definitione explicari valeat. quare patet nomen vitæ esse merè æquiuocum, non minus, quam nomen Gallus, quod ad Gallum gallinaceum, & hominem Francum, quatenus inter se differunt significandum indiscriminatim impositum est. Verum hæc opinio vt ab omni prorsus difficultate se eximat statum quæstionis è medio tollit. nam præsentis controuersiæ cardo in eo vertitur, vt assignetur conceptus communis; ad quem explicãdum vitæ nomen à primis linguæ inuentoribus impositum est. supponendo huiusmodi conceptum verè dari posse, & in eo omnia prorsus viuentia conuenire. Atqui in hac opinione huiusmodi suppositio directè negatur, ergo per eam non resoluitur quæstio, sed penitus relegatur ad insulas impossibilium; quatenus ponitur esse de subiecto non supponente. quod si huius sententiæ patronus de hoc non multum curat: solidius impugnandus est, assignando conceptum vitæ, tum physicæ, tum intentionali communem; quod à nobis paulo post præstabitur; interim placet duplicem huius sententiæ impugnationem, quam proponit Comptonus *disput. 6. sect. 2.* breuiter expendere, quarum prior est hæc: plantæ verè viuunt; ergo non in mera voce vitæ conueniunt cum Deo: posterior verò hæc alia: ideo abstrahi potest vna ratio entis communis Deo, & creaturis, quia ratio entis in vtrisque verè reperitur sed ratio etiam vitæ verè reperitur in plantis, & Deo ergo &c. Confirmatur; aliquis pari ratione dicet aliquis: non posse rationem entis, vel substãtiæ à Deo, & creaturis abstrahi, sicuti dicitur ab Arriagã quod non possit ratio vitæ. Verum neutra impugnatio videtur solida: non prior in ea enim concesso antecedente: neganda est consequentia, ratio potest esse, quia veritas non est æquiuocationis exclusiua, sed cum ea rectè cohæret: quemadmodum enim non benè quis hoc modo discurreret: Gallinaceus est verè gallus, & homo Francus verè etiam gallus. ergo non in mera voce conuehiunt; ita neque Comptonus; dum ait: planta verè viuit, & Deus verè viuit. ergo non æquiuocè viuunt; & rectè id quidem; nam duplex vita quamuis vtraque vera, &

Digitized by Google

ta, & omnino inter se disconuenientes potest nomen vitæ habere commune. Neque solidior est posterior probatio, cuius distinguenda est illa causalis: ideo abstrahi potest vna ratio entis cõmunis Deo, & creaturis, quia ratio entis in vtrisque verè reperiatur, ita vnis ea Deus, & creatura aliquo modo conueniant, concedo, & in ea nullo modo conueniant, nego. & sic distincta minore: ratio vitæ verè reperitur in Deo & plantis, & in ea ratione conueniunt aliqualiter, nego. & in ea nullatenus conueniunt concedo; & nego consequentiam. & ad confirmationem negari potest pariter, ac dici, quodcumque tantum potest abstrahi à Deo, & creaturis communis ratio entis, in quantum ratio significata per nomen (ens) est aliquo modo una, & ab vtrisque verè participatur. ac ratio ad quam significandam exprimò, & per se impositum domen (vita) est multiplex non minus, quam ratio, ad quam exprimendam est impositum nomẽ (ens) ex quo deducitur non posse aliter hanc Arriagæ opinionem labefactari; quam assignando conceptum aliquem communem omnibus, & solis viuentibus, qui nomine vitæ significetur. Pro qua re suppono cum communi, duplex dari genus operationum: quædam enim sunt immanentes, quæ videlicet sunt interiores principio à quo procedunt; quædam verò transeuntes, quæ sunt suo principio, à quo profluunt, exteriores quo posito.

Mea conclusio est: rationem vitæ omnibus viuentibus communem in actu seu operatione immanente positam esse, modo inferius explicando; quod primò inductione probatur, siquidem tum nutritio, quæ est propria plantarum; tum sensatio, quam sibi assumunt omnia animantia; tum denique intellectio, & volitio, quas Deus, Angeli, & Homines sibi vendicant, sunt actus, seu operationes immanentes. atqui omnes actus vitales, ad hæc tria genera reducuntur; ergo &c.

Probatur secundo; ex eo quia si ab huiusmodi immanentia actuum, seu operationum recedamus: vix, aut ne vix quidem aliquam vitæ rationem, quæ probabilitatem sapiat, inuenietis; vti constabit ex sententijs, quas à sectione tertia incipiemus expendere interim notarem ideo me distinctiue assignasse actum seu operationem; quia ab ea quæstione præscindere volui, quia quæritur vtrum in Deo sit ratio vitæ per modum actus primi, nec ne? si enim est: vita Dei in operatione immanenti virtualiter distincta dici potest, quod constat: contra verò, si solo actu, qui sit cognitio, & amor, ac denominationem cognoscentis atque amantis illi tribuat; & quia vitæ omnium viuentium creatorum indiscriminatim ratio operationis, vel actus competere potest: idcirco coniunctione illa distinctiua sum vsus, vt omnes vitas tum creatas, tum increatas amplecterer.

Verum contra hanc sententiam, quæ est Thomistarum obijcies primò principaliter: multæ dantur operationes immanentes, quæ tamen vitales non sunt; ergo non benè ratio vitæ per immanentem operationem explicatur. consequentia patet. sic enim definitio latius pateret suo definito: antecedens verò suadetur, quia operationes quibus substantia suas proprietates sibi producit, & grauia, ac leuia ad suum locum naturalem mouentur, non sunt transeuntes, sed immanentes. ergo &c. communis responsio quã Molina, & Suarez vtuntur, est; duplicem operationem immanentem dari posse: vna est per quam res constituitur in suo esse connaturaliter debito sibi in primo suæ generationis instanti; ita vt quandiu illo careat, in statu violento reperiatur; huiusmodi autem esse operationem, qua substantia suas proprietates in se producit; & qua grauia, & leuia ad sua loca mouentur; eò quod vterque terminus debetur rei in primo instanti, in quo existit. Altera operatio immanens est, per quam res producit in se formam non sic sibi debitam pro primo instanti, atque adeo, si tunc illa careat, non violenter existit; & huiusmodi dicunt esse operationem vitalem. per eam enim viuens VEG. ita nutritur, sentit, & intelligit; vt his formis in primo suæ generationis instanti careat, nullam violentiam patiatur.

Sed hæc responsio bifariam impugnatur: primo quidem, quia pars passionis, quæ simul cum parte essentiæ, cuius est passio in nutritione producitur, non dicitur naturaliter debita formæ vitalis in primo instanti suæ productionis; sed eius productio non est vitalis, ergo non bene vitalis productio per hoc quod non sit debita producenti initio suæ productionis explicatur. Responderem distinguendo maiorem: pars illa passionis non est naturaliter debita formæ vitalis, quæ in nutritione supponitur, concedo; quæ tunc producitur, nego, & concessa minore; ad consequentiam dico: vitalem productionem esse illam, quæ est initio indebita producenti; atqui producens partem illam passionis, quæ in nutritione acquiritur est pars illa formæ substantialis, quæ in materia nutrimenti de nouo habetur. cum igitur huic parti sit illa productio debita, recte deducitur, quod non sit vitalis. Neque dicas satis esse quod sit toti supposito indebita. Contra omnino est; nam totum constat ex parte formæ aduenientis de nouo, vnde sicuti est debita parti huic, ita & toti, negatio enim est malignantis naturæ.

Eadem principalis responsio impugnatur secundo, ex eo; quia Angelo, pro primo suæ creationis instanti debita fuit cognitio, qua se ipsum cognosceret, vt in esse connaturali constitueretur; sed per huiusmodi cognitionem, vt pote vitalem, Angelus verè viuere existimatur. ergo falsum est operationem immanentem, qua res in suo esse connaturali constituitur, non esse vitalem.

Triplicem ad hanc difficultatem affert Arriaga solutionem; Prima est, hic non agi de vita intentionali, quia ad eam non requiritur vt producatur, vt patet in Deo, cuius intellectio, & volitio sunt improductæ: sed agi de vita physica, quæ in nutritione consistit, atque adeo instantiam ex Angelo desumptam non esse ad rem. Secunda, dato quod de vtraque vita agatur, negatur tamen cognitionem sui debere absolutè Angelo vt propriam passionem, & sic recte per illam Angelus potest viuere. Tertia denique so-

lutio est dupliciter operationem aliquam immanentem esse debitam suo principio pro primo suæ productionis instanti: primò ita vt principium illud non sit capax similium formarum in specie ima. Secundo vt capax sit illarum. Iam si primò modo se habet operatio: non est vitalis; & huiusmodi est operatio productiua passionū, quas nequit essentia naturaliter multiplicatas habere: contra verò si secundo modo: quoniam verò cognitio, ita est debita Angelo in primo suæ creationis instanti: vt possit postea Angelus alias similes in se producere, quæ sint illi indebitæ: hinc est vt dicta cognitio sit vitalis. vnde fit vt operatio vitalis possit dici illa, quæ est producibilis ab intrinseco, saltem quo ad aliqua sua individua post quam res in suo statu connaturali reperitur.

Sed nulla ex his solutionibus satisfacit. Non 9
prima, quia in præsenti controuersia agimus de vita in communi pro vt, tum physicam, tum intentionalem sub se comprehendit, quod si ad vitam intentionalem, vt patet in Deo, non requiritur, quod producatur: hinc tamen non sequitur cognitionem, & volitionem Dei non se habere per modum actus, aut operationis vitalis realiter improductæ. Neque satisfacit secunda, quia aduersarij sustinere possunt cognitionem sui deberi absolutè Angelo tamquam propriam passionem, siquidem verificatur de ea definitio proprij: quod scilicet competat omni Angelo, & soli, & semper; quod si quis cum aliis negat Angelos suæ creationis initio vllam necessitatem physicam ad se ipsos cognoscendos habuisse, sed solam ex quadam congruentia sui cognitionem illis à Deo concessam de facto fuisse: præterquam quod huiusmodi solutio est valdè singularis, & gratis inuenta: non habet locum si argumentum ad Diuinam cognitionem transferatur, probando ex nostra sententia sequi eam non esse vitalem, quia ita competit Deo, vt illum in suo esse naturali maximè constituat, vt paulo post videbimus. Tertia denique solutio quamuis acuta non tamen implet. operatio enim vt sit vitalis, non pendet à possibilitate aliorum individuorum sibi similium in specie ima; alioqui si per impossibile supponamus Angelum nullam aliam cognitionem elicere posse similem in specie ima præcedenti, sed illam tantummodo, quam initio produxit, per totam æternitatem retinere debere: sequeretur, quod dicta cognitio non esset vitalis; quo nihil videtur absurdius. quemadmodum igitur, quod Petrus sit homo, non pendet à possibilitate aliorum hominum, eo quod, ex suppositione, quod omnes illi contradictionem nouerunt, adhuc Petrus poni posset à parte rei, & habere rationem hominis: ita, neque, quod illa cognitio angelica sit vitalis, poterit à possibilitate aliarum cognitionum similium in specie dependere.

Idcirco, admisso quod de Angelis se initio 10
necessariò cognoscentibus in dubitatione supponitur; dicendum, quod quando asseritur operationem immanentem constitutiuam vitæ esse illam, quæ ita ab operante procedit, vt neque ipsa, neque eius terminus sit illi debitus pro primo suæ productionis instanti: intelligendum hoc sit de ipsa operatione, eiusque termino, secundum se, & ratione quidditatis suæ consideratis, non quidem in specie infima; neque in genere generalissimo, sed in specie subalterna; eo quod secundum hanc viuentia à non viuentibus diuersificantur. cum igitur nos supra probauerimus triplex genus viuentium dari: vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum: cumque constet neque vegetationem, vt sic: neque sensationem, vt sic; neque intellectionem, atque volitionem, vt sic, esse debitas viuentibus pro primo suæ productionis instanti; alioquin in statu violento tunc viuentia non vegetarent, neque sentirent, neque discurrerent: hinc rectè deducitur, has omnes operationes cum suis intrinsecis terminis de genere suo esse vitales; nō obstante, quod Angelis intellectio sui, quando primò creati sunt debita fuerit. hoc enim per accidens, & ratione subiecti illis contigit. eo quod Angelus productus fuit in statu perfectissimo, in quo aliquam operationem intellectualem sibi vendicabat, & nullo potiori iure sibi conueniebat, quam intuitiua sui, ad quam per suammet substantiam determinatur.

Eodem modo respondendum est: si difficultas 11
transferatur ad Deum sic: Deus viuit per intellectionem sui: sed per hanc constituitur in suo esse diuino. ergo etiam si operationes debeantur suis principijs necessariò; atque adeò rebus creatis pro primo quoque suę productionis instanti, 12
non sequitur, quod vitales non sint. Dicendum enim, quòd, licèt cognitio Diuina, qua Diuina est per se habeat identificari Deo, & esse constitutiua illius; quia tamen hoc minimè sibi vendicat, quatenus est cognitio vt sic: si quidem secundum hanc rationem considerata, potius habet oppositum, nimirum, non necessariò suo principio conuenire: hinc fit, vt etiam diuina cognitio sit vitalis: non obstante, quod realiter sit constitutiua diuini esse, veritas nostræ doctrinæ huc vsque tractatæ confirmatur, supponēdo, quod pro primo instanti, in quo creatus est Adam, habuit oculos apertos, & species visibiles ex obiectis sibi præsentibus accepit. atque adeò illi in primo suæ creationis instanti debita fuit visio illorum obiectorum; alioquin violentiam fuisset passus; sed quia non fuit debita ex se, & ratione visionis vt sic; alioquin omnes produci deberemus videntes, sed per accidens modo dicto; id circo visio illa fuit vitalis quod igitur fecit in Adamo præsentia obiecti: præstat Deo, & Angelis perfectio sui intellectus, semper ad cognitionem propriæ substantiæ debitæ applicati.

Dices: hoc ipso quod vitalis operatio non 13
exigit conuenire operanti pro primo suæ productionis instanti: quantumuis per accidens modo dicto id exigat, non erit amplius vitalis; ergo iam cognitio, qua Angelus, quando primo fuit creatus, se ipsum cognouit; & multo magis diuina cognitio non erunt operationes vitales.

Respondere posset aliquis primò: aliud esse 14
vitalem operationem exigere non conuenire operanti pro primo suæ productionis instanti;

aliud

aliud verò non exigere sic conuenire illi; porrò licèt verum sit, quod si exigeret non conuenire, hoc ipso quod conueniret Deo, & Angelis cessare esse vitalis: quia tamen habet solum non exigere: hinc fieri, vt etiam si aliunde habeat, quod exigat, non cesset esse vitalis. ad eum planè modum quo quia ratio animalis non habet exigere rationalitatem: etiam si in homine illã exigat, non cessat esse animalitas: sed contra: quia si de ratione operationis vitalis non esset positiuè exigere non conuenire operanti in primo suæ productionis instanti, sed tantum præciſiuè: sequeretur quod, siue conueniret, siue nõ: non amitteret rationem vitalitatis sicuti animalitas, siue sit cum rationalitate coniuncta, siue non, suam essentiam non deperdit. hoc autem esse falsum constat ex eo, quia sic considi posset cum operatione productiua proprietatum; quia quoties res aliqua est indifferens ad habendam, vel non habendam formam aliquam, non potest per eius aduentum deperdere suam rationem propriam. Quare melius respondendum videtur secundò: vitalem operationem quantum est de se exigere positiuè non conuenire operanti, pro primo suæ productionis instanti: ita tamen; vt hæc exigentia impediri possit ne ad actũ secundum procedat, quoties habetur aliqua alia ratio magis prævalens oppositum exigens; & quia in Angelo, & in Deo huiusmodi ratio reperitur. hinc fieri vt vtriusque cognitio, non obstante quod necessario ad vtriusque esse requiratur; verè, & propriè sit vitalis; sic sol quando est in nostro emisphærio, quantum est de se, exigit expulsionem tenebrarum à cubiculo; ita tamen vt hæc exigentia impediri valeat ne ad actum secundum procedat, si cubiculum sit omni ex parte occlusum; atque hoc absque eo, quod ipse sol violentiam vllam patiatur, aut sic in statu sibi indebito, & innaturali: idem dicendum in casu nostro, videlicèt, quod illa positiua exigentia, quam vitalis operatio habet, non est vnde quaque absoluta, sed respectiua, & limitata; ex suppositione, scilicèt, quod aliqua potior ratio non prævaleat.

Quiedus *Contr. 1. pun. 2. §. 4. nu. 25.* aliter soluit 14
argumentũ quod sumitur ex Deo per sui cognitionẽ constituto; dicendo quod adhuc ille per sui cognitionem constitutus potest immanẽter operari cognoscendo alia à se: Quod si instes hinc sequi, quod licèt cognitio Diuina quatenus cognoscit alia obiecta vitalis sit: non tamen sit vitalis illa, quatenus Deus cognoscit se ipsum; *pro antiquorum scholis Respondet negando assumptum. rationem negationis assignat;* eo quod ratio (*inquit*) viuentis in actu primo non debet explicari per ordinem ad omnes vitales actiones, neque definitionis vitium est, si non explicetur definitum per conceptum quidditatiuum adæquatum, & essentiale; sufficit enim illud describere per aliquod proprium illi soli, & omni conueniens; quoniam verò omnibus viuentibus, ne excluso quidem Deo, commune est quod constituta iam in suo esse naturali immanenter operentur: hinc fit, vt non obstante, quod Deus per suam cognitionem constituatur: adhuc tradita definitio non sit respuenda:

Equidem existimassem antiquos philosophos, si data sibi fuisset optio, potius electuros fuisse huius auctoris impugnationem, quam huiusmodi defensionem. siquidem contra eam facere videntur tria valdè noranda: & primo quidem, quia non minus exigit Deus, ad hoc vt in suo esse naturali intelligatur adæquatè constitutus, cognitionem omnium aliorum cognoscibilium à se distinctorum: quam ignis calorem vt actu, & lapis locum deorsum in centro &c. quin imo magis, nam si hæc dictis rebus carerent, non possent destructionem sui; & multo minus essent implicatoria contradictionis. Contra verò si Deus careret cognitione aliorum à se, non solùm non existeret, sed etiam esset ens fictitium, & chimericus, atque fictitius. ergo Deus neque in ordine ad cognoscendum se, neque alia à se esset sub hac definitione comprehensus; & sic absolutè non esset viuens. Confirmatur id, quod dicimus: quando enim asseritur, quod Deus constitutus per cognitionem sui potest operari cognoscendo alia à se: vel est sermo de obiectis necessarijs, vel de liberis. Non primum quia Deus non potest intelligi completè, & adæquatè constitutus in suo esse naturali sine scientia necessariorum. Neque secundum, quia quamuis hoc dici nequeat de scientia liberorum in specie seu determinatè acceptorum, eo quod sicuti potuit non facere mundum; ita potest intelligi adæquatè constitutus naturaliter sine scientia visionis mundi: non verò, loquamur de scientia liberorum in genere seu indeterminatè; siquidem secundum probabiliſſimam Theologorum sententiam Deus ab initio æternitatis non potuit se non positiuè determinare ad mundum, vel ad eius negationem; & sic exiget ex tunc, vel de mundo, vel eius negatione habere scientiam liberam; ergo non minus hæc scientia in genere considerata pertinet ad adæquatam constitutionem Dei in ordine ad suum statum connaturalem: quam necessaria. Quod si dicat: disparitatem inter cognitionem, qua Deus se ipsum cognouit, & eam, qua cognoscit alia à se, in eo consistere; quod prior supponatur esse de primario, & essentiali constitutiuo Dei, posterior verò minimè. Contra est secundo; quia quando definitur viuens esse illud, quod constitutum in suo esse naturali immanenter operatur: non potest intelligi de esse naturali essentialiter, tantum, & substantialiter accepto; alioqui descriptio competeret omnibus rebus, ex quarum essentia profluunt passiones de se immanentes; & sic anima rationalis esset viuens pro vt in se incipit suum esse producit intellectum, & voluntatem præsertim in sententia huius auctoris, qui nõ negat posse dictas potentias connaturaliter ab extrinseco competere animæ. per esse igitur naturale in tradita definitione intelligendum est conflatum, tum ex illis, quæ concipiuntur vt essentialia; tum etiam ex eis, quæ, licèt concipiuntur extra essentiam: sunt tamen debita subiecto initio, quando primo in suo esse naturali intelligitur adæquate constitutum; sed huiusmodi est respectu Dei scientia distinctorum à se siuè necessariorum, siuè liberorum. ergo nulla responsio.

Contra

16 Contra denique est tertiò: quia admissa disparitate ab Oniedo tradita, adhuc ex ea sequitur, quod si mens antiquorum fuisset explicare solum viuentia per aliquod illis peculiare, per quod à non viuentibus, quomodocumque discriminarentur: sequeretur, quod nimis pinguiter notionem viuentis assignassent: quemadmodum fecissent, si per immossibile nullum ens substantiale daretur, quod non esset viuens: & illi definissent; viuens esse ens per se subsistens. cum igitur hoc de antiquis non sit credendum dicendum est, quod de viuente non sunt materialiter, & accidentaliter loquuti, sed formaliter, ac substantialiter; in qua acceptione definitio comprehendit Deum, non solum respectu cognitionis, qua alia à se cognoscit: sed etiam respectu illius, qua cognoscit se ipsum. sed per ordinem ad vtramque nequit Deum comprehendere, nisi posita explicatione nostra de cognitione, quantum est de se initio indebita ex suppositione, quod non sit aliqua maior ratio prouadens. ergo haec explicatio tenenda est. Quod vlteriùs confirmatur ex eo, quia, si possumus saluare antiquos in prædicta huiusmodi notione viuentis, de eo loquutos esse formaliter, & non materialiter tantum; debemus id facere. sed possumus, posita nostra explicatione; ergo nostra tenenda est.

17 Objicies secundò viuentibus vegetabilibus est debita vegetatio ad hoc vt naturaliter compleantur: quid enim facerent plantæ, & animalia, si in ea magnitudine, in qua primò genita sunt, remanerent; exigunt igitur necessariò compleri, & crescere, non minus, quam lapis in aere productus exigit deorsum descendere. sed motus lapidis propter hoc non est vitalis. ergo neque vitalis esset vegetatio vegetabilibus. huic argumento Arriaga sub num. 15. dat manus, dicendo propter illud se omnino putare, differentiam assignatam de motu ab intrinseco debito, vel indebito pro complemento naturali non esse sufficientem ad diuersificandas operationes vitales, à non vitalibus. Sed contra hanc succumbentiam videtur facere, quod licet, tum vegetabili sit debita vegetatio, vt ad suum perfectum statum perueniat, tum lapidi producto in aere motus ad centrum, vt in loco sibi naturali conquiescat; discrimen tamen valde notabile reperitur inter vtrumque: nam vegetabile suam magnitudinem ad statum perfectum requisitam non exigit habere pro primo suæ generationis instanti; sed procedente tempore, & sic non censetur esse genitum in statu violento, & sibi indebito, dummodo non careat virtute ab intrinseco per ineus susceptionem alimenti se ipsum statis temporibus nutriendi. Contra verò lapis exigit produci in centro, ita vt si in aere producatur, violètiam patiatur; quantumuis obtinuerit à generante grauitatem, cuius beneficio descendere valeat deorsum. Vnde est, vt descensus censeatur esse debitus lapidi pro primo suæ productionis instanti; eo quod ex tunc debet lapis incipere mouere se, quatenus quandiu est extra centrum in statu violento reperitur: è contrario verò nullum habet debitum vegetabile, vt initio suæ productionis incipiat vegetari, eo quod illa magnitudo, in qua primò producitur, non sit violenta, sed maximè naturalis, pro eo tempore, quod si immediatè post instans generationis nutritur: id quod ex illa actione sibi acquirit, pro tunc, & non in instanti generationis illi debetur. quare ad argumentum distinguendum est antecedens: vegetabilibus est debita vegetatio suæ primæ productionis initio, nego: procedente tempore, concedo. deinde distinguo consequens. ergo vegetabilia exigunt compleri, & crescere; non minus quam lapis inhaere productus exigit deorsum descendere. exigunt diuersotamen modo, concedo, eodem modo, nego consequentiam; diuersitas autem hæc, in quo consistat, patet ex dictis.

SECTIO SECVNDA.

Alia obiectiones contra traditam vitæ notionem soluta.

OBijcies tertiò ignis, in suo esse connaturali ter debito iam constitutus, potest immanenter operari. sed eius operatio non est vitalis; ergo non bene assignatur pro actione vitali ea, qua res immanenter operetur in se formam naturaliter in primo instanti suæ productionis sibi indebitam. minor, & consequentia patent. maior suadetur, quia, non minus ignis, in suo esse connaturali constitutus iam, augeri potest intrinsecè per aggeneratione pro primo instanti sibi indebitam, quam planta per nutritionem. ergo si planta nutriendo se, censetur immanenter operari; etiam censebitur ignis augendo se ipsum. 18

Respondeo, distinguendo maiorem: ignis in suo esse &c. potest immanenter operari per actionem, quæ per se, & ex intrinsecis suis immanens sit, nego; quæ sit talis solùm per accidens, & extrinsecè, concedo; & concessa minore: distinguo eodem modo consequens; & ad probationem maioris dico: discrimen inter aggenerationem, qua crescit ignis, & nutritionem, qua augetur planta consistere in eo, quod operatio ignis non sit per se, & ex intrinsecis suis immanens: sed per accidens solùm, & extrinsecè: contra verò operatio, qua planta nutritur. pro explicatione sciendum; operationem immanentem indebitam operanti pro primo instanti, quo incipit existere, ad hoc vt sit vitalis, debere esse talem ex se & ab intrinseco: ita nimirum, vt essentialiter exigat recipi in principio, à quo producitur; vt constare potest inductione facta per omnes operationes vitales, nec non etiam per omnia principia, à quibus producitur, quæ sunt ex sua peculiari ratione ad operandum in se ipsis, primò & per se determinata. atqui operationem aggeneratiuam ignis non esse talem, patet ex eo, quia omnis actio, qua ignis ignem producit, semper est eiusdem speciei, siue ex utroque igne fiat vnum per continuationem: siue non: gratis enim, & sine vllo prorsus fundamento quis sustineret, actionem, qua ignis comburit stupam, cui vniatur, esse diuersam essentialiter ab ea, per quam comburit eandem stupam, cui nó vniatur: contra verò operationem nutritiuam, qua animal se ipsum nutrit, essentialiter differre

ab ea,

Digitized by Google

ab ea, qua aliud sibi simile transeunter generat constat ex diuersitate dispositionum, & facultatum, quæ ad dictas operationes exercendas necessariæ sunt; de facto enim sæpè uidemus, eum qui est aptus ad unam; esse ineptum ad alteram: quod contra eueniret, si huiusmodi operationes non differrent specie, ut patet ex igne.

19 Instabis: actio aggenerativa ignis dupliciter considerari potest: primò pro ut terminata ad ignem ut sic. secundò pro ut terminata ad ignem ut unitum agenti. iam licèt primo modo spectata non sit ex suis intrinsecis immanens: est tamen considerata secundo modo, ut constat ex actione nutritiua plantæ, quæ licèt pro ut terminata ad partem animæ uegetatiuæ non habeat ex se esse immanens, eo quod huiusmodi pars saltem in specie poterat æquè benè per actionem transeuntem produci, ut ex prima plantæ productione constat: habet tamen pro ut terminata ad partem, ut præcedenti unitam. si igitur hoc sufficit ad uitalitatem actionis nutritiuæ plantæ: etiam sufficiet ad uitalitatem actionis aggenerativæ ignis; quod quam sit absurdum, nemo non uidet.

Respondeo admissa duplici actionis aggenerativæ ignis considerabilitate; negando eam secundo modo acceptam esse ex suis intrinsecis immanentem; & ratio est, quia æquè benè unus ignis potest alteri præcedenti uniri; siue unio illa sit ab igne præcedenti, siue ab alia extrinseca causa producta: si enim ponamus præcedentem impediri ad agendum in stupam sibi debitè approximatam, alium uerò ignem aliquãto distantem, ita in eam agere posse: ut nequeat eam sibi aggenerare: profecto non minori facilitate, nec diuersa ratione pars ignis de nouo producta unietur præcedenti, ac si ab illo producta fuisset. oppositum contingit in nutritione plantæ, si enim supponamus eius alimentum, partem formæ eiusdem rationis cum forma plantæ ab agente extrinseco acquisiuisse: nisi planta ipsa agat in ipsum alimentum in minutissimas partes diuidendo, & ad poros suos attrahendo, ac demum sibi illud uniendo: planta minimè nutrietur. Hunc discursum non admittit Arriaga *sub num.* 18. tum propter obiectionem secundam, tum propter argumentũ infra subsectione quarta à se proponendum; & quidem quo ad obiectionem attinet: iam à nobis soluta est, quod uerò *pertinet ad argumentum quamuis nu.* 57. *& sæpè alibi de eo mentio fiat*: proponitur tamen ex professo *nu.* 54. *in hunc ferè modum. si duæ animæ essent inter se penetratæ, & una impediretur à productione suarum passionum*; altera posset in ea illas producere. ergo si duo stomachi penetrarentur, & unus impediretur, ne in cibum approximatum ageret, posset alter agere in illum, & dispositiones ad animam illius recipiendam producere, ipsamque animam demum introducere; & sic nutrire alterum stomacum. sed hæc actio non minus esset transiens, quam actio illa productiua passionum in altera anima; ergo falsum est actionem nutritiuam esse ex suis intrinsecis, & essentialiter immanentem. omnia uidentur certa, præter antecedens. quod probari potest ex his, quæ habet auctor *num.* 53. nam est ualdè probabile, passiones à generante produci licet per actionem distinctam ab ea, qua generatur essentia; possunt ergo etiam produci ab alma anima; etiam si non sit generans, hoc ipsò, quod altera non ualet eas in se ipsa producere; non enim potest assignari disparitas; & confirmari ulteriùs potest ex eo, quia frigiditas est passio aquæ, sed ad eam in se producendam potest aqua adiuuari ab extrinsecis agentibus, niue uidelicèt, aquilone, & similibus; ergo &c.

Respondeo tamen, negando antecedens; ideo enim natura concessit uirtutem producendi aliquem effectum in specie pluribus causis, ut ad absentiam unius ille effectus ualeat existere productus ab alia causa, atqui impossibile est, quod ad absentiam animæ eius passiones existant. ergo non debuit natura uirtutem producendi passiones debitas unianimæ dare etiam alteri; quare si duæ animæ penetrarentur & una à productione suarum passionum impediretur: non posset altera illas in ea producere: quamuis enim impedimentum illud sit possibile: quia tamen in ordine ad potentiam absolutam est tale, in ordine ad quam natura non potest se extendere, præcauendo sibi ab ea: hinc fit, ut non debuerit natura propter hanc causam tribuere uirtutem alteri animæ producendi passiones alterius.

Ad probationem antecedentis: nego sententiam, quæ docet passiones rei genitæ a generante immediatè produci esse satis probabilem. cum enim hanc uim natura concesserit rei genitæ: superfluè eam etiam generanti tribuisset; non enim est naturaliter possibilis casus, in quo res genita illas in se producere non ualeat; atque adeo in hoc adiumentum à generante minimè expectare potest, quod si communiter dicitur, quidat esse, dare consequentia ad esse; hoc intelligendum est de consequentijs uirtualiter; quia hoc ipso quod causa aliqua dat esse alicui formæ substantiali, debet dare illi quoque uirtutem producendi in se passiones, quæ eius esse necessariò consequuntur. Ad confirmationem denique ex aquæ frigiditate petitam respondet Quiedus *contro.* 2. *num.* 8. non ualere paritatem eo quod nunquam (inquit) nos uidimus intellectum hominis productum fuisse ab alio distincto ab illa anima, cuius est proprietas: cum sæpè experti simus frigiditatem aquæ ab alijs agentibus productam esse. uerum hæc solutio frigida est, & languida. si enim haberet uim, nunquam ab experientijs argumentari liceret; & sic non ualeret hoc argumentum: omnia animalia, quæ nouimus pollent sensu tactus, ergo, & hoc aliud, de quo non experti sumus, num eo sic præditum. posset enim negari paritas, eo quod istud num polleat tactu adhuc non nouimus. solida igitur ratio disparitatis inter passiones animæ, & aquæ frigiditatem mihi esse uidetur: quia nomine passionum animæ in casu nostro ueniunt illæ, quæ non habent nisi munus passionis, cuiusmodi est intellectus, & uoluntas respectu animę rationalis V. G. quia non ei inseruiunt nisi ad suas uitales operationes exercẽdas: contra uerò frigiditas respectu aquæ, sicuti etiam calor respectu ignis &c. præter munus passionis, habet etiam disponere, & præparare

20

mate-

materiam ad eius formam recipiendam, quoniam verò dispositio antecedenter ad productionem formæ introduci debet: necessarium fuit, vt natura non sòlum formæ aquæ, sed etiam aliquibus alijs causis virtutem producendi frigiditatem transeunter dedisset. vnde non est mirum, si huiusmodi causæ postea ipsam aquam, se ad pristinam frigiditatem reuocare nitentem, adiuuent; & casu quo illa nihil posset in se agere, adhuc illæ eam infrigidarent.

22 Obijcies quartò: Anima vegetatiua, quandiu alterat nutrimentum, & in chilum conuertit, & tandem illum ad formam viuentis recipiendum disponit, operatur transeunter; sed tunc exercet operationes vitæ; falsum igitur est conceptum vitæ in communi per operationem per se immanentem sufficienter explicari.

Respondent aliqui: nullam ex dictis operationibus esse vitalem; sed solum illam, per quam vltimò substantia alimenti in substantiam aliti substantialiter conuertitur, quia hæc tantùm recipitur in principio, à quo profluit. quamuis enim procedat à viuente, & in materiam alimenti recipiatur, quia tamen materia illa in eo instanti eius beneficio iam euadit pars ipsius viuentis; rectè verificatur, quod actio illa conuersiua immanens sit. Sed contra: quia si semel habemus, quod sufficiat ad immanentiam actionis vitalis, vt eius terminus non initio ipsius actionis, sed in eius fine cum suo principio effectiuo identificetur, non video cur non possint dici vitales alteratio nutrimenti, & eius conuersio in chilum, ac reliquæ actiones, quæ ad conuersionem substantialem alimenti in substantiam aliti prærequiruntur. nam licèt huiusmodi actiones secundum se consideratæ immanentes non sint: sunt tamen huiusmodi pro vt terminatæ ad conuersionem; quamuis enim dicta conuersio sit instantanea, & illæ alterationes fiant in tempore: conueniunt tamen in eo, quod quemodmodum ipsa conuersio substantialis, neque in termino à quo, neque via habet rationem immanentis, sed solùm in termino ad quem: sic illæ mutationes, non nisi vt terminatæ ad ipsam conuersionem, ad quam disponunt, & natura sua ordinantur.

23 Obijcies quintò: operatio vitalis, vel requirit immanentiam per se, ratione sui tantum; vel etiam ratione sui termini. neutrum dici potest; ergo &c. maior patet. minor probatur: Non primum, quia actio est propter terminum, à quo specificatur. ergo si est de se immanens non nisi quia eius terminus non petit à principio extrinseco produci, sed ab intrinseco tantum. Neque secundum, quia videmus virgam ab vna arbore abscissam, & alteri insertam vnisi illi vitaliter, & retinere in ea propriam formam, quod est euidens signum virgam illam fuisse indifferentem, vt propriæ arbori, à qua ab intrinseco defacto processit, ab extrinseco inserta fuisset. falsum est igitur operationem vitalem, cuiusmodi est processio illa virgæ à priori arbore, requirere immanentiam per se, non modo sui ipsius, sed etiam sui termini.

24 Respondeo: concessa maiore, negando minorem. putarem enim vtramque partem probabiliter sustineri posse; & ad id, quod affertur contra priorem, dici: quod quemadmodum non obstante, quod actio sit propter terminum, & specificetur ab illo, exigit tamen esse modus, quamuis terminus sit res: ita exigere potest vitalis actio immanentiam, quamuis eam non exigat de se terminus; & ratio huius esse posset, quia est dabilis terminus, qui de se sit aptus, tum per actionem vitalem, tum per non vitalem naturaliter produci, quare aliunde actio suam essentialem immanentiam sibi vendicare debet; quam à termino, quod si quæras vnde sibi illam assumat? Responderem breuiter: causaliter à principio effectiuo, formaliter à se ipsa. Verum vt cum doctrina superius tradita me conformem, posteriorem partem absolutè sustinendam existimo: videlicet operationem vitalem, non solùm ratione sui, sed etiam ratione termini exigere immanentiam. Ad probationem in contrarium: aliqui respondent primò, quod licèt virga illa indifferentiam habeat ad vniendum se cum extrinseco supposito: non potuit tamen nisi à principio intrinseco primò produci: Sed contra est, quia ipsa est eiusdem speciei cũ arbore, à qua producta est: sed arbor producta est ab extrinseco principio: ergo, & virga illa potuit sic primò produci. idemque dicendum de parte carnis, quæ per nutritionem ab intrinseco principio generata est; potuit enim ab extrinseco, sicuti illa, cui additur, generari. neque enim hic agimus de his effectibus in indiuiduo, sed in specie; quia hoc modo differunt ab illis rebus, quæ vitales non sunt.

25 Respondent alij secundò, virgam illam diuerso modo respici posse per generationem, ac per nutritionem. porrò licèt pro vt respicitur per generationem sit indifferens vt immanenter, vel transeunter producatur: quatenus tamen respicitur per nutritionem, est determinata ad hoc vt producatur immanenter. Sed neque hæc responsio satisfacit, quia virga secundæ arbori inserta, in ea nutritur, & vegetat: & tamen non est ab illa immanenter producta, falsum est igitur, quod quatenus per nutritionem attingitur, sit determinata, vt immanenter producatur. Melius igitur respondendum tertiò videtur: terminum nutritionis, & si non exigat quantum est de se immanenter produci: exigere tamen immanenter vniri ex suppositione, quod sit alteri extremo præexistenti vniendus. idemque dicendum de virga à prima arbore excerpta, & secundæ inserta. quamuis enim potuerit transeunter produci: at insitione non nisi immanenter præexistenti arbori vniri debuit. Non potest aduersarius contra hanc responsionem adducere paritatem ignis; dicendo, quod etiam pars ignis ex suppositione, quod igni præexistenti vnienda sit, exigat per actionem immanentem illi vniri: quia oppositum supra probauimus; dum vidimus eodem modo partem illam præexistenti igni vniendam esse, etiam si supponamus ab extrinseco actionem illam vnitiuam procedere: at verò in nutritione nunquam simili casus naturaliter dari potest, quod si ponamus Deum miraculosè in poros animalis alimentum à se solo dispositum introducere, & illud

Digitized by Google

sua in viuentis substantiam transmutare, ac præexistenti vnire: nulla ratione illa actio mirabuntur, censenda esse vitalis, eo quod transiens esset, & non immanens, vt de se patet.

26 Obijcies sexto: vita in communi est duplex: altera radicalis, ac per modum actus primi, & est principium, quod immanenter vitales operationes producit, siue sit substantiale, vt est anima, siue accidentale, vt sunt vitales potentiæ: Altera formalis, & per modum actus secundi, & sunt ipsæ operationes vitales; atqui notio vitæ, quã hucusque in operatione de se immanente inuenimus, non comprehendit vitam radicalem, sed solùm formalem. ergo non est rectè assignata.

27 Respondeo 1. quam plures esse, qui dicunt non posse vnquam vitæ communem notionem assignari, eo quod nullam habeant inter se conuenientiam, sed ex definitione vitæ formalis nullo negotio deueniri possit in cognitionem radicalis; sanctorum dicatur, eam esse principium immanenter operatiuum vitæ formalis propriæ, posita enim explicatione immanentiæ necessariæ ad vitam formalem, nihil aliud addendum videtur: nisi quod ideo de formali propria in huiusmodi

28 definitione fit mentio, quia multa possunt dari principia vitæ formalis, quæ tamen non sunt vita radicalis; cuiusmodi est causa prima, quæ licèt in se sit perfectissima vita; non tamen in ordine ad vitam formalem suarum creaturarum, cum ad illam transeunter, & non immanenter concurrat; idem dicendum de obiectis, vel per se ipsa, vel per species sui vicarias ad vitales cognitiones concurrentibus; quamuis enim sint earum principia, quia tamen non viuunt per ea in actu secundo: ideo non sunt vita respectu illarum in actu primo: quid quid, sit si aliunde sint vita vel in actu primo, vel etiam in actu secundo. Verũ ego existimarem inter vitam radicalem, & formalem aliquam admittendam esse in ratione vitæ conuenientiam. hoc enim ipso quod radicalis est causa vitæ formalis; iam illam in se virtute continet. porrò virtus continentialis alicuius effectus quandam habet cum eo affinitatem atque coniunctionem, quam non habet cum eo, cuius non est huiusmodi virtus. vnde nil mirum si aliqua ratio communis ab vtrisque abstrahi valeat, quæ, licèt non sit vnivoca, quia imperfecta est; vt de se patet, non tamen inde sequitur, non posse vnica descriptione comprehendi, vt constat ex his, quæ analogicè conueniunt in ratione entis, vel principij &c. quæ sub omnem, aliquo modo, vna continentur, quo posito. Ad obiectionem concesso minore, negarem minorem; ac dicerem operationem de se immanentem, modo supra explicato, simi posse tripliciter. Primò formaliter, & hanc esse vitam in actu secundo, seù formalem. Secundò radicaliter & hanc esse vitam in actu primo seu radicalem. Vertiò denique cum præcisione ab vtraque, & esse vitam in communi, prout sub se tum radicalem, tum formalem comprehendit; atq; hoc tertio modo sumi cum de vita vniuersaliter accepta à nobis tradita est definitio, quoniam verò vita in actu secundo in aliquorum sententia adhuc duplex est: altera, quæ supponit actum primũ, cuiusmodi est creata, alter, quam non supponit, qualem dicunt esse diuinam, & considerat sanctum in actione ex essentia sua immanente: hinc fit, vt etiam huiusmodi vita sub tradita definitione verò, & propriè comprehendatur, atque adeò de quacunque vita siue increata, siue creata, siue substantiali, siue accidentali, siue in actu primo, siue in actu secundo, aut supponente actũ primũ, aut non supponente huiusmodi definitio verificetur, ex quibus deducitur viuens in communi rectè describi, esse id, quod actionem seu operationem ex essentia sua immanentem exercet, quæ quantũ est de se non tendit ad constituendũ ipsum in connaturali statu sibi debito initio sui esse, siue demum exercitiũ dictæ operationis sit in actu secundo, siue solùm in actu primo.

SECTIO TERTIA

Enumerantur quædam Recentiorum sententiæ circa vitam, & viuentis notionem.

EX his, quæ hucusque de ratione vitæ in communi viuentibus omnibus competentis disputauimus: quilibet de se facilè decernere poterit, quid de aliorum sententijs sentiendum sit: Placet tamen præcipuas recensere, vt eas, quæ cum nostra coincidunt, & quæ illi contrariæ sint, appareat. Prima igitur esse potest illorum, qui sic definiunt viuens apud Oviedum *contra* 28 *punct.* 1. §. 3. viuens est, quod vltra completum in esse substantiali, & virtuis operatiuæ determinatum est ad producendam in se perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinseco produci non potest, ex qua definitione erui potest definitio vitæ in hunc ferè modum. vita est operatio de se immanens, procedens à substantia completa, tam in esse substantiali, quã in virtute operatiua, ad illam producendam determinata. Hanc definitionem impugnant aliqui primò quia cognitio complet animam in virtute operatiua volitionis, nil enim volitum, quin præcognitum. cum igitur non sit cognitionem esse vitam in actu secundo, fatuum est vitam supponere substantiam, cuius est vita, completam in virtute operatiua. Sed ad hoc facilè negandi potest antecedens, & dici quod quamuis viuens velit aliquid velle, illud cognoscere præcognoscat cognitio tamen neque partialiter, neque totaliter se habet vt virtutem causatiuam volitionis, sed tantum vt applicatiuam obiecti ipsi potentiæ volitiuæ, vt illud appetibile possint

29 Vrgebis: intellectio, & volitio producunt habitus, & species sui impressas in anima, ergo eius virtutem operatiuam complent. non essent igitur in hac sententia actus vitales; antecedens & secunda consequentia patent, prima verò probatur: valet consequentia in hac sententia, intellectus producit intellectionem in anima, ergo eius virtutem operatiuam complet. cur igitur non valebit haec alia: intellectio producit habitus, & species sui in anima, ergo complet virtutem operatiuam illius? Respondeo: concesso

Digitized by Google

antecedente, negando primam consequentiam, ad suam probationem dicunt; ideo intellectum completo virtutem operatiuam animæ, quia producit intellectionem in anima tanquam com principium concurrens simul cum ea ad productionem ipsius intellectionis: quoniam verò intellectio producit habitum, & species sui, vt causa realis earum, non est cur debeat censeri completiua animæ in ratione principij operatiui. quia non se habet vt causa partialis illorum nec ita intrinseca ei animæ, vt ex utraque vnum adæquatum principium operationum resultet.

30 Hanc responsionem Oriedus *num.* 19. in hunc fere modum impugnat. Plures sentiunt phantasma materiale concurrere cum intellectu agente ad species intelligibiles sui obiecti in anima producendas; sed non pauciores numero existimant intellectum agentem, sicuti etiam reliquas potentias animæ non distingui ex natura rei; sed tantùm ratione ab ipsa anima, ergo phantasma est completiuum animæ in ratione principij operatiui, tanquam com principium effectiuum intrinsecum in ordine ad hunc effectum; stante igitur responsione tradita, phantasma non erit actus vitalis, quod est apertè falsum.

31 Contra tamen est primò, quia dec maior, cuius minor huius argumenti est certa; quidam enim sustinent phantasma materiale, non nisi informando animam, ad species intelligibiles sui obiecti concurrere, determinando illam ad dictas species, tanquam causa adæquata producat. alij verò putant potentias animæ, atque adeò intellectum agentem realiter distingui à substantia ipsius animæ: inconueniens autem est argumentum in duplici principio probabili fundato, respondere

32 Contra secundo, quia quando dicunt huius sententiæ Patroni, quod actus non sit vitalis, debet ille complendus animæ in ratione principij operatiui; supponunt quod si ille debitus in primo suæ productionis instanti, quod si ille illi pro hunc indebitus, ratio completiui virtutis operatiuæ non contradicit illum à ratione vitæ atque phantasma esse debitum animæ in quo primo suæ productionis instanti, ergo &c. Fingunt hoc præcludere nitimur. Quisquis *non* audicendo non implicare animam rationalem, cui initio suæ creationis sit debitus intellectus sui, aliquod phantasma habens pro obiecto ipsam animam. Hæc tamen præclusio facile perfringi potest dupliciter; & primo quidem negando assumptum, ac dicendo implicare animam huius animæ rationalis fore, quod esset, & non esset eiusdem speciei atomæ aliquæ aliis rationalibus, quæ de facto dantur, esset quidem, quia omnes conueniunt in hoc rationale

33 esse speciem infimam animalis, sed hæc anima rationalis vnica quatenus in constituenda non animalem rationale, ergo eiusdem speciei infimæ cum existentibus. Non esse verum, quia palàm est illud differre ab illis, quæ in primo suæ productionis in corpore non exigunt dictas habere cognitiones, vt patet. ergo simul esse, & non esse eiusdem speciei infimæ cum illis. Perfringi etiam secundo potest, negando consequentiam; hæc dicendo, quod quemadmodum non obstante, quod intellectio sui sit debita angelo pro prima suæ creationis instanti non sequitur, eam non esse vitalem, quia hoc non competit illi per se, quatenus cognitio est secundum quod habet rationem vitæ; sed solùm per accidens, & ab extrinseco: quatenus illam posset habere angelus, propter maximam perfectionem, in qua exigit creari: ita non obstante quod illud phantasma debeatur animæ rationali possibili initio suæ productionis, in corpore non deperdet rationem vitæ; eo quòd de ratione phantasmatis vt sic est, quod non sit ex illis formis debitis subiecto in primo instanti, in quo incipit existere; quod si habet, hoc illi prouenit ab extrinseco, & veluti per accidens; nimirum ex nobilitate illius animæ rationalis illud exigentis: his igitur ita perpensis pro hac prima sententia, vt iudicium absolutè de eius veritate feramus.

Nostra conclusio est, quòd si tradita notio viuentis, & vitæ cum aliqua limitatione explicetur iuxta nostra principia, rectè procedunt; contra verò, si absolutè, sine vlla limitatione, pro vt verba sonant accipiantur, non habeat probabilitatem. 35

Probatur viuentis definitionem expendendo; 34
ex ea enim clarè deducitur quid de vitæ descriptione sentiendum sit. quando enim dicitur viuens esse, quod vltra complementum in esse substantiali, & virtutis operatiuæ, determinatum est ad producendum in se perfectionem, aut terminum, qui naturaliter ab extrinseco produci non potest: si absolutè intelligatur multiplicitèr eius falsitas suadetur; & primo quidem, quia Deus est perfectissimè viuens, & tamen eius cognitio non est vltra complementum eius in esse substantiali, identificatur enim eius substantiæ, & in probabili sententia est speciale constitutiuum deitatis, & veluti vltima differentia, per quam natura Diuina à quolibet alio ita distinguitur, vt habeat rationem primæ radicis omnium attributorum Dei: ergo dicta definitio sic intellecta non competit omni viuenti, sine cum aliqua limitatione, intra ea, quæ diximus, explicetur. proposita difficultas euanescit, si nimirum sensus sit, quod vitalis operatio, quatenus est de se, & ex sua ratione generica, debeat esse vltra complementum substantiale viuentis: quid quid sit num id aliunde habeat. Suadetur secundò, quia agens liberum, quatenus exercet actum amoris, vt. &c. cum obiectum indifferens, est viuens: & tamen non est determinatum ad producendum in se dictum actum, quia cum libere operetur, determinationem non potest aliunde expectare: nisi ab ipso actu; ergo absolutè malè dicitur viuens esse illud, quod est determinatum ad producendum in se situm actum. Arcis cum addito dicta verba accipiebantur nimirum; adnotando quod agatur de operatione libera non sit species impressa, sed in genere considerata, eius veritas rectè saluabitur. qui enim liberè amat, sine libertate habeat contradictionis, per quam constituatur completè potens amare, & non amare, siue contrarietatis, per quam eadem completè potens amare, & odio habere, semper est determinatus ad alterum

Digitized by Google

orum ex his actibus elicendum; & sic de eo verificatur, quod vltra complementum &c. determinatus sit ad producendam in se perfectionem liberam in genere, siuè demum sit amoris, siue odij, siue omissionis liberæ vtriusque. suadetur tertiò quod promisimus; quia productio immanens alicuius perfectionis expressa in definitione assignata simpliciter, & absolutè accepta importat veram, & realem productionem, sed Dei intellectio verè, & realiter est improducta; ergo hæc definitio sine vlla modificatione intellecta non comprehendit Deum, qui est viuentium omnium nobilissimus: at si cum aliqua restrictione accipiatur, nimirum quod agatur de productione immanente realiter distincta à principio producente de genere suo, quantum est de se, & si nulla specialis ratio prævaleat; non est cur non verificetur de ipso Deo; quia in illo prævalet simplicitas, cuius beneficio exigit habere identificata omnia absoluta. vnde fit vt Deus; non obstante, quod eius cognitio sit realiter improducta: verè sub tradita viuentis descriptione comprehendatur. suadetur denique quartò quia essentia diuina est determinata ad habenda attributa æternitatis, & immensitatis, quæ intelliguntur tanquam proprietas ab illa profluere à quolibet alio extrinseco principio improducibiles; sed æternitas, & immensitas sunt vltra complementum, quo Deus in suo esse substantiali, & virtutis operatiuæ constituitur. neque enim intelliguntur esse de primo conceptu essentiæ diuinæ; neque habent rationem virtutis operatiuæ, vt patet; ergo si dicta definitio sine limitatione aliqua intelligeretur: æternitas, & immensitas iam essent actus vitales Dei, & Deus per huiusmodi attributa diceretur formaliter viuere. scio Comptonum non habere difficultatem in concedenda consequentia: *disput. enim 6. sect. 4. num. 4.* docet: in eo quod dicatur Deum viuere per omnia sua attributa nihil esse incommodi; & hanc doctrinam sibi videri traditâ à D.T. 1 *p. 4. qu. 18. art. 4 corp.* verũ ibi Sanctus Doctor loquitur de creaturis quatenus sunt in Deo sicuti in cognoscente, de quibus affirmat, quod sic consideratæ sunt ipsum viuere, seu vita ipsius Dei; eo quod vita Dei est eius intelligere: in Deo autẽ est idẽ intellectus, & quod intelligitur, & ipsũ intelligere eius, vt ex articulo præcedente supponit. Cæterum si Deus viueret per immensitatẽ suã nõ esset ratio, cur cætera quoq; nõ viuerent per suã, cõmẽsurationẽ ad determinatũ spatium; quia discrimen solum esset in eo, quod viuere Dei esset infinitum, creaturarum verò finitum. ut igitur saluemus hanc viuentis definitionem non competere Deo ut immensitatem & æternitatẽ formaliter habenti: virtus operatiua, vltra quã debet posse producere in se viuens perfectionem suam, non est sumenda strictè; sed cum aliqua amplitudine; ut nimirum comprehendat omnia, quæ ex parte operantis necessaria sunt ad operandum; cuiusmodi est eius duratio in esse, & præsentia in eo spatio, in quo operari debet; & quia hæc duo, hoc ipso, quod competunt Deo, exigunt esse infinita, quo modo æternitatem, & immensitatem important: hinc fit, vt æternitas, & immensitas nomine virtutis operatiuæ in definitione tradita comprehendantur: Quod si dicas diuinam virtutem neque posse intelligi ad operandum completam sine diuina cognitione, & volitione rei, quæ debet fieri: & tamen hæc non comprehendi sub virtute operatiua, aliàs non essent vitales. contra est, quia hæc sufficienter excluduntur per hoc, quod de genere suo non exigunt competere subiecto inquolibet instanti, pro quo intelligitur esse, sicuti sæpe diximus: contra verò existentia exercita, & præsentia in aliquo saltem loco; ex quibus deducitur, quod si verba traditæ definitionis viuentis absolutè intelligantur; dicta definitio consistere nequit: contra verò si accipiantur cum aliqua limitatione, & restrictione iuxta nostram sententiam superius explicatam, quod erat probandum.

SECTIO QVARTA.

Expenditur opinio Oniedi.

35 SVpponit hic auctor *controuers. 2. pun. 1. num. 12.* inter actiones immanentes aliam esse simplicem emanationem; aliam puram actionem simplicem emanationem, ait, esse illam, qua passiones procedunt ab essentia sine consortio alius principij creati; sed tantum essentia se habente per modum principij actiui, & passiui respectu illarum, quo posito *puncto 2.* aliorum placitis confutatis; ex propria sententia *num. 7* definit viuens in actu primo esse illud, quod vltra simplices emanationes, actionem ex conceptu suo immanentem exercet, hoc est (vt ipse met se explicat) quæ supponat aliud præter purum actiuum, & passiuum principium illius, respectu cuius immanens dicitur. hanc definitionem probat ex eo, quia actiones vitales, supponentes actum primum, consistunt in nutritione, sensatione, intellectione & volitione. iam verò omnes has ex sua essentia esse immanentes constat ex dictis: supponere verò aliud præter principiũ actiuũ, & passiuum pusum, respectu cuius immanentes dicuntur, atque adeò non esse simplices emanationes, probat inductione; nam nutritio præter viuens, respectu cuius est immanens; supponit materiam alimenti. sensatio verò indiget specie obiecti, & tamen respectu illius non dicitur immanens; sicuti etiam intellectio species intelligibiles; denique volitio supponit intellectionem, cui non est immanens, ex quibus *num. 32.* deducit definitionem actionis vitalis in communi, quæ vitam in actu primo supponit, sic: Est operatio immanens ex conceptu essentiali, quæ aliquid aliud supponit præter principium actiuum, & passiuum illius, cui immanens dicitur.

36 Conclusio tamen nostra est: Neutram definitionem procedere: & quia posterior tota quãta est in priorem refũditur: sat erit probare, quod non procedat prior. ut vtriusque falsitas aperiatur: probatur autẽ unicè destruẽdo id, quod de emanatione simplici hoc est absolutè, & propriè dicta supponitur, in quo totus auctoris

Digitized by Google

discursus tãquam in cardine vertitur: Quia gratis omnino, & sine vllo fundamento asseritur: simplicem emanationem esse illam, quæ non supponat aliud præter purum actiuum, & passiuum principium illius, cuius est emanatio: aliud verò habemus Doctores communiter oppositum asserentes, quibus, in dando rebus nomina, conformari debemus; ergo &c. antecedens, quoad priorem partem patet ex his, quæ *nu. 12. sic* habet auctor: vbi sine vlla ratione definitionem dimanationis assignat; posterior verò suadetur ex eo, quia si verum esset quod dimanatio solum actiuum, & passiuum principium purum, respectu cuius dicitur immanens, supponeret: sequeretur, quod secũdæ passiones, quæ ex primis procedunt, non fierent per dimanationem; siquidem præter essentiam, cuius sunt passiones, supponunt aliquid aliud, nimirum primas. sequelam expressè concedit Ouiedus ipse *nu 13.* docens simplicem emanationem non supponere in subiecto aliquod accidens; vnde si plura (inquit) accidentia inter se connexa aduenium materiæ; primum accidens, quod immanenter producitur, per simplicem emanationem procedet: reliqua verò, quæ hoc supponent, non per simplicem emanationem, sed per actionem simpliciter, seu specialiter dictam, prout ab emanatione distinctam à principio nascentur: hæc ille, quæ esse contra cõmunem sensum auctorum nulla alia ratione melius probari potest, quam adducendo in medium, quod ait Suarez *disput. 18. metaph. sect. 3. num. 3.* vbi sic: quando accidens fit per naturalem dimanationem, principium proximum illius, secundum talem efficientiæ modum, quicumque ille sit, potest esse substantia; si tale accidens sit immediatè connexum cum illa. interdum verò potest resultare medio accidente, si cum illo habeat propinquiorem connexionem: tota hæc conclusio communiter recepta est; sic Suarez; ex quo clarè deducitur emanationem, seu (quod idem est) resultantiam naturalem nil aliud esse, quã actionem, quodammodo pertinentem ad consummatam rei productionem, quia Solum tendit ad constituendam illam in connaturali statu per se sibi debito, ex vi generationis; ergo non solum gratis asseritur simplicem emanationem solum principium actiuum, & passiuum illius, cuius est emanatio supponere; sed etiam hoc asserere, est contra communem sensum Philosophorum. Confirmatur id, quod dicimus ex his, quæ idem Suarez *loc. cit. num. 5* habet; vbi ait: Caietanum *part 1. qu. 54. art. 3. in fine*, fateri, quod quando aqua se reducit ad pristinam frigiditatem. illa est naturalis dimanatio: constat autem huiusmodi reductionem fieri cum contrarietate; atque adeò non supponere solum actiuum, & passiuum principium; idemque docere eundem Caietanũ de motu grauis geniti in superiori loco, qui, ablato impedimento, naturaliter resultat ex grauitate; quam esse qualitatem à substantia distinctam vidimus in libris de Generatione: vtrumque autem dictum noster Suarez approbat: falsũ igitur est quod Ouiedus assumit, simplicem emanationem non supponere in subiecto aliquod accidens.

36 His ita constitutis, viuentis definitionem ab hoc auctore traditam corruere nullo negotio conijci potest. nam actio vitalis, per ordinem ad quam definitio viuentis ab eo traditur, in eius sententia, differt ab emanatione passionum, per hoc, quod aliud supponit præter principium actiuum, & passiuum illius, cui immanens dicitur. sed iam probauimus in hoc eam conuenire posse cum emanationibus. ergo sicuti definitio operationis vitalis non consistit, quia competit aliquibus emanationibus: ita neque consistere poterit definitio viuentis in communi; quæ per ordinem ad dictas operationes traditur. ex quo deducitur, fundamentum cui, tota hæc sententia nitebatur, instabile, & vanum esse.

37 Dicet fortasse primò: se in definitione emanationis tradenda, non loquutum esse de quacumque emanatione absolutè dicta, & in genere, sed de ea, quæ est simpliciter talis, & in specie, cuiusmodi non est resultantia secundarum passionum; & motus naturalis grauium, & leuium ad loca sua: Sed contra est, quia inde sequeretur, res naturales pro vt secundas passiones in se producunt, esse viuentia, & per consequens productiones earum esse vitales, quo quid absurdius. probatur sequela, nam viuens per ipsum est illud, quod vltra simplices emanationes, actionem ex conceptu essentiali immanentem exercet. sed res naturales producendo in se secundas passiones, vltra simplices emanationes, actionem ex suo conceptu essentiali immanentẽ exercent, quia productionem illarum à numero simplicium emanationum auctor excludit. ergo &c. & quia operatio vitalis est illa, quæ ita immanens est, vt non sit simplex emanatio: consequenter dicendum est, resultantias secundarum passionum esse operationes vitales in eius sententia.

38 Dices secundò: viuens constitui per ordinem ad actionem, quæ ita non est simplex emanatio: vt sit de conceptu essentiali immanens. sed productio secundarum passionum non est huiusmodi; color enim, mollities, figura, & similia accidentia, quæ inter secundarias passiones numerantur, possunt æquè bene prouenire rebus naturalibus ab extrinseco, ac ab intrinseco: Sed contra etiam est, quia risibilitas est passio secũdaria hominis, supponens admirabilitatem, quæ tanquam primaria ab essentia illius immediatè procedit; sed ex suppositione, quod passiones plus quam ratione distinguantur ab essentia, risibilitas producitur per actionem, quæ de conceptu essentiali immanens est: ergo hæc fuga non te liberat. Ad rationem verò in contrarium de colore, mollitie, figura, & similibus dicendum: hæc dupliciter considerari posse, primò distributiuè atque disiunctim, secundò collectiuè & copulatim: porrò quamuis primò modo indifferentiam habeant vt ab intrinseco, vel ab extrinseco causentur: at secundo modo, non nisi à principio intrinseco procedere possunt; hoc autem sufficere, vt censeantur per actionem ex conceptu suo essentiali immanentem produci constat ex eo, quia re vera complexio secundarum qualitatum; quæ competunt homini V. G. non nisi à complexione primarum debita naturæ humanæ prouenire potest.

Vrgelis

Digitized by Google

39 Vrgebis: Immanentia ratione compartis pertinentis ad totum accidétale eſt impropriſſima, eo quod non recipitur actio *in* principio, neq; *in* aliquo, quod cum illo totum ſubſtantiale conſtituat. ſed huiuſmodi eſt immanentia ſecundarum qualitatum, etiam collectiuè ſumptarum. ergo &c. minor probatur; quia ſubiectum immediatum ſecundarum qualitatum in noſtra ſentétia eſt quantitas; ſed cauſa efficiens illarum uel eſt forma ſubſtantialis, uel complexio primarū qualitatum. ergo cum neutrum horum aliquod totum ſubſtantiale cum quantitate conſtituat: ſequitur, quod immanentia ſecundarum qualitatum ſit immanentia ratione compartis ad totum accidentale pertinentis.

40 Reſpõdeo hoc argumento totam auctoris ſentétiã peſſũ ire poſſe, ſiquidem ipſe inter actiones immanentes putabat, eſſe enumerandas emanationes primarum paſſionum, quas per hanc inſtantiam excludi ſuadetur ex eo, quia complexio debita primarum qualitatum eſt prima paſſio corporis naturalis corruptibilis. ergo per ſimplicem emanationem procedere deberet. ſed non minus primæ qualitates quam ſecundæ recipiuntur in quantitate, quæ eſt compars pertinens ad totum accidentale; ergo earum productio improprijſſimè cenſenda eſt immanens non minus quam productio ſecvdarum: quoniam verò Ouiedus ex his, quæ habet *punct. 2. nu. 9* poſſet reſpondere: ſe non quamcunque emanationem primæ paſſionis, ſed eam, quæ eſt per ſe immanens in *primo membro diuiſionis* collocaſſe. ideo redeundum eſt ad inſtantiam ex riſibilitate deſumptam, cuius productio eſt per ſe immanens: & tamen, licèt ſupponat admiratiuitatem, quæ in eſſentia hominis vnum compoſitum accidentale conſtituit, non eſt vitalis.

41 Atque hæc quantum ad definitiones viuentis in actu primò, & vitæ in actu ſecundo ſupponentis actum primum. Quoniam verò aliqui putant Deũ primò cõſtitui per intellectionem ipſã, & non dari in eo aliquid, quod ſe habeat per modum actus primi ad actualem intellectionem neque realiter, neque virtualiter diſtinctum ab ipſa: nonnulli verò putant hoc idem non repugnare in creatis, atque adeò eſſe poſſibilem creaturam cuius cognitio ſit eius vltimum conſtitutiuum eſſentiale, abſque eo quod poſſit in ea intelligi actus primus illius: ideo idem Quiedus *ſect. 2. num. 33.* duplicem tradit definitionem *vitalis operationis præſcindentis ab eo*, quod ſupponat, *vel non ſupponat actum primum*: prior eſt hæc: *Operatio diſtincta à ſimplici emanatione ex ſua eſſentia immanens reſpectu intentionaliter operantis* Explicatur: ſiquidem hoc ipſo, quod eſt primum conſtitutiuum rei non poteſt eſſe ſimplex emanatio, licèt de ſuo conceptu eſſentiali immanens ſit: Poſterior verò hæc: Operatio non ſupponens purum principium actiuum, & paſſiuum operantis intentionaliter, cui immanens eſt. Hæc quoque ſic explicatur, quia operatio conſtitutiua Dei nullum ſupponit principium; ergo non ſupponit purum, quia ſupponere purum principium dicit duo: ſupponere principium actiuum, videlicèt, ac paſſiuum; & nullum aliud ſupponere, Iam verò vt de vtraque aliquod ingenuè dicam; mea concluſio eſt, neutram ſatisfacere.

42 Probatur primò quo ad priorem: quia quando in ea dicitur, quod huiuſmodi operatio ſit ex ſua eſſentia immanens reſpectu intentionaliter operantis: vel nomine intentionaliter operantis ſignificatur id, quod à parte rei, & phyſicè non operatur, ſed ſolùm ratione noſtra; vel id quod operatur intelligendo, & volendo; quatenus intellectio, & volitio communiter actus intentionales dici ſolent; ſed neutrum dici poteſt; igitur mala definitio. maior patet; non enim aſſignabile eſt quid aliud ſignificetur. minor quo ad priorem partem ſuadetur: tum quia rerum definitiones non debent tradi per ea, quæ non ſe tenent ex parte illarum, ſed ſolum ex parte intellectus noſtri imperfectè concipientis: tum etiam quia ſicuti intentionaliter operans eſt tale ſolum ratione noſtra. ita & reſpectus ad illud. ergo & immanentia dictum reſpectum includens non igitur operatio vitalis eſt eſſentialiter immanens in hac via; quia quod eſt eſſentialiter tale: verè, & realiter tale eſt, & non per ſolũ intellectum noſtrum. implicatoria igitur inuolueret definitio, dum diceret huiuſmodi operationem vitalem eſſe ex ſua eſſentia immanentem reſpectu intentionaliter operantis. Suadetur etiã eadem minor quo ad poſteriorem partem; quia, ſi nomine immanenter operantis veniret id, quod ſolùm intelligendo, & volendo operatur, ſequeretur, quod dicta definitio ſolis operationibus vitalibus intellectiuis, & volitiuis competeret, quia hæ ſolæ veniunt nomine operationis ex ſua eſſentia immanentis reſpectu intentionaliter operantis, vt de ſe patet. ſed hic auctor initio *num. 33.* citati profitetur ſe velle tradere definitionẽ actus vitalis, tum eos, qui ſupponunt vitam in actu primo tum eos, qui non ſupponunt comprehendentem. ergo &c.

43 Probatur ſecundò noſtra concluſio quod neque poſterior definitio ſatisfaciat: Et primò quia cum priore coincidit. quatenus traditur etiam per ordinem ad intentionaliter operantem, quod, modo vidimus, non poſſe probabiliter ſuſtineri: Deinde vero quantum ad id, quod dicitur eſſe operatio non ſupponens purum principium actiuum, & paſſiuum operantis intentionaliter; ſic: quia ad hoc vt verificetur de operatione aliqua, quod non ſupponat purum principium actiuum, & paſſiuum, ſufficit quod ſupponat aliud præter principium actiuum, & paſſiuum purum, & non eſt neceſſe, vt neque ipſum principium actiuum, & paſſiuum præſupponat; ita vt negatio cadat ſolùm ſupra puritatem; & ſi cadit ſupra principium, quatenus negatio eſt malignantis naturæ, non aliter cadat; niſi in ſenſu compoſito, ſeu quatenus principium puritate effectum eſt, quemadmodum quando quis dicit: ſe non videre parietem nigrum, volens ſignificare parietem, quem videt eſſe album; ſed ſic intellecta definitio eſt manifeſtè falſa; quia verificatur ſolùm de operationibus vitalibus ſupponentibus vitam in actu primo, quæ ſe habet vt principium actiuum, & paſſiuum illarum. ergo &c. Neque dicas ſumi etiam poſſe, ita vt negatio vtrumque abſolutè, & non in ſenſu cõ-

poſito

Digitized by Google

posito neget: Contra enim est, quia sic ad minus definitio, quatenus æquiuoca, reijcienda videtur. siquidem inutroque sensu intelligi, rectè potest. Neque iterum addas particulam (nō) in tradita definitione sumi præcisiuè, & non negatiuè, seu positiuè; contra hoc enim facit inde sequi, quod operatio sine supponeret principium actiuum, & passiuum purum; siue non; adhuc esset vitalis. contra ea, quæ superius ab hoc auctore dicta sunt; quod nimirum de essentia omnis operationis vitalis sit, præter principium actiuum, & passiuum operantis, cui immanens est; semper supponere aliquid aliud.

SECTIO QVINTA.

Examinatur sententia Comptoni.

44 HIC auctor *Disput 6. sect 4. num* 1. conceptū vitæ viuentibus omnibus communem, ait, consistere in eo, vt res aliqua, ita perfectionem habeat ab intrinseco: vt ab extrinseco saltem naturaliter eam habere non possit, & quidē quod vita sensitiua, & intellectiua siue creata siue increata sit huiusmodi ex dictis patet: de vegetatiua probat ex planta, quæ per nutritionem tali modo suam augmentationem acquirit; vt ab extrinseco eam naturaliter accipere non valeat; vnde infert conceptum vitæ in actu primo consistere in huiusmodi aptitudine.

Mea tamen conclusio est: malè à Comptono conceptum vitæ sic assignatum fuisse.

45 Probatur primò; quia inde sequeretur, quod passiones, quæ à rerum essentijs profluunt, essēt vitales. nam passio omnis est perfectio essentiæ, cuius est passio; & ita ab intrinseco emanat ab illa, vt ab extrinseco saltem naturaliter haberi non possit, sed hoc est manifestè falsum. ergo &c. Ad hoc argumentum multipliciter respondet auctor; Et primò quidem nonnullos asserere passiones produci à generante, atque adeò ab extrinseco ab essentijs obtineri. verum responsionem hanc non procedere in sua doctrina ipsemet fatetur ingenuè: vniuersaliter verò non esse admittendam à nobis supra probatum est. Respondet secundò, alios docere posse passiones vnius essentiæ produci ab alia, si illa impediretur, ne in se agere posset, & esset alteri compenetrata. Sed hanc etiam responsionem nos supra confutauimus loquendo de illis passionibus, quæ nō sunt simul dispositiones ad formam, sicuti est intellectus, & voluntas. respondet ipse tertiò, quod licèt huiusmodi passiones produci connaturaliter nequeant ab alia causa creata, quam ab ea, cuius sunt passionis: possunt tamen connaturaliter produci à solo Deo; ita vt sint de se indifferentes ad immanentem, & transeuntem productionem; quod si de facto producuntur ab essentia, id non prouenire ab exigentia effectus; sed causæ, quæ est particularior, & melius quasi applicata ad agendum; Sed neque hæc responsio procedit; nam quoties habetur in rebus creatis virtus producendi aliquam effectum: nunquam causa prima se sola illum effectum producit de lege ordinaria ad præsentiam causæ particularis creatæ impeditæ. sed si id præstat; de absoluta potentia operatur: alioqui quando aqua calefacta impeditur ab igne, ne in se frigiditatem produceret, experiremur, quod Deus vt auctor naturæ, se solo, illam infrigidaret: falsum igitur est huiusmodi passiones posse produci connaturaliter à solo Deo, vt auctore naturæ, casu quo essentia, cuius sunt passiones, impediretur ne in se eas causaret, quamuis enim ex suppositione quod nollet Deus concurrere cum essentia, & nihilominus vellet eam conseruare: hæc dictas passiones exigeret; at non eas exigeret à solo Deo producendas, sed á se, modo sibi connaturali, alias exigeret aliquid miraculosè fieri, quod non est dicendum.

46 Quartò denique respondet idem auctor *num.* 15. si dicamus intellectum, & voluntatem non esse indifferentes, vt producantur naturaliter à Deo; sed petere produci ab essentia, cuius sunt passiones: nonnullos asserere eorum productionem esse vitalem, & essentiam per eas viuere; Sed contra hanc responsionem est manifesta instantia. inde enim sequeretur materiam primam esse viuentem, iuxta probabilem sententiam volentium, eam per emanationem in se quantitatē initio creationis suæ tanquam propriam passionem sibi debitam produxisse. in sententia verò illorum, qui aiunt elementa primas qualitates in se producere per potentiam à propria substantia nemine cogitante distinctam, deduceretur etiam elementis competere vitam. nam in tantō productio intellectus, & voluntatis censetur esse vitalis vixta hunc auctorem, inquantum, ita ab intrinseco procedunt ab anima: vt ei ab extrinseco naturaliter prouenire non possint, sed eodem modo procedit quantitas à materia; & virtus productiua primarum qualitatum ab elementis secundum diuersos auctores, ergo tam productio quantitatis, respectu materiæ, quam productio virtutis productiuæ primarum qualitatum respectu elementorum censenda esset vitalis, & per consequens earum causæ viuentia. quo quid absurdus? Neque sufficienter se excusare potest Comptonus dicendo: se ab huiusmodi opinionibus longè abesse: nam in tradendis rerum communissimarum, cuiusmodi est vita, definitionibus, debemus ita procedere: vt sicuti opiniones quantumuis inter se oppositæ, quas de rebus alijs Philosophi habent, definitā admittunt: ita quo ad fieri potest definitioni minimè contradicant.

47 Probatur secundò conclusio; quia quando in notione vitæ dicitur: eam consistere in eo, vt res aliqua perfectionem habeat ab intrinseco: vel intelligitur solùm de perfectione ex naturā rei distincta à re, cuius est perfectio: vel de perfectione siue distincta, siue indistincta: neutrum dici potest; ergo definitio tradita non procedit: maior, & consequentia patent. minor verò suadetur, & quidem non posse intelligi de sola perfectione nemine cogitante distincta, patet, quia inde sequeretur Deum non viuere; si quidem eius cognitio, & volitio sunt idem realiter cum ipso Deo; quod verò neque intelligi possit de perfectione præscindente ab eo quod sit distincta vel indistincta, suadetur ex eō; quia inde sequeretur Deum viuere, quia haberet perfectio-

Digitized by Google

fectionem suam sibi identificatam, sed etiam lapides, elementa, & similia habent perfectiones suas essentiales, & in multorum sententia potentias productivas in se primum qualitatum sibi identificatas, ergo iam hæc quoque essent viventia.

Respondere posset ad hoc ex doctrina, quam tradit auctor *sect. 4. num. 7.* distinguendo causalem sequelæ: sequeretur Deum viuere, quia haberet perfectionem suam sibi identificatam, & ab extrinseco habitam, nego; & habitam ab intrinseco, concedo; & sic distincta minore, nego primo consequentiam; ad dicti lapides, elementa, & similia, etiam si multas habeant perfectiones sibi identificatas; eas tamen non habere ab intrinseco, quatenus totum suum esse accipiunt ab extrinseco, per productionem à causa efficiente procedentem.

45 Sed contra est, quia inde sequeretur: præcisè per hoc, habere Deum suam perfectionem ab intrinseco, quod eam non habet productam ab alio: sed hoc sustineri non posse, suadetur, quia si per impossibile Deus nullum actum vitalem exercere valeret, sed solum haberet esse improductum, adhuc esset viuens; item si, eadem suppositione impossibili, lapis improductus fuisset: esset etiam viuens, non obstante quod eadem prædicata essentialia, quæ habet nunc retineret, producibilitate dumtaxat excepta. sed hæc videntur apertè falsa. nam alius est conceptus, *quem communiter*; *eum sapientes*; *eum insipientes de viuente habent*; *ab eo*, quem *habent de improducto*; defacto enim multi negarunt *mundum productum fuisse*: & tamen sustinuerunt *eum non esse viuentem*: ergo &c.

49 Arriaga *disput. 2. sect. 1. sub sect. 5. num. 67.* sic fere responsionem auctoris impugnat: si ratio vitæ diuinæ in esse improducto posita esset: sequeretur nullam creaturam viuere; sequelam probat, quia omnis producta est; ergo in hoc non magis conuenit Angelus cum Deo; quam lapis quomodocumque enim cum re nullo modo cognita, tam parum conuenit ea, quæ est cognita à se, ita, & cum Deo improducto non magis conuenit creatura, quæ habet perfectionem productam à se, quam illa, quæ habet eam productam ab alio.

50 Verum adhuc facilè respondere posses aduersarius rationem vitæ diuinæ non esse positam in esse improducto formaliter ex sese, sed quatenus huiusmodi esse importat perfectionem quandam positiuam, non aduenientem Deo ab extrinseco; quam distinguendo est sequela, & quidem ratio vitæ diuinæ consisteret in esse improducto sic, concederetur, posito quod consistit in esse improducto, quatenus importat perfectionem ab intrinseco tantum acquisibilem, negaretur sequela; sed ad probationem in contrarium, concesso antecedente, distingueret, tuxm superius dicta, consequens; & ad paritatem diceret, quod quemadmodum si res nullo modo cognita haberet rem esse suam à se, magis conueniret cum ea, quæ haberet esse cognitum à se, quam cum ea, quæ haberet illud cognitum ab alio; ita & in casu nostro, siquidem ratio vitæ non consistit in esse improducto, ut sic; ut notauimus, hæc igitur posteriore Arriaga impugnatione posthabita, contra responsionem Comptoni prior impugnatio fatis erit, cui si auctor limitationem à nobis modo traditam etiam applicaret, redarguendus ex eo esset, quia quandiu non explicat, in quonam hæc improducta perfectio consistat, nihil de ratione vitæ innotescere facit.

Tertiò denique probatur nostra conclusio quia ex hac vitæ definitione, quam Comptonus assignat, sequeretur Deum viuere per omnia sua attributa, videlicet, per omnipotentiam, immensitatem, æternitatem, &c. sed hoc est falsum, ergo &c. sequela patet; quia dicta attributa sunt perfectiones quædam Deo ita ab intrinseco competentes, vt ab extrinseco nequeant conuenire. minor verò suadetur, quia omnis vita, vel vegetatiua est, vel sensitiua, vel intellectiua: sed dicta attributa sub nullo ex his gradibus continentur. ergo &c. Comptonus *num. 4.* ad hoc argumentum concedit sequelam, vti supra notauimus; sed negat minorem; & ad probationem in contrarium *num. 50.* ait tres illos gradus vitæ assignari pro statu reali; eo quod nullum, realiter loquendo, detur viuens, quod non contineatur sub aliquo ex illis; & defacto omnipotentiam Dei esse intellectiuam eo, quod realiter cum eius intellectione identificatur. cæterum si præcisè, & quoad conceptus nostros loquamur, non esse necesse, vt omnis ratio vitalis formaliter aliquem ex illis tribus gradibus importet.

Sed contra hanc responsionem facit Primò communis philosophorum sensus, qui nunquam aliam rationem vitæ, formaliter loquendo, cognouerunt, quæ sub aliquo, & tribus assignatis membris non contineretur. Contra etiam facit secundò ratio ex manifesto inconuenienti deducta. nã si ad hoc vt aliqua perfectio competens viuenti formaliter accepta, esset vitalis; sufficeret, quod identificaretur cum aliquo ex tribus gradibus vitæ; sequeretur, quod in homine rationes substantiæ, & corporis formaliter sumptæ vitalitatem includerent, quia iam identificantur in eodem homine cum gradibus vitæ vegetatiuæ, sensitiuæ, & intellectiuæ, consequens autem est inconueniens; patet ex eo, quia gradus substantiæ, & gradus corporis prædicantur vniuocè de homine, & de lapide, non sic autem prædicari possent, si dicti gradus adhuc formaliter essent vitales, quia nil vitale, quatenus tale, potest conuenire vniuocè cum non vitali. ergo &c. posset aliquis ad hoc pro Comptono respondere, negando sequelam, & duplicem assignare disparitatem inter rationes substantiæ, & corporis homini competentes, & rationes omnipotentiæ, & immensitatis diuinæ: Vna esset, quod illæ rationes sunt de essentia hominis; hæc autem sunt attributa, & veluti passiones Dei essentiam supponentes: altera verò, quod homo rationes illas habet ab extrinseco, sicuti, & totam suam substantiam, contra verò Deus sua attributa ab extrinseco habere non potest.

Sed neutra disparitas satisfacit: non prior; 53 quia sicuti datur vita formalis, ita & radicalis; quemadmodum igitur prior rebus creatis per aliquod accidentale conuenit; ita posterior per ali-

aliquod essentiale: definitio enim gradus viuentis, animalis, & rationalis cõpetunt homini essentialiter, & tamen sunt vitales. ergo ex eo quod gradus substantiæ, & corporis sint illi essentiales, non possunt, præcisè per hoc, non habere rationem vitalitatis. neque satisfacit posteriori; nam gradus vegetatiui, sensitiui, & intellectiui creati non definunt esse vitæ, seu vitalia principia ex eo, quod ab extrinseco habent esse, per productionem, scilicèt, à Deo, vel alio agente extrinseco, sed sufficit illis quod habeant ab intrinseco perfectionem aliquam, quam ab extrinseco, saltem naturaliter, habere non possunt. ergo neque rationi substantiæ, & corporis negandæ erit ratio vitæ per hoc, quod habeant esse ab extrinseco, sed sufficere deberet, si vera est aduersarij sententia, quod identificetur cum aliquo ex tribus gradibus vitæ: sicuti dicitur de Dei omnipotentia, immensitate, & similibus.

54 Atque ex his patet responsio ad fundamentum huius sententiæ initio adductum. Dicendum enim quod licet viuens importet ita perfectionem aliquam habere ab intrinseco: vt ab extrinseco saltem naturaliter illam habere non possit; quia tamen hoc competit etiam alijs, quæ viuentia non sunt: id circo non rectè per hoc eius natura sufficienter describitur.

SECTIO SEXTA.

Percurruntur reliquæ tres sententiæ, quæ de vita, & viuentis ratione circumferuntur.

55 QVarta sententia in ordine est Mauri, qui lib. 4 qu. 22. vitam constituit in motu, quo substantia secundum suam naturam mouet se ipsam; & per consequens: Viuens, dicit, esse substantiam, quæ secundum naturam suam est apta ad se ipsam mouendum. has definitiones fatetur Oniedus §. 4 n. 25. esse ad mentem omnium antiquorum, & pro eis citat Platonem definientē vitā Dei per motum: necnon etiam Aristotelem, qui secundo cæli loquens de vita Dei sic habet: Dei operatio immortalis est, hoc autem est vita sempiterna, itaque necesse est vitam sempiternam Deo inesse ex quibus constat Philosophum Deī uitā in motu posuisse existimasse, quidni igitur in eodem motu vitam reliquorum viuentium consistere existimarit? probatur hæc sententia ratione, quia quid sit viuere: conijci debet ex jis substantijs, quæ vitam habere maximè manifestum est: cum igitur ex Aristotele *primo de plantis cap.* 5. habeamus: vitam manifestius in animalibus, quam in plantis reperiri: notanda est quid sit in animantibus, quo incipiente, censemus eas viuere, & quo deficiente illas mortuas existimamus, atqui incipiente in eis motu dilatationis, ac constrictionis in respirando; iudicamus illas viuere, & eo deficiente mori; ergo rectè dicitur vita consistere in motu, quo substantia secundum suam naturam mouet se ipsam.

De huiusmodi autem definitione. Nostra conclusio est; quod si motus strictè sumatur, pro vt importat actum entis in potentia pro vt in potentia: hæc definitio reprobanda omnino est. sin autem sumatur laxè pro quolibet actu, quo substantia quomodolibet agit, & operatur immanenter; sicuti sumitur ab Auctore: est admittenda, quia cum nostra coincidit, dummodo addantur limitationes, quas nostræ superius addidimus.

Probatur breuiter, quoad vtranque partem; 56
& quidem quoad priorem est manifesta, quia actus entis in potentia duplicem inuoluit imperfectionem, & vtranque positiuam, Deo repugnantem, vnam subiecti: alteram formæ. prioris quidem, quia supponit illud perfectibile, atque mutabile; posterioris verò, quia desumit actus imperfectus ordinans subiectum illum ad vlteriorem actum. Posterior verò pars eiusdem conclusionis iam supponitur à nobis supra probata: dum ostendimus vitam consistere in operatione ex natura sua immanente; quæ quantum est de se à principio, in suo esse naturaliter debito constituto, procedat. Illud tamen potest in dubium verti, num, videlicet, nomine motus comprehendi valeat omnis operatio vitalis siue creata siue increata? partem affirmatiuam sustineo, quam probo per singula genera vitalium operationum discurrendo, & quidem cum operationes vitæ vegetatiuæ, tum operationes vitæ sensitiuæ, tum denique operationes vitæ intellectiuæ creatæ aliquam mutationem afferant subiecto patet de operationibus vitalibus Dei, suadetur ex eo, quia huiusmodi operationes cognitione, & volitione comprehenduntur, atqui vtramque importare motum quendam intentionalem constat, quia cognitio definitur representatio obiecti, eo quod habet de se obiectum intellectui representare, atque representare aliquid alteri, est illud ad alterum mouere: vnde cognoscens dicitur attrahere ad se obiectum. ergo negari nequit diuinam cognitionem quendam motum intentionalem importare. idem de actu diuinæ voluntatis dicendum. nam hic vel importat amorem; vel odium. porrò amor in prosecutione obiecti consistit: odium verò in fuga ab illo. neutrum autem sine aliquo motu intelligi potest, quo voluntas vel ad obiectum accedat, vel ab illo recedat. ergo etiam actus voluntatis diuinæ est quidam motus. verum hic duplicem illam motus physici imperfectionem à se excludit, eo quod cognoscere, & velle quantumcumque de se sunt perfectiones simpliciter simplices, nullam imperfectionem de conceptu suo importantes, aut supponentes in principio cognoscentes atque volente. rectè igitur nomine motus omnis operatio vitalis tam creata, tum increata comprehendi potest.

Quod si queras, cur igitur nos potius vitam 57
per operationem, quam per motum definiamus, responsio est in promptu: Quia nimirum, nos communiter nomine motus formam positiuè imperfectam intelligimus, atque adeo cum difficultate pro forma à perfectione, vel imperfectione præscindente hoc prouocabulum vsurpamus: non sic autem nomine operationis; iuxta communem enim acceptionem sine vlla imperfectione illud vsurpare consueuimus.

Quinta

Quinta sententia est aliquorum Recentiorum, qui sic viuens describunt: *Est id, quod habet prædicatum ab intrinseco, per se speciali titulo abstrahente à ratione perfectionis debitæ: per particulam (ab intrinseco) excluditur omne prædicatum, quod ab extrinseco conuenit rei. Ly (per se) excludit quamlibet immanentiam per accidens, & contingentem prædicati ab intrinseco prouenientis, cuiusmodi esset vnio duorum ignium &c. Per particulam vero (speciali titulo) excluditur ille titulus actionis, seu perfectionis intrinsecæ transcendentaliter, & communissimè sumptæ, quæ exposcit ab intrinseco prouenire, & quicumque alius titulus peculiaris includitur. Denique (titulus abstrahens à ratione perfectionis debitæ) est ille, qui quantum est de se non affert perfectionem subiecto, quidquid sit, si aliunde afferat; per quam particulam huius sententiæ auctores dicunt Deum censendum esse per cognitionem necessariam viuere, quatenus cognitio diuina quantum est de se abstrahit à ratione perfectionis debitæ, vt patet ex cognitione, quam habet Deus de obiectis liberis, quæ non affert illi perfectionem aliquam.*

57 Conclusio tamen nostra est: huiusmodi viuentis descriptionem non esse sufficientem.

59 Probatur breuiter, quia conuenit alteri à definito. Conuenit enim Deo prout habente prædicata omnipotentis, immensi, & reliqua huiusmodi, quæ, ratione attributorum suorum illi cõueniunt; sed hoc esse absurdũ superius à nobis iam ostensum est. ergo &c. sequela suadetur, quia de huiusmodi prædicatis Diuinis omnia, definitionis traditæ verba verificantur; & primò quidem, quod Deus habeat dicta prædicata ab intrinseco, & per se, est manifestum. quod vero deinde habeat illa speciali titulo euincitur, quia prædicata omnipotentis, immensi, æterni &c. Competunt Deo, quatenus Deus est; sed hic est titulus pluſquam peculiaris, ac specialis; ergo competunt illi speciali titulo. Quod denique huiusmodi titulus abstrahat à ratione perfectionis debitæ, claret: quia intantum cognitio, qua Deus se ipsum necessario cognoscit competit Deo speciali titulo, abstrahente à ratione perfectionis debitæ, per aduersarios; quia Deus plures habet cognitiones liberas, quæ ei debitæ non sunt; sed hæc eadem ratio militat pro prædicatis attributalibus. nam cognitiones liberæ iam sunt diuinæ, ergo si, hoc non obstante, non sunt debitæ Deo, rectè deducitur; quod omnipotentia, & reliqua huiusmodi attributa, quatenus diuina sunt, neque sine illi debita. igitur Deus per hoc, quod sit omnipotens æternus &c. habet prædicata ab intrinseco per se speciali titulo deitatis, à ratione perfectionis debitæ abstrahente, quod erat probandum.

60 Sexta denique sententia est eorum, qui substantiam viuentem definiunt esse illam, quæ non est determinata ad vnam à generante, sed indifferens est ad oppositos actus immanentes. Hæc definitio explicatione non eget, quia claret neque probatione, quia per hoc solum videntur viuentia à non viuentibus discrepare, vt patet in equo, qui modo comedit, modo à comedendo cessat; & in arboribus, quæ modo virent, & florent, modo foliis denudantur, & floribus.

Verum de hac definitione, conclusio nostra est: Eam non habere veritatem.

Probatur quia quando dicitur: viuens esse in differens ad actus oppositos immanentes; uel est sermo de indifferentia, stantibus ijsdem rerum circumstantijs; uel illis mutatis; neutrum dici potest; ergo &c. maior patet, probo minorem; & quidem non posse dici quod, stantibus ijsdem circumstantijs viuens sit ad oppositos indifferens constat, quia hoc est proprium solius viuentis liberi, qua liberum est. cæterum, si loquamur de viuentibus necessarijs, est aperte falsum. nam arbores in ijsdem circumstantijs constitutæ, determinationem habent ad easdem operationes immanentes producendas, & ideo hiberno tempore spoliantur foliis; vere autem non solum foliis, sed etiam floribus onerantur, æstate vero, & autumno fructus edunt, atque maturant, quod si non semper, & eodem modo ista exequuntur, in diuersitatem circumstantiarum id refundi necesse est; eo quod libertate careant. idem de brutis dicendum; ipsa enim quoties famescunt, & cibũ habeant præsentem, determinata sunt ad comedendum: similiter ad ambulandum, quoties imaginatione boni, vel mali excitantur ad relinquendum locum, in quo sunt, vel ad acquirendum illum, à quo distant; quia imo ipsum agens liberum, si quatenus intelligens est antecedenter ad libertatem consideretur: caret huiusmodi indifferentia. nam quoties intellectui representatur aliquod obiectum eodem modo, & in ijsdem circumstantijs, in actus oppositos erumpere nequit. sed semper eodem modo illud, vel affirmat, vel negat; ergo falsum est vniuersaliter, viuens esse illud, quod stantibus eisdem rerum circumstantijs, sit ad oppositos actus immanentes indifferens. eadem verò minor quoad posteriorem partem propter contrariam rationem est falsa: nam habere indifferentiam ad oppositos actus immanentes variatis rerum circũstantijs, competit etiam non viuentibus. aqua enim si calida est producit in se rarefactionem, si frigida condensationem. rursum lapis si est in centro non grauitat, contra verò in aere; & quãdiu in eo habet impedimentum, non mouetur; at sublato impedimento deorsum fertur; nec huiusmodi lationem sine vlla indifferẽtia operatur; non solum enim est indifferens ad descendendum hoc, vel illud spatium percurrendo, à diuersis circumstantijs determinationem expectans: sed etiam ad velociorem, vel tardiorem motum edendum pro maiori densitate, vel raritate medij, per quod transire debet; male ergo per huiusmodi indifferentiam, variatis rerum circumstantijs, ad oppositos actus immanentes viuentis notio traditur; siue igitur agatur de indifferentia ad oppositos actus immanentes in ijsdem circũstantijs, siue in illis variatis, falsa est definitio, quod erat probandum.

61

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

De his, quibus competit ratio vitæ in actu primo.

EX dictis suppono: Vitam in actu primo duplicem esse: Alteram substantialem: Alteram accidentalem, & quidem substantialem competere animabus omnibus, Angelis, ac Deo ipsi, dummodo in eo detur aliquod, quod se habeat per modum actus primi ad suã actualem cognitionẽ, & volitionẽ habendã, est certo certius: nec minus certũ est, rationẽ vitæ accidentalis in actu primo sibi vẽdicare potẽtias omnes vegetatiuas, sensitiuas, intellectiuas, ac volitiuas ex suppositione, quod pluſquam ratione distinguantur à substantia viuente, cuius sunt potentiæ. ratio videtur esse, quia omnes illas apellare consueuimus vitales, & à non vitalibus distinctas esse existimamus. Vtrum autem habeant huiusmodi vitalitatem sibi intrinsecam; an verò solum per extrinsecam denominationem ab anima, quæ illis ad vitales operationes exercendas, tamquam instrumentis coniunctis vtitur dubium est. Quidus *contra. 2. punct. 3. num. 2.* distinguit, & si quidem supponamus actus recipi in ipsis potentijs affirmatiuè respondet: contra verò si recipiantur in sola anima, vel in sola materia, aut quantitate; negat; rationem huius rei assignat; quia (inquit) actus hoc ipso quod non est immanens respectu principij, à quo procedit, non prouenit ab illo formaliter vt à vita: verum hæc immanentia potest habere latitudinem, quare sufficiet vt actus, respectu principij, à quò procedit immanens sit: si recipiatur in eodem subiecto, in quo sunt principium productiuum, siuè mediate, siuè immediate subiectatur cum igitur hoc in vtraque sententia verificetur; rectè deducitur potentias animæ esse in actu primo vitales ab intrinseco, siuè dicamus in eis subiectari actus vitales, siuè non; & quidem hoc assertum est iuxta communem Philosophorum sententiam, qui nunquam existimarunt huiusmodi potentias esse solum ab extrinseco vitales, neque vnquam huius meminerunt distinctionis; alioquin non absolutè pronunciassent illas ex se, & formaliter à potentijs non vitalibus esse distinctas: sicuti in suis elucubrationibus passim feciſſe cernere est. His itaque constitutis: quæstio est vtrum potentijs locomotiuis animalium propriis; necnon etiam speciebus impressis, & habitibus, tum acquisitis, tum infusis ratio vitæ accidentalis in actu primo conueniat.

62 Conclusio nostra est negatiua quoad omnia tria, contra Lynceum *lib. 10. phyſic. tr. 1. c. 2. à n. 11.*

Probatur conclusio quoad singula; & primo quidem, quoad primum, nimirum quoad potentias loco motiuas; quia omnis potentia vtrũ sit vitalis in actu primo nec ne à ab eius operationibus dependet. si enim eius operationes sunt vita in actu secundo: erit illa vitalis in actu primo; contra verò, si eius operationes non erunt tales; atqui operationes potentiæ locomotiuæ animalium non esse vitam in actu secundo suadetur. Quia neque ratione termini, neque ratione sui immanentiam ad vitales actus requisitam important, & quidẽ quod illã nõ importent ratione termini: est euidens. nam terminus mòtus est vbi siue extrinsecũ, siue etiã intrinsecũ sed vtrũq; est indifferens vt ab intrinseco, vel ab extrinseco naturaliter causetur in viuente vbicando; per eandem enim vbicationẽ inspecie ima ego sum Panormi, siuè ab equo, vel naui huc fuerim trãsuectus; siuè demũ meis pedibus iter cõfecerim. prętera quod neq; ratione sui, huiusmodi operationes immanẽtiã importent suadetur ex eo, quia quãuis dicti motus valde inter se differrent; quãtenus ille à me productus natura sua immanens sit, prout dicit ordinem essentialem ad suum principiũ productiuũ: cum receptiuo realiter identificatũ: contra verò ille causatus ab extrinseco, propter contrariam rationem, est natura sua transiẽs. illa tamen immanentia non est sufficiens ad vitalitatẽ motui progressiuo ab intrinseco procedẽte impertinendam: quia communis est cuicunque motui, qui ab intrinseco principio, quantumuis non vitali, producitur, qualis est ille, quo lapis deorsum descendit, & ignis sursum tendit. Quod si dicas inter actus potentiæ locomotiuæ animalium numerandam esse comestionem, loquutionem, contractionem, & dilatationem, ac similes: Tibi id vltro concedam; sed nego huiusmodi actus esse vitales propter eandem rationem, quam modo assignaui: eodem enim prorsus modo cibus dentibus conficitur, ac comminuitur: siue animalis mandibulæ ab intrinseco, siue ab extrinseco moueantur: idemque dicendum de loquutione, vt patet ex capitibus à reliquo corpore immediatè antea recisis voces aliquas formantibus, atque loquentibus. atque hæc quantum ad primum de virtute motiua. Quoad verò secundam partẽ, quæ erat de speciebus impressis.

Probatur secundo eadem conclusio, quia spe- 63
cies impressæ se tenent ex parte obiecti, cuius vicem supplent, in productione actus vitalis. sed obiectum quantum est de se non exigit immanẽtiam operationis; solum enim concursum obiectiuum expoſcit, qui æque bene per transeuntem operationem saluatur, vt patet ex eo, quia si duo Angeli essent in eodem loco compenetrati: ambo possent concurrere per suam substantiam ad cognitionem, quam alter de altero formare vellet; vt fert communis opinio. ergo etiam si species impressa vtriusque neutri inhęreret: posset eodem modo ad cognitionem obiecti, loco cuius substituitur, concurrere; iam igitur concursus speciei de se immanens non est. ergo neque ipsa erit vitalis in actu primò, quia omnis vitalitas in actu primo pendet ab immanentia concursus, qui exhibetur in actu secundo; vti sæpè diximus.

Quantum denique ad tertiam partem de habi- 64
tibus nostra conclusio Probatur tertio: quia vel habitus sunt naturales; vel supernaturales; si naturales cum supponantur distincti à speciebus, non sunt simpliciter necessarij ad actus vitales eliciendos. sed dant solum potentijs facilitatem ad illos eliciendos: ergo nequeunt habere rationem vitæ in actu primo: consequentia suadetur. quia nomine vitæ in actu primo intelligimus id, quod est connaturaliter loquendo simpliciter necessarium ad vitam in actu secundo, alioquin si etiam ea, quæ dant facilitatem, rationem vitæ in actu primo sibi vendicarent. multa, quæ con-

stat

Digitized by Google

stat non esse huiusmodi: inter uitas in actu primo numeranda essent; inter quæ non infimum locum haberent carentiæ reliquorum actuum. constat enim potentias vitales V.G. cognoscitiuas, quo plures actus eliciunt circa aliqua obiecta: eo minori facilitate producere alium actum circa obiectum, quod illis de nouo cognoscendum proponitur; ergo carentiæ istorum actuum iam erunt in actu primo vitales. neque dicas vitam in actu primo debere efficienter concurrere ad actum suum; non enim desunt, qui negent habitus concurrere vna cum potentia in genere causæ efficientis ad actus, sed solum se habere per modum cuiusdam dispositionis, & conditionis, qua posita, potentia sola suos actus facilius operetur, & quidem hæc fuit opinio Aureoli apud Capreolum *in primo dist. 17. quæst. 1. art. 2.* & in eam inclinare videtur Scotus *ibi quæst. 2.* & eam expresse tuetur Durandus *in 3. dist. 23. quæst. 2. 3. & 4.* nec non etiam Paludanus *ibi quæst. 2.* vt videre est apud Suarez *disput. 44. metaph. sect. 5. num. 3.* iuxta quorum sententiam, si habitus naturales essent vita in actu primo, id etiam concedendum esset actuum vitalium carentijs, propter eandem rationem, quò quid absurdius? Quod si loquamur de habitibus supernaturalibus; quamuis ratio facta pro naturalibus non procedat; eo quod ipsi sunt simpliciter necessarij ad actus supernaturales connaturali modo efficiendos: tamen eos non esse *in actu primo vitales constat* ex eo, *quia actus supernaturales vitales, licet indiuisibiliter, tum* ab habitu *supernaturali, tum* à potentia, *cuius sunt actus* efficiantur: si tamen formaliter, quatenus vitales sint, considerentur, inuenientur minimè procedere ab habitu; sed à sola potentia, cuius dicuntur esse actus: ergo habitus supernaturalis non se habet respectu illorum vt vita in actu primo. patet consequentia, quia vita in actu primo dicitur per ordinem ad vitam in actu secundo; vnde si actus quatenus talis ab aliquo principio, quantumuis influente in illo non pendet; nequit illud principium dici vita in actu primo respectu illius; vt cernere est in Deo, qui licet concurrat cum potentia vitali ad uitales actus efficiendos; non tamen est vita in actu primo respectu illorum. antecedens verò communi Theologorum suffragio comprobatur, qui duo in actu supernaturali, V.G. fidei agnoscunt vitalitatem, & supernaturalitatem; & priorem quidem totam formaliter loquendo attribuunt intellectui: posteriorem verò habitui fidei. quod si vlteriorem huius rei rationem inuestigare voluerimus; eam non solum ad excludendos habitus supernaturales à ratione vitæ in actu primo, sed etiam naturales, & species impressas se extendere inuehiemus. consistit enim in hoc: quod nihil aliud per vitam accidentalem in actu primo intelligimus, quam virtutem naturalem debitam vitæ substantiali à primo instanti sui esse, adhoc vt vitaliter operari valeat. atqui nullum ex assignatis est huiusmodi; ergo &c.

65 Huic rationi se opponit Lynceus *loco sit. num.* 15. negando id esse, absolutè, verum; quod duplici exemplo confirmat: vnum ex anima ipsa desumptum, sicuti enim anima est vitalis, absque eo quod sit virtus naturalis sibi debita, & superaddita: ita possunt species, & habitus, etiam si non sint virtutes naturales ab initio debitæ, & superadditæ ipsi animæ. Alterum verò ex cognitione, & amore, præsertim, supernaturalibus, qui sunt vita in actu secundo, & tamen non debentur naturaliter homini, aut Angelo. 66

Verum neutro exemplo Auctor suadet inuentum. Disparitas latuit, quia vtrumque ex vitis essentialiter diuersis ab ea, de qua loquimur desumitur. siquidem nos in præsenti quæstione loquimur de vita accidentali in actu primo, quæ cum inductione facta per omnes potentias vitales animæ, probemus essentialiter importare rationem virtutis naturalis, debitæ ipsi animæ ab initio suæ productionis: recte deducimus species, & habitus non esse huiusmodi vitam, eo quod dictam rationem virtutis naturalis debitæ non participent. at exempla, quæ afferuntur, sunt de vita in actu primo substantiali, & de vita in actu secundo, quæ in ratione specifica vitæ, ab illa essentialiter differunt. Quemadmodum igitur non valeret hoc argumentum: Vita substantialis in actu primò non est virtus naturalis realiter alicui debita, & superaddita; neque vita in actu secundo, est huiusmodi. ergo non est debilis vita accidentalis in actu primò, quæ sit virtus naturaliter debita, & superaddita viuenti ab initio sui esse: non valet inquam, quia sic nulla potentia animæ esset vitalis: ita neque valet aduersarij argumentum ad nostram rationem infirmandam. sed veniamus ad obiecta, quæ ad suam sententiam propugnandam adducit.

Obijcies ergo primo pro vitalitate potentiæ progressiuæ ex eodem Lynceo *num.* 8. Aristoteles *2. de Anima cap. 3.* inter potentias animæ enumerat locomotiuum. Item Athanasius *in oratione contra Idola*. Motus animæ, inquit, nihil aliud est, quam vita ipsa, & omnino corpus viuere dicitur, cum mouetur. Denique Augustinus *tract. 19. in Ioannem*: Nisi enim, inquit, viueret anima, corpus non moueret pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum; non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum non moueret. ergo potentia locomotiua animalibus propria vitalis est. 67

Respondeo ex dictis motum localem proprij animali, dici vitalem ab auctoribus arguitiuè, & extrinsecè, quatenus ad eum edendum animal necesse habet exercere multas operationes, quæ intrinsecè, & ex se vitales sunt V. G. cognitionem, appetitionem, & similes, vnde fit vt quoties nos videmus aliquod corpus edere motum aliquem animali proprium V.G. volatū, vel natatū, vel motum progressiuum: reddamur certi corpus illud esse animatum. Duo ad hanc responsionem impugnandam adducit auctor *n. 9.* Vnum est: Patres, & scholasticos eodē prorsus modo apellare vitalem motum progressiuum, & vegetationem, & sensationē &c. sed hi actus sunt ex se, & formaliter vitales: non autem arguitiuè tantum, & extrinsecè. ergo & motus progressiuus. Alterū verò quia si motus progressiuus dicitur vita in actu secundo, quia est argumentum infallibile vitalitatis in animali; idē dici posset de sensationibus ipsis, cum enim semper cum vita vegetatiua, reperian- 68

Digitized by Google

aur coniunctæ: non est cur non possint etiã dici arguitiuè vitales. Neutra tamen instantia habet vim: non prior; quia licet Patres, & scholastici eandem vitæ appellationem vitalibus operationibus, & motui progressiuo tribuerint: non tamen eodem modo existimarunt eam utrisque competere: quemadmodum enim quando homo liberè progreditur; tum actum voluntatis, quo imperat sibi motum: tum ipsum motum communiter appellamus liberè exercitos, & tamen libertas soli actui voluntatis propriè conuenit, motui uerò progressiuo non, nisi per extrinsecam denominationem ab illo procedentem: ita, & circa apellationem uitæ in actu secundo discurrendum est. Neque posterior instantia est efficacior. nam licèt sensatio sit argumentum infallibile animæ uegetatiuæ, atque adeò sit arguitiuè uita uegetatiua: quia tamen habet præterea uitalitatem formalem sibi propriam, consistentem in diuerso modo operandi immanenter, quo anima sensitiua supra gradum uegetatiuum se extollit, ideo dicimus eam esse ex se, & formaliter uitam; atqui hoc non habet locum in motu progressiuo. unde non est mirum, si ei uitam tantum arguitiuè tribuamus:

69 Pro uitalitate specierum impressarum obijcies secundò ex eodem *num.* 12. tum quia sunt virtutes, quibus medijs anima operationes vitales exercet: tum quia sunt repræsentatio virtualis obiecti: quare sicuti actus cognoscitiui, quia sunt repræsentatio formalis obiecti, sunt vita in actu secundo; ita species impressæ erunt vita in actu primo; tum denique quia assensus primorum principiorum vitaliter concurrit ad assensum conclusionis ex D. T. *p. p. qu.* 16 *art.* 3. ergo, & species impressa, quatenus ducit intellectum ad cognitionem obiecti, uitaliter etiam concurret ad illam.

70 Respondeo ad singula; Et quantum ad primũ: nego assumptum; species enim impressæ non sunt virtutes, quibus anima actus suos exercet, sed quibus obiectum vna cum anima sui similitudinem exprimit, vnde est, vt cum se teneant ex parte ipsius obiecti: nequeant ab intrinseco ipsi animæ competere tanquam virtutes illius; sed ab extrinseco tanquam uicariæ obiecti: neque dicat Lynceus sufficere, ad vitalitatem in actu primo, illis concedendam, quod animæ denominationẽ intelligentis impertiant. nam si hoc sufficeret, etiam Deus concurrendo cum ipsa anima ad eius actus vitales, rationem quoque vitæ in actu primo respectu illorum obtineret; quod est apertè falsum. Ad secundum, concesso antecedente; nego consequentiam: disparitas inter repræsentationẽ formalem, & virtualem obiecti est, quia ad hoc vt forma aliqua rationem vitæ in actu secundo obtineat; satis est si quantum est de se, sit actus natura sua immanens, indebitus substantiæ à prima sui constitutione, at ad hoc vt sit uita in actu primo, necesse est, vt ita immanens sit respectu animæ: vt ad eius statum naturalem pertineat, atque adeo illi à primo instanti suæ productionis debeatur. Ad tertium denique dico D. T. *loco citato* id non asserere; sed quid quid sit de hoc: distinguo antecedens: assensus primorum principiorum uitaliter cõcurrit ad assensum cõclusionis, in genere causæ formalis illuminando intellectum, concedo; physicè, & effectiuè in ipsam conclusionem influendo, nego antecedens; & consequentiam: disparitas est quia cognitio principiorum cum sit uita in actu secundo, potest rectè uitaliter illuminare, & dirigere intellectum ad conclusionem eliciendam, etiam si effectiuè non concurrat ad illam; at uerò species impressę si uitaliter concurrunt ad actus uitales, ut uita in actu primo accidentalis concurrere debent, atqui nequeunt hoc modo concurrere, ut supra probatum est. ergo &c.

Pro uitalitate uerò habituum naturalium; posito quod distinguantur à speciebus impressis, obijcies tertio ex eodem Lynceo *num.* 10. Ideo potentiæ animæ sunt uita accidentalis in actu primo: quia sunt uirtutes, quibus anima viuit in actu secundò; atqui etiam habitus naturales sunt uirtutes quædam ad consequentes actus uitales producendos, à præcedentibus actibus productæ; ergo huiusmodi habitus existimandi sunt uitales. Respondeo distinguendo causalem maioris; quia sunt uirtutes quomodocumque, nego quia sunt uirtutes debitæ animæ à primo instanti suæ productionis, concedo maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam; ac dico habitus naturales ita esse uirtutes animæ, ut non sint debitæ illi initio suæ productionis, neque sint simpliciter necessariæ ad actus uitales naturaliter eliciendos, & ideò non esse uitales in actu primo. 71

Pro uitalitate denique habituum supernaturalium obijcies quarto ex eodem Lynceo *num.* 11. habitus supernaturales sunt uirtutes quædam simpliciter necessariæ ad actus supernaturales connaturaliter efficiendos. ergo quamuis habitus naturales, quia non sunt simpliciter necessarij ad actus naturales, non sint uita in actu primo: erunt tamen habitus supernaturales. uel, si hoc illis negetur: cessabit omnis ratio, ob quam potentijs animæ rationem uitæ in actu primo concedere necesse sit 72

Respondeo, distinguendo antecedens: habitus supernaturales sunt uirtutes quædam simpliciter necessariæ ad actus supernaturales connaturaliter efficiendos, & sunt debitæ animæ ex ui suæ primæ productionis, nego; & sunt illi indebitæ, concedo antecedens; & nego consequẽtiam. Ad decernendam enim rationem uitæ accidentalis in actu primo alicui formæ accidentali, non solum requiritur ut illa forma sit simpliciter necessaria ad actus uitales connaturaliter exercẽdos: sed etiam quod sit naturaliter debita animæ, ex ui suæ primæ productionis; atque adeò ab initio sui esse competat illi, quatenus hac ratione debita: quoniam uerò potentiæ animæ utrũque participant: habitus autem supernaturales unum tantum; ideò nil mirum si ratio uitæ in actu primo illis concedatur; istis verò negetur.

Imposterum agendum restaret de his, quibus competat ratio uitæ in actu secundò; sed quia nihil occurrit generaliter dicendum, quod, uel superiùs non sit diligenter discussum; uel imposterum occasione actuum uitalium in particulari non tractabitur; ideò aliud non addendo præsentem disputationem concludimus. 73

Ex

Digitized by Google

74 Ex dictis tamen colliges primò: non operari vitaliter viuens quando se reducit ad temperamentū primarum qualitatum sibi debitum, quod per ægritudinē perdiderat, neq; quando sibi unit partem recenter abscissam V.G. nasum; ratio est quia in vtroque casu operatur ad modum non viuentium V.G. aquæ se ad pristinam frigiditatem reducentis, & se cum alia aqua coniungentis.

75 Colliges secundò: neque operari vitaliter argentum viuum, quando ab intrinseco mouetur, quia id præstat, vt se à contrarijs tueatur; siue enim in orbem erigatur, siue concidat, siuè rursus assurgat, & iterum deprimatur, actionem contrariam vicinorum corporum, à quibus infestatur, fugere intendit.

Colliges denique tertiò: hominem, & Angelum, per actus supernaturales vitaliter operari, quia licet non exigant ex suis intrinsecis se mouere per illos quatenus supernaturales sunt, exigunt tamen se mouere per illos quatenus vitales, sicuti exigit animal se mouere per visionem albi non quatenus albi est, sed quatenus visio. 76

DISPVTATIO NONA

DE CONCVRSV ANIMAE AD SVOS VITALES ACTVS.

1 CVM abundè de anima secundum se egerimus: doctrinæ ordo postulare uidetur; ut in posterum de eius potentijs, ac facultatibus disputemus; quod præstabimus prius de illis in communi agendo, deinde uerò in particulari, ut autem nobis uiam ad ea, quæ dicenda sunt, aperiamus: disputationem de ratione, qua anima in suis actibus tum producendis tum recipiendis se habeat præmittimus, huius enim difficultatis resolutione, multa, quæ dicenda sunt, melius intelligentur.

SECTIO PRIMA.

An anima immediatè per suam substantiam vitales operationes producat.

2 CONclusio est affirmatiua; & quidem in sententia negante distinctionem ex natura rei inter animas, & earum potentias uitales assertio est euidens: nam in hac uia quid quid facit anima per suas potentias: per suam substantiam immediatè faciat, necesse est. si non formaliter, & reduplicatiuè: at realiter, & specificatiuè, ut de se patet. verum nos in conclusione loquimur cum præcisione ab hac sententia, & ab opposita; & sustinemus quod etiam si vitales potentiæ ab entitate animæ, nemine cogitante distinguantur: anima vna cum illis in vitales actus per suam substantiam immediatè effectiuè concurrat; ita Suarez *disput. 18. metaph. sect. 5. num. 2. & 3.* Vasquez *prima disput. 9. num. 17.* Oviedus *controu. 3. punct. 1. § 1.* Comptonus *disput. 13. sect. 1.* & alij Recentiores.

3 Probatur primò: quia voluntas est potentia cæca, quæ, nisi illuminata ab operatione intellectus, cognoscat obiectum, impossibile est ut possit determinare se ad illud amandum, vel odio habendum; quia alias ferretur in incognitum; sed si sola sine concursu animæ suos actus efficeret; hoc eueniret; ergo ad omnes actus voluntatis est necessarius immediatus concursus animæ, & consequenter ad omnes actus appetitus materialis; quia neque hic potest ferri in incognitum; sed necessariò illuminari debet per cognitiones sensitiuas, in ordine ad obiectum, ad quod inclinando accedit, & à quo abhorrendo recedit. maior, & consequentia patent. minor verò suadetur, quia si voluntas cum immediato concursu animæ suos actus efficiat, & intellectus cum eiusdem concursu suos: vel anima vtrosque se sola: rectè intelligitur quo modo eadem anima vt illuminata per cognitionem determinet se, & voluntatem ad amorem, vel odium obiecti, quod cognoscit: si verò voluntas se sola immediatè suos actus produceret: etiam intellectus se solo suos operaretur (non enim posset assignari maior ratio) atqui hoc admisso voluntas non posset illuminari, aut reddi cognoscens per actus intellectiuos magis, quam Petrus cæcus per visionē Pauli, ex qua nulla notitia rei visæ deriuaretur in ipsum Petrum; ergo &c.

Verum efficacia huius rationis ex duplici capite infringi posse videtur. vnum est, quod in sententia Durandi, docentis intellectum, & voluntatem distingui quidem realiter ab anima: sed inter se identificari, nullam habet vim. nihil enim aliud per eam immediatè euincitur; quam quod potentia volitiua, ne feratur in incognitū debet secundùm entitatem suam esse cognoscitiua; sed totum hoc saluatur, etiam si anima non sit immediatè secundum substantiam suam cognoscitiua, & volitiua, dummodo vni formæ accidentali realiter ab illa distinctæ vtrumque munus conueniat; ergo &c. 4

Sed ad hoc facilè respondeti potest: intellectum, 5

Digitized by Google

ctum, & voluntatem non habere maiorem connexionem ad cocundum inter se in vnam entitatem; quam cum substantia ipsius animæ; si qua enim est ratio, cur distingui debeant realiter ab anima; ea ducitur ex diuersitate formali, & specifica, quam inter se habent. si igitur hæc non obstat, quo minus inuicem identificentur: neque obstare debet, quin identificetur cum anima ipsa; quando igitur in præsenti controuersia quæritur, num etiam si potentiæ plus quam ratione distinguantur ab anima: hæc immediatè in actus vitales efficienter concurrat: dicendum est in hac suppositione inuolui etiam id, quod ex dicta distinctione sequitur, nimirum quod etiam potentiæ ipsæ inter se realiter distingui debeant, à qua si præscindatur quæstio procedere nequeat.

6 saltem ex vi huius rationis.

Altum caput, vnde propositæ probationis efficacia infringi potest, ex eius restrictione desumitur; potest enim quis respondere ea probari solam animam per suam substantiam debere efficienter influere in actus appetitus, tum sensitiui, tum rationalis: non verò in actus cognoscitiuos, siuè illi sint sensus, siuè intellectus. nam ratio facta nil aliud conuincit, quam quod ad eos actus causandos immediatus influxus animæ necessarius est. ad quorum obiecta sequenda, vel fugienda lumè cognitionis præcedere debet; sed hi sunt solius appetitus. ergo etiam si anima secundum suã substantiam non causaret efficienter actus cognoscitiuos, dũmodo illos subiectiuè in se reciperet, vt illuminaretur ad efficiendum actus appetitiuos; adhuc ratio facta subsisteret.

7 Respondet Arriaga *disput. 3. de anima sect. 1. num. 40.* argumentum paritate rationis concludere in ordine ad cognitiones, eo quod si semel concedatur substantiam animæ immediatè influere in actus voluntatis, & appetitus efficienter influere, non est cur illi negetur immediatus influxus in actus cognoscitiuos. Sed contra est; disparitas enim lata inter vtrosque actus intercedit. nam ad actus cognoscitiuos non debet excitari principium effectiuum illorum ab actibus appetitiuis: sicuti ad actus appetitiuos eorum principiũ ab actibus cognoscitiuis excitetur necesse est, vnde non est mirum si substantia animæ per se ipsam debet efficere actus appetitiuos: non autem cognoscitiuos.

8 Vrgebit fortasse quispiam: Sæpe intellectus excitatur ad cognoscendum aliquod obiectum per imperium voluntatis, & vt determinatus ab illa; ergo eadem substantia debet esse immediate operatiua cognitionis huius, & volitionis, cum autem non sit maior ratio de his, quam de reliquis cognitionibus: rectè deducitur eandem substantiam animæ non solùm volitiones, sed etiam cognitiones efficienter causare.

9 Sed responderi ad hoc rectè potest: per distinctionem antecedentis, sic: sæpe intellectus excitatur ad cognoscendum aliquod obiectum per imperium voluntatis: excitatione physica, concedo, excitatione intentionali nego antecedens, & consequentiam. nam licet consequens verum sit: non tamen rectè deducitur ex assumpto antecedente. explico distinctionem; & dico duplicem dari posse excitationem: vnam purè physicam: alteram intentionalem. ad purè physicam non requiritur vitalis perceptio obiecti, vt virtus operatiua, quæ excitatur exeat in actum secundum; sed sufficit si ponatur aliquid, quod se habeat tanquam conditio, sine qua ipsa operari non possit, & qua posita infallibiliter operetur. contra verò ad excitationem intentionalẽ necesse est, vt potentia, quæ ad operandum excitatur, vitaliter illuminetur in ordine ad obiectum suum, vt circa illud valeat operari. Primò modo excitantur habitus voluntatis, & intellectus ad operandum circa sua obiecta, neque enim necesse est vt ipsis reluceant merita obiectorum, vt ferantur in ea; sed hoc ipso quod potentiæ vitales, quarum sunt habitus, exeunt in actum secundum: ipsi intelliguntur sufficienter excitati ad concurrendum cum illis; Secundo verò modo excitatur voluntas ab intellectu ad prosequendum, vel fugiendum obiectum suum; nã enim incipiant, ipsi, beneficio intellectus, obiecta merita apparere, nunquam intelligitur completè excitata ad illud astringendum. contra verò statim ac eius merita illi clarescunt, quæ antea erant ignota, habet quid quid requiritur ad hoc ut exeat in actum secundum. his prænotatis dico: quod ad hoc vt intellectus ex imperio voluntatis cogitet de aliquo obiecto: non debet excitari à voluntate excitatione intentionali: sed physica tantum; sufficit enim si existat actus imperij, ad hoc vt intellectus intelligatur determinatus ad operandum circa obiectum imperatum. ad eum plane modum, quo ad hoc vt excitetur habitus, satis est, si potentia, in qua residet, obiectum illius, per suam operationem attingat; atque ita discurrendum est de reliquis potentijs, quæ ex voluntatis imperio ad exercendam operationem aliquam excitantur: non enim est necesse vt clarescat illis imperium, aut eo mediante obiectum, circa quod operari debent. hoc enim est proprium voluntatis; nec non etiam appetitus sensitiui tantummodo; inquantum uterque induci debet ad prosequendum, uel fugiendum obiectum ex meritis ipsius obiecti, sibi per potentiam cognoscitiuam manifestati, & hinc fit, vt neq; per radicationem in eodem subiecto, in quo est potentia cognoscitiua, neque per naturalem sympatiam, & subordinationem ingenitam, quam habet ad illam, eius modus operandi saluari possit, vt rectè notat Quiros *disput. 82. sect. 1.*

Quod si quis contra traditam doctrinam instaret sic: Excitatio intentionalis non stat sine vltali pereoptione obiecti, ad quod excitatur; sed tum uoluntas tum appetitus sensitiuus sunt potentiæ cæcæ; ergo non possunt intentionaliter excitari: Respondendum huic est per distinctionem minoris, sic: voluntas, & appetitus sensitiuus sunt potentiæ cæcæ formaliter, concedo, realiter, nego. & sic distincto eodem modo consequente: dicendum, voluntatem, & appetitum sensitiuum esse potentias cæcas formaliter; eo quod operationes, quæ proueniunt ab illis, quatenus talibus, sunt solum prosequutiones, vel auersiones obiectorum suorum: non verò cognitiones, seu representationes illorum. vnde fit vt formaliter consideratæ nihil per eas videre valeant.

10

cum

Digitized by Google

cum hoc tamen ſtat, quod huiuſmodi potentiæ realiter conſideratæ, debent identificari cum potentijs cognoſcitiuis. quia nequeunt ferri in obiectum ſuum abſque eo, quod eis appareat, & merita illius percipiant.

11 His tamen non obſtantibus dico: quod licèt argumentum initio propoſitum non concludat immediatè; niſi quod anima per ſuam ſubſtantiam efficienter actus appetitiuos attingat; mediatè tamen euincit eam etiam ſic attingere actus cognoſcitiuos.

12 Quod ſic ſuaderem: ſubſtantia animæ ad efficienter cauſandos actus appetitiuos debet in ſe immediatè recipere cognoſcitiuos; ergo & illos immediatè producere, antecedens præter quam quod conceditur ab aduerſarijs: patet quia idē principium debet eſſe cognoſcens, & appetens obiectum; conſequentia ſuadetur, quia ſi non eſſet animæ neceſſaria immediata productio horū actuum, ſed ei ſufficeret illos immediatè recipere, vt illuminaretur: ſequeretur quod poſſet illos connaturaliter ab aliquo agente extrinſeco habere cauſatos: atque adeò ſi duæ animæ in eodem loco inuicem penetrarentur, poſſet vna producere in alia cognitionem obiecti, cuius vellet; & ſic illam illuminare ad illud appetendum, vel fugiendum, eo quod ſufficienter prouiſum eſſet ſubſtantiæ animæ, ne cæco modo ferretur in ſuum obiectum, hoc ipſo quod reciperet in ſe cognitionem illius ab alio effectiuo principio productam; ſed conſequens videtur abſurdum, & à nullo concedendum; ergo &c. Quod ſi negetur ſequela; dicaturque ex antecedente illo ſolum deduci ſubſtantiam animæ debere cōnaturaliter illuminari ab agente ſibi intrinſeco, cuiuſmodi eſt intellectus proprius, qui ſibi inhæret tanquam inſtrumentum coniunctum: Contra eſt, quia cauſa principalis nunquam debet totaliter ſpoliari virtute operatiua immediata, in ordine ad ſuos effectus producendos, & illam concedere inſtrumento á ſe realiter diſtincto: niſi quando dicti effectus exigunt produci, etiam ſi ea procul abſit; quod ſi hi nequeant, niſi ea intime preſente habere eſſe: ſaltem partialiter vendiçare ſibi debet virtutem immediatè concurrendi in illos; & ratio huius rei eſſe poteſt, quia huiuſmodi virtus eſt talis, vt ſit melior ipſa, quam non ipſa, vt patet ex eo, quod talem ſibi vendicat cauſa prima, quæ exigit immediatè concurrere ad omne ens creatum. quando igitur ſunt cætera paria, malè ſe generet natura, ſi totaliter ſpoliaret dicta virtute cauſam principalem: & eam traderet inſtrumento; ſed ad minus debet eius ſubſtantiam ſic conſtituere, vt immediatè ſaltem partialiter in ſuos effectus influere valeat. cum igitur conſtet cognitiones rerum non poſſe produci niſi preſente anima, & intrinſecè illas recipiente: rectè concluditur ſubſtantiā animæ debere ſaltem partialiter in ſuas cognitiones influere; & hoc deduci per varias conſequentias ex illo principio: quod ſcilicet, idem debet eſſe principium appetitiuum, ac cognoſcitiuum; vti probatum eſt, & ſimili diſcurſu colligitur: nutritionem quatenus eſt vnitiua materiæ, quæ erat ſub forma alimenti & formæ ſubſtantialis in ea productæ, cum ſubſtantia aliti: procedere ſaltem partialiter á forma viuentis propter rationem modo aſſignatam.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur, & propugnatur altera probatio noſtræ concluſionis.

PRobatur ſecundò concluſio: Si anima non eſſet immediatè operatiua, ſaltem aliquorū ſuorum actuum vitalium; ſequeretur quod anima rationalis non eſſet immediatè libera; conſequens eſt abſurdum; ergo &c. ſequela probatur, quia principium immediatè liberum debet eſſe immediatè operatiuum actus liberi. cum enim libertas in actu primo conſiſtat in prædominio ſuorum actuum, & in indifferentia ad ponendū & non ponendum illos: implicat, principium aliquod eſſe immediatè liberum: quin ſit etiam immediatè operatiuum. ergo ſi anima non eſſet immediatè operatiua ſuorum actuum, non eſſet immediatè libera. minor verò ſuadetur dupliciter; & Primò quidem quia id, quod immediatè meretur, & demeretur, eſt immediatè liberū; ſiquidem, vt omnes fatentur: meritum, & demeritum in libertate fundatur; quantumuis enim opus ſit egregium, ſi ex neceſſitate fiat, & non liberè: nihil meretur, qui illud operatur. ſicuti etiam licèt peſſimum ſit, nil demeretur; ſed anima rationalis immediatè meretur, & demeretur. quia ipſa eſt, quæ propter bona opera beatur in cælo; & propter mala in inferno damnatur: ſicuti etiam in hac vita, ipſa quoque pro bonis operibus, quæ fiunt à nobis, laudem; pro malis verò, vituperationem primariò, per ſe, & immediatè conſequitur; ergo abſurdum eſt aſſerere animam rationalem non eſſe immediatè liberam; quia nemo meretur præmium, vel pœnam, laudem, vel vituperationem; niſi ob id, quod ipſe operatur. Secundò eadem minor principalis ſuadetur: quia ſi anima noſtra non eſſet immediatè libera, ſed ſola voluntas: ponamus ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile, quod inuicem ſepararentur, & voluntas peccaret. quæro vtrum peccatum illud tribueretur animæ, an non? primum non eſt credibile, ſiquidem anima nullo modo delinqueret, neque directè per aſſenſum, neque indirectè non impediendo peccatum illud, quod poſſet: ſiquidem in ſententia aduerſariorum modo non eſt immediatè libera ad impediendum. neque dici poteſt ſecundum, quod ſcilicèt non tribueretur; nam ſi peccatum, à voluntate ſeparata commiſſum, non tribueretur ſubſtantiæ animæ: neque deberet ei tribui peccatum commiſſum à voluntate ſibi cōiuncta. non enim plus ſubſtantia animæ poteſt circa illud peccatum ponendum, vel impediendum, quando habet voluntatem ſibi vnitam: ac ſi haberet illam à ſe diuiſam, atque diſtantem, hoc ipſo quod nullum concurſum actiuum immediatum, nepartialem quidem, ſuis actibus prębere valet. 13

14 Quare ſic argumentor: in tantum non peccaret ſubſtantia animæ per peccatum commiſſum à voluntate, ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile à ſe ſeparata: inquantum nullo modo ad eam

eam peccatum illud pertineret, quia neque in ipsum influeret, neque illud impedire posset, sed eadem prorsus ratio militat quando habet voluntatem sibi vnitam, posito quod non est immediatè libera; quamuis enim inter eam, & voluntatem intercedat vnio: hæc nullo modo est libera ipsi animæ: quare actus à voluntate proueniens, non est cur ratione illius, ei debeat esse culpabilis.

15 Ad hanc nostram probationem varias responsiones adhibere possunt aduersarij, quas oportet examinare. Respondere ergo possunt primo, argumento nostro euinci solum ad actus liberos substantiam animæ rationalis debere immediatè concurrere: ex hoc autem non rectè deduci sic concurrere debere ipsam, & reliquas animas ad actus suos vitales necessarios. quia ratio facta de solis liberis procedit.

16 Sed contra hanc responsionem sheit primò, quia auctores, qui sunt in contraria sententia indiscriminatim de omnibus actibus, tum liberis, tum necessarijs loquuntur. Contra secundò, quia multi ex aduersarijs sustinent eundem actū voluntatis immutatum in se transire posse ex libero in necessarium; & è contra; propter solam mutationem extrinsecam cognitionis, sed hæc opinio, stante distinctione tradita sustineri non posset. nam vel supponimus actum liberum per se ipsum immediatè à sua causa pendere, uel per actionem distinctam. si primum, quando ex libero transit in necessarium iam ex pendente immediatè à substantia animæ transit in non pendentem. ergo necesse est vt varietur eius dependentia, quæ cum supponatur identificari ipsi actui, implicat quod idem numero actus perseueret si secundum; variata dependentia perseueret quidem idem numero actus: sed non absque eo quod aliquam passus sit mutationem, ratione dependentiæ veteris deperditæ, per quam à substantia animæ dependebat, & nouæ postea acquisitæ, per quam à sola voluntate incipit dependere; constat enim huiusmodi dependentias esse formas actui intrinsecas. Contra tertiò, quia in hac sententia duas habere deberet anima voluntates, vnam identificatam cum sua substantia, qua produceret actus liberos: alteram realiter ab illa distinctam; scimus enim multos actus, tum amoris; tum odij fieri in nobis sine libertate, quos Theologi primò primos appellant; sed sic multiplicantur virtutes animæ sine necessitate; ergo &c.

17 Contra denique est quartò, quia in huiusmodi actus, quos primo primos appellamus si substantia animæ non concurrit: vel libere, uel necessario non concurrit. neutrum dici potest; ergo modificatio sententiæ, quam impugnamus nulla est. maior patet ex sufficienti partium enumeratione. minor probatur quoad primum: quia si omissio concursus esset libera animæ: per animam staret, quo minus adhiberetur ille cōcursus, ergo ipsi substantiæ animæ tribuenda esset productio illius actus, & quidem si esset bonus actus mereri deberet laudem: sin verò malus, vituperationem. nullus igitur daretur actus voluntatis omnino indeliberatus, qui fieret sine libertate, quod est contra omnes Theologos. Vnquo, quod vt substantia animæ suum concursum actui liberè denegaret: deberet habere motiua sibi proposita ab intellectu cum indifferentia pro illa negatione, sed in actibus primo primis nunquam aduertit intellectus ad huiusmodi motiua, vt experientia constat; ergo falsum est substantiam animæ ad dictos actus liberè non concurrere, quod vero neque dici possit eam non concurrere necessario, quæ erat secunda pars minoris: probatur etiam; quia, vel ideo necessario non concurreret in dictos actus: quia ferretur extra suum obiectum; & hoc non, quia siue amor V. G. libere procedat: siue necessario, semper habet pro obiecto bonitatem; vel quia non haberet omnia requisita ad concurrendum, & hoc neq; quia licet deessent illi requisita ad concursum liberum, non tamen ad necessarium; quod sua detur ex eo, quia voluntas distincta, quæ per aduersarios necessario influit in dictos actus, iam habet omnia requisita ad sic concurrendum; cur igitur eadem non erunt sufficientia pro concursu ab animæ substantia immediatè exhibendo? fortasse respondebunt, quia substantia animæ nō potest operari nisi libere; sed contra, quia præter quam quod id gratis, & sine vlla ratione asseritur: aliquando contingit vt idem actus sit liber, & secundum aliquam circumstantiam sibi identificatam non liber: vt quando qui vult occidere hominem, quem putat esse inimicum; & re vera est frater: tum sic, Huiusmodi actus, nō obstante quod non sit liber, quatenus est volitio occidendi fratrem: procedit tamen immediatè à substantia animæ; ergo etiam si fuisset primo primus respectu inimici, procedere etiam ab eadem substantia immediatè potuisset; & rectè id quidem; nam libertas non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte principij operatiui. vnde principium quod potest operari libere: poterit etiā necessario, si aliunde ei non repugnet; quia si potest quod est maius: non est cur non possit etiam quod est minus. ex quo discursu deducitur, quod cum actus appetitus sensitiui sint de se necessarij: eodem modo ad huiusmodi actus substantia animæ per se ipsam immediatè concurrere debeat: sicuti etiam ad actus cognoscitiuos tam materiales, quam spirituales. tum quia sunt necessarij, tum etiam quia recipi debent in anima ipsa vitaliter, vt ex dictis in fine præcedentis sectionis probatum est.

Secunda responsio ad argumentum principale 18
esse potest: Substantiam animæ habere quidem immediatam libertatem in ordine ad suos actus liberos: non per modum causæ physicæ influxiuæ, sed per modum causæ moralis tantum; quatenus cum possit illos impedire, non impedit, quod fieri posse sine vlla physica operatione: probari potest exemplo resistentiæ formalis, quā exercet vnum contrarium respectu alterius, in ipsum agere intendentis; quemadmodum enim nix potest resistere ex necessitate naturæ actioni ignis sibi applicati: nihil agendo in illum, & potest aliquando ex eadem necessitate non resistere: cur non poterit etiam substantia animæ exercere libertatem suam immediatam, vel resistendo voluntati suæ, ne exeat in actum aliquē, vel ei condescendendo, & permittendo vt exeat, sine

Digitized by Google

at, sine vlla necessitate naturæ.

19 Sed contra est, quia nullo alio modo resistentia formalis exerceri potest, nisi per hoc, quod vnum contrarium ad præsentiam alterius contrarij, ad agendum contra sè applicati, vel ex toto, vel ex parte exigat conseruari, sic enim impedit actionem illius, & per consequens sui destructionem. sed substantia animæ non potest hoc modo resistere voluntati applicatæ V. G. ad amandum obiectum turpe. ergo substantia animæ non potest sine vllo actu proprio suam exercere libertatem: maior, & consequentia patent, minor probatur, quia vnum contrarium in eo instanti, in quo alteri resistit, habet per quid resistat, nimirum suam entitatem, connotantem vires imbecilliores alterius sibi ad agendum applicati: At substantia animæ, si nihil operatur, non habet per quid voluntati resistat potius: quam illi condescendat. nam entitas propria, & applicatio voluntatis ad amandum in his circumstantijs æquè bene possunt stare cum condescendentia, ac cum resistentia ipsius substantiæ animæ rationalis. ergo non potest substantia illius esse immediatè libera, absque eo quod sit immediatè operatiua actus, per quem libertatem exerceat.

20 Tertia responsio potest esse si dicatur: dari duplex genus libertatis. Vnum per modũ principij actiui, quod constitit in differentia ad producendam, vel non producendum; vel ad producendum vnum, & eius oppositum. Alterum per modum principij passiui, quod positum est in eo, quod possit admittere in se, & respuere actionem alterius. Quamuis autem ad primum libertatis genus sit necessaria virtus operatiua in principio libero: at pro secundo sufficere virtutem passiuam seù receptiuam, & hoc genus libertatis substantiæ animæ competere. illud verò voluntati suæ realiter à se distinctæ; & per hoc saluari dictum Concilij Tridentini, quod voluntas nostra in liberis operationibus non se habeat merè passiuè.

21 Sed contra est, quia implicat dari libertatem per modum principij actiui exercendam circa principium passiuè liberum, à se distinctum, & è contra. nam nulla potest haberi indifferentia in agente ad agendum, & non agendum: si principium passiuum distinctum pro libitu suo potest admittere, & reijcere actionem illius, eodemque modo implicabit dari libertatem per modum principij passiui, exercendam in ordine ad principium actiuè liberum à se distinctum, propter similem rationem; libertas enim consistit in indifferentia cum plenitudine potestatis in ordine ad amandum V. G. vel non amandum: ad amandum, vel odio habendum. at nulla habetur plena potestas in agente: quoties recipiens ab eius actione ad libitum suum subtrahi potest; neque in patiente: quoties agens in sua potestate habet agere, & non agere hoc, vel illud. ergo &c.

22 Quarta denique responsio esse potest eorum, qui dicunt nullum esse absurdum negare animæ immediatam libertatem, dummodo illi concedatur mediata; ex eo quod concurrat in actum per suam voluntatem, tanquam per instrumentum à se naturaliter exactum. sic enim rectè ei potest verti laudi, vel vituperio opus, quod ab ipsa voluntate fit; sicuti opus factum à filio tribuitur laudi, vel vituperio patri, quamuis illi non sit immediatè liberum.

23 Sed contra est primò, quia mediata libertas, quę ab aduersarijs substantiæ animę conceditur, importat duo: libertatem immediatam in potentia distincta, & exigentiam in anima huius potentiæ, cui vnitur, & subijcitur; sed ex neutro capite determinatio potentiæ potest illi tribui laudi, vel vituperationi, hoc ipso quod ea non concurrit ad actum. nam, neque per hoc quod eius potentia liberè se determinet, debet illi determinatio imputari; per ipsam enim non stat vt ponatur, vel non ponatur. neque ex eo, quod exigat dictam potentiam, eique subijciatur, ac vniatur, quia in nullo in his libertatem exercet, sed ex necessitate naturæ hæc munia præstat; ergo per mediatam libertatem non saluatur quo modo substantia animæ sit laude, vel vituperatione digna; sed solum quod potentia in ea recepta digna sit.

24 Contra etiam est secundò, quia paritas ex patre desumpta nulla est. nam tunc solum actio mala filij debet tribui patri vituperio: quando eam pater potuit vel immediatè impedire, cohibendo filium ne in illam erumperet: vel mediatò, bonis institutionibus illum educando, quod tamen non fecit: at si impedire non potuit, & rectè instituere non omisit; nullo modo mala actio filij debet ei cedere in dedecus. atqui substantia animæ nullo modo actus malos potentiæ suæ impedire posset, si in illos immediatè non influeret; ergo nullo modo tribuendi essent ei dicti actus vituperationi. quid simile dicendum de bonis; nam boni actus filij, in tantum cedunt in patris laudem: in quantum supponuntur ex bona patris educatione, & regimine prouenire, in quo pater suam immediatam libertatem exercuit: cum potuerit filium malè instituere, ac regere: & tamen oppositum fecit. Quoniam verò id non habet locum in casu nostro. siquidem substantia animæ nullam libertatem circa voluntatis institutionem, ac regimen exercere potest in hac via: hinc fit vt, neque bona huius opera in laudem illius cedere valeant.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur Obiecta in Contrarium.

25 Obijcies primò ex eo quod anima est secundum suam substantiam immediatè informatiua materiæ, exigit semper in actu secundo informare. sed non exigit semper in actu secundo vitales operationes exercere. ergo non est secundum suam substantiam immediatè operatiua illarum.

Respondeo; non deesse, qui doceant, animam quandiu existit necessariò debere aliquam vitalem operationem exercere, iuxta quos, minore negata, tota vis argumenti euanescit. sed quidquid sit de hoc; suppono in maiore sermonem esse de anima materiali: constat enim statum separationis non esse contra inclina-

tionem animæ rationalis: atque adeo eam non exigere semper in actu secundo informare materiam, quo posito, concessa maiore, & data minore, nego consequentiam: Ratio negationis esse potest, quia quandiu anima materialis postulat conseruari: exigit consequenter influxum omnium causarum, à quibus connaturaliter pendet; inter quas connumeranda est materia prima, quæ illam sustentando materialiter causat. vnde non est mirum, si huiusmodi anima exigat semper in actu secundo informare ipsam materiam. exigit enim id quod requirit ad esse nam informatio naturaliter est à dependentia sui à materia inseparabilis: atqui anima, vt supponitur in minore, ad sui conseruationem vitaliter operari non indiget: non est ergo mirum quòd, licet non exigat semper in actu secundo vitales operationes exercere: sit tamen secundum suam substantiam immediatè operatiua illarum.

26 Obijcies secundo contra nostram rationem, ideo per nos substantia animæ debet esse immediatè libera: quia pro bonis operibus præmium & pro malis pœnam consequitur; sed hanc rationem nulla esse patet ex nostro corpore, quod etiã si non sit immediatè liberum: pro bonis operibus præmiabitur in cœlo, & pro malis in inferno punietur; ergo &c.

Respondeo: negando minorem, & ad eius probationem ex corpore nostro desumptam, dicendo, pœnas, & delectationes corporeas à sola anima mediante corpore sentiri posse; & non ab ipso corpore. quid quid tamen sit de hoc; nego consequentiam. ratio disparitatis est, quia corpus inclinando animam ad bonum delectabile, fuit aliquo modo causa peccati; & quam plures mortificationes sustinendo, vt recta rationi obtemperaret, fuit aliquo modo causa operis meritorij: vnde non est mirum, si, quamuis non sit immediatè liberum, pœnam vel præmium suum post mortem expectet. at vero si substantia animæ non est immediatè operatiua: non potest assignari qua ratione ipsa pro malis operibus voluntatis punienda esset, & præmianda pro bonis; quia nullo modo se poterat illis immiscere.

27 Obijcies tertiò. Etiam si anima non concurrat per suam substantiam immediatè ad actiones liberas, tamen peccat per actiones malas voluntatis; & meretur per bonas eiusdem; eo rigore, quo ignis calefacit per calorem, etiam si ipse immediatè per suam substantiam non calefaciat. sed ignis verè, & propriè per calorem calefacit; ergo, & anima verè, & propriè per voluntatem meretur, & peccat malo videtur certa ratio. sicut calor est instrumentum ignis ita voluntas animæ rationalis ergo non minus operationes voluntatis pertinebunt ad animam, quam operationes caloris ad ignem. minor vero patebat, quia ignis non calefacit denominatiuè tantum, per calorem; alioquin se haberet sicuti aqua feruens: ergo verè, & propriè; sicuti verè, & propriè calor est instrumentum illius.

Respondeo, negando maiorem; quia ad peccatum, vel meritum animæ, non sufficit quod actio bona, vel mala à suo instrumento physicè procedat: sicuti sufficit ignis ad calefaciendum, quod calefactio à suo calore physicè pendeat; sed præterea necesse est, vt actiones illæ sint in potestate animæ. ad probationem maioris; distinguo antecedens; & si quidem sermo esset in ordine ad effectus solummodo necessarios concederem: posito quod calor ponitur instrumentum ignis quoad effectus necessarios: & voluntas instrumentum animæ quo ad liberos, nego antecedens, & consequentiam. Disparitas est quia effectus necessarij non habent aliquod speciale, per quod exigant immediatè pendere à sua causa principali. Vnde, vt verè ac propriè, & non denominatiuè tantum ab illa procedere censeantur: sufficit si causa immediata, quæ in eos influit, sit natura sua virtus, & instrumentum illius. At vero effectus liberi ex speciali ratione libertatis, quam inuoluunt, immediatum influxum à sua causa principali exposcunt; eo quod ipsa ex bonitate illorum, laudabilitatem, & præmiabilitatem: ex turpitudine verò vituperabilitatè, & punibilitatem meretur. nemo autem meretur laudem, & præmium; nec pœnam; ac vituperium: nisi ob id, quod, cum in sua potestate sit facere, & non facere: illud de facto facit, vel omittit.

Instabis: operatio, qua Adam Dei præceptum transgressus est; etiam si non fuerit in potestate posterorum: fuit tamen illis peccaminosa, per solam transfusionem voluntatum eorum in voluntarem Adæ. ergo etiam operatio mala voluntatis, quamuis non sit in potestate substantiæ animæ; poterit esse ei peccaminosa per solam rationem instrumenti, quam naturaliter habet voluntas respectu animæ. 28

Respondeo, relictis aliorum responsionibus, distinguendo antecedens: operatio illa Adæ fuit posteris peccaminosa, originaliter, concedo; fuit peccaminosa, personaliter, nego antecedens, & consequentiam. disparitas est, quia nulla indecentia habetur in eo, quod Deus in ordine ad bona supernaturalia gratiæ, & gloriæ constituerit Adamum caput posterorum suorum: hac lege, vt si ipse Dei præcepta obseruasset, transfudisset bona illa in posteros. contra verò si non obseruasset: cum enim Deus gratis nos homines ad ordinem supernaturalem euexisset: per ipsum stabat, quibus conditionibus, bona illa nobis tribuere voluisset. vnde est quod actio peccaminosa Adæ, moraliter tantum sit propria posterorum, & reddat illos Deo odibiles in ordine ad solam priuationem donorum ordinis supernaturalis, ad quem ordinem gratis euecti fuerant absque vlla naturali exigentia. recte igitur, & sine vlla indecentia peccatum originale incurri potest à nobis sine propria electione. At summam indecentiam lumen naturale apprehendit in eo, quod substantiæ animæ incurrere debeat vituperationem, & odibilitatem diuinam in ordine ad positiuam pœnam atrocissimam sensus æterno tempore duraturam, quam naturaliter summopere abhorrent, & malis actibus alterius à se distincti, animam, voluntatis suæ; nec non etiam debeat acquirere laudem, & præmiabilitatè æternæ felicitatis, actibus eiusdem, absque eo quod ipsa per se ipsam aliqua ratione se immiscere 29

possit

possit in dictis actibus, vel adiuuando, vel consulendo, vel alio quouis modo se libere exercendo. Hoc enim videtur esse adeo contra rectæ rationis dictamen; vt nè per absolutam quidem Dei potentiam factibile appareat. Vnde fit, vt ad peccandū actualiter peccato personali, necessaria omnino sit immediata cooperatio physica eius, qui hoc modo peccare debet. Atque hæc videtur mihi esse disparitas cur peccatum Adæ eius posteri sine propria electione contrahere potuerint: non autem possit substantia animæ contrahere peccatum, quod non fuit in sua potestate, sed solum in potestate voluntatis suæ.

SECTIO QVARTA.

Num anima immediatè per suam substantiam vitales operationes recipiat.

30 PRæsens controuersia duplex est: vna spectat ad animam rationalem in ordine ad recipiendas suas intellectiones, & volitiones: nec non etiam ad animas brutorum in ordine ad recipiendas suas sensationes, & appetitiones; eo quod pro vtrisque eadem militat ratio, & difficultas; quandoquidem verumque subiectum, quo ad spiritualitatē & materialitatē suis cōformatur formis, id est operationibus: Altera est de anima rationali in ordine ad recipiendas sensationes, & appetitiones suas: cū enim ea sit spiritualis, specialem facit difficultatem quomodo possit recipere dictas operationes materiales. de vtraque singillatim agemus.

SVB SECTIO PRIMA.

Prior, Controuersia Diuisitur.

31 VNica conclusio; tum anima rationalis recipit immediatè per suam substantiam suas intellectiones, & volitiones: tum etiam anima brutorum sensationes, & appetitiones suas; siue demum huiusmodi animæ habeant potentias vitales realiter sibi superadditas, siue non. est communis.

Et probatur; quia ex dictis constat substantiā animæ immediatè effectiuè concurrere ad actus appetitus tum sensitiui, tum rationalis, vt illuminatam per cognitionem obiecti appetendi: sed 32 non potest sic illuminari, nisi immediatè in se recipiat cognitionem obiecti. fateri ergo debemus cognitiones materiales immediatè recipi in substātiā animæ brutalis, & cognitiones spirituales in substantiā animæ rationalis. quoniam verò nō minus pertinent ad substantiam animæ actus vtriusq; appetitus: ac actus cognoscitiui, & aliunde videmus eam habere in se virtutem recipiendi, & suscitandi huiusmodi actus: rectè deducitur nō solū actus cognoscitiuos, sed etiam appetitiuos brutales recipi immediatè in ipsa substantia animę bruti, & rationales in substātia animę rationalis. Omnia videntur clara, præter primam minorē, quæ sola indigere potest probatione, ea autē fundetur, ex eo quia si cognitio reciperetur in sola potētia cognoscitiua; & ea mediāte in anima non posset ipsam animā reddere realiter cognoscentem. non enim potest intelligi, quod aliquis sciat aliquod obiectum, & tamen in se non habeat scientiam illius obiecti. atqui substantia animæ est illa, quæ realiter debet esse cognoscens obiectum; vt, eius merita perpendens, illud vel fugiat, vel admittat. ergo non potest substantia animæ illuminari, sicut oportet, ad eliciendos actus appetitus, nisi in se recipiat immediatè cognitionem obiecti; siuè demum habeat potentias realiter à se distinctas, siuè non.

Duo hic ad complementum huius controuersiæ remanent examinanda: vnum est num dicti actus, posita distinctione potentiarum animę, adęquatè recipiantur in substantia animæ, an vero inadæquatè, ita scilicet, vt immediatè tum substantiam, tum potentiam, à qua etiam efficiuntur, informent. Alterum est quid dicendum de sensationibus externis brutorum; non enim argumentum supra factum illis fauere videtur; si quidem appetitus sensitiuus immediatè illuminari videtur ab actibus sensus communis interni, seu phantasiæ, & quidem quo ad primum putat Ouiedus *contr. 3. punct. 1. nu* 12. operationes dictas informare adæquate substantiam animæ eo quod, quamuis illa distinctis potentijs ad eas efficiendas indigeret: non tamen ad illas recipiendas; quandoquidem ipsa esset per se sufficiens, vt eas in se adæquatè reciperet.

Mea tamen conclusio est cum distinctione; 32
& si quidem supponamus potentias appetitiuas distinctas, tum sensitiuas, tum rationales ad suos actus producendos debere concurrere vt illuminatas per cognitionem aliquam, quæ facem illis præferat, ne ferantur in incognitum, dicerem actus vitales non adæquatè recipi in sola substantia animæ; sed partialiter etiam informare potentias: sin autem supponamus substantiam animæ tantum debere concurrere vt illuminatam: non vero potentias appetitiuas: putarem dictos actus ne inadæquatè quidem recipi in potentijs; sed in sola substantia adæquatè; primum patet, nam si potentiæ appetitiuæ distinctæ concurrant vt illuminatæ, debent in se recipere cognitionem, per quam eis clarescat obiectum. siquidem cognitio in genere causæ formalis, seu informando, obiectum suum proponit, & repræsentat. cum igitur pro eis militet eadem ratio, propter quam substantia animæ debeat in se dictos actus cognitionis immediatè recipere: non est cur eorum immediata receptio huiusmodi potentijs denegetur. secundum etiam constat, quia ex disparitate, quæ, facta illa suppositione, esset inter potentias, & animæ substantiam, cessaret pro illis ratio, quæ militaret pro hac. vnde in tali casu se haberent potentiæ, sicuti habitus voluntatis, qui non vt illuminati suum attingunt obiectum: sed cæco modo, vt excitati ab ipsa voluntate, quare sicuti negamus hosce habitus debere à cognitione partialiter informari; ita & potentias appetitiuas, & quidem ita se debere gerere circa actus formaliter liberos voluntatē distinctam nulli dubiū esse potest. eo quod dari nequeūt duo principia, atque primo eorū indifferētiā determinantia, vt ex dicendis suo loco cōstabit; in ordine vero ad reliquos necessarios videtur militare ratio cōpletionis volū-

Digitized by Google

tatis substãtialis liberæ; si enim hæc quãdo liberè operatur sine alio comprincipio eiusdem ordinis illuminato operari potest; multo magis quãdo necessariò. Porrò ad rationem Oüiedi, quæ militat contra primam partem Conclusionis, facilè patet ex dictis responsio: dicendum enim, ex hypothesi, quod huiusmodi potentiæ vt illuminatæ concurrunt, hoc ipso quod substantia animæ illis ad efficiendas suas operationes indiget: indigere etiam eisdem ad eas recipiendas; non quod non esset per se adæquatè sufficiens, eas recipere (cum enim valeat recipere adæquatè in se potentias ipsas; non est cur non habeat etiam vim adæquatè substentandi operationes vitales, quas vna cum illis comproduceret) sed quia non esset sufficienter illuminata in ordine ad appetendum, vel fugiendum aliquod obiectum; nisi, non solum sibi, sed etiam, suæ potentiæ appetitiuę illud formaliter clarescceret.

33 Quo ad secundum verò de actibus sensuum externorum est difficultas. cum enim brutorum animæ sint diuisibiles. ita vt vna pars vni tantum parti corporis correspondeat: non videtur quo modo appetitus in determinata parte residens possit illuminari per sensationem in qualibet parte corporis productam ad fugiendum obiectum noxium, & ad consentaneum prosequendum: Non enim potest dici primo, quod cũ appetitus sit qualitas diuisibilis diffusa per totam animam, non sit cur non possit illuminari per sensationem, V.G. in pede productam. quia reuera ibi existit secundum partem sufficientem ad notitiam illius obiecti percipiendam. Non, inquam, potest hoc dici, siquidem appetitus indiget organo sibi proportionato ad operandum; quare licet eius entitas sit per totum corpus belluinum diffusa; quia tamen non habet organum sibi proportionatum, nisi in certa ac determinata parte; hinc fit, vt non possit, nisi in eadem parte operari. Neque potest responderi secundò, sensationem doloriferam V. G. quæ fit in pede diffundi per totum corpus animalis, atque adeò non esse mirum si appetitum in suo organo commorantem afficiat, eumque illuminet. Contra enim hoc experientia ipsa reclamat, quæ docet dolorem productum in pede non sentiri, nisi in solo pede. deberet autem sentiri etiam in manu, & in reliquis partibus corporis, si partes animæ bruti in dictis partibus existentes informaret. Neque potest denique responderi tertiò, quod licèt appetitus non percipiat dolorem, qui in pede producitur; attamen per naturalem quandam sympatiam operetur actum auersionis circa obiectum doloriferum, quod à pede sentitur; vnde est, vt, licet ipse, qua talis feratur in incognitum: id tamen verificari nequeat de toto animali, quod per sensationem illam benè percepit obiectum sibi noxium. Contra hanc enim responsionem facit, quia licet in multis rectè ponimus ad sympatiam recurrere: tamen in casu nostro disparitas esse potest, quia quando aliqua res per sympatiam aliquid operatur: veluti cæco modo, absque eo quod moueatur intentionaliter ad operandum inducitur. at verò vt appetitus fugiat, vel sequatur aliquod obiectum: debet per actum cognoscitiuum illumi-

nari, vt illius beneficio obiecti merita percipere valeat; vnde, quemadmodum ridiculè aliquis cæco iter agenti præferret facem dicendo, quod ea per sympatiam determinet illum ad rectè viã ineundam: sic, qui putaret, appetitum per lumen cognitionis sensitiuæ, etiam si obiecti merita non percipiat: naturali tamen quadam sympatia ad illud, vel admittendum, vel respuendum se determinare.

His igitur responsionibus posthabitis Nostra 34
conclusio est: sensationem, quæ fit in pede animalis, non illuminare immediatè appetitum sensitiuum, qui in eius cerebro operatur, vt suppono, sed mediatè solum, per hoc quod dicta sensatio producat suas species intentionales in sensu communi, qui in cerebro quoque suam operam nauat, diffundendo illas per omnes partes intermedias, sicuti obiectum visibile, vt producat species in pupilla, gignit illas per medium aerem. deindè sensum communem secundarum per illas species producere cognitionem obiecti dissoni, quod dolorem pedi incutiebat; & ex hac cognitione animam cerebri determinari ad eliciendum actum refugientiæ illius obiecti, & ad mouendos neruos, qui in eodem cerebro radicantur, quibus vel totum corpus, vel solum pedem retrahat ab illo obiecto. Huiusmodi conclusio non aliter probari potest, quam ex refutatione reliquorum modorum, qui adducuntur, necnon etiam ex consensu omnium Philosophorum existimantium; interius, præter appetitum sensitiuum, dari etiam sensum quendam communem, ex cuius cognitione ipse appetitus proximè dirigatur, ac determinetur circa obiecta aliorum sensuum externorum. vbi notandum, non esse parem rationem inter partem animæ, quæ dolet in pede, & eam, quæ residens in cerebro appetitionem exercet. quamuis enim illa ad motum, quo obiectum noxium refugit, efficienter concurrat; non est tamen necesse, vt hoc faciat, vt illuminata, sed sufficit, si physicè ex neruorum motione excitetur ad motum. non enim omnia principia quæ concurrunt ad operationem imperatam ab appetitu, debent concurrere vt cognoscentia obiectum circa quod operantur, sed satis est, si sic solus appetitus concurrat; quod in huiusmodi operationibus se habet vt primum mouens.

Atque hæc satis essent pro solutione difficul- 35
tatis propositæ: placet tamen quandam aliam resolutionem, quam non nulli Recentiores adhibent expendere; qui assumunt: animam diuisibilem secundùm se totam ad quemcunque actũ vitalem in qualibet parte corporis producendũ concurrere, ad eum planè modum, quo ignis vnaris secundum omnes sui partes concurrit ad comburendam stupam, extremæ parti sibi applicatam, & ex hoc antecedenti inferunt postea, animam cerebri per sensationem in pede productam absque alia sensatione sensus interni, sufficienter illuminari ad fugiendum obiectum doloriferum, vel ad prosequendum delectabile, quod sentitur à pede: hæc tamen resolutio, vt verum fatear, nihil habet soliditatis; neque in antecedente, quod assumit; neque in consequentia, quam infert, & vt ex hac incipiam aio, eam ex

illo

Digitized by Google

illo antecedente non rectè deduci, quamvis enim verum esset animam secundum omnes sui partes ad quamlibet operationem vitalem in quolibet membro corporis exercitam immediatè concurrere; atque adeò partem animæ existentem in cerebro actum doloris, qui sentitur in pede equi vna cum reliquis partibus coefficere; non tamen inde sequitur, eam simul cum reliquis in se recipere huiusmodi actum: alioquin totum corpus equi doleret; quod est apertè falsum; sed ad hoc vt illuminetur appetitus circa suum obiectum, non tam necesse est quod producat; quam, quod recipiat in se actum sentiendi, qui se habet vt lumen respectu illius; vt ex dicendis constabit; ergo, dato quod pars animæ existentis in cerebro sensationem doloris in pede cum reliquis partibus comproducat: non tamen inde sequitur; per eum actum determinari posse ad fugiendum obiectum doloriferum. atque hæc pro vanitate consequentiæ illatæ.

36 Quod verò attinet ad antecedens sciendum est illud falsitatis redargui ab Arriaga *disput. 3. de anima num. 29.* & rectè id quidem. nam ideo nos colligimus ignem vlnarem, secundum omnes sui partes, quamvis remotiores passo, agere in illud; quia videamus quo maior est ignis eo citius, & in maiori distantia, ac intentius eum operari; sed hæc experientia non habetur in bruto. tam enim intensè, & tam cito dolet pes equi parui, ac doleat pes magni, & æque dolet crus sinistrum eiusdem equi percussione intensa vt tria, siue crus dextrum illi abscisum sit, siue non; nec vnum animal, quia maius est corpore videt perfectius alio, exiguo corpore prædito. ex quo deducitur, falsum esse totam animam ad sensationem vnius membri concurrere, necnon etiam paritatem ex igne desumptam nullius esse roboris.

37 Ad hanc difficultatem respondet primo Ouiedus *num. 10.* concesso antecedente, negando cõsequentiam: rationem negationis aiit esse, quia viuens quo plures habet partes animæ: eo plures habet etiã partes materiæ, in quibus vitales operationes exercet; vnde fit, vt quælibet maioris animæ pars, quæ plures habet compartes, pluribus etiam operationibus exercendis in diuersis materiæ partibus occupetur; eadem quippe proportione, qua pars animæ ingentis equi V. G. existentis in pupilla ex pluralitate compartium ad visionem concurrentium esse debet ad videndum validior, ex eadem pluralitate redditur imbecillior eo, quod totam illam multitudinem partium tam extensas, & longè diffitas operationes exercentem adiuuare debet; quam obligationem non habet pars animæ existens in pupilla equi minoris; & sic habetur iusta compensatio, vt neque intensius dolere debeat, neque acutius videre equus maior corpore, eo qui minori corpore præditus est.

38 Verum ego hanc Ouiedi responsionem non admitterem. nulla enim est necessitas, vt anima pro quacunque differentia temporis in omnibus partibus corporis aliquid operetur. potest igitur dari casus, quo in reliquis quiescat, & solum videat in oculo, & ad summum cor moueat, nam respirationem potest aliquantulum temporis intermittere, sicut & nutritionem; cum scilicet hoc casu cessaret ratio ab Ouiedo adducta, ob quam anima maioris equi non produceret perfectiorem visionem, quam anima minoris, siveraque secundum se totam actiuam visionem concurreret, siquidem atque pars maioris pupillam informans pro eo tempore debet occupari ad adiuuandas alias compartes, neque hæ supponuntur occupatæ propriis muneribus; vnde nil queant illam adiuuare quantum possunt. respondent alij secundò; ideo in operationibus non percipi multitudinem aut paucitatem partium, quia in præsentia aliarum, reliquæ suum conatum temperant, & in earum absentia illarum accedunt; Sed contra: quia licet hoc dici possit ordinatè ad effectus, qui consistunt in indiuisibili: non tamen in ordine ad illos, qui maioris, & minoris perfectionis capaces sunt: cuiusmodi sunt actus vitales, de quibus præsenti loquimur, quod pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quare melius mihi videtur assentiendum Ariagæ, & ad paritatem ex igne vlnari desumptam dicendum quod ideo ignis agit in subiectum secundùm omnes sui partes, quia operatur in illa, vt agens merè extrinsecum, & vt actus existens, cui sufficit approximatio secundùm vnam partem ad operandum secundum omnes, vti vidimus *in lib. de generatione*: at anima in producendis visione se habet vt actus informans, vt de se patet; quoniam verò sola anima pars quæ pupillæ correspondet habet rationem formæ informantis ipsam pupillam, reliquæ verò respectu eiusdem pupillæ non habent nisi rationem formæ assistentis: id circo non possunt hæ ad visionem concurrere: ad hanc disparitatem responderi potest ex his, quæ habet idem Ouiedus *num. 9.* nimirum partem animæ existentis in pede quauis non informet pupillam, non posse tamen dici respectu illius actu assistentem; eo quod est vnita cum illa parte formæ informante pupillam, & hoc sufficere, vt ipsa una cum reliquis debeat cum ea concurrere ad visionem, vt patet in nutritione, ad quam concurrunt omnes partes animæ tum proximiores tum remotiores tuteliter, quod in substantiam viuentis conuerti debet; Sed contra est, quia si sufficeret ad rationem actus informantis vnio cum parte informante, esto, quo Deus miraculosè abscinderet crus abaequo & partem formæ, quæ illud informabat conseruaret vnitam reliquis: sequeretur, quod dicta pars respectu equi retineret adhuc rationem formæ actu informantis illum, quia iam esset vnita aliis partibus informatibus equum; hoc autem à nullo viro docto concedetur, eo quod merè extrinsecè se haberet ad equum, qui restaret; cum igitur etiam pars formæ existens in pede, sit extrinseca respectu materiæ pupillæ, rectè deducitur, quod, non obstante vnione, non possit respectu illius habere rationem actus informantis; sed merè existentis, quod vlterius confirmatur ad hominem contra auctorem, quia anima, quæ se habet vt actus informans respectu alicuius organi, vitaliter censetur operari in illo organo, vt de se patet; atqui auctor *num. 9.* concedit partem animæ pedis in ordine ad produ-

cen-

cendam visionem in pupilla non se habere per modum principij vitalis; ergo negari non potest, quod neque se habebit respectu pupillæ vt actus informans. porrò ad paritatem ex nutritione desumptam responsio in promptu est; cum enim nutritio per contrarias qualitates in aliena materia necessariò exerceatur: impossibile est, vt forma, à qua prouenit, respectu illius aliter se habeat; hoc enim ipso quod debet agere in substantiam alimenti, eamque in substantiam aliti transmutare; necesse habet etiam secundum partes remotiores, & remotiores agere in illam more reliquorum agentium naturalium, quæ cum contrarietate operantur; hoc tamen non obstante, censetur, secundum omnes dictas partes operari per modũ principij vitalis propter rationem suo loco tactam; atqui hoc non habetur in casu de operationibus sensitiuis, vt de se patet; ergo non militat in vtriusque par ratio.

SVB SECTIO SECVNDA.

Refelluntur posteriores controuersiæ de subiecta actuum materialium in homine.

40 COntra hanc difficultatem, quæ, vti supra notauimus, oritur ex improportione, quæ reperitur inter animam rationalem, & dictas operationes: tres opiniones inter reliquas probabiliores inuenio. Prima est Hurtadi *de anim. disput. 4. sect. 3. §. 47.* qui ex eo quod sensatio consistat in actione, passione, & qualitate infert totum hominem sentire, agendo per animam, & qualitatem patiendo per materiam. porrò hæc opinio sic clarius explicanda simul, ac probanda videtur: nil aliud actus vitalis de suo conceptu importat: quam immanentiam per se: sed immanentia dicit essentialiter, quod idem actus recipiatur in eodem principio, à quo procedit; ergo hoc ipso quod actus sensitiuus totum hominem constituat sentientem, & ab illo ratione animæ efficienter procedat, ac in eundem rationem materiæ subiectetur: habet totum id quod ad rationem actus vitalis necessarium est.

Secunda opinio est Arriagæ *disput. 3. de anim. sect. 2. à num. 6.* existimantis, quod licet in cæteris animalibus actus sensitiui in sola eorum anima adæquatè subiectentur; in homine tamen non nisi partialiter; atque adeò subiectum eorũ adæquatum esse tum materiam primam illius organi, cuius est sensatio; tum animam rationalem.

41 Tertia denique est Oniedi *contron. 2. punct. 1. §. 2.* supponentis dari duplex subiectum; alterum inhæsionis, ex quo, videlicet, educitur forma, vt in genere causæ materialis in suo esse dependeat, alterum informationis, quod nimirum informatur ab illa; licèt eam materialiter minimè causet, quandoquidem enim nullam videamus formam, quæ educitur ab aliquo subiecto, cui non sit vnita; habemus tamen animam rationalem, quæ vnitur subiecto, à quo non est educta, quo posito hic auctor sustinet actus sensitiuos in brutis recipi in sola anima bruti, tanquam in subiecto adæquato; tum inhæsionis, tum informationis: in homine verò habere pro subiecto inhæsionis sola materiam pro subiecto vero informationis animam rationalem; quia licèt informet vtramq; à sola tamen materia educitur, & dependet; non verò ab anima.

Tres istæ sententiæ suas habent difficultates: 43
& prima quidem impugnari posse videtur ex eo quia, licet actus vitalis contentus sit immanentia per se, modo explicato, quæ nimirum consistit in actione, passione, & qualitate: tamen vt habeatur effectus formalis qualitatis vitalis, præter hæc tria, etiam vitalis obiecti perceptio necessaria est, vnde si per impossibile lapis produceret per se visionem, eamque reciperet, etiam si redderetur habens visionem; hoc ipso, quod beneficio illius non perciperet vitaliter obiectũ; non esset videns; atqui quamuis concedatur, quod totus homo, ratione animæ rationalis, agat sensationem, & ratione materiæ illam patiatur, negandum tamen est quod ratione totius illam vitaliter percipiat; ergo falsum est quod totus homo iuxta hanc sententiam sentiat. maior patet. minor verò: quæ sola probatione indiget, suadetur: & si quidem totum distingueretur à partibus collectiuè acceptis; esset probatu difficile quod beneficio visionis totus homo non perciperet vitaliter obiectum illius: quoniam verò nos in libris de generatione probauimus oppositum; & argumentamur contra Hureadũ, qui *in phys. disp. 6. sect. 1. & 2.* in hoc nobis assentitur; facilè suadetur, supponendo dupliciter in elligi posse verum esse, quod totus homo obiectum visionis V. G. parietem album beneficio ipsius visionis, vitaliter percipiat; primò denominatiuè tantum; secundò etiam verè; ac realiter. porrò difficultas non procedit in primo sensu; constat enim quod, quemadmodum totus homo denominatur videns: sic etiam vitaliter obiectum visionis percipiat, quia vt totum compositum aliquam denominationem obtineat; satis est, vt plurimum, si altera eius pars verè & realiter habeat id, vnde denominatio illa proueniat, quare; si sic vellet Hurtadus, quod totus homo obiectum visionis vitaliter attingeret; deberet consequenter asserere, quod beneficio solius animæ rationalis id haberet; atque adeo, quod forma materialis reciperetur in subiecto spirituali; à quo ipse summoperè abhorret, vt patet ex tota *sect. 3.* vbi sustinet actum vitalem materialem, ne partialiter quidem in animam rationalem recipi posse.

Procedit ergo difficultas in secundo sensu, in 44
quo minor probanda suadetur; quia nil aliud est realiter totum compositum, quam materia, forma, & vnio; ergo si hoc non solum denominatiuè; sed etiam verè, & realiter obiectum visionis vitaliter percipit; rectè deducitur, quod vitalem perceptionem partim experiatur eius materia, & partim forma; sed hoc repugnat; nam inde sequitur, quod non minus materia prima, quam anima rationalis esset substantialiter, & radicaliter vita, quandoquidem nil aliud huiusmodi vita in suo conceptu essentiali videtur includere; quam, quod sit substantia, & quod sit perceptiua vitaliter obiecti actus vitalis sibi immanentis: vtrumque autem materiæ primæ verè,

Digitized by Google

primæ verè, & realiter competeret; ergo ipſa iam eſſet formaliter vitalis; quod nemo concedet.

45 Ad hoc vltimum argumentum reſponderi poteſt: conceſſo antecedente; diſtinguendo conſequens, vitalem perceptionem experitur, partim materia, & partim anima; & prior quidem tanquam ſubiectum recipiens formam vitalem; poſterior verò tanquam cauſa productiua illius, concedo: vtraque eodem modo, nego; & ſic etiam diſtincto ſubſumpto, ad eius probationem dici poteſt; nil abſurdi eſſe concedere materiam primam in homine eſſe ſubſtantialiter, & radicaliter vitam in ratione ſubiecti receptiui. Quod confirmari poſſet ex eo, quia homo ipſe non ſolum denominatiuè; ſed etiam verè, & realiter *eſt viuens*, quod ponitur in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ: & ſic non ſolum eius forma, ſed etiam materia; hoc ipſo quod eſt pars eſſentialis illius, partialiter rationem viuentis participare debet, quid igitur repugnat, quin eadem materia dicatur experiri vitalem perceptionem obiecti materialiter.

46 Sed contra traditam diſtinctionem facit primo; quia vitalem obiecti perceptionem experiri, tanquam ſubiectum illam recipiens; videtur eſſe magis, vel ſaltem æque proprium vitæ ſubſtantialis; ac ſit illam experiri tanquam cauſam efficientem; ergo vel magis, vel æquæ eſſet vita ſubſtantialis materia prima in homine; ac ſit anima rationalis; ſed hoc à nemine conceditur, ergo *diſtinctio tradita nulla eſt*, minor, & conſequentia patet. Maior verò ſuadetur; quia experientia vitalis perceptionis obiecti propriè importat effectum formalem, prouenientem ab actu vitali; tanquam à forma recepta in ſubiecto ſibi proportionato, & capaci; ſed hic effectus formalis magis pertinet ad materiam, quæ experitur vitalem perceptionem tanquam ſubiectum; quam ad formam, quæ experitur illam tanquam efficiens: ſiquidem illa ſpectat intrinſecè ad dictum effectum; hæc verò tantum extrinſecè, producendo nimirum ſenſationem illã in materia; ergo experiri vitalem perceptionẽ obiecti tanquam ſubiectum recipiens; vel eſt magis, vel ſaltem æque proprium vitæ ſubſtantialis, quod addo, vt præoccupem reſponſionẽ, qua dici poſſet: animam ratiõalem; hoc ipſo quod eſt pars totius compoſiti ſubſtantialis, etiã intrinſecè ad illam effectum formalem pertinere. Sed hoc enim admiſſo; iam ad ſummum haberi paritas inter eam, & materiam; atque adeo æque erit ſubſtantialis vita materia; ac ipſa anima; quo quid abſurdius? quamuis enim materia prima dici poſſit radicaliter vita, & ſubiectum primum omnium animarum: per hoc tamen non ſequitur quod in ſe ſit vitalis, vt probat argumentũ noſtrũ. Ad illud autem, quod in confirmatione de viuente ſubſtantiali, poſito in recta linea prædicamentali, dicebatur; ex quo inferebatur materiam partialiter rationem viuentis participare: dicendum viuens ſubſtantiale nihil aliud ſignificare; quam compoſitum cõſtans ex materia prima, & anima, tanquam partibus eſſentialibus; & ideo non eſſe negandũ materiam eſſe partialiter huiuſmodi viuens, quia cum hoc ſtat, quod ipſa nihil vitalitatis ſibi identificatum formaliter habeat: & materialiter experiri vitalem perceptionem obiecti, non ſignificat quomodocumque recipere in ſe actum vitalem; ſed ita eum recipere; vt beneficio illius vitaliter percipiat eius obiectum, quod abſque eo quod, ea habeat vitalitatem ſubſtantialem ſibi identificatam, obtinere repugnat.

Contra eandem diſtinctionem argumentor ſecundo. ſi materia experiretur vitalem perceptionem obiecti ſenſati tanquam ſubiectum: ſequeretur, quod deberet experiri appetitionem tanquam principium effectiuum illius; ſed hoc eſt abſurdum iuxta diſtinctionem traditam; quia huiuſmodi experientia ſoli animæ ſeruatur, ergo &c. Probo ſequelam maioris, reliqua enim clarent: in tantum idem debet eſſe principium cognoſcens, & appetens, quia principium effectiuum appetitionis debet ex cognitione ad appetendum determinari. ſed ſi ſola materia experiretur vitalem ſenſationem obiecti ſubiectiuè: ipſa tantum determinari poſſet ad appetendum effectiuè obiectum ſenſatum; ergo ipſa ſola deberet experiri appetitionem tanquam principiũ effectiuum illius. maior patet ex dictis & minor ſuadetur, quia non aliter principium appetitiuum determinari poteſt ad appetendum effectiuè obiectum cognitum: quam recipiendo in ſe cognitionem illius; ſiquidem hæc non eſt neceſſaria ad recipiendam appetitionem; ſed ad producendam illam; ergo ſi ſola materia recipit ſenſationem: ipſa ſola determinatur ad appetẽdum effectiuè obiectum ſenſatum. Quod ſi reſpondeatur animam ſolam non appetere, ſed totum compoſitum: facile hæc fuga præcludi tur ex dictis, quia tranſeat ſi totum compoſitum ſit id, quod ratione vtriuſque principij, materialis, videlicet, & formalis, cenſeatur appetere atque cognoſcere: hoc ipſo tamen, quod conceditur ipſum recipere cognitionem in ſuo principio materiali; negari non poteſt, quin etiam appetitionem per idem principium materiale producat, quia principium effectiuum appetitionis, recipiendo cognitionem, ad illam eliciendam determinatur: atque hæc contra primam ſententiam.

Contra ſecundam verò Arriagæ, docentis ſenſationes in homine ſuſtentari à materia prima, & ab anima rationali tanquam à duplici ſubiecto inadæquato militat non contemnenda difficultas, quia iuxta communem philoſophorum ſententiam, quam auctor negare non audet: res ſpiritualis non poteſt eſſe ſubiectum adæquatum, ex quo forma materialis educatur, & in ſuo eſſe dependeat; ergo neque poterit eſſe huiuſmodi ſubiectum inadæquatum illius. conſequentia ſuadetur; quia idcirco res ſpiritualis eſt incapax ſubiectionis adæquatæ: quia eſt formæ materiali improportionata, ratione excẽſus perfectionis, quo ſupra eam extollitur; non verò ratione defectus perfectionis, quo in inferiori ordine deprimatur: ſed eandem improportionem retinet etiam ſi ſit ſubiectum inadæquatum illius; ergo ſicuti eſt incapax ſubiectionis adæquatæ: ita etiam, & inadæquatæ: maior, & conſequentia videntur certa; minor verò ſuadetur

detur, quia improportio, quæ ex defectu perfectionis oritur, rectè potest intelligi, quod auferatur per aduentum alterius comprincipij, sua perfectione defectum illum supplentis: at in intelligibile est auferri improportionem ortam, ex excessu per aduentum alterius comprincipij: quia hoc rei spiritualis perfectionem minimè deprimere valet; ergo sicuti anima rationalis est incapax subiectionis adæquatæ, respectu sensationum materialium: ita & inadæquatæ.

49 Confirmatur quia: in tantum improportio principij, quando oritur ex defectu, per aduentum alterius comprincipij adæquari potest: in quantum non habetur in entitate illius aliquid repugnans eleuationi, ex coniunctione cum dicto comprincipio ortæ; omne enim ens sicuti in essendo: ita & in operando ad sui perfectionem inclinat: at in entitate rei spiritualis habetur aliquid repugnans depressioni, quam ex coniunctione cum materia prima ad actus sensitiuos sustentandos acquireret, quia entitas ipsa animæ rationalis dedignatur formis materialibus subijci; ergo inadæquatio subiectionis non tollit ab ea incapacitatem sustentandi dictas formas.

50 Tertiò denique contra opinionem Ouiedi videtur eadem fere ratio militare, quæ contra præcedentem; siquidem non minus communis sententia docet rem spiritualem non posse esse subiectum adæquatum merè receptiuum formæ materialis: quam non posse esse subiectum adæquatum etiam substentatiuum eiusdem; & rectè id quidem quia, sicuti ad adæquatè sustentandam formam materialem repugnat improportio prouenians ab excessu, quo res spiritualis supra eam extollitur: ita ad adæquatè illam recipiendam repugnare debet eadem improportio; sed improportio orta ab excessu perfectionis nō tollitur per inadæquatam sustentationem, vt supra probauimus; ergo neque tollitur per inadæquatam receptionem.

51 Aliquis forsasse negabit paritatem; diceteque impedimentum, quod habet res spiritualis ad adæquatè recipiendam formam materialem, nō prouenire ex improportione quoad excessum; sed ex indigentia, quam habet forma materialis substentationis; & quia nequit substentari à subiecto: quin recipiatur in illo; hinc fieri, vt si recipitur in re spirituali: non nisi inadæquatè recipiatur; Sed hæc ratio non satisfacit primò quia in sententia eorum, qui volunt posse formam materialem sustentari à subiecto, absque eo, quod illud informet; non obstante indigentia, quam illa haberet sustentationis à re materiali, posset admittere pro subiecto adæquato merè receptiuo rem spiritualem; ergo falsum est, quod hoc impedimentum oritur ex indigentia, quam habet forma materialis substentationis. Non satisfacit secundò, quia ponamus cognitionem sensitiuam ita produci ab anima rationali, vt per absolutam Dei potentiam non sustentetur à materia, sed Deus in genere causæ efficientis suppleat defectum causæ materialis respectu illius: in tali casu huiusmodi cognitio non deberet partialiter informare materiam; quia cessaret ratio assignata, non enim sustentaretur ab illa; ergo ex suppositione illius miraculi exigeret habere pro subiecto adæquato merè receptiuo solam animam rationalem; sed hoc videtur inconueniens; ergo &c. Non satisfacit tertiò & est ratio à priori, Ouiedi opinionem improbans, quia sustentare formā materialē tria importat ex parte subiecti, saltem connaturaliter loquendo, primum est dare illi esse; secundum mutationem materialem subire, tertium denique à dicta forma perfici, ac informari, sed incapacitas, quam habet res spiritualis ad sustentandam formam materialem non prouenit ratione primi; vt de se patet, quia Deus est summè perfectus, & tamen est maximè de se proportionatus ad dandum esse rebus materialibus; ergo ratione duorum sequentium; atqui res spiritualis per hoc præcisè quod sit subiectum merè receptiuum, quantumuis inadæquatum, formæ materialis, vtrumque incommodum incurrit; ergo, si ad sustentandam formam materialem, siue adæquatè, siue inadæquatè repugnat improportio prouenies ab excessu perfectionis, quo res spiritualis supra ipsam formam extollitur: repugnabit etiam eadem improportio ad illam, siuè adæquatè, siuè inadæquatè, recipiendam; & sic erit impedimentum illam in se recipiendi. omnia patent, præter minorem, subsumptam, quæ sic euincitur: per hoc præcisè quod subiectum aliquod intelligatur recipere in se formā, quam non habebat: iam intelligitur mutari, & informari dicta forma; & quidem quod intelligatur informari est euidens; ex quo probo quod intelligatur mutari; quia mutatio subiectiua consistit in transitu, quo subiectum ex non habente intrinsecè formam aliquam, transit in habens illam; ergo, hoc ipso, quod subiectum, intelligitur recipere de nouo in se formam aliquam, non solum intelligitur per eam informari: sed etiam mutari. res igitur spiritualis, per hoc præcisè, quod sit subiectum merè receptiuum formæ materialis; vtrumque incommodum incurrit, quod erat probandum.

52 Ex his, quæ huc vsque dicta sunt, patet in hac controuersia à communi ratione philosophandi, quam in reliquis rebus inuiolabilem seruare consueuimus, nobis esse aliquantulum recedendum, propter specialem difficultatem ortam ex actibus sensitiuis, quorum beneficio forma spiritualis debet constitui formaliter sentiens: quemadmodum enim, quantumuis ratio animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ in reliquis animabus indispensabiliter entitatem corruptibilem exposcit, & solùm in anima rationali ab hac communi regula exorbitat. ita, & modus sentiendi eiusdem animæ rationalis habere debet quid peculiare, per quod à modo sentiendi cæterarum animarum deflectat: hoc patet ex tribus sententijs à nobis impugnatis; vnaquæque enim aliquid speciale tribuit actibus sensitiuis humanis, quod negat alijs, quos bruta animantia exercent: quoniam verò in exorbitantijs non est liberum nobis pro libitu vagari, communéque naturæ legem ad libidinem vulnerare: sed recta ratio postulat, vt cum simus in odiosis, minimum quid eligamus, & quoad possumus, commune ius naturæ, vsitatamque philosophādi methodum seruemus immunem: id circo,

prius

Digitized by Google

commune ius naturæ, vsitatamque philosophandi methodum seruemus immunem: id circo, priusquam aliquid ex propria sententia proferamus, decernendum videtur, quæ nam ex tribus impugnatis sententijs minus animæ rationali specialiter concedat, eius indigentiæ, quam parcissime potest, satisfaciendo; pro quo sit.

Prima conclusio. tertia sententia quantum ad hoc videtur reliquis præferenda.

53 Probatur illas inter se comparando; Et quidem prima, quamuis, quantum ad id, quod de immanentia actus vitalis assumit, eam, videlicet, saluari posse: per hoc, quod efficiatur ab anima rationali, & recipiatur in eius materia sit rationi consonam, quatenus communem illius notionem profitetur tueri, quod scilicet actus in eodem principio, à quo producitur, recipiatur, dum de eodem homine verificatur vtrumque: nihilominus tamen quo ad id, quod de vitali obiecti perceptione addit, eam nimirum verè, & realiter, neque materiæ neque formæ competere; sed toti homini dumtaxat: videtur valde exorbitare à communi modo philosophandi, omnemque humanam credibilitatem, ac intelligentiam superare, vt ex modo dictis probatum remanet. quare merito hæc sententia minus probabilis duabus reliquis existimanda est.

54 Quod si secundam tertiæ conferamus: videbimus quod ea plus de speciali tribuat actibus materialibus humanis: quam tertia; siquidem hæc solum eis contendit, quod mere recipiantur in anima rationali, eamque partialiter informent, absque eo quod ab illa materialiter sustententur; secunda vero vtrumque illis partialiter concedit; quod scilicet, & recipiantur, & sustententur; neminem autem latet plus habere difficultatis, substantiam spiritualem recipere simul, & substentare partialiter formam aliquam materialem: quam illam tantum partialiter recipere. ergo tertia sententia est, quæ minus communem naturæ legem violat, & magis stricte indigentiæ animæ rationalis satisfacit.

55 Porrò ex hoc principio valde probabili respõderi potest ad argumenta in cõtrarium, quæ cõtra dictam tertiam sententiam paulo ante adduximus; & ad rationem quidem fundamentalem dicendum, quod licet res spiritualis completa sit incapax recipiendi nõ solum totaliter, sed etiam partialiter formam materialem: ac non sic incompleta, cuiusmodi est anima rationalis, quia sicuti ex suis essentialibus habet, quod sit sensitiua, ita etiam exigit id, quod precisè requiritur ad huiusmodi actus exequendos, sed adhoc sufficit si possit illos in se inadæquatè recipere; per hoc igitur solum à re spirituali completa recedere debet.

56 Ad paritatem autem desumptam ex improportione orta ab excessu perfectionis, quæ æque repugnat cum sustentatione adæquata; ac cum inadæquata dicerem: eam valere quando sunt cætera paria; hoc autem non haberi in casu nostro, quia anima rationalis, ex vna parte est semiens sensitiuum; quare necesse habet recipere in se sensationes: ex altera vero, est spiritualis; ergo exigit, vt salua sua natura, quam minimum possit ad materialitatem formarum sensientium inclinetur; sed hoc præstat recipiendo solum inadæquatè sensationes, ergo &c. Ad primum in contrarium responderetur eos, qui dicunt posse formam sustentari à subiecto, absque eo quod illud informet: non concedere ita se habere de facto; sed solum non implicare contradictionem. Ad casum vero, de quo secundum argumentum loquitur, potest dici animam rationalem tunc adhuc inadæquate recipere sensationem illam; & ideo non posse reddi eius beneficio sentientem; quia sensatio non nisi adæquatè recepta, suum effectum formalem præstare potest. Ad tertium denique concederem, quod assumitur in maioris: tria nimirum, importare, ex parte subiecti, sustentare formam; & concessa item, minore, & consequentia: distinguerem subsumptum: res spiritualis per hoc, quod sit subiectum inadæquatum merè receptiuum formæ materialis vtrumque incommodum incurrit: diuerso modo, concederem: eodem modo, negarem subsumptum, & consequentiam. ac dicerem rem spiritualem ex sustentatione formæ materialis duplicem subire mutationem: vnam physicam; siquidem quatenus huiusmodi forma educeretur ex illa, beneficio actionis eductiuæ constitueretur in actuali tendentia physica ad terminum; alteram terminatiuam, quatenus reciperet ipsum terminum materialem, & de non sentiente redderetur formaliter sentiens; at ex sola receptione, vni tantum mutationi esset obnoxia, nempe terminatiuæ, quia actio eductiua reciperetur in materia, eamque constitueret patientem similiter magis, ad materialitatem eadem anima rationalis accederet, si adæquatè reciperet in se sensationem materialem: quam si inadæquatè tantum: quoniam vero quam minimum possumus in exorbitantijs concedere debemus: hinc fit vt sit parum inconueniens asserere eam inadæquatè suas sensationes sine sustentatione recipere, sit vero valde dissonum, eam vel sustentantem, vel adæquatè recipientem, illas constituere.

Secunda conclusio: datur alius modus componendi actus sensitiuos cum spiritualitate animæ rationalis, per quam communis naturæ lex minus vulneratur, minusque receditur ab ordinaria philosophandi ratione, quæ obseruari solet in cæteris rebus: quam per præcedentem modum Ouiedi: si nimirum dicamus: quod siue in reliquis animantibus dentur potentiæ vitales realiter distinctæ ab anima, siue non: in homine tamen eius potentiæ materiales debeant sic distingui; ita tamen vt saltem sensitiua interior identificetur cum appetitiua materiali: dummodo aliqua ratio positiua huiusmodi distinctionem non contineat esse impossibilem; quod disputatione sequenti examinabimus. 57

Probatur, quia sic dicendo: ex vna parte saluamus quomodo eadem potentia appetitiua materialis determinetur ad appetendum, vel fugiendum necessario obiectum sensatum ex illuminatione cognitionis sensitiuæ, quam in se formaliter recipit, propter identitatem, quam ponimus inter dictas potentias: ex alia vero parte negamus ipsam substantiam animæ rationalis esse subiectum receptiuum formarum materialium, quan- 58

Digitized by Google

quandoquidem ponimus omnes actus vitales materiales in homine habere pro subiecto adæquato potentiam materialem, ab ipsa anima realiter distinctam, & à materia prima adæquatè sustentatam.

59 Quod autem sic dicendo minus ordinem communis naturæ lædamus, minusque à communi, & bene regulata philosophandi norma recedamus: suadetur ex eo, quia natura solita est, vrgente aliqua iusta causa, concedere substantijs instrumenta distincta. Aliunde vero sententia, quę affirmat potentias vitales in viuentibus esse plusquam ratione ab eorum animabus distinctas: à communi philosophandi ratione minimè exorbitat. eam enim sustinent multi doctissimi viri, de quibus in sequenti disputatione dicemus. ergo huiusmodi distinctionem concedere in homine, propter specialem difficultatē, quam in eo habemus; etiam si eam negemus in reliquis; quam minimum possumus communem naturæ legem vulneramus; nec à canonica philosophandi methodo elongamur. Contra vero nunquam nouimus naturam res spirituales, ad recipiendas in se formas materiales, ob aliquam vrgentem causam depressisse, & scimus omnem philosophiam docere subiectum spirituale esse improportionatum formæ materiali. ergo &c.

60 Contra hanc tamen Conclusionem dices primo. Non potest in ea explicari num anima secundum suam substantiam efficienter concurrat simul cum potentijs distinctis ad suas sensationes, & appetitiones producendas, nec ne? ergo &c. Respondeo negando assumptum, potest enim probabiliter vtrumque sustineri, qui tamen affirmatiuam sententiam amplectitur; tenetur asserere, eam in concursu præstando appetitionibus, concurrere vt subordinatam ipsi appetitui sensitiuo, ad eum plane modum, quo ad actus voluntatis concurrunt habitus, quia primum determinatiuum debet esse illud principium actiuum, quod, vt illuminatum, ad appetendum concurrit. huiusmodi autem esse appetitus sentiuus, qui in se reciperet cognitionem sensitiuam, & non ipsa anima rationalis. ergo &c.

61 Dices secundo: ex hac opinione sequeretur substantiam animæ rationalis non experiri vitalem perceptionem materialem rerum sensibilium. sed hoc videtur absurdum. ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam: non experiretur per suam substantiam, concedo: per suas potentias vitales, nego sequelam; & distincta eodem modo minore, nego consequentiam; ac dico neque materiam primam, neque animam rationalem experiri posse vitalem perceptionem obiectorum sensibilium per propriam substantiam, non materiam, quia non est in sua entitate vitalis; neque anima, quia, licet sit huiusmodi, est tamen spiritualis, quare satis illi est, si ratione suarum potentiarum materialium, quæ vitales sunt, experiatur vitales perceptiones materiales rerum sensibilium.

62 Vrgebis: dupliciter potest intelligi substantiam animæ ratione suarum potentiarum dictas perceptiones experiri: primò vt ipsa in sua entitate re uera illas experiatur, sed illis medijs: secundò, quod experientia non perueniat ad entitatem propriam animæ, sed sistat in suis potentijs. non potest dici primum siquidem neque informatur actibus vitalibus, neque vitalibus eorum potentijs in hac via; nec secundum, quia si ad eius entitatem experientia non perueniat: valde difficile explicatu est, quomodo possit ipsa cognoscere cognitione intellectiua obiecta sensata; & suas sensationes, & appetitiones percipere. ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem; & eligo secundum membrum, sicuti docent multi, qui negant actus vitales produci immediatè à substantia animæ, & in eam immediatè recipi. ad probationem in contrarium dico: facile explicari modum, quo ipsa substantia animæ intelligat obiecta sensata, & suas sensationes, & appetitiones cognitione spirituali percipiat: si nimirum dicamus dictos actus omnes vitales materiales in homine producere species suas materiales in phantasia; quibus hæc potentia informata, producit phantasma, ad cuius præsentiam intellectus agens producat species intelligibiles in intellectu possibili, & hic cognitionem obiecti sensati, atque appetiti; nec non etiam sensationum, & appetitionum, quæ circa illud productæ sunt, porro hic cognoscendi modus, licet non sit experientia formaliter, est tamen eminenter; atque adeo nobilior, & perfectior ipsa formali experientia, vt considerati patet.

63 Dices tertio: nos supra docuimus, quod si potentia sensitiua, & appetitiua identificabantur inter se, debebant quoque identificari cum substantia animæ, eo quod cessabat ratio oppositionis, ex rationibus specificis illarum desumpta. sed nunc docemus oppositum. ergo &c. Respondeo nos ibi loquutos fuisse ex suppositione, quod nil aliud impediret identificationem earum cum substantia animæ, præter earum rationes specificas: at nunc habetur aliud impedimentum; quia nimirum ipsæ, vt recipiant in se suos actus vitales debent esse necessario in entitate sua materiales. vnde identificari nequeunt cum anima rationali, quæ in sua substantia spiritualis est.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMA

DE REALI DISTINCTIONE POTENTIARVM Vitalium ab Anima.

IN præsenti controuersia Realis distinctionis vocabulum non sumitur strictè, pro vt à modali, & à formali Scotistarum distinctione diuersificatur: sed ample, quatenus est species opposita distinctioni, quæ fit per intellectum, & reperitur inter ea, quorum vnum, nemine cogitante, non est aliud: siue demum illa sit Scotica, quæ proprie à multis apellari solet distinctio ex natura rei, siue modalis; siue rei à re. Et quidem quæstio nostra procedit de facto; num scilicet, de facto inter animam, eiusque potentias vitales huiusmodi distinctio intercedat. nihilominus tamen videndum prius est, num implicet contradictionem: cum enim omne, quod est de facto sui possibilitatem præsupponat: recta ratio postulat vt antè quam eam á parte rei dari, vel non dari statuamus: num implicet, vel non implicet inuestigemus.

SECTIO PRIMA.

Quid de Possibili sentiendum.

Prima Conclusio: Possibile est animam tum sensitiuam tum rationalem habere omnes suas potentias vitales realiter à propria substantia distinctas. probatur quia nulla potest assignari huius rei repugnantia; quod autem non repugnat non est dubium: quin possit fieri à deo. possibilis igitur est anima, tum sensitiua, tum rationalis, quæ habeat potentias realiter à propria substantia distinctas.

Obijcies; supra vidimus animam rationalem secundum suam substantiam debere esse principium determinatiuum indifferentiæ, quam habet, quatenus libera est; eo quod laus, & vituperatio, præmium, & pœna in ipsam refundi debeant; sed si haberet voluntatem à propria substantia distinctam; hoc non subsisteret; ergo &c. probo minorem, quia nullo alio modo indifferentia propriæ libertatis posset à substantia animæ determinari, nisi in genere efficientis, per productionem actus liberi; sed si voluntas ab ea distinguitur, ad voluntatem pertinet efficientia actus, quia est potentia activa. ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem, concessa item maiore: distinguo minorem, si voluntas distingueretur à substantia animæ: ad voluntatem pertineret efficientia actus, partialiter, concedo. totaliter, nego minorem; & ad eius confirmationem dico, quod si voluntas distingueretur ab anima rationali; esset quidem potentia activa; sed quæ in operando subordinaretur ipsi animæ; ad eum plane modum, quo habitus subordinatur in operando potentiæ, cuius est habitus. vnde fit vt licet tum anima, tum potentia efficienter concurrent immediate ad actum: sola tamen anima esset, quæ determinaret potentiam, sicuti etiam cætera comprincipia; & sic in ea sola libertas resideret: quoniam vero hæc ratio non militaret pro reliquis actibus siue intellectiuis siue sensitiuis; hinc fit vt non implicet anima, quæ ad huiusmodi actus efficienter partialiter quidem concurrat, sed à suis distinctis potentijs determinata.

Contra hoc vltimum instabis: prædicatum vitalitatis, quod esset in huiusmodi actibus adæquatè correspondaret animæ: ergo potentiæ distinctæ essent superfluæ; atque adeo implicatoriæ. Hæc secunda consequentia claret. quod enim essentialiter superfluit, implicat contradictionem. antecedens vero videtur certum. prima autem consequentia suadetur, quia non posset in actu assignari prædicatum, quod à substantia animæ fieri nequiret. ergo potentiæ distinctæ essent superfluæ.

Respondeo: distinguendo antecedens: prædicatum vitalitatis adæquatè correspondaret animæ, formaliter; concedo. efficienter, nego antecedens; & consequentiam; dico enim quod quemadmodum filius, licet formaliter loquendo, adæquatè suo patri correspondeat; quatenus est eiusdem essentiæ cum illo; non tamen efficienter; eo quod requirit etiam dependentiam à matre: ita & actus vitalis cuiuscumque, quo potentiæ à substantia animæ distinguerentur, & indigerent eius partiali concursu ad operandum, vitalitas enim actus non nisi ab vtrisque simul sumptis adæquatè penderet. perquæ patet responsio ad probationem antecedentis. cum enim huiusmodi prædicatum, quod esset in actu à substantia animæ adæquatè fieri nequiret, exigeret dependere etiam à potentia.

Vrgebis nihil spirituale ordinari potest ad aliquod corporeum, sed si anima rationalis potest partialiter concurrere ad actus

hoc eueniret. ergo implicat animam rationalem potentem sic concurrere. Respondeo distinguendo maiorem: nihil spirituale ordinari potest ad aliquod corporeum, tanquam ad finem, concedo. tanquam ad effectum suum, nego maiorem; & sic distincta minore. nego consequentiam; & dico nullum esse inconueniens, quod aliquod spirituale ordinetur in genere efficientis ad aliquod corporeum; respiciendo illud tanquam effectum suum; & quidem postquod potentiæ animæ essent ab ea distinctæ; sic rationalis ad suas potentias sensitiuas ordinaretur, quidni ergo ad earum actus?

Secunda Conclusio possibile est animam brutalem habere omnes suas potentias sensitiuas sibi identificatas; item possibile est animam rationalem habere sibi identificatas potentiam intellectiuam, & volitiuam: non vero reliquas potentias sensitiuas.

7 Tria membra continet assertio; & quidem quo ad priora duo probatur facile; quia nulla potest assignari implicantia in eo, quod anima brutiomnes suas potentias sensitiuas sibi identificet; & quod anima rationalis suas rationales.

8 Oppositum docet Quiros *Disput.* 83. *sect* 3. Quod sic probat: Actus vitalis supponit animam in statu connaturali; sed in hoc statu constituitur per aliquod accidens: aliter non posset illam Deus à suo connaturali statu remouere; ergo necessario constituitur per potentias distinctas. Confirmatur; quia anima ex vna parte est perfectibilis; aliunde vero, eo ipso quod habet perfectionem suam sibi identificatam, habebit etiam virtutem actiuam perficiendi se ipsam; ergo se perficiet producendo sibi potentias.

9 Verum ad hæc facilis est responsio. Concessa enim maiore, & minore argumenti, nego consequentiam; & dico, accidens, per quod constituitur anima in suo statu connaturali esse coniunctionem cum corpore, siue in primo fieri, si est spiritualis; siue etiam in conseruari, si materialis, á quo statu certissimum est eam à Deo remoueri posse, absque eo quod potentias habeat distinctas. Ad confirmationem vero, concesso antecedente quoad vtramque partem, nego itē consequentiam, quia satis est si virtus actiua animæ identificata ordinetur ad perficiendam ipsam per actus vitales.

10 Quo ad tertium denique membrum conclusionis de impossibilitate identitatis inter animā rationalem, & suas potentias sensitiuas est contra Arriagam, Quiedum, Comptonum, & alios recentiores; Suadetur autem, quia implicat eandem entitatem esse simul spiritualem, & corpoream; sed hoc eueniret, si potentiæ materiales identificarentur animæ rationali ergo &c. maior à nobis supra probata est; cum de ratione corporis, & spiritus. minor vero Suadetur, supponendo: auctores huiusmodi identitatem propugnantes cogi sustinere actus sensitiuos habere in homine duo subiecta inadæquata; quorum vnum sit ipsa anima, alterum vero materia; nā sic, Spiritualitas, vel materialitas formæ accidentalis, vti vidimus disputatione citata, non potest aliunde desumi; quam à subiecto immediato, quod sibi dicta forma connaturaliter vendicat, quia quantumuis huiusmodi forma spiritualis sit, potest esse diuisibilis, & extensa; vt multi tenent de vbi intrinseco angelorum; & punctum in quantitate) licet sit indiuisibile, est tamen materiale; vt omnes sentiunt, qui illud admittunt, ergo si sensationes vitales in homine informarent simul subiectum spirituale, cuiusmodi esset eius anima, & materiale, hoc est eiusdem materiam; non possent non esse simul materiales, & spirituales.

11 Respondent: formam accidentalem quo ad spiritualitatem, vel materialitatem debere quidem conformari suo subiecto; sed adæquato, quale in casu nostro sunt, tum anima, tum materia coniunctim accepta. Vnde fit, vt non sequatur quod sensatio in homine simul sit spiritualis, & materialis in hac sententia.

12 Sed contra est: quia tunc hæc distinctio haberet locum; quando possibile esset aliquod ens neutrum, quod videlicet, neque spirituale esset neque corporeum; tale enim sustineri posset esse humanas sensationes. atqui hoc non admittitur ab aduersarijs. ergo coguntur concedere, sensationes vtrumque prædicatum habere; non enim posset assignari maior ratio de vno potius, quam de altero. quamuis enim subiectum adæquatum illarum, absolutè loquendo, esset materiale; quia tamen constaret forma spirituali, deberet in eas spiritualitatem refundere; quid quid sit si postea absolutè loquendo materiales potius, quam spirituales appellandæ essent.

13 Respondent ad hoc Arriaga *num.* 59. & Comptonus *sect* 5. *num.* 6. conceptum spiritus consistere in independentia à materia; ergo hoc ipso quod sensationes in homine ponuntur à materia dependere; eo ipso coniuncuntur esse materiales, & non spirituales.

14 Sed hæc responsio duplici via defendi potest. Primò in sententia Arriagæ, qui vult tum materiam, tum animam rationalem esse subiecta sustentationis partialia sensationum humanarū. Secundo in sententia Quiedi, quem sequitur Comptonus docentis animam non esse, nisi subiectum informationis illarum, & materiam eas adæquatè sustentare; & quidem iuxta priorem viam dicta responsio impugnatur ex eo, quia non potest assignari maior ratio, cur dependentia partialis à materia inferat materialitatē in forma, quæ dependet: non verò dependentia partialis á spiritu spiritualitatem in eadem forma; ergo sensatio humana, vel simul erit materialis & spiritualis, vel neutra. consequentia patet, antecedens probatur; nam si qua posset: ea maxime esset, quam idem auctor *num.* 46. assignat; nimirum, quia forma sequitur debiliorem partem subiecti sui adæquati; ad eum plane modū, quo conclusio ex duabus præmissis, quibus innititur claudicat in debiliorem. sed hanc rationem non procedere Probatur, quia in tantum hoc conclusioni contingit, in quantum ea est idem realiter cum vtraque præmissa; & veritas extremorum inter se, cum veritate eorundem cum medio identificatur. Vnde fit vt dicta veritas non possit esse in conclusione certior, quam sit in ipsis præmissis; at in casu nostro sensatio est realiter distincta á materia, & anima ratio-

Digitized by Google

rationali: aliunde vero habemus formam accidentalem, quæ ad materialitatem, vel spiritualitatem debere conformari subiecto suo, ad cuius exigentiam in propria essentia constituitur. ergo falsum est, sensationes quoad materialitatem debere potius sequi debiliorem partem, cuiusmodi est materia; quam robustiorem, qualis est anima rationalis.

35 Dices cum eodem nimirum, in moralibus si alter parens sit infamis; proles absolutè censetur infamis; & in physicis ab anima spirituali, & specie impressa materiali producitur sensatio materialis; sed tum proles realiter distinguitur à suis parentibus; tum sensatio ab anima rationali, & specie materiali; ergo nulla distinctio.

Respondeo, negando consequentiam: aliud enim est loqui de effectibus causarum efficientium, de quibus sermo est in antecedente; & aliud de effectibus causarum materialium, nam causa efficiens, quantumuis perfectissima sit, per hoc quod influat in effectum imperfectissimum non censetur à sua nobilitate, & perfectione cadere, eo quod effectus est illi extrinsecus, & non in habitudine ipsius entitatis: esto effectus cadat à sua nobilitate, dum à causa efficiente imperfectiore procedit, quatenus in ea deberet contineri ut subiectum, dum potuit in formam in genere causæ materialis illam intrinsecè recipit, iuxta comparatam ei perfectibile perfectivo, unde fit vt si in infimo gradu abstractionis à materia in quo est subiectum impossibile sit quo magis ipsum non fœdet, atque polluat, quonam vero omne, quod ab homine positivè inclinat ad sui perfectionem, ita à sua corruptione, ac vilificatione refugit. hinc fit vt si anima rationalis exerceret munus subiecti respectu sensationum materialium; non sine aliqua violentia id præstaret: quam restat explicandum: cur nimirum ex hoc sequatur implicantia contradictionis; cum passim videamus res naturales multas formas violenter in se in ordine naturæ recipere, ac sustentare posse; vt aquam calorem, ignem frigiditatem &c. verum in hoc explicando non multum operis insumendum est; omnis enim violentia debet ab extrinseco provenire, ita vt implicet contradictionem passum vim aliquam ad eam conferre posse: sed si anima rationalis violentiam aliquam in sensationibus recipiendis paterentur, ipsa sibi vim faceret, & ab intrinseco huiusmodi violentia illi provenirent; nam ex sua essentia inclinaret ad sentiendum: ergo implicat eas cum violentia sustentare.

45 Sed age iam principalem distinctionem, quâ aduersarii nostro adhuc argumento impugnemus, si placet in secunda via. Quidam docentis sensationes humanas totaliter à sola materia sustentari; quamuis de cætero, tum in materia, tum in forma recipiantur; & quidem in hac via videtur facile assignari posse maiorem rationem, cur potius dictæ sensationes sint materiales, & non spirituales; quia nimirum educuntur de potentialitate materiæ, & ab ea totaliter sustentantur; nullum enim est proponibile inconueniens si dicamus formas accidentales quoad materialitatem, vel spiritualitatem sequi subiectum, ex quo totaliter educuntur, & sustentantur; non autem illud in quo earum inadæquatè recipiuntur, cuiusmodi est anima rationalis in casu nostro, vnde deduci videtur falsum omnino esse quod, si sensationes haberent in homine pro subiecto informationis, tum materiam, tum formam; essent in entitate sua simul materiales, & spirituales.

Verum hic modus respondendi, quamuis sit præcedente probabilior, facile tamen impugnari posset, supponendo ex dictis in præcedenti disputatione: subiectum sustentationis formæ materialis tria connaturaliter loquendo importare. Dare illi esse, Mutationem materialem imbire, & à sua forma intrinsecè perfici, ac informari, tum hic, Et suppositione, quod anima rationalis recipiendo in se sensationes materiales mutationem subeat, & ab eis intrinsecè perficiatur atque informatur; suo sibi iure vendicat vel totaliter, vel saltem partialiter vna cum materia dare illis esse, sed ex hoc sequitur dictas sensationes esse simul materiales, & spirituales; ergo nulla distinctio. minor, & consequentia patent, prior verò probatur, quia dare esse alteri de suo conceptu aliquam perfectionem importat in donante; quod si dare illud in genere causæ materialis imperfectionem impræscindibilem imbibit: ideo est, quia sine mutatione, atque subiectione, quæ de se sunt imperfectiones, hoc genus exequi nequit. atqui per aduersarios anima rationalis totum id quod est de imperfectione incansando materialiter suas sensationes assumit; ergo suo iure sibi vendicat aduersus materiam id, quod perfectionem aliquam sapit, cuiusmodi est dare illis esse; & ratio huius à priori videtur esse, quia quotiescumque ex duobus entibus debitè applicatis ad causandum aliquem effectum, dubitatur, quodnam ex eis influat in illum effectum; tunc, si cætera sint paria, vel pro solo ente nobiliore lis decidenda est, vel ad minimum pro vtroque indiuisibiliter accepto: atqui de anima rationali, & materia debitè applicatis ad causandas materialiter sensationes ex suppositione, quod anima dictas imperfectiones subeat, dubitatur à nobis vtra nam eas causet? ergo cum de reliquo ponantur cætera paria iure nobilitatis anima exigit, vel totaliter, vel saltem partialiter vna cum materia in illas influere.

Dices primò neutrum sustineri posse propter eandem rationem, quam nos inducimus; videlicet, quia alioquin sequeretur sensationes esse simul materiales, & spirituales: sed audio; verùm vt hæc sequela impediatur nō solum antecedens, ex quo immediatè deducitur, sed etiam principium, vnde dictum antecedens procedit, negandum est, eo quod falsum non nisi ex falso concludatur; quoniam verò materialitas, & spiritualitas sensationum humanarum procedit ex eo quod tum materia prima, tum anima rationalis deberent in eas in genere causæ materialis influere: hic verò simultaneus influxus, vti probatum est, deducitur ex eo quod dictæ sensationes informare debent vtramque: rectè inde colligitur huiusmodi principium falsum esse, atque adeo negandum.

Dices secundò nos sect. 2. *disputationis præce-*

dentis

dentis agentes de subiecto sensationum humanarum sustinuisse sententiam Ouiedi nolentis animam eas solum recipere, præferendam esse sententiæ Arriagæ; qui putat eam illas etiam sustentare; ergo non possumus illam nunc damnare, vt implicatoriam.

Respondeo: ibi nos loquutos esse respectiuè, duas illas opiniones inter se comparando: & ex suppositione quod neutra repugnaret, docuimus Ouiedū probabilius circa punctum hoc discurrere; quam Arriagam; eo quod communem naturæ legem minus violaret, & quam partibilime potest indigentiæ animæ rationalis prospiceret. atqui in præsentia loquimur absolutè, & vtriusque opinionem lidio veritatis lapide examinamus, quare cum vtramque contradictionem involuere probauerimus: non est cur existimetur contradictorium ei, quod paulo ante dixi-
20 mus, in præsentia sustinere.

Dices tertio: etiam si implicet animam rationalem identificari cum sensu communi, & appetitu sensitiuo, eo quod deberet in se recipere operationes vtriusque: at non implicat quod identificetur cum sensibus externis; quia sensationes illorum non deberent immediate illuminare appetitum sensitiuum identificatum cum ipsa anima, sed iam distinctū ab illa; atque adeo dici potest, quod recipiantur in solo organo corporeo; ergo &c.

Respondeo negando secundam partem antecedentis; & ad rationem in contrarium aliqui dicunt sensus externos habere sibi connaturalem potentiam quandam appetitiuam imperfectam, quam illuminent; in quorum sententia currit paritas de sensu interno, & appetitu sibi correspondente; saltem igitur propter hoc dicendum est huiusmodi potentias esse realiter ab anima rationali distinctas; quod si id negetur; Responderi posset secundo immanentiam sensationum esse perfectissimam, atque adeo eis repugnare, quod fiant ab anima, & non recipiantur in illa, sed in materia. Responderi denique potest tertio nō implicare animā rationalē cum potentijs sensitiuis externis identificatam, sed solum cum internis.

21 Dices quarto: ex eo quod dictæ potētiæ materiales in homine cum toto composito identificentur, sicuti vult Hurtadus *sect.* 4. §. 63. non sequitur eas simul esse spirituales, & corporeas; ergo multo minus id sequetur ex eo, quod in animam rationalem, & in materiam primam, tanquam in subiectum informationis recipiantur. Respondeo negando antecedens: hoc enim ipso, quod huiusmodi potentiæ identificantur cum toto, si totum partim spirituale est partim corporeum, impossibile est quin ipsæ quoque ex parte corporeā, & parte spirituali componantur; quare quantum ex hoc capite non implicarent: tunc enim implicat eamdem entitatem esse simul spiritualem, & corpoream quando indivisibilis est, & minimè compositā: dico, quantum est ex hoc capite, quia aliundè existimarem eas contradictionem inuoluere: siquidem ex hac identitate illarum cum toto sequeretur, quod licet neque anima rationalis, neque corpus sentiret: nihilominus sentiret totus homo; etiam si totus homo non distingueretur à partibus suis collectiuè acceptis. hoc autem videri repugnare patet ex dictis supra.

Dices quinto: non implicat formam materialem inhærere diuinitus subiecto spirituali, quia enim contradictio est quod angelus V. G. recipiat in se, & sustentet dulcedinem, albedinem &c. ergo multo minus implicabit animam rationalem recipere in se proprias sensationes, eas nequaquam sustentando. 22 23

Respondeo: quam plures negare antecedens quia (inquiunt) inde sequeretur Angelum fore album, dulcem &c. eo quod posita forma in subiecto, habetur necessario effectus formalis illius, sed consequens est per omnes absurdum; ergo &c. verūm alij concedunt antecedens, & ad rationem in contrarium modo adductam dicunt, quod si Deus poneret albedinem in angelo, non inde sequeretur angelum fore album; quia hæc denominatio prouenit à forma albedinis informante subiectum non qualecumque, sed aptum natura sua illam recipere. porro effectus formalis necessario prouenientis ex albedine esset solum hic: Angelus habens albedinem, quod nullam inuoluit contradictionē. Ià verò argumenta aduersariorum iuxta priores, nullam habet vim; iuxta verò posteriores habet; sed neganda est illi consequentia, quia in casu nostro non agitur de miraculosa receptione sensationum in anima; sed de connaturali, quæ diuinitus fiat iuxta inclinationem positiuam ipsius animæ, beneficio cuius ipsa denominationem sentientis acquirat, & huiusmodi receptionem dicimus non esse possibilem, eo quod implicantiam contradictionis inuoluat.

SECTIO SECVNDA.

Quid de facto dicendum de Distinctione potentiarum vitalium ab anima.

DVodecim fere sententias diuersas circa hanc quæstionem enumerat Comptonus *Disput. 12. sect. 1. nu. 1.* celebriores tamen tres esse videntur. Et prima quidem affirmat omnes potentias vitales ex natura rei distingui ab anima, quam tenent Albertus Magnus, Alensis, Gaietanus, Sotus cum tota Thomistarum schola, quos sequuntur Suarez, Valentia, Molina, Conimbricenses, Rubius, Mureia, *locis citatis* ab eodem Comptono *num.* 2. & plures alij, quos refert Quiros *Disput. 83. num.* 8. 24

Secunda vero directe cōtraria priori est. Omnes dictas potentias identificari cum anima. ita Bonauentura, Ochamus, Gregorius, Hennius cum tota schola Scotistarum suum sequentes ducem subtilissimum, quem etiam sequuntur ex nostris Hurtadus, Arriaga, Oniedus, quos citat & sequitur Comptonus *num.* 3. item Vandinus, Martinon, Spinola, Lynceus, Alphonsus *locis citatis* Quiros *disput. 83. sect. 1.* 25

Tertia sententia media est eorum, qui dicunt Defacto animas brutorum habere suas potentias sensitiuas sibi identificatas, animam verò rationalem habere quidem sibi identificatas suas potentias rationales, mirum in modum, & pro-

lun-

Digitized by Google

ſubſtantiæ : diſtingui tamen realiter à ſuis potentijs ſenſitiuis.

26 Noſtra Concluſio eſt cum hac tertia ſententia, quæ tres continet partes, & quidem quo ad duas priores probatur, quia virtus immediatè operatiua vitaliter, cum de ſe perfectionem importet; in dubio, debet potius ſubſtantiæ; quam accidenti de facto concedi. ſed in preſentia, dũ quæritur vtrum dictæ potentiæ diſtinguantur ab anima; dubium eſt an virtus immediatè operatiua vitaliter ſit in accidente, an vero in ſubſtantia? nam poſita diſtinctione reali inter illa; conſtat potentias fore accidentia phyſica ipſius animæ. ergo huiuſmodi virtutem immediatè operatiuam debemus potius de facto identificare animæ; quam potentijs accidentalibus, realiter ab illa diſtinctis.

27 Dices maiorem veram eſſe poſito quod virtus operatiua vitalis non inuolueret ſpecialem imperfectionem. atqui in caſu noſtro inuoluit imperfectionem potentiæ paſſiuæ; quia operationes vitales debent recipi in eodem principio, à quo immediatè procedunt; ergo in dubio potius accidenti hæc virtus identificanda eſt, quam ſubſtantiæ. Contra tamen eſt: tum quia imperfectio illa patiendi ſuperatur ab emolumento experiendi, & percipiendi vitaliter obiecta, quod aſſequitur ſubſtantia animæ, ex eo quod ſibi huiuſmodi virtutem identificat: tum etiam quia in contraria ſententia illa imperfectio non euitatur: qui enim ponunt potentias ſenſitiuas in bruto, & rationales in homine ab anima diſtinctas: volunt animam ipſa immediatè pati dictas potentias, illas in ſe recipiendo ac ſuſtẽtando.

28 Probatur ſecundò: quia In tantum natura regulariter loquendo, conceſſit ſubſtantiæ inſtrumenta diſtincta; in quantum aliquando producendus eſt effectus abſente ipſa ſubſtantia; ſed hæc ratio ceſſat in caſu noſtro; ſiquidem operationes ſenſitiuæ non poſſunt produci, niſi præſente anima ſenſitiua, & rationales non, niſi ad præſentiam animæ rationalis; ergo non eſt cur dicamus de facto naturam conceſſiſſe huiuſmodi animabus dictas potentias diſtinctas dixi in maiore (regulariter loquendo) vt notarem ex alio etiam capite poſſe ſubſtantiam exigere inſtrumenta diſtincta: ſcilicet effectus, qui producendus eſt, poſtulet recipi in principio, à quo immediatè procedit; & ſubſtantia, quia eſt in ordine ſuperiori, illum recipere nequeat; tunc enim quamuis non poſſit effectus, niſi ad præſentiam ſubſtantiæ, cuius eſt effectus, produci: tenetur tamen natura tribuere ſubſtantiæ inſtrumentum diſtinctum ad illum producendum; vt videre eſt in anima rationali in ordine ad actus vitales materiales, quos, quia in ſe propter ſuperioritatem ordinis ſpiritualis recipere nequit, quemadmodum illi exigerent; natura ei conceſſit potentias materiales diſtinctas; ſed hoc, vti apparet, eſt caſus vnicus, & exceptio quædam legis illius vniuerſaliſſimæ; ergo &c.

29 Probatur denique tertiò argumento ſatis cõmuniter vſurpato, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: atqui nulla eſt neceſſitas aſſerendi potentias ſenſitiuas eſſe realiter diſtinctas ab animabus irrationalibus, necnon etiam potentias rationales ab anima rationali; vti ex argumentorum ſolutione patebit; ergo dicendum eſt huiuſmodi potentias cum proprijs animabus identificari. neque dicas obſeruandum quoque eſſe illud aliud principium, quod, nimirum, Non ſint concedendæ perfectiones poſitiuæ alicui entitati ſine poſitiua ratione, quod non obſeruatur à nobis, dum identificamus entitati animæ virtutem immediatè operandi vitaliter. nego enim minorem; habemus enim duas poſitiuas rationes id aſſerendi: quarum altera ſumitur ex neceſſitate ponendi in rerum natura huiuſmodi virtutem immediatè operatiuam vitaliter: altera verò ex iure, quod habet ipſa anima identificandi ſibi dictas virtutes, ſicuti in prima probatione notauimus; atque hæc quantum ad primam, & ſecundam partem concluſionis.

30 Quod verò pertinet ad tertiam, in qua aſſerebamus potentias materiales in homine eſſe realiter ab anima rationali diſtinctas: probatur facile ex dictis ſectione præcedenti, vbi vidimus realem identitatem inter potentias ſenſitiuas internas, & rationalem animam contradictionem inuoluere; ergo ita non datur hæc identitas à parte rei, vt etiam implicet, quod detur, loquendo de ſenſitiuis externis patet ex ſupradictis.

31 Duo tantum video contra hanc tertiam partem concluſionis poſſe obijci (nam aliqua, quæ contra primam, & ſecundam commodius ſectione ſequenti examinabo). Vnum eſt auctoritas Patrum, nam Auguſtinus *lib. de ſpiritu, & anima cap.* 11. hæc habet: Anima ſecundum ſui operis officium varijs nuncupatur nominibus: dicitur namque vitalis anima dum vegetat, ſpiritus dũ contemplatur, ſenſus dum ſentit; animus dum ſapit. iſta tamen non differunt in ſubſtantia, ſicut in nominibus; quoniam omnia iſta vna anima eſt. item S. Iſidorus *lib. 11. etymologiarum*, anima, inquit, dum viuificat corpus, anima eſt; dum vult, voluntas, dum intelligit, mens, dum recolit, memoria; dum aliquid ſentit, ſenſus; tum ſic: Eodem modo anima rationalis eſt ſenſus dum ſentit, ac eſt ſpiritus dum contemplatur, & mens dum intelligit, ſed eſt ſpiritus, & mens identicè, ergo erit etiam identicè ſenſus; & ſic non diſtinguetur realiter ab illo.

Alterum verò eſt, quia potentia locomotiua, 32
quæ anima rationalis mouet corpus, eſt materialis ratione operationis materialis, quam, mouendo corpus, exercet; non minus quam ſit materialis potentia viſiua ratione viſionis, in qua totaliter occupatur, & reliquæ huiuſmodi potentiæ, quas materiales apellamus; quia ad actus à materia pendentes efficiendos ordinantur. atqui potentia motiua corporis identificatur ipſi animæ rationali; ergo, & potentia viſiua, & reliquæ ſimiles materiales. maior, & conſequentia patent; minor verò probatur, tum paritate; quia in angelo potentia motiua corporis in entitate ſua ſpiritualis eſt; atque adeo non eſt cur diſtinguatur à ſubſtantia ipſius angeli: tum etiã ratione, quia anima per eandem potentiam, qua poteſt mouere ſe ipſam, poteſt, & corpus ſuũ

ſed,

Digitized by Google

sed illa identificatur cum propria entitate; ergo & hæc.

35 Verum neutrum obiectum habet soliditatem; ad primum; ergo ex auctoritate desumptum, dicendum nomen animæ dupliciter sumi posse, etiam physicè loquendo, primo pro sola prima radice potentiarum vitalium, siue realiter distinctarum, siue indistinctarum ab illa: secundo pro prima radice dictarum potentiarum includente suam absolutam perfectionem, quam ex suis potentijs obtinet; cum enim sint eius passiones, pertinent ad intrinsecum complementum illius. vnde fit vt sub nomine animæ partialiter comprehendantur; eodem modo nomen hominis physicè accepti dupliciter quoque vsurpare solemus; primo pro composito substantiali importante corpus, & animam rationalem, illi vnitam. secundo pro dicto composito, quod acquisiuit iam totam illam perfectionem, quæ naturaliter sibi debetur; Et primo quidem modo, etiam infantem hodie natum, hominem appellare solemus; at secundo modo non nisi illum, qui ad virilem ætatem peruenit; quando iam terminum magnitudinis propriæ perfectionis consequutus est: quo posito, aio citatos Patres, quando dixerunt animam rationalem esse sensum dum sentit, sumpsisse animam in secunda acceptione, pro vt videlicet includit perfectionem potentiæ sensitiuæ, ratione cuius dici potest dicta potentia partialiter. cæterum quantũ attinet ad librum citatum de spiritu, & anima qui inter Augustini *opera tom. 3.* reperitur: rectè notant communiter Doctores, non esse Augustinianum, eo quod in eo citetur Boetius, qui multo post Augustini tempora vixit; cuiuscumque tandem sit, non minus debet esse suspecta eius auctoritas Hurtado, Arriagæ, & alijs, qui ea contra nos vtuntur; quam nobis: immediatè enim post verba citata sic concludit: proprietates quidem diuersæ, sed essentia vna, *& cap. 4.* aliæ, & aliæ proprietates inter se propter varia exercitia: sed vna essentia rationalis, & vna anima proprietates quidem multæ sunt; sed essẽtia vna; Quod si nomine proprietatum explicat Hurtadus veniret his locis organa externa, & varia exercitia, quæ constat esse diuersa; Ita nos nomine animæ loco contra nos citato intelligimus essentiam ipsius animæ completam per suas potentias, & facultates.

36 Ad secundum verò diceret aliquis: potentiã locomotiuam, qua anima rationalis suum monet corpus, esse eandem, qua monet se ipsam, neque enim aliter transfert corpus ex vno loco in alium; quam se mouendo; & ideo potius dicta eius potentia censenda est absolutè loquendo spiritualis; quam corporea; quia primo, & per se est ordinata ad motum spiritualem edendum, qui in ea recipitur; ad corporeum vero, non nisi secundario, & veluti per accidens. verum hæc solutio difficultatem patitur, tum quia sicuti Angelus potest mouere corpora, absque eo quod ipse se moueat; ita potest anima, saltem in statu separationis, quando non informat corpus, quod mouere debet; vnde falsum est quod non aliter illud moueat, quam se mouendo: tum etiam quia anima ex sua essentia habet esse formam corporis; ergo non minus debet esse primò, & per se ordinata ad mouendum corpus, quam ad mouẽdum se ipsam; ex prædicatis enim essentialibus non potest vnum primario, & per se competere rei, & alterum secundario, & per accidens.

Respondeo ergo: potentiam motiuam, qua anima rationalis corpus sum mouet, mouere etiam corpora extrinseca V.G. ferram, Malleum, & similia; atque adeo quatenus talis est non, exigere operari immanenter; vnde non est mirũ si dicere materiales operationes exerceat, tamen sit spiritualis; non sic se habent reliquæ potentiæ vitales in homine, quas materiales appellamus; cum enim ex vna parte exigant immanenter operari: ex alia vero repugnet substantiam spiritualem earum operationibus subijci; rectè deducitur eas esse ab anima rationali nemine cogitante distinctas.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiecta, quibus vniuersaliter probatur realis distinctio inter animam eiusque potentias vitales.

OBijcies primo ex Ruuio *lib. 2. de anima cap. 3. qu. 1. num. 7.* Auctoritatem Aristotelis qui *lib. 1. de anim. tex. 11.* ait intellectum non esse actum corporis; neque ipsum, neque aliquam eius partem informare; ergo in eius sententia debet intellectus realiter distingui ab anima rationali, & consequenter sensus ab anima bruti, consequentia probatur, nam Philosophus *lib. 2. tex. 6.* definit animam quod sit actus corporis organici. nisi autem intellectus realiter distingueretur ab ipsa anima, non potuisset negare eum esse actum corporis; præterea primo & hic *cap. 6.* quemadmodum, inquit, in corpore est visus, sic in anima mens; & aliud in alio; ergo existimat intellectum seu mentem esse in anima, sicut aliud in alio; sed esse in ea hoc modo realem distinctionem importat; ergo &c. 37

Respondeo, vtramque Philosophi auctoritatem explicando, Et ad priorem quidem aio, nomine intellectus venire potentiã intellectiuam formaliter consideratam, de qua rectè dicitur, quod non sit actus corporis, eo quod in operãdo, quantum est de se, non pendet à corpore; dico quantum est de se, quia licet quatenus est potentia homini debita, aliqualem dependentiam habeat ab illo, quatenus indiget phantasmatibus ad operandum; si tamen consideretur præcisè vt intellectus est; sicuti nullam importat dependentiam à corpore, vt videre est in angelis; ita nec dicit esse formam illius. cum quo stat, quod siue realiter, siue etiam formaliter adæquatè accipiatur; verè, & propriè sit forma corporis, sicuti & anima ipsa rationalis, iuxta superius dicta; qua posita explicatione, nego vltimam minorem subsumptam; quemadmodum enim non obstante quod cum veritate dici possit rationalitatem non esse animalitatem; non rectè deducitur ea inter se realiter distingui, ita in casu nostro, loquendo de intellectu, & anima. Ad posteriorem vero auctoritatem dicerem etiam aduersarios teneri eam explicare, nam visus in

corpo-

Digitized by Google

corpore non est, sicut aliud in alio cum enim importet organum, quod est pars corporis; non potest dici quod sit aliud à corpore; sed benè aliquid corporis, sed quidquid sit de hoc: aio Aristotelem, nomen mentis sumpsisse pro vt à nobis communiter vsurpatur. iam verò apud nos non significare solam potentiam intellectiuã animæ; sed etiam partem illam cerebri, in qua species intelligibiles abstrahi debent à phantasmatibus, constat ex eo, quia mens etiam patentibus ipsis aduersarijs, secundum se considerata, non solum non deperditur in homine, ac de nouo acquiritur; sed neque augetur, aut minuitur. Contra verò nos dicere cum veritate putamus mentem in dormientibus sopiri: in furiosis extingui, & insanos omnes, ac stultos esse dementes, ac mente captos. denique mentem augeri, vel minui pro ætate affirmare consueuimus, quæ omnia, si nomine mentis solam potentiam rationalem significaremus, falsa essent, quia hæc quantumuis distingueretur ab anima; semper tamen in sua entitate invariata, in ea tanquam in subiecto maneret: quo posito, dico paritatem inter mentem & visum consistere in eo, quod sicuti nomine visus venit potentia visiua cum organo suo. ita nomine mentis intellectus cum parte illa cerebri, quæ ei subministrat phantasmata, a quibus species intelligibiles abstrahit, quæ quidem mens rectè dici potest realiter distingui ab anima ratione illius partis materialis, quam includit sicuti ab eadem anima homo ipse, ratione totius corporis.

38 *Instabis:* si hæc explicatio esset vera, potius debuisset dicere Philosophus animam esse in mente; quam mentem in anima, sicut aliud in alio. quia anima se haberet vt pars mentis.

Respondeo negando assumptum; quamuis enim mens sumatur, realiter loquendo, pro anima rationali, & parte illa corporis: at formaliter solam facultatem intellectiuam ad operandum expeditam significat; quo pacto cum sit vna ex potentijs ipsius animæ; rectè dicitur esse in illa tanquam pars in toto; eo quod animæ essẽtia non solum se habet vt radix illius, sed etiam omnium organorum, quæ ad eius exigentiam à natura formantur in corpore.

39 Obijcies secundo ex Suarez *illud Luc. 10.* diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua; & ex omnibus viribus tuis. vbi nomine virium potentiæ intelliguntur. Rursus *illud Psalmi 102 Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt &c.* vbi per ea, quæ *intra hominem sunt potentias ab anima distinctas exponunt: multi præterea Patres communiter in hoc distinguunt creaturas à Deo; quia in Deo idem sit essentia, potentia, & operatio. in creaturis verò distinguntur: denique S. T. prima parte qu. 77. art. 1.* apertè animam à potentijs vitalibus plusquam ratione distinguit; ergo &c.

Respondeo ad singula, & ad primum quidem aio vires omnes, quibus iubemur Deum amare non significare potentias, sed solum animi conatum, quem totum adhibere præcipimur ad Deũ amandum, ita vt eum, quantum possumus, diligamus. Ad secundum verò dico, omnia, quæ intra nos sunt non sumi pro potentijs animæ, sed pro membris, & partibus corporis per prosopopæiam, necnon pro intimis animi cogitationibus, affectionibus &c. per metonymiam. Ad tertium autem aio Patres, quando dixerunt in creaturis non esse idem essentiam, potentiam, & operationem; nomine potentiæ non intellexisse vim tantum effectiuam operationis, sed expeditam, & aptam, quo modo certum est potentias in creaturis realiter distingui ab earum essentijs; sic in angelis vis expedita ad intelligendum includit species intelligibiles; ad amandũ cognitionem obiecti amandi; ad mouendum volitionem motus; & in hominibus multo magis; eo quod præter hæc includit organa corporea, quæ omnia non habent locum in Deo, vt de se patet: cæterum D. Bernardus *de interiori domo cap. 67.* expressè docet intellectum, voluntatem, & memoriam esse vnam animam, sicut pater, filius & Spiritus Sanctus sunt vnus Deus; atque eodem modo loquendi veniunt passim alij patres, Quod denique pertinet ad D. T aio id circo eum potentias ab anima dixtinxisse; quia putauit nullam substantiam creatam posse esse immediatè operatiuam, quod principium nos in libris de generatione confutauimus.

Obijcies tertio ex Mauro *tom. 4. suarum quæstionum qu. 30.* actus illi, quos statim ac experimur, diuersis potentijs attribuimus, verè debẽt esse diuersarum potentiarum: contra verò illi, quos statim, ac experimur ad vnam potentiam reducimus, verè ad eandem potentiam pertinere debent. sed nos omnes actus videndi, licèt de obiectis contrarijs soli potentiæ visiuæ attribuimus, & omnes tangendi soli potentiæ tactiuæ, & sic discurrendo per reliquas sensationes; ergo omnes earum potentiæ verè inter se differunt specie. Quod verò etiam potentiæ spirituales sic differant, confirmatur, quia non minus est absurdum quod homo per intellectum velit, & per voluntatem intelligat; quam quod per oculos audiat, & per aures videat. ergo non minus inter se distinguuntur intellectus, & voluntas; quã oculus, & auris, quos verè inter se specie distingui probauimus. Ratio autem à priori huius distinctionis in inductione fundata, est quia, ad actus attingentes obiectum suum sub diuersa ratione formali, & per modos tendendi diuersos; requiruntur necessario diuersæ potentiæ. Ita fere Maurus. 40

Respondeo distinguendo maiorem: Actus illi, quos statim, ac experimur diuersis potentijs assignamus, verè debent esse diuersarum potentiarum, formaliter sumptarum, concedo: realiter acceptarum; subdistinguo, & siquidem potentiæ accipiantur pro vt important solam vim effectiuam tenentem se ex parte animæ, nego: sin autem pro vt etiam dicunt alia, quæ necessaria sunt, vt dicta vis effectiua exeat in actum secũdum, concedo, & sic concessa minore, distinguo eodem modo consequens: omnes potentiæ diuersarum sensationum formaliter sumptæ verè differunt specie, concedo, realiter, prout dicunt solam vim effectiuam tenentem se ex parte animæ, nego; realiter, prout important etiã alia,

Digitized by Google

alia, quæ necessaria sunt, vt dicta vis effectiua exeat in actum secundum, concedo consequentiam. & dico potentias animæ posse sumi dupliciter primò pro vt important solam vim effectiuam actuum vitalium tenentem se ex parte ipsius animæ: secundò pro vt inuoluunt reliqua, quæ necessaria sunt, vt dicta vis effectiua exeat in actum secundũ: & si quidem accipiantur hoc secundo modo certum est eas distingui inter se realiter: nam potentia visiua, vt videat, requirit organum oculi; auditiua verò vt audiat auriũ, intellectus vt cognoscat, species obiecti cognoscendi, voluntas vt amet, cognitionem obiecti amandi; & sic de cæteris: sin autem sumantur, primo modo adhuc bifariam considerari posse dico: primò realiter, & sic nullam inter se diuersitatem specificam habent, eo quod sunt vna indiuisibilis entitas; secundò formaliter, & sic verè, & propriè specie diuersificantur.

42 Ad confirmationem dico intellectum, & voluntatem cum oculo, & auribus comparata non solum importare proprias rationes formales secundum quas formaliter diuersificantur: sed etiã alia comprincipia realiter distincta, quibus indigent, vt exeant in actum secundum. ad eum planè modum quo oculus, & auris non solum significãt potentiam visiuam, & auditiuam; sed etiam organa ipsa dictis potentijs prædita; vnde non est mirũ, si non minus absurdum sit, quod homo per intellectũ sic acceptum velit, & per voluntatem sic etiam consideratã intelligat; quam quod per aures videat, & per oculos audiat; cum quo tamen stat, quod intellectus, & voluntas, si formaliter accipiantur, quatenus præcisè sunt vitales potentiæ substantiæ intellectiuæ non differant inter se realiter; sed solum per intellectum, per quæ patet responsio ad rationem à priori; quemadmodum enim ab vna anima, tum realiter, tum formaliter indiuisibili possunt in sententia aduersariorum emanare potentiæ essentialiter diuersæ: multo magis à potentia, quæ realiter loquendo sit vna, formaliter verò multiplex, poterunt produci actus vitales, qui differant inter se essentialiter.

43 Obijcies præterea ex alijs 4. potentiæ suscipiunt magis, & minus; item sæpe animo remanẽte, pereunt in animali: ergo realiter distinguuntur ab anima; consequentia patet. nam sic conuincuntur esse qualitates intensibiles, ac remissibiles; & realiter separabiles ab ipsa substantia animæ. antecedens verò suadetur; quia idem animal modo acutius videt, vel audit; & modo obtusius; & aliquando expotente videre, aut audire; cæcitatem aut surditatem totalem incurrit. ergo &c.

Respondeo negãdo antecedens; & ad eius probationem dico: illis experientijs non probari potentias sensitiuas in animali suscipere magis, & minus, & deperdi aliquando animæ substantia remanente; sed solum eas pendere in operando à deorganizatione, hoc est à debita primarũ, ac secundarũ qualitatũ attemperatione existente in parte corporis, in qua operari debent; & quia hæc attẽperatio intensionẽ, & remissionẽ patitur, hinc fieri vt quo magis accedit ad debitã qualitatũ, ac humorũ consonantiã; eo perfectior, ac intẽsior cæteris paribus sensatio euadat: eoque remissior, quo magis ab illa recedat; & quia potest adeo recedere, vt prorsus euadat inepta; hinc oriri in eo casu, vt potẽtia desinat totaliter operari; quamuis in sua integritate persistat. alioquin dicẽdũ esset, infantes, qui defectu debitæ deorganizationis intelligere, & velle non possunt; carere potentia intellectiua, & volitiua; quo quid absurdius? 44

Obijcies quinto: anima magna cũ difficultate corpus, siue ex labore, siue ex ægritudine, languidũ mouere potest; sed hoc non contingeret nisi potentiã loco motiuã ex parte amisisset. ergo hæc plus quã ratione distinguitur ab anima. Respondeo negando minorẽ. ratio enim illius difficultatis non in diminutionẽ virtutis motiuæ, sed in defectũ spirituũ vitaliũ refundenda est. cũ enim huiusmodi spiritus, vtpotè natura igneileues sint, ipsũ quoq; corpus, quod replent, sursũ eleuãdo, & sustentãdo leue reddunt; vnde est quod idem corpus animalis quando est mortuũ multo ponderosius sit se ipso viuente; quia verò corpus lãguidũ, & lassum huiusmodi spiritibus magna ex parte destitutũ est; ideo ponderosius esse, atque adeò difficilius mobile experimur. quod si hæc causa non videtur esse adæquata, potest addi etiã ineptitudo ipsius corporis; nam corpus ex magna defatigatione, seu ægritudine est debilitatũ, ac fractũ; & organa quassata; anima autem vtpotè actus informans, sicuti reliquas operationes vitales, ita & motum corporis non exercet, nisi cũ dependẽtia à dispositionibus, ac corporei organi perfectione, vt patet in pueris, qui, quia habent organa debilia, & indisposita; ideo non sunt apti ad transferendũ se de vno loco in aliũ per motũ progressiuũ: vnde nil mirum, si ipsa anima corpus defatigatũ, ac lassum magna cum difficultate mouere possit.

Obijcies sexto: sicuti in ordine naturali se habet substantia animæ ad suas vitales potentias: ita in ordine supernaturali gratia ad habitus supernaturales infusos; sed gratia distinguitur realiter ab habitibus infusis; ergo & anima à suis potentijs vitalibus. maior patet, quia gratia est per quam reddimur diuinæ consortes naturæ, atque adeò se habet vt prima radix in ordine ad reliquos habitus supernaturales; aliunde verò huiusmodi habitus, cũ dent simpliciter posse in ea fundantur, & radicantur; non minus, quam potẽtiæ in substantia animæ. minor vero suadetur ex *Trid. sess. 6. c. 7.* vbi definitur fidem, & spẽ posse existere in homine peccatore habituali gratia destituto. ergo euidens est huiusmodi virtutes theologales realiter ab illa distingui. multo igitur magis Cardinales, quæ nõ sunt ita connexæ cum Deo sicuti illæ. 45

Respõdeo distinguẽdo maiorẽ, & siquidẽ comparatio inter substantiã animę in ordine ad suas vitales potentias, & inter gratiã in ordine ad virtutes supernaturales procedat quo ad aliqua, cõcedo; sin autem in omnibus, nego maiorem, & concessa minore; nego consequentiam: dico enim quod licèt gratia habitualis sit similis animæ, quatenus se habet vt prima radix operationum supernaturalium, quæ connaturaliter à Fidelibus exercentur: non minus, quam anima operationum vitalium, quæ procedunt à viuentibus: differt tamen ab illa; quia potentiæ vitales

non

Digitized by Google

non exiguntur ab anima tanquam physicæ dispositiones; eius materiam præparantes: contra vero habitus supernaturales fidei, & spei debent disponere animam, eamque physicè præparare, ac veluti habilitare ad gratiam sanctificantem recipiendam. ex quo deducitur omnimoda necessitas distinguendi illos à gratia, & multo magis reliquas virtutes cardinales propter rationē in obiectione tactam. Iam vero similis necessitas nusquam apparet in casu nostro, alioquin quot virtutes comitantur gratiam, tot potentiæ distinctæ comitari deberent animam saltem rationalem.

41 Obijcies septimo. quo imperfectior est creatura eo maiorem compositionem habere debet; sed anima est imperfectior Angelo, debet igitur anima compositionem facere cum suis potentijs & non identificari illis.

Respondeo: concessa maiore; & minore; negando cōsequētiā, quia etiā si anima suas sibi potentias vitales identificet, plures tamen alias habere potest compositiones, quibus carent Angeli; quarum prima est, quod sit semiens essentialiter ordinatum ad vnum per se cum materia constituendum. secunda quod pluribus indigeat speciebus ad operandum; quam Angelus: hic enim ad minus vnica specie intelligibili omnia individua, quæ habent eandem essentiam specificam, cognoscere potest intuitiuè, quod non competit animæ rationali; & multo minus irrationali. tertia denique quod ea obiecta, ad quæ Angelus *vnica cognitione* se extendit; anima non nisi *multiplici*, & successiuè attingere valet, atque hæc pro solutione argumenti: quoniam vero ex illius maiore aliquis deducere posset animam bruti multo magis debere habere suas potentias materiales distinctas; quam animam rationalem suas, vtpote ea imperfectios. ideo dicendum; principium, quod in ea assumitur habere veritatem quando cætera sunt paria: in casu autem nostro habetur disparitas. nam licet anima rationalis sit brutali perfectior; repugnat tamen identificari cum suis potētijs materialibus, quod non habetur in anima bruti. cæterum aliunde anima rationalis hanc maiorem compositionem multiplici fœnore compensat, per hoc quod sit in sua entitate indiuisibilis. contra vero anima bruti diuisibilis in infinitum.

42 Obijcies octauo virtutes actiuæ elementorū, quæ sunt primæ qualitates distinguuntur realiter ab eorum substantia; ergo & potentiæ actiuæ ab anima.

Respondeo: negando consequentiam; ratio disparitatis est duplex: altera quia cum primæ qualitates sint dispositiones ad formam substantialem, debent posse esse in materia quando substantialis forma non dum existit; & sic necesse est, vt distinguantur realiter ab illa; altera vero quia sunt instrumenta separata formarum substantialium, instituta ad operandum independenter ab earum influxu atque præsentia: neutrū autem horum competit potentijs vitalibus.

43 Obijcies nono principium passiuum requirit aliqua accidentia superaddita, vt vitales operationes recipiat; ergo & actiuum vt eadem producat. Respondeo vitales operationes semper immediatè recipi in suis potentijs vitalibus in nostra sententia, siue hęc distinguantur, siue nō distinguantur ab anima: quod si requirunt aliqua accidentia superaddita in materia, hæc non se habere per modum principij passiui; sed per modum dispositionis; atque adeo æque ad efficiendam, & recipiendam operationem vitalem necessaria esse, quod non derogat identitati potentiarum cum substantia animæ, per quæ patet cur anima bruti, si extra corpus conseruaretur; non posset vitaliter operari; quia nimirum deessent illi dispositiones, ad dictas operationes faciendas necessariæ.

44 Obijcies decimo: anima est indifferens ad operationes diuersarum potentiarum exercendas; ergo indiget potentijs superadditis, vt determinetur. Respondeo negando consequentiam. aio enim indifferentiam illam in actibus cognoscitiuis tolli per species, vel per alia comprincipia potentias earum determinantia; in appetitiuis autem necessarijs tolli per ipsos actus cognoscitiuos. in liberis vero per ipsorum actuum liberorum exercitium. in ijs denique, quorum potentiæ voluntatis imperio subduntur, per dictum imperium eiusdem voluntatis. cæterum si ad indifferentiam animæ ad operandum auferendam admittenda esset potentiarum distinctio; alia pro intellectu deberet esse potentia apprehensiua, alia iudicatiua, alia discursiua; & alia ad volendum pro voluntate; quo quid absurdius?

45 Obijcies vndecimo: quando duo ita se habent, vt aliquid realiter competat vni, quod non cōpetit alteri; toties illa duo distinguntur realiter: sed intellectui competit intelligere, quod non competit voluntati. ergo intellectus, & voluntas inter se distinguuntur: non igitur identificantur cum anima. in rebus enim creatis, ea quæ non sunt eadem inter se, neque vni tertio eadem esse possunt.

Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem: intellectui competit intelligere quod non competit voluntati formaliter sumptæ, concedo, quod non competit voluntati realiter: & nemine cogitante consideratæ, nego minorem. ex hoc autem sequitur quod formaliter tantum, & per intellectum ab anima distinguantur, realiter autem sint omnino idem, quod si dicere non solemus voluntate animam intelligere, & intellectu amare, est quia, nomina ista tribuimus illi per ordinem ad peculiares operationes, & quatenus est principium diuersarum illarum operationum formaliter.

SECTIO QVARTA.

An potentiæ, quæ identificantur animæ, distinguantur ab illa formaliter.

46 NOn quærimus hic vtrum potentiæ, quæ sunt idē realiter cum anima, distinguātur formaliter inter se: cum enim actus à quibus specificantur, diuerso modo ab illis procedant, & diuersa etiam ratione sua obiecta respiciant, non refundere in eas formalem diuersitatem; sed inquirimus vtrum dictæ potentiæ distinguantur formaliter ab ipsa anima, cui identificantur. Con-

Digitized by Google

47 Conclusio est affirmatiua cum communi Philosophorum consensu, qui passim docent huiusmodi potentias esse passiones ac proprietates animæ; est tamen contra Quiedum *controuer. 3. punct. 1.* vbi *num. 5.* docet Potentiam nutritiuam esse essentialem animæ nutritiuæ, & formaliter constitutiuam illius; atque adeo inpræscindibilem ab ea, tum ex parte actus, tum ex parte obiecti; & *num. 7.* addit Animam sensitiuam essentialiter dicere potentias sensitiuas; *nam. demque 9.* subdit rationale hominis essentialiter includere potentiam formalem intelligendi, & volendi.

48 Probatur primo conclusio: quia potentiæ vitales non sunt de essentia animæ, cum qua identificantur. ergo distinguntur formaliter ab illa. consequentia patet, tum quia aduersarius non aliunde formaliter distingui negat, quam ex inclusione essentiali ipsarum in quidditate animæ: tum etiam quia hoc ipso quod non sunt de essentia animæ, iam distinguentur ab illa, sed non realiter; ergo formaliter. antecedens vero suadetur supponendo: essentiam animæ duplicitèr sumi posse: primo physicè, secundo metaphysicè; & quidem certum est non posse hic esse sermonem de essentia animæ physicè accepta; tum quia ridiculum esset quærere an potentiæ animæ formaliter distinguantur ab illa: formalis enim distinctio non nisi inter terminos formaliter sumptos dubitari potest quod habetur: tum etiam quia realiter loquendo quidquid identificatur indiuisibiliter alicui rei est de essentia physica illius, eo quod, ita est illi intrinsecum, vt implicet contradictionem haberi posse sine eo: quemadmodum igitur in quæstione anima sumitur formaliter, ita & in nostro antecedente eius essentia vsurpatur, quo posito sic probatur antecedens, in quo dicebamus potentias vitales non esse de essentia animæ: si essent; sequeretur quod ratio potentiæ vitalis esset differentia diuisiua, per quam forma substantialis vt sic diuideretur in vitalem, & non vitalem; sed hoc est impossibile ergo &c. sequela patet, quia ratio potentiæ vitalis iam essentialiter conueniret formæ substantiali vitali; sed non vt genus; ergo vt differentia, per quam constitueretur in esse animæ, & diuideretur ab alijs formis substantialibus non vitalibus, quæ non sunt animæ; sed differentia constitutiua speciei est diuisiua generis; ergo si potentiæ vitales essent de essentia animæ, sequeretur quod ratio potentiæ vitalis esset differentia diuisiua, per quam forma substantialis vt sic diuideretur in vitalem, & non vitalem minor vero, quod nimirum hoc sit impossibile, probatur: quia ratio potentiæ vitalis est differentia diuisiua potentiæ, quæ ponitur in secunda specie qualitatis, nam potentia actiua, de qua ibi est sermo, rectè diuiditur in vitalem, & non vitalem, ergo non est differentia diuisiua formæ substantialis vt sic, consequentia est euidens; implicat enim quod genus substantiale cõtrahatur per differẽtiam aliquam accidentalem, quæ vnam essentiam metaphysicam cum eo constituat; sed forma substantialis vitalis importat vnam essentiam metaphysicam animæ, ergo impossibile est quod ratio potentiæ vitalis sit differentia diuisiua, per quam forma substantialis vt sic diuidatur in vitalem, & non vitalem; quantuis enim animal diuidi posse in album, & non album; atque adeo ratio albedinis possit comparari vt differentia diuisiua illius: at non ita vt vnam essentiam metaphysicam cum eo cõstituat, quia est diuisio subiecti in accidentia, vt de se patet; at vero ea, de qua loquimur, est generis in species; ergo &c.

49 Dices potentiam quæ ponitur in secunda specie qualitatis, debere esse physicè accidens: at potentiæ animæ, cum ponantur ab ea indistinctæ; physicè loquendo, sunt substantia. Sed cõtra est, quia non est necesse vt prædicamenta differant inter se realiter; vt patet ex prædicamentis substantiæ, & habitus; constat enim nomine habitus venire vestes, vel arma, quæ certum est esse substantias. item ex prædicamentis actionis; & passionis, quæ certum etiam est sola ratione ratiocinata distingui; ergo neque necesse est vt potentia, quæ ponitur in secunda specie qualitatis secundum suam realitatem sit accidens; sed satis est, si formaliter, neque sit genus, neque differentia, neque denique species, pertinens ad prædicamentum substantiæ.

50 Probatur secundo paritate: ita se habet risibilitas ad naturam humanam: sicuti potentiæ vitales materiales ad animam brutì, & spirituales ad animam rationalem, sed risibilitas non est de essentia naturæ humanæ, sed distinguitur formaliter ab illa; ergo neque potentiæ materiales sunt de essentia animæ brutì, neque spirituales rationalis; sed distinguuntur formaliter ab illis. consequentia est certa, & minor patet. omnes enim dicimus demonstrationem, qua probamus de homine quod sit risibilis, quia est rationalis, esse propter quid, eo quod per rationem à priori probet de homine passionem. maior vero suadetur, quia non minus risibilitas est potentia naturæ humanæ ipsi identificata, quam dictæ potentiæ vitales sint potentiæ animæ ab ea realiter indistinctæ; ergo eodem modo se habent. consequentia declaratur, quia, si qua posset esse disparitas, maximè quia risibilitas formaliter accepta supponit naturam humanam cõstituram iam per animalitatem, & rationalitatem tanquam per suum genus, & differentiam, at vero potentiæ animæ non supponunt animam per vltimam differentiam constituram; sed hoc est falsum, nam sicuti genus proximum animæ est ratio formæ substantialis, ita eius differentia vltimo constitutiua est ratio vitæ radicalis, ex qua videlicet potentiæ vitales tanquam passiones, & vita accidentalis in actu primo procedere intelliguntur; ergo &c.

51 Probatur denique tertio à priori: distinctio formalis sumitur ex æquipollentia vnius rei realiter indiuisibilis continentis plures perfectiones, in alijs actu distinctas: sed in anima, quæ sibi suas potentias identificat habemus huiusmodi æquipollentiam rei realiter indiuisibilis, continentis perfectionem animæ, & perfectionem potentiarum in animabus, saltem possibilibus, actu distinctis; ergo in hac re realiter indiuisibili habemus distinctionem formalem inter perfectionem animæ, & perfectionem potentiarũ illius

nius; Et quidem putarem huiusmodi distinctionem non se tenere ex parte actus, sed ex parte obiecti: tum quia virtualitas animæ potest per *intellectum* perfecte præscindi à virtualitate potentiarum; non minus, quam in possibilibus realitas vnius, nemine cogitante, distinguitur à realitate aliarum: tum etiam quia non potest assignari maior ratio cur animalitas, & rationalitas in homine sic distinguantur, non vero ratio animæ, & ratio potentiæ in illa entitate contentæ.

82 Obijcies primo ex Ouiedo *loc. cit. num.* 12. Eo ipso quod concipiam animam, debeo concipere illius potentias. ergo potentiæ non distinguntur *formaliter* ab illa. consequentia patet. antecedens suadetur, definitio animæ nihil aliud est quam expressa eius apprehensio; sed eo ipso quod definio animam, expresse eius potentias concipio; dico enim: anima est actus, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; ergo &c. Confirmatur quia quantumuis animam apprehendam, debeo illam distinguere ab omni eo, quod non est anima; ergo debeo apprehendere id, per quod constituitur vt ab illis distincta; sed constituitur vt distincta per principium operationum vitalium. cum igitur huiusmodi principium sit formaliter vitalis potentia; sequitur me debere apprehendere potentias vitales.

Respondeo ad argumentum, distinguendo antecedens: *eo ipso quod concipio animam, debeo concipere eius potentias in obliquo*, concedo; *in recto*, nego antecedens, & consequentiam. *dico enim quod*, quemadmodum etiam si concipiendo creaturam, debeam concipere creatorem in obliquo, quatenus est terminus ordinis essentialis illius: hinc tamen non sequitur creatorem non distingui realiter à creatura: sic, licet hoc ipso quod concipio animam, debeam concipere in obliquo potentias illius, eo quod propter imperfectionem intellectus non possim eam aliter cognoscere, quam vt radicem potentiarum *vitalium*; ex hoc tamen non rectè deducitur potentias non distingui formaliter ab illa. ad probationem antecedentis concessa maiore, distinguo eodem modo minorem: hoc ipso quod definio animam, expresse eius potentias concipio in obliquo, eo quod non aliter eam cognoscere possim, quam vt radicem potentiarum, concedo, eo quod in eius essentia includantur, nego. Porrò si quid contra traditam distinctionem faceret *illa definitio, maxime probaret omne exercitium operationum vitalium, vt vegetare, sentire &c. esse de essentia animæ*; eo quod expresse in definitione illa continentur; sicuti igitur Ouiedus dicere debet huiusmodi exercitia in obliquo concipi, quatenus sunt actus potentiarum: idem

83 ego dicam de ipsis potentijs, quatenus sunt metaphysicæ passiones, ex quibus nobis animæ essentia innotescit. Et quidem per hæc patet responsio ad confirmationem. nam ego enim primo argumento distinguerem subsumptum: anima constituitur per principium operationum vitalium; si quidem sermo sit de principio radicali, concederem; sin autem de formali, negarem subsumptum; & ad consequentiam dicerem quod licet principium formale sit formalis potentia, non tamen est huiusmodi radicale. vnde non sequitur quod quando concipio animam, debeam concipere formales potentias in recto; sed ad summum in obliquo; ad eum plane modum, quo quando apprehendo differentiam vltimo constitutiuam equi, debeo apprehendere in obliquo hinnibilitatem, quæ est eius proprietas. eo quod non possim formare conceptum clariorem dictæ differentiæ; quam illam, vt exactiuam dictæ proprietatis, concipiendo.

Obijcies secundo ex eodem Ouiedo *num.* 5. 53 potentia nutritiua constituitur per praedicatum, quod sit principium nutritionis. ergo vel per principium nutritionis formale, vel radicale; sed non per radicale; ergo per formale. Porrò hoc argumentum vt iacet non est contra nos; probat enim potentiam nutritiuam esse essentialiter principium formale nutritionis; quod vltro à nobis conceditur, igitur habeat vim, subiectum antecedentis non debet esse potentia nutritiua, sed anima vegetatiua, ita vt de ea concludatur esse principium formale nutritionis, quod à nobis negatur. nec alia est auctoris intentio, vt patet ex eo quod dictum antecedens probet per hoc; quod definitionem animæ vegetatiuæ contineat. in quo sensu omnia, qua continentur in obrectione, parent præter minorem subsumptam, quam sic euincit. principium radicale nutritionis est illud, ex quo procedit potentia superaddita; quæ immediatè concurrat ad nutritionem; sed anima vegetatiua, quæ non habet potentiam superaddit m, non potest esse principium potentiæ superadditæ; ergo non potest esse principiũ radicale maior, quæ sola probatione eget, suadetur, quia non aliunde distinguitur principium formale; & radicale eiusdem effectus, quã quod formale immediatè per causalitatem, per se ipsam attingentem effectum, & ab ipso procedentem influit; radicale verò per causalitatem procedentem quidem ab ipso, sed attingentem immediatè virtutem aliquam, quæ effectum per aliam causalitatem immediatè producat.

Respondeo concesso primo enthymemate, negando minorem subsumptam, ad cuius probationem; distinguo maiorem. Principium radicale nutritionis realiter distinctum à formali est illud, ex quo procedit potentia realiter superaddita, concedo. Principium radicale ratione distinctum à formali est illud &c. nego maiorem; & distinguo postea minorem, sed anima vegetatiua, quæ non habet potentiam realiter superadditam, non potest esse principium potentiæ superadditæ, realiter, concedo; non potest esse principium potentiæ superadditæ per intellectum, nego minorem, & consequentiam; dico enim quod, quemadmodum principium radicale vegetatiuum (& idem esto iudicium de sensitiuo brutali, & de rationali) etiam fatente aduersario, potest esse duplex: alterum distinctum, nemine cogitante, à formali: alterum nemine cogitante indistinctum; ita dupliciter intelligi potest quod ex eo potentia superaddita procedat. primo realiter, posito quod distinctio, nemine cogitante, inter illa intercedat; secundo ratione seu formaliter, ex suppositione quod sint realiter indistincta: quoniam verò in nostro casu suppo-

ponì-

ponimus inter principium radicale, & formale vegetatiuum huiusmodi indistinctionem: rectè negamus quod ex radicali debeat procedere per realem processionem potentia illi superaddita, sufficit enim quod procedat per processionem intentionalem, eique per intellectum superaddi concipiatur.

54 Perquæ patet responsio ad probationem maioris, in qua assumitur: non aliunde distingui principiũ formale, & radicale, quã quod formale immediatè attingat effectũ, radicale verò per virtutẽ á se causatã; & si quidẽ assumptũ cum debita proportione procederet, quod scilicet, agendo de principio radicali, & formali realiter distinctis; formale realiter immediatè, radicale vero realiter mediatè, hoc est per virtutem à se realiter causatam producant effectum, concedendum absolutè esset: verum aduersarius huiusmodi proportionem non seruat, dum putat in omni casu debere hæc principia inter se differre per hoc, quod formale per causalitatem à se realiter procedentem immediatè attingat effectum; contra verò radicale non nisi media virtute aliqua realiter à se causata, quod falsum esse facile suadetur ex eo, quia rectè intelligi potest: duas rationes V. G: rationem animæ, & rationem potentiæ vitalis illius, ita in vna entitate indiuisibili adunari, vt si quælibet earum suam propriam entitatem haberet, realiter loquendo; vna esset principium radicale operationum vitalium & altera formale; ergo per hoc quod identificãtur, rectè etiam intelligitur quod formaliter tantum, & beneficio intellectus cum fundamẽto in re eas inter se præscindent s, vna sit principium radicale, & altera formale earundem operationum. antecedens patet, consequentia verò suadetur, quia per hoc quod dictæ rationes identificentur, habetur solum quod realiter loquendo idem sit principium radicale, & formale dictarum operationum; ergo habetur etiã quod formaliter huiusmodi principia distinguãtur, siquidem per identitatem, sicuti anima non deperdit suam quidditatem, ita neque esse radicale principium; & sicuti potentia non dependit suam propriam rationem, ita neque esse principium formale.

55 Obijcies tertio ex his, quæ habet idem Ouiedo *num.* 6. nullus influxus potest considerari procedens ab anima vegetatiua, formaliter distincta à potentia sua vitali, qui non immediatè tangat ipsum terminum nutritionis; ergo nullus influxus potest intelligi ab ea procedere, qui non sit formaliter nutritio; ergo nullus, qui non procedat ab ipsa, tanquam à principio formali nutritionis. antecedens probatur: anima vegetatiua, quæ non habet potentias distinctas, non potest influere in potentiam vegetandi; ergo tantum influet in ipsum actum immediate; nihil enim est quod ipsa possit vitaliter producere tanquam forma vitalis, nutritionem ipsam si damus.

Respondeo distinguendo antecedens; & siquidem sermo sit de influxu reali, & physico, concedo, si vero de virtuali, & per intellectum, nego antecedens, & consequentias in sensu negato. ad antecedentis probationem distinguo. itẽ antecedens: anima vegetatiua, quæ non habet potentias distinctas, non potest influere realiter, & physicè in potentiam vegetandi, concedo. virtualiter, & per intellectum, nego antecedens & consequentiam. dico enim quod duplex datur causa, alia physica, & realis, quæ respicit effectum realiter à se distinctum; altera virtualis, quæ respicit effectum indistinctum, non quod illum realiter causet, sed quia est quædam virtualitas prior ratione, ad quam alia virtualitas consequi intelligitur cum quadam dependentia intentionali, quam intellectus experitur in alijs entibus, in quibus dictæ virtualitates realiter distinguntur; hac ratione sol esset causa lucis, si realiter identificaretur cum illa; quamuis enim eam, stante identitate, minimè realiter causare posset; at posito quod intellectus has duas virtualitates distingueret; vnam veluti radicem, & priorem alia necessario intelligeret. hac etiã ratione dici solet, quod immutabilitas in Deo sit veluti causa virtualis diuinæ æternitatis, eo quod posito, quod intellectus illa distingat; necessario debet concipere immutabilitatem tanquam rationem priorem, & veluti radicem, vnde æternitas oriatur in Deo; ita vt hæc sit vera demonstratio metaphysica à priori: omne immutabile est æternum; Deus est immutabilis; ergo est æternus. vide *Augustin. tom. 1. in prima part. qu. 10. art. 2. difficultate prima num. 2.* qui pro se citat Vasquez *1. 1. q. disput. 31. cap. 1* iam, posita identitate reali inter animam, eiusque potentias, virtualitas animæ habet rationem causæ virtualis respectu virtualitatis potentiarum: quare licet nullus influxus realis considerari possit ab ea procedens, qui non immediatè tangat ipsum terminum nutritionis; concipi tamen potest aliquis virtualis influxus, qui immediate tangat solum ipsas potentias formaliter consideratas; vnde falsum est vniuersaliter loquendo nullum influxum intelligi posse ab anima, tanquam à principio vitali, qui non sit formaliter nutritio. ille enim virtualis influxus cum terminetur ad virtualitatem potentiarum, ita intelligitur ab anima per intellectum procedere; vt solum ad virtualitatem potentiæ, à qua immediatè nutritio formaliter intelligitur procedere, terminetur, & sic non habet rationem nutritionis, sicuti neque virtualitas illa animæ rationem potentiæ formalis; quamuis enim influxus, qui tangit effectum, realiter loquendo, immediatè, ab vtraque virtualitate procedat; at formaliter solus sic procedit à virtualitate potentiæ formalis; à virtualitate vero animæ non nisi mediante ipsa virtualitate formali; ex quo fit quod licet anima, realiter loquendo, sit à sua potentia indistincta; at per intellectum formaliter distinguatur ab illa.

56 Obijcies quarto: anima sensitiua, & rationalis per rationem sensitiui, & rationalis essentialiter differunt; sed huiusmodi rationes sumuntur à sensu, & ratione, quæ sunt potentiæ animæ; ergo potentiæ animæ sunt de essentia animæ.

Respondeo: hoc argumentum nimis probare, nimirum quod in omni casu potentiæ sint de essentia animæ; atque adeo repugnare quod distinguãtur ab illa: quemadmodum igitur, si fieret

contra

Digitized by Google

contra Ouiedum, qui putat posse de possibili inter animam, eiusque potentias realem distinctionem intercedere; ipse responderet negando minorem; ita etiam nos, posito quod huiusmodi distinctionem defacto negemus, & dicimus sensibile, & rationale quatenus sunt differentiæ animæ sensitiuæ, & rationalis non sumi à sensu, & intellectu sed ab essentijs, quæ sunt dictarum potentiarum principia.

SECTIO QVINTA.

An potentiæ realiter distincta ab anima possint diuinitus existere separatæ ab illa.

62 CONclusio est affirmatiua cum Mauro *lib. 4. quæst. 30. ad 7.* & Ouiedo *Controu. 3. puncto 4.* qui pro se citat Sotum *in prædicament. capite de proprio*, & Bannes *part. p. quæst 77. art. p. dub. p. ad 4.* Contra Caietanum *part p. quæst. 54. art. 4. §. ad tertiam rationem*; & alios.

63 Probatur; agendo de rebus, quæ pertinent ad Diuinam omnipotentiam amplificandam, si non habemus implicantiam contradictionis, non debemus negare eas diuinitus fieri posse. sed quod potentiæ vitales realiter distinctæ ab anima possint diuinitus conseruari separatæ ab illa pertinet ad Diuinam potentiam ampliandam; aliunde verò non est assignabilis in huiusmodi conseruatione contradictio, vt ex argumentorum solutione patebit. ergo debemus asserere potentias ab anima separatas posse diuinitus existere, ac conseruari à Deo.

64 *Confirmatur*, quia non debemus concedere maiorem connexionem potentijs vitalibus cum anima, quantum ad existentiam; quam concedamus quantitati cum materia. sicuti enim illæ sunt passiones animæ, ita & hæc materiæ primæ; sed constat quantitatem posse diuinitus existere separata à materia, ex suppositione quod realiter distinguatur ab illa, vt constat ex venerabili Eucharistia, in qua destructa tota substantia panis remanet eius quantitas. ergo idem concedendum est potentijs realiter distinctis ab anima. Neque valet disparitas, quam affert nescio quis, quod nimirum, quantitas non sit potentia actiua debita materiæ: contra verò potentiæ vitales sunt virtutes operatiuæ, quæ debentur animæ. nam etiam calor, & siccitas vt octo sunt virtus operatiua ignis, & lux quæ est in sole virtus productiua ipsi debita; & tamen possunt diuinitus existere illæ sine igne, hæc sine sole. Quod si replicetur huiusmodi qualitates non habere, solum quod sint instrumenta operatiua substantiarum suarum; si quidem calor, & siccitas vt octo sunt etiam dispositiones ignis. lumen verò est ornamentum solis; ita vt etiam si non essent operatiuæ à suis principijs exigerentur; contra verò potentias vitales non inseruire animæ ad aliud, quam ad operandum; atque adeò, si operatiua virtute carerent non solum non exigerentur ab anima; sed euaderent prorsus impossibiles, atque chimericæ: contra tamen adhuc vrgeo, quia quantumuis hoc quod dicitur verissimum sit, adhuc tamen incubit aduersario positiuè probare, cur ex eo quod huiusmodi potentiæ ad aliud nihil inseruiant animæ; quam ad operandum; non possint diuinitus existere, & conseruari sine anima. quandiu autem hoc non probatur; victoria stat pro Diuina omnipotentia in ordine ad nos. si quidem intellectus benè dispositus in hac contingentia debet semper iudicare in fauorem illius.

Obijcies adhuc primò. si dicamus huiusmodi 65
vitales potētias esse accidētia modalia animæ, & non realia: sustinere vtiq; debemus, eas non posse diuinitus existere separatas ab anima. sed ad id dicendū tenemur. ergo &c. maior patet cōsideranti essentiam entitatis modalis; & consequentia est euidens. minor verò suadetur illo vulgari axiomate; quod potest fieri per pauciora non debere per plura fieri. constat autem plus esse dare potentijs entitatem realem, quam modalem.

Respōdeo cōcessa maiore, negādo minorē, ad cuius probationē duplicē solutionē exhibeo; prior est axioma illud valere cæteris paribus; in casu autem nostro non esse cætera paria, quia ex eo quod dicamus vitales potentias esse accidentia modalia restringimus diuinam omnipotentiam negando illi absolutam virtutem eas sine anima conseruandi; aliunde igitur positiuè probandum esset eas non esse accidentia realia & non à dicto axiomate, vt impossibilitas separationis illarū deduceretur; posteriori vero solutione concederem absolutè axioma; & negarem consequentiā ac dicerem: implicare contradictionem potentias animæ esse entitates modales, eo quod essentia modi consistit in actuali exercitio, seu determinatione actus primi ad actum secundum: hoc autem repugnare potentijs animæ suadetur, quia illæ important essentialiter esse id, ex quo actuale exercitium operandi vitaliter procedit, & ita esse actum primum, vt indigeant determinatione vlteriore ad actum secundum; linquo modum debere esse minimæ entitatis; eas verò debere multum entitatis sibi vendicare, vt in se eminenter contineant vitales operationes, quę in entitate sua sunt valde nobiles, atque perfectæ.

Obijciés secundò: si huiusmodi potentiæ pos- 66
sent diuinitus existere separatæ ab anima, cuius sunt potentiæ: possent etiam subiectum extraneum informare, & ab illo pendere; sed hoc repugnat; ergo &c. sequela probatur, quia ex suppositione quod existat accidens, minus illi repugnat existere in subiecto extraneo; quam per se extra omne subiectum. ergo si potentiæ animæ possunt existere sine anima; poterunt etiam subiectum extraneum informare, ne cogantur per se existere; minor etiam suadetur; implicat esse forma in subiecto, cui non communicet suum effectum formalem. sed effectus formalis potentiæ visiuæ V. G. est subiectum potens videre; ergo si posset subiectum extraneum informare V.G. lignum, deberet constituere illud potens videre; quod implicat.

Respondeo concessa maiore. negando mino- 67
rem; ad cuius probationem, possem, concesso integro syllogismo, negare subsumptum; ac dicere quod siue ponamus potentiam visiuam esse causam adæquatam visionis, siue inadæqua-

tam

tam; nullum est absurdum quod lignum eius beneficio constituatur potens, vel inadæquatè, vel adæquatè videre; sicuti neque quod aqua beneficio caloris, quem habet, constituatur potens calefacere, & beneficio eleuationis potens causare gratiam; quod si huiusmodi responsionem non probas, eo quod putes potens vitaliter operari dici illud, quod præter potentiam formalem, siue distinctã siue indistinctã: ex propria entitate habet esse radicale principiũ operationis vitalis: cõcessa maiore; nega minorẽ, & dic effectũ formalẽ necessariũ prouenientẽ ex forma informãte subiectũ esse cõstituere cõpositũ ex se, & subiecto cõstans; & hunc præstare potentiã vitalẽ receptam in ligno. sed non redderet illud potens, eo quod huiusmodi denominatio est effectus quidã resultans ex potentia vitali informante principium vitæ radicale, quod non habetur in casu nostro.

68 Instabis si potentia vitalis separata ab anima posset vniri extraneo subiecto: sequeretur quod posset etiam in eo vitaliter operari; sed hoc est absurdum; ergo &c. maior patet, et minor probatur: quia inde deduceretur posse lignum denominari videns. quia nihil aliud est homines videre; quam recipere visionem productã per potentiam visiuam sibi intrinsecam: sed totum hoc competeret ligno informato potentia visiua; ergo &c.

Respondeo potentiam visiuam ad vitaliter operandum exigere organum oculi, quod cum non haberet in subiecto extraneo V. G. in ligno; hinc fieri vt, etiam si in eo existeret, non posset erumpere in visionem. idem dicendum est de reliquis potentijs materialibus, quæ defacto realiter distinguntur ab anima rationali; et de omnibus alijs, quæ de possibili ab animabus suis existere distinctæ possunt. cum enim semper aliqua deorganizatione, vel proximè, vel remotè ad vitales operationes exercendas indigeant, in subiecto extraneo huiusmodi de organizatione destituto in actum secũdum connaturaliter exire nequirent. existimarem tamen posse diuinitus subiectum illud necessariam deorganizationem habere. quid enim impedit quo minus possit Deus in materia prima informata forma ligni producere per suam omnipotentiam primas, et secundas qualitates cum suis tunicis membranis, et cęteris, quæ ad Constituendum oculum, vel quodcunque aliud membrum animalis necessaria sunt; etiam. si forma ligni cum huius modi accidentium apparatu conseruari cõnaturaliter repugnet? quò posito, ad difficultatem dico, quod vel supponimus potentiam dictinctam esse causam adæquatam operationis vitalis, vel inadæquatam. si primum, certum est potentiam visiuam in ligno accidentaliter organizato non posse visionem suam connaturaliter elicere, propter defectum alterius comprincipij nempe animæ. vtrum verò supernaturaliter possit? decisio pendet ab ea quæstione: num actus vitalis per suam entitatem pendeat immediatè ab anima? et si quidem supponimus sic pendere, negandum est, sicuti propter hanc rationem id negat Ouiedus. *num.* 4. contra verò si dicamus eum pendere partialiter ab anima per actionem distinctam sin autem supponamus secundum videlicet potentiam dictinctam, esse causam adæquatam operationis vitalis; concederem connaturaliter posse; sed negarem minorem, videlicet hoc esse absurdum; & ad probationem in qua deducebatur in eo casu lignum denominari videns, negarem etiam id sequi, ratio potest esse quia denominatio videntis (et idẽ dico de reliquis ab operationibus vitalibus prouenientibus) quando tribuitur substantiæ significat quod substantia per potentiam visiuam, vel sibi identificatam, vel sibi naturaliter debitam producat, et recipiat visionem illam; cum autem hoc non habeatur, casu quo potentia visiua recepta in ligno visionem eliceret; hinc fit vt lignum non posset denominari videns.

Quod si quis censeat ad completam deorganizationem requiri vt materia habens necessariam accidentium complexionem informetur præterea anima, quæ dictam deorganizationem requirat: hic profecto valde probabiliter discurreret, et haberet pro sẽ Philosopum docentem, quod caro mortua est æquiuocè caro, sicuti oculus mortuus æquiuocè oculus; qua posita sententia dicendũ est potentiam visiuam in ligno, etiam si haberet omnem deorganizationem accidentalem ad oculum requisitam, non posse connatulaliter elicere visionem: benè tamen supernaturaliter, sicuti posset etiam si Complexione accidentium necessariorum destituta esset, quæ enim vt dispositiones requiruntur ad aliquam formam, non sunt ita necessaria, vt sine illis per absolutam Dei potentiam forma illa fieri, et conseruari non possit. At verò siquis existimaret cum Ouiedo sensationem, reliquasque operationes vitales per suam entitatem immediatè pendere essentialiter ab anima; hic negare consequenter deberet potentiam illam per absolutam Dei potentiam existentem in ligno posse diuinitus visionem elicere; nisi forte debitè approximata esset ipsi animæ, ita vt ex vtrisque vnum adæquatum principium resultaret, quamuis non essent inter sẽ intrinsecè vnitæ. 69

D I-

Digitized by Google

DISPVTATIO VNDECIMA

DE POTENTIIS ANIMAE VEGETATIVAE

Ac Primò de Nutritiua.

1 POSTEA Quam de potentijs Animæ in communi diſputauimus; aggrediamur diſputationes illarum in particulari, ab imperfectionibus ad perfectiones progrediendo: quare primo loco agimus de potentijs animæ uegetatiuæ, quas quidem allis agunt, tres omnino eſſe aſſerunt: nutritiuam, quantificatiuam, & generatiuam: quod intelligendum eſt de principalioribus. enumeratæ enim ſuas habent facultates ſubordinatas, quæ coadiutrices, ac famulantes commodè appellari poſſunt, & nutritiua quidem habet primò facultatem attractiuam, per quam ad ſe attrahit alimentum, quod intimis uiuentis partibus applicat, ut omnes uniformiter difformiter augeantur, ſeruata, nimirum, proportione, quam habere debent: ſecundò habet retentiuam, per quam illud intus retinet, ne foras exeat: tertiò cocctiuam, per quam illud concoquit, & in uiuentis ſubſtantiã conuertit; quartò demum expulſiuam, per quam extra corpus ejicit excrementa ad nutriendum inepta, quæ à materia alimenti ſegregauit: ſimile quid uidere eſt in alijs. Vt igitur à nutritiua incipiamus; cum nulla alia ratione melius potentias explicare ualeamus, quam earum actus à quibus ſpecificantur conſiderando, ideo de nutritione prius agendum uidetur, ab eius genere quod eſt augmentatio, incipiendo.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit augmentatio.

2 PRima concluſio: augmentatio rectè deſcribitur: Mutatio à minori ad maiorem ſubſtantiã: dicitur primò (Mutatio) ut nouetur genus proximum motus propriè dicti, & inſtantaneæ mutationis, dubium enim eſt num ad unam potius ſpeciẽ, quam ad aliam pertineat augmentatio; quod *infrà* diſcutietur à nobis: dicitur ſecundò (à minori) uidelicèt ſubſtantia; per quod terminus à quo dictæ mutationis explicatur. Porrò minor ſubſtantia ex duplici ratione coaleſcit; ſubſtantiæ, ſcilicèt, & minoritatis; & quidem ſubſtantia eſt quid poſitiuum; minoritas uerò per carentiam exiſtentem in ipſa ſubſtantia, quæ dicitur minor conſtituitur: porrò hæc carentia eſt negatio partis ſubſtantiæ ſuperaddendæ ſubſtantiæ præexiſtenti, quæ augenda eſt, unde fit ut ſit terminus à quò proximus, ac formalis mutationis; ſubſtantia uerò in qua ſupponitur eſſe, licèt pro ut intelligitur facere unum cum ipſa carentia remotè, et materialiter habeat etiam rationem termini à quò; ſecundum ſe tamen conſiderata, re uera ſit ſubiectum mutationis, et tranſitus. Dicitur demiq; tertiò (ad maiorem ſubſtantiam) quæ particula terminum ad quem eiuſdem mutationis adſignificat; qui etiam eſt compoſitus ex ſubſtantia præexiſtente, quæ fuit ſubiectum trãſitus, et ex ſubſtantia partiali, quæ præexiſtenti addita, eam auget, ac maiorem conſtituit. Vnde fit, vt reſpectu dictæ mutationis ſubſtantia addita habeat rationem termini ad quem formalis, et proximi, ea verò, cui addita eſt, materialis, et remoti, et non, niſi conflatum ex utraque ſubſtantia ſit terminus ad quem totalis, & adæquatus. iam verò quod definitio ſic explicata rectè tradita ſit.

3 Probatur primò, quia nomine augmentationis intelligimus tranſitum, per quem ſubſtantia, quæ erat minor, euadit maior, per hoc, quod nouam partem ſubſtantialem acquirat; ſed totum hoc explicat definitio, qua dicitur eſſe mutatio à minori, ad maiorem ſubſtantiam; ergo &c.

4 Probatur ſecundò, quia augmentatio eſt oppoſita diminutioni, non minus, quam generatio corruptioni. ſed diminutio rectè deſcribitur: Mutatio à maiore ad minorem ſubſtantiam, ita vt habeat pro termino à quo formali partem ſubſtantiæ deperdendam, pro termino verò formali ad quem, carentiam dictæ partis, pro ſubiecto deniq; ſubſtantiam illam, quæ à parte deperdita ad eius carentiam tranſire intelligitur, ad eum planè modũ quo corruptio habet pro termino formali à quo formam ſubſtantialem corrumpendam, pro formali ad quem, eius carentiam, & pro ſubiecto materiam primam, quæ terminum poſitiuum deferẽdo, negatiuum acquirit. ergo & augmentatio rectè dicetur: mutatio à minore ad maiorem ſubſtantiam; ita vt, ſicuti generatio habet pro termino formali à quo carentiam formæ generandæ, pro formali ad quem ipſam formam, & pro ſubiecto tranſitus materiam primam; ſic augmentatio pro formali à quo carẽtiam partis ſubſtantialis, pro formali ad quem partem ipſam, & pro ſubiecto tranſitus ſubſtantiam, quæ augmentatur.

5 Probatur denique tertiò, quia tradita definitio eſſentiam augmentationis rectè declarat, eamque ab omni alia mutatione diſtinguit. ergo eſt rectè tradita. Conſequentia patet, antecedens verò quo ad priorem partem conſtat ex dictis, et ex dicendis melius innoteſcet; quoad poſteriorem verò ſuadetur diſcurrendo per omnes mutationes poſitiuas, quæ ſcilicèt terminum ad quem poſitiuũ ſibi uendicant. primò enim eam ab alteratione diſtinguit per hoc, quod dicat eſſe motum ad ſubſtantiam; alteratio enim eſt ad qualitatem. Secundò ab accretione, ſeu vt alij dicunt ab augmentatione accidentali, quia hæc eſt motus ad quantitatẽ. tertiò deniq; à generatione, eo quod hæc per ſe tendit ad primam ſubſtãtiæ naturalis poſitionẽ à parte rei; illa verò ſupponit ſubſtantiã iã produ ctã, et ad eam augendam eſſentialiter ordinatur.

Obijcies primò: ſi augmentatio eſſet motus ad ſubſtantiam, eſſet mutatio ſubſtantialis, ſed hoc eſt contra Ariſtotelem, qui eam inter mutationes accidentales enumerat. ergo &c. Reſpondeo conceſſa maiore

maiore, negò minorem; vt ad auctoritatem Aristotelis dico, quod quamuis de se primario augmentatio ad nouam substantiam acquirendam ordinetur; quia tamen hæc est sua quantitate prædita, secundariò, & consequenter est ad quantitatem substantiæ augendæ per additionem nouæ quantitatis maiorem reddendam; secundum quam considerabilitatem rectè potuit à Philosopho inter species mutationis accidentalis recenseri.

7 Obijcies secundò: quando homo est in statu tantumdem substantiæ per nutritionem acquirit, quantum deperdit; ergo sicuti secundum partes substantiæ, quas acquirit, augetur, ita secundùm eas, quas deperdit, minuitur: sed in hoc casu augmentatio eius non est mutatio à minore ad maiorem substantiam; sicuti neque diminutio à maiore ad minorem, siquidem in eadem mensura identidem perseuerat. ergo falsa definitio augmentationis.

Respondeo, concesso primo enthymemate: distinguo sussumptum: augmentatio in eo casu non est mutatio à minore ad maiorem substantiam, si consideretur per se formaliter, nego: sin autem per accidens, & materialiter, concessa minore sub sumpta, nego consequentiam; & dico, quod augmentatio quando homo est in statu, per se spectata, & secundùm suos terminos formales, quos essentialiter importat, cum sit transitus hominis à carentia partis substantialis ad partem illam, non potest negari, quin sit transitus à minori ad maiorem substantiam; sed quia aliunde habet homo ille quod deperdat totidem partes ex illis, quas habebat antea; hinc fit, vt omnibus pensatis, non euadat maior. sed hoc se habet respectu augmentationis per accidens, & materialiter, quia contingit quod simul in eodem subiecto cum diminutione reperiatur.

8 Obijcies tertiò: tempore senectutis homines plus substantiæ regulariter deperdunt, quam acquirant; ergo falsum est quod tunc moueatur à minori ad maiorem substantiam. sed hoc ipso quod tunc temporis nutriuntur, augmentantur. ergo nutritio non rectè dicitur transitus à minore ad maiorem substantiam.

Respondeo negando vltimam consequentiam; quia definitio tradi debet secundùm quod res definienda formaliter, & per se considerantur; non verò secundum quod ei materialiter, & per accidens contingit; atqui quamuis senes multo plus substantiæ deperdant, quam per nutritionem acquirant; certum tamen est, si spectetur nutritio, quatenus conuertit partes nutrimenti in eorum substantiam, quod eius beneficio à minori ad maiorem substantiam transeant; quod verò absolutè loquendo non dicantur augeri, sed minui, est quia veritas, vel falsitas propositionis absolutè pendet ab his, quæ omnibus pensatis habentur, vel non habentur; vt patet in aqua calida vt sex, quæ licet habeat duos gradus frigoris; absolutè tamen dicenda est calida, & siquis eam absolutè frigidam apellaret, diceret falsum; eo quod, pensatis omnibus, calor in ea, & non frigiditas præualet; sic & in casu nostro, quamuis senes beneficio nutritionis verè augeantur; quia tamen in eis diminutio præualet, ideo absolutè dicendi sunt minui, & non augeri.

9 Secunda Conclusio: augmentatio est duplex, altera propria non viuentium; vt ignis aquæ &c. quæ nomen genericum augmentationis sibi vendicat; altera viuentium, quæ apellari solet nutritio differunt autem inter se per hoc, quod prior fit per iuxta positionem partis, quæ per augmentum acquiritur, ita videlicet, vt applicata certæ parti corporis augendi, constituat illud absolutè maius; posterior verò non nisi per intus susceptionem alimenti vniformiter difformiter per omnes partes corporis viuentis diffusi; ita vt quando vna eius pars augetur, augeantur similiter reliquæ, seruata proportione, quam inter se habere debent, dupli V. G. tripli, dimidij &c.

10 Patet hoc ex dictis, quia augmentatio viuentis & non viuentis, debent essentialiter inter se differre; cui constet vnam esse actionem vitalem, alteram non vitalem. sed non possunt differre, nisi per hoc; quod vitalis fiat per intussusceptionem alimenti; non vitalis verò per iuxta positionem; ergo &c.

11 Tertia conclusio: augmentatio non viuentium subdiuiditur in aggenerationem, & eam, quæ, quia non est aggeneratio, dici solet simplex augmentatio; in hac simplici non producitur pars aduenies; sed solum eius vnio cum reliqua substantia, quæ augetur, sic aqua augetur per hoc, quod admisceatur illi alia aqua; in aggeneratione verò, substantia, quæ augetur non vnit *sibi* tantum partem, sed etiam eius formam producit. vt cum ignis ita producit in materia ligni formam ignis; vt ignem productum sibi vniat, & sic augeatur.

12 Patet; quia vtroque modo substantia non viuens augeri potest, videlicet ex eo quod acquirat partem, quam non producit, vel ex eo quod acquirat partem, quæ de nouo ab ea producitur; ergo rectè eius augmentatio in aggeneratiuam, & non aggeneratiuam diuiditur.

13 Obijcies: quando duæ aquæ, quæ inter se miscentur, sunt æquales, non potest assignari ex parte cuiusnam se teneat augmentatio: Respondeo ex parte vtriusque: vtraque enim ex vnione continuatiua cum alia intelligitur augeri. non enim est maior ratio, cur vna potius, quam alia augmentum illud sibi vendicet. nisi forte per accidens, & ab extrinseco, videlicet ex intentione miscentis, quatenus vult vnam potius augere per additionem alterius, quam alteram. in quo sensu etiam, quando maior aqua additur minori, dici potest, quod minor augeatur, transeundo à carentia maioris aquæ ad illam habendam: cæterum spectata natura rei, in hoc casu augmentatio se tenet ex parte maioris, & illa transire intelligitur à minori ad maiorem substantiam, eo quod id quod est plus, debet ad se trahere minus, & non è contra.

14 Quarta denique Conclusio: Nutritio subdiuiditur: in eam, in qua producitur noua pars formæ viuentis; & in eam, in qua antiqua forma beneficio vnionis essentialis incipit nouam materiæ partem informare: dico (beneficio vnionis essentialis) quæ nimirum intercedit inter materiam primam, & animam. nam productio vnionis extensiuæ, in id quod augetur, & eius partem, est quid commune omni augmentationi, siue sit nutritio, siue non.

15 Probatur assertio: quia quoties viuens, quod nu-

Digitized by Google

nutritur, habet animam diuisibilem; eius nutritio habetur per hoc, quod in materia alimenti producatur noua pars formæ ipsius viuentis, & sic eius augmentatio habetur: at verò si anima est indiuisibilis, vt cõtingit in homine, implicat quod per nutritionẽ aliqua pars animæ producatur, quare solũ habetur per hoc, quod eadẽ anima, quæ prius informabat corpus paruum, se extendat ad informandam materiam alimenti, atque adeò cum ea essentialiter vniatur: rectè ergo nutritio viuentis diuiditur in eam, in qua noua pars formæ viuentis produci debent, & in eam, in qua antiquæ formæ incipiat vniri cum noua parte materiæ: non negauerim tamen verumque nutritionis genus nomen quoque aggenerationis sibi vendicare; & prius quidem dici aggenerationẽ formæ, posterius verò vnionis: & rectè id quidem: aggeneratio enim à prima rei generatione solum distinguitur per hoc, quod illam substantiam, quam de nouo producit, continuatiuè vniat cum alia substantia eiusdem rationis, quæ supponitur tempore antecedente præexistere. contrà verò ad conceptum generationis habendum sufficit productio compositi substantialis ex materia præexistente, absque eo quod vnio continuatiua vnius compositi cum alio importetur. quoniam vero in augmentatione tum non viuentium, tum viuentium, productio partis substantialis cum vnione cõtinuatiua ad substantiam præexistentem haberi potest; hinc fit vt vtraque rationem aggenerationis participare possit: cum hac tamen diuersitate, quod augmentatio non viuentium non habet necessitatem participandi illam semper: at verò quando illam participat quæcumque est aggeneratio formæ, & non solius vnionis illam participat: contrà verò augmentatio viuentium necessariò quidem rationem aggenerationis semper importat, ad verò ad vtrãque positum habet indifferentiam: potest enim naturaliter coniungi tum cum aggeneratione formæ, tum cum aggeneratione solius vnionis essentialis, vt supra probatum est.

SECTIO SECVNDA

In qua vera mutatione consistat formaliter augmentatio.

16 PRima Conclusio. augmentatio formaliter non consistit in mutatione, per quam acquiritur noua quantitas, aut materia prima augmenti disponitur.

17 Probatur: quia augmentatio est mutatio substantialis. sed mutatio acquisitiua nouæ quantitatis, & dispositiua materiæ primæ, sunt mutationes accidentales: ergo &c.

18 Secunda conclusio: neque consistit in mutatione productiua nouæ partis formæ substantialis, aut in intransactiua eiusdem formæ antiquæ, seu in productiua nouæ partis vnionis ipsius formæ ad suã materiam.

19 Probatur, quia licet in multis augmentationibus detur huiusmodi productiones, vt quando augetur equus, arbor &c. at in augmentatione hominis non habetur productio nouæ partis formæ, cum enim anima rationalis sit indiuisibilis, nequit esse capax partium de nouo aduenientium præterea in augmentatione, qua vna aqua per coniunctionem cum alia augescit, neque datur productio nouæ partis formæ, neque introductio antiquæ; neque denique productio nouæ partis vnionis, in vtraque enim parte supponitur forma aquæ producta, & suæ materiæ primæ antecedenter vnita; si autem augmentatio vt sic in huiusmodi mutationibus vel collectiuè, vel distributiuè sumptis essentialiter consisteret, implicaret existere sine illis.

20 Tertia conclusio: ad conceptum augmentationis requiritur necessariò vel formaliter, vel æquiualenter mutatio productiua indiuisibilis cõtinuatiui materiæ primæ illius substantiæ, quæ augetur cum augmento suo; verum hoc non est sufficiens ad totam eius essentiam habendam.

21 Probatur quo ad vtramque partem; & primo quo ad priorem sic: augmentatio est essentialiter mutatio à minori ad maiorem substantiam per hoc, quod ea, quæ augenda est cum augmento, quod ei additur, faciat vnum continuatiuè, sed non potest ex eis fieri vnum continuatiuè, nisi inter materias vtriusque indiuisibile continuatiuum producatur. ergo &c. quoad posteriorem verò suadetur ex eo, quia quamuis intelligatur materia equi cõtinuari cum alia materia, nisi hęc alia informetur forma equi, non censetur equus per illam augeri. ergo non sufficit productio indiuisibilis continuatiui inter materiam primam substantiæ, quæ augetur & augmenti aduenientis ad conceptum augmentationis habendum.

22 Dices: quando virga partim est arida, & partim viridis: etiam si pars arida augmentum accipiat ex corruptione viriditatis alterius comparis; tamen nullum producitur de nouo indiuisibile continuatiuum materiæ inter vtramque partem, ergo falsum est ad conceptum augmentationis requiri necessariò productionem indiuisibilis continuatiui materiæ. Respondeo, distinguendo antecedens; nullum producitur de nouo indiuisibile continuatiuum materiæ, & nullum antiquum conseruatur inter vtramq; partem, nego; & conseruatur antiquum, concedo antecedens; & ad consequentiam nio propterea me in conclusione dixisse, mutationem productiuam illius indiuisibilis copulatiui esse necessariam, vel formaliter, vel æquiualenter, quia in casu posito cum indiuisibile illud non conseruatur, actionem habetur, quæ quantum est de se non distinguitur à productiua, verificatur quod dicta mutatio æquiualenter haberetur, verum si neutro modo haberetur, implicaret augmentationem haberi.

23 Quarta conclusio: ad conceptum augmentationis habendum, præter indiuisibile copulatiuum materiæ inter rem, quæ augmentatur, & eius augmentum, requiritur essentialiter, vt augmentum informetur forma substantiali, quæ sit eiusdem speciei cum forma rei, quæ augenda est, posito quod eius forma diuisibilis sit, quod si est indiuisibilis, debet informare eadem numero forma; verum neque hoc sufficit ad completam rationem augmentationis essentialem habendam.

Probatur quoad singula, & quidem quod præter indiuisibile continuatiuum materiæ inter rẽ, quæ augmẽtatur, & eius augmentũ requiratur

vt augmentum informetur forma, quæ sit eiusdem speciei cum forma rei, quæ augenda est, posito quod huius forma diuisibilis sit, probatur ex eo, quia si Amphoræ aquæ addatur vini sextarius, non censetur aqua adaugescere; contra vero si illi addas sextarium aquæ; sed hoc non nisi, quia in primo casu augmentum non habet formam eiusdem rationis cum aqua, quæ augenda est. supponitur enim esse vinū; at vero in secūdo, augmētum & res quæ augēda est sunt essentialiter aquæ; ergo &c. Rursus si augendus sit Petrus V. G. nisi intelligatur eius anima rationalis informare materiā nutrimenti, quæ illum adaugeat; quantumuis huiusmodi materia concipiatur continuari cum eius materia, nunquam habebimus Petrum augmentatum. ergo &c. denique quod neque hoc sufficiat ad completam rationem augmentationis essentialiter habendam suadetur ex eo; quia in augmento rei constantis forma diuisibili, nisi intelligamus illud indiuisibile continuatiuum materiæ, quod intercipitur inter eum augendam et eius augmentum, informari indiuisibili continuatiuo eiusdem formæ; et in augmento rei constantis forma indiuisibili, nisi intelligamus illud indiuisibile continuatiuum materiæ informari ipsa forma indiuisibili; non habemus adhuc conceptum augmentationis; ergo ad huiusmodi conceptum habendum non sufficit mutatio producturna indiuisibilis continuatiui materiæ modo dicto, et forma vel eadem numero, si est indiuisibilis, vel eiusdem speciei, si diuisibilis in vtroque extremo. consequentia patet; antecedens probatur, quia per augmentationem resultat necessario vnum compositum naturale auctum. sed ad hoc habendum non sufficit continuatio inter materiam vtriusque extremi, sed præterea requisita continuatio formæ, siquidem non nisi ex continuatione, tum materiæ, tum formæ vnum compositum naturale continuum resultare potest, vt de se patet. ergo si forma est diuisibilis, debet non solū informare per sui partes vtrumque extremum, sed etiam indiuisibile continuatiuum vtriusque, per aliquod indiuisibile continuatiuum sui, alioquin non esset continua: si vero est indiuisibilis, debet per se ipsam dictum materiæ indiuisibile informare, aliquem etiam informari vtrūque extremum sine illo, aquinisteret duplici mimæ, et non vni; atque adeo non constitueret vnum hominem continuum, vt considerāti patet.

26 Quinta denique conclusio. Ratio formalis vltimo completiua augmentationis in communi consistit in mutatione, per quam indiuisibile continuatiuū materiæ primæ rei, quæ augetur, at eius augmenti, traxit a priuatione indiuisibilis continuatiui formæ diuisibilis ad ipsum indiuisibile sustentandum, vel si forma est indiuisibilis a priuatione dictæ formæ ad ipsam in se recipiendam.

27 Probatur, quia hæc mutatio habet prequisitne aliis, quæ necessaria esse ad augmentationem ostendimus. contra vero alia omnia haberi possunt sine ea. ergo in hac mutatione consistit ratio formalis vltimo completiua augmentationis antecedens patet ex dictis, et consequentia videtur certa.

Obijces primò quando ignis ita comburit succesiuè lignum palmare V. G. vt augeatur ex illo, prius tempore producit indiuisibile copulatiuum materiæ inter se, et lignum, et in eo, indiuisibile copulatiuum formæ ignis; quam partem formæ in materia ligni; ergo ratio formalis vltimo completiua augmentationis non est productio, aut introductio formæ correspondentis illi indiuisibili copulatiuo materiæ. antecedens patet. consequentia probatur, quia ratio formalis vltimo completiua alicuius rei vltimo haberi debet. 28

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem dico quod assumptum, ratio formalis vltimo constitutiua rei, vltimo haberi debet obiectiuè in statu intentionali, concedo. à parte rei et in statu reali, nego. vltima enim ratio completiua sufficiat si intelligatur cōplere, et determinare cæteras rationes, per eam determinabiles; quidquid sit si á parte rei, vel vna cum illis, vel ante illas producatur. sic rationalitas est vltimo completiua essentiæ hominis, et tamen cum reliquis prædicatis superioribus, quæ per eam complentur, existit à parte rei: et tempus serotinum, quod est vltimo determinatiuum, per quod cæna differt à prandio, realiter existit antecedenter ad ipsam cænam.

Objcies secundo. nisi inter indiuisibile continuatiuum materiæ, et continuatiuum formæ, si est diuisibilis, vel formam ipsam, si indiuisibilis, producatur vnio distincta non habetur augmentatio. ergo ratio formalis vltimo constitutiua augmentationis est productio huius vnionis. 29

Respondeo: in sententia admittentium vnionem distinctam verum esse totum enthymema, dummodo hæc sententia velit eandem esse vnionem, per quam partes formæ diuisibilis, vel formæ indiuisibilis vniuntur cum materia; cum ea, per quam partes vnionis essentialis, quæ habentur in vtroque extremo, vniuntur inter se, alioquin ratio formalis vltimo constitutiua augmentationis esset mutatio terminata ad vnionem integralem dictarum vnionum, quæ vltimo intelligitur aduenire; vt docet Oviedus *de generatione contra. 3. puncto 2. num. 6* quoniam vero nos in Physicis negauimus vnionem distinctam, et admittimus in continuo indiuisibilia distincta, ideo negamus absolutè antecedens.

SECTIO TERTIA.

An augmentatio fit motus successiuè continuus.

PRima conclusio; si loquamur de augmentatione simplici, in qua videlicet non producitur pars adueniens, sed solum vnitur rei, quæ auetur: dico posse esse mutationem instantaneā, & successiuam siue continuam, siue discretam. 30

Probatur, quia si aquæ palmari approximetur aqua semipalmaris secundum omnes sui partes simul sumptas; in vltimo instanti motus approximationis, corruptis indiuisibilibus terminatiuis vtriusque aquæ, producetur indiuisibile copulatiuum vtriusque coniungens; sed per hoc sufficienter habemus aquam palmarem augmentatam; ergo per solam mutationem instantaneā habe- 31

Digitized by Google

habemus rationem augmentationis. Rursum potest aqua illa semipalmaris applicari palmari, tum successiuè continuè, tum successiuè discretè ergo tunc augmentatio erit successiua, vel continua, vel discreta, secundum quod fuit facta applicatio; constat igitur simplicem augmentationē posse fieri in instanti, & successiuè, tum continuè, tum discretè.

32 Secunda conclusio, Augmentatio aggeneratiua, in qua producitur pars noua formę substantialis, vel introducitur antiqua in materia augmenti, siue sit viuentium, siue non viuentium, est motus successiuus continuus. ita D. *Tom. 6 phys. tex. 49. & 31. prima qu. 33. part. 1. in corp.* quem sequuntur Gregorius, Sotus, Iandunus, Peresius, Marthius, Conimbricenses, Ruuius, Murcia, quos citat & sequitur Comptonus *disp. 5. de generat. sect. 2.* contra Aureolum, Toletum, Hurtadum, & Arriagam locis ab eodem Comptono ibi citatis, qui putant huiusmodi augmentationē fieri per instantia interpolata, ita vt prius tempore disponatur pars aliquota materiæ V. G. digitalis, postea uero in vltimo illius temporis instanti tota simul forma substantialis rei augendæ introducatur.

33 Verum nostra assertio probatur; quia agens naturale ex vna parte successiuè, & continuè disponit passum: ex alia uero uniformiter difformiter agit in illud. unde fit vt prius tempore introducat formam substantialem in partem passi sibi proximiorem, quam in remotiores; sed augmentatio aggeneratiua habetur per actionem agentis naturalis, disponentis materiam augmenti, & formam substantialem in illam introducentis; ergo augmentatio aggeneratiua est motus successiuus, & continuus, & non per momenta interruptus in instantibus interpolatis exercitus. maior patet ex his, quæ in libris de generatione diximus, cum hæc de re ageremus: minor uero probatur, quia in augmentatione aggeneratiua res, quæ augenda est, agit in substantiam rei, quæ debet esse augmentum illius, primò producendo in eam dispositiones corruptiuas necessarias, deinde nouam partem formæ substantialis eiusdem rationis cum propria, uel si propria est indiuisibilis, ipsam introducendo; ergo augmentatio aggeneratiua iam habetur per actionem agentis naturalis, quod successiuè, & continuè disponit materiam, & formam in eā substantialem introducit.

34 Contra tamen hanc posteriorem conclusionē Obijcies primò, materia vt sit apta formam substantialem recipere debet esse vltimo disposita, sed vltima dispositio habetur per vltimum indiuisibile completiuum; cum igitur inter eius partes proportionales nulla sit vltima, necessario augmentatio per partes aliquotas in instantibus quibusdam discretis exerceatur necesse est.

Respondeo: quod, quemadmodum non obstante, quod inter partes proportionales caloris aut odoris nulla sit vltima; adhuc tamen calor aut odor habetur per vltimum indiuisibile completiuum sui: quod, licet partibus careat intensiuis; at extensiuas habet in subiecto extenso, & sic secundum illas potest successiuè continuè produci: ita & in casu nostro, ex eo quod inter partes proportionales augmentationis nulla sit vltima, non rectè deducitur debere fieri per partes aliquotas; quare ad argumentum concessa maiore, & minore, nego consequentiam. ratio negationis est, quia cum materia, quæ disponitur à substantia augenda diuisibilis sit, quemadmodum successiuè, & continuè vltimo disponitur, ita vt prius tempore disponatur secundum partes viciniores agenti, quam secundum remotiores: sic etiam successiuè, & continuè formam substantialem recipit, & ipsi agenti coniungitur.

Instabis non repugnat vltimam dispositionem in eodem instanti acquiri ab omnibus partibus materiæ, quæ disponitur; sed in hoc casu augmentatio aggeneratiua deberet fieri in instanti; ergo falsa conclusio minor, & consequentia patent maior uero probatur, supponendo quod materia aggeneratiui augmenti, V. G. ligni, in parte ignis vicina habeat sex gradus caloris, & in remota septem; profectò ignis pro eo tempore, pro quo producet duos reliquos gradus in parte sibi vicina, producet vnum in remota; si quidem agit vni formiter difformiter; ergo pro eodem instanti vltimò disponet materiam ligni, & sibi illam per augmentationem aggeneratiuam copulabit. 35

Respondeo concessa maiore: distinguendo minorem: in hoc casu augmentatio aggeneratiua deberet fieri in instanti, per accidens, concedo. per se, nego minorem, & consequentiam; quia nos in conclusione loquti sumus considerando id, quod per se & spectata natura rei, fieri oportet. per accidens autem est, quod in eo casu materia alimenti inueniatur eo modo alterata, quo in obiectione supponitur.

36 Obijcies secundò in prima animalis generatione simul plures materiæ partes disponuntur, & quidem per se. nam anima sensitiua non potest primo produci, nisi in materia organizata; ergo multo magis disponetur simul parua moles, quæ augmentationi aggeneratiuæ inseruit. Respondeo, concesso antecedente, negando cōsequentiam disparitas est, quia in noua animalis generatione nulla para materiæ, quantumuis habeat qualitates sibi sufficientes ad recipiendam animam, intelligitur vltimò disposita, nisi commoueat alias partes necessarias, debitis qualitatibus praeditas, & hoc propter exigentiam, quam habet anima in prima sui productione materialis deorganizationis; at in nutritione quælibet particula minor, & minor alimenti iam connexa reliquis partes materiæ corporis animalis rectè dispositas, & animæ informatas. vnde aliud non expectat ad recipiendam animam, quam qualitates necessarias in ea intensione, quam exigit anima in illa parte.

37 Obijcies tertiò per nos vltima ratio formalis complexa augmentationis in communi consistit in mutatione; perquam indiuisibile continuatiuum materiæ rei, quæ augetur, & augmenti fit, transit à priuatione formæ ad formam sibi correspondentem; sed hæc mutatio non potest non esse instantanea; ergo nulla augmentatio potest esse successiua, & continua. maior, & consequentia patent; minor vero probatur, quia omnis successio, quæ habetur in introductione ali-

alicuius formæ, vel oritur ex intensione illius; vel ab extensione: sed neutrum habetur in casu nostro; nam ex vna parte forma est substantialis, neque adeò nullatenus intensa: ex alia verò est proportionata subiecto suo, et sic est inextensa vt indiuisibilis; ergo &c.

Respondeo Concessa maiore, et minore: distinguendo consequens: nulla augmentatio potest esse successiua, et continua si spectetur vltima ratio completiua illius vt sic, concedo: consideratis alijs rationibus, per quas vlteriùs determinatur, nego consequentiam; et dico quod licet verum sit quod vltima ratio cõpletiua augmẽtationis vt sic sit instantanea: cũ tamẽ in casu nostro coarctetur ad speciẽ aggenerationis, quæ importat successiuã introductionẽ formæ in materia augmenti: necesse est, vt secũdũ hanc rationem sit continua, et successiua. Hoc autem non impedire, quo minus vltima eius ratio sit instantanea suadetur, quia non minus repugnãt spiritus, et corpus; quam instans, et tempus; sed ex illis potest resultare vnus homo; igitur non est eius ex ratione instantaneæ, et temporaneæ non possit resultare vna aggeneratio.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Nutritio.

38 VNica Conclusio: nutritio rectè describitur: Augmentatio aggenerativa vitalis: dicitur primò (augmentatio) quia est mutatio à minori ad maiorem substantiam, dicitur secundò (Aggenerativa) vt distingatur à simplici augmẽtatione. in nutritione enim, si animal, quod nutritur, formam diuisibilem habet, debet necessario, in materia alimenti produci noua pars formæ eiusdem rationis cum forma illius: sin autem indiuisibilem, hæc eadem numero nouiter in materiam alimenti introducatur, necesse est. neutrum autem ad simplicem augmentationem habendam requiritur. dicitur denique tertiò (vitalis) quia augmentatio aggenerativa conuenire potest substantijs non viuentibus; quæ nutritio est actus proprius omnis, et solius substantiæ viuentis; atque adeò de se vitalis! quamuis enim dicamus nutriri flammam oleo, exhalationibus ventum &c. propter quandam analogiam proportionis, quam cum propria nutritione habent: horum tamẽ augmentationes impropriè nutritiones appellare consueuimus.

39 Obijcies primò Bona definitio constat ex proximo genere, quod primo loco ponatur, et differentia vltima, quæ secundo. sed hoc in tradita definitione non obseruatur. ergo non est bona. probo minorem, quia augmentatio est genus remotum respectu nutritionis, nam proximum est vel ratio aggenerationis, vel actus vitalis, ergo superfluè ponitur augmentatio. Præterea, ex duobus reliquis particulis, vitalitas sẽ habet vt genus, et aggeneratio vt differentia, quia per nos augmẽtatio primò diuiditur in vitalem, et non vitalẽ, et postea vitalis in aggeneratiuam formæ, et aggeneratiuam vnionis. ergo potius definiri debuit vitalis aggeneratio, quam è contra.

Respondeo: distinguendo maiorem, et si quidem sermo sit de rigorosa definitione, concedo: sin autem de explicatione descriptiua rei, nego maiorem; et sic distincta minore, nego consequentiam. ad priorem minoris probationem dico, quod licèt augmentatio se habeat respectu nutritionis vt genus remotum, tamen apposita est in descriptione tum vt significatiua aggenerationis, quod valde in se obscurum erat, melius innotesceret; tum etiam vt explicaretur ratio, cur à nobis in præcedentibus sectionibus de augmentatione disputatum est. Ad posteriorem verò aio, aggenerationem respectu augmentationis vitalis, non posse se habere vt differentiam contractiuam illius, quia hæc debet minus latè patere, quam genus, at nulla datur vitalis augmentatio, quæ non sit simul aggeneratio, vt vidimus. Per hoc ergo, quod augmentationem in communi primò in vitalem et non vitalem diuisimus, et postea vitalem in aggeneratiuam formæ, et aggeneratiuam vnionis, non putauimus aggenerationem vt sic se habere vt contractiuam augmẽtationis vitalis. includitur enim impræscindibiliter in illa: sed solum sic se habere aggenerationem formalem, et vnitiuam. quod si in tradita descriptione aggeneratio ponitur à nobis antecedenter ad rationem vitalitatis: ratio est, quia reperitur etiam cum augmentatione non vitali aliquando coniuncta, et sic magis latè patet quam vitalis.

40 Obijcies secundo: Etiam si ad statum suum peruenerit animal, adhuc tamen eius ossa nutriuntur, sed tunc non augentur amplius, neque secundum longitudinem, vt experientia constat, nèque secundum latitudinem, quia non est maior ratio de vno dimensionis augmento potius, quam de altero. ergo nutritio non est augmentatio.

Respondet Arriaga *de generat. disput. 1. sect. 5. num. 6.* & ex eo Oviedus *tom. 7. de generat. punct. 3. num. 3.* negando maiorem: putant enim partes duras, vt ossa, & dentes ab eo tempore non nutriri primò, quia huiusmodi partes, extincta humiditate, exsiccantur, & earum pori claudũtur, vt non possint alimentum sugere, quo nutriantur; secundò quia si ossa essent capacia nutritionis, sicut caro: semper posset hõmo in altũ crescere. verum homo amplius non crescit, hæc tamen sententia est contra communem Philosophorum sensum; omnes enim conueniunt in eo, quod ossa hominis, etiam post annum vigesimũ secundum, aut vigesimum tertium, quando homo non crescit amplius, adhuc tamen nutriantur; alioquin paulatim virtute caloris naturalis breui tempore consumerentur; & multo magis dentes ex frequenti manducatione attererentur, quod si non crescunt, est quia tantum alimenti admittunt, quantum substantiæ antiquæ deperdunt; vt enim plus admitterent, deberent esse teneræ, & molliores, vt per intussusceptionem alimenti extendi ac dilatari amplius valerent; vt contingit in pueris, & adolescentibus; quod non habetur in statu proiectis. ad priorem Arriagæ rationem dico, quod sicuti in partibus ossei non penitus extinguitur humiditas; ita, neque penitus earum claudentur pori; vnde est, vt possint alimentum sugere, vt nutriantur. ad po-

posteriorem verò, nego sequelam; ratio est, quia ossa non habent tantum humiditatis, quantum caro. vnde fit, vt licèt hæc non habeat repugnantiam ad augendum se, habeant tamen illa. hac igitur responsione posthabita.

Respondeo ad obiectionem; concessa maiore, negando minorem; & ad probationem in contrarium dico: Augmentationem aliquando sonare mutationem, per quam plus nouæ substantiæ acquiratur, quam veteris deperdatur. Nutritionem verò reparationem substantiæ, quæ vi caloris naturalis absumitur; ita vt prior habeat pro fine augmentum viuentis; posterior verò meram eius conseruationem in magnitudine substantiali quam habet. in quo sensu verum est quod post 20. annum ossa hominis quamuis nutriantur non tamen augentur. at non sic sumitur à nobis augmentatio in definitione nutritionis, sed pro vt importat mutationem à minori ad maiorem substantiam formaliter, et quantum est de se; quidquid sit, si aliunde substantia post augmentationem remaneat tantæ magnitudinis, quantæ ante erat. neque sic accipitur nutritio, sed pro vt importat aggenerationem vitalem nouæ substantiæ, habitam videlicet per intus susceptionem alimenti modo dicto. quare licèt in sensu aduersariorum argumentum concludat; at in ista nostram acceptionem augmentationis, et nutritionis non habet vim.

41 Obijcies terniò, si nutritio cõsisteret in augmentatione aggenerativa vitali, sequeretur quod non differret essentialiter à generatione substantiali; sed hoc est absurdum; ergo &c. minor patet primò ex diuersitate organorum, quæ pro vtraque operatione exercenda, natura tribuit animalibus; secundò ex eo quod generatio est actio transiens, et non vitalis. nutritio verò immanens, atque vitalis. constat autem actionem vitalem, et immanentem essentialiter differre ab ea, quæ neque immanens est, neque vitalis. sequela verò probatur. quia actiones specificantur à terminis suis, atque principijs; sed cum generatio equi cum eius aggeneratio vitalis habent terminos et principia eiusdem speciei. ergo &c. maior huius videtur certa; et minor suadetur, quia Terminus generationis equi, eiusq; principiũ effectiuum est equus. sed terminus aggenerationis vitalis equi est equus maior, et eius principium effectiuum est equus minor, qui eius beneficio in maiorẽ transit; neutrum autem differre essentialiter ab equo vt sic est luce clarius; ergo &c.

Respondeo negando sequelam maioris. ad cuius probationem distinguo maiorem: actiones specificantur à suis terminis, atque principijs exclusis modis tendendi in dictos terminos, nego. inclusis dictis modis, concedo: et sic distinguo minorem: tum generatio equi tum eius aggeneratio habent terminos, et principia eiusdem rationis cum diuerso modo tendendi in dictos terminos, concedo; cum eodem, nego minorem, et consequentiam. et ad minoris confirmationem aio. Aggenerationem vitalem equi tendere in equum maiorẽ per intro susceptionem alimenti; habendo pro termino à quo eundem equum, sed minorem, at verò generationem equi tendere in equum per coniunctionem maris & fœminæ, habendo pro termino à quo non equum; & sic modi tendendi sunt diuersi.

SECTIO QVINTA.

Quid sit Potentia nutritiua formaliter.

COnstat, potentiam nutriciuã formaliter considerandam esse illam, quæ respicit nutritionẽ tanquam suum actum adæquatum in ordine ad quem in tali determinata specie potentiæ constituitur. Ad eum planè modum quo potentiam intellectiuam dicimus esse illam, quæ respicit intellectionem tanquam suum actum adæquatum, per ordinem ad quem suam essentiam specificam accipit: & volitiuam illam, quæ volitionem; & sic de reliquis, quæ rectè describi possit facultas animæ vegetatiuæ debita, quæ in ipso viuente habet vim commutandi substantiam alimenti in substantiam eiusdem viuentis. Hoc patet ex dictis. Illud potius in præsentia quærendum videtur, num ad nutritionem viuentis sensitiui supponatur illius anima tantum formaliter vt nutritiua, seu vegetatiua, an verò supponatur etiam vt sensitiua. Proquo sit. 42

Conclusio nostra affirmatiua; nimirum, ad nutritionem viuentis sensitiui animam illius supponi formaliter vt vegetatiuam, simul, ac vt sensitiuam; & non vt vegetatiuam tantum, est contra nonnullos, de quibus suppresso nomine Oniedus *parte 3. citata num. 6.* quos ipse numero sequenti sequitur. 43

Probatur, quia terminus nutritionis animalis, quatenus talis terminus est, est formaliter inadæquatè sensitiuus. ergo ad nutritionem animalis supponitur formaliter illius anima, non solum vt vegetatiua, sed etiam vt sensitiua. Antecedens probatur, quia animalis nutritio dupliciter sumi potest, primò quatenus nutritio est vt sic; secundò quatenus nutritio animalis est. quamuis autem primo modo sumpta non importet formaliter terminum vt sensitiuum, at secundo modo accepta, quod illum sic importet, sequitur ex eo; Quia de essentia augmentationis in communi formalissimè considerata est apponere rei augendæ augmentum eiusdem rationis specificè cum illa; si enim V. G. libræ aquæ vnica Miai addatur; constat, aquam minimè augeri, vti vidimus supra. ergo de essentia nutritionis animalis quatenus talis est afferre animali nutriendo augmentum sensitiuum: nutritio igitur animalis quatenus huiusmodi importat terminum non solum vt vegetatiuum, sed etiam vt sensitiuum formaliter. & sic terminus nutritionis animalis quatenus talis terminus, est formaliter inadæquatè sensitiuus, quod erat antecedens primi enthymematis probandum. Consequentia verò euincitur ex dictis, quia in tantum terminus nutritionis animalis quatenus talis terminus est, est formaliter sensitiuus, in quantum debet conformari principio nutriendo. ergo si terminus est formaliter sensitiuus, multo magis debet esse sensitiuum principium præscribens huiusmodi rationem termino. atqui principium nutriendum formaliter sensitiuum constituitur per animam formaliter sensitiuam. ergo ad nutritionem animalis supponi-

Digitized by Google

ponitur formaliter illius anima non solum vt
54 vegetatiua, sed etiam vt sensitiua.

Obijcies primò fundamentum oppositæ sententiæ: sensitiuum vt sensitiuum tantum dicit ordinem ad sensationem. sed nutritio non est sensatio; ergo sensitiuum vt sensitiuum non dicit ordinem ad nutritionem. minor, & consequentia patent. maior uerò probatur, quia sensitiuum est solum principium sensationis. ergo vt tale non nisi ad sensationem debet dicere ordinem.

Respondere posset aliquis primò, sensitiuum vt sensitiuum dupliciter posse sumi; primò pro vt reduplicat solam differentiam, per quam viuens seu gradus vegetatiuus contrahitur ad constituendam essentiam animalis; secundò pro vt reduplicat totam animalis essentiam; sensitiuum enim, & animal accipiuntur in præsenti vt synonima, vt patet. iam licet verum sit, quod sensitiuum primò modo sumptum, dicat tantum ordinem ad sensationem; at non secundo modo acceptum. quemadmodum enim includit formaliter gradum vegetatiui; ita & ad augmentationem debet formaliter ordinem importare; quod est contradictorium consequentiæ in obiectione deductæ. Quod si aduersarius dicat, se in proposita quæstione agere de anima vt sensitiua, quatenus præcisè reduplicat vltimam differentiam, per quam gradus viuentis ad esse animalis contrahitur, responderem, quod quemadmodum in dicta quæstione non sumitur nutritio viuentis sensitiui quatenus est præcisè productio differentiæ sensitiui vt sic: sed quatenus est productio nutritiua sensitiui, vnde importat formaliter rationem nutritionis, quã aliter nõ importaret formaliter; ita & per animam vt sensitiuam non solum differentia sensitiui, sed etiam genus vegetatiuum
46 formaliter in eandem quæstionem uenire debet.

Sed clarius respondeo secundò, permittendo integrum syllogismum, quem dico non facere contra meam assertionem, eo quod etiam si viuens sensitiuum non dicat ordinem ad nutritionem, adhuc potest stare, quod ad nutritionem dicti viuentis supponatur eius anima vt sensitiua formaliter; & ratio est quia, vt aliqua formalis ratio supponatur formaliter ad aliquam actionem, non est necesse, vt dicta ratio formaliter accepta ad huiusmodi actionem ordinetur, sed sufficit, quod actio ipsa formaliter sumpta rationem illã formalem formaliter respiciat; atqui in casu nostro licet non habeatur primum, tamen habetur secundum. ergo non est cur negetur ad nutritionem viuentis sensitiui supponi animam non solũ vt vegetatiuam, sed etiam vt sensitiuam formaliter; consequentia huius est legitima; & minor patet ex dictis; dato enim quod anima vt sensitiua formaliter, non dicat ordinem ad nutritionẽ viuentis sensitiui; adhuc tamen non potest negari, quin ipsa nutritio viuentis sensitiui formaliter accepta, dicat ordinem ad animam vt sensitiuam propter argumentum, quo ad probandam conclusionem vtimur; maior uerò suadetur à pari, quia vt formalis ratio sensitiui supponatur formaliter ad cognitionem angelicam, quæ est de tali ratione formali, non est necesse, vt talis ratio formaliter sumpta ad huiusmodi cognitionem formaliter ordinetur; sed sufficit, si ipsa cognitio dicat ordinem ad huiusmodi rationem formaliter consideratam, idemque inuenire est in reliquis actionibus; & ratio à priori est quia, ad hoc vt aliqua actio sit essentialiter connexa formaliter cum aliqua ratione formali quatenus tali, nõ est necesse vt hæc ratio sit eodem modo connexa cum ipsa actione: constat enim dari connexionẽ non mutuam inter aliquarũ rerum essentias formaliter consideratas.

Obijcies secundò ex Quiedo *loco cit. num. 7.* 47
in nutritione equi principium formale sensationis supponitur quatenus est principium formaliter productiuum alius principij sensationis, seu, quod idem est, alius viuentis inadæquati habentis similem virtutem sensitiuam ad producendas sensationes. ergo non supponitur formaliter quatenus est principium formale sensationis, sed materialiter tantum. Respondeo admisso antecedente, nego consequentiam. ratio negationis est, quia equus quatenus est principiũ formaliter productiuum alius principij sensationis, seu alius viuentis inadæquati, habentis similem virtutem sensitiuam, ad producendas sensationes, importat formaliter in termino producto virtutem sensitiuam; ergo etiam in se ipso dictam virtutem formaliter importare debet. antecedens confirmat doctrinam auctoris: consequentia suadetur, quia similitudo in virtute sensitiua inter terminum productum, & principium producens dicit formaliter in vtroque ipsam virtutem sensitiuam. ergo si equus, quatenus est principium formaliter productiuum alius principij sensationis habentis similem virtutem sensitiuã, importat formaliter in termino producto virtutem sensitiuam: etiam in se ipso eandem virtutem formaliter importare debet. 48

Instabis ex his, quæ eodem *num. 7.* habentur, duplex similitudo, seu, quod idem est, duplex vniuocatio inter terminum nutritionis equinæ, & principium illius considerari potest; vna consistit in virtute producendi sensationem; altera in virtute producendi principium sensationis; tum enim equus, qui nutritur: tum etiam pars substantiæ, quæ illi per nutritionem additur virtutem habet. sed ad habendum formalem conceptum nutritionis equinæ sufficit posterior similitudo inter terminum, & principium; cum igitur hæc non importet formaliter priorem similitudinem, hoc est virtutem producendi sensationem in vtroque extremo, rectè concluditur ad nutritionem viuentis non supponi animam formaliter vt sensitiuam, sed solum vt habentem virtutem producendi principium sensationis, nõ quatenus tale est, sed quatenus habens virtutem producendi aliud simile principium.

Respondeo concessa maiore, negando minorem; si enim ad habendum conceptum nutritionis equinæ sufficeret, quod pars, quæ per nutritionẽ additur equo, assimilaretur illi in virtute producendi principium sensationis equinæ, & non in virtute sentiendi: sequeretur, quod si, vel per possibile, vel per impossibile, careret posteriori virtute, dummodo priorem haberet, posset addita equo illum augere; sed hoc est falsum; ergo &c. maior uidetur certa; & minor suadetur, quia vt intelligatur formaliter nutriri equus, necessariò requiritur, vt pars, quæ de nouo ei ad-

uenit

uenit informetur parte formæ, quæ sit eiusdem rationis specificæ cum forma propria, sed hoc nõ saluatur per conuenientiam in virtute producẽdi simile principium sensationis; non enim repugnat, duo in dicta virtute conuenire, & tamẽ inter se essentialiter differre, vt patet in simili ex igne, & terra, quæ licèt sint similia in virtute productiua siccitatis: differunt tamen inter se essentialiter. ergo falsum est, quod si pars, quæ per nutritionem additur equo, careret virtute sensitiua, posset addita equo illum nutrire.

49 Verum ad hoc argumentum respondebit fortasse nonnullus pro Ouiedo eum *num.* 7. docere, in nutritione equi supponi ex parte principij principium sensationis, si non formaliter, at materialiter sumptum; atque adeò inter terminum illius nutritionis, eiusque principium necessariã esse conuenientiam materialem in virtute sensitiua, sed in casu nostro siue possibili, siue impossibili, dum negatur termino nutritionis huiusmodi virtus, negatur consequenter non solum formalis, sed etiam materialis conuenientia cum principio in dicta virtute; ergo nostrum argumentum non militat contra doctrinã Ouiedi.

50 Sed contra est; quia dupliciter potest intelligi virtutem, seu quod in idem recidit, animam sensitiuam supponi materialiter ex parte principij nutritionis equi; primò quod supponatur quidem essentialiter, sed minus principialiter, sicuti dicimus: ad constitutionem hominis materiam primam *requiri materialiter, & non formaliter: secundò quod supponatur quidem defacto, sed non faciat ad essentiam principij, atque adeò siue adsit, siue absit, stet ratio principij nutritionis equi.* Primum ab Ouiedo sustineri non potest. ergo debet sustineri secundum: sed hoc posito recte deducitur, quod etiam si terminus nutritionis equi non haberet virtutem sensitiuã, & eam haberet equus: nihilominus staret ratio nutritionis equi; cum non possit assignari maior ratio, cur magis necessaria sit dicta virtus ex parte termini, quam ex parte principij; ergo nulla est defensio assignata. maior patet ex sufficienti enumeratione. minor verò, quæ sola probatione eget, suadetur primò, quia supponi materialiter in primo sensu est supponi essentialiter: sed supponi essentialiter absolutè loquendo est supponi formaliter; nam omnia prædicata, quæ sunt de essentia rei, sunt de formali eius constitutione; quamuis de reliquo comparando vnum cum altero: atque adeò respectiuè, & secundum quid, dici soleat genus se habere vt materiam, & differentiam vt formã, ergo dum absolutè negat Ouiedus, animam equi, quatenus est principium sensationis, non supponi formaliter ex parte principij nutritionis, non potest loqui in primo sensu. Secundò, quia, qui negant, animam vt sensitiuam supponi formaliter ad rationem nutritionis ex parte principij, non intelligunt, quod supponatur quidem essentialiter; sed vt quid perfectibile, & non vt perfectiuum dictæ rationis, vt patet ex fundamentali ratione, quæ est huiusmodi: Sensitiuum vt sensitiuum solum dicit ordinem ad sensationem; sed nutritio non est sensatio; ergo &c. atqui Ouiedus horum sententiam sequi profitetur. ergo &c. Tertiò denique, quia ex suppositione quod anima vt sensitiua supponatur essentialiter ex parte principij nutritionis, se habere debet vt differentia contractiua sui vt vegetatiuæ, vt patet ex linea prædicamentali substantiæ, in qua animal ponitur tanquam species subalterna viuẽtis, quod per animam vt vegetatiuam constitui, suo loco diximus: sed respectu speciei differentia contractiua generis se habet vt forma; genus verò vt materia. ergo, si anima vt sensitiua supponitur essentialiter ex parte principij nutritionis; supponi debet formaliter, & non materialiter, sed hoc est àperte contra Ouiedum ergo &c.

Obijcies tertiò. si ad nutritionem viuentis sensitiui supponeretur ex parte principij illius anima formaliter vt sensitiua: sequeretur, quod ad nutritionem hominis supponeretur etiam ex parte principij illius anima non solum vt sensitiua, sed etiam vt rationalis; sed hoc est inconueniens; ergo &c. sequela maioris patet paritate. minor verò probatur, quia anima vt rationalis non videtur ad alias operationes in homine supponi formaliter, nisi ad intellectiuas, & volitiuas. Respondeo concessa sequela, negando minorem; cuius distinguo probationem: anima vt rationalis non supponitur formaliter nisi ad intellectiones, & volitiones, tanquam ad operationes, ad quas ipsa essentialiter ordinatur; concedo tanquam ad operationes, quæ ordinantur, ad ipsam; nego antecedens, & consequentiam: dico enim, quod licèt nutritio sit operatio, ad quam anima vt vegetatiua tantum formaliter ordinatur, quia tamen ipsa nutritio habet ponere in termino ad quem formam eiusdem rationis specificæ, quæ est in principio: id circo in homine dicit ordinem ad animam rationalem quatenus talem formaliter. 51

DISPVTATIO DVODECIMA

DE POTENTIIS QVANTIFICATIVA, ET Generatiua Vitalibus.

1 HAE duæ reliquæ potentiæ animæ uegetatiuæ debentur, quas in hac disputatione considerabimus. ut autem à priori incipiamus, constat rem aliquam, eo ipso quod substantialiter augetur, fieri etiam necessario quantitatiuè maiorem. porrò huiusmodi potentiam, qua uiuentia in quantitate crescunt, quantificatiuam appellamus, non uerò cum alijs augmentatiuam, eo quod hoc nomen supra tribuimus potentiæ, à qua mutatio à minori ad maiorem substantiam causatur: Acturi igitur de quantitatiua; prius de eius actu, qui dici solet comuniter accretio, ab alijs uerò accidentalis augmentatio: deinde uerò de ipsa potentia disputabimus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit accretio, & in quo formaliter consistat.

2 QVo ad primum sit prima conclusio: accretio rectè describitur: Mutatio à minori ad maiorem quantitatem: patet ex his, quæ diximus, dum definitionem augmentationis assignauimus. de vtraque enim eodem modo discurrendum est; quamuis enim vna sit acquisitiua maioris substãtiæ; altera verò maioris quantitatis: vtraque tamen secundùm easdem partes, & eodem tempore contingere solet, quia substantia materialis non potest esse naturaliter sine quantitate, neque hæc sine illa; atque adeò eo modo, quo augmentatio in suo termino á quo minorem substãtiam, & in termino ad quem maiorem importat: ita, & accretio minorem quantitatem in suo termino à quo, & maiorem in suo ad quem requirit.

3 Quo ad secundum verò sit secunda conclusio: accretio est actio realiter, & essentialiter ab augmentatione distincta: ita Conimbric. *lib. 1. de gen. cap. 5. quæst. 14. art. 2.* quos sequuntur plures recentiores teste Oviedo *contr. 3. de generat. punct. 4. n. 3.* contra Marsilium *lib. 1. de generat. quæst. 10.* Albertum de Sassonia *quæst. 9.* Toletum *lib. 2. de anima quæst. 10. concl. 3.* & Vallesium *lib. 2. contr. medicarũ cap. 20.* vbi negat nutritionem, quæ est species quædam augmentationis substantialis, & augmentationem quantitatiuam esse actus inter se distinctos, docens, eodem ipso actu acquiri à viuente substantiam, & quantitatem.

4 Probatur autem, quia regulariter ad terminos realiter, & essentialiter distinctos concedendæ sunt actiones similiter, eodemque modo distinctæ; sed terminus accretionis est realiter, & essentialiter distinctus à termino augmentationis; ergo accretio, & augmentatio realiter, & essentialiter distinguntur. consequentia patet, & maior euincitur, quia actiones specificantur à terminis suis. quamuis enim circa eundem terminũ ratione diuersi modi tendendi possint dari actiones realiter, & essentialiter distinctæ: at non vna, & eadem circa diuersos terminos; quod intelligendum est regulariter (vti dixi) tum quia non implicat contradictionem oppositum, atque adeò non apparet, cur per absolutam Dei potentiam non possit eadem numero actione substantia, & accides poni à parte rei: tum etiam quia quando termini diuersi per vnicam existentiam existunt, & materiæ primæ, & formæ substantiali contingit, hoc etiam connaturaliter illis concedendum est; sed vtrumque est extra regulam, & non habetur in casu nostro, ut patet. minor verò suadetur, quia terminus accretionis est quantitas, augmentationis verò substantia; sed quantitas, & substantia realiter, & essentialiter distinguntur; ergo & terminus accretionis, & augmentationis.

5 Duo contra hanc conclusionem videntur posse obijci; vnum est auctoritas Aristotelis, qui *primo de generat. tex. 41.* ait: nutrimentum, & augmentationem ratione differre, alterum quia accretio est instituta à natura, vt viuens habeat plus quantitatis, quam antea habebat, sed ad hoc sufficit, quod materia alimenti, quæ supponitur informata quantitate, incipiat informari eadem forma substantiali, qua informatur materia viuentis, eique substantialiter vniri. ergo accretio non distinguitur realiter à nutritione.

6 Ad primum ex auctoritate Aristotelis desũptum dicerem: rationem aliquando sumi pro essentia; in quo sensu possunt duo differre ratione, etiam si realiter distinguantur, verum hæc explicatio non videtur habere locum in casu nostro; quia philosophus paulo post subdit: nutritionem augmentationi idem esse. quòd si quis diceret: eum augmentationis nomine non accretionem, sed substantialem augmentationem intelligere, quæ, cum se habeat vt genus ad nutritionem, non est mirum, si idem realiter esse cum illa dicatur: ingeniosa magis esset explicatio, quam vera. nam ex his, quæ in eo textu habentur, & ferè semper augmentationis nomine

minor. Aristoteles vsurpat ad significandum motum ad quantitatem. imo quandoque etiam latius, vt patet *ex quarto physic.* text. 63. vbi augmentationem appellat, tam eam, quæ per rarefactionem fit, ea nam, quæ per ingressum, & additamentum alterius quantitatis habetur; melius ergo expendendus videtur locus, qui nobis obijcitur, de differentia rationis pro vt est differentia suppositorum opposita; forma enim, quæ sunt in eodem supposito, quatenus formæ sunt, rectè dicuntur ratione differre; quia quatenus non habent supposita, realiter distincta, potest de illis cum veritate affirmari, quod idem sint; hoc est supposito tamen vtrumque dixit philosophus, vt noueret: materiam alimenti, & materiam nutritionis non debere esse realiter inter se distinctas; sed idem numero alimentum esse subiectum & materiam vtriusque.

7 Ad secundum negandæ est minor in qua assumebatur vt viuens intelligatur habere plus quàm tantæ, sufficere tantum, quod materia alimenti intelligatur informari forma viuentis, eique substantialiter vniri; ad quod melius intelligendum, sin-

8 Tertio conclusio: licèt viuens intelligatur de nouo habere in se quomodocunque aliquid quantitatis, quod non habebat antea, non requiratur alia mutatio, quam substantialis; at vt intelligatur transire de minori ad maiorem quantitatem, in quo essentia accretionis posita est, alia mutatio præter substantialem necessaria est.

9 *Probatur conclusio* quo ad vtramque partem; & quidem quo ad priorem sic; quia per hoc præcisè quod *intelligatur inter materiam alimenti, & materiam aliti produci indiuisibile continuum* vtrumque *substantiale*, & dictum *indiuisibile informari forma substantiali viuentis*, quæ excurrat ad informandam etiam materiam ipsius alimenti, quicunque non intelligatur produci indiuisibile copulatiuum inter quantitatem alimenti, & quantitatem aliti; *verificatur*, quod viuens habeat de nouo aliquid quantitatis quod non habebat antea: ergo ad hoc verificandum non requiritur alia mutatio, quam substantialis nutritionis: antecedens *probatur*, quia vt de aliquo supposito verificetur habere in se aliquam formam, sufficit si dicta forma vnam sui partem informet, quia hoc ipso ad illud spectabit, ac pertinebit; vt patet ex visione in oculi materia recepta, & ceteris alijs similibus formis. sed per hoc præcisè, quod *viuens intelligatur acquirere indiuisibile substantiale continuatiuum* vtriusque materiæ, & *dictum indiuisibile informari* modo dicto, *quantitas alimenti, etiam si non sit viuentis quantitas*, verum est asserere, quod quam *viuentis partem informet*, ergo viuens nerè in casu casu *dicereur habere aliquid quantitatis, quod non habebat antea.*

10 *Secunda vero conclusionis pars suadetur* ex eo: quia non potest viuens intelligi transire de minori ad maiorem quantitatem, nisi etiam ipsa minor quantitas intelligatur transire in maiorem: sed non potest minor quantitas, quæ est in viuente, intelligi transire in maiorem: nisi intelligatur vniri cum quantitate alimenti: ad quam vnionem habendam non sufficit substantialis mutatio nutritionis; ergo est necessaria alia accidentalis

præter illam, maior huius, & consequentia est manifesta: prima verò pars minoris suadetur, quia aliud est habere duas quantitates, V. G. palmares, liquidè aliud habere vnam bipalmarem maiorem; discrimen autem non consistit in alio, quam quod ad bipalmarem habendam non est necessaria vnio inter duos palmares, quia si essent, non constituunt quantitatem maiorem se: secunda verò eiusdem minoris pars suadetur, quia vnio inter duas quantitates, siue ea sit indiuisibile copulatiuum, siue non, est accidentalis, ergo per mutationem accidentalem haberi debet; non igitur sufficit mutatio substantialis nutritionis ad eam habendam.

11 Quarta conclusio formaliter, & vltimo completiuè accretio consistit in actione productiua indiuisibilis copulatiui duarum quantitatum informantis indiuisibile copulatiuum materiæ, vltimò completum, & constitutum in ratione termini augmentationis.

12 Probatur: quia non potest haberi accretio, nisi intelligatur ex quantitate rei, quæ augetur, & ex eius augmento fieri vna quantitas, vt probatum est; sed ad hanc faciendam sufficit intelligere productionem indiuisibilis copulatiui inter vtramque quantitatem, vt de se patet; ergo actio productiua dicti indiuisibilis est formaliter necessaria ad habendam essentiam accretionis, quod verò dicta actio se habeat vt vltimò completiua illius suadetur etiam ex eo: quia posita hac actione connotante reliquas actiones ad augmentationem necessarias, & producente vnum effectum in indiuisibili copulatiuo materiæ primæ, formæ sibi proportionatæ informatæ, habetur sufficientissimè completa ratio accretionis; ergo productio huius indiuisibilis quantitatiui, non solum essentialiter pertinet ad conceptum accretionis, sed est vltimum completiuum illius. Confirmatur, quia ex vna parte sine actionibus ad conceptum augmentationis substantialis habendum, non habetur accretio, quia sicut ad eam habendam requiritur vna quantitas, ita & vnum subiectum; ex alia verò parte dictæ actiones cum substantiales sint, non possunt in recto, & intrinsecè ad illam pertinere: debemus igitur asserere, quod ad eam sic pertineat sola actio productiua indiuisibilis copulatiui quantitatis, reliquæ verò actiones substantiales pertineant in obliquo tantum, vnde fit vt in actione productiua indiuisibilis vtramque quantitatem viuentis formaliter, & vltimo completiuè accretio posita sit.

13 Obijcies: etiam si facilè explicetur quomodo quantitas augmenti per indiuisibile continuatiuum vniatur cum quantitate rei, quæ accrescit quando accretio fit per intra positionem: valdè tamen difficile explicatu est, si fiat per ictus susceptionem alimenti, vt in viuentibus, siquidem alimentum non potest addi, nisi intra poros corporis recipiatur. sed per hoc solum habetur, quod dictos poros impleat, atque adeo quod viuens sit in se magis refertum, atque constipatum, non autem quod in maiorem molem extendatur, & quantitatiuè maior euadat; ergo &c.

Respondeo: quod etiam quando fit accretio per ictus susceptionem alimenti in poros viuentis facilè explicari potest, qua ratione ipsa fiat, si dicamus quod quando alimentum additur intra po-

Digitized by Google

ros in maiori copia, quam actio caloris in reliquas partes viuentis absumpserit; idè pori per actionem eiusdem caloris magis dilatentur, & sic partes magis versus omnem dimensionem attollantur, quod si multo magis versus longitudinem crescunt; hoc fit ex virtute naturali caloris, quæ sursum impellit, & ex natura facultatis augmentatiuæ, quæ inseruit animæ exigenti regulariter maiorem extensionem, quam latitudinem ad suas operationes vitales melius exercendas, vt patet in plantis, & hominibus: at si alimentum, quod attrahitur, est æquale partibus, quæ absumuntur: pori, inter quos recipitur, minimè dilatantur. 11
si denique est minus, dicti pori potius restringuntur, vt accidit in senibus, qui ob hanc causam minores fiunt, quam antea fuerint.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit potentia quantificatiua vitalis. 12

35 HViusmodi potentiam in viuentibus esse vtique talem, constat ex paritate potentiæ nutritiuæ, quam in illis vtique esse suo loco probauimus. *non enim* potest assignari inter veramque disparitas, nam quod hæc habeat pro fine viuentis quantitatem maiorem reddere: illa verò substantiam: non est sufficiens ad negandum illi vitalitatem; cum multæ aliæ potentiæ vitales sint, quæ in productione actuum accidentalium occupentur, eiusmodi sunt omnes sensitiuæ, & rationales. illud tamen de dicta potentia valdè dubium est, an sit distincta à potentia nutritiua in viuentibus: partem affirmatiuam sequuntur multi, quos citat & sequitur Auersa *tom. 2. suæ philosophiæ q. 5. sect. 6.* negatiuam verò alij, de quibus idem ibidem mentionem facit. 36

Nostra conclusio est: potentia quantificatiua, per quam exercetur vitalis accretio non solum est eadem realiter cum potentia nutritiua, sed etiam formaliter; ita vt secundum id, quod dicunt in recto, sint eadem omnino formalitas in viuente ex parte obiecti, & differant solum secundum id, quod importunè in obliquo videbatur ratione diuersorum actuum, & terminorum, quos vna, & eadem potentia vitalis exercet; ita verè Suarez *lib. 2. de anima cap. 9.* ab eodem Auersa citatus.

37 Probatur assertio breuiter ex his, quæ diximus in physicis agentes de potentia, quam dicit materia prima ad formas accidentales; vbi probauimus eam secundum id, quod dicit in recto esse eandem formaliter cum potentia, quam ipsa materia prima dicit ad formas substantiales, & solum differre penes connotata in obliquo: militat enim pro vtrisque idem principium, quod nimirum vnum sit obiectum formale motiuum potentiæ quantificatiuæ, & nutritiuæ: inde enim rectè deducitur, quod sint vna & eadem formaliter in recto potentia: consequentia patet, quia non nisi ad multiplicationem obiectorum formalium multiplicari debent formaliter potentiæ; antecedens verò probatur: nam ratio formalis motiua mediorum, est eadem formalis, bonitas motiua finis; media enim, vt talia non habent diuersam appetibilitatem à fine; nam propter solam finis bonitatem appetuntur: vnde fit, vt si præscindatur sanitas à medicina, hæc vt medicina est, omni prorsus appetibilitate careat, sed maior quantitas est de se medium ad maiorem substantiam in viuente, si non essentialiter, saltem connaturaliter habendam; & maior substantia connaturaliter saltem existens, ingreditur tanquam finis à potentia nutritiua acquirendus; ergo potentia quantificatiua, quæ est acquisitiua maioris quantitatis, habet in viuente omnino idem motiuum formale, ac potentia nutritiua.

Confirmatur: potentia nutritiua debet respicere actum suum, sicut potest naturaliter fieri, sed nutritio non potest fieri naturaliter, nisi una cum accretione: ergo respicit etiam accretionem ipsam: non est igitur cur debeat assignari in viuente distincta potentia formaliter, & ex parte recti pro hoc actu, à nutritiua. atque hæc quidem ratio probat vniuersaliter potentiam aggenerativam tum in viuentibus, cum etiam in non viuentibus esse eandem formaliter cum quantificatiua, & distingui solum penes connotata; pro vtraque enim æquè militat argumentum factum. 15

Auersa *loc. cit.* existimat potentiam accretiuam non solum formaliter, sed etiam realiter distingui à nutritiua: & multa ad hoc probandum congerit, quæ libet singillatim expendere. 19

Obijcit ergo primò Aristotelem *secundo de Anima tex. 47.* docentem alimentum secundùm, quod quantum est, esse augmentatiuum; quo ad substantiam verò nutrimenti rationem habere *& primo de generat. tex. 28.* sic dicentem: quæ circa substantiam, generatio est, quæ circa magnitudinem augmentatio. ergo &c. 20

Respondeo: ex his, & similibus textibus solum colligi accretionem, & nutritionem esse duos motus essentialiter, & realiter inter se distinctos: hinc tamen non rectè infertur exigere distinctas potentias; non enim est nouum ab vna, & eadem potentia non solum realiter, sed etiam formaliter sumpta, posse procedere actus essentialiter, & realiter diuersos, vt patet ex potentia materiæ primæ, quæ cum sit formaliter, & essentialiter vna, eaque indiuisibilis tum ad formas substantiales, tum ad accidentales sustentandas, se extendit.

Obijcit secundò: sicut viuenti accedit noua substantia: ita & noua quantitas, & vtraque per operationem vitalem illi accedit. ergo sicuti operatio acquisitiua substantiæ est distincta ab operatione acquisitiua quantitatis, ita & potentiæ, à quibus procedunt: consequentia tenet, quia potentiæ specificantur ab actibus. Respondeo concesso antecedente, distinguendo cõsequẽs: & siquidem paritas intendit euincere aliqualem distinctionem inter potentiam vt nutritiuam, & potentiam, vt quantificatiuam, concedo; & dico huiusmodi potentias distingui extrinsecè tantũ, & penes connotata; sin autem intendat distinctionem in recto, siue formalem, siue etiam realem, nego consequentiam; & ad probationem vtro concedo potentias semper specificari ab actibus suis, sed sumptis formaliter ratione motiui: non verò realiter, aut etiam formaliter ratione ter-

mini

mini, quem producunt. cum igitur probauerimus eandem rationem formalem motiuam finis respici per actum accretionis, quæ respicitur ab actu nutritionis, seu augmentationis: hinc fit, vt vna sit in recto formalis potentia vtriusque.

33 Obijcit tertiò: viuens toto tempore suæ vitæ nutritur; sed non nisi ad certum tempus augetur; ergo potentia nutritiua semper permanet, quātificatiua verò aliquando deperditur, & sic realiter inter se distinguntur.

Respondeo huius rationis imbecillitatem ab ipsomet Auersa fuisse cognitam: dico igitur deficere post certum tempus accretionem, quatenus sumitur pro acquisitione maioris quantitatis, ea, quæ per actionem caloris naturalis deperditur; non autem quatenus accipitur pro acquisitione nouæ quantitatis vt sic, quandiu enim viuens nutritur; sicuti nouam substantiam, ita & nouam quantitatem semper acquirit: sic distincta minore, nego consequentiam; quemadmodum enim ex eo quod homo toto vitæ suæ tempore acquirat aliquid substantiæ, & non nisi ad vigesimum secundum annum maiorem ea, quam antea habebat, non rectè infertur: potentias nutritiuas, duas hasce aggenerationes respicientes, inter se essentialiter, realiterque distingui: ita neque quod distinguatur nutritiua à quantificatiua, ex eo, quod illa toto vitæ tempore operetur, hæc autem non nisi vsque ad certum tempus viuenti acquirat maiorem quantitatem ea, quam antea habebat.

34 Obijcit quartò: potentia nutritiua respicit substantiam, quantificatiua quantitatem. item nutritio est generatio substantialis, accretio motus accidentalis. ergo quemadmodum sunt distinctæ actiones, ita debent esse distinctæ potentiæ.

Respondeo: negando consequentiam. diuersitas enim potentiarum non est sumenda à diuersitate operationum, quæ procedunt ab ipsis, sed ex diuersa ratione formali, qua dictæ operationes suos terminos attingunt. cum igitur tum nutritio cum accretio eandem formalem bonitatem in suis terminis sibi proponant: hinc fit vt non sit, cur debeant à diuersis potentijs formaliter, et in recto acceptis promanare.

35 Obijcit quintò: si nutritio, et accretio ab vna eademque potentia vitali formaliter sumpta procederent: maximè quia vt Conimbricenses & Toletus asserunt, sunt actus necessariò coniuncti, quorum vnus alteri subordinatur. sed hæc ratio nulla est. ergo &c. probo minorem; non sufficit quæcumque coniunctio, at subordinatio actuum ad confundendas potentias, quæ sunt ad illos, alioquin eadem potentia esset intellectus, & voluntas in homine; & eadem sensus internus, & appetitus in sensitiuis; quia ex eis vnius potentiæ vna operatio subordinatur alteri, alterius, vt patet, illa ergo sola coniunctio, & subordinatio actuum sufficit, quæ habetur cum conuenientia sub aliqua ratione communi, & saluat identitatem communis obiecti. sed actus nutritionis, & accretionis sunt disparati nō communicantes in aliqua adæquata ratione, vel obiecto, cui debeat vnica adæquata potētia assignari. ergo ratio allata nulla est.

Respondeo concessa maiore; negando minorem ad cuius probationem, concessa item maiore; nego minorem; & dico, quod nutritio, & accretio communicant in eo, quod ambæ dicant ordinem ad maiorem substantiam viuenti addendam, eo quem habebat in termino à quo, tanquam ad vnicum obiectum formale motiuum, quod si accretio videtur dicere ordinem ad maiorem quantitatem: dicit ad eam, hunc ordinem tanquam ad medium, quia nullo alio modo potest viuens acquirere maiorem substantiam, quam acquirendo maiorem quantitatem, quæ ei inseparabiliter connexa, cum materia prima. quemadmodū enim quantitas se habet in dispositio, respectu materiæ ad recipiendam formam substantialem ita & indiuisibile copulatiuum quantitatis aliti & alimenti se debent habere in dispositio respectu indiuisibilis copulatiui materiarum illarum, ad hoc vt in eo introducatur vel eadem forma substantialis aliti, si hæc est indiuisibilis, vel indiuisibile copulatiuum illius, si diuisibilis. vnde fit vt eadem ratio formalis bonitatis ab vtroque respiciatur, sic habeant commune obiectum formale.

Reliquas obiectiones, quas contra hoc nostrū principium facere videntur; inuenies solutas in physicis, vbi statuimus potentiam ad formas 36 sidentales esse de essentia materiæ, quatenus est formalissimè *in recto* vna, & eadem cum eiusdē potentia ad formas substantiales.

SECTIO TERTIA.

De conditionibus ad actus vitales augmentationis, & accretionis requisitis.

VTrumque actum sub nomine augmentationis 37
Aristoteles comprehendens *primo de generat. text. 33.* tres illi conditiones assignat, quarū prima est vt qualibet pars eius, quod vitaliter augetur, fiat maior. secunda, vt augmentum fiat ex aliquo extrinsecus aduenient, tertia denique, vt in illa idem numero viuens remaneat. vt autem aliquid de dictis conditionibus singillatim dicamus.

Pro explicatione primæ conditionis sit prima 28
conclusio: quando Aristoteles ait: quamlibet partem eius, quod augetur, fieri maiorem, non agit de partibus essentialibus, neque de integralibus proportionalibus vniuersim sumptis, sed de solis sensibilibus, siue ex proportionales sint, siue aliquotæ.

Probatur; & quidē quod nō agat de essentialibus patet, quia huiusmodi partes, vel metaphisicæ sunt, vel physicæ, non potest agere de metaphysicis, quia hæ sunt genus, & differentia, quæ sicuti essentiam viuentis in indiuisibili consistentē constituunt: ita in se non possunt maioritatem, & minoritatem suscipere. neque de physicis, quia licèt in reliquis viuentibus huiusmodi partes augeri possint: at non in homine, cuius anima indiuisibilis est: præterea, quod neque agere possit de partibus integralibus proportionalibus in vniuersum fradetur, quia si viuens secundùm quamlibet huiusmodi partem deberet augeri, in omnes sui partes diuidendum esset, atque adeò continuum in indiuisibilia resoluendum; sed hoc est ab-

absurdum, vt patet: ergo &c. Sequelam probo: quia hoc ipso quod pars alimenti non penetratur cum parte viuentis, cuilibet parti, quæ diceretur augeri, deberet immediatè addi aliqua particula alimenti: ergo inter ipsam, et alimentum nihil intercedere posset: immediatè enim quælibet pars alimenti cuilibet parti viuentis coniungenda esset. quod sine discontinuatione omnium partium viuentis, quæ antecedenter inter se coniuncta erant intelligi nequit. Ex quibus deducitur, debere intelligi dictam conditionem de partibus sensibilibus, hoc est, aliquis notabilis magnitudinis. ratio sumitur ex eo, quia huiusmodi partes siue aliquotæ sint, siue proportionales continent in se aliquas potentias, quibus, vt fiat augmentatio, ingeri alimentum debet; per quod patet responsio ad difficultatem, in qua quæritur maior ratio, cur aliquæ potius partes viuentis augeantur, quam aliæ? ratio enim disparitatis est, quia augmentatio, vt dictum fuit, oritur ex ingestione alimenti in poros: quoniam verò pori non nisi inter quasdam determinatas partes viuentis dispersi sunt à natura: ideo inter vnum et alium porum pars aliqua, quæ nullam in se habeat, necesse est intercedat; & ideo circa eius particulam mediam, considerata secundum se, non potest esse capax incrementi.

30 Secunda conclusio: partes sensibiles viuentis in debent augeri, ac primò augmentum exercetur in homogeneis, & harum ratione veluti secundariò in heterogeneis.

31 Probatur: quia caput animalis V. G. quod est pars integralis, & heterogenea, non augetur nisi quia partes carnis, ossis, nerui, cerebri, & similium, ex quibus constat, maiores fiant: posito augmento in hisce partibus homogeneis statim intelligitur ipsum caput augeri: ergo &c.

32 Dices: Aristoteles *primo de generatione* 35. ait, quamcumque partem viuentis augeri secundùm formam: non autem secundùm materiam: sed partes homogeneæ in animali se habent vt materia respectu heterogenearum, quas constituunt: ergo augmentum primò in heterogeneis & non in homogeneis exercetur.

Respondeo: nomine materiæ non intellexisse Philosophum partes homogeneas colligi ex verbis eiusdem, quæ in eodem textu habentur; sic enim habet: Ea, quæ sunt dissimilium partium, augentur, quia ea, quæ sunt consimilium partium augentur: componitur enim ex his vnumquodque. per quæ patet, nullam esse consequentiam ab aduersario intentam. Iam verò quid sibi voluerit Philosophus in textu obiecto interpretes non conueniunt: quidam enim dicunt, nomine formæ intellexisse figuram, quam habet quælibet pars; nomine verò materiæ substantiam cuiuscumque, carnis V. G. ossis &c. ita vt sensus sit: quælibet pars viuentis, quæ sub determinata figura continetur retinendo figuram, quam habet in augmentatione, fieri maiorem; non autem si secundùm sua mera prædicata quidditatiua consideretur, quia secundùm ea constituit indiuisibili.

33 Alij verò nomine formæ intelligunt partes integrantes absolutè spectatas secundùm suam essentiam physicam; nomine verò partium materialium easdem partes consideratas quo ad conditiones indiuiduantes: ita vt sensus sit: per augmentationem quidem carnem V. G. & totum nerum, & totum os augeri, non autem seruando eosdem conditiones indiuiduales, quia dictæ partes indiuiduales consideratæ sunt instar, quæ, quæ per canalem confluit: si enim ex vna parte per nutritionem videntur augeri, vi tamen caloris naturalis ex alia minuuntur, & effluunt. vtraque expositio est probabilis.

Pro explicatione secundæ conditionis sequitur conclusio: Vt habeatur vitalis augmentatio, non sufficit, vt augmentum fiat ex aliquo extrinseco aduenient quomodocumque, sed necesse est, vt alimentum in minutissimas partes redactum per intrò susceptionem in substantiam alitæ conuertatur, patet quia alias augmentatio vitalis ab augmentatione non vitali minimè differret. quod enim dicunt aliqui sufficienter differre per hoc, quod semper seruetur eadem figura, & proportio partium, non est verum, vt patet ex flamma, quæ licèt per additionem pabuli, euadat maior, semper tamen retinet eandem figuram pyramidalem; quid simile videre est in crystallo & alijs gemmis atque lapidibus.

Dices: si augmentatio fieret ex aliquo extrinseco aduenient, viuentia non nutrirentur perpetuò, quia non semper alimentur, sed solum statis temporibus. consequens est contra Aristotelem *lib. de somno & vigilia cap. primo* vbi ait; potentiam nutritiuam à sua operatione cessationem minimè suscipere: ergo &c. Respondeo negando sequelam. pro explicatione autem, & ad philosophi auctoritatem dico: vt perpetuò nutriantur viuentia, sufficere statis temporibus sumptum alimentum; quia hoc non statim à potentia nutritiua in substantiam alitæ conuertitur, sed paulatim, post varias præparationes, atque concoctiones, quas etiam quando animal non cibatur, potentia nutritiua operatur quemadmodum enim naturalis calor sine intermissione particulas aliquas humidi radicalis absumit; ita dicta potentia sine cessatione particulas humidi nutrimentitij in substantiam alitæ conuertat, necesse est quæ quandiu viuit animal nunquam alimento careat. quod constat ex eo, quia debet præditum esse sanguine, qui est humidum nutrimentale, & proximum alimentum nutritionis; quod si quædam animalia diu à cibo abstinuerunt, non ideo pro eo tempore cessarunt, nutrire se ipsa; lentissimè tamen id præstabant quia ex vna parte facultate nutritiuam valdè hebetem propter nativam frigiditatem habebant, ex alia verò ingenti humoris copia, quæ posset inseruire in pabulum, abundabant, & hinc est, vt fœminæ facilius toleraut inedium, quàm mares; sunt enim naturaliter frigidiores, & humidiores, contra verò mares calidiores, & sicciores.

Pro explicatione denique tertiæ conditionis dubitatur quomodo possit in augmentatione remanere idem numero viuens; cum certum sit in totius vitæ progressu per actimitatem naturalem caloris deperdi semper aliquid de priori substantiæ, & per potentiam nutritiuam aliquid substantiæ de nouo acquiri. pro resolutione autem sit

Quarta conclusio: quando dicitur, quod ante, & post augmentationem remanere debet idem numero vnum: hoc non est intelligendum de iden-

Digitized by Google

identitate numerica phyſicè ſpectata, ſed ſolum moraliter, quatenus per eam ſucceſſiuè & inſenſibiliter per longum tempus acquirit partes eiuſdem rationis cum illis, quæ tunc habet, & quas per actionem natiui caloris deperdidit. hæc concluſio eſt primò contra Albertum, Philoponum, Burleum, Pomponatium, Zabarellam, Henricum, Durandum, & alios locis citatis ab Auerſa to. 2. *quæſt.* 50. *ſect.* 4. qui dicunt in augmentatione remanere idem numero viuens, quia licèt partes corporis ſucceſſiuè varientur: ſemper tamen eius anima eadem numero remanet. Secundò eſt etiam contra Alexandrum apud Auerroem *primo de generatione comment.* 38. & alios, qui ſuppoſuunt in viuente dari partes duplicis rationis, & quaſdam dici primigenias, ſeù ſpermatiuas, quas nimirum viuens initio ſui ortus à generante recepit; alias verò aduentitias, ſeu nutrimentales, quas videlicet per nutritionem ſibi comparauit; quo poſito, dicunt: poſt nutritionem viuens ſemper remanere idem numero phiſicè, qod erat antea, quo ad partes primigenias: & ſolum quo ad partes aduentitias uariationem pati. & hoc ſufficere adueriſicandam ſententiam Ariſtotelis.

38 Probatur autem noſtra aſſertio primò, quia ſi viuens remanere debet ante, & poſt augmentationem idem numero phyſicè, uel ratione eiuſdem numero formæ, uel ratione earundem numero partium primigeniarum remanere deberet idem numero; ſed utrumque eſt falſum; ergo dicendum eſt, quod *remanere ſolum* debeat *idem numero moraliter*, *modo dicto*. *maior patet*; non enim poteſt *concipi alia phyſica identitas numerica*, quæ ualeat remanere. *minor* probatur primò quo ad priorem partem: quia *omnis anima*, præter rationalem, *eſt materialis*, & diuiſibilis. ergo eius partes defluunt una cum materia viuentis, quæ per actionem contrariorum abſumitur; cum hac tamen differentia, quod partes animæ in defluxu illo corrumpantur, partes verò materiæ incorruptibiles perſeuerent ſub alia forma ſubſtantiali. falſum eſt igitur, quod remaneat viuens idem numero phyſicè, ratione animæ eiuſdem numero phyſicè perſeuerantis. quo ad uerò poſteriorem partem eadem minor ſuadetur ex eo, quia partes primigeniæ ſunt eiuſdem rationis cum aduentitijs, quas per nutritionem ſibi viuens acquirit, ut patet ex oſſe hominis V. G. non enim eſt aſſignabilis diuerſitas ulla inter partes, quas habuit ab *initio*, & eas *quas* procedente tempore ſibi *comparauit*. *quemadmodum igitur hæ poſteriores non* poſſunt perpetuò actiuitati caloris naturalis, & extrinſecorum agentium reſiſtere: ita neque *illæ*. alioquin eſſent incorruptibiles, atque adeo ſi viuens nullas partes aduentitias ſibi aſciſceret, non eſſet, cur aliquando deberet corrumpi.

39 Neque dicas, corruptionem partium aduentitiarum, & perpetuitatem primigeniarum procedere ex eo, quia ex una parte nativus calor non poteſt utraſque ſimul depaſcere; ex alia verò ſeper aduentitiæ ſunt imbecilliores & minus reſiſtentes, quam primigeniæ. Contra enim eſt, quia non poteſt aſſignari, unde nam hæc maior imbecillitas ad reſiſtendum in partibus aduentitijs oriatur. quamuis enim concedamus animam in eas introduci poſſe, etiam ſi careant diſpoſitionibus in ea intentione, quam illa requirit, ut in ſuo ſtatu perfectò, quam naturaliter exigit, conſtituta ſit: nihilominus non eſt, cur poſt quam introducta eſt, huiuſmodi diſpoſitiones per ſe ipſam, ad debitum temperamentum non perducat, ſicuti ſæpè facit caſu, quo partes primigeniæ actione contrariorum à debito primarum qualitatum temperamento ceciderunt, ſed hoc poſito etiam eſſent æque robuſtiores, ac ualentiores ad reſiſtendum, ac primigeniæ. ergo &c.

Probatur ſecundò eadem aſſertio: illam identitatem debemus concedere viuenti ante, & poſt augmentationem, quæ ſtat cum deperditione plurium partium antiquarum ſubſtantiæ propriæ & cum acquiſitione plurium nouarum eiuſdem ſubſtantiæ, ſed cum his non poteſt conſiſtere identitas phyſica, ſed ſolum moralis. ergo ſolam moralem identitatem ante, & poſt augmentationem debemus concedere viuenti. maior patet: & minor ſuadetur, quia identitas numerica phyſicè ſumpta, conſiſtit in entitate rei omnino inuariata, & immutata quo ad ſuum eſſe reale phyſicum, cuiuſmodi eſt illa quæ eſt inter ſubſtantiã, quam hodie habet Michael, & eam quam idem habuit quando primo creatus eſt à Deo; nec non etiam illa, quæ eſt inter cælum, poſito quod ſit incorruptibile, ab initio productum, & illud, quod hodie exiſtit, quod, ne quidem quo ad minimã ſui partem, corruptionem vllam eſt aliquando paſſum; atqui huiuſmodi identitas in viuente conſiſtere nequit, vt patet, cum deperditione antiquarum, & acquiſitione nouarum partium; benè tamen conſiſtere valet moralis, quæ poſita eſt in communi iudicio prudentum, qui ex eo, quod, comparando viuens, quod eſt hodie, cum illo, quod eſt cras; & illud quod eſt cras, cum eo, quod eſt poſtridie; & ſic deinceps, nullam ſenſibilem mutationem animaduertant: prudenter iudicent, quod ſit ſemper idem, & ſolum quo ad partes aliquas varietur. quidquid ſit de cætero, ſi procedente tempore nulla ex partibus primigenijs in eo remaneat; ſed omnes, quibus conſtat, ſint aduentitiæ. 40

Dices: ergo ſi Deus miraculosè conuerteret vnum lignum in aliud ſimile: prius dicetur idem numero moraliter cum poſteriori, in quod conuerſum eſt. probatur conſequentia, quia hæc mutatio eſt ab hominibus imperceptibilis. Reſpondeo negando conſequentiam, & ad probationem in contrarium dico: non quancumque conuerſionem imperceptibilem ſufficere ad numericam identitatem moralem, de qua loquimur, ſed requiri præterea, quod corruptio vnius, & productio alterius non ſit ſimultanea, neque breui tempore facta, ſed per multum temporis tractum, modò ſecundum vnam particulam, modò ſecundam aliam imperceptibiliter: item neceſſe eſt, vt partes de nouo acquiſitæ ſint eiuſdem ſpeciei cum deperditis, eiſque coniunctæ: quare ſi canis inſenſibiliter loco partium carnis oſſis &c. vi caloris naturalis deperditarum, partes lapideas ſibi produceret, atque vniret; hic non diceretur nutriri, eo quod poſt nutritionem non eſſet idem numero moraliter, qui antea fuerat ratione partium de nouo acquiſitarum, diuerſarum ab his quas antea habebat. 41

SE-

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Percurruntur quæstiones aliquot de alimento.

41 TRiplex viuentis alimentũ distingui solet, primum dicitur remotum, cuiusmodi sunt quatuor vulgata elementa, ex quibus, cum constemus, etiam aliquo modo nutriamur, oportet. Secundum appello mediũ, cuiusmodi sunt mixta ex elementis constantia, quæ in substantiã aliti post multas cõcoctiones cõuerti possunt. Tertiũ nomino proximum, & est illud, quod tales acquisiuit dispositiones, vt immediatè in substantiam viuentis transmutetur. nos autem inpræsentia de alimento in secunda acceptione considerato, agimus, quod dicitur absolutè alimentum, & est materia, circa quam potentia nutritiua & quantificatiua potissimum occupantur, vt suum opificium elaborent; de eo autem.

43 Quærimus primò quid illud sit? Respondeo rectè describi: esse mixtũ in viuentis substantiam, ab eodem viuente conuertibile. dicitur primò (mixtum) per quam particulã excludimus primò res omnes spirituales, quæ, cum alterari nequeant, implicat posse nutrire viuentia. alimentum enim debet esse alterabile, atque adeò corporeum: excluduntur secundò omnia accidentia corporea, eo quod nequeant per sui exhibitionem, atque coniunctionem viuentis substantiam maiorem reddere; quod si ex accidentibus eucharisticis experimur nos nutriri: id tribuendum est diuinæ omnipotentiæ, quæ ad occultandum hoc Fidei mysterium, miraculosè facit, vt statim ac quantitas eucharistica deperdit accidentia propria panis, & vini per introductionem aliorum alteri substantiæ debitorum, incipiat informare materiam primam, quæ tunc de nouo à Deo immediatè producitur; vnde non est mirum, si causæ naturales in eodem instanti reali introducere ualeant in eadem materia formam substantialem, quam illæ dispositiones exigunt. excludũtur denique tertiò pura elementa, quæ, tum propter excessum primarum qualitatum, quem habent supra primas qualitates viuentium; tum propter suam homogeneitatem sunt inepta ad alenda viuentia: vt enim alimentum in substantiam aliti conuertatur, debet non solum posse superari ab actiuitate ipsius aliti, sed etiam esse heterogeneum; sicuti est viuens, quod simu secundùm omnes sui partes heterogeneas ali debet, quod si plantæ aqua terræ permixta nutriuntur, ideo est, quia ex puris elementis in minutissimas partes redactis, & inuicem alteratis, fit mixtum quoddam imperfectũ eorum formas substantiales retinens. vnde in hoc etiam casu verificatur, quod alimentum sit corpus mixtum, sicuti etiam in reliquis similibus. nam si verum est, quod talpa sola terra vtitur in cibum, & quidam pisces sola aqua, & Cameleon solo aere: hoc intelligendum est de terrra, aqua, & aere multum alteratis, & alienis corporibus permixtis, ita vt verificetur de illis, quod sint mixta imperfecta, & non pura elementa. quod verò attinet ad id, quod dicitur de quibusdam Indis, qui circa gangem habitant, quod solo pomorum odore pascantur; putarem, esse fabulosum.

44 Dicitur secundò (conuersibile in viuentis substantiam) per quod notatur, alimentum comparari debere ad potentiam vitalem, tanquam passiuum ad suum actiuum proportionatum, hoc est taliter, vt possit eius resistentia formalis & resistentia actiua viuentis superari; & sic in sui substantiam conuerti; & hinc fit, vt neque lapides, neque metalla, neque denique pura elementa, vti modo dixi, esse possint alimenta viuentium; inde etiam oritur, vt quo maiorem affinitatem, & similitudinem habet alimentum cum viuente eo sit aptius ad nutriendum illud, eo quod minorem difficultatem debet superare viuens, vt illud in propriam substantiam conuertat.

45 Dicitur denique tertiò (ab eodem viuente conuertibile) per quam particulam explicamus alimentum debere respectiuè sumi in ordine ad viuentia nutrienda: non enim hoc ipso, quod aliquod corpus est ab vno viuente in suam substãtiam conuertibile, habet rationem alimenti respectu alterius, à quo conuerti nequit, sed solum respectu illius, à cuius potentia vitali concoqui, & transmutari potest. hoc modo explicata alimenti definitione, quod sit rectè tradita: probatur ex eo, quia per eam rectè alimenti medij natura innotescit, & conuenit omni, & soli alimento, vt de se patet.

46 Quæres secundò, in quem finem datum est à natura viuentibus alimentum?

Respondeo, in triplicem; Primò, vt ad perfectam magnitudinem tum substantialem, tum quantitatiuam perueniant: secundo, vt resarciantur damna ab exterinsecis agentibus sibi illata: Tertiò denique, vt natiuus calor, hoc est partes substantiales calidissimæ, quæ sunt in viuentibus, habeat in quod suam vim actiuam occupet, alioquin eam applicaret ad depascendum humidum radicale viuentis, hoc est partes substantiales humidiores, & frigidiores maximè corruptibiles, ad quarum corruptionem viuens ipsum corrumpi necesse est, quia sine illis suas vitales operationes nullatenus exercere valet.

47 Et quidem quod pertinet ad duos præcedentes fines, non est dubium, quin sit necessarium viuentibus alimentum. verum autem ob tertium assignatum: negat Hurtadus *disput. 1. de anima sect. 10. sub sect. 3.* eo quod putat, non posse vnam partem viuentis destructionem alterius compartis machinari; quin simul machinetur sibi destructionem. nam destructa illa comparte, totum quoque destruatur, necesse est, quod destructionẽ omnium partium secum necessariò trahit: quare vna pars non potest ad interitum alterius inclinare, absque eo quod etiam inclinet ad interitũ sui; quod sine maxima naturæ deordinatione intelligi nequit.

48 Sed contraria sententia est communis, quæ suadetur primò à posteriori: experientia enim constat, animal indigere respiratione ad superfluum cordis ardorem attemperandum; sicuti etiam cibo ad sedandam famem, quæ, cum supponatur esse in homine debitam magnitudinem consequto, non potest dici, quod proueniat ex exigentia augmentationis, & multo minus ad reparandum dan-

Digitized by Google

damnum ab externis agentibus passum, quia potuit contingere, quod ante paucos dies fuerit homo minus corpulentus, & minus pinguis, & tamen tunc non famescebat, & postea famescat, quare illa fames non potest imputari iacturæ, quam passus est.

54 Suadetur secundò à priori id, quod dicimus; quia inter partes viuentis reperiuntur omnia necessaria ad actionem, & reactionem mutuam. ergo non est cur inuicem non possint agere, & pati; consequentia est certa: antecedens verò probatur, quia ex vna parte sunt contrarijs qualitatibus actiuis præditæ: quarum vna superare valeat virtutem resistitiuam alterius: ex altera verò sunt debitè applicatæ ad agendum inuicem, & patiendum. ergo non est quid desideretur vt inuicem agant; identitatem enim formæ substantialis inter agens, & passum consistere posse, patet quoties nos manū frigidā calidæ applicamus; experimur enim aliquid frigiditatis in calidam, & aliquid caloris in frigidam de nouo introduci.

55 Dicet primò Hurtadus, excessum, quem habet vna pars heterogenea viuentis respectu alterius sibi immediatè, semper esse valdè exiguum, atque adeò insufficientem vt inuicem agant, & ob hoc nullam posse agere in aliam, & nullam ab alia pati.

56 Sed contra est primò, quia experientia constat inter partes valdè propinquas dari notabilē heterogeneitatem in primis qualitatibus; caro enim, licèt ossibus proxima, est notabiliter humida, è contrario verò ossa notabiliter ficca. Contra etiam est secundò, quia dato quod partes viciniores ob exiguum excessum virtutis actiuę, quem vna supra aliam habet, se solis non possint inuicem agere: at quatenus faciunt vnum in ratione actiui cum partibus remotioribus notabilem excessum habentibus, non est cur vna cum illis non possit conera viciniorem bellare, eiusque temperamentum labefactare.

57 Dicet secundò, quod licèt hoc possit fieri: quia tamen quęlibet pars vltra proprium temperamentum in ordine ad se sufficientem: habet aliquem excessum, quem sine sui destructione amittere potest in pugna vicina: ideò non indiget viuens alimento, ad impediendam hanc pugnam.

58 Sed contra est primò, quia hoc non videtur naturaliter contingere posse: fac enim vt proprium temperamentum partis proximę parti calidissimę exigat V.G. quinque gradus caloris, & tres frigoris, si habet aliquem excessum in qualitate, quem sine sui destructione amittere possit, constitet procul dubio in hoc, quod habeat quartum gradum frigoris, ergo iam carebit quinto gradu caloris, & sic erit proprio temperamento destituta, & præter statum naturalem; imò etiā in violento existet. Contra etiam est secundò, quia destructo illo excessu adhuc partes remanent hererogeneæ, & cum sufficienti contrarietate ad pugnandum. ergo adhuc debent agere, & pati ad inuicem. stet ergo non solum alimentum esse necessarium, vt viuens ad perfectum statum perducatur & reparet damna ab extrinsecis agentibus passa, sed etiam vt natiuus calor habeat pabulum, in quo consumendo occupetur, ne in humidum radicale suas vires conuertat, & sic enecet ipsum viuens.

Ad rationem autem in contrarium initio ab Hurtado allatā dicendū, quod quāuis sit absurdū, quod aliquod agens per se directè sibi interitum machinetur, quia naturalē constitutionē inordinatā haberet; quatenus omne ad sui conseruationē naturaliter inclinare debet: at nullū est absurdū si per accidens, & indirectè sibi destructionem moliatur, ad eū planè modum, quo paruus ignis suppositus ingēti massæ ferri, quæ funè suspensa est, dū funem incēdit est, causa vt massa illa ferri magno impetu super se descēdens, ipsū extinguat. 59

Quæres tertiò: quot sunt concoctiones necessariæ ad præparādū alimētū, ante quā sub forma aliti constituatur; ipsumque nutriat? 60

Respondeo esse omnino tres; suppositā enim cibi præparatione, quæ fit in ore, vbi linguæ ministerio subijcitur dētibus, vt cōminuatur ab illis, ac saliuę commixtione redditur lubricū, vt deglutiatur; statim ac ex ore per esophagū mittitur in vētriculū, incipit ibi primā cōcoctionē pati, in fine cuius cōuertitur in substātiā quādā fluidā, & albā, quæ dicitur chylus. hac prima cōcoctione peracta, chylus ad intestina transmittitur, quorū lōgitudo septies lōgitudinē humani corporis regulariter cōtinet, & sunt instar canaliū, per quos chylus fluens maximè repurgatur. in duas autem partes cōmodè diuidūtur, in quarū priori, vētriculo proxima, fit chyli repurgatio: in posteriori verò podici viciniori residunt excremēta, vt suo tēpore egerātur; in fine prioris partis intestinorū quædā habētur subtilissimę venæ, quæ lacteæ appellātur, per quas chylus iā defecatus transmittitur in iecur, quod est mēbrū quoddā venosum, & valdè calidū instar sāguineæ cuiusdā massæ multo sūguine refertū; in hoc conceptaculo fit secūda cōcoctio, ex qua chylus magis repurgatur, & primò separatur à partibus crassioribus, & terrestrioribus, quæ subsidunt, necnon etiā à subtilioribus & leuioribus, quæ instar spumæ supernatant; & quidē illæ terrestriores descēdunt in lienē, ibiq; in atrabilē, seu melancholiā cōuertūtur. leuiores verò ad vexicā fellis deferūtur, quæ hæpati adhæret, & mutātur in fellē: deinde chylus sic defecatus, vi caloris ipsius hepatis maximè incalescit; vnde albedinē in ruborē cōuertit, & iuxta sentētiā Aristotelis ascēdit in cor, vbi mutatur in sāguine, & inde per venas totū irrigat corpus. verū, quod hæc mutatio chyli in sanguinē fiat in corde & non in hepate, negatur à Medicis, & Anatomicis, asserentibus, omnes venas originē ab hepate trahere, & aliquas ex eis non pertingere ad cor; ex quo deducunt sāguinē, qui per dictas venas illabitur, nō generari in ipso corde. sed ad hoc rēspōderi facilè potest pro Aristotele: fortasse dictū humorem non indigere maiori perfectione, ea, quam in iecure consequutus est; contra verò reliquum; sed quid quid sit de hoc.

Constat autem post secundam concoctionem sanguinem transmitti per venas, quarum duæ præcipuæ sunt veluti duo magna flumina, quæ totū irrigant corpus; quarū altera dicitur porta: altera verò cana, Hæ in progressu in minores, ac minores venas diuiduntur, & tandem in alias desinunt, quas propter subtilitatem, quam habēt maximam, Anatomistæ capillares appellant. 61

Digitized by Google

in his venis sanguis, post quam per tot circuitus & anfractus ab omni ferè feculenta permixtione secretus est, tertiam concoctionem obtinet, ratione cuius adhuc amplius perficitur, & defecatur ex quibusdam partibus pituitosis, & excrementitijs, quæ vel per poros in sudores exeunt, vel conuertuntur in pilos; & demum ex venis capillaribus sanguis in membrorum poros se veluti quidam ros descendit, in quos receptus, vi actiuitatis ipsorum membrorum in eorum substantiam conuertitur; Quod si inter sanguinem in extremitatibus venarum capillarium existentem, & vltimam conuersionem in substantiam, aliti ostendunt medici, tres alias concoctiones intercedere, quarum prima transfert sanguinem in humorem quendam aqueum, quem rorem appellant; secunda mutat rorem in cambium, qui est humor quidam crassior, & parti nutriendæ similior, tertia denique ipsum cambium in gluten, quatenus poro, in quem recipitur, tenaciter adhæresceret, ne foras exeat; vel dicendum est, has nō esse substantiales mutationes, sicuti illas tres, quas nos enumerauimus; vel si omnes hæ à nobis enumeratæ, substantiales sunt, quemadmodum aliqui non omnino improbabiliter censent, dicēdum: nos cum animasticis loquutos esse solum de concoctionibus pro vt sentibiles mutationes, alimento afferunt, siue ex substantiales hæ, siue non; tales autem esse tres à nobis assignatas, non verò reliquas posteriores adductas ab alijs, & ideò has à nobis minimè consideratas.

63 Quæres denique quarēò: an viuens, eo ipso, quod nutritur, debeat necessariò naturaliter mori.

Respondeo, & dico primò, propositam quæstionem non debere intelligi ita, vt æquiualeat negatiuæ, quasi verò, si non egeret nutrimento, viuens esset immortale, quia licèt ex carentia indigentiæ alimenti deduceretur, quod partes heterogeneæ corporis viuentis inuicem non pugnarent, atque adeò quod ab intrinseco viuens non haberet, vnde mortem timere posset: absolutè tamen adhuc esset naturaliter mortale, quia adhuc ab extrinsecis causis posset occidi, vt ferro V. G. igne, feris, niue, & similibus. Dico secundò: quæstionem intelligendam quidem esse sicuti sonat, videlicèt affirmatiuè, sed non in tota sua latitudine, quia certum etiam est, quod hoc ipso, quod viuens nutritur, signum est quod calor naturalis humidum radicale deposcere valeat, ad quod impediendum natura instituit alimentum, vt in illud vires suas occupet; hoc autē posito, repugnat, quod calor ita occuperetur totaliter in absumendo alimentum, quin etiam aliquantulum non agat in humidum, & sic paulatim illud absumendo, viuentis vitam interrumpat, quare ex hoc etiam capite constat, quod hoc ipso, quod viuens nutriatur, naturaliter mori debet. Adde quod non totum alimentum in substantiam aliti conuerti potest, quare ex qualibet concoctione multa remaneant excrementa, necesse est, quæ cum non possit totaliter virtus expultrix foras eijcere, necesse est vt in corpore retenta putrefiant, & sic suis morbidis qualitatibus infectum viuens moriatur. Dico denique tertiò, vt *proposita quæstio* difficultatem faciat, sumendam esse strictè *in* sensu præciso, considerata tantum ratione nutritionis vt sic; ita vt sensus sit, quod licèt viuens non timeret mortem, neque ex insensibili pugna, qua paulatim calor naturalis vires humidi radicalis labefactat, neque ex actiuitate excrementorum, neque ab extrinsecis causis, quæ noxias qualitates in eo producerent, num præcisè ex eo, quod nutriatur esset naturaliter moriturus, & quidem communis sententia, quam sequitur Quiedus *controu. 3. de generat. punct. 6.* est affirmatiua; & ratio, quam ipse *num. 6.* adducit est huiusmodi: omne alimentum conuertendum est à viuente in propriam substantiam; ergo habet contrarias qualitates, quibus reagit in ipsum viuens, eius temperamentum paulatim debilitando, progressu igitur temporis viuentis vires penitus prosternet, & sic illud enecabit.

64 Sed contraria sententia videtur probabilior, quam tenet Arriaga *disput. 2. de generat. sect. 5. subsect 4.* probatur: quia licèt, si alimentum esset semper eiusdem rationis, vera esset Quiedi sententia: id tamen non necesse est. quare ex suppositione, quod homo ciborum temperamenta perfectè nosceret, necnon etiam quale, & quātum damni ab externa nutritione V. G. in suis qualitatibus passus sit, posset vtique hodie alio cibo recuperare, quod amisit, & rursus si quid damni ab hodierno cibo accepit, cras contrario cibo illud emendare, profectò qui hanc regulam semper seruaret, vtique suas qualitates in ea intensione, quam nosset ad suam salutem esse necessariam, perpetuò conseruaret. ergo viuens, ex eo præcisè, quod nutriretur, non deberet necessario mori.

65 Ad hoc respondet Quiedus, quod homo aliquando perueniat necesse est ad statum, in quo damna ab alimento accepta resarcire non valeat; quod probat ex eo, quia sicuti quando homo est in statu, non possunt eius vires ab alimento augeri; ita quando incipit à statu declinare, non possunt ab eodem alimento ad statum, in quo erant adamussim perduci, & in integrum reparari, eo quod licèt posterius alimentum, sit magis proficuum, quam prius nociuum fuerit; viuens tamen caret viribus vtendi virtute dicti alimenti ad id, quod amiserat, resarciendum.

66 Sed contra est; quia, licèt homo ex suis intrinsecis habeat crescere, & ad statum suum peruenire: tamen à dicto statu cadere, nisi ex violenta contrariorum oppugnatione non potest. facinus enim aliquem in statu positum, neque ab extrinseca corporum naturalium infestatione, neque ab intrinseca pugna partium heterogenearum, neque ab alimentorum ratione diuexari; his profectò non haberet, quod illum, à consistentia sui status deijciendo, vires suas labefactaret; ergo si post quam ad statum peruenit, posset defacto detrimentum, quod ex actiuitate alimenti in suo temperamento patitur, identidem reparare: profecto, quantum est ex vi nutritionis, semper in eodem statu permaneret; quia haberet vnde statim iacturā, quā ex cibi sumptione feciſſet, resarcire valeret.

67 Confirmatur id, quod dicimus, exēplo fructus ligni vitæ in paradiso voluptatis plantati, qui naturalem virtutem habebat vitam hominis perpetuò conseruandi, & impediendi mortem

à cau-

Digitized by Google

à causis saltem merè naturalibus prouenientem; ergo non est cur alijs cibis nō posset vita in perpetuum prorogari; & impedirumors, quæ præcisè à refactione alimentorum causari debet.

69 Quidus *num. 5.* inconsequentiæ hanc confirmationem damnat; cum enim dixerimus: mortem, quam alimentum homini machinatur, non nisi diuersificatè ciborum euitari posse; per necessariam consequentiam deduci videtur, quod si homo semper eodem fructu arboris vitæ, & nullo alio cibo vsus fuisset, mori aliquando debuisset; & ideo hic auctor potius dicendum putat: vtilitatem illam virtutem non fuisse ei fructui naturaliter debitam, sed supernaturaliter concessam à Deo, sicuti concessus fuerat homini innocentiæ status.

70 Sed contra est primò: quia si possumus saluare illam virtutem fuisse arbori naturalem, nè multiplicaremus miracula, vtique deberemus; sed possumus, vt benè probat Molina *prima parte de operibus sex dierum disput. 26.* & alij; quatenus nihil in contrarium assignari potest repugnās: ergo debemus, quo posito. Cōtra est secundò, quia hoc exemplum adductum est à nobis ad ostendendam naturam humanam posse in suo statu perpetuo conseruari, si habeat vnde deperdita, quæ ex cōtrariorum actione patitur, valeat reparare: ergo nō exigit in omnibus patiatam. quamuis ergo in

a- statu naturæ lapsæ pluralitate ciborum huiusmodi finem consequi possemus, in illo verò innocentiæ vnico fructu arboris vitæ non inconsequentes paritas ex huiusmodi fructu adducta est. Contra denique tertiò, quia falsò supponit Quidus homines in illo statu solo illo fructu fuisse nutriendum: habebat enim innumeros alios ad hunc finem à Deo creatos; sibique gratios. Imo rectè dici potest fructum vitæ habuisse potius naturam medicamenti, quam nutrimenti, reducendo homines ad suam perfectam humanam temperiem, à qua vsq; aliorum fructuum aliqualiter dimotus fuerat. quare quemadmodum hic vnico fructu vitæ iactura infallibiliter reparabat, ita nunc posset naturale ciborum eadem infallibilitate similem iacturam resarcire, si nosset, in quanam qualitate passus sit detrimentum, & quinam ciborum pollent facultate eam reparandi: sicuti defuncto potest medicus, remedijs adhibitis, grauitudines à cibis natis expellere, & hominem ex portis mortis ad vitam eandem deducere.

Denique patet responsio. Ad rationem dubitandi

71 in contrarium. Quidus allatam alimentum efficere in ipsum viuens, quemadmodum eius debita vires, quas in debita temperie persistentes reperit, sita quando alteratas atque debilitatas immutatas est salubribus qualitatibus præditum, ex regressu confoueret; quod idem dicendum in medicamentorum usu experimur, ea enim si in corpus morbo sibi contrario affectum incidunt, sunt profutura ægroto: si autem non reperiant in ea materiam, circa quam activitatem suam exerceant, ad illud oppugnandum, ac destruendum conuertuntur.

SECTIO QUINTA.

De Potentia generatiua vitali.

POtentia generatiua vitalis dupliciter sumi 72
potest: primò in ordine ad suum actum completum, seu mediatum: secundò in ordine ad actum suum incompletum, seu immediatum. Sumpta primò modo rectè describitur: facultas, ex qua procedit viuens à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ; cuius descriptionis explicatio legi potest in primo de generatione, vbi eam dilucidauimus. Secundo nero modo accepta definiri rectè potest facultas immediatè formatiua seminis; quod se habet vt instrumentum separatum, quo mediante habetur, processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ; & hinc fit, vt duplex generatiua potentia distingui possit: altera; quæ est in ipso viuente, & in elaborando semine occupatur: altera verò in ipso semine, quatenus est instrumentum separatum, quo mediante viuens generationem substantialem viuentis sibi similis attingit, porrò nos in præsentia agimus solum de priori; nam posterior est instrumentalis, & subordinata priori.

De ea autem quæri possunt plura; & primò 73
quidem: vtrum omnibus viuentibus competat, ad quod. Respondeo negatiuè: ratio est, quia dantur aliqua viuentia, siuè sint plantæ, siuè animalia, adeò imperfecta, vt non habeant à natura vim elaborandi semen, sed solum ex mixtione elementorum, vel concursu accidentali causarum merè naturalium, vel ex putri materia generentur, quod cōfirmatur ex Aristotele *sect. 10. problematum qu. 25.* vbi dit: quædam animalia solum ex putri materia generari, & *quæst. 64.* quædam alia ex semine, tantum, alia denique vtroque modo; aliquando per propagationem, aliquando verò ex putrefactione. idem docuit Theophrastus *lib. 2. de plantis cap. 1.* dicens quod plantarum, & animalium quædam ex suis similibus tantum gignuntur, & hæc indigent semine: alia solum per naturales causas, absque semine à simili causa deciso: quædam verò alia vtroque modo. Verum his auctoritatibus (vt ijs obiter aduertam,) aduersantur nonnulli, existimantes animalia quæ gignuntur ex putri, quamuis in omnibus appareant similia ijs, quæ ex semine procreantur: differre tamen specie ab illis, quod confirmatur ex eo, quia quæ gignuntur ex putri, non habent vim generandi similia sui, vt docuit docere Aristoteles *primo de generat. animal. cap. 1.* attamen oppositum tenet *lib. 7. metaphysicæ. 6.* & rectè; quamuis enim demus ea, quæ gignuntur ex putri, non posse sibi similia procreare, non tamen rectè inde deducitur ea differre specie 21
ab alijs, quibus in reliquis similia apparent; potest enim rectè sustineri illam impotentiam esse sterilitatem quandam orcam ex imperfectione, quam ex sua generatione contraxerunt, quæ si esset sufficiens ad diuersitatem specificam inducendam: homines siuè mares, siuè fœminæ sterriles, censendi essent differre specie ab alijs, quod nemo dixerit.

Digitized by Google

74 Queres secundò: an quædam viuentia saltem perfectiora non possint, nisi ex semine aliorum viuentium sibi similium generari?

Respondeo nonnullos existimasse non dari viuens ita perfectum, vt non possit ex dissimilibus causis produci; adeò vt Diodorus siculus *lib. 1. cap. 2.* referat quorundam opinionem, asserentium primos homines sponte è terra in Aegypto editos fuisse; & Auicenna *lib. 15. de animal. cap. 1.* sentire videatur, quod si omne genus humanum periret, posset nouus homo sponte vi actiuorū generari quin etiam Michael Maierus *lib. de vitucro arboreo cap. 12.* plures de facto homines è terra editos esse narrat: verum huiusmodi narrationes non solum fabulosas, sed etiam erroneas esse, constat ex Actorum 7. vbi Paulus in Areopago de Deo loquens hæc habet: facitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ. quod non esset verum si alij homines non ex Adamo, sed ex terra immediatè, processissent; quamuis enim, vt aduerti Gaspar Sanctius in dictum locum, illud (ex vno) videri posset alicui significare omnes homines à Deo fuisse creatos: huius tamen expositionis falsitas aperte conuincitur ex textu Græco: vbi legitur ex vno sanguine; sanguinem enim sæpè pro semine sumi indubitatum est. quod verò neque de possibili naturaliter contingere possit, vt homo aliter quā ex homine procreetur, patet tum à posteriori, quia per tot annorum secula nunquam contigit; à priori verò sic suadetur perfectio diuinæ vitæ consistit in eo, quod sit à se. & vi sua, non verò ab alio. sed hæc perfectio licèt non potuerit communicari alicui creaturæ in individuo, quia omne individuum creatum hoc ipso quod est, ab alio productum: sit necesse est; at potuit communicari alicui speciei creatæ aliqualiter; videlicèt quod posito, quod vnus individuum fuerit à Deo initio creatum, vi sua, & non alterius causæ secundæ exigat propagari in alijs individuis; non est igitur cur dicamus speciem hominum non habere hanc perfectionem; vt non possit eō naturaliter, nisi à similibus propagari; & quidē hæc ratio videtur fundamentum habere in Aristotele *secundo de anima text. 35.* vbi sic: quoniam igitur communicare non possunt ipso semper, & diuino, continuatione, propterea quod nihil contingit corruptibilium idem, & vnum numero permanere: secundum quod potest participare vnum quodque, sic communicat; & permanet, non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum. hæc Aristoteles: cum igitur natura humana participare possit diuinum esse quod ad sempiternam durationem modò dicto, non est cur negemus eam communicare hoc modo eum eodem esse.

75 Quin imo valdè probabile est, non solum naturam humanam huiusmodi perfectione præditam esse, sed etiam reliquas naturas animalium perfectorum Leonis V.G. equi, bouis, & similium quamuis enim hoc non sit ita certum, tamen à posteriori facilè colligi potest, nunquam enim vidimus equum, Leonem &c. huiusmodi nisi ex suis similibus per vitalem generationem productos esse; & quamuis aliqui opposuerint de huiusmodi brutis suspicati sint, propterea quod in insulis remotissimis, & in medio Oceano existentibus passim inuenianter, nec appareat quomodo ex alijs terræ regionibus illuc venerint; siquidem neque potuerunt apellere per se ipsa propter immensitatem Oceani; neque ministerio hominum nauibus illuc confluentium, quia sunt terræ omnino desertæ sine vllo prorsus habitatore: at non ad hanc difficultatem. Respondet D. Augustinus *lib. 16. de Ciuit. cap. 7.* quod si dictæ ferę sponte sua nauigando propter Oceani immensitatem illuc minimè transierunt; at, vel ab hominibus nauigio delatæ fuerunt, venationis, aut ostentationis studio: vel Angelorum ministerio ex diuinæ prouidentiæ dispositione, vt verificaretur, quod omnis terra habitaretur; quod secūdum probabilius existimarem, habemus enim Zachariæ primò Angelos, quos misit Dominus, vt perambularent terram, respondisse Angelo, qui stabat inter myrteta, atque dixisse: perambulauimus terram: & ecce omnis terra habitatur. quod est manifestum argumentum illis Dominus mandasse curarent, vt omnis terra habitata esset; cum autem hoc non possit intelligi de habitatione facienda vbique ab hominibus, siquidem constat multas insulas, & ingentes terræ tractus esse eis inhabitabiles: concludendum videtur intelligi debere de habitatione facienda ab animalibus perfectis, siue demum ferę sint, siue homines

Queres tertiò: num poteris generatiua sit formalitas distincta à nutritiua; ita vt secundùm id, quod dicit in recto, sit præscindibilis ex parte obiecti ab illa? an verò solum distinguatur per modi obliqua, ita vt in recto sit vna eademque formalitas cum illa, sicuti est quantificatiua? 76

Respondeo esse formalitatem distinctam ex parte recti. probatur quia ad hoc vt duæ rationes realiter identificatæ censeantur formalitas ex parte recti esse distinctæ, sufficit, si appareant inter se separabiles, & habeant munia realiter diuersa; sed huiusmodi sunt potentiæ generatiua & nutritiua; ergo &c. maior patet: ob nullam enim aliam rationem dicimus animalitatem, & rationalitatem distingui formaliter ex parte recti, nisi quia videmus animalitatem existere in brutis sinè rationalitate, & esse principium sensationum; neutrum verò rationalitati competeret minor verò suadetur: quia nullum datur animal quod non sit sensitiuum, aliquo videlicèt sensu præsertim, tactus, præditum; at multa dantur quæ generatiua potentia careant, non solum in vno aut altero individuo, sed etiam in tota specie; præterea in his, in quibus vtraque potentia reperitur, distincta organa sibi vendicant, & potentia quidem generatiua est in testibus, vbi formatur semen: nutritiua verò per totum corpus diffusa, sibi etiam vendicant distinctos fines; quia nutritiua ordinatur ad idem individuum in quo est, perficiendum, & conseruandum: generatiua verò ad aliud simile producendum. 77

Tria tamen contra hanc sententiam videntur posse obiici. primò Aristoteles *secundo de anima text. 42.* vbi sic expressè habet: eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua: secundò, quia vtraque potentia respicit terminum, eiusdem speciei, in equo V.G. equum, in Leone Leonem, cum hac tamen differentia, quod nutritiua re-

Digitized by Google

respicit terminum partialem, generatiua verò totalem; constat autem eiusdem rationes esse totum & partem: quemadmodum igitur propter hoc dicimus, quod virtus, qua ignis producit ignem, à re distinctum, sit eadem formaliter cum illa, qua aggenerat sibi nouas partes, & maior euadit: sic etiam dicendum in viuente eandem formaliter esse facultatem generatiuam, & nutritiuam: tertiò denique, quia potentia generatiua habet elaborare semen, sed hoc nihil aliud est, quam sanguis magis excoctus: ergo potentia generatiua non differt à nutritiua, cuius etiam munus est formare sanguinem.

78 Sed nullum ex his habet soliditatem; ad primũ ergo dicendum: Aristotelem explicari primò posse, quod loquatur radicaliter, in quantum vtraque potentia, cum augmentatiua, tum generatiua in eadem essentia animæ vegetatiuæ radicantur; & sic in ea sunt vnum; vel secundò, quòd loquatur realiter, eo quod potentiæ animæ realiter non distinguantur, nomine cogitante, ab ipsa anima; atque adeò neque inter se. vel denique certiò quod id asserat propter magnam affinitatem, quæ inter veramque potentiam reperitur; nam sicuti potentia nutritiua importat facultatem in stomaco, transmutantem alimẽtum in chylum, & in hepate transmutandi chylum in sanguinem, & in corde transmutandi sanguinem in spiritus vitales, ac denique in cerebro facultatem conuertendi spiritus vitales in animales: sic potentia generatiua importat in testibus, qui ad formandum semen sunt instituti, virtutem transmutandi partem sanguinis in ipsum semen; cæterum si formaliter loquamur, non potest negari dictas potentias, secundùm id, quod dicunt in recto, distinguendas esse; & vnam ex parte obiecti beneficio intellectus ab alia posse præscindi.

79 Ad secundum distinguendum est antecedens: vtraque potentia respicit terminum eiusdem speciei, diuerso modo, concedo; eodem modo, nego antecedens, & consequentiam. porrò hæc diuersitas modi non consistit solum, quod nutritiua respiciat eundem terminum inæquatum, generatiua verò æquatum, sed quia illa per se tendit ad æqualem numero viuentis conseruationem; vnde illud essentialiter præsupponit, non solum ex parte efficientis, sed etiam ex parte termini: contra verò generatiua per se ordinatur ad alia viuentia numero distincta producenda: per quod patet disparitas inter ignem, & viuens per accidens enim est quod ignis ignem quem producit, sibi consimilem; eodem enim modo generat habens illum sibi consimilem beneficio agentis externi; vel supra suo loco notauimus. ad tertium denique dicendum: etiã si concedamus, semen aliud nihil esse, quam sanguinem magis excoctum: non bene deduci dictas potentias non esse formaliter in recto distinctas. fuisset enim ad eam sic distinguendas diuersitas finium, & diuersitas opificiorum vtriusque; vt autem hoc melius intelligatur.

Quæres quartò quid de formatione seminis sentiendum. 80

Respondeo semen definiri à Galeno: superfluum necessarium, quia licèt sit superfluum in iuuando, est tamen necessarium ad speciem, formari autem per hoc, quod statim, ac Chylus in hepate conuertitur in sanguinem, pars purissima sanguinis per quasdam subtilissimas venulas transmittitur in testes, virtute quorum magis concoquitur, & defecatur, ac tandem formatur in semen. quod si materia seminis dici solet excrementum vltimi alimenti, videlicèt sanguinis: non est, quia sit pars sanguinis magis feculenta, crassiorem materiam continens, sed quia, cum sit pars purissima, & defecatissima ipsius sanguinis, est ad nutriendum corpus animalis inepta. præterea ad naturam seminis animalium melius introspiciendam notarem animalia, quæ propagatione generantur, indigere duplici parente, mare scilicèt, & fœmina. vt enim rectè notauit Iustinus *lib. 44. Histor.* fabulosorum existimandum est quod Plinius *lib. 8. cap. 24* cum alijs scribit: equus videlicet in Lusitania sine mare, solo vento concipere. hoc enim ad exagerãdam equorum illius regionis velocitatẽ inuentum fuit. at verò id quod Aristoteles *6. de histor. animalium cap. 13* de quibusdam piscibus ait, non videtur impossibile. sic enim habet: pars piscium maxima coniungatur mare, & fœmina de rubelione, & hiasula ambigitur: omnes enim grauidæ capiuntur. dici enim potest omnes huiusmodi pisces vtroque sexu pollere, sicuti dicitur de aliquibus alijs terrestribus feris, & ideò, dum simul coeunt, vtrumque concipere. vtrum autem in solo mare: an verò etiam in fœmina potentia generatiua reperiatur: pendet ab ea quæstione, in qua quæritur, num fœmina ad generationem concurrat actiuè; præbendo vterum semen, an passiuè tantum, exhibendo solam materiam, quam mas per suum semen disponat, ac tandem efformet in animal; & quidem Aristoteles, quem sequuntur Peripatetici, negat fœminæ actiuum concursum. contra verò Hipocrates cũ alijs medicis communiter illis concedit; quod videtur mihi probabilius, si non ob aliud: saltẽ vt saluetur in Virgine vera significatio illius celeberrimi præconij, qua identidem Dei genitrix à fidelibus appellatur, cum enim nihil aliud sit generare, quam agere: & virgo nullo alio modo, quam subministrando materiam ad Christi generationem concurrisset: profectò non verè illud laudabile encomium Dei genetricis meretetur, quod multum derogat auctoritati Conciliorum, & ipsius Beatissimæ Virginis dignitati.

DI-

DISPVTATIO DECIMATERTIA

DE SPECIEBVS IMPRESSIS IN COMMVNI, & Primò de earum essentia.

1 PRIVS Quam, disputationes de potentijs animæ sensitiuæ, & rationalis aggrediar: operę pretium duco, de speciebus impressis habere sermonem, quæ cum sint qualitates quædam necessariæ ad hoc, vt omnes vel ferè omnes potentiæ cognoscitiuæ, tam materiales, quam spirituales, suas vitales operationes eliciant: nisi earum notitia præcedat, non potest de dictis potentijs disputari, quin sępius intermixtione plurium difficultatum, ex earum ignoratione prouenientium, digrediatur oratio; in præsentia verò de illis in genere agentes, earum essentiam in communi inuestigamus, supponentes existentiam pro modo, eo quod commodius de hac, quando agemus de illis in particulari, disceptabimus; interim noto eas vocari species, hoc est imagines, seù similitudines rerum cognoscendarum, eo quia potentias cognoscitiuas, ad earum repręsentationem, complent: apellari etiam impressas quatenus potentiæ cognoscitiuæ illas ab extrinseco sibi causatas acquirunt, ad differentiam expressarum, quæ sunt cognitiones, quas ipsę met vitaliter in se sibi producunt. dici denique intentionales, non quod irreales sint, sed quia sunt principium cognitionum, quæ cum tendant in sua obiecta, intensiones dici consueuerunt, quatenus sunt attentiones quædam animæ ad obiecta ordinatæ.

SECTIO PRIMA.

Quid sit species impressa.

2 SVppono breuiter falsam esse sententiam Democriti, & Epicuri existimantium, species esse corpuscula quædam substantialia dissilientia ab obiectis, & vsque ad potentias cognoscitiuas peruenientia, vt sic eas ad cognitiones eliciendas determinent: cum enim per totum aerem rerum sensibilium species sint diffusæ, & in qualibet aeris particula, quantumuis minima species omnium rerum, quæ circumstāt reperiantur: sequeretur huiusmodi corpuscula non solum cum ipso aere, sed etiam inter se penetrari, quod quam sit absurdum nemo non videt.

3 Hoc præsupposito, sit prima conclusio: species impressę sunt accidentia quædam de prædicamento qualitatis, & inhærent potentijs cognoscitiuis, quarum sunt species est communis.

4 Probatur autem facilè quo ad singula, & quidem quod sint accidentia, & non substantiæ patet ex dictis: & vlterius confirmatur ex eo, quia ad rectè exequenda omnia sua munia, satis illis est entitas accidentalis: ergo superfluè substantialis tribuitur. Aliunde vero nos scimus nullas alias spirituales substantias creatas dari, nisi Angelos, & animas rationales, sed species intelligibiles intellectuales, spirituales cum sint, neque sunt Angeli, neque animæ rationales, vt patet. ergo non sunt substantiæ. multo minus igitur erunt huiusmodi species sensibiles materiales. restat igitur vt sint accidentia. quod vero sint de genere qualitatis: probatur ex eo, quia non potest assignari in quo alio prædicamento collocandæ sint, vt patet per singula discurrenti: non enim reponi possunt in prædicamento quantitatis, aut relationis, aut actionis. &c. ergo non nisi in prædicamento qualitatis: quod denique intrinsecè inhæreant potentijs cognoscitiuis, quarum sunt species, suadetur, quia connaturalior est modus operandi cuiuscumque rei naturalis per principium intrinsecum, quam per extrinsecum, atqui species sè habent vt principia perficientia, atque complentia potentias cognoscitiuas in ordine ad suas cognitiones eliciendas, vti videbimus; ergo debent intrinsecè inhærere dictis potentijs. Confirmatur, quia species intelligibiles, vt potè spirituales, non possunt inhærere corpori, debent igitur de necessitate inhærere intellectui; cur ergo sensibiles non inhæreant sensibus, vel saltem organo, quod ab ipsis sensibus informatur?

5 Secunda conclusio: de essentia speciei impressę est, debere vna cum potentia cognoscitiua concurrere in genere causæ efficiētis ad actus vitales cognoscitiuos eliciendos: ita vt ex vtraque de necessitate resultet vnum adæquatum principium operatiuum dictorum actuum.

6 Probatur primò auctoritate: Aristoteles enim *tertio de anima tex. 38.* Necesse est, inquit, aut ipsas res, aut formas esse (scilicet ad cognitiones eliciendas) ipsas igitur non. non enim lapis in anima, sed forma. nomine autem formæ speciem intelligit. atqui non esset hæc necessaria ad cognitionem eliciendam, nisi deberet vna cum potentia effectiuè concurrere. ergo &c. Clarius August: *9. de Trinit. cap. 12.* siquidem, inquit, tenendum est, quod omnis res, quamcumque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab vtro-

vtroque enim notitia paritur à cognoscente, & cognito; hæc ille sed cognitum sæpè sæpius constat non concurrere per se ipsum. ergo per speciem impressam, quæ ideò dicitur vicaria obiecti, quia eius vices gerit in ordine ad cognitionem obiecti eliciendam.

7 Probatur secundò ratione: potentia cognoscitiua indiget specie impressa ad sua obiecta cognoscenda. sed non nisi vt comprincipium effectiuum cognitionum. de essentia igitur speciei impressæ est debere vna cum potentia efficienter concurrere ad actus cognoscitiuos. maior patet, quia non aliunde oritur in nobis impotentia, quam experimur percipiendi intuitiuè obiecta longè à nobis diffita, quæ aliàs non cognouimus. consequentia verò claret. Minor autem, in qua est difficultas, suadetur discurrendo per varia indigentiæ capita: non enim potest dici primò, quod potentia indigeat specie, vt concurrat in genere causæ materialis ad suas cognitiones recipiendas: quia sicuti ipsa est adæquatum subiectum speciei, ita potest esse cognitionum suarum; cum nulla in hoc possit assignari disparitas. Neque dici potest secundò, quod indigeat specie in genere dispositionis, vt nimirum ab ea ad recipiendos suos actus vitales præparetur, nam si hoc esset, vna species deberet à potentia excludere aliam, & sic esse illi contraria, vt videre est in dispositionibus, quas formæ substantiales requirunt in materia, quæ nisi haberent inter se contrarietatem, non posset vna præparare potius materiam ad formam, cuius est dispositio, quin aliæ simul præpararent ad suam. constat autem species non esse inter se contrarias, vt docet Aristoteles *in fine libri de sensu, & sensibi*; vbi inquirens quomodo contrariarum rerum species possint esse simul? Respondet ideò esse, quia, etiam si obiectorum contrariorum repræsentatiuæ sint, non sunt tamen inter se contrariæ; quod confirmat D.T *de veritate qu. 8. art. 12. & 10. metaph. lect. 2.* Albertus 2 *de anima tract. 4. cap. 11.* & alij. Neque dici potest tertiò, potentiam indigere specie in genere causæ formalis, illuminando illam ad percipiendum obiectum: eo quod illuminare potentiam, est munus proprium cognitionis, cuius beneficio potentia obiectum attingendo percipit. constat autem speciem á cognitione distingui. Neque dici potest quartò ea indigere tanquam forma, inclinante ipsam potentiam ad operandum, sicuti in aliquorum sententia concurrunt habitus, quos putant non nisi inclinando potentias ad suas operationes, concurrere. Tũ quia *falsum est, habitus non concurrere efficienter ad actus suarum potentiarum*, vti suo loco dicetur: tum etiam quia, hoc permisso, non curit paritas. nam potentiæ sine habitibus inclinantibus, possunt absolutè suas operationes exercere, non autem sine speciebus; possent autem, si species ad eas inclinandum tantum concurrerent.

8 Neque denique dici potest quintò hanc indigentiam oriri ex, eo quod species sit conditio, cuius beneficio potentia, quæ de se est indifferens ad plura obiecta cognoscenda, determinetur ad vnum potius, quam aliud percipiendum. nam experientia constat, nos habere in mente multorũ obiectiorũ species: & tamẽ indifferẽtes esse ad vnũ ex eis potius cognoscendum, quam aliud; ad omnia autem simul, distinctè cognoscenda nè potentiam quidem sufficientem habere: quamuis enim quælibet species sit ex suis intrinsecis determinata ad suum obiectum repræsentandum, & non ad alia; hinc tamen non rectè deducitur, eam determinare potentiam ad cognitionem sui obiecti, sed solum esse completiuam illius in ordine ad cognoscendum dictum obiectum; quæ duo valdè inter se distare, constat ex eo, quia ignis est completè potens ab intrinseco calefacere, & exsiccare; & tamen indiget determinatione vt hic, & nunc potius vnam, aut alteram, vel vtramque simul, vel etiam neutram operationem exerceat. expectat enim determinari per applicationem ad subiectum, in quod possit, vel non possit agere; possit hoc, vel illud, vel etiam vtrumque. Porrò si dictam determinationem speciei essentialiter afferret potentiæ cognoscitiuæ, repugnaret nos habere in mente species vnius obiecti, & illud actu non cognoscere. Quod si dicat aduersarius determinationem sumere pro cõplemento; & idem significare velle, ac speciem complere potentiam. Contra hoc responsum nostra probatio instauratur, quia nisi species influeret vna cum potentia in genere causæ efficientis in actum vitalem, non posset assignari, in quo alio genere illam compleret, vel ad quid potentia vitalis tanquam sui complemento illa indigeret; ergo si ea indiget, vti supponimus, tanquam comprincipio effectiuo indiget, quod erat probandum.

SECTIO SECVNDA.

An ex correspondentia prædicatorum & ex ratione imaginis, rectè deducatur influxus effectiuus speciei in actus cognoscitiuos.

9 QVod attinet ad priorem difficultatem de correspondentia prædicatorum; Sciendum, speciem impressam vna cum potentia cognoscitiua in actus cognoscitiuos efficienter concurrere, ab aliquibus, ex correspondentia, quam debent habere omnia prædicata, quæ sunt in effectu cũ prædicatis suæ causæ efficientis probari, in hunc ferè modũ: Nõ possunt omnia prædicata, quę sunt in cognitione soli potẽtiæ cognoscitiuæ, tanquã causæ efficienti correspõdere: at benè correspõdent conflato ex potentia, & specie. ergo dicendũ est speciẽ impressam vna cum potentia effectiuè concurrere ad cognitiones eliciendas. consequentia patet, quia effectus secundum omnia sua prædicata, quæ includit, debet in virtute suæ causæ adæquatæ contineri, atque adeò secundum illa correspondere prædicatis illius. Antecedens verò quo ad vtramque partem suadetur, quia cognitio habet essentialiter quod sit vitalis operatio cognoscitiua, & quod sit imago formalis, & expressa repræsentatiæ obiecti sui, ergo in sua causa effectiua requirit virtutem productiuam, quæ correspondeat vtrisque prædicatis, sed sola potentia cognoscitiua non habet nisi virtutem correspondentem prioribus prædicatis, non verò posterioribus; eo quod quam-

quantum est de se, licèt possit vitales operationes cognoscitiuas elicere: non tamen continet vim exprimèdi omnia obiecta à se cognoscibilia, sed hanc virtutem benè habet beneficio speciei, quę substituitur à natura in locum ipsius obiecti, & vicem eius, ac defectum supplet, vt cognitio sit similitudo expressa illius, eique intentionaliter assimiletur. ergo non possunt omnia prædicata, quæ sunt in cognitione, soli potentiæ cognoscitiuæ tanquã causæ adæquatæ correspondere; benè tamen possunt correspondere conflato ex potentia, & specie constituto.

10 Quo posito, nostra coclusio est. Huiusmodi probationem habere multum efficacitatis, rectèque procedere. Ratio est quia non potest assignari in quo peccet.

11 Ouiedus *de anima controu. 13 puncto 4. num. 12.* putat eam nullam esse. vt constat (inquit) ex dictis in physicis *controu. 9. puncto 9.* vbi hanc correspondentiam prædicatorum inutilem esse ad cognoscendam causam adæquatam effectus, & tantum importare nugatoriam quandam petitionem principij latè tradidi.

12 Verum ibi totus est in confutanda definitione causæ adæquatæ, qua dicitur esse illa: cui omnia prædicata, quæ sunt in obiecto correspondent; in quo licèt rectè procedat, & dicta definitio verè non subsistat: non tamen inde sequitur, carentiam correspondentiæ prædicatorum in sola potentia cognoscitiua non esse aptum medium ad inferendam necessitatem influxus speciei impressæ in genere efficientis in cognitiones.

13 Quod ego hoc discursu probarem: dupliciter ex correspondentia prædicatorum argui potest ad causam adæquatam. primò positiuè: sic; Hæc causa habet correspondentiam prædicatorum cum hoc effectu; ergo est causa adæquata illius. secũdò negatiuè sic: non habet correspondentiã; ergo non est causa illius adæquata. Iam licèt primus modus argumentandi sit insufficiens, vt patet ex eo, quia etiam si sola mater habeat correspondentiam omnium prædicatorum, quæ sunt in prole, quatenus conuenit cum illa in omnibus prædicatis essentialibus: non tamen est causa adæquata illius, sed ad summum inadæquata; nam requirit etiam concursum patris ad producendam eandem prolem; atque adeò tradita definitio non est admittenda. cum hoc tamen stat quod secundus arguendi modus rectè procedat; ad eum plane modum, quo non obstante, quod ex animali bipede non valeat quis positiuè arguere ad hominem; sic: Est animal bipes. ergo est homo; valet tamen negatiuè Non est animal bipes. ergo non est homo. Et vt ad casum nostrum descendamus: valet in omnium sententia sic arguere: species impressa non est vitalis; ergo non potest esse adæquata causa actus vitalis, sed exigit tanquam comprincipium influxiuũ potentiã cognoscitiuã, cui vitalitas effectus correspondeat. Item sic: Intellectus destitutus lumine gloriæ non habet prædicatum supernaturalitatis, quod correspondeat supernaturalitati visionis Beatæ. ergo nequit esse causa adæquata illius, sed requirit necessariò *connaturaliter* lumen tanquam comprincipium, *dictam habens* correspondentiam; cur igitur non *valebit hic alius*: Potentia cognoscitiua sine specie Leonis V.G. non habet prædicatum correspondens expressioni Leonis, quæ reperitur in cognitione Leonem cognoscente: contra verò considerata vna cum specie habet. ergo sola potentia cognoscitiua non est causa sufficiens cognoscere obiecta, sed etiam requirit speciem tanquam causam, cui correspondeat similitudo expressiua, quam habet cognitio cum suo obiecto: quid quid sit deinde, num hoc conflatum sit adæquata causa, an non; de hoc enim agetur inferius.

Dices pro Ouiedo: Hæc correspondentia, quæ 14
desideratur inter prædicata causæ efficientis, & effectus, vel debet esse formalis, vel eminentialis; neutrum dici potest; ergo ratio ex ea petita nulla est. minor, quæ sola probatione eget, suaderi non enim potest dici, quod debeat esse formalis; nam conflatum ex potentia cognoscitiua, & specie non est causa vniuoca respectu cognitionis; formalis autem correspondentia in vniuocatione fundatur. neque eminentialis, quia ignis producens ignem non habet cum illo correspondentiam eminentialem, sed formalem. ergo &c.

Respondeo: ex negatione vtriusque rectè col- 15
ligi insufficientiam causæ, & hoc satis esse ad rationis adductæ efficacitatem propugnandam. quod si de sufficientia loqui velimus, dicam, ex neutra correspondentia prædicatorum causæ, & effectus posse absolutè colligi; causam illius effectus esse adæquatam; nisi aliunde probemus nullam aliam necessariam esse. quare ex eo, quod animaduertamus potentiam cognoscitiuam indigere speciebus ad cognoscendum obiectum, etiam si videamus huiusmodi conflatum habere prædicata correspondentia omnibus prædicatis cognitionis: vt inferamus huiusmodi causam esse adæquatã, debemus aliunde certificari, nullum esse fundamentum ad affirmandum aliquam aliam causam efficientem particularem, ad productionem dictæ cognitionis necessariam esse. hoc autem suaderem ex sententia volente potentias animæ esse quidem realiter ab illa distinctas, & nihilhominus tum potentias, tum substantiam animę ad actus vitales immediatè concurrere. In hac enim sententia licèt conflatum ex sola potentia cognoscitiua & speciebus habeat prædicata correspondentia omnibus prædicatis cognitionis, quæ sunt eam V.G. esse actum secundum vitalem, cognoscitiuum, & expressiuum intentionaliter talis determinati obiecti: non rectè tamen ex hoc infertur dictum conflatum esse causam adæquatam illius, nisi prius probetur, non esse necessarium influxum immediatum substãtiæ animæ ad huiusmodi vitalem operationem exercendam. virtualis ergo correspondentia quomodocumque accepta non est sufficiens. quod verò neque formalis patet ex matre in ordine ad generationem prolis, vti vidimus.

Dices iterum pro eodem. Hæc prædicatorum 16
correspondentia nil aliud importat, quam virtutem potentem effectus prædicata producere, siue demum causa sit vniuoca, siue æquiuoca. ergo æque ignota est, ac virtus ipsa. malè igitur ex correspondentia colligitur dicta virtus. Respondeo negando antecedens. nam huiusmodi correspondentia prædicatorum est reciproca, & non minus se tenet ex parte effectus in ordine ad causã, quã ex parte causæ in ordine ad effectũ; quod suaderi

po-

Digitized by Google

potest, si ex vna parte ponamus intellectum speciei leonis informatum, & ex alia eiusdem leonis cognitionem. quamuis enim supponamus conflatum illud non posse huiusmodi cognitionem elicere siue de possibili, vt de facto tenent illi, qui series effectuum suis determinatis causis assignant, siue per impossibile: non potest negari, quin aliqua correspondentia prædicatorum ex parte vtriusq; habeatur, videlicet in ratione vitalitatis intellectiuæ, & repræsentationis leonis, contra verò virtus productiua effectus, reperitur in sola causa, quare huiusmodi virtus habet tantum præsupponere in re, cuius est virtus, correspondentiam illam cum effectu siue formalem, siue virtualem, ad eum plane modum, quo differentia specifica habet necessario supponere genus; vnde quemadmodum valet argumentari hoc corpus non est animal: ergo nõ est equus. ita valet; sola potentia cognoscitiua non habet correspondentiam cum omnibus prædicatis, quæ in eius cognitione relucent. ergo non est causa sufficiens seù adequata illius: hæc tamen est huiusmodi causa conflatum ex ea & speciebus, eo quod aliunde constat non esse necessariam aliam concausam. Atque hæc quantum ad priorem difficultatem in titulo sectionis propositam.

17 Quod verò attinet ad posteriorem de imagine sciendum quamplures Recentiores profiteri se à priori ostendere necessitatem, quam habet cognitio oriundi ab obiecto ex eo, quia est illius imago. quare in hunc fere modum argumentantur. Imago debet oriri ab eo, cuius est imago; sed cognitio est imago obiecti; ergo cognitio debet oriri ab obiecto, non immediatè, alioqui daretur actio in distans, ergo media specie impressa. maior probetur ex his, quæ habet D. T. p. p. qu. 35. art. 1. in corp. vbi docet ad rationem imaginis non sufficere similitudinem speciei, vel figuræ, sed requiri etiam originem. quia (inquit) vt August. dicit *lib. 83. qu.* vnum ouum non est imago alterius, quia non est de illo expressum. Et confirmatur, quia Pater in diuinis non aliunde non est imago Filij, sed Filius Patris, nisi quia Pater non producitur à Filio, sed Filius à Patre. minor verò, quod scilicet cognitio sit imago obiecti, videtur omnium cõsensu recepta. & patet ex eo, quia est expressiua similitudo illius, multo magis, quam statua Cæsaris sit imago Cæsaris. consequentia deniq; est manifesta.

18 Arriaga *Disp. 4. de anima sect. 3. n. 159* ait se arbitrari *in hac sententia solum*, vt dicitur fide parentum ductos hos auctores, nec quid dixerint attentè discussisse, & ab eis manifestè peti principium. *contra quem sic.*

19 Nostra conclusio: Ex eo, quod cognitio sit imago sui obiecti, rectè colligitur eam indigere influxu ipsius obiecti, vel immediatè per se ipsum, vel media specie impressa. Probatur, quia nequit assignari in quo peccet argumentũ à Recentioribus allatum. ergo rectè procedit. Consequẽtia claret. antecedẽs non potest melius suaderi, quam adducendo in medium rationes, quibus ipse Arriaga probat petitionem principij, & vitiosum circulũ in eo contineri. Prima ratio, quæ habetur *nu.* 155. sic procedit: Non potest sufficienter probari nostram cognitionem esse imaginem obiecti ex eo tantum, quod sit repræsentatio illius, quia cognitio, quã habet Deus de se ipso, & de creaturis, est perfectissima obiectorum suorum repræsentatio; & tamen non est eorum imago: neque ex eo, quod sit creata, quia etiam si à sola potentia cognoscitiua oriretur, cõuinceretur esse creata, absque eo, quod sui obiecti esset imago. neque potest excogitari aliud caput, vnde id sufficienter innotescat, præter hoc, quod à suo obiecto producitur media specie. ergo iam probatur cognitionẽ debere oriri ab obiecto, quia est imago, & eã esse imaginẽ, quia oritur ab illo; sed hic est vitiosus circulus, & includit petitionẽ principij. ergo &c. 20

Respondeo, quod si hic modus arguẽdi esset bonus, vtiq; conuinceret in omni demonstratione à priori cõmitti circulũ, vt patet ex ea, qua probatur homo discurrere, quia est rationalis; non enim aliũde potest nobis innotescere, quod homo sit rationalis, quã ex eo, quod discurrat; hoc enim est propriũ omnium causarũ, vt nobis innotescant per suos effectus. quẽadmodũ igitur dicũt Logici rectè prius causã probari à posteriori per effectũ, & postea effectũ per causã à priori, & hunc circulũ nõ esse vitiosũ, sed scientificũ: ita dicã ego in casu nostro, quare concesso integro enthymemate, nego subsumptum. eo quod, quando probatur de cognitione, quod sit imago obiecti, quia procedit ab illo: hæc probatio est à posteriori; at quãdo probatur, quod procedat ab illo media specie, quia est eius imago, est à priori. ergo &c.

Hanc responsionẽ tripliciter impugnat auctor. primo quidẽ *nu.* 165. in hunc fere modũ. Licet existẽtia effectus possit probari à causa à priori, non potest tamen reddi pro ratione à priori, cur effectus exigat eam causam probanda igitur est huiusmodi exigentia ex formalitate aliqua reperta in effectu: sed formalitas imaginis supra repræsentationem addit solam exigentiã oriundi ab obiecto. ergo, quando quæritur: cur cognitio habeat hanc exigentiã, idem est assignare pro ratione à priori, quia est imago obiecti, ac quia exigit ab illo produci. 21

Secunda impugnatio habetur *sub num.* 166, quæ est huiusmodi: Exigere oriri ab obiecto, non est effectus imaginis, sed quasi illius definitio, sicuti posse discurrere, est definitio discursiui: sicuti igitur exigẽtia discursus nõ est ratio à priori, quod homo sit discursiuus; ita neq; ratio imaginis quod cognitio debeat oriri ab obiecto. Tertia deniq; quæ habetur *nu.* 167. sic: dũ quærimus nationẽ à priori cur cognitio exigat: cõcursũ obiecti, quærimus simul cur sit imago. ergo nõ sine petitione principij redditur pro ratione, quod sit imago.

Sed nulla ex his impugnationibus videtur procedere. quare ad primã, concesso integro enthymemate, distinguo minorem subsumptam. Formalitas imaginis addit solum exigentiam oriundi ab obiecto; & siquidem sermo est de exigentia radicali, concedo; si verò de formali, nego subsumptum, & consequentiam; & dico in cognitione duplicem posse considerari exigentiam oriundi ab obiecto; vnam radicalem, alteram formalem. radicalem importat ratio *imaginis*, quam essentialiter imbibit cognitio, formalis est proprietas à radicali procedens. sic etiam in homine duplicem exigentiam ratiocinandi considerare possumus: vnam radicalem; & hæc est formalitas rationalitatis; alteram formalem; & hæc est proprietas hominis, quæ à nobis explicatur per risibilitatẽ; eodem modo in equo duplicem exigentiam hinniendi inuenimus: vnam radicalem; & hæc est eius differentia essentialis: alteram formalem; & 22

hæc est potentia ad hinniendum, quæ est eius proprietas, quemadmodum igitur rectè probamus à priori de homine, quod habeat exigentiam formalem ratiocinandi, quia est rationalis; & de equo quod habeat exigentiam formalem hinniendi, quia est hinnibilis: ita etiam rectè de cognitione, quod habeat exigentiam formalem oriundi ab obiecto, quia est eius imago. & in hoc nullus vitiosus circulus committitur, quia proprietas de cognitione per essentialia ipsius cognitionis demonstratur.

23 Per quæ patet responsio ad secundam impugnationem; distinguo enim antecedens: exigere radicaliter oriri ab obiecto non est effectus imaginis, sed definitio illius, concedo; formaliter, nego antecedens, & consequentiam. & ad paritatem de discursiuo dico, quod quemadmodum radicalis potentia ad discurrendum, quam rationalitatem appellamus, ingreditur definitionem hominis, & ideo est aptum medium ad probandum à priori hominem posse formaliter discurrere: ita exigentia radicalis oriundi ab obiecto, quam exigentiam essentialiter importat imago, ingreditur definitionem cognitionis, & ideo est aptum medium à priori probandi cognitionem habere formalem exigentiam oriundi ab obiecto. Ad tertiam denique, negatur antecedens, in quo assumitur quod, cum quærimus rationem à priori, cur cognitio exigat concursum obiecti, quærimus cur sit imago. Nam de illa exigentia quærimus rationem à priori, quam experimur. sed nos nō experimur in cognitione nisi formalē exigētiā ergo de hac quærimus rationem à priori, non autem de radicali, quam ratio imaginis includit. cū enim hæc sit de essentia cognitionis, impossibile est vt de ea possit assignari ratio à priori; ad eum planè modum, quo non potest, si quis quærat cur homo sit animal, vel cur sit rationalis.

24 Ex his facile responderi potest ad triplicem confirmationem, qua auctor suum principale argumentum corroborat, in quarum prima, quæ habetur *num.* 156 conatur ostendere in nostra sententia peri etiam principium in cognitione diuina, dum negamus eam esse imaginem suorum obiectorum, eo quod non producitur ab illis, posteà verò addimus, ideo non esse necessarium ab eis produci, quia non est eorum imago, sed hæc difficultas eodem modo dissoluitur, ac præcedens. nam quando negamus cognitionem diuinam esse imaginem suorum obiectorum, quia non producitur ab illis. argumentamur à posteriori, à negatione proprietatis ad negationem essentiæ, vt in hac: equus non discurrit; ergo non est rationalis, at quando, ex eo, quod non sit imago obiectorum, negamus eam ab illis procedere, arguimus à priori: vt in hac alia, equus nō est rationalis, ergo non est risibilis: ex quo patet nullam esse in hoc petitionem principij, nec vitiositatem circuli, vti vidimus. cæterum si rem planius explicare vellem, dicerem, quod ideo diuina cognitio non est imago ipsius *Dei*, quia inter imaginem, & exemplar debet intercedere realis distinctio. imago enim debet ab exemplari procedere, & sic ab illo realiter distingui: cognitio autem diuina identificatur cum ipso Deo, vt patet. quod vero neque sit creaturarum imago, ratio potest esse, quia imago propriè dicitur esse illius tantum, quod primò, & formaliter exprimit, non autem, quod secundariò, & materialiter. sed cognitio Diuina non exprimit creaturas, nisi secundariò, & materialiter; ergo quemadmodum defectu distinctionis realis ab essentia non est eius imago: ita defectu primariæ, & formalis expressionis non est imago creaturarum. consequentia est certa, & maior patet ex doctrina, quam tradit ipse Arriaga *num.* 177. vbi ait cognitionem effectus in causa, non esse proprie obiecti imaginem; cuius rei ratio nulla alia potest esse, nisi quia cognitio illa primariò, & formaliter terminatur ad causam. minor vero claret, quia cognitio diuina omnia intuetur sub deitate, tanquam sub obiecto primario, & formali. sed quid dicendum in sententia eorū, qui dicunt Deum non solum in se, vt in causa, creaturas cognoscere; sed etiam in sè ipsis determinatus à suamet substantia; responderem, neque sic esse earum imaginem, eo quod diuina cognitio, licet sit creaturarum similitudo, se habet ad eas sicut principium, & ideo habet respectu illarum rationem exemplaris potius, quam imaginis, vt patet ex cognitione ideali, quam habet artifex rerum artificialium à se factibilium; atque hæc ratio sumitur ex Diuo Thoma 4. *Contra gent. cap.* 11. Secunda confirmatio habetur *num.* 157. & est huiusmodi: Nos tantum experimur per cognitionem nobis manifestari obiectum. ergo solum inferre possumus eam esse repræsentationem illius, sed neque ex experientia, neque ex repræsentatione colligitur eam esse imaginem obiecti, vt patet ex cognitione Diuina. ergo non rectè ex ratione imaginis probare possumus exigētiam, quam habet oriundi ab obiecto. ad hoc respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: solum inferre possumus eam esse repræsentationem obiecti immediatè, concedo; mediatè, nego consequentiam; & sic distincta eodem modo minore subsumpta, nego vltimam consequentiam; & dico, ex experientia, quam de cognitione habemus, verum quidem esse immediatè colligi tantum posse eam esse repræsentationem obiecti, at mediatè etiam deduci eam esse imaginem illius, suadetur, quia hoc ipso, quod aliunde scimus imaginem esse eam, quæ ita primò, & per se procedit ab alio, vt sit simillis illi in specie, vel saltem in signo speciei: euidenter deducitur à posteriori nostram cognitionem esse imaginem obiectorum suorū; ad quę primo, & per se terminatur. 25

Tertia denique confirmatio ex *nu.* 158. sic procedit. Actualis scientia infusa Christi Domini est cognitio creata repręsentatiua sui obiecti, sed non est producta neque mediatè neque immediatè ab illo. ergo hæc cognitio non est imago obiecti. non est igitur de ratione cognitionis creatæ exigere oriri ab obiecto, & esse illius imaginem. vnde igitur à priori probatur nostras cognitiones esse imagines obiecti, seù petere oriri ab illo, quod idem est. 26

Ad hanc quoque responsio patet ex dictis: datis enim omnibus, quæ in ea congeruntur. Ad vltimam consequentiam dico: à me supra probatum esse: non esse idem, quod ad rem præsentem facit, cognitiones nostras esse imagines obiecti, & exigere formaliter ab illo produci; dico (quod ad rem nostrā facit) quia quamuis realiter identificentur, tamen ratio imaginis est causa virtualis exigentiæ oriundi ab obiecto. vnde licet defendam

Digitized by Google

sendam huiusmodi exigentiam à priori per rationẽ imaginis de nostris cognitionibus (quid quid sit de alijs) probari posse: non ideo admitto posse de eisdem à priori probari rationem imaginis, sed solum à posteriori, vt vidimus; iam vero in responsione dicebam (datis omnibus, quæ in ea cõgeruntur) puto enim omnem cognitionem, quæ fit vel immediatè per ipsum obiectum, vel mediatè per speciem obiecti, esse imaginem illius & sic à ratione imaginis non esse eximendam scientiam actualem per se infusam Christi domini in ordine ad obiecta sua. Contra hoc dupliciter infert auctor. primo sic: Obiectum scientiæ infusæ non potest illam speciem nec mediatè, nec immediatè producere. quia ea est supernaturalis: obiectum vero potest esse naturale. ergo neque illam scientiam. sed ad rationem imaginis requiritur vt sit representatio producta ab eo, cuius est imago; alias Verbum esset imago Spiritus Sancti &c. secundo, quia si sufficeret ad rationem imaginis inducẽdam ratio similitudinis sic productæ ab alio, quam ab obiecto: sequeretur, quod si cognitio à sola potentia cognoscitiua procederet, adhuc esset imago obiecti. sed hoc est absurdum; ergo &c.

Respondeo tamen ad primum distinguẽdo antecedens: obiectum scientiæ infusæ non potest illam speciem mediatè producere, non potest in genere efficientis, concedo: in genere veluti exẽplaris, nego antecedens, & consequentiam, dico enim quod cum de ratione speciei sit complere vltimò intelligibilitatem obiecti; hoc ipso quod ex suis intrinsecis talis est, qualis esse debet ad hoc, vt reddat obiectum proximè intelligibile, & præstet totum id, quod obiectum per se præstare deberet cognitioni, si haberet virtutem sufficientem; rectè intelligitur ipsum obiectum, illa mediante, in cognitionem influere; siue demum eam respiciat tanquam instrumentum suum adæquate, vt est quando ea procedit ab illo; siue non, vt est in casu nostro de specie per se infusa, vt infra dicetur, & sic patet ad subsumptum. Sufficit enim ad rationem imaginis vt sit representatio ab exemplari producta mediatè, ea meditatione, quam diximus. cæterum ex hoc non sequi, Verbũ esse Spiritus Sancti imaginem, suadetur, quia ad rationem propriæ imaginis requiritur similitudo accepta ex vi productionis formaliter, ita vt obiectum sit principium productiuum similitudinis, quam habet imago, & sit primum exemplar dictæ similitudinis; quomodo solus Pater, & non Spiritus Sanctus se habet ad Filium. vide *Ruiz de Trin. disp. 61. tota sect. 4* Ad secundum, nego minorem, dico enim quod, si à sola potentia cognoscitiua connaturaliter procederet cognitio; potentia illa contineret perfectionem speciei impressæ simul, & potentiæ, & sic cognitio intelligeretur sufficiẽter producta ab obiecto, vt posset habere rationem imaginis illius.

28 Secundam rationem contra argumentum principale proponit auctor *num.* 162. quam dicit esse à priori; ea autem est huiusmodi. Cognitio, licet sit representatio obiecti, non tamen cum illo physicè conuenit in prædicatis proprijs magis, quam homo cum equo. ergo, quia cognitio est representatio obiecti, non requirit concursum obiecti ad formalitatem aliquam in se repertam, soli obiecto correspondentem Cõfirmatur: formalitas imaginis supra formalitatem representationis obiecti non est aliud, quam exigentia vt producatur ab obiecto; sed hæc exigentia non est prædicatum aliquod commune repertum in cognitione, & obiecto, sed supponit in cognitione dictum cõmune prædicatum, in quo fundetur; ergo non est probanda exigentia concursus obiecti ad cognitionẽ per rationem imaginis in ea repertam.

Respondeo distinguendo antecedens argumenti: cognitio non conuenit physicè cum obiecto, in prædicatis proprijs magis, quam homo cum equo; & siquidem particula physicè, importet conuenientiam specificam, concedo; si vero conuenientiam realem, nego antecedens, & consequentiam, dico enim quod licet cognitio non sit eiusdem naturæ, & essentiæ specificæ cum suo obiecto: illud tamẽ exprimit, rectè enim D. T. *p. q. 35. art. 2. ad 3.* imago alicuius dupliciter in aliquo inuenitur; vno modo in re eiusdem naturæ secundum speciem, vt imago Regis inuenitur in filio suo; alio modo in re alterius naturæ, sicut imago Regis inuenitur in denario; sic ille. in casu autem nostro cognitio multo magis representat obiectum suum, quam imago depicta, vel sculpta Cæsaris, ipsum Cæsarem; quemadmodum igitur imago Cæsaris, quia est representatio illius, & non alterius, requirit vt Cæsar media sua specie existente in mente artificis concurrat ad sui effectionem; ita multo magis cognitio, quia est representatio sui obiecti, requirit cõcursum obiecti ad formalitatem in se repertam, soli obiecto correspondentem. Ad confirmationem patet responsio ex dictis: asserimus enim formalitatem imaginis, quam includit cognitio supra formalitatem representationis, esse exigentiam radicalem oriundi ab obiecto, quæ, licet non sit prædicatum commune in specie, est tamen commune in signo speciei, vt loquitur D. T. *loc. cit.* quatenus est expressiuum prædicati specifici, quod est in obiecto; & ex hoc prædicato rectè probari exigentiam formalem, quam habet cognitio, vt à suo obiecto procedat. sic distincta exigentia, quæ in maiore, & minore propositione ponitur, nego consequentiam: non esse, videlicet, à priori probandam exigentiam formalem concursus obiecti ad cognitionem per rationem imaginis.

Tertio denique loco sic arguit Arriaga *num.* 167. Vltima probatio, in qua sistimus, vt dicamus Petrum V. G. posse discurrere, non est quia sit rationalis, sed quia videmus eum discurrere. quod, quia est per se notum, non probatur, vt serius. ergo vt dicamus cognitionem exigere oriri ab obiecto (quod auctor confundit cum ratione imaginis) venire debemus ad principium per se notum, seu experientiam; sed hanc non habemus in omni cognitione; &, etiam si dicta experientia esset in omni, deberemus ex ea solum inferre, naturæ cognitionis hanc esse annexam dependentiam, & non ad imaginẽ sine fundamento confugere. ergo &c. 29

Respondeo distinguendo antecedens; vltima probatio, in qua sistimus, vt dicamus Petrum V. G. posse discurrere, non est, quia est rationalis, sed quia videmus eum discurrere; & siquidem sermo sit de vltima probatione quo ad nos, concedo, sin autem de vltima, quò ad se, seu natura

Digitized by Google

sua, nego antecedens; & eodem modo distinguo consequens: ac dico vltimam probationem quo ad nos esse à posteriori, quæ non nisi ab experientia haberi potest; quare sicuti ad probandum Petrum posse discurrere, vltimo, quo ad nos in experientia fistimus, ita etiam ad suadendū quod cognitio exigat oriri ab obiecto: quoniam verò probatio vltima quo ad se & natura sua, est per causam: hinc fit vt sicuti Potentia ad discurrendum de Petro, recte probatur vltimò à priori per rationalitatem, tanquam per causam, & hic intellectus fiſit, eo quod rei scientiam acquisiuit: sic etiam exigentia, quam habet cognitio procedendi ab obiecto, per rationem imaginis: nec vltra procedendum est. deinde ad minorem subsumptam dico: me satis ostendisse: in omni cognitione ratione imaginis essentialiter contineri, dummodo habeatur sufficiens distinctio inter ipsam, & obiectum, quod primo, & formaliter repræsentat (quod addo vt à ratione imaginis diuinam cognitionem tribus personis essentialem excludam iuxta superius dicta) vnde licet inferatur, naturæ cognitionis esse essentialiter annexam dependentiam ab obiecto: nego eam non posse à priori per rationem imaginis demonstrari.

32 Neque hæc sufficeret ad suadendum efficaciter rationis, desumptæ ex ratione imaginis in ordine ad probandum à priori exigentiam, quam habet cognitio oriundi ob obiecto suo: placet tamen priusquam hanc sectionem absoluam, expendere rationem, quam ipsemet Arriaga sub fin. tranquam à priori etiam adducit, quam sibi occurrisse testatur: ea est huiusmodi. Licet cognitio non sit finalis physicè obiecto in prædicatis illius: ea tamen explicat, ac repræsentat; sed potentia cognoscitiua, V. G. intellectus creatus non continet in se prædicata obiecti, ergo vt possit producere cognitionem dicta prædicata explicantem, necesse habet adiuuari, vel ab ipso obiecto, vel à suo substituto, quod est species impressa. maior constat experientia. minor claret, quia intellectus noster non continet albedinem, calorem, elementa, & cætera, quæ debet exprimere. consequentia est legitima; nam hoc ipso quod non possit se solo dicta prædicata explicare, constat egere concursu alterius, quod non potest esse nisi ipsum obiectum.

33 Verum contra hunc discursum videntur facere etiam tria illa argumenta, quibus auctor discursum ex imagine deductum impugnat. quæ tenet nisi ad nostras responsiones confugiat, necesse est. probo. hoc applicando illi singula eius argumenta, & primum quidem sic: licet constet potentiam cognoscitiuam non continere physicè prædicata obiecti sui: non potest tamen probari ea non continere sufficienter in ordine ad producendam cognitionem dicta prædicata representantem, nisi quia experimur eam indigere specie, ergo iam in hoc argumento vitiosus circulus; & petitio principij committitur. antecedens patet simili discursu, quo vtitur auctor *num. 115.* nam ex eo, quod potentia cognoscitiua non contineat in specie physica prædicata obiecti, non bene colligitur ea non continere sufficienter in ordine ad productionem cognitionis, vt patet ex intellectu Christi Domini, informato speciebus per se infusis, qui licet non sit in eadem specie physica cum suis obiectis: sufficienter tamen eorum prædicata in ordine ad producendam cognitionem illorum continet. neque potest hoc sufficienter probari ex eo, quod potentia cognoscitiua sit creata, nam per auctorem non implicat contradictionem creari Deo potentiam cognoscitiuam, potentè cognoscere sua obiecta suis speciebus distinctis, vt ex professo *sub fin.* defendit; nec aliter cas per aliquam potest, inde colligamus nostras potentias cognoscitiuas non continere prædicata obiecti in ordine ad dictum effectū, nisi quia experimur indigere specie. consequentia tamen est, quia iam carentia concludere probatur per indigentiam specierum, & rursum indigentiam specierum per carentiam continentiæ. ergo iam habetur vitiosus circulus ex vi primæ rationis adductæ.

Respondebit forte; non esse absurdum duo 34
inuicem probari à priori, & à posteriori, & hoc præstari à se. non verò à nobis in probatione ab imagine sumpta, quia idem formaliter ne importat imago, ac indigentia oriundi ab obiecto.

Sed contra est, quia hoc ipsum retorqueri potest contra auctorem. nam potentiam cognoscitiuam non continere in se prædicata obiecti sufficienter in ordine ad producendam cognitionem illud essentialiter exprimentem, idem formaliter videtur esse, ac eam indigere, vt possit producere cognitionem adæquatè obiecti, vel speciei supplentis defectum ipsius. Carentia enim illa continentiæ non est per modum simplicis negationis, alias non concluderet indigentiam, vt patet in lapide, qui ex eo, quod non continet se in 35
ſo prædicata Leonis non recte infertur cum leonis admixtio in operando indigere. ergo importat priuationem modalem, hoc est quatenus est de se carentiam cum aptitudine. sed hæc in ordine ad præstandum effectum, hoc est ad producendum cognitionem, indigentiam alterius ex principij essentialiter includit, non minus, quam ratio imaginis exigentiam oriundi ab exemplari dicit enim de se semiaptitudinem, & tendentiam virtutis incompletæ, quæ in ordine ad effectum implicat non indigere formaliter complemento. Idemq; suadetur spectata ratione indigentiæ alterius comprincipij, nempè obiecti; non enim potest præscindere à carentiâ adæquatæ continentiæ, & quia adæquatio hæc explicatur per continentiam prædicatorum: idem formaliter erit potentiam cognoscitiuam indigere admixtione obiecti in genere efficientis ad producendam cognitionem, ac non continere in se eius prædicata in ordine ad dictū effectū. quare nisi ad distinctionem nostram recurrat auctor & duplicem indigentiam: vnam radicalem, & alteram formalem agnoscat; & priorem quidem dicat à carentia continentiæ importari: posteriorem verò ad eam consequi, erit in ijsdem angustijs, in quas putat se aduersarios suos iniecisse.

Secundum verò, quod dicit esse à priori, sic 37
etiam contra ipsum retorqueri potest: licet cognitio sit repræsentatio obiecti, non tamen cum illo physicè conuenit in prædicatis proprijs. ergo potentia cognoscitiua, ex eo, quod non contineat

phy-

Digitized by Google

phyſice prædicata obiecti, non recte deducitur ea non continere dicta prædicata ſufficientes in ordine ad producendam cognitionem, repræſentantem eadem prædicata. antecedens eſt idem omnino cum eo, quod aſſumitur ab auctore contra nos: conſequentia patet à ſimili. Et confirmatur ex ſententia, quam *ſub ſectione ſeptima* errata defendit: nimirum dari poſſe potentiam cognoſcitiuam, quæ non indigeat concurſu obiecti ad ſuas operationes cognoſcitiuas eliciendas, atque adeo in ſe continere dicta prædicata in ordine ad talem effectum præſtandum. dicat igitur vnde habeat potentias, quæ de facto dantur, non habere ſimilem continentiam? profecto, ſi ſatisfacere voluerit, reſpondebit, ſe id colligere ex indigentia concurſus obiectiui diſtincti, quam experimur eas habere: ecce quomodo ex indigentia probat carentiam continentiæ à poſteriori; & ea probata poſtea vtitur ad probandum à priori indigentiam!

38 Quod denique tertium argumentum faciat etiam contra eandem rationem auctoris patet ex ſimili retorſione ſic: vltima probatio, in qua inſiſtimus, fuit, Petrum poſſe diſcurrere, eſt quia videmus eum diſcurrere. ergo vt diximus potentiam cognoſcitiuam indigere obiecti in ordine ad cognitiones eliciendas, debemus venire ad principium aliquod per ſe notum. ſed hoc non videtur eſſe carentia continentiæ prædicatorum obiecti. ergo vt diximus vltimo, debemus vti ratione ab experientia ducta, quem admodum ſi agitur hos de vltima probatione diximus? vnum dicendo eſſe vltimum quo ad nos, alterum quo ad nos ita neceſſe eſt, vt ille eodem modo diſtinguat, vt ſe ab eodem argumento tueatur, ex quibus remanet probatum eaſdem difficultates pati auctoris probationem, ductam ex carentia continentiæ, quas affert contra probationem ex imagine petitam; iiſdemque reſponſionibus, quibus nos vtimur, eum vti debere, quod erat probandum.

SECTIO TERTIA.

Expenditur aliorum ſententia de propria ratione ſpeciei impreſſæ.

39 POſt quam noſtram ſententiam de propria ratione, & munere ſpeciei impreſſæ corroborauimus: Placet aliorum opiniones percurrere, vt melius, quam longè à veritate diſtent intelligatur.

Prima igitur ſententia eſt *Aegidij quodlibet. 3. quæſt. 5.* volentis eam eſſentialiter ordinari ad ſupplendam præſentiam obiecti abſentis: vnde colligit in nulla cognitione intuitiua rei exiſtentis, atque præſentis intercedere ſpecies.

40 Sed contra eam facit: quia inde ſequeretur quod potentia intellectiua poſſet ſe ipſam cognoſcere ex quod eſt ſibi maximè præſens, & propter eandem rationem poſſet etiam cognoſcere omnia, quæ ſunt in corpore, quod ab anima rationali informatur; & multò magis ea, quæ ſunt in ipſa anima, quia iam ſunt illi perfectè præſentia. atqui nos contrarium experimur. cum igitur hæc impotentia non poſſit, niſi in ſpecierum carentiam refundi: manifeſtè deducitur munus, quod ſibi eſſentialiter veniebant ſpecies impreſſæ, non eſſe ſupplere præſentiam obiecti abſentis. Præterea, ſi intellectui infunderentur propriæ ſpecies ſui, & cæterarum rerum, quibus ille eſt intime præſens: vtique ſe & illas intuitiuè cognoſceret. ſtat igitur intuitiua cognitio cum influxu ſpecierum intentionalium. quod vlterius confirmatur ex potentia viſiua, quæ non cognoſcit, niſi intuitiuè, obiecta ſua; ea enim licet ſit intime præſens oculo, illam tamen non videt ſed bene illam videt in ſpeculo. Atqui huius experientiæ ratio non eſt, niſi quia in ſpeculo reflectuntur ſpecies oculi ita vt pupillam informent: ergo habetur intuitiua cognitio per ſpecies, & per ſolam præſentiam obiecti non habetur, non igitur ſpecies eſſentialiter ordinantur ad ſupplendam præſentiam obiecti abſentis.

Non negauerim tamen huiuſmodi ſententiam 41
poſſe, in bono ſenſu intellecta, habere veritatem, & cum noſtra coincidere, ſi nimium dicatur, quod quia obiecta vel non poſſunt eſſe intimè præſentia potentiæ, vel ſi poſſunt, non ſunt apta per ſe ipſa cum illa immediatè concurrere: ideò natura inſtituit ſpecies, quæ eſſentialiter habent ſupplere abſentiam illorum, in quo ſenſu dixit Auguſtinus *lib. 12. de Trinit. cap. 5.* cum non poſſit anima ſecum introrſum, tanquam in regionem incorpoream, ipſa corpora inferre, imagines eorum comparauit ſe rapit.

Secunda ſententia eſt Suarij *de anima lib. 3. cap.* 42
primo num. 4. vbi ait: Omnium Philoſophorum & Theologorum ſuffragio dari ſpecies intentionales, vt per illas obiecta, vniantur potentijs, vnde deducit eas eſſe vtiliores inter obiecta, & ipſas potentias cognoſcibiles.

Verum hoc dupliciter intelligi poteſt. primo 43
quod ſit eorum vnio phyſica, ea vniens in ratione entis. ſecundo quod ſit vnio intentionalis vniens illa in ratione principij cognoſcibilis. primum eſt euidenter falſum, neque enim quando aliquis intuetur cælum, vnitur phyſicè illi, neque ex eis vnum compoſitum, ſiue accidentale, ſiue ſubſtantiale reſultat: ſecundum eſt valde intellectu difficile; ſiquidem explicandum remanet, ad quid hæc vnio intentionalis neceſſaria ſit; & ſiquidem dicatur, ad hoc vt vna cum potentia vnum adæquatum principium effectiuum cognitionis conſtituat: niſi aliquid aliud addatur, non habetur proprium munus, ad quod eſſentialiter ſpecies impreſſa, vt talis eſt, ordinatur. nam etiam potentia cognoſcitiua vnitur ipſi ſpeciei intentionaliter, vt vnum adæquatum principium cognoſcibile conſtituat & tamen differt eſſentialiter à ſpecie.

Tertia ſententia eſt eorum, qui dicunt ſpecies 44
intentionales eſſe eſſentialiter formales repræſentationes obiecti, quæ, licet in ſe non cognoſcantur, faciunt tamen venire nos in cognitionem ipſius obiecti.

Porrò hanc ſententiam impugnant nonnulli, 45
quia hoc eſt vltimum conſtitutiuum ſpeciei expreſſæ, quatenus cognitio eſt inſtituta, vt informando potentiam cognoſcitiuam, illi formaliter repræſentet obiectum. verum ad hoc facile reſponderi poteſt ab aduerſarijs: quod licet ſpecies expreſſa cum impreſſa conueniat in eo, quod ſit

Præ-

Digitized by Google

præsentatio formalis obiecti differt tum quia non exprimit illud vitaliter. ideoque non est apta repræsentare potentiæ obiectum suum formaliter in actu secundo, sed solum in actu primo, reddendo illam aptam sibi vitalem expressionem producere. quare melius dicta sententia confutatur sic. vel repræsentare formaliter obiectum in actu primo potentiæ, est adæquatum munus speciei impressæ, ita vt nil aliud præstet, quam illam dicto obiecto assimilare, vel est inadæquatum, eo quod debeat etiam in genere causæ efficientis cum illa concurrere. primum reiectum est supra; & vlterius reijcitur quatenus sufficeret potentiæ cognoscitiuæ, ad producendam cognitionem, assimilatio virtualis cum ipso obiecto, quam haberet beneficio virtutis adæquatè productiuæ cognitionis, ipsum formaliter exprimentis; ergo superflue formalis repræsentatio obiecti, habita per speciem impressam, requireretur, eadem prorsus ratio militat, si eligatur secundum: nam principium effectiuum, adæquatum cognitionis non est necesse vt sit formaliter simile obiecto, quod debet cognoscere, sed sufficit si sit virtualiter tantum. sed hoc haberetur, si species intentionalis concurreret vna cum potentia ad producendam cognitionem, licet non esset formalis repræsentatio obiecti. ergo ita dicendum est.

44 Quarta sententia est Aegidij Lusitani *ex 3. in primam 2. lib. 8. quæst. 1. art. primo. §.* qui dicit rationem speciei consistere in eo, quod assimilet potentiam cognoscitiuam obiecto cognoscendo. sed contra: quia vel est sermo de assimilatione formali, siue reali, siue intentionali, & hæc iam impugnata est. vel de virtuali, quæ consistat in eo quod cõmunicando sè potentiæ cognoscitiuæ, afferat illi complexum principium productiuum similitudinis expressæ eiusdem obiecti; & hoc licet verum sit, & coincidat cum communi: quia tamen dubie explicatur per assimilationem, ideo modus loquendi huius sententiæ reiciendus est.

45 Quinta est aliorum quibus ad hæret Henricus *primæ partis tract. 4. disp. 40. num. 6.* docentium essentiale, & adæquatum munus speciei esse vltimo determinare potentiam ad hoc potius obiectum, & non aliud cognoscendum quam sententiam supra reiecimus ex eo, quia si in hoc ratio vltima constitutiua speciei impressæ consisteret implicaret illam haberi in potentia & non haberi vltimam determinationem. constat autem oppositum manifestè ex memoria siue sit sensitiua, siue rationalis, de qua Augustinus *lib 11. de Trinit. cap 3.* sic habet: Memoria retinet speciem, quam per corporis sensum exhibit anima; & tamen nos experimur non recordari semper omnia, quorum species in memoria retinemus. verum contra hoc vrgere posset aliquis, etiam experientia constare hoc ipso, quod in sensibus externis quorundam obiectorum species recipimus, nos determinari ad dicta obiecta percipienda. non est igitur maior ratio, cur dicamus munus determinandi potentiam ad species potius non pertinere, quam pertinere. Ad quam difficultatem respondeo: nos hic agere de essentia specierum in genere, & non huius, aut illius naturæ. constat autem non valere argumentari positiuè à specie particulari ad inferendum prædicatum essentiale generis. non enim valet homo est rationalis. ergo de ratione animalis est rationalitas: valere autem negatiuè ad excludendum prædicatum illud generi competere essentialiter. sic equus non est rationalis, ergo non est de essentia animalis habere rationalitatem. & ratio est, quia nullum prædicatum genericum datur, quod non competat singulis speciebus sub genere illo contentis. multa autem specifica dantur, quæ non competant generi. ex eo ergo quod videamus aliquam speciem non determinare potentiam ad cognitionem sui obiecti, recte inferimus hoc non esse de ratione propria speciei vt sic, quamus de cætero videamus species sensuum externorum, hoc ipso, quod illos informent, eos determinare ad sensationes obiectorum, quorum sunt species eliciendas.

Sexta sententia est aliorum, qui essentiam speciei impressæ constituunt in eo, quod det proximam cognoscibilitatem obiecto. circa ad hanc sententiam declarandam notarem: Triplicem cognoscibilitatem posse nos in quolibet obiecto considerare. Prima est Terminatiua, quæ est ipsamet entitas obiecti. secunda dici potest actiua, quæ consistit in virtute operatiua, qua obiectum ad sui cognitionem vna cum potentia cognoscitiua concurrit. tertia denique est denominatio quædam extrinseca, desumpta ex cognitione possibili, quemadmodum enim obiectum aliquod ab actuali cognitione habet, quod denominatur actu cognitum; ita & à possibili, quod cognoscibile appellatur. Iam vero certum est, speciem de se non dare obiecto primam cognoscibilitatem, quia non est eius entitas; neque tertiam, quia non est cognitio. Verum autem det illi secundam. Respondeo iuxta nostra principia affirmatiuè, & quidem formalem & proximam, eo quod est qualitas ipsum complens in ratione potentiæ ad sui cognitionem effectiuè concurrere. quare si hoc intendunt huius sententiæ propugnatores, sentiunt nobiscum, sed nimis confusè loquuntur.

Septima potest esse eorum qui dicunt, speciem esse illam, quæ se tenet ex parte obiecti, & loco illius subsistitur tanquam eius vicaria.

Hæc autem sententia etiam cum nostra coincidit, sed quia indiget explicatione in quo nam genere causæ ex parte obiecti se teneat, & vices eius gerat: ideo sub hac formula non vsurpatur à nobis, nisi posita recta intelligentia sui muneris. Contra eam tamen inuehuntur multi cum Hericio *loco citato*. sic. illud tantum dicitur esse vicarium, & substitutum alterius, quod præstat id, quod ab illo, cuius vicarium & substitutum dicitur, præstari potest. sed ab obiecto non potest exhiberi concursus immediatus in cognitionem. ergo in exhibendo huiusmodi concursu species impressa non recte dicitur obiecti vicaria, & substituta.

Respondeo tamen: negando absolute maiorem. dico enim: vt aliquid dicatur esse alterius substitutum, atque vicarium, sufficere quod præstet id, quod ab altero præstandum foret, si vires haberet, quatenus ei munus illud, per se loquendo, incumbit. Patet hoc in moralibus ex Rege, qui etiam si non possit omnia, quæ ad ipsum pertinent in regno immediate præstare: habet tamen ministros, tanquam sui vicarios, & substitutos. In-

phy-

Digitized by Google

Physicis quoque substantia creata, licet non possit per se ipsam immediatè producere aliam substantiam: dicitur tamen vti accidentibus in hoc, tanquam suis ministris, ac substitutis. etiam si igitur non possit obiectum immediatè in cognitionem vna cum potentia cognoscitiua influere: rectè dicitur vti speciebus tanquam suis vicarijs ac substitutis. cum enim ex obiecto, & potentia, sicuti ex mare & fœmina, cognitio tãquã proles oriatur; quemadmodum in generatione prolis semen virile est vicarium, & substitutum maris, etiam si hic non possit influere immediatè: ita & species obiecti in productione cognitionis, est vicaria, & substituta obiecti, impotentis immediatè concurrere. ex quo deducitur cũ omni proprietate dici, quod species se teneat ex parte obiecti, quatenus complet eius intelligibilitatẽ: & non, nisi impropriè dici posse se tenere ex parte potentiæ, hoc nimirum titulo, quod illam intrinsecè cõpleat in ratione principij effectiui, in quo etiam sensu semen virile dici potest, quod se teneat ex parte fœminæ in ordine ad generandam prolem.

SECTIO QVARTA.

Expenditur octaua & vltima sententia de ratione speciei impressæ.

49 OCtaua denique sententia est Durandi, Vallesij, Celsi & aliorum apud Auersam *q. 2. philosoph. quæst. 53. sect. 2.* qui dicunt: species impressas esse eiusdem rationis, & essentiæ cum obiectis, quorum sunt species; ideoque deseruire ad cognitionem tanquam idola, quibus cognitis, veniamus in cognitionem ipsorum obiectorum.

50 Verum hęc opinio reijcitur communiter tanquam absurda. & in primis à D. T. qui *quæst. 8. de veritate art. 11.* hæc habet: dicendum quod inter cognoscens, & cognitum non exigitur similitudo, quæ est secundum conuenientiam in natura, sed secundum repræsentationem tantum; constat enim, quod forma lapidis in anima est longe alterius naturæ à lapide in materia. Ratione autem suadetur eius falsitas ex absurdis, quæ ex ea sequerentur; quorum primum potest esse, quod mens humana siue etiam angelica, in qua sunt multarum bestiarum species, immane esset ßabulum, in quo dictæ bestiæ tanquam in carcere concluderẽtur, & quia in sensu interno animalium permanent species sensibilium externorum, vt coloris, odoris, saporis, soni &c. in mente illorum vera albedo, verus odor, verus sapor &c. permanebunt, quo nil absurdius. Secundum vero absurdum est, quod species albedinis, & nigredinis essent inter se contrariæ, quemadmodum sunt albedo, & nigredo, atque adeo non possent esse simul in gradu intenso in eodem oculo, neque nos videre simul possemus duo obiecta, quorum vnum esset album vt octo, & alterum nigrum vt octo; quod est aperte contra experientiam. Neque dicat Durandus: in hoc casu speciem albedinis & nigredinis non esse duplicem, sed vnam mediam repræsentatiuam duorum contrariorum, quia magis repugnare videtur, quod duo contraria coeant in vnam entitatem, quam quod existant simul in eodem subiecto; quare si essentiæ albedinis & nigredinis in eorum speciebus repertæ, non possent informare eandem pupillam: multo minus poterunt identificari inter se, & vnam entitatem speciei mediæ constituere. Tertium denique absurdum esset, quod vel nunquam nos cognoscere possemus obiecta sicuti sunt in se, sed solum sicuti sunt in sua specie, vel si possemus, non esset assignabilis ratio cur indigeremus idolo illo, quod prius cognitum, duceret nos in cognitionẽ eorum.

Respondent nonnulli hanc sententiam moderantes: species impressas esse eiusdem speciei cũ obiectis, non formaliter, sed eminenter, ac virtualiter; inquantum sunt perfectiores obiectis suis; quod probant ex Aristotele *secundo de anima tex. 121. & 124.* vbi species impressas externorum sensuum appellat formas sine materia, hoc est immateriales; nec non etiam ex D. T. qui *quæst. 5. de Verit. art. 8.* loquens de speciebus sensibilibus docet: eas esse minus materiales, quam obiecta, & *prima parte quæst. 78. art. 3.* eas spirituales appellat. si igitur species sensibiles sunt perfectiores suis obiectis: cur intelligibiles quoque, sua obiecta in perfectione minime superabunt?

Verum hæc moderatio non subsistit, quia 51
plane destruit totam sententiam, quæ docebat species esse eiusdem naturæ, & eiusdem speciei atomæ cum obiectis suis. at viderint moderatores. hi, quomodo in priori sententia persistant; certe eorum ratio, qua veniunt ad huiusmodi eminentialem conuenientiam in quidditate speciei cum obiecto propugnandam, non habet veritatem; eo quod species per se loquendo est imperfectior obiecto repræsentato. dico (per se loquendo) quia per accidens potest euenire oppositum, vt patet ex speciebus intelligibilibus, quas de qualitatibus sensibilibus habemus; cum enim dictæ species sint in sua entitate spirituales, vt pote intellectiuam potentiam informantes, necesse est vt perfectione sensibiles qualitates, quippe materiales antecellant. verum hoc per accidens habetur, ratione perfectionis subiecti, quod informant; quod autem per se loquẽdo oppositum contingat, suadetur ex eo, quia secundum hanc limitationem, quam præ manibus habemus, species sensibiles, vti suppono, procedunt à suis obiectis sensibilibus tanquam à causa adæquata; sed non procedunt ab illis tanquam à causa vniuoca; quia iam non sunt eiusdem speciei formaliter, ergo tanquam à causa æquiuoca, sed omnis causa æquiuoca est perfectior suo effectu; ergo falsum est quod species per se loquendo sint perfectiores obiectis à se repræsentatis.

Ad rationem vero in contrarium ex auctoritate Aristotelis, & D. T. adductam Respondeo. 52
species materiales dici formas sine materia, non quod de potentia materiæ minime educantur, sed quia non determinant sibi aliquam peculiarem materiam, sicuti faciunt qualitates physicæ. quilibet enim color V. G. vendicat sibi determinatum subiectum, siquidem nunquam nos vidimus idem corpus esse simul viride, & album, nigrum, & rubrum: at species omnium colorum, nil vetat quin in eadem particula aeris, & in eadem pupilla reperiantur. nec alia est ratio cur dicantur esse minus materiales, quam obiecta; quia nimirum

Digitized by Google

mirum quo obiecta ipsa permeare non valent, propter materiæ primæ impedimentum: summa facilitate permeant ipsæ species, vtpote qualitates nullam habentes contrarietatem & propter hoc etiam spirituales apellantur. nam sicuti spiritus penitus intrant corpora, absque eo, quod excludantur ab illis, ita & species corporeæ organa sensuum. quæ omnia recte consistunt cum eo, quod absolutè loquendo sint imperfectiores suis obiectis propter rationem à nobis traditam. nil tamen vetat quin secundum quid dici possint perfectiores illis, inquantum sunt in superiori gradu abstractionis, quam illa sint, ratione similitudinis, quam cum rebus spiritualibus sortiuntur.

57 Iam vero pro sententia Durādi Obijcies primo: species impressa est essentialiter imago propria obiecti, ergo est similitudo propria illius. sed propria similitudo in vniuoca conuenientia extremorum fundatur. ergo species est eiusdem essentiæ, ac quidditatis cum obiecto Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens. ergo est propria similitudo obiecti in repræsentando, concedo; in essendo, nego: & sic distinguo minorem subsumptam: propria similitudo in essendo in conuenientia vniuoca extremorum fundatur, concedo. in repræsentando, nego subsumptum, & consequentiam; & aio non quamcumque propriam similitudinem, vniuocam conuenientiam inter extrema importare, sed solum illam, quæ est in essendo, qualis est ea, quæ habetur inter duos homines, duos Leones &c. Porrò hæc conuenientia inter speciem, & obiectum, quæ à nobis negatur, debet probari, & non assumi, sicuti fit in argumento posito.

58 Obijcies secundo: species corporea non habet esse incorporeum & spirituale, sed corporeum & materiale; ergo eius esse iā est sensibile. ergo iam species est eiusdem rationis cum obiecto suo, saltem quantum ad hoc, quod sensibus percipi possit. Respondeo distinguendo antecedens: species habet esse corporeum, & materiale, hoc est physicum & naturale, nego. intentionale, concedo. & distinguo deinde primum consequens: eius esse est sensibile, vt quo, concedo; vt quod, nego primam, & secundam consequentiam; & dico esse corporeum & materiale sumi posse dupliciter. primò, & quidem regulariter pro physico & naturali, quatenus ab intentionali distinguitur, & importat formam, quæ sibi vendicat determinatam materiam, & ab ea excludit formas reliquas eiusdem generis sibi aliquo modo contrarias, quas necessario habere debet. secundò pro re immersa materiæ, & inportat formam quæ ipsi materiæ inhæret, & ab illa dependet. iam vero species materialis non habet esse corporeum, & materiale primo modo, sed secundo; quod autem est huiusmodi non est necesse vt sit sensibile, vt quod, sed sufficit vt sit huiusmodi, vt quo, hoc est, sit ratio vltimam sensibilitatem afferens rebus, quæ sensibus percipiuntur; hoc autem modo esse sensibiles species materiales supra probauimus.

59 Obijcies tertio: in speculo non habetur vera hominis facies, sed sola eius species. ergo id, quod videtur in speculo, non est facies hominis, sed species illius, in qua, tanquam in idolo prius cognito ipsam faciem intuemur. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; dico enim faciē hominis non videri propriè in speculo, sed cum speculo, & per speculum, eo quod in illo reflectuntur species, quas ipsa facies immittit: cæterum visio non habet pro obiecto suo dictas species, sed solum faciem, & speculum; eo quod species visus habent ex se obiectum repræsentare in ea parte, à quā produci, vel reflecti incipiunt, & quia ex speculo fit reflexio, id circo veram hominis faciem in illo repræsentare videntur.

60 Obijcies quarto: Si per foramen angustum lux solis in obscurum cubiculum ingrediens, ad eius parietem terminetur; experientia constat in dicto pariete videri imagines rerum, quæ foris sunt, V.G. hominum, turrium, arborum, &c. sed non potest assignari quid dictæ imagines sint, si non sunt illarum rerum species, quæ vna cum luce cubiculum ingrediuntur. ergo species sunt illæ, quæ vt rerum idola à sensibus percipiuntur.

Respondeo negando minorem; in assignando autem quid imagines illæ sint, discrepant inter se auctores. quidam enim respondent, eas esse vmbras illarū rerum, quas repræsentant. dicunt enim quod, cum lux illa, quæ per foramen ingreditur, sit reflexa variis vijs ex corporibus foris existentibus: hinc fiat vt dum vnum corpus impedit aliqualiter ingressum lucis, ex alterius corporis reflexione prouenientis, causet umbram sui intra cubiculum; quæ quoniam in terminatione ipsi corpori, cuius est vmbra assimilatur, imaginamur nos eam esse realem quandam ipsius imaginem, more puerorum, qui rerum vmbras existimant esse larvas. Verum contra hanc responsionem duo facere videntur: vnum est, sepe videri in pariete illo figuras corporum foris existentium, etiam si vnum non impediat lucem reflexam alterius, vt contingit, quando corpora æque distant à foramine, per quod lumen ingredi debet; quin imo si vnus continuus paries est illi oppositus, vidi ego sæpius ingredi figuras fenestrarum, & ornamentorum omnium in ipso pariete existentium, in quo casu non potest assignari quomodo vna pars parietis impediat reflexionem alterius, quia sol æque omnes illuminare videtur. Alterū vero quod contra eandem responsionem facit est: imagines illas, quæ cernuntur in pariete cubiculi apparere vt plurimum depictas eisdem fere coloribus, quibus corpora, quorum sunt imagines, infecta sunt; quod esset impossibile si dictæ imagines nil aliud essent, quam corporum illorum vmbræ.

61 Quare melius responderem cum alijs: illas, quæ apparēt imagines, esse in rei veritate corpora ipsa, quæ foris existunt, quæ propter imperfectionem specierum sic deturpata videntur. pro quo sciendum vna cum luce ingredi cubiculum species obiectorum foris existentium; quæ quidem species reflectuntur ex pariete cubiculi in oculos intuentium. Quare sicuti supra diximus obiectum, quod videtur per speculum, vel in speculo non esse nisi rem ipsam extra speculum existentem: ita dicendum ea omnia, quæ in pariete illo videntur non esse, nisi obiecta illuminata, quæ sunt extra cubiculum, & hanc esse rationem, ob quam ijsdem coloribus videantur imbua.

62 Contra hanc responsionem instabis primo: Si ea, quæ

Digitized by Google

quæ cernuntur in pariete illo, non essent rerum species, sed ipsæ res: sequeretur, quod deberent nobis apparere cum ijsdem distantijs; quas habent inter se, & cum speculo comparatæ, vt cõtingit in ipso speculo. atqui non sic apparent, sed ac si in parietis planitie essent depictæ. ergo &c. Respondeo negando absolutè maiorem: ratio negationis est, quia cum ad hoc vt fiat reflexio nõnullæ determinatæ dispositiones in corpore reflectente requirantur: hinc fit, vt iuxta maiorem, vel minorem intensionem dispositionum, quæ habetur in corporibus, modo perfectior illa sit, modo imperfectior; ideireo igitur in speculo chrystallino perfectissimo modo repręsentantur obiecta; quia species ibi inueniunt omnes dispositiones in gradu excellenti, quæ sunt necessariæ, vt reflectantur, & ideo in pariete illo non solum quoad distantias, sed etiam quoad colores repręsentantur valdè imperfectè, quia paries, ad quem terminantur species rerum, quæ vna cum lumine cubiculum ingrediuntur, est valdè imperfectè dispositus ad earum reflexionem efficiendã.

64 Instabis iterum: in pariete illo videntur obiectorum extrinsecorum imagines ex quacumque parte; siue in linea rectè ponatur oculus, siue à dextris siue à sinistris; ac si dicta visio fieret per reflexionem, ex vna parte tantum videri possent, sicuti contingit in speculo; ergo &c.

65 Ad hanc difficultatem dicendum maiorem non posse negari propter experientiam oculorum. vnde totus labor est in assignanda ratione huius insolitæ reflexionis semisphæricæ, in quo diuersimodè recentiorum ingenia desudant. respondent enim aliqui primò: difficultatem hanc nobis obiectam, esse etiam ab aduersarijs soluendam: cur nimirum species illæ cum reflectantur ex pariete producuntur in semisphæram, cum reflexio fiat solum per vnam lineam rectam; hac enim quæstione soluta, quæ pertinet ad actum primum visionis, tota difficultas, quæ est de solo actu secundo, in suo robore permanet, videlicet quid de facto videat illa visio. sed contra est, quia propter hoc ipsum negare possunt aduersarij secundas species, quæ ex pariete incipiunt produci versus oculum, per actionem reflexiuam haberi; dicendo quod, quemadmodum calor productus ab igne in ferro, producit directè calorem in manu circulariter, sic species producta ab obiecto in pariete producat species in oculo. quoniam verò tota nostra responsio in reflexione fũdatur, quia vult visionem terminari immediatè ad obiectum ipsum reale: Contra vero aduersariorum opinio vult terminari ad species existentes in pariete: ideo nostra responsio corruit, eorum vero opinio conualescit.

66 Respondent alij; Secundo hanc diuersitatem reflexionum prouenire ex eo, quod in speculo vtpote leuigato, omnes species ad vnam quasi lineam confluunt: at in pariete, quia non est leuigatus, species non ita possunt labi. sed quasi diuersis partibus hærent, ac veluti dissipatę persistunt, ideoque reflectuntur pluribus vijs. Sed cõtra est primò, quia leuitas corporis, in quo fit reflexio, videtur potius conducere ad radios reflexiuos dispergendos in diuersa puncta pro vt immittuntur ad ipsam; quam ad eos in vnum, colligendos: Contra vero asperitas, & inæqualitas ad illos congregandos potius, quam dissipandos, vt patet ex corpore, cui infũditur aqua, quod ad hoc vt in vnum veluti conceptaculum illam recipiat, debet habere partes inæqualiter dispositas, alioquin aqua vndique dissipabitur & effluet. leuigatio igitur speculi non potest esse causa illius confluxus radiorum in vnam partem, neque asperitas parietis dissipationis eorundem. Contra etiam est secũdò, quia si loco parietis ponatur charta, vel ossea tabula maxime leuigata, quæ lumen illud excipiant, experientia constat eodem modo species reflecti circulariter. ergo falsum est quod asperitas parietis sit causa reflexionis hoc modo facta.

67 Respondet Tertio Arriaga *disput. 6 de anima num.* 140. se non videre aliam huius rei rationẽ, nisi in vitri, quod in foramine illo ponitur, diuersam figuram reducere. sicuti enim, inquit, ea figura facit vt inuertantur species, & repręsentent obiectum inuersum; ita facit vt producantur in pariete vel in charta cũ tali extensione, vt rursus redire possint ad omnes angulos, seu circulariter. Sed neque hæc responsio satisfacit. nam experientia constat, vt ego sæpe cum alijs animaduerti, quod etiã si in foramine non ponatur vitrum, adhuc tamen ex omni parte videntur in pariete imagines illæ, ita vt vitrum ad nihil aliud inseruiat, quam ad eas imagines inuertendas, dando illis eam positionem partium, quam corpora extra cubiculum habent; & miror hominem adeo solertem, ac perspicacem, hoc nunquam expertum fuisse. non igitur in diuersam vitri figuram illa circularis productio specierum refundi potest.

68 Respondent alij Quarto, de quibus ipse Arriaga *num. sequenti*: in omnibus casibus reflexionem fieri sphæricè: non tamen videri propter vehementiam aliorum obiectorum, & lucis, contra verò in cubiculo illo tenebroso videri, quia tunc nihil est, quod magis potentiam occupet. Sed contra hanc responsionem facit, quia est etiam contra experientiam; constat enim quod si linea actionis directæ cadat perpendiculariter supra corpus reflectens, ita vt rectos angulos vtrinq; faciat, reflexio fiat per eandem lineam perpendicularem; si verò linea actionis directæ non perpendiculariter, sed obliquè supra corpus reflectens cadat, ita vt duos angulos inæquales constituat reflexio non fiat per eandem lineam, sed per diuersam ex parte anguli maioris, qui appellatur obtusus. constat igitur in omnibus casibus reflexionem fieri per vnam lineam rectam, & non semisphæricè. Cõfirmatur, si omnis reflexio esset semispherica: non esset cur ex vna tantum linea lumen, vel vultus hominis in speculo reflecteret, & appareret quo modo cerni experientia constat. ergo hæc responsio, quæ docet reflexionem fieri per semisphæram, est contra experiẽtiã.

69 His igitur responsionibus posthabitis, respõderem, hanc etiam diuersitatem huius reflexionis refundendam esse in eandem causam, in quã refundimus præcedentem. dico igitur id circo reflexionem in casu posito fieri per semisphæram, eo quod corpus, ex quo causatur, caret dispositionibus requisitis ad hoc, vt per rectam lineam e-

Digitized by Google

xerceatur; præcipua enim dispositio, uel inter præcipuas est diaphaneitas terminata, vt patet in speculo, aqua, & similibus, qua diaphaneitatę caret paries, charta, & reliqua corpora, quæ illi foramini opponuntur. vnde non est mirum si non fiat per lineam rectam. idem enim cernere est in ipso lumine vna cum speciebus illis in foramen ingrediens; quod neque linea recta reflectitur. sed adhuc assignandum remanet cur dicta actio reflexiua semisphærica sit; Ad quod respondeo: hoc ideo esse quia agentia, quæ sunt extra cubiculum, hoc modo agendo, recompensant iacturam actionis perfectæ reflexæ, dissipant enim illam in girum, dum recta producere nequeunt. quemadmodum enim agendo directè, quando inueniunt impedimętum, iacturam viterioris actionis compensant, reflectendo illam versus eam partem, à qua discesserat: ita agendo reflexè, dum eorum actio offendit in corpus opacum planum, quod non habet dispositiones requisitas ad perfectam reflexionem faciunt, quod possunt, dissipando actionem, quam debebant in unam lineam directam perfectè recolligere; & hinc oritur, quod illa obiecta imperfectissimè repræsententur umbrarum in morem, eo quod actio dissipatur, & degenerat ab ea, per quam genuina, & propria species obiecti produci solet; ad eum plane modum, quò actio generatiua hominis defectu necessariarum dispositionum degenerat, producendo monstrum; sic etiam experimur aliquando, quod quando sol non potest iridem perfectè formare, multas eius partes format ueluti parallelas in eadem nube, compensando iacturam unius perfectæ formationis cum pluralitate imperfectarum.

SECTIO QVINTA.

An species impressæ sint intensibiles, & remissibiles.

70 Conclusio est affirmatiua, contra nonnullos, qui dicunt, eas esse indiuisibiles quo ad intensionem, non minus, quam formas substantiales.

71 Probatur autem assertio experientia ex corporea uisione deducta. clarius enim uidemus obiectum cæteris paribus in debita distantia, quam in indebita constitutum, siue indebita sit per excessũ distantiæ, siue per defectum. sed hæc diuersitas non potest refundi nisi in intensibilitatem, & remisibilitatem specierum: ergo &c. maior patet, nam si habemus librum in debita distantia positum, facile illum legimus; si uerò ualde distet ab oculis nostris, uel si illis nimium sit uicinus, cum difficultate; ita ut iuxta proportionem excessus, uel defectus requisitæ distantiæ, crescat, uel decrescat difficultas. minor uerò probatur, quia ad missa intensione & remissione specierum, ratio huius discriminis facile assignabilis est, si nimirum dicamus, quod obiectũ habet suã activitatis sphęram, in qua producit species vniformiter difformiter, hoc est in partibus sibi vicinioribus intensiores, & in remotioribus, minus intensas, sicuti reliqua agentia naturalia qualitates suas producere consueuerunt; & hinc oriatur, vt si oculus sit valde vicinus obiecto intensiores species ab illo recipiat, sin autem valde ab eo distet remissiores, quia verò intensio speciei, siue maior, siue minor, quam requirit potentia, facit vt species sit illi im proportionata, atque adeo minus apta eam adiuare ad perfectam operationem eliciendam: id circo est in causa, vt visio euadat obscura, & vt minus distinctè repræsentet obiectum. contra verò si obiectum erit in debita distantia constitutum, producet in oculo species in ea intensione, in qua ei proportionatæ sint; vnde nil mirum si visio, quæ resultat, euadat melior, atque perfectior. quod si species indiuisibiles essent intensiue non posset assignari causa huius diuersitatis. ergo &c.

Ad hoc argumentum responderi potest: diuersitatem hanc oriri ex natura potentiæ, quæ, vt clare videat obiectum suum, non solum debet informari eius specie indiuisibili, sed etiam debet habere ipsum obiectum in debita distantia situatum. 72

Sed Contra est; quia vel ponimus obiectum non concurrere immediatè in visionem, sed solum media specie: vel asserimus illud immediatè, non solum immediatione se tenente ex parte speciei, sed etiam ex parte sui in ipsam visionem influere. si primum, non potest assignari ad quid illa determinata distantia sit necessaria, nisi ad fugiendam vim argumenti. quod confirmatur ex eo, quia si conseruarẽtur in oculo miraculosè species illius libri, quas habuit initio ab eo productas, quando illum clarè, & distinctæ videbat, etiam si dictus liber à Deo remoueretur, vel etiam penitus corrumperetur, adhuc oculus cum eadem distinctione, & claritate illum videret. ergo in hac suppositione non conduceret debita distantia, neque obesset indebita. quod si supponamus secundum, videlicet non obstante, quod obiectum producat species in potentia, adhuc tamen per se ipsum vna cum specie immediatè in cognitionem influere; quamuis, hoc supposito, tota nostra probatio corruere videatur: assero tamen absolutè loquendo id falsum omnino esse; quid quid in contrarium dicat Quiros *disput. 92. sect. 2. num. 12.* quod probatur paritate: nam ad cognitiones materiales sensuum internorũ, & ad immateriales potentię intellectiuæ, non desideratur immediatus influxus obiecti, sed sufficit si potentiæ ipsæ cognoscitiuæ vna cũ speciebus immediatè in illas influant; ergo idem dicendum est de cognitionibus sensuum externorum. antecedens constat; nam possumus mente imaginari multa obiecta, quæ cum vel præterita sint, vel longe dissita, impossibile est naturaliter in nostram potentiam imaginatiuam immediatè agere; multo minus possibile erit in nostrum intellectum immediatè operari posse obiecta materialia, quæ intelliguntur à nobis: necnon etiam possibilia, de quibus sæpe disputare solemus. consequentia probatur tum paritate rationis, tum etiam quia æqualis, ne dicam maioris efficacitatis, debet esse species sensuum externorum, ac internorum; hæ enim saltem mediatè causantur ab illis, & quamuis intelligibiles ab eisdem causari minimè possint: dependenter tamen à suis effectibus, hoc est à phantasmatibus, ab intellectu agente producuntur. vnde non est cur dicamus, ad sensationes externas, præter immediatum concursũ speciei supplentis vices obiecti, necesse etiã esse vt ipsum obiectũ immediatè cõcurrat; cũ videamus ad reliquas operationes cognoscitiuas satis esse immediatũ concursũ speciei. 73

Di-

Digitized by Google

74 Dices; ignis, etiam si immediatè produceat calorē in aere medio inter se & manum, adhuc tamē vna cum ipso aere calefactō immediatè per se ipsum calefacit manum, ergo, etiam si obiectum per se ipsum producat species visuas V. G. non est cur non dicamus per se ipsum etiam vna cum speciebus immediatè influere. Respōdeo: concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas est, quia vis, per quam ignis immediatè producit calorem in aere, est eiusdē speciei atomæ cum ea, perquam postea aer manum calefacit; vterque enim per calorem agit. vnde si aer ad huiusmodi calefactionem immediatè concurrit, non est cur etiam non concurrat ignis; si qua enim esset disparitas, hæc in maiorem distantiam ignis à manu refundi deberet. sed hanc non obstare patet, quia ex aere calefacto, & igne resultat vnum principium actiuum, quod sphæram actiuitatis suæ ad multo maiorem distantiam extendit, quam ad eam, in qua est manus; defacto enim si ibi esset alia pars aeris loco manus, certè ignis immediatè illam calefaceret, sicuti præcedentes. At verò vis per quam obiectum coloratū V. G. producit speciem non est eiusdē speciei atomæ cum ipsis speciebus, vnde ex eo, quod sit illarum immediatè productiua, non rectè deducitur quod sit etiā immediatè productiua visionis, sicuti est species; scimus enim effectum sæpe posse aliquid, ad quod virtus causæ se extendere immediatè non possit. aliunde verò non debemus concedere virtutes rebus sine necessitate.

75 Dices iterum: nisi obiectum vna cum specie influeret immediatè in visionem, non posset assignari ratio cur, quando obiectum est distans, minoris quantitatis appareat; sed hoc est in conueniens; ergo &c. Respondeo negando maiorem. dico enim rationem illius minoris quantitatis apparentis in specierum remissionem refundendam esse. quamvis enim remissio non reddat causam quantitatiuè minorem, reddit tamen minorem effectum, vt patet ex calore in subiecto palmari existente, hic enim si intensior est, longius actionem suam diffundit, & sic maiorem facit effectum: contra verò si remissior, cum hoc tamen stat, quod quando species valde remissa est, non solum facit apparere obiectum minus, quam in se sit, sed etiā confusum.

DISPVTATIO DECIMA QVARTA

DE SPECIEBVS SENSIBILIBVS.

SPECIES intentionales vt sic, in sensibiles, & intelligibiles diuidi solent; non quasi ipsæ sint, quæ percipi sensibus, vel intellectu debeant, quando aliquid sentimus, vel intelligimus; sed quia ad sensitiuas, vel intellectiuas operationes eliciendas deseruiunt. nos ergo in hac disputatione de sensibilibus disseremus; & quia sensus in externum, & internum diuidi solet, vti modo supponimus, & vterque suas peculiares species sibi vendicat, verumque specierum genus contemplabimur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum dentur species sensibiles sensuum externorum.

1 CONclusio est affirmatiua, sed indefinita, ad cuius veritatem satis est, si in vno tantum sensu externo dari defacto dictas species comprobetur. est communis, exceptis nonnullis, de quibus Conimbricenses *secundo de anima cap. 6. qu. 2. art. 2.* & Auersa *qu. 53. metaphysic. 2.* & nos paulo post.

2 Probatur autem primò ex Aristotele multis in locis 7. *enim physic. tex. 11.* ad probandum in omni alteratione requiri contactum inter agens, & passum, vtitur exemplo obiecti visibilis, quod alterat aerem, & eo mediante, potentiam visiuam, & sic cum illa concurrit ad visionem; sed aer non alteratur à colorato, nec oculus ab aere, recipiendo colorem, vt patet; ergo recipiendo eius similitudinem; quæ est species impressa.

3 Item *secundo de Anima tex. 67.* ait colorem esse motiuum perspicui *in actu*, hoc est mouere corpus diaphanum: sed non potest aliter intelligi quo modo moueat dictum corpus, nisi imprimendo species sui. ergo &c. Item *tex. 74. & 75.* probat contra Democritum non dari vacuum ex eo, quod inde sequeretur obiectum non posse videri; quia vt aliquid videatur, necesse est vt potentia visiua ab eo aliquid patiatur. non immediatè, nam visibile supra visum positum, non videtur. ergo mediatè, recipiendo, scilicet, ab eo aliquam formam, quæ, quid non datur actio in distans, debet prius produci in medio, & postea in sensu, quod magis explicans *tertio de Anima tex. 31.* ait, quod aer immutatur à colore, & sic immutatus, pupillam immutat. item *de memoria cap. 3.* ait quod sensibile imprimit sensui picturā quandam, & figuram sui; quo modo sigillans imprimit figuram ceræ; & *de sensu cap. 2.* ait; quod motus aer in medio facit videre. vtique per actionem obiecti visibilis sui species in eo producentis;

Digitized by Google

bis, & cap. 4. quod oculus in speculo videt se ipsum, quia species immissa ab oculo reflectitur, & repercutitur à speculo ad ipsum oculũ, & sic ea mediante, se ipsum videt, ex quibus deducitur, recte omnes Peripatet cos, dari species sensibiles ad mentem Aristotelis defendendum esse pronunciare contra Ocamũ, & Gabrielẽ existimãtes, obiectũ in debita distantia cõstitutũ, esse sufficiens vt influat se ipso, quin egeat substituto. non animadvertentes, quod sic vel daretur actio in distans, vel in existeret, etiam in medio ibi existente sine suo termino: nec non etiam est contra Durandum qui putauit solam potentiam visiuam, præsente tamen obiecto, producere visionẽ; contra quem præcipue

4 Probatur secundo eadem Conclusio: quia non possunt saluari variæ experientiæ, quas quotidie in eligiendis visionibus experimur, sine speciebus impressis. dictæ igitur species negandæ non sunt. antecedens cõstat primò, quia neque corpus à tergo positum, neque nos ipsos videre possumus, ac si speculum è regione habeamus; statim nos ipsos, corporaque à tergo videmus: huius autem rei ratio nulla alia esse potest, nisi quia species, quas corpus illud, & nos transmittimus, à speculo impeditæ ne vltra illud producantur, per actionem quandam reflexiuam in nostris oculis producũtur, & sic illos determinant ad videnda ea, quorum sunt species, ac imagines. patet secundò ex eo, quòd baculum in aqua semidemersum distortum videamus, quod accidit, quia species per medium crassius dissipantur, vnde fit quod d. baculum in se, & consequenter fractum, seu distortum repræsentãt obiectum, nisi dicere malis cum Hurtado quod id accidat, quia species partis baculi eminentis diuersa linea tendant in oculum, ac species partis demersæ. patet tertiò ex eo, quod per perspicilia concaua videamus acutius, hoc autem accidit, quia in eorum centro determinatur obiectum ad agendum pluribus vijs, & sic intensiores species producit in oculo, ad eum plane modum, quo solares radij in confractione luminis intensius lumen in puncto concursus producunt, quam alibi; & hinc est vt perspicilia concaua maximè visa lædant; rectè enim Aristoteles *secundo de anima* docet vehemens sensibile corrũpere sæpe sensorium, quia species impressa improportionata sensitiuæ potentiæ propter suam intensionem illã lædit, & impedit ne sensationem rectè producat; vnde fit, vt hi, qui pollent visu, dum huiusmodi perspicilia ad videndum adhibent, vel nihil, vel parum videant.

5 Porrò nisi per mediũ traijcerentur species non posset assignari ratio, cur ex mediorum diuersitate diuersificaretur visio, imò cur si corpus opacum haberetur inter potentiam, & obiectum coraliter impediatur, nec non etiam, quam ob causam corpus in quacũque distantia videri non possit; quando quidem constat, quod obiectum ad determinandam præcisè cognitionem, quæ versetur circa se, neque carentiam corporis intermedij, neque determinatam distantiam requirat.

6 Probatur denique tertiò ratione à priori, quia ex dictis; omnis cognitio debet habere in suis prædicatis correspondentiam quandam cum prædicatis obiecti, inquantum importat essentialiter rationẽ imaginis & similitudinis expressæ illius ergo debet fieri ab aliquo, quod vel sit ipsum obiectum, vel illud aliquo modo contineat. sed visio non procedit immediatè ab ipso obiecto distante ergo ab aliqua qualitate quæ sit eius vicaria, & illud in vi repræsentatiua contineat, quam speciem impressam appellamus.

Dices huiusmodi qualitatem esse ipsam potentiam. Contra est, quia si potentia visiua esset species omnium visibilium, deberet omnia actu cognoscere; non enim posset assignari cur hoc potius quam illud agnosceret.

Respondebit nonnullus, quia hoc potius est respectu illius in debita distantia constitutum: sed contra est, quia sic obiectum determinaret potentiam non efficienter, sed formaliter, & quidem extrinsecè, atque id, quod sic determinat aliud, non impediat à quacunque distantia determinando illud, vt constat ex termino relationis, qui quia formaliter extrinsecè determinat fundamentum ad eam producendam; quamuis longissime distet, determinandi tamen munus non amittit, sed ad sui positionem statim consurgit in fundamento relatio. cumque non ita se habeat visibile in ordine ad potentiam visiuam, non potest dici quod solum requiratur ad determinandam illam. 7

Obijcies primò Aristotelis tertio *de anima* tex. 6. ait, solam animam intellectiuam esse locum specierum, non igitur sensus indiget speciebus, aliquin esset etiam locus earum. 8

Respondebit fortasse aliquis, ideo dici solam animam intellectiuam esse locum specierum, quia illa tantum conseruat species, non vero sensus. sed contra est, quia licet sensus externi non conseruent species; at interios illas conseruare patet ex brutis, quæ optimè recordantur obiectorum alias cognitorum, quare melius respondẽdum ex D. Th. *quæst. vnica de anima art.* 3 *ad* 10. intellectum dici à Philosopho locus specierum, eo quod secundum se spectatus non indiget organo ad species recipiendas, & conseruandas; huiusmodi autem non est sensus, qui cum non possit operari, nisi affixus organo corporeo, nequit nisi in illo habere species suarum obiectorum, cæterũ S. D. *in 2. sententiarum tertia de anima Lect.* 7. aperte docet dictum illud ex opinione antiquorum ortum fuisse, & posse in sua sensu accipi, sicuti illud Aristoteles accepit, si nimirum explicetur, quemadmodũ à nobis explicatum est. 9

Obijcies secundò: nõ possunt dari duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto. sed si daretur species, hoc eueniret, dum duos homines v. g. aut duos equos intuemur. ergo &c. 10

Respondeo, distinguendo maiorem: non possunt dari duo accidentia absoluta solo numero distincta in vno subiecto, transeat connotatiua, nego maiorem, & distincta eodem modo minorem, nego consequentiam, dico enim species esse de genere accidentium connotatiuorum, semper enim species alicuius rei species est. id circo autem huiusmodi accidentia in vno subiecto simul reperiri possunt, quia diuersa in illo munera exercent, vt diximus cũ de multiplicatione relationis ad multiplicationem termini coralia. 11

Obijcies tertiò: si quis dicat colorem & lucem distantes approximari potentiæ visiuæ media luce. 13

exi-

Digitized by Google

existente in medio, & vel per illam, vel simul cum illa concurrere ad visionem, optimè saluat non dari species visuas, sed hoc recte dici potest. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ratio, quæ probat assumpti falsitatem, potest esse duplex. vna est quia homo nocte existens in profundissima spelunca, in qua nihil luminis habetur, ex ea cæli stellas intuetur, sed in tali casu stellæ non approximantur potentiæ visuæ, media luce producta in medio, alioquin potiori iure dicta lux deberet illuminare corpora existentia in spelunca, atque adeo reddere illa proxime visibilia, quod tamen non fit: ergo &c. verum hanc rationem multi non probant, docentes lumē ad visionem tam ratione medij, quam obiecti necessarium esse. Altera, quæ est solidior ducitur ex corpore inter potentiam visuam & obiectum lucidum aliquando interiecto V.G. nube cādida, quod licet nō impediat ne lumen ex obiecto proueniens, illuminet totum medium, impedit tamen ne sequatur visio luminosa; si autem visibile, media luce existente in se, & in medio appropinquaret potentiæ, & cum ea ageret, deberet necessario haberi visio in tali casu. ergo &c.

SECTIO SECVNDA.

Tres reliquæ obiectiones soluuntur.

13 OBijcies quarto: Tota speciērum probatio nititur illi principio: agens naturale nequit operari in distans. ergo qui illud negat debet negare species. Consequentia patet, antecedens vero probatur, quia secluso eo principio, omnes experientiæ refundi possunt in occultas obiectorum sensibilium, & potentiarum sensitiuarum naturas, quæ positis his, vel illis circumstantijs, hoc vel illo modo operentur.

14 Respondeo: negando antecedens; dico enim magis esse certum dari species sensibiles, quam non dari actionem in distans, eo quod aliquæ habentur experientiæ, quæ per concessionem actionis in distans saluari non possunt; quarum prima est reflexio, quæ fit in aquis. si enim homo existens iuxta aquas, nihil in illis producit, non potest assignari ratio cur videatur intra illas, & existens iuxta solum, non videatur intra ipsum solum: at admissis speciebus, facile dici potest ideo esse, quia natura specierum est repræsentare obiectum in ea parte, in qua incipiunt produci, siue fit per primā, siue per secundam actionem; & quia species hominis existentis iuxta aquas reflectuntur ex aquis, atque adeo secunda actio productiua illarum incipit ex ipsis, ideo est quod homo videatur in illis. Contra vero, quia actio productiua specierum existentes in campo non incipit produci ex campo, sed ex ipso homine; hinc fit vt homo non videatur intra ipsum campum. secunda experientia sumitur ex profunditate, secundum quam obiectum in reflexione apparet in aquis, vel in speculo, quæ profunditas multo maior est, quam sit profunditas ipsius aquæ, vel speculi. porro hæc experientia, admissa etiam actione in distanti, saluari nequit, nisi fiat recursus ad species, dicendo quod ex se habeant species repræsentare obiectum cum ea distantia, qua distat à corpore, à quo incipit actio productiua illarum, vnde est quod, quia homo distat à speculo V.G. decem palmis, ideo totidem palmos intra speculum videatur. Tertia experientia ducitur ex inuerso ordine, quo ea, quæ videntur, in aquis apparent, quæ nō potest saluari, nisi fiat etiā recursus ad species, dicendo quod, cum illæ repræsentent sua obiecta cum ea distantia, & propinquitate, quam habent à corpore reflectente, vti notauimus, cumque caput hominis plus distet ab aquis, quam pectus, & plus pectus, quam pedes. hinc fit vt caput in maiori profunditate aquæ appareat, pectus autem in minori, pedes vero in minima, atq; adeo propinquiores eius extimæ superficiei repræsententur; & sic totus homo ordine inuerso conspiciatur quæ quidem ratio assignanda etiam videtur (vt hoc obiter notem) quærenti, cur in speculo Hominis latera inuertantur, & partes eius dextere sinistrorsum, sinistræ vero dextrorsum appareant? independenter enim ab impossibilitate actionis in distans respondendum erit, hoc ideo esse, quia cum partes dextræ recta respondeant parti sinistræ speculi; & partes sinistræ parti dextræ eiusdem, species dextrarum in parte eius sinistra, & sinistrarum in dextera reflectantur necesse sit; & id circo hominis latera inuersa videri, & imaginem è speculo apparere, ac si suo prototypo obuiarēt, ad eū plane modum, quo quando duo inuicem sibi obuiam eunt.

Quarta denique experientia deducitur ex diuersitate mediorum, quæ posita inter potentiam visuam, & obiecta, diuersificant visiones. nisi enim species è corporibus immissæ, ipsa media pertrāsirent, huiusmodi diuersitas nulla ratione saluari posset. ex quibus constat, quod etiam si admittatur actio in distans, adhuc species visibiles negari non possunt. Atque hæc quantum ad antecedens negatum; ad eius autem probationem in contrarium dico: non esse Philosophi ad occultas rerum naturas. Andabatarum more recurrere, quando difficultates aliunde ex principijs lumine naturæ deductis dissolui, & explicari possunt, vt est in casu nostro; posito enim quod species sensibiles admittamus, sicuti admisimus alias qualitates instrumentarias, quibus medijs substantiæ suos effectus in materia longè dissita producere solent, nullam habemus necessitatem occultas rerum naturas pro ratione dictarum experientiarum assignare. 15

Obijcies quinto: si dicamus cum Empedocle, Platone, & Stoicis visionem fieri per extra missionem radiorum ab oculis ad obiecta: non est necesse recurrere ad species immissas ab obiectis ad oculos; sed, sententia illa est valde probabilis; ergo non sunt admittendæ huiusmodi species. maior videtur certa. minor vero suadetur tripliciter, & primò quidem quia experientia constat eum, qui nebuloso aere circumfusus est, non videre proximam nebulam: contra vero videre remotam; sed huius rei nulla alia potest esse ratio, nisi quia radij visorij statim ac egrediuntur ex oculis, cum validiores existant proximam nebulam penetrare possunt; longius verò progressi imbecilliores euadunt, & ideo distantem penetrare non valent. ergo &c. secundò quia obie- 16

ctum

Digitized by Google

ctum visibile supra pupillam positum, non videtur, sed huius rei ratio non est, nisi quia impedit ne radij visorij extra pupillam diffundantur, ergo per extra missionem radiorum fit viso. Tertiò denique quia oculus per Tubum opticum inspiciens, multum iuuatur ad videnda obiecta valde longe distita, sed hoc non nisi quia radij visuales intra tubum collecti, longius protendi valent, ergo &c.

17 Respondeo negando maiorem, cuius falsitas nulla alia ratione melius probari potest, quam adducendo in medium sententiam Platonis *in timeo* pro vt refertur à Conimbricensibus *lib. 2. de anima cap. 7. quæst. 5. art. primo*; ille enim volebat non effluere ex obiectis eorum imagines, sed emicare ex oculis lucem quandam, quæ vna cum lumine exteriori aeris, obiecta quasi manu prehenderet, ipsaque suo contactu visibilia redderet. tum verò eam lucem regredi ad oculos affectam alteratione ab ipsis obiectis visibilibus passa, & vbi pupillam ingressa esset, visionem illorum obiectorum causare. tum sic: id, quod per passionem, radij visuales in hac sententia ab obiectis visibilibus accipiunt, non potest esse nisi qualitas, quæ se habeat vt vicaria illorum in ordine ad concurrendum simul cum potentia visiua in visionem. sed in hoc consistit essentia speciei. ergo etiam si dicamus visionem fieri per extra missionem radiorum à pupilla, adhuc admittendæ sunt species. minor, & consequentia patent. maior verò probatur, non enim potest sustineri, quod sit substantia spiritualis, vt patet; neque corporea, quia cum ex quocumque puncto aeris illuminati possimus cælum intueri, sequeretur, quod hæc substantia penetrari deberet cum aere, neque quod ad aliud prædicamentum pertineat, vt inductione constare facile potest. ergo est de genere qualitatis. iam verò si huiusmodi qualitas non est assimilatiua potentiæ cum obiecto, & loco ipsius obiecti substituta, non potest assignari ad quid inseruiat, & in quem finem in radijs visualibus producatur. ergo &c. atque hæc quantum ad solutionem difficultatis. pro veritatis autem elucidatione, addo falsam omnino esse opinionem eorum, qui putant visionem fieri per extra missionem radiorum. ratio est, quia vel huiusmodi radij ponuntur pertingere ad ipsa obiecta videnda, vel non: neutrum dici potest. ergo fictè ponuntur. maior patet; & minor probatur. non primum, quia incredibile est ex minima pupilla tantum luminis eggredi posse, vt in res tam varias, & tam longè distitas diffundi possit, quot oculus vnico intuitu cernere valet. neque secundum, quia si non pertingerent ad obiecta videnda: sequeretur quod non possent illa alterare, nec alterari ab illis per receptionem qualitatis, cuius beneficio reuersi in pupillam, eam fecundare valerent. ergo &c. Neque rationes quibus aduersarij suam opinionem probare conantur, habent aliquid roboris. Ad primam enim dicendum, ideo nebulam vicinam non videri, remotam verò videri, quia minor lux sufficit ad illuminandum obiectum proximum, non autè ad remotum: porrò hoc ipso quod nebula sufficienter illuminatur, fit transparens, & ideo non videtur. visio enim nebulæ consistit in eo, quod impediatur ab ipsa nebula, ne vlterius progrediatur. hoc autem impedimentum ex penuria lucis nebulæ remotior sufficienter obtinet. vnde non est necesse propter hoc recurrere ad extra missionem radiorum: sicuti neque propter secundam experientiam, quæ afferebatur, id circo enim obiectum visibile pupillæ impositum non videtur, quia non est aptum immediatè per se concurrere ad visionem, sed media specie, quæ non producitur, nisi in corpore illuminato, quod excipiat vnde obiectum, & potentiam. Ad Tertiam denique de tubo optico dicendum: visum coniungi, non quia colliguntur radij, sed quia species, quæ transeuntes per vitra in extremis tubi cum certa proportione, & distantia collocata, minùs in modum roborantur, & aptiores ad representandum obiectum longe distitum euadunt.

18 Obijcies sexto: Corpora rediuiua Beatorum in Cælo videbunt. sed non per species impressas ex obiectis visibilibus acceptas. ergo visio nō fit per receptionem specierum. non igitur dantur huiusmodi species. hæc secūda consequentia patet, quia cessante fine, cessat id, quod est ad illum. species autem impressa est essentialiter ordinata ad actus cognoscitiuos vna cum potentia eliciendos. prima verò consequentia claret, quia visio eodem modo à quolibet videnti fieri debet. vnde si à beatis fit sine specie, sic etiam ab omnibus fiat necesse est. maior est etiam certa, quia corpora rediuiua beatorum exercere debent aliquem sensum, alioquin eorum vita somno potius assimilaretur, quam vigiliæ, quod perfectioni status beatitudinis repugnat, quia sic eorum corpus non esset in vltimo actu. minor verò, in qua est difficultas, probatur dupliciter. primò ex Aristotele, quia receptio specierum est quædam passio. sed corpora gloriosa sunt impassibilia. ergo &c. Secundò quia lucidū in actu excludit à se species visibiles, vt patet ex speculo. solis radijs directè opposito, quod non reddit imagines in eo se intuentium. atqui oculi Beatorum, sicuti & reliquum corpus, ingenti erunt claritate affecti. ergo &c.

19 Respondeo: concessa maiore, ad minorem dico non nullos eam negare propter rationes in obiectione allatas; atque adeo sustinere, Beatos per extra missionem radiorum obiecta visibilia intueri: alios verò velle quidem eos videre per species; sed asserere, dictas species non quidem ab obiectis visibilibus, sed per effluxum quendam à superioribus viribus, videlicet, ab imaginatiua, & intellectiua oculos Beatorum obtinere. sed neutra sententia placet; non prima, quia in resurrectione essentialia manebunt in homine, sed visus essentialiter importat rationem potentiæ passiuæ, quæ per receptionem specierum fiat in actu. ergo impossibile est, vt videat per extra missionem radiorum. sic enim deberet essentialiter esse actiua, & sic diuersæ speciei. neque placet secunda, tum quia illæ species miraculosè à superioribus viribus ponerentur defluere sine necessitate. tum etiam quia modus receptionis earum non faceret vere sentire sensibus externis, nam ad hoc requiritur, vt determinatio procedat à sensibilibus, & non ab intrinseco, vt patet ex freneticis, quibus licet ex perturbatione phantasia exteriora organa immutentur: non dicuntur tamen

Digitized by Google

men vere ſentire obiecta illa externa, quare melius dicendum cum D. T. *in 4 dist. 44 qu. 2 art. 1. quæſtiuncula 3.* Corpora tertiua Beatorum per ſpecies ſibi immiſſas ab obiectis illa videre. Ad priorem autem rationem in contrarium ex Ariſtotele deſumptam, aio receptionem ſpecierũ non eſſe paſſionem naturalem, perquam trahatur corpus Beati extra naturalem complexionem, & armoniam ſuarum qualitatum, ſed intentionalem, perquam recipitur qualitas ſine materia, cuius beneficio potentia ſenſitiua in ordine ad ſentiendũ perficiatur, & compleatur. Iam verò licet prior paſſio repugnet ſtatui beatorum, eo quod immutaret eorum corpora à debita ſuarum diſpoſitionum conſiſtentia: at verò ſecunda eſt illi valde conueniens, cuius beneficio veluti ſpiritualiter eorum cognoſcitiuæ potentiæ perficiuntur, & ad actus ſecundos ſibi connaturaliter competentes eliciendos completur. Ad poſteriorem verò rationem nego abſolute maiorem; & dico quod tantum abeſt quod lucidum in actu non ſit receptiuum ſpecierum viſibilium: vt quo intenſior ſit lux in medio, eo clarius videatur obiectum, quod ſi ſpeculum ſuppoſitum directe radio ſolis non repræſentat obiecta, non eſt quia eorum ſpecies non recipiat, ſed quia potentia uiſiua videndo in ſpeculo ipſum ſolem, eius excellenti claritate offuſcatur, ita ut reddatur inepta, obiecta repreſentata pertingere. aliam rationem aſſignat *D. T. loc. citq. 4. ad 5.* quia, inquit, adhoc ut forma *appareat in ſpeculo, fieri debet quædam reuerberatio ad aliquod corpus obſcurum, & ideo ſtamno uel calibe uitrum oblinitur à tergo.* Porrò hanc obſcuritatem radius ſolaris repellit, & ideo non poteſt in ſpeculo ſic illuminato aliqua ſpecies apparere, claritas autem corporis glorioſi non aufert diaphaneitatem à pupilla, quia gloria non tollit naturam, unde magnitudo claritatis in pupilla Beati magis facit ad acumen uiſus, quam ad eius defectum ita D. T.

SECTIO TERTIA.

An dentur ſpecies ſenſibiles ſenſuum internorum.

29 CONcluſio eſt affirmatiua, & communis. probatur autem facile ex dictis; nam cognitiones materiales internæ, quas de rebus externis elicimus, *ſunt ſimilitudines expreſſæ, & imagines, quædam illarum, eo modo, quo uiſio externa obiecti ſui.* ergo ſi ad uiſionem eliciendam dantur *ſpecies, non eſt cur negentur pro cognitionibus internis.* Reſpondebit forte aliquis: conceſſo antecedente, negando conſequentiam; & hanc rationem diſparitatis aſſignabit, quia nimirum in producenda cognitione externa, non ſupponitur in cognoſcente aliquid, quod poſſit ei tribuere ſimilitudinem expreſſiuam obiecti, & ideo debent in eo admitti ſpecies, quarum beneficio id præſtare ualeat. at quando debet producere cognitionem internam de aliquo obiecto iam ſupponitur aliquo ſenſu externo illud antea cognouiſſe, atque adeo beneficio huius externæ cognitionis habere ſufficiens complementum, ut illam ſimilem obiecto producat.

Sed contra eſt, quia ſæpe internus ſenſus cognoſcit obiectum, quando non habetur de eo externa cognitio: ut quando canis non reperit catulos ſuos ubi illos reliquit, & eos inquirit, de eorum iactura dolens; in tali enim caſu cognitio illa interna eſt expreſſa catulorum ſimilitudo; ſed non procedit ab aliqua cognitione externa eorũ, ut patet. ergo admittendæ ſunt pro ea ſpecies non minus, quam pro cognitionibus ſenſuum externorum. idem apparet in dormientibus. & reminiſcentibus; per quæ remanet impugnata ſententia Ouiedi *centron. 13. part. 2. nu. 1.* exiſtimantis pro obiectis præſentibus exterius ſenſatis, non dari ſpecies in ſenſu interno, ſed per ſenſationes externas loco ſpecierum ab eo percipi; Contra hoc enim facit, quia eadem potentia ſenſitiua eſt cognoſcitiua præſentium, & præteritorum. ergo ſicuti cognoſcit præterita per ſpeciem diſtinctã à ſenſatione externa, ita, & præſentia. 21

Sed obijcies primo: ſi ſenſus interni indigerent ſpeciebus intentionalibus, hæ maximæ eſſent illæ, quæ ſenſibus externis ab obiectis ſenſibilibus imprimuntur. ſed hoc eſt impoſſibile. ergo non indigent. maior patet, quia non poſſunt aſſignari aliæ. minor uerò ſuadetur, quia ſpecies, quæ cauſantur ab obiectis in ſenſus externos, uel pendent in conſeruari ab ipſis obiectis, uel ſi non pendent breuiſſimã durationẽ exigunt. atqui ſi ſenſus interni beneficio ſpecierũ ſuas operationes eliceret, dictæ ſpecies diuturno tempore, indepenter ab obiectis externis, durare deberent. nam belluæ poſt multos annos recordantur ſuorum dominorum, uel eorum, à quibus aliquod beneficium acceperunt; ergo &c. Reſpondeo negando maiorem; dico enim ſpecies, quibus indigent ſenſus interni, eſſe neceſſario debere diuerſæ rationis ab illis, quæ imprimuntur ſenſibus externis ab obiectis ſuis. ratio eſt quia potentiæ cognoſcitiuæ, quæ differunt inter ſe eſſentialiter, exigunt ad operandum ſpeciebus eſſentialiter diuerſis; ſed ſenſus interni, & externi differunt inter ſe eſſentialiter; ergo impoſſibile eſt vt eiſdẽ ſpeciebus, vel eiuſdem rationis ſpecificæ ad actus ſuos cognoſcitiuos eliciendos indigeant. maior, quæ ſola probatione eget, præter rationem in obiectione ad probandam minorem adductam, ſuadetur duplici alia, & primò quidem exemplo potentiarum cognoſcitiuarum externarum, pro quarum diuerſitate diuerſæ aſſignantur ſpecies ſẽſibiles; nullus enim dicet oculum videre poſſe per ſpecies ſoni, & aurem per ſpecies odoris audire, &c. ſecundò ex fine, quia, quoties effectus differunt inter ſe eſſentialiter: toties ſic etiam differre debent principia, vnde eorum differentia ortum habet. atqui viſio externa albi, & phantaſma, quod interius de illo formamus, inter ſe eſſentialiter differunt, & eorum diuerſitas in ſpecies refundi debet. ergo &c. maior cum prima parte minoris videntur certa, ſecunda verò pars ſic probatur: quia licet viſio obiecti albi, & phãtaſma eiuſdem obiecti differant inter ſe eſſentialiter ratione potentiarum, quarum ſunt actus vitales, non poteſt tamen negari quin etiam inter ſe differant ratione diuerſarum expreſſionum, quas de eodem obiecto in ſuis prædicatis important. ſed hæc diuerſitas non niſi in ſpecies refundi po- 22

Digitized by Google

di potest. ergo &c. vnde autem huiusmodi species habeantur dicemus postea.

23 Obijcies secundo: sensus interni non solum cognoscunt obiecta sensata, sed etiam non sensata; ouis enim cognoscit agnum vt sibi conuenientem, & ideo eum sequitur; Lupum vero vt disconuenientem, & ideo ab eo fugit &c. sed ad cognoscenda obiecta insensata non indigent speciebus. ergo neque ad sensata; & sic ad nulla; quia omne obiectum sensus interni vel sensatum est, quod nimirum sensu aliquo externo prius percipitur. vel insensatum, quod nullo externo percipi potest. maior videtur certa. minor probatur, quia licet, si loquamur de speciebus sensatis, facile intelligi possint causari eis ab actibus sensuum externorum, at loquendo de insensatis, non est assignabile vnde illis proueniant. Consequentia vero paritate rationis est euidens. Ad hoc argumentū plures ad hiberi solent responsiones, quas aequum est examinare.

24 Respondent aliqui primò maiorem negando. ratio, quam adducunt, est huiusmodi: nullum est assignabile obiectum insensatum, quod cognosci debeat per sensus internos; si qua enim essent: maxime ipsa obiecta sensata sub ratione conuenientis, & boni; aut disconuenientis, & mali. sed hoc dici nequit; quia, vel hæ rationes non sunt cognoscibiles per aliquem sensum, eo quod consistunt in proportione, aut improportione; atque adeo in relatione, quam habent cum natura sensitiua. quæ relatio nullo sensu est cognoscibilis, sed solo intellectu: vel si cognoscibiles, videntur ipsis externis sensibus percipi posse. de facto enim ciborum suauitas, vel insuauitas percipitur gustu; sicuti odor, vel fætor olfatu; & pulcritudo, vel deformitas visu, ergo &c.

25 Verum hæc responsio non placet; nego enim nullum esse assignabile obiectum insensatū, quod sensu interno cognosci debeat. pro dilucidatione autem argumenti in contrarium adducti, eius maiorem concederem; aio enim verè obiecta sensibilia sub rationibus conuenientis, & boni, vel disconuenientis, & mali ab omnibus viuentibus, sensitiuis debere percipi; cum enim appetitus sensitiuus tendat in bonum sensibile, sub ratione cōuenientis naturæ sensitiuæ, & fugiat à malo sub ratione disconuenientis eidem naturæ: necessariò debet ratio conuenientis vel disconuenientis ab illis cognosci, vt mouere possit ad sui amorem, vel refugientiam appetitum sensitiuum eorum. nil enim volitum quin præcognitum. quoniam verò aliunde scimus appetitum esse potentiam cæcam: rectè deducimus ad potentiam cognoscitiuam sensitiuam pertinere obiecta sensibilia sub dictis rationibus cognoscere, & proponere appetitui; quare nego minorem; & ad priorem rationē in contrarium affero; dictas rationes à potentia sensitiua cognosci posse. sed nego eas consistere in proportione aut improportione, atque adeo in relatione, quam habent obiecta sensibilia cum ipsa natura sensitiua. quamuis enim eorum conueniētia, vel disconuenientia sine huiusmodi relatione à nobis explicari minime valeat: vtraque tamen est ratio quædam absoluta, sicuti est ratio scibilis, cū scientia comparata, quam docet Aristotiles à nobis non posse sine relatione ad scientiam, explicari, quamuis in se absoluta sit, & ipsam scientiam antecedat. Ad posteriorem verò rationem Arriaga *disput. 4 num. 82.* distinguit de obiectis sensibilibus; & siquidem *in* vnica qualitate cōsistunt, concedit eorum conuenientiam, vel disconuenientiam externis sensibus percipi posse. Contra verò si in conflato plurium qualitatum, qualis est concentus musicus, qui cum in plurium vocum proportione, & concordia positus sit, dicit propriè non percipi ab auditu, sed à sensu interno. verum contra hanc distinctionem facit, quia si experientia ab externis sensibus ducta, aliquid probat, suadet non solū obiecta vnica qualitate constantia, sed etiam multiplici proportionē includente, quo ad conuenientiam, & disconuenientiam ab ipsis externis sensibus percipi posse. non minus enim nos experimur concentum musicum mulcere aures: quam vnicam vocem suauem, & æque delectari gustum sapore simplici qualitate constāte, & lædi alia simplici sibi noxia: ac quando obiectum illius ex concordia, vel discordia plurium qualitatum lapidarum componitur; nullam enim nos experimur in his diuersitatem. quare sicuti corrigit auctor imaginationem de experientia in ordine ad sensibile, constans multiplici qualitate, negando sensu aliquo externo percipi posse: ita debet eamdem corrigere in ordine ad sensibile simplici qualitate præditum; ad vtrumque enim negandum militat par ratio, ducta ex insufficientia, quam habent sensus externi percipiendi obiecta sua sub ratione formali conuenientis, & boni, aut disconuenientis, ac mali; cum ea solum percipere valeant secundum suas peculiares rationes V. G. auditus, secundum rationem sonori; visus secundum ratione colorati, &c. quæ æque bene cum conuenientia, & disconuenientia ad naturam sensitiuam stare possunt, siue demum multiplicem, siue vnicam tantum qualitatem importent. cæterum sicuti per Arriagam repugnat concentum ex multiplici voce constantem, sensu externo secundum proportionem, & consonantiam formaliter sumptam percipi posse: ita debet etiam negare, quod possit sensu aliquo interno cognosci; proportio enim importat comparationem, & relationem vnius ad alterum, quam certum videtur non alia potentia cognoscitiua, nisi intellectiua, attingibilem esse. 26

Secunda responsio ad obiectionem principalem est eorum, qui concedunt maiorem. nimirum sensū internum non solum posse cognoscere obiecta exterius sensata, sed etiam insensata; sed negant minorem, eum scilicet, ad hæc posteriora obiecta cognoscenda non indigere speciebus, & ad rationem in contrarium dicunt, huiusmodi sensum, quem æstimatiuam potentiam appellant, percipere obiecta sensuum externorum vt conuenientia, vel nociua per easdem omnino species sensatas, quibus sēsus externi eadē obiecta secundū suas rationes formales speciales cognouerūt.

Sed contra hanc responsionem facit, quia vti 27
diximus, species externę sunt essentialiter ordinatæ ad sensus externos adiuuandos, sed hi non indigent attingere obiecta sua sub ratione conuenientis, vel disconuenientis naturæ sensitiuæ. ergo species externæ non possunt complere sensus internos in ordine ad dicta obiecta sub huiusmodi

Digitized by Google

modi rationibus insensatis percipiendum. Neque dicas quod cum natura instruxerit species externas ad complendos sensus etiam in corporibus hinc ut iudicent de illis etiam vim repræsentandi obiectam suæ sectionis rationes insensatas. Ne id dicas, inquam, quandoquidem minus distat unus sensus externus ab alio externo, quam ab interno. Cum igitur constet pro duplici externo non instituta fuisse à natura totam speciem, quam haberet munus verumque sensum complendi, multo minus ex his quæ notata sunt, putandum est ordinatam fuisse unicam ad complendum duplicem sensum, quorum vnus sit externus, alter internus.

28 *Hisigitur* responsionibus patet ad tertia. Respondendum censeo tertiò: sensus internos cognoscere obiecta insensata per species. Ad rationem autem in contrarium allo dictas species remotè quidem præuenire sensui interno ab obiectis externis, proximè verò ab actibus externorum sensuum, qui dicta obiecta cognouerunt eo modo, quo in sequenti sectione dicetur.

SECTIO QVARTA.

De specierum sensibilium causis.

29 EXquinque causarum generibus dum sunt, quæ caps in nonnullam dubitationem adducere in præsentia posse videntur. Genus causæ materialis, & efficientis. nam de fine specierum iam vidimus eam esse supplere vices obiecti; de earum verò causa formali, cum sint degenere qualitatis, nulla potest occurrere difficultas. nos ergo quid de materiali, & efficiente illarum sentiendum sit, sequentibus subsectionibus determinabimus.

SVBSECTIO PRIMA.

Qua sit causa materialis specierum sensibilium in animali.

30 VNica Conclusio. Species sensibiles, tum externorum, tum internorum sensuum, quæ debent immediatè concurrere vna cum illis ad sensationes efficiendas, non recipiuntur in potentijs sensitiuis animæ, sed in materia prima organi corporalis illarum. Explico, dixi primò (species sensibiles, quæ debent concurrere immediatè cum potentijs) recipi in materia organi, quia certum est species visibiles existentes in aere, in aeris
31 materia subiectari; verum hæc non debent immediatè concurrere cum omni actu visionem. Addidi secundò (huiusmodi species recipi in materia prima organi) nō. quod ex illis rationibus non subiectari immediatè, & ea media, in ipsa materia prima; sed ut explicaremus eas non recipi in materia prima mediis potentijs internis, neque invenisque immediatè. Conclusio sic explicata, est primò contra illos, qui putant dictas species immediatè informare potentias, & ijs mediis materiam organi, in qua sententia est Auerſa *to. 2 quæ. 53. sect.* est secundò contra alios, qui existimant eas indiuisibiliter, tum potentias organicas, tum ipsa organa immediatè informare. est denique tertiò contra Durandum, Vgonem de Sanctò Victore, Auicennam, Auerroem, Ricardum, Capreolum, Hispalensem, Aegidium, & Fracastorium locis citatis ab Auerſa. Dicit doctrinam materialem specierum intentionalium sensibilium esse spiritus animales, hoc est tenuissimas, & purissimas sanguinis partes, quæ in ordine ad sensationes exercendas à natura elaborantur.

32 Probatur nostra Assertio primò, quo ad species externorum sensuum. huiusmodi species sunt eiusdem rationis, & obsectæ cum illis, quæ producuntur in medio à. G. in aere, aqua, Chrystallo &c. sed huiusmodi species recipiuntur connaturaliter in materia prima medij, sicut reliquæ qualitates physicæ. ergo & species sensuum externorum non recipiuntur in potentijs sensitiuis animæ, siue distinguantur, siue non 83 ab ipsa anima, sed in sola materia prima organi corporalis illarum.

33 Idem probatur secundò. Moriente animali pereunte obiecto aliquod intuetur, proficio eius pupilla quandiu non amittit diaphanitatem, & præsentiam obiecti illuminati, repræsentat adhuc eius imaginem, sicut repræsentabat antea, quando viuebat. ergo retinet eadem species, quas habebat viuente animali, sicut etiam primas, & secundas qualitates physicas. ergo quomodmodum ex hoc resté colligimus, has qualitates habere pro causa materiali adæquata materiam primam animalis viui, idem debemus inferre loquendo de speciebus.

34 Probatur denique ultimò. Conclusio quoad species sensuum internorum, ex dictis constat materiam primam posse in sè adæquatè recipere, & subsentare species sensibiles, aliunde verò non apparet peculiaris ratio, cur debeat sic recipere, & subsentare solas species sensuum externorum, & non etiam internorum. ergo virtualiter in sè adæquatè recipit, atque subsentat.

35 Dices cum Arriaga *disput. 4. de anim. sect. 4. nu.* 187. Externa parte species sensuum internorum sunt diuersæ essentiæ à speciebus externorum, & ea alia verò sufficienter materialitatem suam à potentijs sensitiuis internis recipere possunt; ergo connaturalius videtur asserere, quod in ipsis potentijs internis immediatè recipiantur. 84

Sed contra primum, quod in antecedente assumitur, facit, quia argumentum à paritate rationis desumptum, rectè procedit etiam si id, ex quo desumitur, habeat diuersam essentiam ab eo de quo aliquid simile probare intendimus, vt suprà contra exemplis etiam ad hominem suaderi potest. contra secundum verò, quia quæ medium non obstante quod species externæ suam materialitatem à potentijs materialibus recipiant varias, addebam putare, quod causentur à materia dictabam potentiarum sic, non obstante, quod species internæ suam posse à sibi, debeat asserere, quod ab earum materia, & non ab ipsis potentijs subsententur.

36 Dices secundò pro Durando, & alijs Rationes adductas probare quidem contra eos, qui sustinent potentias sensitiuas esse subiectum, vel adæquatum specierum suarum, vel inadæquatum non autem contra se, qui eis assignat pro subiecto subsentante spiritus animales; quâuis enim in dictis spiritibus reciperentur, adhuc verificaretur, quod haberent pro subiecto materiam primam illorum.

Digitized by Google

37 Contra hos ergo Probatur quartò Conclusio; & quidem quò ad species sensuum externorum sic; quia in corpore diaphano recipiuntur species visuales, etiam si nulli sint in eo spiritus animales. ergo dictæ species visuales recipientur etiam in materia prima oculi, hoc ipso quod diaphana sit, quamuis nulli spiritus animales in eo existant. Quoad verò species internorum sic: sensus interni diurno tempore species suorum obiectorum recipere solent; Sed spiritus animales, cum sint tenuissimæ sanguinis partes, facillimè resoluuntur, ac effluunt. ergo impossibile est vt horum materia sit huiusmodi specierum receptaculum. sed bene materia organi, quæ diutissime perseverat.

38 Obijcies primò. Aristoteles *loco citato sect. 1. huius disput.* docet potentias sensitiuas esse passiuas, & ab obiecto pati. ergo in eius sententia species in ipsis potentijs, & non in earum materia organizata recipiuntur. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. ratio negationis est, quia vt alibi notauimus, sæpè Philosophus nomen potentiarum animæ vsurpat non pro sola vi effectiua vitali operationum vitalium, sed pro organo materiali actuato, & completo per dictam vim. Porrò sic huiusmodi nomen in præsentia accipit, dum dicit: potentias sensitiuas esse passiuas, & ab obiectis suis pati debere, vt notate conflatum ex organo materiali, & virtute animali non esse completè potens cognoscere obiectum, nisi recipiat ab ipso obiecto species intentionales, æque adeo patiatur ab illo.

39 Obijcies secundò: species sensibiles, licet non sint vitales, habent tamen connexionem cum potentijs vitalibus; ergo debent recipi immediatè in ipsis potentijs. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. ratio negationis esse potest, quia connexio, quam habent species sensibiles cum potentijs sensitiuis, non est nisi in ordine ad causandum, vt nimirum simul cum illis ad eliciendam cognitionem similem obiecto concurrant; porrò ad hanc connexionem saluandam, satis est si recipiantur in materia prima, & sic dictis potentijs sint intimè præsentes.

40 Instabis; species est complementum potentiæ cognoscitiuæ; ergo non solum debet cum illa penetrari, sed etiã eam informare, atque perficere.

Respondeo distinguendo antecedens, species est potentiæ cognoscitiuæ complementum in genere causæ efficientis, concedo; est complementum in genere causæ formalis, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod cum species impressa se teneat ex parte obiecti, & non ex parte potentiæ, est solum complementũ in genere causæ efficientis respectu potentiæ, sicuti effectum, si posset vna cum illa immediatè concurrere ad cognitionem. quare species diuerso modo est completiua potentiæ, ac sit habitus. hic enim, cum se teneat ex parte ipsius potentiæ, eam formaliter perficit, & actuat. quare licet cum illa efficienter etiam concurrat ad actus vitales, non est tamen negandum in genere etiam causæ formalis eã perficere.

41 Obijcies tertiò: si species internorum sensuum reciperentur in materia animalis, & non in eius potentijs cognoscitiuis: sequeretur quod mortuo animali, adhuc in eius materia perdurarent; sed hoc videtur inconueniens; ergo &c. minor patet, sequela verò suadetur paritate primarum qualitatum, quæ quis recipiuntur in sola materia animalis, adhuc post eius mortẽ, in ea conseruantur.

Ad hoc arguentem respondet Arriaga *hoc tract. cap. num.* 188. negando sequelam; huius verò negationis duplicem rationem adducit. prior est: illas species pendere in conseruari ab anima sensitiua, & sic non posse post eius corruptionem, vel separationem à materia adhuc durare. posterior verò, eas ordinari vt ad proprium finem ad cognitiones exercendas, & ideo deficiente anima, natura sua perire. Sed neutra ratio videtur solida. Contra priorem enim facio, quia gratis, & sine ratione ponitur in speciebus internis huiusmodi dependentia in conseruari ab anima; quamuis enim ab ea in produci dependerint; maior tamen pars qualitatum post primam sui productionem influxu causarum secundarum efficientium, minime eget, vt inductione patet. quod si in hoc non illo egeat assignanda est positiua ratio, cur à communi lege species sensibiles se eximant, sicut lumen; & non potius reliquas imitentur? Contra posteriorem verò rationem est, quia non minus species externæ visibiles ordinantur natura sua, ad visionem, quam internæ ad sensationes interiores sibi proportionatas: sed illæ mortuo animali, adhuc durant in pupilla. vt auctor *num.* 184. fatetur. ergo non est cur hæ perire debeant. Quare melius respondendum videtur, rationẽ cur *mortuo* animali, dictæ species corrumpantur; ex illarum natura à nobis à posteriori cognita, potendi esse; experientia enim constat huiusmodi species ad sui conseruationem aliquibus dispositionibus indigere, quibus quando priuatur materia, in qua existunt, quamuis animal adhuc in vita perseueret, nihilominus illas deperdit. vnde ita obliuiscitur aliquando eorum, quæ antea bene nouerat, ac si nullam omnino notitiam de illis habuisset; qua posita experientia, corruptio specierum internarum in morte animalis rectè refundi potest in deperditionem illarum dispositionum, quibus indigent ad hoc, vt exigant conseruari à Deo; quæ quidem dispositiones, cum ad introductionem formæ cadauericæ statim corrumpantur, multo velocius, quam color, calor, morbiditas carnis, & similia accidentia, quæ post mortem animalis momento pereunt, non est cur species in cadauere diutius perdurare possint.

Obijcies quartò. S. Th. *part. 1. quæst. 92. art. 3. in corp.* aie, quod Aristoteles *lib. de somn. & vigilia cap. 3.* assignans causam apparitionis somniorum, dicit, quod cum animal dormit, descendẽte plurimo sanguine ad principium sensitiuum, simul descendunt motus, id est impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in spiritibus sensualibus conseruantur, & mouent principium sensitiuum, ita quod fit quædam apparitio. ergo per Aristotelem, & D. Tho. species sensuum internorum recipiuntur in solis spiritibus sensualibus, hoc est animalibus viuentium sensitiuorum, & non in materia dictorum sensuum. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; & dico: ex auctoritate Aristotelis, & D. Th. solum colligi nonnullos spiritus animales informari speciebus sensuum in-

Digitized by Google

internorum; ex hoc tamen non bene deduci, quod in materia organi dictorum sensuum, eorum species minime subiectentur. quemadmodum enim aliquæ species sensuum externorum V.G. visus ita sunt in medio, hoc est, in aere, vt etiam aliæ illis omnino similes existant in pupilla: ita aliquæ species internorum ita sunt in spiritibus animalibus; vt aliæ similes sint etiam in materia organi sensus interni. cur autem vtrumque subiectum informent: ratio est quia in vtroque sufficientes dispositiones inueniunt: sicuti externæ. porrò hoc natura in nostro casu instituit, vt existentes in materia organi concurrent cum potentia cognoscitiua; existentes verò in spiritibus, excitarent saltem inadæquatè sensus internos ad formandas cognitiones illorum obiectorum, quorum sunt species.

SVB SECTIO SECVNDA.

Quæ sit causa efficiens specierum sensibilium externarum.

44 ANtiquiores philosophi existimantes huiusmodi species esse perfectiores obiectis suis, atq; adeo non posse, neque immediatè, neq; mediatè ab illis produci, in varias circa earum causam efficientem abiere sententias. Auerroes enim *secundo de anim comm.* 20. vt Venetus, & Iauellus affirmant, putauit assignandum omnino esse aliquod agens extrinsecum, ab ipsis obiectis sensibilibus omnino distinctum, quod dictas species sensibus imprimeret. Auicenna autem, citatus à D. T. *qu.* 10. *de verit. art.* 6 dixit: Intelligentiam agentem, quam ponebat à corporibus separatâ, munus producendi species sensibiles sibi vendicare. Buccaferreus verò apud Zabarellam *lib.* 1. *de sensu agente cap.* 3 hoc munus attribuit Cælestibus corporibus, per virtutem assistentis Intelligentiæ operantibus. Denique Suessanus apud eundem Zabarellam concessit obiectis ipsis materialibus virtutem hanc, sed instrumentalem tantum, non principalem; quia putauit ea vt instrumenta primæ causæ illas producere. verum hi omnes falso innixi fundamento tanta sententiarum diuersitate de causa efficiente specierum opinati sunt. vanum enim, & improbabile est, quod asserunt: species nimirum per sè loquendo esse perfectiores in entitate physica obiectis, quorum sunt species. quamuis enim hoc per accidens aliquando contingat, vti supra notauimus, videlicet ratione subiecti, vt constat ex speciebus, quas de qualitatibus materialibus habent Angeli, quæ, cum sint qualitates spirituales, sunt de suo genere illis perfectiores: at cæteris paribus obiectum semper est sua specie nobilius, quare omnibus his opinionibus post habitis: quia diuersimode de principio effectiuo specierum sensibilium externarum, ac de internarum discurrendum esse existimamus: pro externis sit.

45 Vnica conclusio: Obiecta sensibilia per sè ipsa producunt species intentionales in sensibus externis. est communis, & eam tenet Aristoteles *secundo de Anim. tex.* 121. & sæpe alibi dum docet, sensibile in ordine ad sensorium sè habere, vt agens ad passum.

46 Probatur autem paritate, simul & experientia. non enim ob aliud nos putamus lumen produci à sole, calorem ab igne &c. nisi, quia videmus ad præsentiam solis aerem illuminari, manum ad præsentiã ignis calefieri &c. sed nos experimur ad præsẽtiam obiecti albi produci species albedinis eius in oculo, & ad præsentiã obiecti nigri species nigredinis illius &c. ergo dicere pariter debemus in sensibus exterioribus species sensibiles ab obiectis sensibilibus imprimi. Probatur consequentia: si qua enim assignabilis esset disparitas, maximè, quia constat lumen esse ignobilius sole, & calorem igne, sed non minus certum est species sensibiles externas esse physice loquendo imperfectiores obiectis suis. ergo &c.

Obijcies primò. Omnis causa efficiens creata, 47
aut ad conseruandam suam speciem physicam aut ad sè perficiendum operatur. sed obiecta sensibilia in introductione speciei sensibilis, neque propriam speciem physicam conseruant, neque se ipsa perficiunt. ergo non causant efficienter species sensibiles sensuum externorum.

Respondeo: negando vniuersaliter maiorem. 48
vt constat ex sole, qui mundum illuminat absq; eo, quod intendat suam naturam specificam propagare, vel se ipsum perficere; sed præcise vt sè communicet alijs rebus, eaque perficiat. eius autem naturam, quo adhoc corpora sensibilia in productione specierum suarum imitantur.

Obijcies secundò. Obiectum sensibile est crassius speciebus externis, ergo nequit illas producere. consequentia patet, quia, quo res est crassior alia, eo est illa imperfectior. Respondeo distinguendo antecedens. obiectum sensibile est crassius, hoc est ineptum ad concurrendum immediatè cum sensu externo concedo. est crassius hoc est imperfectius physice speciebus externis, nego antecedens, & cõsequẽtiã cũ sua probatione. 49

Obijcies tertio. species, quæ ab obiecto producuntur in medio, vel non concurrunt ad productionem specierum in sensibus exterioribus impræssarum, vel concurrunt. primum est falsum, quia sic essent omnino infecundæ. ergo secũdum; sed admisso earum concursũ superfluè ponitur, quod etiam ad dictas species producendas immediatè concurrat ipsum obiectum, cum possit dici, quod concurrat solum mediatè; ergo &c. 50

Respondeo concessa maiore, & minore. dico 51
quod concurrant; nego autem inde sequi superfluè poni à nobis concursum immediatum ipsius obiecti; quẽadmodum enim, vt primo de generatione probauimus, ignis simul cũ aere intermedio à se calefacto, calefacit immediatè manũ; ita obiectum simul cum specie existens in medio immediatè concurrit ad productionẽ speciei sensibilis, quæ fit in sensorio exteriori. Et ratio est, quia cũ constet obiectum habere in sè virtutem producẽdi huiusmodi species; sicuti ignis virtutẽ producendi calorem: necesse est vt ad similitudinẽ illius sibi vendicet sphærã aliquã, adquã immediatè suã extẽdere valeat actionẽ. Atq; hic obiter aduertere circa maiorẽ intẽsionẽ harũ specierũ, quæ beneficio perspiciliorũ, causatur ab obiecto in partes remotiores suæ sphæræ, quam in viciniores, eodem quoque modo philosophandum esse, sicuti philosophati sumus circa intensionem luminis per refractionem radiorum producti: in vtroque enim casu agens principale agit pluribus vijs in partes sibi remotiores, vt patet.

Digitized by Google

52 Instabis: si species producta in medio, haberet vim producendi similem speciem in potentia: sequeretur quod videri posset obiectum, adhuc interiecto corpore opaco, eo quod species laterales sibi similes produceret; sed hoc est cõtra experiẽtiam; ergo &c. Respondeo distinguendo sequelã, & si quidem species se sola aliam producere valeret, concedo: posito quod dicamus eam non posse, nisi cum consortio obiecti, nego. quia iam obiectum supponitur per lineam tantum rectam esse specierum suarum productiuum.

SVBSECTIO TERTIA.

De causa effectiua specierum sensibilium internarum.

53 PRo resolutione quæstionis huius supponendũ: tria specierum internarum genera distingui solere; quædam enim sunt obiectorum exterius sensatorum, vt sunt species Leonis V. G. quas habemus interius de Leone iam viso: quædam verò sunt ex obiectis sensatis compositorum, cuiusmodi sunt species, quibus montem aureum; quem nunquam vidimus, imaginamur; ex eo quod aurum, & montem diuisim exterius aliquando agnouerimus; aliæ denique sunt obiectorum insensatorum, vt cum ouis apprehendit agnum vt sibi conuenientem, & bonum; lupum vero vt disconuenientem, & malum. Nos vero, vt hic causam specierum internarũ primi generis statuamus sit.

54 Vnica Conclusio: species obiecti sensati producuntur in sensu interno immediatè ab actu cognitionis externæ, quem animal de illo obiecto produxit.

Probatur. quia ex vna parte debemus assignare causam efficientem harum specierum obiectorum sensatorum, absque eo quod recurramus ad intelligentias, vel ad primam causam: ex alia verò nulla videtur aptior ipsa cognitione externa. ea enim est expressa similitudo vitalis sui obiecti; ergo superat in perfectione dictas species, vt possit illis virtualem similitudinem cum dicto obiecto tribuere. aliunde verò experientia constat interiorem sensum non nisi existente in actu secundo sensu exteriore, species sensatas primò habere posse, ac eo meliores, & perfectiores, quo actus secundus sensus externi melius, & perfectius suũ agnoscit obiectum. ex quibus omnibus videtur valde rationabiliter deduci, debere sensationes externas esse illas, quæ producunt species obiectorum sensatorum in sensu interno, quod erat probandum.

55 Ad hoc argumentum quadrupliciter respondeti potest: primò enim Quiedus ex his, quæ habet *Controu. 13. de anim. puncto 2.* negare videtur primam antecedentis partem, tanquam de subiecto non supponente, quia existimat sensum internum per sensationem externam proxime compleri ad dictam sensationem, atque adeo ad eius obiectum cognoscendum.

56 Verum contra hoc facit, quia sensatio externa existit tantum in organo suo. ergo impossibile est, quod possit operari in cerebro, vbi residere supponimus sensum internum. Quamuis autem Auctor in sententia huic omnino contraria, suam opinionem fundare conetur, dicendo, se alibi probasse animam diuisibilem secundum omnes sui partes concurrere ad sensationem, quæ fit in qualibet parte Corporis; quare sicuti quælibet pars animæ est sufficienter applicata ad operandum in cerebro, ita, & quælibet sensatio in dicta parte recepta. quia tamen nos superius hanc eius sententiam confutauimus, probantes partem animæ Bouis V. G. quæ est in pede, non concurrere ad visionem, quæ ab oculo eiusdem bouis elicitur, sed solam illam portionem, quæ ipsum oculum informat: ideo argumentum nostrum in suo persistit robore. illius vero nullam præfert difficultatem.

57 Alij secundò respondent, negando secundam partem principalis antecedentis, volentes, species obiectorum sensatorum interioris sensus, fieri ab obiecto extrinseco, mediante specie, à se externo sensui impressa.

58 Sed huic opinioni duæ rationes obstare videntur. vna sic procedit: vel species producta ab obiecto in sensu externo concurrit ad actum sensus interni, existendo solum in ipso externo sensu, vel existendo simul secundum alias, & alias sui partes in spatio, quod inter externum, & internum intercipitur. Non primum, quia distat. quamuis enim vna facultas vitalis possit per suam operationem excitare ad operandum aliã facultatem in eadem anima radicatam per modum cuiusdam naturalis sympathiæ, etiã si de cæteris dictæ facultates inuicem inter se distent: Hoc tamen in casu nostro non habet locum, quia nisi species sit intime præsens potentiæ cognoscitiuæ, non potest cum ea concurrere ad operandum. alioquin pro sensatione externa non esset necesse producere in organo externo species, sed sufficeret eas producere in medio, quod ipsi organo proximum est; quod tamen est euidenter falsũ. Neque potest dici secundum, quia medium, quod intercipitur inter vtrumque sensum, sæpe est incapax dictæ speciei. constat enim species visibiles non posse recipi, nisi in Corpore diaphano illuminato: medium autem quod inter pupillam, & cerebrum animalis intercipitur, est opacum, & obscurum; atque adeo incapax dictarum specierum. falsum igitur est species internas obiectorũ sensatorum produci à speciebus externis, seu ab ipso obiecto sensibili, illis mediantibus. Altera verò ratio hoc ipsum improbans est, quia si species externorum sẽsuum immediatam causalitatem exercerent erga species sensatas internorum: sequeretur, quod quoties in externo sensu dictæ species residerent, deberent illas causare. hoc autem falsum esse constat ex illis, quia apertis oculis dormiunt, vel apoplexiam, aut animi deliquium patiuntur. hi enim licet recipiant in oculo species visibiles obiectorum præsentium: nullas tamen internas species de illis acquirunt; deberent autem acquirere, si species internæ efficerentur ab externis, quia quoties causa naturalis est debite applicata passo, necessario sequitur actio.

59 Contra hoc tamen dices primò: eandem causam in dictis casibus esse impeditiuam visionis externæ, ac productionis specierum internarum; Sed contraria est manifesta disparitas, nam visio est actio

Digitized by Google

actio vitalis partialiter à potentia vitali procedens. potentiæ autem vitales indigent ſpiritibus animalibus ad operandum, qui à cerebro in eas deſcendunt, & quia canales, per quos dicti ſpiritus derivantur in dormientibus, & apopleticis obſtructi ſunt, animi verò deliquium patientibus ipſimet ſpiritus deficiunt; hinc eſt vt hi omnes, quamuis in oculis habeant ſpecies, nihil tamen videant. At productio ſpecierum non eſt vitalis, & ſic non importat influxum immediatum potentiæ; quare ſi ſpecies externa eſſet productiua internæ, etiam ſi oculus nil videret, deberet eam producere.

60 Vrgebis ſecundo: quis ſcit eam non producere? ſi enim hoc noſſe poſſemus, maximè quia conſtaret ſenſum internum horum hominum nihil tunc operari: ſed hanc rationem nullam eſſe probatur, quia etiam ſi eorum oculi nihil videāt, non tamen ſpeciebus viſibilibus ſunt deſtituti. Contra tamen eſt, quia inter ſpecies externas, & internas eſt latum diſcrimen. externæ enim in conſeruari pendent à ſua cauſa, à qua primò producuntur, non ſic ſunt internæ. ſed inſtar caloris, qui licèt in fieri pendeat ab igne, non tamē in conſeruari. defacto enim nos poſito, quod habeamus internas ſpecies de aliquo obiecto, identidem de illo cogitare ſolemus, abſque vlla immutatione ſenſuum externorum. Vnde ſi dormientes, & apopletici &c ſpecies internas de obiectis præſentibus acquiſiuiſſent, poſt ſomnum, apoplexiam &c. deberent poſſe illa cognoſcere. ſed hoc eſt aperte falſum. ergo &c. Iinquo ſpecies internas eſſe talis naturæ, vt in prima ſui impreſſione in potentia, illam determinent ad eliciendam cognitionem illius obiecti, cuius ſunt ſpecies, vt experientia conſtat; atque adeò repugnare ſpecies internas cauſari in ſenſum internum, abſque eo, quod hic aliquam cognitionem eliciat circa obiectum earum.

61 Dices denique tertiò. Ideo in talibus caſibus internas ſpecies ab externis minimè produci, quia indigent actibus externorum ſenſuum, non tanquam cauſa, ſed tanquam conditione, ſine qua non imprimantur. Sed neque hæc ratio procedit, quia non poteſt aſſignari ad quid dicti actus requirantur vt conditio, niſi ad vim argumenti effugiendam. ſi quidem conſtat per huiuſmodi actus non approximari ſenſus externos internis. Et confirmatur, quia obiectum vt externas ſpecies in potentia producat, non requirit, niſi debitam applicationem ad potentiam rectè diſpoſitam. ergo ſi ſpecies externa internam produceret, hoc ſolum illi ſatis eſſe deberet.

62 Tertia reſponſio ad principale argumentum eſt eorum, qui apud Ruuium *lib. 3. de anim. cap. 3. quæſt 9. num. 163.* volunt ſpeciem internam ſenſatam produci à ſolo ſenſu interno, vt determinato à cognitione externa de eodem obiecto tanquam conditione, ſine qua non. Contra hos facit proxima impugnatio; nam ſenſatio externa, hoc ipſo, quod non eſt approximatio ſenſus externi ad internum, vt agentis ad paſſum, conuincitur fictitiè exigi, nè aduerſarii cogantur aſſerere, ſenſum externum debere ſpecies omnium ſenſibilium interno identidem imprimere, eo quod non eſſet maior ratio cur vnam potius, quā aliam; ergo neque hoc latibulum habet aliquid ſecuritatis.

63 Quarta denique reſponſio ad argumētum principalem eſt eorum, qui dicunt, quod ſicuti datur in nobis intellectus agens, ita & ſenſus agens, à quo aſſerunt ſpecies internas in animali produci, ſicuti communiter dicuntur ſpecies intelligibiles effici in nobis ab intellectu agente. Sed contra eſt, quia in tantum aſſignatur intellectus agens in nobis ad ſpecies intelligibiles producendas, quia cum hæ ſpirituales ſint, non poſſumus illis aſſignare cauſam efficientem ordinis materialis, ſed debemus ad aliquod ſpirituale principium immediatè influxiuum in illas, neceſſario recurrere; & quia non apparet aliud, quod rationabiliter aſſignari poſſit, quam intellectus agens, id circo illum communiter admittimus, ne cogamur ad Deum tanquam ad machinam recurrere. at ſpecies internæ ſenſatæ ſunt materiales, ſicuti ſunt ſenſationes externæ, aliunde verò hæ, vt pote vitales, ſunt illis perfectiores. non eſt igitur, cur non aſſignemus illis dictos actus tanquā cauſam efficientem.

64 Quatuor adducit Suares *lib. 3. de anima cap 9. num. 10.* ad corroborandam hanc ſententiam de ſenſu agente, quam ipſe *num 14.* tuetur. primò quia cognitio non eſt productiua alterius qualitatis à ſe realiter diſtinctæ. ergo productio ſpecierum ſenſatarum non poteſt cognitionibus externis attribui. ſecundò quia non redditur ſufficiens ratio, quare ſpecies interior non pendeat in conſeruari à ſenſatione externa. tertiò quia experimur quod vna potētia vitalis operatur per ſympathiā, vt determinata per operationem alterius. quartò denique quia non eſt maior ratio, cur detur intellectus agens, & non ſenſus agens. Reſpondeo tamen breuiter ad ſingula. Et ad primum quidem; diſtinguo aſſumptum: cognitio non eſt productiua alterius qualitatis phyſicæ, tranſeat: intentionalis, nego antecedens. defacto enim retinemus ſpecies noſtrarum cognitionum, quas aliquando elicuimus. Ad ſecundum, nego item aſſumptum, & dico rationem independentiæ ſpeciei internæ in conſeruari ab externa ſenſatione, petendam eſſe ab exigentia ſenſus interni, qui cū exigat operari circa obiecta ſenſata, etiā quando illa externo ſenſu nō amplius cognoſcuntur, non niſi ſpecies independentes in cōſeruari à ſuis cauſis productiuis, expoſcit. Ad tertium denique, & quartum patet diſparitas ex dictis. Illud potius argumentum quinto loco contra nos videtur addendum: Si ſenſatio externa eſſet productiua ſpecierum internatum de ſuo obiecto, ſequeretur quod deberet illas producere in aere ſibi vicino, æque, ac in partibus internis animalis vſque ad eius cerebrum. ſed hoc eſt falſum ergo &c. Reſpondeo negando ſequelam rationem aſſignat Arriaga *num. 192.* quia, inquit, ſpecies, quas de ſuo obiecto cognitio externa producit, ſunt in ordine ad memoriā, & ad faciliorem reddendam potentiā cognoſcentem, in qua ſola ſunt tales actus. Sed contra, quia, non obſtante quod ſpecies externæ ſunt in ordine ad externas ſenſationes, adhuc tamen recipiuntur in medio, eo quod in eo reperiunt diſpoſitiones, ſibi neceſſarias. ergo &c. Melius ergo dicendum videtur, quod id circo externa

Digitized by Google

terna visio non produeit species sensatas in aere sibi vicino, quia dictæ species requirunt in subiecto dispositiones quasdam, quæ non habentur in ipso aere, sed bene intra ipsum animal. nec mirum quamuis enim huiusmodi species sint materiales, & de obiecto V.G. visibili: differunt tamen essentialiter ab externis quæ diaphaneitatem V.G. & lumen tanquam dispositiones sibi vendicant. præterea species externæ sunt regulariter vltimò determinatiuæ suarum potentiarum. non sic autem internæ, nisi in prima sui productione, quando actu à sua causa productiua dependent. postea enim indigent excitatione vt sensum internum valeant determinare: excitantur autem vel ab humore in homine prædominante. vel ab eius libera voluntate, vel ab aliquo extrinseco, siue hoc sit obiectum, siue Angelus, siue Deus ipse. verum autem huiusmodi excitatio aliquod physicum de nouo importet, alibi dictum est.

SVB SECTIO QVARTA.

Quid de causa effectiua specierum internarum compositarum, & insensatarum.

65 QVo ad primum, sit prima conclusio: species ex sensatis compositæ, non habent aliam causam suæ entitatis, nisi actus sensuum externorũ, qui simplices species internas antea produxerunt. est contra nonnullos, qui putant quod ad formandam imaginationem montis aurei; vel animalis semihominis, & semiequi, debeat necessario concurrere quædã tertia species interna simplex, realiter distincta ab illis, per quas ea obiecta secundum se diuisa cognouimus. verum hæc sententia potest habere veritatem solum casu, quo semel illa obiecta composita imaginati fuimus, quia tunc actus imaginationis iam sui speciem simplicem in sensu interno reliquit, qua vti possumus quoties obiecta illa composita rursus imaginari voluerimus. cæterũ non esse necessariam huiusmodi speciem simplicem, vt prima vice phantasma nobis de monte aureo, & similibus efformemus; sed sufficere simplices species montis, & auri à cognitionibus externis in nobis productas, quatenus inter se, vel vi ipsius imaginationis, vel accidentario concursu spirituum dictas species retinentium, de nouo coniunguntur. probatur: quia aliquando in sensu externo ita plurium obiectorum species inter se confunduntur, vt vnum tertium obiectum ex illis resultans repræsentent. sic campus innumeris herbis coopertus è longinquo, ac si vna continente, & non interrupta viriditate vestiatur, nobis apparet, & tela varijs coloribus intexta, ac si vnico tantum colore imbuta sit. quidni ergo idem in sensibus internis contingere valet, aut quæ necessitas admittendi tertiam speciem simplicem in imaginatione, ad confundenda plura obiecta, cum præsertim difficile sit assignare causam productiuam huius speciei, vt de se constat.

66 Quo ad secundum: sit secunda conclusio. Recte etiam potest sustineri, causam effectiuam specierum insensatarum esse ipsos actus sensuum externorum, qui sensatas species in interno sensu producunt. Ita Suarez *lib. 3. de anima cap. 9.* & alij.

67 Probatur vnica ratione. sensationes externæ sunt causa efficiens specierum sensatarum sensus interni. Sed species insensatæ non distinguntur realiter à sensatis. ergo sensationes externæ sunt causa efficiens specierum insensatarum sensus interni. maior patet ex dictis, & consequentia est legitima. minor vero suadetur: per eandem speciem intelligibilem, perquã intellectus noster cognoscit actum fornicationis V.G. cognoscit illũ vt conformem sensui, & vt difformem rectæ rationi; ergo per eandem speciem sensus internus cognoscit obiectum sensatum secundum se, ac secundum, quod est conueniens, vel disconueniens appetitui sensitiuo, quæ sunt eius rationes insensatæ, antecedens videtur certum, non enim intellectus supponitur habere alias species à principio, nisi eas, quas abstrahit à phantasmatibus, consequẽtia euincitur, quia, quemadmodũ species intelligibilis fornicationis, non obstante, quod abstrahatur à phantasmatibus materialibus, quæ non attingunt conueniẽtiam, & disconuenientiam cũ recta ratione, dictas rationes intellectui repræsentare potest. ita species interna sensata, non obstante, quod fiat à sensatione externa, quæ nõ attingit rationem boni, & mali naturæ sensitiuæ, potest repræsentare huiusmodi rationes sensui interno. & ratio huius à priori est, quia plures potentiæ cognoscitiuæ in eodem principio cognoscente ita sunt ordinatæ, vt vna sit superior, & vniuersalior; alia inferior, & particularior. vnde fit, vt quoties idem obiectum agnoscunt plures sint rationes, quas in illo superior, quam inferior attingere valeat, & quia cognitio inferioris debet cognitionem superioris præcedere, eiq; species de seo obiecto cognito subministrare; debuit natura dare vim inferiori formandi species aptas repræsentare aliquas alias rationes obiectiuas, quas ipsa vitaliter attingere minimè valeat, vnde non est mirum si sentatio exterior tribuat sensui interno species, quæ non solum sunt aptæ ei repræsentare rationes sensatas, quæ ab ipsa attinguntur, sed etiam insensatas, quas minimè percipit. atque hic est discursus D T. *pr. pr. qu. 78 art. 4.* vbi quæris, verum inferiores sensus conuenienter distinguantur; ad quartum enim sic habet: Dicendum, quod licet intellectus operatio oriatur à sensu; tamen in re apprehensa per sensum, intellectus multa cognoscit, quæ sensus percipere non potest, & similiter æstimatiua, licet inferiori modo.

68 Contra hanc conclusionem Obijcies primò: si hæc doctrina vera esset, sequeretur, quod potentiæ essentialiter inter se distinctæ, vna eademque specie compleri possent. sed hoc repugnare patet ex dictis. ergo &c. sequela probatur, *quia* sensus communis, & potentia æstimatiua *differunt* inter se essentialiter; eo quod ille habet pro obiecto rationem sensibilis sensati: hæc verò rationem sensibilis insensati, quia attingit obiecta, quatenus conuenientia, vel disconuenientia naturæ sensitiuæ. ergo si per eandem speciem obiecta sensata, & insensata cognoscerentur, potentiæ essentialiter distinctæ, vna eademque specie compleri possent. Respondeo negando sequelam, & ad eius probationem, nego assumptum; puto enim, vt ex dicendis constabit, eandem potentiam materia-

Digitized by Google

tensibiles cognoscitiuam intrinsecam, ratione diuersarum operationum, quas exercet, diuersas illas denominationes sibi vendicare; ad eum planè modum, quo idem intellectus, licèt sit vnica tantum facultas, distinguitur in apprehensiuam, iudicatiuam, & illatiuam. quod si oppositum sustinere velis, concessa sequela, ad minorem dico nunc repugnare potentias essentialiter distinctas vna eademque specie realiter accepta compleri posse, quando organum diuersæ rationis in corpore animalis sibi vendicant, sicuti sunt potentia visiua, auditiua, & similes: at sensum communem, & æstimatiuam in eodem organo residere, & ideo nil mirum, si vna eademque specie realiter sumpta compleri possint.

69 Obijcies secundò: animalia quædam, quando ægrotant, aliqua sibi quærunt remedia, quæ nunquam sensu aliquo externo antea perceperunt: ergo species insensatas, quas de dictis remedijs habent, non habuerunt sibi causatas ab aliqua sensatione externa, sed à solo Deo initio sui ortus, vt aliqui putant.

70 Respondeo, negando antecedens: quando enim ægrotans bruta, sensum doloris, quem experiuntur, solum æstimant vt sibi nocium, & id circa illum à se expellere appetunt; quod si aliquam V. G. herbam medicinalem sensu externo percipiunt, statim sub ratione conuenientis illam apprehendunt, sicque ea vtuntur.

71 Obijcies tertiò: sensatio externa non est similis sudo expressa rationum obiectiuarum insensatarum, hoc est conuenientiæ, & disconuenientiæ, quam habet obiectum ad appetitum sensitiuum. ergo impossibile est, vt possit species illarum in sensu interno producere. Respondeo, concessa antecedente, negando consequentiam, ratio negationis est, quia externa sensatio non producit dictas species vitaliter, quasi verò in expressio vitalis rationum illarum, sed naturaliter tantum, ad eum planè modum, quo obiectum sensibile V. G. color, quamuis se ipsum non percipiat, sui tamen speciem representatiuam producit.

72 Obijcies quartò: Vel omnis species interna lupi habet vim repræsentandi disconuenientiam, quam lupus habet cum oue: vel non; sed illa solum, quæ producitur in oue, quando videt, vel odoratur Lupum; horum dici potest: ergo &c. maior patet, minor probatur; non potest dici quod omnis; sequerentur enim quod omne animal habet speciem lupi, cognosceret illum esse contrarium sui: neque secundum, quia sic species lupi, quam sibi formaret ouis, esset diuersæ rationis ab ea, quam sibi formarent reliqua bruta, quibus lupus non est inimicus.

73 Respondeo; Concessa maiore: ad minorem dicerem vtramque partem esse probabilem: ad probationem priori contrariam, negarem sequelam: ac assererem vim illam, quam habent species sensatæ producendi cognitionem conuenientiæ, vel disconuenientiæ suorum obiectorum cum animalibus, in quibus existunt, esse illis datam à natura ad exigentiam ipsorum animalium; quia verò hæc non exigunt cognoscere nisi id, quod sibi conueniens, vel nocium est; hinc fieri, vt etiam si species sensata lupi habeat de se inducere in cognitionem inimicitiæ, quam habet vnus cum lupo: tamen non, nisi ouem in huiusmodi cognitionem inducat; non verò reliqua animantia. Ad probationem verò contra posteriorem partem adductam, dici posset, non esse absurdum concedere speciem sensatam lupi, quam sibi formar ouis, esse diuersæ rationis ab ea, quam sibi formar alius lupus. cum enim in oue debeat repræsentare inimicitiam cum lupo, & in alio lupo amicitiam: non est mirum si ratione harum diuersarum virium vna differat essentialiter ab alia, ad eum planè modum, quo differunt inter sè ouis, & lupus.

SECTIO QVINTA.

An species sensibiles sint diuisibiles in repræsentando.

PRæter intensiuam diuisibilitatem, quam habere species omnes sectione quarta præcedentis disputationis probauimus: duplicem 74
illam in speciebus sensibilibus considerare possumus. Vna ab ente, quam aliij subiectiuam appellat, & consistit in eo, quod habeat partes, subiecti partibus correspondentes. Altera in repræsentando, quæ aliis obiectiua vocant, & importat correspondentiam partium ad partes obiecti, ita vt sicuti obiectum est diuisibile in plures partes, ita eius species modo diuisibili illud repræsentet, hoc est, tota quidem totum, & pars partem. Et quidem speciem sensibilem priorem diuisibilitatem habere certo certius est. cum enim educatur de potentia subiecti diuisibilis, & ab illo pendeat in suo esse: imitari debet naturam reliquarum qualitatum materialium, quæ proprio subiecto coextenduntur; & in tot partes sunt diuisibiles, in quot subiectum ipsum diuidi potest. Verum autem posteriori diuisibilitate prædita sit, an verò in repræsentando sit indiuisibilis, ita vt quælibet eius pars omnes sui obiecti partes indiuisibiliter repræsentet, hoc est quod in præsentia controuertitur.

Nostra Conclusio est, eam esse indiuisibilem in 75
repræsentando, & carere extensione obiectiua in ordine ad obiectum, atque adeo non habere partes, quarum vna repræsentet vnam partem obiecti, alia aliam: ita Toletus *lib. 2. de anima quæst. 34.* Conimbricenses *lib. 2. ibi cap. 7 quæst. 5 art. 2. & lib. 3. cap. 8. quæst. 6. art. 2.* Auersa *to. 2. quæst. 53. sectio 3. & 5.* Compronus de anima *disput. 18. sect. 6.* & plures alij recentiores. Contra Suarez *tertio de anima. cap. 2. numero 17.* Hurtadum *disput. 22. de anim. sect. 5.* Arriagam *ibid. disput. 4. sect. 7.* Quiedum *Lauram. 13. puncto quinto.* Murum *lib. quarto quæst. 42.* Tellez. *disp. 8. sect. 2.* Aquilon *lib. 2. optic. propos. 47.* Cabellum *disp. 2. sect. 4.* Quiros in suo cursu *disput. 92. num. 9.*

Probatur ab aliquibus primò nostra sententia 76
sic: in qualibet parte aeris non est tota species visibilis, sed ex qualibet parte eiusdem aeris videtur totum obiectum; ergo quælibet pars speciei repræsentat totum obiectum, est igitur species indiuisibilis in repræsentando.

Verum hæc ratio nullius est momenti. recte 77
enim aliquis respondere potest distinguendo maiorem: in qualibet parte aeris non est tota spe-

cies

cies visibilis totaliter subiectiua, concedo, obiectiua, nego: & concessa minore distinguitur eodem modo primum consequens, quælibet pars subiectiua speciei repræsentat totum obiectum, concedo; quælibet pars obiectiua, nego primam cum secunda consequentia, eo quod in hac sententia, quælibet pars subiectiua speciei continet in sè omnes partes obiectiuas eiusdem in eadem parte subiecti, in qua reperitur.

78 Probatur ab aliis Secundò. Quælibet pars luminis producti, indiuisibiliter á toto corpore luminato, & à singulis eius partibus dependet ergo, & quælibet pars speciei indiuisibiliter à toto obiecto, & à singulis eius partibus producitur. nil mirum igitur est, si tota species indiuisibilis est in repræsentando sed neque hæc ratio solida est. Respondeat enim potest, concesso antecedente, negando primam consequentiam. disparitas erit, quia lumen procedit à luminoso vt simile in natura vnde est quod, quælibet eius pars à qualibet luminosi partecuiusnatura assimilatur causari possit; at verò species procedit vt similis in repræsentando. Secundò igitur quælibet pars obiecti, suam habet propriam repræsentabilitatem: ita peculiarem speciei partem sibi produxit, quæ sit ad illam repræsentandam natura sua ordinata.

79 Probatur ab aliis tertiò, singula obiecti minutissima ad inuicem separata videri non possunt; at verò si per iuxtapositionem in vnum locum cogantur, procul dubio videntur. sed hoc non accidit nisi, quia tunc actione communi ad vnam speciem producendam, indiuisibiliter concurrant species igitur, quemadmodum indiuisibiliter pendent ab illis obiectis, ita indiuisibiliter illa repræsentare debent.

80 Verum nec plus roboris habet hæc ratio quam præcedentes. responderi eodem potest idem argumentum esse à nobis soluendum. quodlibet enim ex illis corpusculis per sè ipsum speciem suam indiuisibilem in repræsentando in sententia nostra producit, & tamen dicta corpuscula à se inuicem separata non videntur. Contra verò videntur coniuncta. Ratio autem cur minutissima corpora inuicem disiuncta non videntur coniuncta verò videntur, esse potest, quia vnitæ producunt in oculo species æquiualentes vni speciei, proportionem habenti cum potentia visiua, & illam excedenti in plus, quemadmodum enim non quilibet minimus conatus grandem lapidem mouere potest, sed plures minimi multiplicandi illum mouebunt. sic non quodlibet corpusculum visibile è longinquo existens, est sufficiens ad mouendam potentiam visiuam ad visionem, sed multa coadunata, vel vnum ex multis compositum procul dubio illam mouebunt. nisi foret potentia esset valdè perfecta, tunc enim à quolibet ex illis corpusculis, quantumuis exiguo & in magna distantia constituto, facile immutari posset, ad eum planè modum, quo lapis, quod ratione figuræ est facile mobilis, minori conatu indiget vt moueatur, atque hæc ratio æquè probat vt de sè patet, siue species in repræsentando diuisibiles sint, siue indiuisibiles, quare his argumentis tanquam inefficacibus prætermissis.

81 Probatur efficaciter quartò. Conclusio, considerando vnam particulam aeris, vel ignis Cœlo Lunæ proximam, tum sic: Species sensibiles essent in repræsentando diuisibiles, sequeretur quod in ea aeris particula pœne infinitæ partes specierum subiectarentur. & primò quidem subiectarentur tot partes, quot essent sufficientes ad cooperiendum totam fere globum elementarem, omnesque Cœlos, exceptis illis paucis, ex quibus non posset duci linea recta ad dictam particulam, ita vt illæ species explicarentur, tantam haberent amplitudinem, quantam ipsi Cœli, & elementa, quæ videri possent à pupilla siue sursum, siue deorsum respiciente, in loco illius particulæ aeris penetretur. subiectarentur secundò etiam tot partes specierum, quot partes intensiuæ qualitatis visibilium V. G. luminis, diaphaneitatis &c. in qualibet particula eorundem Cœlorum, & Elementorum existunt, eò non sit maior ratio cur species sint diuisibiles in repræsentando extensionem obiecti, & nò intensionẽ; & quia quælibet ex dictis partibus siue extensiuis, siue intẽsiuis obiectorum potest magis, vel minus intensè repræsentare subiectarentur tertiò in illà aeris particula tot partes intensiuæ singularum specierum iam dictarum, quot essent necessariæ ad videndas singulas tantas intensione, ex quo sequitur fore innumerabiles partes specierum, quæ illam aeris particulam informarent, & quidem æquales inter sè ac proportionales vt patet. cum igitur nulla sit necessitas multiplicandi eos formas: dicendum potius est species sensibiles esse indiuisibiles in repræsentando, non verò diuisibiles. consequentia huius argumenti ex argumentorum solutionibus patebit; sequela verò antecedentis cõstat igitur ex doctrina aduersariorum, quam rectè explicat Quiedus loco citato tribus conclusionibus, quarum prima est Obiectum diuisibile secundum extensionem tot partes specierum producere in quælibet minima parte aeris, vel in pupilla, quot partes extensionis habet in sè. secunda verò: Obiectum diuisibile secundum intensionem tot partes speciei in eadem minima parte aeris, vel in pupilla producere, quot partes intensiuas qualitatis visibilis habet in se; ita vt si sit album intensum vt puta V. G. cuilibet gradui æqualis species correspondeat. Tertia denique est: Cuilibet parti minimæ obiecti, tũ secundũ extensionẽ tũ secundũ intensionẽ acceptæ in qualibet particula aeris, vel in pupilla correspondere speciẽ eius determinatæ intensione, hoc est magis, vel minus intensam, pro vt para illa aeris magis, vel minus distat ab obiecto. Atquitex illa particula aeris Cœlo Lunæ proxima, non solum ipsum Cœlum Lunæ, sed omnes alii superiores cum fixis, videri possunt; nec non etiam maxima pars mundi elementaris, ergo ex aduersariorum sententia sequitur, species omnino partes tam extensas, ac intensas obiectiuas specierum in illa aeris particula reperiri; quod erat probandum.

82 Dices: Ad defendendam specierum sensibilium obiectiuam diuisibilitatem non esse necesse, vt secundum proportionem Arithmeticam extensioni, & intensioni obiectorum suarum correspondeant, sed sapis esse si correspondeant illis secundum Geo-

Digitized by Google

Geometricam. vt V.G. obiecto habenti extenſionem mille vlnarum, correſpondeat ſpecies in pupilla ita complicata, vt ſi explicaretur, vnum tantum palmum ſpatij occuparet. ſic enim per dimidium palmum attingeret quingentas vlnas, per medietatem dimidij ducentas quinquaginta &c. & quia tum extenſio, tum intenſio ponitur in infinitum diuiſibilis, etiam ſi ſpecies, quæ in illa aeris particula ſubiectarentur, explicatæ, vnicum tantum palmum ſpatij occuparent, & ad vnicum tantum gradum intenſionis aſſurgerent: poſſent nihilominus totum cælum, & elementa diuiſibiliter repreſentare.

83 Sed contra eſt primò, quia in ſententia plurium recentiorum, exiſtimantium continuũ ex ſolis indiuiſibilibus eſſe compoſitum, hæc reſponſio non habet locum. quia, vt dicit Ouiedus concluſione tertia: quodlibet obiectum indiuiſibile, & quælibet pars obiecti diuiſibilis, quantumuis minima, etiam indiuiſibilis ſecundum extenſionem, & intenſionem producit ſpeciem ſui. ſed hæc ſpecies non poteſt eſſe minor ipſo obiecto. quia non poteſt dari aliquid minus ipſo indiuiſibili. ergo ad minimum erit æqualis. falſum igitur eſt in hac ſententia per ſpeciem minores partes habentem, poſſe repræſentari obiectum maius.

84 Contra ſecundò: Admiſſa ſententia conſtituente continuum ex partibus diuiſibilibus in infinitum, *quia ſpecies eſt ſubiectiuè diuiſibilis, & coextenditur ſuo ſubiecto, ita vt quælibet pars ſpeciei adæquet partem ſubiecti ſibi correſpondentem, & proportionatur illi arithmeticè*, non verò Geometrice tantum. ergo ſi ſpecies eſt obiectiuè diuiſibilis, coextendi etiam debet ſuo obiecto, ita vt quælibet pars illius adæquet partem obiecti, quam repræſentat, & proportionetur illi arithmeticè, non verò Geometricè tantum. Explicatur quod dicimus: Non poteſt dari ſpecies habens extenſionem quantitatiuam palmarem, quæ informet ſubiectum vlnare, quin illud indiuiſibiliter ſecundum aliquas ſaltem partes informet. ergo neque poteſt dari ſpecies habens extenſionem entitatiuam item palmarem, quæ repreſentet ſubiectum vlnare, quin indiuiſibiliter illud ſecundum aliquas ſaltem ſui partes repreſentet. non enim poteſt aſſignari diſparitas in hoc. Præterea ſic eandem reſponſionem in hac ſententia impugnarem, ſi ad diuiſibilitatem *in repreſentando* ſufficeret ſpeciei proportio *Geometrica cum ſuo obiecto diuiſibili*, ſequeretur quod ſicuti poſſet dari *ſpecies minor obiecto*: ita dari etiam poſſet *maior, quæ* minimum repreſentaret *obiectum* palmare, & ſi expanderetur, vlnare ſpatium occuparet. non enim poſſet *in hoc maior ratio aſſignari*. Ponamus autem ſpecies, quæ *defacto ſunt*, eſſe huiuſmodi, quam ingẽs ſpecierum ſuppellex in ea particula aeris prope lunam conſtituenda eſſet? profectò ſine comparatione maior illa, quæ ex arithmetica proueniret. hoc autem euidens ſignum eſt, ſpecies ſenſibiles neutram proportionem habere poſſe ad ſua obiecta; atque adeo eſſe *indiuiſibiles in repreſentando*. quia cum natura poſſit per indiuiſibilitatem in repreſentando ſupplere iacturam tot entitatum; aliunde verò eam eſſe nimis parcam ſciamus: debemus aſſerere, quod ita sè defacto gerat, ſicuti defacto ſe gerit in actu ipſo vitali viſionis. vt fatetur Quiros *diſp. 92. nu. 10. cit.* concedendo ipſum eſſe indiuiſibilem.

Probatur denique quibrè *noſtra* aſſertio: ſi ſpecies ſenſibilis eſt diuiſibilis *in* repreſentando, vel eius partes diſtinctis partibus obiecti, ſiue extenſiuis, ſiue intenſiuis correſpondentes, ſunt interſè vnitæ, ſicuti ſunt partes caloris in noſtra ſententia, exiſtentis in ſubiecto calido, vel diſcretæ non facientes continuationem. neutrum dici poteſt; ergo &c. Probatur *minor*, & quidem quo ad poſteriorem partem eſt certa, quia implicat multitudo rerum diſcretarum, quæ adæquet multitudinem partium continuatarum, aliquod continuum componentium. ſic enim ad indiuiſibilia iam deuentum eſſet. quoad priorem verò partem ſuadetur ex eo, quia nullam aliam vnionem inter partes qualitatis agnoſcimus, præter extenſiuam, & intenſiuam. ſed neutra his partibus conuenire poteſt: non extenſiua: quia ponuntur ab aduerſarijs eandem omnino ſubiecti partem afficere; neque intenſiua, quia non ordinantur ad vnam eandemque obiecti partem repræſentandam. ergo &c. 85

Reſpondet ad hoc Arriaga *num.* 15. partes ſpeciei obiectiuas probabile eſſe non vniri. probabilius tamen videri, quod vniantur, ſicuti vniuntur partes obiecti; quemadmodum enim (inquit) quando duæ partes materiæ vniuntur, vniuntur etiam partes quantitatis, & ſimilium accidentium, quæ ſunt in illis, ita & partes obiectiuæ ſpecierum.

Sed contra eſt quantum ad poſteriorem partem attinet, nam prior ſatis impugnata eſt: ſiquidem ex vnione partium obiecti ſenſibilis, ſicuti etiam ex vnione partium quantitatis, & ſimilium accidentium, quæ ſunt in duabus partibus materiæ, quæ vniuntur, non reſultat, niſi vnum extenſiuè: at ex vnione partium ſpeciei correſpondentium partibus extenſiuis, & intenſiuis obiecti, reſultat quoddam nouum genus vnius, quod ſine vrgenti neceſſitate non debet intrudi in mundum. ergo &c. Eodẽ modo impugnanda eſt Reſponſio Ouiedi quam dat *loco citato num.* 8. dum ait: dictas partes ſpecierum facere vnum ſecundum intenſionem, impropriè tamen; quia licet non pertineant ad eandem omnino partem obiecti manifeſtandam, pertinent tamen ad eandem partem ſubiecti perficiendam. Quæro enim ex illo, num quando dicit; partes illas ſpeciei facere vnum intenſiue improprie: num impropriætas afficiat tum vnitatem, tum intenſionem. an verò ſolam intenſionem. ſi primum, iam ergo partes illæ propriæ ſunt diſcretæ, nullam facientes veram vnitatem, quod abſque eo quod ſint indiuiſibiles, & infinitæ, ſuſtineri non poteſt. ſi verò ſecundum; datur igitur aliqua propriè vnitas in qualitate, quæ propriè, neque intenſiua ſit, neque extenſiua, quod gratis omnino, & contra antiquorum philoſophorum communem ſenſum fingitur. 86

✠

Digitized by Google

SECTIO SEXTA.

Soluuntur argumenta contraria.

87 OBijcies primò ex Arriaga *numero* 223. vna pars obiecti diuisibilis emittit speciem independenter ab alia, ergo emittit species distinctas à speciebus alterius, hæ igitur species iuxta diuisibilitatem obiecti diuisibiles sunt. Vtraque consequentia videtur certa. antecedens verò suadetur, quia vt vna pars parietis videatur, nullatenus ab alterius visione depédet; illa enim cooperta, vel ablata ad hunc conspicitur altera, ergo &c.

88 Respondeo: In præsenti quæstione, in qua quæritur: num species sensibilis sit indiuisibilis in repræsentando, sermonem esse de specie, quæ in sua entitate sit vna numero, constat autem vnitatem numericam dictæ speciei sumi, tum per ordinem ad vnum numero subiectum, tum per ordinem ad vnum numero obiectum. verum vt obiectum hanc vnitatem speciei præscribat, non debet sumi necessariò adæquatè secundum omnes partes, sed solum secundum eas, à quibus possit recta linea duci sine impedimento ad subiectum, quod est intra sphæram actiuitatis illius. quare si obiectum sit V. G. bipalmare, & ex primo tantum palmo possit duci linea recta in pupillam, existentem intra sphæram actiuitatis ipsius obiecti, non autem ex secundo palmo, eo quod inter hunc, & pupillam corpus aliquod solidum interponatur: vnitas speciei ab vnitate solius primi palmi desumitur, & in ordine ad illum quæritur, num sit indiuisibilis in repræsentando, nec ne. non autem in ordine ad secundum, cum constet eam nullo modo repræsentare secundum. his breuiter prænotatis, ad obiectionem distinguo antecedens: vna pars obiecti diuisibilis emittit species independenter ab alia, si ex dictis partibus duci potest recta linea sine impedimento ad pupillam, nego. si ab vna tantum parte potest, & non ab alia, concedo antecedens; & sic distinguo primum consequens: vna pars emittit species distinctas à speciebus alterius: si non potest duci recta linea ab vtrisque ad pupillam, concedo: sin autem duci possit, nego primam, & secundam consequentiam in sensu intento; Et ad probationem antecedentis dico, quod quando ambæ partes parietis videntur, sicuti species vnius est idem indiuisibiliter cum specie alterius, ita & visio. & ad rationem in contrarium addo, quod quando vna pars parietis cooperitur, vel aufertur, verum quidem est, quod adhuc videtur altera, sed per aliam speciem; quia tunc inter eam, quæ cooperitur, & pupillam adest impedimentum, ratione cuius nequit recta linea duci inter illas. Rursus inter eam partem, quæ remanet, & eam, quæ aufertur, non remanet vnitas continuatiua; & sic non sumus in casu quæstionis, vti notauimus. Quamuis igitur post cooperitionem, vel absciſſionem alia sit species, per quam incipit videri altera tantum pars obiecti: non tamen inde sequitur, quod prior non repræsentauerit vtramque indiuisibiliter;

89 Obijcies secundò ex eodem, *num.* 224. Species repræsentans partem muri V. G. non producitur ab omnibus alijs partibus eiusdem muri; ergo non est indiuisibilis in repræsentando. consequentia patet, quia si esset repræsentatio omnium, produceretur ab omnibus. antecedens verò videtur experientia ipsa comprobari.

Respondeo: distinguendo antecedens. species repræsentans partem muri, non producitur ab omnibus alijs partibus muri, à quibus potest duci recta linea ad pupillam sine impedimento, nego, à quibus non potest, concedo antecedens, & nego consequentiam, & ad probationem antecedentis aio: experientiam ostendere solum, quod si ab vna parte muri potest duci recta linea in pupillam, non verò ab alijs; tunc species repræsentans partè muri, à sola illa, & nõ ab alijs producatur; eo quod illã tantummodo repræsentat: contra verò, si potest ab alijs, & pupilla est intra sphæram actiuitatis earum omnium. 90

Tribus argumentis hanc doctrinam oppugnat Arriaga, quibus oportet respondere. primum est: Inde deduci, ex eo, quod aliqua pars cæli de nouo appareat, vel de nouo occultetur, totius Cæli speciem corrumpi. sed hoc sine necessitate non est dicendum; ergo &c. Verum hoc argumentum fortius veget aduersarios, quam nos; quamuis enim nos velimus ad discessum, vel aduentum nouæ partis cæli, totam antiquam eiusdem cæli speciem corrumpi; quia tamen putamus eam esse indiuisibilem in repræsentando: aduersarij verò diuisibilem; plus entitatis deperdi in eorum sententia: quam in nostra, necesse est. si quidem per eos debet corrumpi species repræsentatiua illius partis cæli, quæ occultatur, non solum secundum omnes partes subiectiuas, tum extensiuas, tum intensiuas, sed etiam secundum omnes tum extensiuas, tum intensiuas obiectiuas, quæ videlicet, correspondent extensioni, & intensioni dictæ partis, quæ occultatur; at verò nos præter deperditionem partium subiectiuarum huius speciei, non agnoscimus deperditionem aliarum; aliunde verò tot partes extensas, & intensas subiectiuas illi concedimus, quot aduersarij suæ parti corrumpendæ. non enim quia cæli species est indiuisibilis in repræsentando, debet habere partes subiectiuas, vel extensiuas, vel intensiuas plures illis, quas haberet species diuisibilis in repræsentando, vnam tantum cæli partem, V. G. orientalem repræsentans. cum igitur in cæli circumuolutione, plurium partium entitatiuarum corrumptionem admittant aduersarij, quam nos; mirum est quod se iactent, se facere per pauciora, quod nos facimus per plura, dum totam cæli speciem corrumpendam esse asserimus; cum constet, speciem nostram totalem multo pauciores partes entitatiuas continere, quam illam partialem eorum. 91

Secundum Arriagæ Argumentum sic procedit. In aere iuxta feneſtram V. G. datur species magnæ partis cæli. atqui illa non est vnica, & indiuisibilis, sed constat ex partibus obiectiuis. ergo &c. maior patet, quia ex feneſtra multo maior pars cæli videri potest, quam ex interiori parte cubiculi; minor verò suadetur. si species iuxta feneſtram esset vnica indiuisibilis, 92

hoc

Digitized by Google

hoc ipſo, quod in interiori parte cubiculi produceret aliam; deberet illam ſimilem ſibi producere, atque adeo talē, quę indiuiſibiliter repræſentaret totam illam partē cæli, quam ipſa repręſentat. Quod ſi neges interiorē debere illi aſſimilari, eo quod propter murorū impedimentū non poteſt è tota illa cæli parte, quæ prope feneſtram videtur, duci linea recta in interiorē partē cubiculi: Contra inſurgit auctor, quia vt videatur obiectum non requiritur vt ſit linea recta ſemper ex ipſo ad potentiam, ſed ſufficit ſi ſit ex ſpecie ad potentiam, vt patet in ſpeculo. Ibi enim, licet non ſit linea recta verſus videntē, quia tamen ex obiecto ad ſpeculum, & ex ſpeculo ad oculum lineę rectę duci poſſūt, poteſt obiectum totum videri. ergo ſi ſpecies feneſtræ indiuiſibiliter totam illam partem cæli repræſentat, & ab illa ſpecies intra cubiculum producitur: vtique per hanc videbitur totum id, quod videtur per ſpeciem iuxta feneſtram productam. dicendum igitur ſpeciem feneſtræ eſſe diuiſibilem in repræſentando, & in interiori parte cubiculi ſolum produci partes ab illis partibus ſpeciei in feneſtra exiſtentibus, quæ linea recta ex obiecto ingredi poſſunt cubiculum, non autem ab alijs propter contrariam rationem.

93 Reſpondeo primò: hoc argumentum æque aduerſarium premere. nam, ſiue ſpecies prope feneſtram exiſtens ponatur diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis in repręſentando, eadem militat difficultas, cur in interiori parte cubiculi non producat ſibi ſimilem. ſi enim non requiritur, vt ex obiecto ad ſubiectum ſpeciei duci poſſit linea recta, vt totū à ſpecie repręſentetur; ſed ſufficit ſi poſſit duci è ſpecie ad ſpeciem, iam etiam per auctorem deberet videri tota illa cæli pars ex interiori parte cubiculi, quæ videtur ex feneſtra, quia iam ex feneſtra duci poteſt recta linea ad oculum, ſicuti ducitur ex parte cæli ad aerem prope feneſtram exiſtentem. Paritas igitur ex ſpeculo deducta ſoluenda eſt ab vtriſque ad reflexionis naturam recurrendo; in reflexione enim ſpecies, quæ remouetur, neceſſe eſt adæquate correſpondeat ſpeciei directę, & ideo debet æquè late patere in repręſentādo obiectū: at ſpecies producta in interiori parte cubiculi non correſpondet adæquate ſpeciei productæ iuxta feneſtram. porrò hanc diſparitas colligitur ex experientia, quæ æque vrget, ſiue ſpecies ſit diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis in repręſentando. non recte igitur auctor illam pro ſe contra nos conqueritur.

94 Reſpondeo ſecundò directe ad argumentū, conceſſa maiore, negando minorem; & ad eius probationem dico: de cauſa productiua ſpeciei exiſtentis in interiori parte cubiculi tripliciter nos philoſophari poſſe. Primò iuxta ſententiam Scoti *in ſecundo diſt. 16. queſt. vnica* negantis vllam ſpeciem ſenſibilem externam producere alteram, ſed volētis omnes produci immediatè ab obiecto. Secundò iuxta ſententiam Alberti Magni *ſecundo de anima tract. 3.* qui non ſolū concedit aliquas ſpecies produci ab alijs, ſed ab eis ſolis ſine nullo influxu immediato obiecti. Tertiò deniq; iuxta ſententiam Palatij *ſecundo de anima cap. 12.* qui putat ad productionem ſpecierum remotarum immediatè concurrere non ſolum proximas obiecto, ſed etiam ipſum obiectum, & quidem neceſſario; ita vt ſine immediato obiecti concurſu proximè nihil operaretur, & ſiquidem primam ſequamur ſententiam; ad probationem minoris neganda eſt maior tanquam de ſubiecto non ſuppoſito; eo quod in ea ſupponatur ſpeciem productā in interiori parte cubiculi produci ab ea, quæ eſt in aere iuxta feneſtram. ſi vero ſecundam, quærendum eſt ab aduerſario: cur, cum productio ſpeciei in interiori parte cubiculi à ſpecie producta prope feneſtrā totaliter dependeat; non ſit illi ſimilis in repręſentando totum obiectum illius, cum ab illa per lineam rectā reſpiciatur. Quod ſi reſpondeat hanc eſſe naturam ſpecierum directarum, vt, quæ ſè habet vt cauſa alterius, non producat illam, niſi vt repræſentatiuam earum partium obiecti, à quibus ad eam poſſit linea recta perduci; eadem reſponſio ad eius argumentum ſoluendum nos adhibebimus. ſi denique tertiam ſententiam tuebimur, ſicuti meliores philoſophi faciūt, qui, ex eo quod videant ſpecies vicinas obiecto, in ſuo eſſe immediatè pendere ab obiecto, inferunt quod ſic etiam pendeant in operari. negandum eſt ſpeciem in interiori parte cubiculi productam, debere in repręſentando adæquari illi, quæ producta eſt prope feneſtram. eo quod hæc ſpecies non poteſt producere aliam, niſi immediatè ad illius productionem concurrat obiectum; quoniam vero obiectum concurrere nequit, niſi per lineam rectam, hinc fit, vt licet ſpecies producta prope feneſtram, magnam cæli partem repręſentet: illa tamen, quæ producta eſt in interiori parte cubiculi, non niſi modicam repręſentare poſſit, illam, videlicet, à qua ſine impedimento murorum poteſt duci recta linea ad portionem aeris, vel pupillam in interiori parte cubiculi exiſtentem. Contra hoc non habet vim, quod auctor in contrarium aſſumit, quod nimirum, vt videatur obiectum, non requiratur vt ſit linea recta ex ipſo ad potentiam, ſed ſufficiat vt ſit è ſpecie ad potentiam, vt patet in ſpeculo. tum quia hoc eſt ſoluendum, vti dicebam, ab omnibus: tum etiam, quia non valet argumentari ab actione reflexa ad directam.

Tertium denique Arriagæ argumentum, quod habetur *ſub num. 227.* eſt huiuſmodi: ſi omnes partes albedinis vnica indiuiſibili ſpecie viderentur, ſequeretur quod æque clare omnes apparerent, nā claritas viſionis ex ſpeciei intenſione procedit. ergo ſi eadem eſt indiuiſibilis ſpecies reſpectu omnium, eadem quoque reſpectu omnium erit intenſio; ſed experientia docet oppoſitum, nam partes parietis remotiores minus clare, quam proximiores videntur. ergo falſum eſt omnes partes videri per vnicam ſpeciem; ſed ea, quæ clarius per ſpeciem intenſiorem, quæ vero minus clarè, per remiſſiorem videbitur. 95

Reſpondeo: diſtinguendo ſequelam maioris: ſi omnes partes obiecti vnica indiuiſibili ſpecie viderentur: ſequeretur quod æquè clare omnes viderentur: ſi eſſent cætera paria, concedo. ſi non ſunt cætera paria, nego ſequelam; & ſic diſtinguo minorem: experientia docet oppoſitum, quod nimirum cæteris paribus vna pars obiecti clarius, alia obſcurius videatur, nego: cæteris non paribus, concedo minorem, & nego conſequentiam; ac dico quod quamuis ſpecies omniū par- 96

Digitized by Google

partium obiecti visibilis sit in repræsentando indiuisibilis, potest tamen illas diuersimode repræsentare: vnam videlicet clarius, aliam verò minus clare, ratione diuersarum circunstantiarum, siue se tenentium ex parte potentiæ, siue ex parte obiecti. experientia enim cõstat, quod si in eadem distãtia ab obiecto, & in eodẽ prorsus puncto ponatur oculus senis, & oculus adolescentis, senex clarius videbit partes remotiores illius obiecti, & minus clare viciniores: contra verò adolescens, clarius viciniores, & remotiores minus clare. In quo casu diuersitas se tenet ex parte potentiarum tantum. quare falsum est quod in maiore assumitur: claritatem, scilicet, visionis ex speciei intensione tantum procedere; in hoc enim casu, iam habẽtur species æquè intensæ, & tamen visiones sunt in claritate inæquales. Loquendo autem de casu in obiectione posito, in quo supponitur eadem prorsus pupilla rectè disposita videre minus clare partes remotiores, & magis clare viciniores eiusdem obiecti, diuersitas se tenet ex parte ipsius obiecti, & consistit in eo, quod cum species illa in concurrendo ad visionem, gerat vices obiecti: quemadmodum si obiectum per se influeret secundum omnes sui partes indiuisibiliter, maiorem conatum adhiberet secundum partes viciniores pupillæ, quam secundum remotiores, eo quod harum influxus ratione distantiæ languidius perueniret ad pupillam; illarum verò ratione vicinitatis robustius illam moueret: ita species quãuis indiuisibiliter omnes repræsentet; clarius tamen illas, quæ maiorem conatum ad visionem adhibuissent, minus verò clare illas, quæ minorem. vt autem hoc ex intrinsecis suis speciem habere defendamus, dicendum consequenter est, quod quamuis ipsa omnes partes indiuisibiliter repræsentet, perfectius tamen ostendit illas, quæ maiorem conatum ad eam producendam adhibuerunt; vt contingit in filijs, qui melius exprimunt parentem illum, qui influxu prestantiori ad eorum generationem concursum præbuit. Porro æquiuocatio obijcientis consistit in eo, quod putetur, quoties duo indiuisibiliter ab aliquo repræsentantur, debere necessario æquali claritate repræsentari. quod falsum omnino esse, patet ex specie intelligibili albedinis V. G quã intellectus humanus abstrahit à phantasmate ipsius albedinis, ea enim licet indiuisibiliter contineat repræsentationem omnium rationum, quæ in ipsa albedine continentur: magis tamen clare repræsentat rationem albedinis, quam rationes alias V. G. qualitatis, accidentis &c. non est igitur cur, licet duæ partes parietis indiuisibiliter ab eadem specie repræsententur, non possit tamen vicinior repræsentari clarius, & remotior minus clare.

Aliter respondet ad hoc tertium Arriagæ argumentum Comptonus *loco citato*. supponens enim *nu.* 10. iuxta communem philosophorum doctrinam (vt ait) posse eundem actum intellectus indiuisibiliter repræsentare obiectum diuisibile maiori claritate secundum partes viciniores, quam secundum remotiores: *nu.* 11. addit quod species non respicit obiectum, nisi per actum; quare sicuti species expressa, licet indiuisibilis, in repræsentando est magis clara formaliter respectu vicinioris partis obiecti, & minus clara respectu remotioris: ita tota species impressa item indiuisibilis respectu earundem, potest esse magis, & minus clara virtualiter.

Verum hæc responsio non satisfacit. negant enim suppositum Aduersarij, & de facto Arriaga expresse docet oppositum. *loco citato nu.* 238. vbi postquam docuit species intuitiuas intellectus diuisibiles esse, iuxta diuisibilitatem obiecti: subdit, hoc ipsum esse de cognitione intelligendum, scilicet, eam pro diuisibilitate obiecti diuisibilem esse. Idemque defendit Ouiedus *loco citato num.* 9. vbi ait id, quod dixi de visibilitate speciei impressæ, eodem modo speciei expressæ applicandum esse. ex quo deducitur nullam esse solutionem Comptoni ex rationis paritate desumptam. 97

Obijcies tertiò ex alijs. non potest vnum obiectum visibile producere speciem visibilem repræsentatiuam alterius obiecti. ergo neque vna pars obiecti visibilis speciem repræsentatiuam alterius partis; sed hoc eueniret, si species sensibilis esset indiuisibilis in repræsẽtando, ergo est diuisibilis. Respondeo distinguendo antecedens: quandiu illa duo obiecta manent discreta, concedo non posse producere vnicam speciem visibilem veriusque repræsentatiuam; sin autem continuentur, nego antecedens, & consequentiam. ratio disparitatis est, quia *quandiu* illa obiecta sunt discreta, neutra exigit repræsentari per repræsentationem alterius. Contra verò quando sunt partes vnius obiecti, exigunt vnam speciem repræsentatiuam sui habere, & quia aliunde vidimus huiusmodi speciem non esse capacem partium, partibus tum intensiuis, tũ extensiuis obiecti correspondentibus: hinc est quod dicamus eam esse indiuisibilem in repræsentando. quod intelligendum est realiter, nam in sensu formali dicta species pro vt est repræsentatiua vnius partis, non est representatiua alterius, vt de se patet. quare licet quælibet pars realiter loquendo, ad alterius repræsentationem concurrat, non tamen formaliter, sed ad suam tantum. 98

Obijcies quartò: species sensibilis non solum in essendo, sed etiam in repræsentando est materialis. ergo non solum in essendo, sed etiam in repræsentando est diuisibilis. Antecedens patet. Consequentia suadetur, quia quod est materiale, est diuisibile. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam. ad cuius probationem negari potest assumptum iuxta ea, quæ diximus de ratione corporei, & spiritualis; *vbi* vidimus puncta esse corporea simul; & *indiuisibilia*; sed melius in casu nostro distinguitur: quod est materiale est diuisibile secundum *suum* esse physicum, concedo: secundum omnes rationes, seù formalitates metaphysicas, quas includit, nego assumptum; ac dico, ad conuincendam materialitatem alicuius formæ, satis esse si constet, eam secundum entitatem suam diuisibilem esse: quidquid sit si secundum aliquas rationes formales sit indiuisibilis, vt patet ex calore, qui per hoc, quod habeat partes, sui subiecti partibus correspondentes, sufficienter ostenditur esse materia- 99

Digitized by Google

terialis. quamuis de cętero secundum sua prædicata quidditatiua consideratus, sit omnino indiuisibilis, non solum quia essentiæ rerum indiuisibiles sunt, sed etiam quia in qualibet sui parte minori & minori in infinitum assignabili, propriam caloris rationem retinet. Pari ergo ratione, quamuis species sensibiles sint materiales, tum in essendo, tum in repręsentando: non tamen illis repugnat haberet vim repręsentandi suum obiectum indiuisibiliter, ita scilicet, vt qualibet pars assignabilis illud totaliter repręsentare valeat, quia cum hoc stat, eas esse secundum suum esse physicum quantitatiuè extensas, & habere partes, subiectorum suorum partibus correspondentes.

SECTIO SEPTIMA.

De specierum sensibilium tum externarum tum internarum corruptione.

200 QVo ad corruptionem externarum sit prima conclusio. Huiusmodi species in cõseruari à suo obiecto dependent, ita vt in eodem instanti, in quo definit obiectum in eas influere, corrumpantur. est communis, quam docent Conimbricenses 2. *de anima cap* 6. *qu.* 2. *art.* 3. Suarez 3. *de anima cap.* 12. & alij passim cõtra Vasquez *prima part. disp.* 38. *n.* 9. *& disp.* 108. *n.* 9 nec nõ etiam *prima* 2. *disput.* 81. *n.* 17. est etiam contra Fonsecam *metaph. cap.* 28. *quæst.* 6. *sect.* 2. & non nullos alios, qui dicunt species sensuum externorum, etiam si earum obiecta remoueãtur, aliquandiu perdurare, atque adeo, non ita dependere ab illis in conseruari, vt in eodem instanti, quo definunt, corrumpantur.

201 Probatur tamen nostra assertio, quia experientia constat, sublato obiecto visibili è nostro conspectu, non amplius nos illud videre. ergo visio ab illo in conseruari dependet: sed non nisi ratione speciei; si quidem obiectum, mediante specie, influit in actum. ergo eiusdem signum est speciem externam, quo ad sui conseruationem pendere ab obiecto, ita vt in eo instanti, in quo illud definit influere, corrumpatur. eandem rationem puto esse de alijs; sed non curo, quia non descendo ad species hasce in particulari.

202 Contra hanc experientiam duas alias adducunt Aduersarij: vnam ex Aristotele *lib de somnijs cap.* 2. vbi ait, quod si fixo intuitu validum aliquem colorem intueamur, & statim postea oculos ad alia obiecta conuertamus, hæc obiecta eodem colore imbuta, per aliquod breue tempus aspicimus. alteram ex D. August. 11. *Trinit. cap.* 2. qui testatur, quod quando quis attentè solem intuitus est, postea, licet oculos claudat, vel in obscurum locum sè recipiat, adhuc aliquam lucem intuetur.

203 Sed hi rari casus non possunt contra perpetuam experientiam prævalere. quare ad eos Respondendum arbitror cum communi. illas sensationes deficiente influxu obiecti sensibilis, non fieri in sensibus externis, sed in sensu interno, qui ob vehementiam sensibilis, adeo firmam imaginationem de illo formauit, vt etiam si sit absens, sibi videatur illud adhuc oculis intueri, donec paulatim ea imaginatio remittatur, & corrigatur. Hoc modo dormientes, & delirantes imaginantur externis etiam sensibus sè percipere obiecta, quæ solis internis agnoscunt. Neque dicas cum Vasquez *loco citato*, quod si sola imaginatio in illis duobus casibus operaretur, posset à voluntate corrigi, vel alio diuerti atq; adeò impediri, ne sic obiecta illa nobis repræsentarei. Contra hoc enim facit, quia experientia constat, non posse voluntatem contra vehementem imaginationem prævalere; quamuis enim nos velimus illam corrigere, vel diuertere ab aliquo obiecto valde molesto, vel iucundo: experimur non posse, nisi magno conatu, & post aliquod breue spatium temporis.

Quod verò ad species sensibiles internas attinet. Supponendum eas viuente adhuc animali, destrui posse, contra nonnullos, qui existimant esse indestruibiles; quod si sæpè contingit, nos non recordari eorum, quorum species habebamus, id non oriri ex eo, quod illæ corrumpantur; sed quia aliis, atque aliis de nouo aduenientibus, priores obruantur, & paulatim reddantur inepæ ad exequendum munus suum. Impugnantur enim facile hi auctores, quia vt rectè arguit Arriaga *disput. 4. de anim. sect. 6. num.* 113. non potest explicari, quod sit antiquiores species à recentioribus obrui; cum enim in eodem subiecto reperiantur, non potest dici, quod sit subtus reponi, & ab illis opprimi, seu abscondi. quare si perpetuo durarent: eandem vim, quam ab initio habuerunt, retinerent, nec vincerentur à nouis; earum igitur corruptione supposita: difficultas consistit in eo, vt assignemus illis causam corruptiuam; cum enim, ex vna parte contrario careant, & ex alia non sint ficuri externæ, quæ pendent in conseruari ab ea causa, à qua productæ fuerunt (alioquin non possemus interius imaginari aliquid, quod non actu exterius sentiremus) difficile assignari potest cui nam earum corruptio attribuenda sit. Arriaga *loco citato num. sequenti* Oniedus *Controu.* 14. *de anim. punct. 6 sect. 2 num.* 17. & alij cum eis sustinent necessario recurrendum esse ad earum naturam, quæ certos suæ durationis terminos sibi vendicet, ad quos cum peruenerint, non exigant à Deo, à quo totaliter in genere efficientis dependent, amplius conseruari. quemadmodum enim, inquiunt, qui sustinet dari virtutem impressam, dicunt eam corrumpi ex eo, quia petit determinato solum tempore conseruari, & omnes fere philosophi in assignanda causa corruptiua soni, hoc modo etiam philosophantur; ita quoque in assignanda causa corruptiua specierum sensibilium internarum, discurrendum est. 104

Contra hos autem sit nostra secunda Conclusio. Absque eo, quod hanc naturam defectibilem huiusmodi speciebus tribuamus, potest optimè assignari alia ratio corruptionis illarum. Ita Quiros *disput.* 92. *sect.* 3. 105

In hac Conclusione nobiscum conueniunt tũ illi, qui dicunt eas corrumpi propter defectum virtutis subiecti, quod non est capax eas simul cum nouis retinere, vt vult Suarez *disput.* 44. tum etiam illi, qui causam corruptionis earum refundunt in otium, eo quod putent, quandiu nõ exer- 106

Digitized by Google

exercentur generari in nobis qualitatem quandam occultam illis contrariam. verum neutri in assignanda huiusmodi causa probabiliter discurrunt. non priores, quia non apparet vnde potentia subiecti sit adeo limitata, vt non possit eas omnes species sustentare; quod si appareret, explicandum esset cur potius antiquæ species deberent excludi, quam nouæ; cum præsertim illæ sint in possessione, in qua videntur exigere à natura vt manuteneantur potius, quã vt per sui destructionem dent locum posterioribus. neque posteriores: tum quia species, vt fert communis opinio, carent contrario, quod si illud haberent, sed est occultum: quærendum est quomodo ab his auctoribus sciatur? tum etiam quia otium, cum carentiam operationis importet: impossibile videtur posse qualitatem physicam corruptiuam specierum in sensu interno producere. His igitur rationibus posthabitis.

107 Probatur assertio primo, quia cum huiusmodi species materiales sint: ex vna parte habent vt à materia cerebri dependeant: ex alia verò vt in dicta materia certas quasdam dispositiones exigant, sicuti in producy, ita etiam in conseruari; reliquarum specierum, præsertim visibilium, more, quæ sine diaphaneitate, & lumine haberi nequeunt. quod constat ex eo, quia videmus eas ex percussione organi, vel ex morbo aliquando destrui, atque deperdi. recte igitur earum corruptio in deperditionem temperamenti sibi necessarij, & in defectum ipsius cerebri species conseruantis, quod in nutritione, paulatim à calore naturali consumitur, refundi, potest; absq; eo, quod recurramus ad causas occultas, dicamusq; earum naturã ita cõstitutã esse vt diutius consistere nequeat. Confirmatur, quia sæpè contingit in aere corrumpi species visibiles ex eo, quod desinant in eo dispositiones, quas exigunt; quidni igitur dicamus id etiam contingere in sensu interno in ordine ad species, quas habet in se? Præterea multi ex Aduersarijs, quos sequitur Arriaga nu. 231. tenent: ad hoc vt species materialis immutet potentiam, requiri determinatam quantitatem obiectiuam. vnde admittunt, quod licet exigua pars obiecti solitarie accepta non producat remissiorem speciem, nec in minori distantia: quam simul cum alijs: sola tamen non mouet potentiam, quia ad immutandam potentiam requiritur determinata quantitas obiectiua, quam non habet. non est igitur cur dici nequeat, species materiales internas requirere ad immutandum sensum internum quantitatem determinatam subiectiuam, ita vt non possit fieri sensatio in qualibet parte minori, & minori cerebri. sed sic dicendo optimè

108 saluamus cur, licet per nutritionem non absumpta sit tota pars cerebri informata specie: ad hoc tamen non possit fieri interna sensatio, quia quæ remanet non est sufficiens: contra verò species recenter productæ, regulariter subiectum habent cum sufficienti quantitate ad diutius perdurandum, & ideo non repente euanescant: ergo &c.

Probatur secundò destruendo simul aduersariorum fundamentum: Quia in tantum impulsus, & sonus conseruntur qualitates natura sua fluidæ, quæ certos durationis terminos sibi vendicent: quia experientia constat eas, licet valdè intensas, ad breuissimum tempus euanescere, quamuis de cætero earum subiecta cum dispositionibus suis integra perseuerent. sed oppositum speciebus sensibilibus internis contingit. illæ enim longo tempore durant, ita vt aliquando nos ea, quæ ante annos quadraginta, & amplius vidimus, recordemur, alunde verò videamus quod earum dispositiones, atque subiectum sint resolubilia. ergo non est cur illis tribuamus temere prædicatum, quod necessitate compulsi tribuimus qualitatibus sonoris ac virtutibus violenter motiuis. Confirmatur id, quod dicimus: Non potest negari ex diuersitate dispositionum cerebri oriri, easdem species in vno homine plus durare, quam in alio? Duo enim quamuis eadem attentione idem obiectum aspexerint: alter nihilominus post paucos dies illius obliuiscitur, altero memoriam illius longo tempore conseruante. sed hæc diuersitas non potest ex diuersa specierum natura procedere. pono enim ambas esse eiusdem obiecti, atque adeo eiusdem rationis specificæ: ergo dicendum est, quod procedat ex diuersitate temperamenti, quam illi habent.

Respondet adhoc Arriaga nu. 118. hac confirmatione probari aliquando species internas ex defectu dispositionum in organo, posse corrumpi; quod ipse non negat; addit tamen id non sufficere, sed in multis casibus necessarium esse ad earum fluiditatem recurrere, vt autem dictos casus examinemus. 109

Obijcies primò ex his, quæ hic auctor habet nu. 119. quando ex otio amittuntur species vnius obiecti, & non alterius propter iteratas cognitiones, quæ de hoc altero obiecto eliciuntur, non potest illarum corruptio refundi in deperditionem dispositionum, neque partium cerebri. ergo refundi debet in naturam fluidam ipsarum specierum, quæ si fuissent auctæ nouis actibus, sicuti illæ aliæ, non perijssent. consequentia patet, antecedens probatur, quia non requiritur alia dispositio in cerebro ad conseruandam speciem de Petro, ac de Paulo; & eadem pars celebri vtramque speciem sustentat. ergo si carentia exercitij circa Paulum facit, vt amittatur species de Paulo, & non de Petro, propter contrariam rationem; hæc amissio, neque ex deperditione dispositionum, neque ex deperditione partium subiecti procedere potest. 110

Respondeo: Negando antecedens. ad cuius 111 probationem distinguo antecedens: non requiritur alia dispositio, neque alia pars cerebri ad conseruandam speciem de Petro, ac ad conseruandam speciem de Paulo: si sint in eadem intensione, concedo: si in diuersa, nego antecedens, & consequentiam. ac dico quod species internæ de Petro, & de Paulo, quæ producuntur per sensationem externam, quando sunt in eadem intensione eandem omnino partem cerebri viciniorem sensorio externo informant, easdemque dispositiones in illa requirunt: at si intendatur vna ex eis, & non alia; cum omnis actio materialis fiat vniformiter difformiter, semper illa, quæ est intensior partes penitiores

cere-

Digitized by Google

cerebri peruadat necesse est; atque adeo magis, ac magis extendatur in ipso cerebro. quoniam verò facilius dispositiones, quæ sunt in partibus extimis cerebri, amittuntur, propter circumsistentiam contrariorum: quam illæ, quæ sunt in intimis, eo quod hæ à sibi similibus fouentur, ac defenduntur: hinc fit vt species de Paulo, quia extimas tantum partes informare supponuntur, ex deperditione dispositionum sibi correspondentium aliquando pereant: Petri verò, quia etiam sunt interius, in quibus dispositiones perdurant, integræ perseuerent.

112 Instabis: licet hæc doctrina vera sit, quando species internæ de Petro ex iteratis actibus externis intenduntur: at si intendantur ex solis internis, non videtur probabilis. quia cum potentia interna totum sensorium æqualiter informet, æqualiter speciem in eo intendat necesse est; ergo saltem in tali casu nulla est tradita distinctio.

113 Respondeo: semper partes cerebri exteriores habere minus perfectas dispositiones propter rationem dictam, quam penitiores; & hinc fieri vt partes sensationis internæ, quæ illis correspondent, sint remissiores ijs, quæ penitiores informant. non est igitur mirum si etiam in hoc casu species, quæ producuntur in externis cerebri partibus, sint quoque remissiores illis, quæ in internis; & quod facilius resolubiles sint ratione temperamenti subiecti facilè resolubilis.

114 Obijcies secundò ex eodem Arriaga *num. citato*: *si quis repetat actus de eodem obiecto, non propterea diuerso modo nutritur, & tamen tunc non corrumpitur ea species*. ergo quando fuit corrupta, non ex defectu subiecti, sed ex sè periit. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ratio est, quia per iteratam actuum repetitionem illæ particulæ cerebri, quę de nouo beneficio nutritionis in locum antiquarum succedunt, incipiunt habere similes species, quas habebant antiquæ, vnde non est mirum si ille, qui magis in aliqua specie se exercet, eam diutius in sè conseruet.

115 Instabis, videat quis duos homines semel, euenire sæpe solet, quod vnius post longum tempus, si iterum illum videat, recordetur; non verò alterius. sed hanc diuersitatem non possumus refundere in dispositiones, aut partes substantiales cerebri. ergo recurrendum in hoc casu ad diuersitatem ipsarum specierum, dicendo quod vna ex eis exigat plus durare, quam alia.

116 Respondeo: *concessa maiore, negando minorem; & dico in eo casu speciem illius, cuius postea recordamur fuisse intensionem, & ob id maiorem partem cerebri occupasse, ideoque diuturniorem esse. pro quo aduertó, vt aliqua species sit intensior alia, non requiri necessariò vt per plures actus intendatur; potest enim etiam in prima sui productione cum maiori intensione acquiri, quando, scilicet, aduertenter, & cum peculiari animaduersione eius obiectum externis sensibus percipitur; hoc autem in casu assignato cõtigisse affirmo circa illum hominem, cuius semel visi post multum temporis recordamur; cum enim eius species sint eiusdem rationis cum speciebus alterius, impossibile est vt exigant plus durare, quam illæ aliæ.*

Obijcies tertiò ex his, quæ habet idem auctor 117
numero 221. & 222. Etiam si contingat totam illam partem cerebri, in qua subiectabatur species V. G. Petri, successu temporis per nutritionem deperdi: non tamen ideo debemus illa carere. ergo corruptio huius speciei, non nisi suæ naturæ parum consistenti debet attribui, & non deperditioni cerebri, in quo residet. Consequentia patet, antecedens probatur dupliciter: primò quia potest dici, amissa parte cerebri, cum sua specie materiali, quam de Petro habebamus, speciem spiritualem, quæ de eodem Petro remanet in intellectu, postea excitari ex similitudine, quã habet Petrus cum alijs, & intellectionem, quam de ipso Petro per huiusmodi excitationem formamus, vna cum ipsa phantasia producere in parte cerebri, de nouo aduenient speciem materialem de Petro, similem præcedenti. secundo quia quando in manu, vel facie est signũ aliquod, semper in ea parte, quæ de nouo per nutritionẽ præcedenti succedit, idem signum producitur. ergo aduenient nouæ parte cerebri, pars remanens similem speciem, quã habebat ea, quæ corrumpitur, in illa producere debet. Consequentia constat ex eo, quia species in veteri parte cerebri remanente, habet virtutẽ producendi in parte de nouo aduenient aliam sibi similem: sicuti species visibilis existens in parte aeris remota pupillæ, vim producendi similem in parte vicina.

Respondeo: negando antecedens, & ad priorem probationem in contrarium, nego item an- 118
tecedens; ratio est, quia licet in eo casu remaneat in intellectu species spiritualis de Petro: ex similitudine tamen, quam Petrus habet cum aliquo alio, quem intuemur, eam excitari non posse suadetur dupliciter. primò quia intellectio, quæ hanc excitationem subsequeretur, verè fieret independenter à phantasmatibus; quia phantasma, quod habetur in phantasia, non est de Petro, sed de alio homine illi simili, & tamen intellectus vtrumque cognosceret. Secundò quia hæc species materialis interna non potest agnoscere tanquam causam sui solam intellectionem, sed eam simul cum phantasia; vt auctor fatetur; ergo iam admittit sensum internum agentem similem intellectui agenti, quem supra impugnauimus cum communi, & ipse negat *num.* 196. dum effectionem specierum phantasiæ tribuit totaliter speciebus actuum sensitiuorum externorum. nam hoc ipso, quod habetur sensus internus agens, non est ratio cur non demandetur illi manus omnes species internas sensibiles efformandi.

Ad posteriorem verò illius antecedentis pro- 119
bationem: Concesso quod assumitur de signo in manu, vel facie habito, semper in partibus succedentibus remanente. nego Consequentiam, idem, scilicet, contigere in speciebus disparitas est quia huiusmodi signa: vel naturalia sunt, vt lentigines, aut aliæ similes maculæ, quæ naturaliter insunt indiuiduo: vel violenta, vt cicatrices, quæ ex vulneribus obductis relinquntur. si naturalia, ideo perseuerant, quia causa formatiua partium nutrimenti, quæ succedunt absumptis, habet eandem vim similes maculas in ipsius nutrimenti materiam inducendi. At verò in nostro casu non habetur causa productiua simi-

Digitized by Google

similium specierum, quia, vt supra probauimus, species, non nisi adiutæ ab obiecto, possunt ad similes species producendas concurrere, quia sicuti in esse ita in operari à suo obiecto dependent. obiectum autem specierum internarum est sensibile externum, quatenus externa sensatione percipitur, quod certum est non posse tunc influere; alioquin in nutritione deberemus exterius sentire omnia obiecta, quorum postea recordamur. si autem in antecedentem de signis violentis agatur: disparitas est, quia ideo cicatrix in parte semel vulnerata persistit, quia non potest natura reparare totaliter damnum, quod ex illo vulnere accepit. vnde callosam carnem vbi fuerat hiatus vulneris, quod iam occalluit, subministrat. Hoc autem nulla ratione in casu nostro habet locum; vt consideranti patet. denique hoc intentum de successiua productione specierum internarum impugnari in vniuersum potest, quia, vt communis fert opinio, nunquam internæ species in nobis producuntur absque eo, quod potentiæ, in quibus recipiuntur ad vitaliter operandum circa earum obiecta, tunc temporis determinentur.

DISPVTATIO DECIMA QVINTA

DE SPECIEBVS INTELLIGIBILIBVS Humanis.

NOmine specierum intelligibilium humanarum veniunt species illæ, quibus anima rationalis, quandiu est in corpore, indiget ad suas intellectuales opperationes efficiendas. ad distinctionem earum quibus vtitur in statu separationis à corpore, de quibus suo loco.

SECTIO PRIMA.

An sint necessaria species intelligibiles in nostro intellectu ad intelligendum.

1 CONclusio est affirmatiua, & communis inter Philosophos, ac Theologos. Contra Themistium *suo tertio lib. de anima cap.* 20. Theophrastum *lib.* 3. *de anima cap.* 4. Henricum *quodlibet.* 4. *quæst.* 45. & 8. Durandum *in secundo dist.* 3. *quæst.* 6. Bacconum. *quæst.* 2. *Prologi*; Goffridum *quodlib.* 9. *quæst.* 19. & non nullos alios, qui supponentes cum reliquis, quoties operatur intellectus, operari etiam phantasiam, intulerunt non esse necessarias species intelligibiles in intellectu, eo quod possit hic immediatè moueri à phantasmatibus, & per illa intelligere, primò quidem singularia omnia in eis repræsentata, consequenter verò vniuersalia.

2 Verum Arriaga *disput.* 4. *de anima sect. prima num.* 92. vt saltem aliquas species intellectuales dari defendat, non admittit suppositionem in vniuersum; dicens se non renuere concedere: non semper cum omni operatione intellectus coniungi operationem phantasiæ; atque adeo distinguendum putat; & siquidem sermo sit de primis operationibus, concedit coniungi cum eis semper phantasma aliquod ad excitãdas species intellectuales de obiecto illarum, quæ immediatè nequeunt excitari: sin autem de tertijs, negat, quia nunquam experti sumus, quoties elicimus conclusionem aliquam, habere nos aliam similem in phantasia. In hac tamen re mihi videtur eodem modo de omnibus discurrendum esse. nam quantum ad rationem prioris partis distinctionis attinet, si ad excitandas species intelligibiles, phantasiæ operatio esset tantummodo necessaria: neque cum primis intellectus operationibus coniungenda esset; posset enim dici, quod hæc ab alia causa excitarentur, nempe à secundis, vel tertijs operationibus eiusdem intellectus, propter similitudinem, vel oppositionem, quam earum obiecta habent cum obiectis primarum sequentium. quod verò spectat ad rationem posterioris, eandem omnino experientiam nos habemus in ordine ad primas operationes intellectus, ac in ordine ad tertias. sicuti enim cognoscimus per primas omne obiectum quantumuis spirituale, semper aliqua sensibilitate, & materialitate velatum: ita, & per tertias; & sic in hoc nulla est disparitas. Præterea hanc distinctionem adhibet auctor, vt tueatur saltem pro tertijs operationibus intellectus efficiendis, necessarias esse species intelligibiles, vt dicebamus, quatenus illis nulla operatio phantasiæ correspondet. verum, vel parum, vel nihil proficit: tum quia sic omnes fere species intelligibiles ab intellectu nostro remouerentur, & non nisi admodum paucæ concederentur, atque adeo absolute victoria staret pro aduersarijs: tum etiam quia dici potest, quod etiam quando intellectus infert conclusiones, durent phantasmata, quæ inseruiebant ad primam terminorum apprehensionem dictarum conclusionum; & sic neque necessarias esse species intelligibiles pro tertijs, neque pro primis.

Quare

Digitized by Google

Quare certè ingeniosissimus vir pedem ab hac doctrina retraxit, dicens: quod intellectus noster, dum est corpori alligatus, redigeat semper operationes phantasiæ ad operandum, reduendũ esse ad solam naturam illius, quia ita est constitutum; quidquid tamen sit de hac ratione, de qua fortasse inferius: satis nobis sit, concedendum esse aduersarijs tanquam omnino certum, ad omnem prorsus intellectionem nostram pro præsenti statu correspondere in phantasia aliquam alia operationem ad illam pertinentem, quod expressè docuit Aristoteles *lib. 3. de anima tex. 30.* vbi sic ait: nunquam sine phantasmate intelligit anima: & *tex. 29.* huic addit qui non sentit aliquid, nec addiscet, nec intelliget; & cum speculamur necesse est simul phantasma aliquod speculari, hoc ergo posito.

2 Probatur nostra conclusio vnica ratione: intellectio est expressa similitudo, & imago sui obiecti, ergo illam non solum debet efficere intellectus, sed etiam ipsum obiectum; non quidem per se immediatè, vt patet, sed per aliquid, quod possit eius vicem supplere in ordine ad talẽ effectum. sed phantasma non potest supplere vicem obiecti in ordine ad efficiendam vna cum intellectu intellectionem. ergo necessariò admittendæ sunt species intelligibiles, quæ eius vices suppleant. omnia patent præter subsumptum, quod sic probatur: nihil materiale potest connaturaliter immediatè producere aliquod spirituale; sed omne phantasma est materiale, & omnis intellectio spiritualis; ergo phantasma nequit supplere vicem obiecti in ordine ad producendã immediatè cum intellectu intellectionem. Huius argumenti maior, & consequentia sunt certa; maior verò suadetur, quia nisi certum quoque esset, non posse rem materialem aliquid spirituale efficienter causare, naturalis certitudo, quam habemus de spiritualitate animæ rationalis, euanesceret; ex eius enim tota quanta est fiducia in spiritualitate intellectionum, & volitionum, quas elicit. sed tanta falsitate illius maioris, iam posset anima rationalis quantumuis materiales intellectiones, & volitiones spirituales efficere. ergo &c.

3 Non solum aduersarij, contra quos in præsentia pugnamus, sed etiam ij, qui nobiscum in conclusione sentiunt, putant, maiorem nostram principalem absolutè sumptam esse falsam; quare sic eam distinguunt. Nihil materiale potest in effectum spiritualem efficienter influere, si nullum habeat comprincipium spirituale, concedunt: si quod habeat huiusmodi comprincipium, negant maiorem; & sic etiam distincto minore, negant consequentiam; & dicunt quod licet res materialis, vt causa adæquata non possit rem spiritualẽ efficere, potest tamen si est inadæquata, maxime instrumentalis, & si mota cum aliquo alio comprincipio spirituali tanquam causa principali operetur concurrat. ratio discriminis est, quia causa adæquata debet esse vel nobilior, vel æque nobilis effectui, quod non potest habere res materialis cum ne spirituali comparata; at causa inadæquata potest esse imperfectior effectu, & sic nõ obstat materialitas huiusmodi causæ, quin in tẽ spiritualem inducat ex qua doctrina patet responsio ad probationẽ maioris; possunt enim negare, posita huiusmodi distinctione, certitudinem naturalem quam de spiritualitate animæ rationalis habemus, euanescere, & ratio esse potest, quia si ea materialis esset, non posset assignari aliud cõprincipium spirituale eiusdem ordinis, quod simul cum ea constitueret causam adæquatam intellectionum humanarum; si quod enim, maximè intellectus, distinctus, sed hæc iam proflueret tãquam passio à sola anima. ergo anima si non respectu intellectionis, saltem respectu ipsius intellectus esset causa adæquata: ar posito quod phantasma sit materiale, iam habemus, quod simul cũ intellectu spirituali concurrat, & hæc certitudo, quam de spiritualitate animæ rationalis naturali lumine habemus, remanet inconcussa.

Verum contra hanc distinctionem tres impugnationes admodum solidæ facere videntur. prima est auctoritas Augustini 12. *super genes. ad litt. in fine cap. 15. & initio 16.* vbi vniuersaliter loquens sic habet. Nec sane putandum est, facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subiacuit, omnis enim modo præstantior est, qui facit ea re, de qua aliquid facit, neque vllo modo spiritu præstantius est corpus. imo perspicuo modo spiritus corpori &c. 6

Secunda verò est, ex ea sequi aliquod naturale per hoc, quod coniugatur cum comprincipio supernaturali, posse suis viribus ad aliquem effectũ supernaturalem concurrere, & sic non constare intellectum creatum vna cum lumine gloriæ cõcurrere ad videndum Deum vt eleuatum; sed hoc est omnino falsum, vt suppono. ergo &c. sequela maioris suadetur: quemadmodum enim dicunt aduersarij, sufficere effectui spirituali, si in causa adæquata sui aliquod comprincipium spirituale habeatur, quidquid sit si aliud sit materiale: ita dici posset effectum supernaturalem, cuiusmodi est visio beata, contentũ esse, si partialiter à principio supernaturali procedat, quod in casu nostro esset lumen & nõ respuere dependentiam ab alio comprincipio, nempe ab intellectu naturaliter operante; neque enim dici posset, de ratione rei supernaturalis esse, vt super totam causalitatem naturalẽ extollatur. semper enim instari posset, quod sicuti sufficit per aduersarios enti spirituali extolli supra totam causalitatem materialem adæquatè acceptã, & non exigere extolli supra totam etiam inadæquatam. ita debet sufficere in eorum sententia enti supernaturali supra totam causalitatem naturalem adæquate sumptam, non verò supra totam etiam inadæquatam eleuari. 7

Tertia denique impugnatio hinc procedit: nisi firmum ac ratum sit nihil materiale, ne inadæquatè quidem posse efficienter in rem spiritualem cõcurrere, destituti omnino sumus solida ratione, qua probemus dari in nobis species intelligibiles; sed hoc non est credendum. male enim se gessisset natura nobiscũ, si nõ certã viam id inuestigãdi nobis reliquisset; quod si reliquit quidem, non tamẽ adhuc speculatio nostra post tot sapientissimorũ virorũ discursus, atq; circuitus ei inuenit; profectò ita se gessisse, si non reliquisset, atque adeo non minus male de nobis, re ipsa merita esset, quam si huius veritatis aditum omnino interclusisset, quod nullatenus existimari debet, quia sortitio est dono maximè necessario, & vniuersali 8

Digitized by Google

Iam vero assumpsum duplicitèr suadetur: primò quidem testimonio illorum, contra quos disputamus; instar omnium sit testimonium Arriagæ: hic enim *sub num.* 85. sic habet. Fateor difficulter posse conuinci eum, qui intellectus speciem negauit, & omnem actiuitatem obiectis phantasiæ actibus tribuit.

9 Secundò verò suadetur expendendo alias rationes, quibus auctores nostri huiusmodi species intelligibiles probare conantur, & primò quidem Maurus *to. 4. quæst. 4.* physico *metaphysicus* quatuor adducit; Quarum prima est à posteriori sic: Recordamur plurium obiectorum, quæ per phantasmata materialia representari non possunt; nimirum nostrarum intellectionum circa Deum, & Angelos, & alia immaterialia, ergo præter phantasmata dari debent species intelligibiles. Verùm antecedens huius argumenti quo ad posteriorem partem negari posse constat: cum quæ sicuti nos non sine phantasmatibus materialibus in primâ cognitionem horum obiectorum deuenimus, ita non sine ijsdem illorum recordamur: cum etiam quia minimum nos huiusmodi obiecta cognoscimus, nisi ad modum rei sensibilis, ad materialis, cuius iam habemus species in phantasia. Secundò sic arguit: nisi anima in statu coniunctionis per species intelligibiles operaretur, sequeretur quod in statu separationis, cùm amittat omnia phantasmata, non retineret memoriam illius obiecti, quod in eo statu cognouerat, sequitur hoc est inconueniens, ergo &c. Sed neque hæc ratio quidquam probat: respondetur enim facilè posse negando sequelam, & dicendo animas hominum in statu separationis exigere ab auctore naturæ infusionem specierum intelligibilium illarum omnium obiectorum, quorum in statu coniunctionis habebant phantasmata; quæ quidem exigentia fundatur in iure, quod habet primo primum liberum, vt in termino recordetur eorum, siue bona, siue mala, quæ gessit in via: cuius responsionis probabilitas suadetur ex eo, quia multi ex his, qui nobiscum concedunt animæ in statu coniunctionis species intelligibiles, dicunt, quod cùm eæ sint intrinsecis semper exigant cum phantasmatum consortio operari, in morte hominis corrumpuntur, & totidem ab auctore naturæ animæ separatæ infunduntur, quæ phantasmatum consortio minimè egeant. Quid igitur idem dicamus aduersarij, species intelligibiles nobis in statu coniunctionis negantes?

10 Tertia ratio eiusdem sic procedit: Actus imaginationis relinquunt in nobis imagines materiales, ergo & actus intellectus relinquent etiam species intelligibiles. Ad hoc vt dari possit consequentia antecedens negatur, & consequentiam, & disparitatem assignamus ex eo, quia hoc ipso quod actus imaginationis relinquunt in nobis species materiales, sui ipsorum prouisum est à natura, cum potentias imaginatiuas, tum intellectiuas, per huiusmodi enim species conseruantur phantasmata, quæ vna cum intellectu ad omnes intellectuales operationes vice suorum obiectorum concurrunt, ad eum planè modum, quo per nos species intelligibiles; quare cùm assumendo supponamus nullam intellectionem in nobis haberi, cui non correspondeat aliqua phantasma, videtur illa facere per paralogismum petitionis principij, quod nos fecimus per plura.

Quarta denique ratio adducta à Mauro à priori est huiusmodi: vt potentia cognoscat obiectum, debet illi coniungi, non secundum esse materiale, sed secundum esse aliqualiter immateriale tali potentiæ proportionatum; sed intellectus est potentia immaterialis, ergo vt cognoscat obiecta materialia, debet illi coniungi per species intelligibiles spirituales. Sed ad hoc quod què respondebunt aduersarij. Concessa maiore & minore, negando consequentiam, & dicendo quod sicuti corpus humanum est proportionatum animæ rationali in ordine ad constituendum vnitum per se cum illa, non obstante quod ipsum sit materiale, anima verò spiritualis: ita etiam phantasma materiale potentiæ esse proportionatum intellectui spirituali in ordine ad componendum vnum principium efficiens adæquatum intellectionem aliqualiter spiritualem. 11

Quintam probat Comptonus *loco in.* quæ hoc pacto procedit: Experimur intellectum longè subtiliori modo, & clariùs intelligere obiecta, quam illa percipiat phantasia: in qua hebetudine enim intellectus percipit rationes entis, qualitatis, relationis, &c. quas imaginatio penitùs non potest, ergo hoc principio perfectionari indiget intellectus ad suas operationes eliciendas. 12

Verum hæc quoque ratio enervis est; dicimus enim quod quæ ad nos data per nos imaginatiua species materialibus rerum sensatarum ad percipiendas rationes insensatas, quas sensus externi percipere non possunt: ita etiam intellectus iuuari potest à phantasmatibus ad percipiendas illas rationes intelligibiles, ad quas phantasia minimè se extendens vires, & rationem huius assignare possumus addendo phantasmata non quidem intellectum, quatenus sunt formales expressiones obiectorum, sed solum quatenus sunt virtutes gerendo vicem illorum in ordine ad concurrendum cum intellectu. Vnde sicuti in nostra sententia eadem species intelligibilis ab eodem obiecto abstracta, potest perspicaciori intellectui plures rationes obiectiuas absconditas in obiecto representare, quam habentiori; ita multo magis idem phantasma potentiæ essentialiter diuersimirum intellectui, & phantasiæ. 13

Sexta est Arriagæ *loco citato* 86. qui sic habet: quando intellectus cognoscit voluntatem amantem aut odio habentem aliquod obiectum, & se ipsum id idem cognoscere, aut se antea non cognouisse, non cognoscit hoc per discursum ex cognitione immateriali, sicuti Deum, & Angelos, quos in se ipsis experitur, sed immediatè per experientiam, & declarationem, ergo non cognoscit hæc obiecta per species materiales. Consequentiam probat, quia hæ non concurrunt ad cognitionem obiectorum spiritualium, nisi mediatè, & per discursum. 14

Sed neque huius ratio fundamentum est; possunt enim aduersarij, concesso antecedente, negare consequentiam, & ad eius probationem dicere, duplicem posse intellectum, vnum vti posse phantasmatibus ad obiecta spiritualia cognoscenda primò in vtroque statu constituendo eorum vbique materialia loco spiritualium, propter aliquam in illorum cognitione facilitatem habendam, quamdiu in hoc statu existit, vt quando cognoscit Angelos ad modum puræ alicuius Dei, & ad modum sancti, & secundo in alio statu separato cognoscendo illos ad modum vnius, & quod animæ dæmonum si- 15

Digitized by Google

similitudinem inter vtramque: Iam verò licet quando vtimur phantasmatibus primò modo verum sit, quod id faciat medio aliquo discursu
17 ad non quando vtitur illis secundo modo. Porrò quoties cognoscimus velle, aut cognoscere obiectum aliquod, hoc secundo modo se habere, & ideo licet sine discursu id faciat, at non sine vllo phantasmate antecedente; & quidem hac ratione intelligendum esse, quod communiter dicitur: videlicet credita, quæ per experientiam, & rationem cognoscuntur à nobis, immediatè cognosci; hæc enim immediatio excludit discursum, non autem omnem operationem phantasiæ, vt constat ex eo, quia ipsas mere nostras volitiones, ac cognitiones quas experimur semper sub velamine rei sensibilis, & ad modum rei materialis attingimus.

36 Septima denique, quæ adducitur ab eodem supra 87. est huiusmodi: Omnes admittunt non posse voluntatem spiritualem determinari ad amandum ex cognitione materiali, sed requiri spiritualem, eo quod potentia spiritualis exigit proximum determinatiuum eiusdem ordinis cum ipsa. ergo, & intellectum ad cognoscendum indigere debet determinatiuo, & completiuo spirituali, cuiusmodi sunt species intelligibiles.

37 Ad hanc etiam responderi potest ab aduersario, concesso antecedente, negando consequentiam, & certe disparitas inter voluntatem, & intellectum in casu nostro videtur clara. nam ad tantum voluntas indiget cognitione spirituali ad operandum, quia cum sit potentia ex se cæca nisi illuminata per cognitionem accingat obiectum, impossibile est se determinare posse ad illud amandum, vel odio habendum. cum igitur nulla potentia possit vitaliter illuminari, nisi recipiendo in se actum illum, qui se habeat vt lumen necessarium erit, vt voluntas recipiat in se ipsa cognitionem, qua determinari debeat ad amandum, vel odio habendum; atqui cognitio quæ recipitur in potentia spirituali, non potest esse materialis, vt suprà probauimus; non est igitur mirum si voluntas non possit determinari ad amandum, vel odio habendum aliquod obiectum, nisi determinata per cognitionem spiritualem. Iam verò id, quod suppleo defectum obiecti respectu intellectus, non debet illum illuminare, sed in genere causæ efficientis eum complere in ordine ad producendum vitale lumen, quod est ipsa cognitio; ergo intellectio quatenus spiritualis non requirit præcedere à causa partiali efficiente materiali, non dicitur intellectus indigere determinatiuo, & completiuo spirituali ad producendam intellectionem.

38 Ex quibus omnibus remanet probatum quod initio assumpsimus: nimirum, nisi ratum, & firmum sit, nihil materiale, ne inadæquatè quidem posse efficienter in rem spiritualem concurrere, destitutos omnino nos esse solidis rationibus, quas probemus dari in nobis species intelligibiles. porrò ad principium, cui aduersarij contra nos niterabantur de causa partiali efficiente, quæ potest esse imperfectior effectu suo ex quo deducebamus, quod quamuis res materialis sit re spirituali imperfectior, non est cur non possit esse causa partialis illius:

19 Respondeo distingue antecedens, causa partialis efficiens potest esse imperfectior effectu quando illa imperfectio non constituit illam in diuerso ordine, ac sit effectus, concedo antecedens, eam in diuerso ordine, nego antecedens & consequentiam, & dico dupliciter aliquam rem posse esse imperfectiorem alia, primo ita vt eius imperfectio eam ponat in ordine diuerso ac est alia. secundò vt eam in eodem ordine relinquat. Iam verò, si res hoc secundo modo sit imperfectior, non repugnet posse esse causam partialem alterius, neque enim hoc primo modo. ratio discriminis est, quia quandiu imperfectio non deprimit rem ad inferiorem ordinem, ac est alia, non est cur non possit intelligi ex coniunctione cum alio comprincipio ad eam causandam assurgere; quia vt in argumento obiectum, causa partialis potest esse imperfectior effectu: at verò si imperfectio eam ad inferiorem ordinem deprimit, constituit illam improportionatam effectui, neque ad eo ex suis intrinsecis ineptam ad cum illa ratione naturaliter causandum, sed solum obediendialiter. hoc quod dicimus probatur exemplo speciei impressæ visiuæ, ea enim licet sit actu minoris imperfectionis, quia tamen per huiusmodi imperfectionem non constituitur in diuerso ordine, ac sit ille, potest vna cum potentia visiua eum efficienter causare: contra verò non potest nostra species intelligibilis vna cum potentia intellectiua Angeli esse causa efficiens intellectionis illius, quia eius imperfectio constituit eam in inferiori ordine, ac sit ipsa intellectio Angeli. iam verò ens materiale hoc modo esse re spirituali imperfectius patet, quia sentientibus ipsis aduersarijs, quantumuis dicatur ens intelligatum in suo ordine perfectum, quam potest assurgere ad rationem causæ adæquatæ rei spiritualis, aliquin non appareret ratio negandi intellectum humanum esse materialem, & vna cum phantasmate materiali constituere adæquatum principium intellectionis spiritualis, quod quam sit absurdum nemo non videt.

Ad hæc contra conclusionem nostram obijcies primò: sufficit voluntati vt repræsentetur sibi obiectum suum per actum intellectus, vt possit illud amare, vel odio habere. ergo sufficiet eius intellectui vt habeat repræsentatum obiectum suum per actus phantasiæ, vt illud valeat intelligere.

20 Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiæ disparitas est, quia voluntas, cum sit potentia appetitiua, non operatur exprimendo in se obiectum, sed vel in illud per modum inclinationis tendendo, vel per modum fugæ illi obijciendo, vnde non indiget specie impressa ad operandum, sed expressa, quam cum non possit per se sibi producere, oportet vt potentia intellectiua illi producat. at verò intellectus est potentia cognoscitiua, quæ sibi debet producere expressionem obiecti sui. porrò hæc expressio, cùm sit spiritualis, exigit omnes suas causas in ordine spirituali, ad quem neque phantasma, neque eius species pertingere potest.

21 Obijcies secundò: ratio, ob quam cogendo sint species intelligibiles, est quia ad rem spiritualem, qualis est intellectio producendam, non potest ma-

Digitized by Google

ter cõcurrere phantasma materiale, sed hæc ratio non procedit. ergo &c. Maior patet ex dictis. minor verò probatur, quia ipsæ species intelligibiles sunt spirituales, sed ad eas producendas debet necessariò efficienter cum intellectu agente phantasma concurrere. ergo &c. Respondeo concessa maiore negando minorem cum sua probatione, vt ex sequenti sectione constabit.

SECTIO SECVNDA.

De causa efficiente specierum intelligibilium.

23 SVppono res, quarum habemus species intelligibiles, esse in duplici differentia: quædam enim sunt actus, tum nostri intellectus, tum nostræ voluntatis, quos identidem cognoscimus, & reminiscimur, alia verò sunt reliqua omnia, quorum intellectio ex sensibus orta habuit: cum enim nosset quisque in instanti a quo creatur à Deo, & infunditur corpori, nullam habeat speciem intelligibilem, sed instar tabulæ rasæ, vt ait Philosophus, in qua nihil depictum, nihil delineatum est, appareat in mundo, datæ sunt illi à natura potentiæ sensitivæ, vt earum ministerio rerum species sibi compararet, & vt sicuti per sectionem suam, quo ad modum essendi, ex coniunctione cum corpore nata, & quo ad modum operandi ex operationibus corporeis consequeretur, his positis, quærimus causam efficientem nostrarum specierum intelligibilium veriusque generis rerum, pro quo sit

24 Prima Conclusio. causa efficiens specierum intelligibilium nostrarum intellectionum, atque volitionum, quarum postea recordamur, sunt ipsæmet intellectiones, & volitiones, quæ sui species in intellectu nostro relinquunt. Ita Arriaga *Disput. 4. de anima sect. 4. subsect. 3.* Oviedus *Genuen. 13. de anima punct. 3.* & alij.

25 Probatur, quia huiusmodi actus habent omnia requisita ad causandum species sui in intellectu nostro. ergo illas causant. consequentia patet, antecedens suadetur, quia, ex vna parte sunt in ordine entis spiritualis, & ex alia sunt intimè præsentes potentiæ intellectiuæ habenti capacitatem, & exigentiam dictarum specierum; ergo habent omnia requisita ad dictas species in intellectu causandas. Quod si dicas actus intellectuales Angeli esse spirituales, & tamen non habere vim producendi species sui in intellectu Angelico, ratio discriminis est, quia actus Angelici natura sua sunt ordinati ad informandum intellectum Angeli, speciebus omnibus intelligibilibus sibi necessarijs prædictum, vt supponitur, è contrario actus nostri intellectus & voluntatis. Quod sit ad clarum nostræ doctrinæ sequi, nos habere species intuitivas nostrorum actuum spiritualium, quod experimur, quia species intuitiva est, quæ immediatè ab obiecto procedit, sequelam autem falsam esse patet, quæ valde confusè illos cognoscimus, si concedamus sequelam, & ad probandum istam veritatem dictam, intellectionem nempe à sensibus ortam non repugnare confusionem, sicuti neque actibus sensitivis

26 Secunda Conclusio. causa efficiens specierum intelligibilium reliquorum obiectorum materialium, est in nobis intellectus agens, est communis.

Probatur: supponendo cum Aristotele, & 27
omnibus Peripateticis, intellectum nostrum recte diuidi in agentem, & possibilem, sed nomine intellectus agentis non venit, nisi facultas spiritualis animæ rationalis productiua specierum intelligibilium; sicuti nomine intellectus possibilis venit potentia spiritualis cognoscitiua rerum, quæ per animam rationalem, qua rationalis est, intelliguntur, eo quod, vt ipse meo Aristoteles ait *lib. 3. de anima* intelligere est, quodammodo pati, quatenus consistit in passiua obiecti perceptione, supponente in potentia vim vitalitèr percipiuam illius. ergo &c.

Probatur secundò: dantur species intelligibiles in intellectu nostro, sed hæc non possunt effici ab obiectis suis immediatè, vt patet, neque mediis phantasiatibus, quia hæc materialia, sunt species verò intelligibiles sunt spirituales, atque adeo in superiori ordine. ergo debent fieri ab aliquo principio spirituali sibi proportionato, quod rectè apellatur intellectus agens, in quantum eas producendo reddit obiecta materialia actu intelligibilia, hoc est talia, vt sint apta mouere intellectum possibilem ad sui intellectionem consequendam, quam aptitudinem bonitèr species spirituales consequuntur.

Atque hæc quidem certa sunt apud recentiores. illud valde controuersum: num, scilicet ea productiua species intelligibilis in solo intellectu agente totaliter contineatur, an non sed partialiter tantum? vtrumuis enim dicatur, difficultatè non caret. ex affirmatione enim sequitur intellectum agentem adæquatè continere similitudines obiectiuas omnium rerum à sè intelligibilium, ex quo videtur deduci nos non indigere speciebus intentionalibus ad res materiales cognoscendas, ad eum planè modum, quo quia intellectus Angelicus est adæquatè constitutus in ordine ad cognoscendum se ipsum, non indiget ad sui cognitionem speciebus superadditis. ex negatione verò suscipitur onus assignandi aliam concausam partialem, quæ vna cum intellectu agente ad species intelligibiles efficiendas contribuat, quod non facile præstari posse videtur. porro hac præsidifficultate, Doctores in varias abiere sententias, quas in præsentia expendere oportet, & primò quidem Suarez *lib. 4. de anima cap. secundo* priorem aggressus est viam. post quã enim *num. 11.* probauit intellectum agentem nunquam efficere speciem intelligibilem, *nisi* à phantasiæ cognitione *determinatum*, alioquin species omnis ab initio *teneretur* producere: *vnde sequitur* infert prædictam determinationem dicto intellectui sufficere, vt speciem intelligibilem illi phantasmati correspondentem tanquam causa adæquata producat. quia hæc, inquit, phantasma nullum influxum in genere efficientis illi subministret: ei tamen tanquam materiam proponit, non quod ex materia, *ex qua* species intelligibilis ab intellectu agente educatur, quidam forma spiritualis à subiecto materiali educi nequit, neque quod propriè sit materia, circa quam ipse intellectus operetur, quia huiusmodi

est

est sedus intellectus possibilis, in quem alius actio recipitur. sed quia ad eius præsentiam hanc potius speciem, quam aliam producit, ad eam fere modum, quo exemplar externum V. G. Cæsaris ad sui imaginem artefactam producendam concurrit.

30 Verum contra hanc sententiam facium primo. Et primò quidem, quod intellectus agens non habet adæquatam virtutem ad species intelligibiles producendi, vt sæpe dictum est, & amplius dicetur; Secundò quia, si eam haberet, vtique posset sine dictis speciebus vna cum intellectu possibili immediatè influere in productionem illarum intellectionum, quarum obiecta, phantasmata representant, & sic exterminandæ essent huiusmodi species intelligibiles ab intellectu. Tertiò denique, quia, dato quod dictæ species necessariæ essent; nequiret intellectus agens determinari ad productionem illarum per solam præsentiam phantasmatis, materialiter tantum ei sè ipsum præsentantis; siquidem nulla causa realis per solam præsentiam alterius rei ad productionem sui effectus determinatur, sed debet illa res sè habere; vel vt subiectum, vel vt dispositio; vel aliquo alio simili modo ad illum effectum. Atqui phantasma non aliter sè haberet, nisi vt præsens. ergo &c. Porrò exemplum de extrinseco exemplari non est ad rem. tum quia exemplar non determinat artificem, nisi mediis speciebus, quas in intellectum eius causat. phantasma autem nihil in intellectu agente producere supponitur: tum etiam quia artifex debet elicere in sè cognitionem expressiuam exemplaris, vt valeat imaginem ad eius similitudinem efformare. nihil autem tale intellectus agens in sè producit. neque dicat Suarez, sufficere si ipsum phantasma sit cognitio. Contra enim est, quia cognitio non sè debet tenere ex parte exemplaris, sed ex parte agentis, eius imaginem agere intendentis. atqui phantasma non sè tenet ex parte intellectus agentis, vt patet. ergo &c. Atque ex his remanet impugnata nonnullorum sententia, qui dicunt phantasma per solam sympatiam determinare intellectum agens: enim quod per sympatiam operatur, supponitur habere in sè adæquatam virtutem productiuam illius effectus, quod de intellectu agente respectu specierum intelligibilium verificari nequit, vt patet.

31 Secundi alij posteriorem ingredientes viam, assignant pro concursu partiali cum intellectu agente concurrente phantasmata, quæ sequitur Arriaga *disput. 4. de anima sect. 4. subsect. 3.* vbi fusè inter species intellectus producit ab ipso intellectu, & à sensatione phantasiæ. Verum contra hanc sententiam facit primò, quod in præcedenti sectione habuimus, nullum scilicet materiale posse naturaliter agere in aliquod immateriale, quod esse per sè notum 3: & ab omnibus antiquis concessum, testatur Maurus *to. 4. quæst. 4. Physic. Metaph.* Facit secundò, quia si hoc haberemus posse phantasma agere in intellectum possibilem, producendo in eo species spirituales sui obiecti: frustra daretur intellectus agens, sed hoc non admittitur ab Arriaga, ergo &c. Confirmatur quod dictum, adducendo desumptum ab autore huc citato in contrarium aliam pro sua sententia. sic enim habet: Species intelligibilis quo importat, spiritualitatem, & representationem obiecti; sed spiritualitas respondet intellectui agenti; qui spiritualis est, representatio verò actui phantasiæ; ergo veraque concursus necessarius erit. Tum sic phantasma representationem non causat sine specierum, nisi spiritualitatem: ergo non est cur exigat consortium intellectus agentis ad illam efficienter producendam. Consequentia probatur, illam vel illam agit virtute propria, vel vt instrumentum animæ; vtrumvis autem dicatur, non videtur necessarius dictus concursus. si enim primum, est manifestum, sin autem secundum hoc ipso quod phantasma potest assurgere ad rationem instrumenti partialis in ordine ad effectum spiritualem causandum: non est cur non possit ad rationem totalis, sed sic non esset necessarius intellectus agens, ergo &c. quod si simile argumentum non valet ad probandum, non repugnare solam speciem posse actu cognoscitiuum producere, eo quod ad illum partialiter simul cum potentia cognoscitiua iam concurrit. Ideo est quia supponimus rationem cognoscitiuum in cognitione esse vitalem in actu secundo, atque adeo necessariò importare in principio vitalitatem in actu primo, quam essentialiter potentia vitalis includit. hoc autem non habet locum in casu nostro, posito quod phantasma ad spiritualem qualitatem causandam instrumentaliter assurgere potest. quia huiusmodi qualitas non est vitalis, vt pote species intelligibilis.

32 Eisdem argumentis Oviedi sententia impugnatur, qui *controu. prima de anima num 6.* ait phantasma immediatè concurrere cum intellectu possibili ad cognitionem sui obiecti. sic enim, præter quam quod res materialis in rem spiritualem actuitatem suam exerceret, sequeretur non dari in nobis intellectum agentem. imo omnes species intelligibiles humanæ à medio tollerentur, quia sufficerent species phantasiæ, quibus intellectus possendd omnia obiecta materialia intelligenda vti posset.

33 Dices pro hac sententia: Non implicat qualitas materialis, quæ agere possit in subiectum spirituale, nam ignis inferni per qualitatem materialem censetur torquere Dæmones, & Sacramenta per qualitatem item materialem creduntur à multis causare physicè gratiam. ergo &c. Respondeo distinguendo antecedens, non implicat qualitas naturalis, quæ in ordine naturæ agere possit in subiectum spirituale, nego. in ordine supernaturali, concedo antecedens, & nego consequentiam; ac dico, qualitatem torquentem Dæmones, & Sacramenta physicè eleuantem esse ordinis supernaturalis, & instrumenta Omnipotentiæ Diuinæ, instituta ad effectus supernaturales causandos. vnde non est mirum si materialis cum sit, possit in subiecta spiritualia agere; quia Deus tanquam causa supra vniuersum naturæ ordinem constituta eis vtitur.

34 Tertiò nonnulli apud Ruuium *to. 3. de anim. cap. 5 quæst. 2. num. 1.* volentes à propositis difficultatibus se eximere, dixerunt: intellectum agentem habere actionem quandam realem in phan-

Digitized by Google

phantasmata, per quam producat in eis qualitatē quandam lumini nostro similem, cuius beneficio reddantur apta, vt simul cum ipso intellectu agēte species intelligibiles producere valeant.

35 Verum neque hæc responsio est probabilis, nam, vel qualitas hæc luminosa, quam intellectus agens in phantasmatibus producit, est materialis, vel spiritualis, neutrum dici potest: ergo censenda est fictitia. maior patet, minor suadetur: non enim potest dici materialis, quia non esset melioris conditionis, quam phantasma, quod quia materiale est, ad producendam in intellectu possibili speciem intelligibilem, quantum est de se, assurgere nequit, neque spiritualis, nulla enim qualitas spiritualis potest subiecto materiali formaliter inhærere, & abillo saltem totaliter dependere. dico saltem totaliter, quia mentini nō nullos non existimare absurdum, quod partialiter possit, quos suo loco impugnauimus: qui tamen in hoc non fauent aduersarijs, dum negant qualitatem spiritualem posse naturaliter loquēdo habere pro subiecto adæquato aliquid materiale.

36 Quartò Caietanus *per quæ 79. art. 3. & 85. art. 1.* præcedentem sententiam corrigere volens, dicit, intellectum agentem illuminare quidem phantasmata, non tamen formaliter, hoc est aliquam formam eis imprimendo, propter rationē dictam, sed obiectiuè tantum, & quasi extrinsecè, quæ illuminatio, inquit, contingit quando ex existentia extrinseca luminosi aliquid in obiecto apparet, ad eum plane modum, quo ex lumine existēte in aere dicitur illuminari color parieti inhærens, sine vlla actione circa ipsum colorem, sed per solam extrinsecam existentiā. Porrò phantasma hoc modo illuminatum ait Caietanus, reddi idoneum ad producendam speciē intelligibilem in intellectu possibili, quia sic ex intelligibili in potentia redditur iam intelligibile in actu.

37 Nihil tamen hæc correctio proficit. nam illuminatio hæc phantasmatis, aliqua actio intellectus agentis esse debet; si ergo non producitur per eam in phantasmate lumen illud, in intellectu possibili producatur necesse est; sed ex hoc deducitur aliud nihil esse posse hoc lumen, quam ipsam speciem intelligibilem, quia nullo alio indiget ab intellectu agente, possibilis, quam specie, ergo iam nedit difficultas, quo modo intellectus agens huiusmodi speciem tanquam causa adæquata efficere possit. præterea quidquid tandem sit hoc lumen: vel phantasma eo mediante solum ad productionem specierum intelligibiliū concurrit, vel etiam per se ipsum immediatè. si primum, videndum superest vnde habeat hoc lumen virtutem productiuam huiusmodi specierum, & cur intellectus agens sine circuitu hoc non sit causa adæquata illarum, sed debeat prius producere dictum lumen, & postea vnacum illo ad eas producendas concurrere. sin autem dicatur secundum, contra est quia phantasma adhuc extrinsecè illuminatum, non amittit suum esse materiale. ergo quemadmodum sine illuminatione propter materialitatem erat ineptum ad concurrendum in species, ita & illuminatione habita. Porrò ab hac impugnatione non se tuetur Caietanus, dicendo lumen hoc, quo intellectus agens illuminat phantasmata, non esse aliquid a se distinctum, sed ipsummet intellectum, per suam assistentiam esse formam extrinsecam illuminantem. redit enim difficultas, num phantasmata sic illuminata immediatè concurrant, an solum medio ipso intellectu agente. *linquo* intellectum agentem esse potentiam actiuam animæ, atque adeo nullum posse præstare effectum, nisi mediante operatione, & non per solam assistentiam, cum præsertim inexplicabile sit quid huiusmodi assistentia phantasmatibus conducat, vt ea habita, possint agere in subiectum spirituale, & sine illa non possint. denique exemplum luminis existentis in aere colorem parietis illuminantis, puto non esse ad rem. se enim habet in aere vt dispositionem necessariam ad recipiendam operationem intentionalem à colore procedentem. color enim non potest diffundere suas species per medium, nisi hoc sit illuminatum: at phantasma nequit requirere lumen in intellectu possibili ad hoc, vt in eo species suas producat, quia non habet huiusmodi virtutem, vt sæpe diximus.

Quinto denique Capreolus *in secundo dist. 3. q. 1. art. 3.* & cum eo Ferrariensis *hoc in lib. q. 3.* 38 dicunt phantasiam ex coniunctione cum intellectuali natura habere, vt ex se promat nobiliora, & efficaciora phantasmata, quæ vna cum intellectu agente species intelligibiles producere valeant. verum hic modus conciliandi suis ex dictis remanet impugnatus; hæc enim maior nobilitas, ex illa coniunctione orta, vel reddit phantasmata in essendo spiritualia, vel non primum dici non potest, vt patet. ergo secundum, sed hoc ipso quod remanent materialia, nullam efficacitatem habere possunt aduersus subiectum spirituale. ergo etiam si ex coniunctione cum natura rationali nostra phantasia, sit nobilior brutali, non ideo potest esse apta producere phantasmata, quæ species intelligibiles vna cū intellectu agente efficere valeant.

His igitur responsionibus posthabitis, putarem ad difficultatem propositam dissoluendam duplici via nos posse procedere. prior, & quidē tutior, est recurrere ad primam causam, ad quā pertinet defectum causarum naturalium supplere; quemadmodum enim multi ex aduersarijs tenent ad Deum recurrendum esse pro determinatione omnium indiuiduorum, quæ à causis naturalibus producuntur, eo quod putent non dari in natura determinatiuum earum, vt ex his, quæ producere valeant, hunc potius, quam alium hic, & nunc defacto producant; & quemadmodum omnes putamus Deum *se solo ad exigentiam materiæ embrionis in ventre matris debitè deorganizatæ, producere in ea animam rationalem*, quia videmus non dari inter causas creatas aliquam, quæ ad huiusmodi productionem assurgere valeat: cur etiam non dicemus, Deum positis phantasmatibus in nostris internis sensibus ad exigentiam animæ rationalis circa eorū obiecta discurrere postulantis, vna cum intellectu agēte concurrere ad producendas species intelligibiles illorum; quatenus ex vna parte ipse intellectus se solo eas producere nequeat: ex alia verò non reperiatur in creatis aliud compar

39

pium,

Digitized by Google

aliunquàd ad eas producendas illum valeat ad-
hibere.

40 Confirmatur ad hominem contra Arriagam; quia ipse loco cit. num. 203. ait species intelligibiles non conseruari à solo intellectu, sed etiã à Deo vt à causa particulari, supplente defectum præteritorum phantasmatum, quod probat ex eo, quia solus intellectus non continet adæquatè dictas species: ergo sicut non potest illas primò producere, ita neque potest conseruare; quare recurrendum est ad Deum, qui suppleat in conseruatione influxum, quem in earum productione phantasmata partialiter exhibuerunt. Ita sic; non est sine absurdo fieri recursus ad Deum tanquam ad causam particularem, vt auctor nunc sequens concedit, pro conseruatione specierum intelligibilium, eo quod non existit phantasma aptum illas conseruare: ergo poterit etiam sine absurdo fieri pro earum productione, quandoquidem licet existat phantasma in sensu interno, non tamen est aptum eas producere.

41 Contra hanc viam instabis primò: species intelligibilis tam est spiritualis, quam repræsentativa obiecti: ergo si phantasma non potest concurrere realiter concurrere ad eius spiritualitatem, neque intellectus ad eius repræsentationem: recurrendum igitur esset ad Deum vt tanquam causa adæquata, & non partialis tantum, omnes species intelligibiles in nobis produceret; quod absurdum reiicitur.

42 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia intellectus agens per hoc, quod intelligatur realiter concurrere ad repræsentationem specierum, non sequitur vt in diuersa ordine reponendum sit, vt de se patet. Sicut secus in phantasmate, concipiatur cõcurrere realiter ad earum spiritualitatem, aliunde verò hoc ipso, quod dictus intellectus est potentia actiua, à natura animæ nostræ collata, ad huiusmodi species producendas, & non est aptus illis vim repræsentatiuam tribuere, ex suis intrinsecis exigit posse concurrere cum alio compræcipio, potente dictam vim illis realiter communicare. non est igitur cur ei huiusmodi potentia debeatur.

43 Instabis secundò: nulla causa partialis creata exigere potest in causando Deum tanquam concausam partialem. videtur enim hoc derogare diuinæ perfectioni, cui soli debetur, vt tanquam causa prima vniuersalis à suis creaturis exigatur: sed si vera esset nostra sententia, intellectus agens exigeret in specierum productione non solum concursum Dei vt causæ vniuersalis, sed etiam vt particularis partialis: ergo &c. Respondeo negando maiorem: nulla enim est repugnantia aut indecentia ex parte Dei, si vt concausa particularis à creatura aliqua in operando exigatur: dummodo dicta creatura in exhibendo suo concursu, ab eo etiam tanquam à causa vniuersali dependeat: quod probarem à fortiori; nam multo plus videtur esse, quod exigatur à creaturis suis, vt concurrat tanquam causa particularis totalis: quam tanquam partialis; & tamen quamplures auctores volunt, quod quando generantur viuentia omnia vegetatiua, & sensitiua ex putri materia, in rebus creatis habeatur hæc exigentia, vt Deus in earum generatione tanquam causa particularis totalis influat, quamquam nolint accidentia posse vt instrumenta substantiæ immediatè illam attingere. Ratio vtriusque rei est, quia dicta exigentia non tribuit vllam vim creaturæ aduersus Deum, sed solum se habet per modum indigentiæ expectantis à Deo adiumentum & auxilium in necessitate quæ patitur: non est igitur cur Deum dedeceat.

Instabis tertiò: intellectus non est instrumentum obiecti: ergo non est munus eum supplens vicem obiecti producendæ speciei, sed id ad Deum potius totaliter pertinebit. 44

Respondeo. Hurtadum disp. 22. de anima sect. 6. §. 82. circa hoc dubium esse, dum ab omni difficultate se expedire sit Intellectum aut Deum simul cum phantasmate esse causam efficientem specierum intelligibilium. idem sentiunt alij, quos suppresso nomine impugnat Arriaga num. 201. verum hi omnes reiiciendi sunt ex eo, quia sic non daretur in nobis intellectus agens, contra communem sensum Philosophorum, & Theologorum, neque ratio in contrarium adducta habet vim; concesso enim eius antecedente, nego consequentiam, quemadmodum enim sensatio externa non est instrumentum obiecti, & tamen producit speciem illius in sensu interno, eius defectum supplendo, ita & intellectus. Ratio vtriusque est, quia ad rationem instrumenti constituendam non sufficit quodcumque supplementum, vt patet in Deo sæpe supplente defectum causarum secundarum; sed requiritur præterea subordinatio essentialis ad causam principalem, ita vt comparetur ad illam tanquam virtus ei immediatè debita, & tanquam quid illius; quod non habet intellectus agens respectu obiecti specierum intelligibilium, quas producit. 45 46 47

Posterior verò via difficultatem propositam dissoluendi procedit ex suppositione, quod concedatur substantiæ animæ rationalis perfectio quædam, cuius beneficio, licet non recipiatur in phantasmata materialia, ea tamen penetret, & illis medijs obiectorum obiectarum percipiat, per hoc præcisè, quod sit radix phantasiæ, à qua proceduntur, & eandem materiam informet, quam; suppositionem multi sustentia non dedignabuntur admittere, præsertim mihi, qui non requirit perfectam immanentiam in actibus cognoscitiuis; inde enim facilè intelligitur quomodo anima nostra per dictam expansionem fecundare species intelligibiles obiectorũ à se perceptorũ, sola produceat, verum hoc etiam incommodo demorato contra hanc viam.

Obijcies, quia inde sequeretur phantasma ad productionem speciei intelligibilis meræ determinatiuè, ac exemplariter concurrere, vti volebat Suarez; & sic anima rationalis haberet vim adæquatè omnes huiusmodi species producendi; sed hoc à nobis censetur absurdum; ergo &c.

Respondeo tamen, negando sequelam: dico enim quod phantasma in hac via concurreret in genere causæ formalis ipsam animam fecundãtis, & de non præeminente adæquatè virtutem productiuam speciei intelligibilis, reddentis il-

lam

Digitized by Google

lum formaliter præcontinentem, & sufficientem per se ipsam tanquam causam adæquatam eam producere. pro quo sciendum dari quasdam formas, quæ per hoc, quod se ipsas communicant subiecto, aliquid aliud subiectiuè illi præstant, ad similitudinem quantitatis, quæ recepta in materia, non solum reddit illam habentem in se partes ipsius quantitatis ordinatas, sed etiam habentem ordinatas partes sibi proprias. Huius generis sunt actus cognoscitiui, qui cum supponant in principio, à quo proffluunt, capacitatem vitaliter cognoscendi obiectum, quod attingunt: ita se suo principio communicant, vt reddant illud subiectiuè assimilatum vitaliter ipsi obiecto. vnde sic, vt sicuti materia quanta duas partium ordinationes continet: sic anima vitaliter cognoscens obiectum aliquod, duas assimilationes ad illud habet, & vna quidem est in actu, altera in ipsa anima, quatenus beneficio ipsius actus experiendo obiectum, ille subiectiuè conformatur. ad eum plane modum, quo substantia cereæ conformatur sigillo, beneficio figuræ, quam ex illius impressione recepit. falsum est igitur ex hac responsione sequi, animam rationalem secundum se continere virtutem adæquatam producendi sibi species intelligibiles rerum omnium, quia huiusmodi virtutem obtinet quatenus vitaliter beneficio phantasmatis obiecta cognoscit, atque adeo iuxta numerum phantasmatum multiplicantur in ea vires, has, vel illas species producendi.

49 Contra hoc tamen instabis primò. ergo iam phantasma in anima rationali, tanquam in subiecto recipitur; sed hoc est vt absurdum à nobis impugnatum; ergo &c.

50 Respondeo distinguendo consequens. ergo phantasma in anima rationali recipitur æquiualenter, concedo. formaliter, nego consequentiam; & sic distincto assumpto, nego secundam consequentiam, & dico quod, licet nulla forma materialis possit formaliter recipi in subiectum spirituale: potest tamen æquiualenter, si mirum subiectum est calo, vt ex vna parte ad ipsum talis forma pertineat; & ex alia eius experientia ad reliquas suas operationes vitales exercendas indigeat. quoniam verò anima rationalis ita se habet in ordine ad suum phantasma, nil mirum si hanc prærogatiuam supra reliqua sibi vendicet, vt licet non informetur phantasmate; ita tamen se habeat in ordine ad percipiendum obiectum illius, ac si uerè, & propriè informaretur ab illo.

51 Instabis secundò: assimilatio cum obiecto, quæ anima nostra beneficio phantasmatis obtinet, est materialis, ergo non potest esse ratio, cur ipsa anima possit speciem intelligibilem illi correspondentem producere. Respondeo: distinguendo antecedens; & siquidem sermo sit de assimilatione formali, concedo, eam esse materialem: sin autem de subiectiua, nego antecedens, & consequentiam. patet enim ex dictis, huiusmodi assimilationem identificari cum ipsa anima rationali, non minus, quam idem fieret cum illa assimilatio subiectiua mutua lapidis, ex eo quod intelligat ipsum lapidem. consistit enim hæc subiectiua assimilatio in vitali perceptione, se tenente ex parte subiecti; quam non distingui ab ipso subiecto, patet ex eo, quia si ponatur intellectio in lapide, non habetur. Contra verò si ponatur in anima, etiam sublatis quibuscunque alijs habebitur.

Instabis tertiò: si tradita doctrina verè esset, sequeretur quod anima rationalis ex se ipsa haberet virtutem adæquatè productiuam specierum intelligibilis; hæc enim virtus non nisi ex subiectiua assimilatione cum obiecto oritur, quam patemur non distingui ab ipsa anima. sed consequens est contra nos. Ergo &c. Respondeo negando sequelam, & ad eius probationem dico, subiectiuam assimilationem cum obiecto, esse impræscindibilem ab assimilatione formali, quia est effectus formalis illius, atque adeo falsum esse animam rationalem ex se ipsa habere virtutem adæquatè productiuam speciei, quia illam habet pro vt facundata ab assimilatione formali, quæ habetur in phantasmate, cuius beneficio fecunditatem acquirit, vt possit absque influxu ipsius phantasmatis esse causa adæquata speciei. Verum quia hæc via videtur repugnare ijs, quæ supra diximus de immanentia actuum vitalium cognoscitiuorum, sufficit eam alijs ostendisse, pro nobis retinendo priorem.

52

SECTIO TERTIA.

Resoluuntur quatuor quæstiuncule, quibus doctrina tradita de causa efficiente specierum intelligibilium, illustratur.

53 QVæres primò: in quo sensu habet veritatem in nostra sententia quod communiter dicitur; videlicet intellectum agentem illuminare phantasmata.

54 Respondeo supponendo hoc commune proloquium procedere ex his, quæ docet Aristoteles *tertio de anima tex.* 18. vbi comparat intellectum agentem respectu rerum in nostra imaginatione, vel phantasia obiectiuè existentium cum lumine externo, quod illuminando aerem, facit vt obiecta colorata, quæ in tenebris videri non poterant, possint nostris oculis apparere. Hoc posito dico: nullo alio modo intellectum agentem illustrare phantasmata, quam producendo species intelligibiles in intellectu possibili, quibus obiecta phantasmatibus apparentia possint intelligi ab ipso intellectu possibili; ex quo deducitur hanc phantasmatum illustrationem, quæ intellectui agenti tribuitur, non esse propriam, quasi verò lumen aliquod distinctum à speciebus intelligibilibus, ipsis infundatur, sed metaphoricam tantum, importantem similitudinem quandam, quæ inter productionem specierum obiectorum intelligibilium, & illuminationem visibilium reperitur. est communis.

55 Probatur autem quia hæc actio illuminatiua ab intellectu agente procedens, non potest versari circa phantasmata, tanquam circa subiectum, qualitatem aliquam luminosam eius beneficio recipiens, vt patet ex dictis; ergo debet necessariò respicere vt subiectum, intellectum possibilem. quia aliud nihil assignari potest, in quod intellectus agens agat, vt agat. sed intellectus pos-

sibi-

ſibilis nulla alia re indiget vt obiecta, quæ per phantaſmata cognoſcuntur, percipere poſſit præter ſpecies. ergo illuminatio phantaſmatum ab intellectu agente procedens, in ſola productione ſpecierum intelligibilium poſita erit, quæ obiectiuè tantum ipſa phantaſmata reſpiciet, ſubiectiuè verò ſolum intellectum poſſibilem.

56 Quæres ſecundò ſenſum illius communis axiomatis: ea quæ ſunt potentia intelligibilia beneficio intellectus agentis redduntur intelligibilia actu.

57 Reſpondeo hoc etiam axioma habere fundamentum in Ariſtotele *loc. cit.* vbi poſtquam comparauit operationem intellectus agentis cum illuminatione, ſic addidit: quodam enim modo, & lumen facit potentia exiſtentes, colores actu colores: cui conſentiens D. T. *lib. 2. contra Gent. cap. 77.* hæc habet: eſt igitur in anima intellectiua virtus actiua in phantaſmata, faciens ea intelligibilia actu, & hæc potentia animæ vocatur intellectus agens. his poſitis dico non aliter intellectum agentem ea, quæ ſunt potentia intelligibilia reddere intelligibilia actu: quam producendo in intellectu poſſibili earũ ſpecies intelligibiles. eſt contra eos, qui putant id fieri per productionem alicuius luminis in phantaſmatibus recepti.

58 Probatur autem ex eo; quia ex vna parte intellectus agens nihil in phantaſmatibus producere poteſt, vt ſupra notatum eſt; ex alia verò, per hoc præcisè, quod obiecta materialia ex non habentibus ſpecies intelligibiles tranſeant in eas habentes, iam redduntur ex potentia intelligibilibus, intelligibilia actu, in quantum aequirunt id, quod ex parte ſui ipſorum ad mouendum intellectum poſſibilem ad ſui intellectionem neceſſarium erat. quare per ea non ſtat amplius quo minus actu intelligantur; quemadmodum ſtabat prius. propter quod non actu, ſed potentia intelligibilia cenſebantur. ergo per eandem formaliſſimam operationem, per quam intellectus agens ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili producit, phantaſmata, eorumque obiecta ex potentia intelligibilibus actu intelligibilia reddunturt.

59 Dices viſibile in potentia non tranſit in uiſibile in actu, niſi producendo ſpeciem viſibilem in pupilla. ergo niſi obiectum materiale concurrat ſimul cum intellectu agente ad productionẽ ſpeciei propriæ in intellectu poſſibili: nunquam ex intelligibili in potentia tranſibit ad intelligibile in actu. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: diſparitas ſata eſt, quia quod productio ſpeciei viſibilis ab obiecto viſibili procedat, materialiter tantum pertinet ad conceptum tranſitus dicti obiecti ex viſibili in potẽtia, ad viſibile in actu. ſufficit enim ad conceptum dicti tranſitus formaliter habendum, ſi ipſum ex non habente ſpecies, tranſeat in illas habens. vt patet ex verbis Ariſtotelis paulo ante citatis; vbi colores beneficio luminis extrinſecus adeuntis ex potentia ad actum tranſire dicuntur. quoniam verò in caſu noſtro obiecta materialia ex non habentibus ſpecies ſpirituales ad ſui intellectionem neceſſarias, beneficio intellectus agentis tranſeunt in illas habentia, etiam ſi non agant in ipſas: recte intelliguntur tranſire ex potentia intelligibilibus ad intelligibilia actu.

Queres tertiò in quo ſenſu ſit verum in noſtra ſententia, quod intellectus agens abſtrahat ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. 60

Reſpondeo: hunc modum loquendi vſurpari à D. T. *loco ſupra citato*, & habere etiam veritatem per hoc præcisè, quod intellectus agens ſpecies intelligibiles repreſentatiuas obiectorum per phantaſmata cognitorum producat. Probatur. quia hæc abſtractio non poteſt eſſe cognoſcitiua; quaſi verò intellectus agens obiecta phantaſiæ cognoſcat ſecundum aliquam rationem, & ſecundum aliam non cognoſcat, quia intellectus agens non eſt cognoſcitiuus. ſupponimus enim communiter falſam eſſe ſententiã Ianduni *li. 3. de anima cap. 5. quæſt. 23.* docentis intellectum agentem intelligere prõducendo intellectionem in intellectu poſſibili; nam ſic poſſibilis mere paſſiue ſe haberet in ordine ad intelligendum, quod falſum eſſe patet, quia ipſe indiget ſpeciebus intelligibilibus ab agente in ſe producendis. ſpecies autem non ad recipiendam intellectionem, ſed ad efficiendam neceſſariæ ſunt; neque hæc abſtractio eſſe poteſt realis, quaſi verò ſpecies intelligibiles realiter eſſent phantaſmatibus immiſtæ, ſed beneficio intellectus agentis ſepararentur ab illis, & inciperent informare poſſibilem. ſic enim, & ſpirituale accidens eſſet cum materiali confuſum, eique intermiſtum; & poſtea de ſubiecto materiali in ſubiectum ſpirituale tranſiret, quod vtrumque repugnat. ergo non poteſt in alio conſiſtere hæc ſpecierum intelligibilium abſtractio, quam in productione earundem facta ad præſentiam phantaſmatum; quatenus dictæ ſpecies ſpiritualiter repreſentant eadem obiecta, quæ antecedenter materialiter à phantaſmatibus repreſentabantur. hic enim tranſitus ex materiali repreſentatione in ſpiritualem per metaphoricam quandam loquutionem recte apellatur abſtractio ſeù eleuatio. 61

Quæres denique quartò, an ſaltem virtute intellectus agentis producatur ſpecies repræſentatiua naturæ vniuerſalis abſtractæ à ſingularibus. 62

Reſpondeo: communiter exiſtimari teſte Suario *lib. 4. de anima cap. 3. num. 19.* id ita eſſe, atque adeo abſtractionem naturæ vniuerſalis tribui ipſi intellectui agenti, eo quod huiuſmodi ſpecies in intellectu poſſibili producat. verum hoc falſum eſſe conſtat ex eo, quia quando primò intellectus concipit vniuerſale, non præſtat id, niſi per ſpeciem repreſentantem rem ſingularem à phantaſmatibus abſtractam, qua inadæquatè vtitur, prout, ſcilicet, eſt repræſentatiua naturæ, non verò ſingularitatis; quod ſuaderi poteſt, tum quia dicta ſpecies eſt ſufficiens ad repræſentandum vtramque: tum quia ſi alia eſſet ſpecies producta ab intellectu agente, per quam repræſentaretur vniuerſale ab ea, per quam ſingulare cognoſcitur: tot ſpecies deberent ab eo produci, quot ſunt gradus metaphyſici in vno individuo contenti; quia non minus gradus genericus animalis V. G. qui eſt in Petrò, poteſt cognoſci ſine gradu ſpecifico homi- 63

Digitized by Google

nis: quam gradus specificus hominis siue individuali V.G. petreitate, sed sic multiplicarentur species sine necessitate. ergo &c. ex quibus omnibus deducitur, intellectum agentem, quatenus talis est, nullam aliam exercere actionem, præter productionem specierum intelligibilium, & munera, quæ illi ab auctoribus tribuuntur, licèt, prima fronte, diuersa appareant: solo tamen nomine differre, eamdemque productionem specierū, diuersimode significare.

DISPVTATIO DECIMASEXTA

DE SPECIEBVS INTELLIGIBILIBVS Angelicis.

1 QVamuis nos non lateat Angelicarum specierum controuersiam ad Theologos pertinere: placuit tamen eam inter philosophicas connumerare; vt, quoniam post disputationem specierū in communi, de duplici earum genere intra naturæ ordinem contento, sensibili, videlicèt, & intelligibili humano disseruimus; hoc tertium explicando, omnia genera specierum ordinis naturalis pertractasse videamur. species enim, quas animæ separatæ sibi vendicant, eiusdem fere rationis sunt, ijsdemque difficultatibus subiacent, ac Angelicæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Angeli speciebus intelligibilibus ad intelligendum indigeant.

2 CONclusio est affirmatiua, quam docent omnes ferè tam Theologiæ, quam philosophiæ Doctores, qui hac de re agunt. oppositum tamen sentiunt non solum Durandus, Gregorius, Bassolus, & alijs locis citatis à Suarez *lib. 2. de Angelis cap. 3.* qui in vniuersum omnes species intētionales negant; sed etiam nonnulli, qui eas in nobis necessariò ponendas esse concedunt, inter quos primò recensendi sunt Auerroes, Alexander Aphrodis. & Vdalricus apud eundem, qui dicunt, Angelos per propriam substātiam loco specierum constitui completè potentes omnia obiecta, quantumuis extrinseca sibi, intelligere. Secūdò Altisiodorensis *lib. 2. summæ tract. 5. cap. 4.* quem magna ex parte sequitur Vasquez *p. 1. disp. 200.* hi volunt intellectum Angelicum per solam suā entitatem esse principium completum in ordine ad quamcumq; intellectionem ordinis naturalis, ideoque, neque concursu aliquo ex parte obiecti, neque speciebus impressis indigere. veruntamen quamuis hæ duæ sententiæ, supposita distinctione reali inter substantiam Angeli, eiusque potētiam intellectiuam, videantur aliquo modo diuersæ; in nostra tamen sententia, qua vidimus potentias animæ non distingui realiter ab anima, pro eadem reputantur. Tertiò denique loco numerari posset Henricus *quodlib. 5. qu. 14.* vbi docet, Angelos non indigere speciebus ad intelligēdum, sed loco earum habere habitum quendam scientialem sibi à natura congenitum, beneficio eius omnia natureliter à se cognoscibilia intelligere valeant. verum hic auctor non videtur esse contra nos; ea enim, quæ ipse huic suo habitui scientiali tribuit, constituunt illum speciem intentionalem omnium rerum intelligibilium, quare angelicas species non negat, sed earum distinctionem ab inuicem, illas inter se identificando. ait enim in dicto habitu virtute omnia intelligibilia contineri, eumque esse Angelis simpliciter necessarium ad intelligendum. putat ergo eum se tenere ex parte obiecti, & non potentiæ; alioquin illa solum facilitaret, & sic neque virtute intelligibilia continere, neque omnimodam necessitatem sui angelico intellectui imponere deberet. naturalis enim habitus communiter existimatur, qui non ad simpliciter, sed ad facilius operandum institutus est, quod si hanc qualitatem habitum apellat, nil obstat; species enim intelligibiles, eo quod permanentes sunt, & non transeuntes, rectè inter habitus connumerari possunt. quare Henricus, quod ad præsentem controuersiam facit, censendus est nobiscum sentire; solum enim discrepat quod putet vnam omnino in angelis dari omnium intelligibilium speciem. nos verò multiplicari posse censemus, quod est alterius considerationis. his igitur prænotatis.

3 Probatur nostra assertio vnica ratione. Ad vitalē cognitionē eliciēdā nō minus requiritur influxus potentiæ vitalis: quam obiecti cognoscēdi. sed hunc influxum licet Angelus exhibere per se ipsū possit in ordine ad se cognoscendū, & ad ea omnia, quæ habet in se: nō potest tamen ad cognoscēda alia extra se. ergo ad hæc cognoscēda speciebus intelligibilibus indiget. maior

sup-

Digitized by Google

supponitur à nobis supra probata. cū enim omnis cognitio sit vitalis quædā assimilatio, & expressio obiecti, circa quod versatur: sicuti propter vitalitatē indiget à potētia vitali produci: ita propter assimilationē expressiuā cū suo obiecto, eius influxum necessariò requirit, alioquin daretur effectus sine sua causa; minor verò probatur; & quidem quod Angelus possit per se ipsum, & per sua intrinseca immediatè præbere obiectiuum concursum in ordine ad cognoscendum se ipsum, & accidentia, sibi intrinseca, non videtur dubium, cum constet tum substantiam eius, tum etiam accidentia esse proximè apta ad præbendum huiusmodi concursum ad sui cognitionem. quod verò in ordine ad reliqua non possit: suadetur ex eo: quia Angelus per se ipsum in ordine ad cæterorū cognitionem non potest esse medium cognitum, neque incognitum; ergo in ordine ad ea cognoscenda nequit per se ipsum obiectiuum concursū exhibere. consequentia hæc non videtur neganda; quia omne medium, quod in ordine ad cognitionem alterius rei, obiectiuum concursum in genere efficientis intellectui cognoscentis subministrat; vel debet prius in se cognosci, cuiusmodi est causa, quę, vt cognita, ducit in cognitionem sui effectus; vel absque eo quod cognoscatur, & huiusmodi est species intentionalis, quæ incognita facit vt cognoscamus obiectum, cuius est species. antecedens verò, in quo est difficultas, probatur. Et quidem quod Angelus in ordine ad aliarum rerum cognitionem non possit esse medium cognitum, omnes ferè aduersarij concedunt. siquidem neque formaliter, neque virtualiter illas continet, neque enim est eiusdē rationis cum illis, neque eas causare potest, vt de se patet; quod verò neque possit esse medium incognitum euincitur, quia sic eius substantia perfectionem infinitarum specierum contineret; supponimus enim quemlibet angelum, quantum est ex vi sui intellectus, posse omnia possibilia successiuè cognoscere. hoc autem ex duplici capite repugnare videtur primò quia esset infinitæ perfectionis. secundò quia esset ex suis intrinsecis instrumentum à natura principaliter institutum, vt subeat vicem aliarum rerum quantumuis despectissimarum, quod non posset non repugnare essentiæ angelicæ, quæ est adeo perfecta.

3 Ex his duobus capitibus repugnantiæ Suarez *loco citato num.* 14. primum improbat, secundū verò probat; putat enim ad representandum omnia per modum speciei intelligibilis vices illorū gerentis, non esse necessariam perfectionem simpliciter infinitam, licèt repugnet substantiæ Angelicæ, quatenus essentialiter instrumentariam imperfectionē includit. Arriaga verò *disput. 5. de Ang. sect. 1.* improbat vtrumque caput; existimat enim posse concurrere per modū speciei ad omnia cognoscenda, neque infinitatē, neque imperfectionem de suo conceptu importare; imo potius perfectionem simpliciter simplicem: negandum tamen Angelis eo, quod perfectiones, quas nominus non repugnare, non debeant sine positiuo argumento illis cōcedi; quoniam verò nullum huiusmodi argumentum habemus; debemus consequenter asserere, Angelos ad suas intellectiones speciebus intelligibilibus indigere. verum licèt hoc vltimum sit rectè assertum, non tamen duo priora, quod ego ostendam; vtrumque repugnāre caput à nobis assignatum propugnando. 4

Et quidem primus ex infinitate desumptum probatur. quia continentia eminentialis in ordine ad effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum, est simpliciter infinita, sed hanc continentiam eminentialem haberet substantia angeli, si posset per modum speciei omnia cognoscibilia representare. ergo esset infinita simpliciter, atq; hæc est ratio, quam addueit *D. T. p. p. qu. 55. art. 2. in corp.* qua absolutè probat Angelos non cognoscere omnia per suam substantiam. qua etiam ratione vtitur Pallauicinus *lib. 9. suarum assertionum*, 3. his fere verbis: Angelus non continet intentionaliter perfectionem infinitarum rerum, quas cognoscere valet. ergo & ipse indiget concausa obiectiua ipsum complente, nec sufficit entitas propria, quasi in ea res cognoscantur, nam tali entitati deest illa infinitudo virtutis, per quas ad rerum omnium cognitionem concurrere possit: hæc ille. 8

Ad nostrum argumentum respondet Suarez, & cum eo Arriaga *locis citatis*, negando minorem; dicunt enim ad representandum omnia possibilia intentionaliter per modum speciei, non esse necessariam continentiam eminentialem illorū, neque æqualem perfectionem cum illis. vnde posset Deus efficere vnam speciem intelligibilē representatiuam omnium possibilium, absque eo, quod ea esset infinita. quod probat Suarez ex intellectu ipso Angelico, qui potest esse principiū proximum intelligendi infinita saltem successiuè absque eo quod sit infinitus, & absque eo, quod illa omnia eminenter contineat. 5

Sed contra est: quia quamuis substantia angeli non indigens vllis speciebus, non esset simpliciter infinita ratione continentiæ infinitorum obiectorum, eo quod per modum cuiusdam imperfectæ similitudinis, & non causalitatis illa contineret aut ratione continentia virtualis infinitarum intellectionum essentialiter perfectionum & perfectiorum in infinitum, quas producere valeret, non posset ei continentia virtualis infinita simpliciter denegari. Idem dicendum de specie, quæ ponitur repræsentativa omnium possibilium; esset enim eodem modo perfectionis infinitæ simpliciter; non enim aliunde nos infinitatem perfectionis essentialis in causis colligimus, quam ex augmento perfectionis in infinitū quod videmus in effectibus relucere, vt patet ex diuina omnipotētia, quā dicimus esse infinitam simpliciter in omni genere operādi eo, quod effectus perfectiores, & perfectiores in omni genere efficere valet. quāuis autē substātiæ Angeli, & species repræsentativa omniū possibiliū nō essent huiusmodi, quia ad solū genus intellectionū se possent extēdere; nō posset tamē negari, quin in hoc determinato genere, esset simpliciter infinitā quōd modū etiā neq; posset eis infinitas simpliciter denegari ex eo, quod instrumēntalē, & quasi seminalē cōcursū intellectionibus exhiberent. ex hoc enim solū deduceretur eorū infinitā perfectionem fore in genere instrumenti, qualem haberet proculdubio lumen gloriæ, vel formaliter, vel virtualiter infinitè in ens. 6

Dices

Digitized by Google

7 Dices: per nos non implicat infinitum cathegorematicum in perfectione essentiali. ergo Angelus, quantum est ex hoc capite, posset non indigere speciebus in ordine ad omnia possibilia intelligenda.

8 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. quia in præsenti controuersia supponimus Angelos esse finitæ perfectionis, & non infinitæ, quare hoc ipso, quod probamus eos, si non indigent speciebus, fore infinitè perfectos, iam euincimus implicantiam, quatenus haberent simul finitam, & infinitam perfectionē; quod repugnat.

9 Ad exemplum autem à Suario allatum de intellectu, qui potest esse principium proximum ad intelligendum plura in infinitum, absque eo, quod sit simpliciter infinitè perfectus, Responderem, latam esse disparitatem. siquidem Angelus non indigens distinctis speciebus ad intellectiones omnium intelligibilium producendas, esset causa totalis, & adæquata in ordine ad illas: at verò intellectus Angelicus, qui defacto datur, ita potest esse principium proximum intelligendi infinita successiuè, vt habeat rationem causæ partialis, & incompletæ respectu dictarum intellectionum, quatenus non, nisi intercedente concursu obiectiuo specierum infinitarum, posset in eas influere. constat autem non repugnare causam partialem finitam vna cum concausa infinita effectum infinitum causare posse. defacto enim si daretur luminosum infinitè intensum, posset producere calorem infinitum, etiam si singuli gradus luminis, qui concurrerent, essent in sua entitate finiti: Neque dicas, ex hac responsione sequi, vim repræsentatiuam omnium possibilium, quam haberet vnica species, non futuram infinitam, eo quod esset causa partialis respectu cognitionum, quæ elici possent de illis obiectis, & non totalis; siquidem indigeret concursu ipsius intellectus. nego enim consequentiam nam quemadmodum in casu posito de lumine infinitè intenso, etiam si gradus reliqui qui intelligerentur cum primis quinque gradibus V. G. coniungi in ordine ad infiniti caloris productionem, se haberent vt causa partialis, non inde sequitur, quod essent finiti: ita, & in casu nostro. pro quo sciendum, quod quando ex productione infiniti effectus colligitur perfectio infinita simpliciter in causa adæquata, duplici partiali causa constante, animaduertendum est num ex parte vnius tantum concausæ illa infinitas formaliter oriatur, an verò ex parte vtriusque; & siquidem ex parte vtriusque, vtraque existimanda est infinita; si verò ex parte vnius tantum; illi, & non alteri, quantum est ex vi illius effectus, infinita perfectio tribuenda est. hoc patet ex calore infinito, cuius infinitas formaliter sumpta, cum constet non esse tribuendam quinque gradibus luminis, sed alteri concausæ luminosæ ex infinitis gradibus constanti: rectè deducitur hanc, & non illam esse infinitè intensam. Iam verò si intellectus creatus, habēs speciem omnium possibilium, esset principium proximum intellectionum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum successiuè, infinitas perfectionis non oriretur formaliter ex parte ipsius intellectus, quia ipse aliud nihil formaliter illi suministraret, quam rationem cognitionis spiritualis, quæ de se finita est, sed haberetur ex parte speciei præcisè, quatenus ratione obiectiui concursus, quem, supplendo vicem omnium obiectorum, ac specierum possibilium, submini trare posset, effectiue in causa, vt cæteris paribus vna cognitio semper esset essentialiter perfectior alia. ergo in tali casu in sola specie, non verò etiam in intellectu infinita perfectio argueretur. nisi forte, ponamus etiam intellectum posse simul dicta specie adæquatè vti, producendo cognitionem clarè, & distinctè omnia possibilia representantem; quia tunc duplex infinitas haberetur in effectu, vna ex parte speciei, altera ex parte intellectus formaliter loquendo procedens.

Atque hac pro priori capite repugnantiæ, cur substantia angelica non possit esse medium incognitum omnium possibilium; quod verò attinet ad posterius caput ex ratione virtutis instrumentalis, & quasi seminalis proueniens, quatenus dedecet substantiam Angelicam esse substitutam, atque vicariam aliarum rerum, improbatur, vti dicebam, ab Arriaga tum *in libris de anima disput. 4. sect. 3. subsect. 7.* tum *in tract. de Angelis disput. 5. sect. prima* eius ratio duplex est. prima sic procedit: Species intelligibiles supernaturales per se infusæ rerum materialium, quas habuit anima Christi Domini, vel fuerunt vicariæ, & substitutæ suorum obiectorum, vel non. si secundum; ergo non omnis species impressa rationem instrumentariam, & seminalem importat; & sic poterit substantia Angeli habere secum identificatam rationem speciei intelligibilis omnium possibilium, quantum est ex hoc capite, & non esse vicaria, & substituta illorum. sin autem eligatur primum. contra est: quia explicandum prius est, cur res tam perfectæ, & supernaturales in substantia possint ita demitti, vt fiant etiam accidentium imperfectissimorum vicariæ. deinde cur non possit eodem modo substantia Angeli ita deprimi, vt rebus omnibus intentionaliter substitui possit. 10

Verum hæc ratio non videtur solida. facile enim solui potest, asserendo species per se infusas Christo Domino fuisse suorum obiectorum vicarias. Ad instantiam verò in contrarium dicerem: eas ex sua ratione intrinseca non solum esse instrumenta suorum obiectorum, sed etiam ipsius Dei supernaturaliter operantis; & ideo nil mirum, si ita sint vicariæ rerum materialium, vt in ordine supernaturali collocentur. ratio enim accidentis neque supernaturalitatem, neque intelligibilitatem obiectiuam instrumentariam à se excludit, vt patet. At verò substantiæ Angelicæ repugnat esse vicariam, & substituram obiectorum. quia hoc est proprium accidentis in ordine ad hunc finem à natura institui. Eodem modo respondendum est, siquis ita arguat: species intelligibilis est spiritualis, & tamen potest ita deprimi, vt valeat repræsentare calorem. ergo, & substantia Angelica, licet spiritualis sit, poterit eodem modo demitti. neganda enim est consequentia, & assignanda disparitas, præcedenti similis. siquidem species intelligibilis non solum habet subordinari obiecto in 11

repræ-

Digitized by Google

repreſentando, ſed etiam ſubiecto in eſſendo, quatenus ita debet influxum obiectiuum in ordine ad intellectionem ſui obiecti præſtare, vt ſit in entitate ſua ſpiritualis, quatenus ſubſtantiam ſpiritualem valeat informare: At verò ſubſtantia abſoluta, qualis eſt Angelica neque in eſſendo, neque in repreſentando poteſt eſſe alteri ſubordinata. dico, abſoluta, quia de forma ſubſtantiali ſeminis, & embrionis alia poteſt eſſe ratio, vti alibi notaui. Ex quibus deducitur munus vicarij, & ſubſtituti in repreſentando non repugnare Angelo; quia obiectum quod repræſentari debet eſt materiale, & vilius: Angelus verò eſt ſpiritualis, & nobilior, ſed quia munus illud eſt proprium accidentis; Angelus verò eſt ſubſtantia; & quidem nobiliſſima. deducitur etiam; non eſſe de ratione inſtrumenti omnibus penſatis vt efficiatur ab eo, cuius eſt inſtrumentum; nam poteſt aliunde aliquam perfectionem in ſua entitate exigere, quam cauſa principalis ſua virtute pertingere minime poſſit.

12 Secunda Arriagæ ratio eſt huiuſmodi: licet repugnet ſubſtantia, quæ ſit proprie vicaria, & ſubſtitua omnium obiectorum: tamen ſi Angelus non indigeret diſtinctis ſpeciebus ad cognitionem illorum, non eſſet proprie vicarius, & ſubſtitutus eorum. ergo quantum eſt ex hoc capite huiuſmodi Angelus non repugnaret. Conſequentia patet. antecedens probatur, quia Angelus non produceretur ab obiectis ad hunc finem, nec haberet ab eis delegatam poteſtatem, ſed propriam, & independentem ab illis. quare ſolum impropriè eſſet eorum vicarius, quatenus haberet virtutem faciendi id, quod præſtarent obiecta ſi eſſent præſentia, & proportionata; quod nullam dicit imperfectionem; Et confirmatur, quia Deus non ſolum in ſe, vt in cauſa continente creaturas omnes mediatè cognoſcit; ſed etiam immediatè determinatus à ſuæ ſubſtantia per modum ſpeciei illarum, quatenus eſt intelligibilitas omnium rerum; ergo continentia per modum ſpeciei impreſſæ, quando non dicit propriam ſubſtitutionem, non eſt imperfectio dedecens naturam Angelicam. Confirmatur iterum ex eodem ibidem: quia poſſe producere effectum, quem poteſt alia cauſa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ſed per hoc, quod Angelus eſſet ſibi ſpecies impreſſa omnium poſſibilium, haberet poſſe producere effectum, quem poſſent illorum ſpecies intentionales, ergo non eſt id denegandum Angelo, hoc ſolo nomine quod imperfectionem eius ſubſtantiæ incompetentem importet.

13 Sed reſpondeo: negando antecedens principale. implicat enim ſubſtantiam Angeli ſupplere ex intrinſecis ſuis defectum obiecti in ordine ad intelligendum illud, & non eſſe proprie vicariam, & ſubſtituram illius. Ad eius probationem concedo, quod Angelus non produceretur ab obiectis ad hunc finem, nec haberet ab eis delegatam poteſtatem, ſed propriam, & independentem ab illis: nego tamen ex hoc ſequi eum non fore proprie vicarium, & ſubſtitutum illius. quod euidenter apparet in ſpeciebus, quas Angeli ſuæ creationis initio à Deo habuerunt infuſas, quæ licet non fuerint ab obiectis ſuis productæ, nec habuerint ab eis delegatam poteſtatem; nemo tamen negabit eas fuiſſe proprie illorum vicarias; alias non fuiſſent proprie ſpecies. quare ſic ad hominem argumentor: ſpecies illæ Angelis initio inditæ nihil aliud habuerunt præter eſſe immateriale accidentis, niſi virtutem faciendi, quod præſtarent earum obiecta, ſi eſſent intellectibus angelicis præſentia, & proportionata. ſed dictæ ſpecies fuerunt vere, & proprie ſuorum obiectorum vicariæ; ergo ſufficit hæc virtus ad propriam rationem vicarij conſtituendam. ſi igitur implicat poſſe ſubſtantiam Angeli eſſe propriè vicariam aliorum obiectorum, implicabit etiam huiuſmodi virtutem habere. Ratio à priori eſt, quia, quemadmodum nihil poteſt eſſe magis proprium naturæ intellectuali, quam propria intellectiuitas, ideoque indiſpenſabiliter, vel ei identificari debet, vel eſſe eius proprietas, ac inſtrumentum: ita nihil magis proprium eſt obiecto intelligibili, quam propria intelligibilitas. ergo indiſpenſabiliter etiam vel ei identificabitur, & ſic erit illi intrinſeca; vel ſi extrinſeca, erit eius vicaria, atque proprietas: hoc poſito tanquam certo, ſic vlterius procedo: Virtus faciendi in ordine ad intelligendum id, quod præſtaret obiectum ſi eſſet præſens, & proportionatum eſt ipſiſſima intelligibilitas extrinſeca ipſius obiecti. ergo neceſſariò erit eius proprietas, ac inſtrumentum. Implicat igitur ſubſtantiam Angelicam habere virtutem faciendi idem, quod in ordine ad intelligendum præſtaret obiectum, ſi eſſet præſens, & proportionatum; & non eſſe proprie illius vicariam.

Ad priorem confirmationem: nego antece- 14
dens; cum enim determinare per modum ſpeciei ad cognitionem aliorum à ſe, imperfectionem redoleat, exterminandam à natura Angelica, impoſſibile eſt quod diuinæ naturæ competere poſſit; nec ratio, quæ adducitur ex intelligibilitate deſumpta habet vim; quemadmodum enim dicimus quod Deus non continet intelligibilitatem terminatiuam rerum omnium formaliter; quia imperfectionem importat; ſed ſolum virtualiter quatenus illam producere poteſt: ita etiam de intelligibilitate motiua exiſtimandum eſt, quod nimirum eam cauſare quidem poſſit, non verò identificari cum illa. vide Suares *lib.* 2. *de Angelis cap.* 3. *num.* 16

Ad poſteriorem verò confirmationem, diſtin- 15
guo maiorem: poſſe producere effectum, quem poteſt alia cauſa, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſi poſſe hoc ſpolietur imperfectione, quam habet in alia cauſa, concedo. ſi non ſpoliatur, nego maiorem; & ſic diſtinguo minorem. per hoc quod Angelus eſſet ſibi ſpecies omnium poſſibilium, haberet poſſe producere effectum, quem poſſent eorum ſpecies diſtinctæ, cum imperfectione, quam haberent diſtinctæ ſpecies, concedo. ſine dicta imperfectione, nego minorem, & conſequentiam; ac dico quod quando poſſe alicuius cauſæ habet in ea imbibitam aliquam imperfectionem, quam non relinquit per hoc, quod intelligatur ab alia cauſa participari, in neutra cauſa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. vt patet ex potentia, quam habet ignis calefaciendi dignum, quæ quandiu intelligitur coniuncta cum indi-

Digitized by Google

indigentia concursus causæ primæ ad operandum, non potest reperiri in Deo; quia non assurgit hoc modo ad rationem perfectionis simpliciter simplicis. Iam verò hoc ipso quod substantia Angeli posset per se ipsam præbere concursum obiectiuum in suas cognitiones, quas de aliis rebus eliceret, adhuc posse hoc retineret imperfectionem instrumenti repugnantem perfectioni illius, quam imperfectionem haberet in speciebus accidentalibus dictarum rerum. ratio igitur desumpta à perfectione simpliciter simplici nihil concludit.

16 Instabis. si hic discursus valeret: sequeretur quod neque Deus posset per se ipsum supplere defectum speciei impressæ, concurrendo cum intellectu nostro ad cognitionem obiecti, sine specie creata. sed hoc est aperte falsum. ergo &c. sequela probatur. quia vel ille concursus obiectiuus à specie creata exhibitus, potest depurari ab imperfectionibus, vel non potest. non primum, alias exhiberi posset à substantia Angeli. ergo secundum, & sic non posset exhiberi à Deo.

17 Respondeo dupliciter posse concipi à nobis Deum loco speciei creatæ alicuius obiecti concurrere cum intellectu nostro ad intellectionem illius. primò vt verè sit species propria illius obiecti, sed increata. Secundò vt re vera non sit talis, sed in genere efficientis præstet id, quod species creata in ordine ad illam cognitionem præstaret; ad eum plane modum, quo dupliciter possumus etiam apprehendere Deum ex præexistenti materia se solo generare equum. primò vt habeat propriè rationem seminis in ordine ad illum producendum. secundò vt non se habeat vt semen formaliter sumptum; sed præstet in genere efficientis totum id, quod præstaret semen in equo illo producendo in ventre matris; quo posito ad instantiam, distinguo sequelam: Deus non posset supplere defectum speciei impressæ, in primo sensu, concedo. in secundo, nego sequelam; & sic distincta eodem modo minore, nego consequentiam; & ad probationem sequelæ dico: concursum à specie intelligibili creata exhibitum ad intellectionem, posse ab imperfectionibus depurari, solum si intelligatur prouenire ab aliqua causa, quæ non sit vltima intelligibilitas obiecti, seù, quod idem est, species illius, & sic in casu posito exhiberi à Deo: nimirum non tanquam à specie, sed tanquam à causa vniuersalissima, quæ potest per suam absolutam potentiam facere se solo totum id, quod potest cum causis secundis, sic etiam, concursus, qui à semine exhibetur, potest ab imperfectionibus secerni, solum si intelligatur prouenire ab aliqua causa, quæ non sit semen, quomodo exhiberetur à Deo, si supernaturaliter in uenere equæ cum ea ad equini pulli generationem concurreret.

18 Subinstabis, ergo tota difficultas de re videtur per nos ad quæstionem de nomine esse reductam. num videlicet substantia Angeli non indigens speciebus distinctis ad cognitionem aliorum obiectorum, verè habeat rationem speciei impressæ illorum, an non. sed solum in genere efficientis præstet concursum, quem illorum species præstare deberent? sed aduersarijs ad euincendum intentum sufficit hoc secundum, in quo consistit quæstio de re. iam igitur non repugnat substantia creata, quæ, absque eo, quod sit propriè vicaria obiectorum, non indigeat distinctis speciebus ad ea intelligenda.

Respondeo, distinguendo primum consequens; 19
& siquidem concederem aduersarijs posse dari diuinitus Angelum, potentem in genere efficientis præstare obiectiuum concursum ad cognitiones rerum, absque eo, quod esset earum species, vera esset consequentia, sed hoc ego, puto implicare contradictionem non minus, quam si speciei rationem haberet. ad cuius dicti euidentiam suppono, quod si Deus vna cum intellectu creato concurreret ad cognitionem parietis V. G. supplendo in genere causæ mere efficientis defectum speciei: se haberet in hoc vt principium supernaturale, & sic illa cognitio non procederet iuxta suam naturalem inclinationē, sed contra propriam exigentiam, & veluti submurmurando. siquidem non oriretur ab obiecto, & potentia, sicuti ex suis intrinsecis exposcit; ad eū 21
plane modum, quo eadem cognitio procederet, si Deus se solo sine concursu effectiuo intellectus creati illam causaret. Sed hoc non potest dici de cognitione ab Angelo procedente; nam vel Angelus respectu illius se haberet vt causa principalis; vel vt instrumentalis. non primum, quia nullus effectus naturalis suæ causæ principali connaturali reluctatur, sed ei libenter obsequitur, & gratificatur. neque secundum, quia præterquam quod non deberet repugnare intellectio, propter dictam rationem, sic substantia Angelica iam esset propriè vicaria, & substituta ex suis intrinsecis, quod probauimus implicare, quia igitur hoc modo concurrere cum intellectu in genere efficientis non repugnet respectu Dei, repugnat tamen respectu Angeli connaturaliter operantis. addo hoc, quia per potentiam obedientialem sic concurrere posse non est dubium in præsentia, verum hæc obedientia non excludit ab eo indigentiam specierum distinctarum, quantum est ex suis intrinsecis in ordine ad intellectiones, quas connaturaliter exercere debet, in quo sensu nostra controuersia cum Arriaga procedit, vt de se patet.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contra conclusionem.

OBijcies primo: vt Angelus se ipsum perfectè cognoscat, non indiget speciebus intentionalibus, vti supponimus; ergo neque vt cognoscat cætera obiecta: consequentia probatur. natura Angeli conuenit in aliquo prædicato superiori cum cæteris entibus naturalibus, vt patet. ergo si cognoscit in se prædicatum illud sine speciebus intentionalibus: cognoscet etiam cætera entia naturalia sine illis. consequentia hæc euincitur, quia prædicatum commune refertur per intrinsecum ordinem ad inferiora, quibus est commune; ergo si Angelus sine speciebus cognoscit prædicatum commune, cognoscet etiam sine illis omnia inferiora, quatenus sunt termini essentialis habitudinis communis prædicati.

Res-

Digitized by Google

21 Reſpondent non nulli negando antecedens: rationem aſſignant, quia non apparet ratio ſufficiens concedendi Angelis exiſtentibus perfectionem ſpeciei ſibimet ipſis identificatam. ergo in re dubia debemus ſentire de illis id, quod de noſtris potentijs in vniuerſum ſentimus. antecedens probatur, quia ſi qua eſſet ratio, maxime quia ſpecies eſt inſtituta ad ſupplendam diſtantiam obiecti, debentis concurrere cum potentia. Sed non ſolum in hunc finem eſt inſtituta ſpecies, ſed etiam ad ſupplendam inſufficientiam ipſius obiecti ob limitationem ſuam, minime valentis per ſe ipſum concurrere cum potentia, vt videre eſt in igne, qui licet ſit præſens ſtuppæ, non poteſt tamen, niſi medio calore illam incendere, nec non etiam in anima noſtra, quæ ad ſe ipſam cognoſcendam ſpecies á ſe diſtinctas omnino requirit. ergo &c.

22 Non probo hanc doctrinam; quia eſt expreſſe contra D. T. *parte prima quæſt. 56. art. 1. & ſecundo cont. gen. cap. 98.* nec non etiam contra Scotum *in 2. diſt. 3. qu. 10, in fine cap.* quos ſequuntur omnes ferè Theologi, exceptis paucisſimis. hiſque obſcurè loquentibus. ratio eſt quia non repugnat ſubſtantiæ creatæ concurſus immediatus ad ſui cognitionem per modum obiecti cogniti ſe ipſam cognoſcentis. ergo defacto Angelus non indiget ſpecie diſtincta ad intuitiuam ſui cognitionem. antecedens videtur certum, non enim poteſt probari hunc cognoſcendi modum eſſe proprium ſolius Dei, ita vt non poſſit connaturaliter competere creaturæ; conſequentia verò ſuadetur, quia ob id ſolum obiectum indiget ſpecie diſtincta, vti ſupra notauimus, vt ab intellectiua potentia intelligatur, vel quia non eſt ſufficienter illi coniunctum, vel quia non eſt illi in gradu ſpirirualitatis proportionatum; ſed ſubſtantia angeli licèt ſit forma ſubſiſtens, intime tamen ſuo intellectui coniungitur, & aliunde in eodē gradu ſpiritualitatis cū potentia, atq; adeo reſpectu illius eſt actu intelligibilis; ergo defacto angelus nō eget ſpecie ad ſe ipsū intelligēdū.

23 Ad rationem in contrarium nego antecedens; ad cuius probationem, concedo ſpeciem eſſe etiā inſtitutam à natura ad ſupplendam inſufficientiā obiecti, ob limitationem ſuam minimè valentis per ſe ipſum concurrere cum potentia. ſed dico implicare huiuſmodi inſufficientiam in Angelo; hoc enim ipſo, quod eſt in eodem gradu immaterialitatis cum ſua potentia, eſt per ſe aptum illā ad ſui cognitionem immediatè mouere, paritas autem deſumpta ex igne non eſt ad rem. quia nos loquimur de actione immanente vitali; ignis autem per actionem tranſeuntem non vitalem, comburit ſtuppam.

24 Ad id denique, quod dicebatur de anima noſtra diſtinguo; & ſiquidem ſermo ſit de ea in ſtatu ſeparationis à corpore, nego indigere ſpeciebus diſtinctis ad ſe ipſam cognoſcendam, eo quod eadem ratio pro ea tunc militat, ac pro Angelis: & ita ſentit *D. T. p. p. qu. 89. art. 2* ſin autem in ſtatu coniunctionis, concedo, ratio eſt, quia nunc, cum ſit immerſa materiæ, & vnum per ſe cum corpore conſtituat; nihil poteſt eius intellectus percipere, niſi per ſpecies à ſenſibus ſibi miniſtratas, nimis enim vulgare eſt proloquium illud: Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu; cum igitur per ſe ipſam non poſſit noſtros mouere ſenſus, non eſt mirum ſi neque poſſit per ſe ipſam ad ſe ipſam intelligendam immediatè concurrere. cæterum argumentum ex paritate rationis deductum, nullum eſſe patet, quia inde ſequeretur Angelum neque immediatè à Deo, neque per propriam ſubſtantiam ſui ſpeciem habere, ſiquidem anima noſtra neutro modo ſuā habet. quare hac reſponſione poſthabita.

25 Reſpondeo; conceſſo antecedente, negando conſequentiam; ad cuius probationem, item concedo antecedens, ſed nego conſequentiam; & ad eius confirmationem, nego maiorem. nam prædicatum commune in tota ſua latitudine conſideratum, cum identificetur cum ſuis differentijs inferioribus, impoſſibile eſt vt dicat eſſentialē ordinem ad illas. quod ſi conſideretur determinatē pro vt eſt in Angelo, multo minus dicere poterit dictum ordinem ad cætera inferiora, ſiquidem ſic acceptum implicat, quod participetur ab illis, quare licèt Angelus cognoſcat ſine ſpeciebus ſuum prædicatum commune; non poterit ex vi illius cognoſcere inferiora, niſi ad ſummum per regreſſum, poſt quam illa cognouit habere ſecum in eo prædicato conuenientiam; alioquin omnia poſſibilia etiam ſupernaturalia deberent ab Angelo naturaliter poſſe cognoſci.

26 Obijcies ſecundò: vel Angelus indiget ſpeciebus diſtinctis in ordine ad cognitionem cuiuscunque obiecti, vel ſolum in ordine ad illorum, cum quibus non habet intrinſecam vnionē; neutrum dici poteſt, ergo &c. maior eſt certa ex ſufficienti partium enumeratione. minor verò probatur; & quidem quod non in ordine ad cognitionem cuiuſcumque, patet, quia poteſt ſe, & ſua accidentia ſine ſpeciebus diſtinctis cognoſcere, quod verò neque in ordine ad cognitionem illorum, cum quibus non eſt intrinſecè vnitus, ſuadetur ex eo; quia Angelus per ſuam ſubſtantiam poteſt venire incognitionem Dei & multarum creaturarum ab ipſo factibilium, abſque eo quod ipſius Dei, & harum creaturarum ſpecies habeat. imo conſtat ſine ſpeciebus diſtinctis poſſe cognoſcere effectus à propria ſubſtantia producibiles; ergo &c.

27 Reſpondeo: conceſſa maiore, nego minorem quo ad ſecundam partem; aio enim indigeritiā ſpecierum in Angelo eſſe in ordine ad obiecta, cum quibus non eſt intrinſecè vnitus, ſeu identificatus. ad probationem in contrarium, conceſſo antecedente, nego conſequentiam, pro qua notandum, quæſtionem noſtram procedere de cognitione immediata obiectorum in ſe ipſis, non autem de mediata in alio, tanquam in medio cognito. certum enim eſt poſſe ab Angelis multa obiecta cognoſci ex vi alterius obiecti in ſe ipſo ab eis cogniti, propter connexionem, quam inter ſe habent, abſque eo, quod illorum obiectorum ſpecies intelligibiles habeant; & hoc modo dicimus eos venire in cognitionem Dei, & multarum creaturarum poſſibilium, quatenus nimirum, ſe ipſos cognoſcendo, intelligunt non poſſe niſi ab aliquo principio omnipotente, & actu puriſſimo procedere hoc etiā modo ea, quæ ipſi poſſunt efficere, cognoſcere poſſunt.

Digitized by Google

possunt; quatenus nimirum propriam virtutem operatiuam intuentur, cum quo fiat, quod ad hæc eadem immediatè in se ipsis cognoscenda, speciebus indigeant.

23 Obijcies tertiò: indigentia specierum distinctarum non aliunde colligitur, quam ex necessitate præsentiæ obiectorum ad cognitionem illorum; sed obiectum potest esse necessarium, non vt concausa actus, sed solum vt determinans intellectum angelicum, qui se habeat per modum causæ vniuersalis suorum actuum. ergo non habetur in Angelis hæc indigentia specierū distinctarum. maior patet, minor probatur. causa vniuersalis vt eliciat actum huius potius, quam alterius speciei, aliquo determinatiuo indiget; sed hoc determinatiuum non se habere per modum concausæ influentis patet ex obiecto, quod appetitui per cognitionem proponitur. ab eo enim determinatur appetitus non vt à coefficiente, sed mere vt determinante. ergo obiecti existentia potest esse Angelo necessaria solum vt determinatiua cognitionis.

24 Respondeo, hoc argumento probari, quod quamuis Angelus sit sibi species omnium rerum, non possit tamen nisi res existentes immediatè cognoscere; sed quid quid sit de hoc. ad maiorē dico non ex necessitate præsentiæ obiectorum quomodocumque nos specierum indigentiam collegisse; sed ex necessitate præsentiæ in debita distantia, cum negatione impedimentorum &c. vti vidimus cum de existentia specierum materialium. addiderim præterea nos ex experientia necessitatis præsentiæ rationem à priori collegisse, quæ consistebat in ratione imaginis, & expressionis obiecti, quam cognitio essentialiter importat. his pro explicatione maioris notatis: nego minorem; ad cuius probationem, concessa maiore, distinguo minorem: determinatiuū causæ vniuersalis non se habet per modum concausæ influentis: quoties causa vniuersalis supponitur sufficienter constituta ad totaliter causandum effectum, concedo. sin autem supponatur insufficienter, hoc est ad causandum effectum partialiter solum, nego minorem; & ad paritatem ex potentia appetitiua desumptam, eam non procedere, suaderem ex eo, quia appetitus non operatur circa suum obiectum per modum assimilationis, sed per modum tendentiæ; nullus autem terminus ad quem alicuius tendentiæ se habere potest tanquam principium effectiuum siue totale, siue partiale illius, vt patet; & ideo præsentatio obiecti solum requiritur vt appetitus excitetur ad illud appetendum, vel fugiendum vitaliter; non verò vt ab eo compleatur tanquam à comprincipio effectiuo. è contrario verò intellectus operatur circa suum obiectum exprimendo in se eius imaginem; quare præsentiam illius non potest ob aliud requirere; quam vt ab eo adiuuetur tanquam à concausa ad dictā expressionem propriæ imaginis vitalis eliciendam. licet igitur intellectus respectu suorum actuum se habeat vt causa vniuersalis, sicuti appetitus erga suos, disparitas est, quia hic comparatur ad suos vt causa completa; ille verò vt incompleta, & hoc habet commune intellectus Angelicus cum quauis alia potentia cognoscitiua. vnde miror nonnullos argumento posito moueri ad negandas species distinctas in Angelis, non verò in nobis, cum æquè contra vtrosque militare videatur.

Obijcies quartò: nisi Angelus esset sibi species omnium à se cognoscibilium, sequeretur quod natura sua esset veluti cæcus, & impotens ad intelligendum illa; sed hoc dici nequit; ergo &c. minor patet. maior probatur, quia species intelligibiles non posset Angelus abstrahere à rebus materialibus, quia sicuti caret phantasmatibus, ita, & intellectu agente, cuius munus est illuminare phantasmata, abstrahendo ex eis species: neque posset illas à Deo expectare, alioquin essent ei supernaturales; omne enim quod á Deo infunditur subiecto ad libitum suum supernaturale censetur. 25

Respondeo, negando sequelam maioris; cæcus enim, & impotens videre est, qui caret potentia capaci visionis; non autem, qui caret speciebus: alioquin quando nos sumus in tenebris, essemus cæci: iam verò Angelus ex eo, quod indigeat speciebus distinctis, non tollitur, quin ex natura sua sit capax intelligendi ea, quorum habebit species. vt autem probationi sequelæ faciamus satis, in qua quærebatur de causa efficiente specierum angelicarum, sequentem sectionem instituere opus habemus. 26

SECTIO TERTIA.

Vnde nam Angeli species intentionales habuerint.

27 VNica conclusio: causa effectiua specierum intentionalium in Angelis est solus Deus, qui vt auctor naturæ, quo ad earum infusionem se habet. est *S. T. p. p. quæst. 55. art. 2. in corpore* vbi sic: substantiæ superiores, id est Angeli, sunt à Corporibus totaliter absolutæ immaterialiter, & in esse intelligibili subsistentes, & ideo suam perfectionem intelligibilē consequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt, & ad primum: In mente, inquit, Angeli sunt similitudines creaturarum, non quidem ab ipsis creaturis acceptę, sed à Deo, qui est creaturarum causa. eum sequuntur Thomistæ cum Suario *lib. 2. de Angel. cap. 7.* Albertino *to. primo principio primo cor. 8.* Molina *in primam partem loco citato disput. 2.* Arrubale *ibid. disput. 164. cap. primo.* Arriaga *de Angelis disputat. 6. sect. 4.* & alijs. est tamen primo contra Alensem *2. p. quæst. 24. num. 2. & tertio*, vbi vult Angelos ex obiectis accipere species ad intelligendum, quam sententiam vt ait Arrubal *loco citato* restringit Scotus *in 2. dist. 3. qu. vlt. 5. pr. ergo.* distinguens inter species, quibus res in vniuersali intelliguntur ab angelis; & eas, quibus res singulares existentes cognoscuntur ab illis; & priores quidem dicit productas fuisse Angelis à Deo; posteriores verò sibi eas à rebus ipsis comparare. est secundò contra Capreolum *in 2. dist. 3. qū. 2. art. 3* Bagnes *p. p. qu. 55. art. 2. dub. 2.* & alios apud Suarez *lib. 4. cap. 7.* quos sequitur Granadus *tract. 3. de angelis disput. 3.* existimantes eas ab ipsa essentia Angelorum efficiēter procedere.

Pro-

Digitized by Google

Probatur autem assertio nostra vnica ratione: species Angelicæ nequeunt prouenire effectiuè ex obiectis, nec à substantia Angelorum, in quibus sunt, dimanare. ergo sunt illis infusæ à solo Deo. consequentia videtur firma, quia si Angeli ad immediatè obiecta naturaliter cognoscèda indigent speciebus, & has nequeunt ex ipsis obiectis accipere; nec per emanationè à propria substantia in se ipsas producere, non restat, nisi ad auctorem naturæ confugere, dicendo, quod sint à solo Deo ipsis infusæ. Iam verò antecedens duas habet partes. probatur autem quo ad priorè, quia duo genera obiectorum sunt ab Angelis immediatè cognoscibilia: alterum materiale: alterum spirituale; & quidem quod Angeli species obiectorum materialium non accipiant ab illis, patet ex dictis supra, vbi probauimus ratione diuersitatis ordinis nihil materiale in rem spiritualem, ne partialiter quidem, agere posse. Arriaga *lo. cit. de Angelis* hoc principium duplici ratione conatur euertere. primò, quia res naturalis potest partialiter concurrere ad rē supernaturalē producendam, dummodo à concursu supernaturali adiuuetur, vt defacto intellectus adiutus lumine gloriæ concurrit ad visionem Dei; secundo, quia accidens per nos potest attingere immediatè substantiam, multò magis igitur potest substantia materialis ad accidens spirituale concurrere.

26 Sed neutra ratio habet solidtatē. nō prior, nā. *quādo res naturalis ad rē supernaturalē producendā partialiter concurrit, nō agit per potētiā naturalē*, sed per obediētialē, vt omnes fatemur; ergo tantū abest vt aduersario faueat hic concursus, quin imò illi maximè aduersatur. quæstio enim nostra procedit de virtute naturali, vtrū videlicèt possit res materialis viribus suis partialiter in spiritualem influere, quare potius inde deducitur, quod quemadmodum non potest res ordinis naturalis sic in rem supernaturalē influere: ita neq; res materialis in spiritualē. neq; posterior ratio plus firmitatis habet; si quidē nēhinē latet accidētia debita alicui substātiæ esse in eodem ordine cum ipsa substātia, quatenus si essent in ordine inferiori, huiusmodi substantia nō digniaretur in se illa recipere; siverò in superiori, nō esset ipsi debita, alioquin dici posset dona gratiæ & gloriæ, nō obstāte quod sint in ordine superiori, creaturæ intellectuali debita esse. constat autē res materiales & spirituales, quātis in ordine naturali cōueniant, esse tamē in diuerso ordine, quatenus tales. His igitur rationibus solutis, stet Angelum non posse ab obiectis materialibus accipere species.

Quod verò neq; possit à spiritualibus sibi extrinsecis, cuiusmodi sunt alij angeli, suadetur, quia vel angelus ad hoc vt species producat in alio requirit illum sibi immediatū, vel etiā si aliquid mediet, potest in eū agere: neutrū dici potest. ergo &c. maior patet. minor probatur. non primū, quia peior esset in hoc cōditio Angelorū quā belluarū, & hominū; hi enim etiā si valdè distent ab obiectis suis, possunt recipere ab eis species; quæ enim maior distātia haberi potest ea, quæ inter cælos & terrarum orbē interiacet; & tamē astra tū errātia, tū fixa vsq; ad nos species suas quotidie experimur immittere, & hac ratione nos in sui cognitionē excitare. neq; secūdum, quia cū species Angelicæ spirituales sint, mediū autē, quod interciperetur materiale, atq; adeo incapax illas recipiēdi, nō posset vnus angelus producere sui species in alio distāte, nisi ageret in distans, eas videlicet producendo in parte remota absq; eo quod produceret aliquid in propinqua; quod constat esse absurdum.

Ex his remanet impugnata Platonicorū sētētia, existimātiū Intelligētias inferiores species suas à superioribus accepisse, quibus videtur adhærere Auctor libelli de causis, *propositione* 10. indecens enim, & indecorū est angelos non posse, nisi, vel sint inter se cōpenetrati, vel indistantes, producere, & accipere inuicē species. præterea vel Intelligētia superior, quę illas in inferiore producit, ab alia sibi superiore creata, vel immediatè a Deo suas species accepit. nō primū, quia de illa posset redire argumētū, & sic, vel dabitur processus in infinitū, vel ad vnā aliquā Intelligētiā perueniemus, quæ ab auctore naturæ species suas immediatè recipiat. cur igitur hoc non de omnibus Intelligētijs affirmemus; cū de omnibus quātū ad hoc videatur esse par ratio. 8.

Priusquā vlterius progrediamur placet expēdere cuiusdā Recentioris sētētiā, quā de causa productiua specierū intētionaliū Angelicarū obiectorū extrinsecorū cōmētatus est. sustinet enim obiecta ipsa siue materialia sint, siue spiritualia producere in angelis proprias species intra statam, & determinatam sphæram; & pro spiritualibus quidem ad eliciendam actionem in distans dicit tria. primum est produci ab Angelis qualitatem quamdam materialem per totum spatium materiale diffusam; sicuti saluamus auri, & metallorum productionem fieri à sole in viscēribus terræ sine actione in distans. secundò addit posse dici etiam obiectum spirituale producere posse speciem sui spiritualem in spatio corporeo intermedio. sicuti dicunt aliqui vnionem spiritualem, spiritualemque subsistentiam in homine partialiter in eius corpore recipi. Tertiò denique subiungit, qualitatem per medium materiale ab obiecto spirituali diffusam sustineri posse esse speciem materialem: siue ad impediendam tantum actionem in distans, posito, quod angelus species spirituales ad intelligendum necessariò exigit; siue ad producendam similem speciem materialem in ipso Angelo. non enim (inquit) repugnat dicere quod species in intellectu Angeli sint materiales. nam anima nostra recipit in se actus vitales visionis auditionis &c, qui materiales sunt. Loquendo verò de obiectorum materialium speciebus, addit duo alia, & quartò quidem in ordine ait: siue putemus Angelos indigere speciebus spiritualibus, siue contentos esse solis materialibus, in dictis obiectis sufficientē virtutem productiuam illarum reperiri; & siquidem materiales sufficiunt, res est euidens: sin autem sunt necessariæ spirituales; probat ex eo quia materialitas non obest phantasmatibus, vt inadæquatè influant in nobis ad species spirituales 27

les intelligibiles producendas, ergo neque obesse poterit obiectis materialibus, vt adæquatè in Angelis similes species spirituales producant. concludit denique quintò, probabile etiam esse, quod inadæquate simul cum ipso intellectu angelico concurrant obiecta materialia, sicuti phantasmata cum nostro. si enim (inquit) ad effectum supernaturalem res naturalis cum causa partiali supernaturali concurrere potest, vt intellectus cum lumine ad visionem Dei, cur non etiã res materialis cum intellectu angelico ad sui speciem spiritualem producendam. sic fere ille.

28 Equidem ego, vt verum fatear in nullo ex his dictis, probabilitatis vestigium inuenio, vt ex eorum impugnatione constabit.

Et quidem vt primum impugnem: suppono id, quod habet Suarez de Angelis *lib. 4. cap. 25. num. 4.* nimirum tam communi consensu à Theologis receptum esse Angelos non habere potentiã naturalem producendi formam vllam substantialem, etiam ex præiacente materia, vt id sine magna temeritate in dubium reuocari nõ possit, ex quo euidenter infertur neque posse eos, per se ipsos corpora alterare, siquidem hæ duæ actiones ita sunt naturaliter connexæ, vt forma substantialis non possit de materiæ potentia connaturaliter educi, nisi præuia alteratione; & è contra; atque adeo si possent ea alterare, possent quoque ea substantialiter defacto transmutare, hoc posito sic argumentor: hæc impotentia intelligentijs, siue per generationem substantialem, siue per alterationem immutandi materiam, non oritur, nisi ex proprio modo essendi omnino obstracto ab ipsa materia; cum enim sint extra illam perfectè subsistentes, sicuti non habent proportionem seu conjunctionem cum illa in essendo, ita neque in operando; & ideo eam transmutare non valent; Atqui hæc ratio probat nullam aliam qualitatem materialem, licet non corruptiuam, posse eos per se ipsos in corporibus producere. ergo falsum est angelum ad euitandam actionem in distans posse producere in medio qualitatem aliquam materialem. maior cõstat ex eo, quia non potest alia ratio huius angelicæ impotentiæ excogitari; & eam tradit D. T. *p. p. q. 110 art. 2. & 3.* vbi rationem assignat; cum intelligentia, non obstante huiusmodi improportione, possit per se ipsam motum localem producere in corporibus, quia nimirum: infimum supremi attingit supremum infimi; in corporibus autem motus localis est supremus, & perfectissimus reliquorum, quatenus non ordinatur ad aliquod intrinsecum, sed solum ad locũ extrinsecum, vt docet Aristoteles 8. *phys. cap. 7.* minor verò probatur, quia si semel admittamus posse Angelum huiusmodi formam dependenter à materia in medium introducere, non esset ratio, cur non posset alias. nam cessaret ratio improportionis, & inconnexionis cum materia, quę sola adduci potest ad negandum ei virtutem productiuam aliarum formarum materialium in corporibus, vti vidimus; per quæ patet paritatem adductam ex sole in productione auri aduersario minime fauere.

Contra secundum verò dictum facit communis consensus Philosophorum, & Theologorum, docentium repugnare formam spiritualem posse connaturaliter à subiecto materiali totaliter dependere. de prima enim ratione formæ spiritualis vt sic, omnes putamus esse independentiam à materia, reliqua verò non sine controuersia de ea disputamus; & rectè id quidem, alioquin nõ posset demonstrari animam rationalem, non obstante eius spiritualitate, à nostrate materia minimè dependere; & per consequens non esse ex suis intrinsecis corruptibilem. si enim ratio spiritualitatis non affert illi huiusmodi independentiam; non est vnde sibi eam rationabiliter valeat comparare. siquidem asserere, quod illam habeat, eo quod, ita spiritualis est, vt sit etiam substantialis, est dare rationabilem causam, hoc idem de omnibus formis substantialibus materialibus asserendi; atque dicendi, quod licet materialitas dependentiam à materia formis accidentalibus materialibus necessariò afferat; at nõ substantialibus, & ideo has esse ex suis intrinsecis incorruptibiles, sicuti defacto est anima rationalis: quo quid absurdius? Quod si vt ab hac non ĩsta consequutione se liberet aduersarius, dicat, species angelicas spirituales informare quidẽ medium materiale, sed ab illo minimè dependere, in grauius incidit inconueniens, dum qualitates accidentales independentes esse à subiecto, quod informant, cogitur sustinere.

Ad fundamentũ verò ex opinionibus de vnione, & substãtia spiritualibus in homine desũptum dico: ipsum esse valde ruinosum, & idcirco 30
omnes fere ab eo se cauere, quid verò ad hæc dicendum, cum minimũ illud probabilitatis, quod secundum sè habere posse videtur, in casu nostro totaliter amittat? si quidem huiusmodi opiniones saltẽ inadæquatam dependentiã dictis modis spiritualibus à substãtia spirituali concedũt, quam speciebus spiritualibus Angelicis aduersarius negat; iam verò quam vanum sit agumentari à negatione inadæquatæ dependentiæ ab aliqua causa, ad adæquatæ illius negationem, saltem de possibili inferendam, patet hoc enthymemate: ignis. A. V. G. qui producitur ab igne B. inadæquatè pendet à causa prima, & inadæquatè etiã à secunda. ergo potest dari aliqua creatura, quæ adæquatè pendeat à causa secunda, ita vt nihil pẽdeat à prima, quod si dicat aduersarius effectũ hoc ipso, quod est creatura, ex suis intrinsecis exigere inadæquatam saltem dependentiã à causa prima. Ita dicẽt alij, ex quo species Angelica spiritualis est, essentialiter à subiecto spirituali saltẽ partialiter exigere dependere; neque hanc exigentiam ab ea excludere posse eius imperfectionem, vt asserit aduersarius; si quidem neque imperfectio alicuius creaturę, excludere potest ab ea exigentiam dependendi à Deo; & ratio vtriusque est, quia exigentia, quam prædicatum genericum affert essentialiter alicui speciei, per nullius differentiæ specificæ aduentum excludi ab ea potest, vt de se patet.

Tertium verò dictum, in quo habetur: sustineri posse qualitatem ab Angelo in medio productam, esse speciem materialem, satis impugnatum est supra. siquidem hoc ipso quod Angelus, non obstante eius adæquata spiritualitate, comparari potest ad substantiam materialem, vt agẽs ad passum, non est ratio cur eam dispositiuè, nec 29
non

Digitized by Google

non etiam substantialiter transmutare non valeat. vlterius autem impugnatur ex hoc, quem huiusmodi speciei materiali auctor assignat: sic: Vel huiusmodi species materialis causatur ab Angelo ad producendam speciem spiritualem in alio Angelo, quę alioquin produceretur in dimas, vel ad producendam in illo materialem, sicuti coloratum producit in aere species visibiles, vt similes illis producat in oculo. neutrum dici potest. ergo huiusmodi productio specierum materialium est omnino vana, atque fictitia. maior est doctrina aduersarij; & consequentia videtur certa. minor verò, quo ad priorem partem, suadetur, quia finis primarius speciei impressæ non potest esse productio alterius speciei impressæ essentialiter diuersæ. sed est adiuuare potentiam, & simul cum ea loco obiecti ad cognitionem eius immediatè concurrere. sic enim omnes, quotquot species impressas admittunt, philosophantur vnde patet huiusmodi speciē materialē ab hoc auctore cōfictā, esse fictitiā, atque chimericam, quia eius finis primarius seu immediatus non ponitur esse nisi productio speciei intelligibilis in Angelo illam recipiente; in hac enim via Angelus non nisi per species spirituales intelligere posse supponitur; & aliunde clare constat nos non posse vti dicta specie materiali ad Angelum, à quo emanauit, percipiendum. ergo &c. quoad posteriorem verò partem eadem minor clarius suadetur, quia impossibile est vt Angelus per speciem materialem immediatè cognoscat; & ratio patet ex paulo ante dictis; huiusmodi enim species debet ab intellectu angelico sustentari illum actuando, & compleudo in ratione potentis proximè intelligere. quemadmodum igitur repugnat, quod qualitas spiritualis à materiali subiecto substentetur, ita, & quod materialis à spirituali; imo multo magis, quia cum materiale subiectum qualitatem spiritualem recipiendo compararetur illi, vt turpe pulcro, ex hoc capite non submurmurat, neque reluctatur at per hoc, quod spirituale subiectum qualitatem materialem in se admittat, turpificatur; vnde fit vt violentiam aliquam patiatur, quæ ab Angeli substantia in rerū naturalium perceptione remouenda est. iam verò ad fundamentum ab anima rationali recipiente in sensationes desumptum, patet ex dictis, siquidem supra eius falsitatem probauimus, reijciendo auctores, qui illud tuentur, quorum tamen plures, eas à materia saltem partialiter sustentari defendunt.

30 Illud autem dicto asserimus probabile esse Angeli spiritualibus speciebus ad obiecta materialia intelligenda indigeant, eas illis à dictis obiectis produci. verum contra hoc dictum stat omnis antiqua philosophia, vt patet ex sententijs, quæ de anima rationali circumferebantur, tum enim qui eam dicebant esse materialem, vt Democritus, Epicurus, & alij: tum etiam qui spiritualem eam esse affirmabant vt Plato, & Aristoteles, & alij multi, in hoc principio conueniebant: quod animam non possent obiecta materialia, nisi species materiales producere, vnde priores ex hoc sic ratiocinabantur: Anima, quæ recipit speciem intentionalem materialem, est materialis, sed rationalis recipit speciem intentionalem materialem ab obiectis materialibus; ergo est materialis: à qua molesta impugnatione non se tuiti sunt posteriores negando maiorem; sed ea concessa, negarunt minorem, & quia ab aduersarijs premebantur, vt causam productiuam specierum spiritualium in nobis assignarent: Plato confugit ad Ideas vniuersales à materia separatas, dicendo huiusmodi species ab illis in nobis produci: contra verò Aristotelis intellectum agentem vt earum causam assignauit, dicendo eius beneficio illuminari in nobis phantasmata, & ex eis species intelligibiles abstrahi, & in intellectu possibili produci, quod si aliquo probabilitatis colore vtriusque sectæ philosophi sustineri posse putassent, obiecta materialia posse in nobis spirituales species efficienter causare, priores, non negassent animam rationalem esse spiritualem, & posteriores ad occultas causas minimè confugissent. & quidem vtrique rectè in eo principio conuenerunt, quia lumine naturæ constat, vt omnes posteriores philosophi probauerunt causam efficientem debere esse vel æque vel magis perfectam ac est suus effectus; cum ergo obiectum materiale de genere suo sit minus perfectum specie spirituali, impossibile erit quod illam causare valeat, alioquin dicere possemus animam rationalem non obstante, quod operationes spirituales intelligendi, & volendi producat, sit in se materialis quo quid absurdus.

Ad instantiam de phantasmate materiali species intelligibiles partialiter producente: dicendum hoc quidem falsum esse, vt nos docuimus; quod si verum, cum causa partialis possit esse imperfectior suo effectu, non verò totalis: ex eo quod phantasma materiale possit partialiter ad producendas species spirituales vna cum intellectu agente in nobis concurrere, male deduceretur posse obiectum materiale in Angelis species intelligibiles adæquatè causare. 31

Dicere autem excessum spiritualitatis in specie supra materialitatem obiecti posse aliunde compensari ab ipso obiecto, est spiritualia cum materialibus omnino confundere, ac permiscere. nam si improportio superius dicta non obstat: saluari potest, Angelos formas omnes materiales tum substantiales tum accidentales in materia nostrate producere posse, iam enim illas cuncbimo: nec non etiam aliquas saltem entia corporea posse in Angelis formas fere omnes spirituales ordinis naturalis causare, excessum spiritualitatis sibi aliunde compensando, quo nil absurdius.

Circa denique quinti dicti impugnationem, non est cur multum immoremur, cum ipse met aduersarius fateatur illud non sequi; sed velle potius quod solum obiectum materiale producat speciē in Angelo per influxum adæquatum; quā sententiam nos satis supra impugnasse videmus. vnum tamen in eo displicet, quod, scilicet, putet posse etiam probabiliter sustineri dictū illud, videlicet quod obiectū materiale vna cum intellectu angelico species intelligibiles sui in Angelo producere valeat, sicuti quidam dicunt posse phantasma materiale vna cum intellectu nostro agente nostras species intelligibiles coefficere. Contra quod facit, quia sic Angelo concedendus

Digitized by Google

esset intellectus agens; qui passim illi ab auctoribus communiter negatur, & recte: id circo enim in nobis conceditur, quia habemus sensus, qui immediatè ab obiectis materialibus immutari possunt, qua mutatione posita exigimus habere virtutem abstrahendi ab illis species, vti dicemus paulo post, atqui Angeli carent sensibus, qui ab obiectis sensibilibus immutentur. Dicere enim quod obiectum materiale immediatè per se ipsum in eis faciat, quod in nobis medijs phantasmatibus operatur, est vanum; siquidem inexplicabile est quo pacto intellectus Angeli ab obiecti materialis præsentia determinetur ad simul concurrendum cum illo, si non habetur recursus ad phantasmata; propriuquitas enim localis est impertinens respectu intellectus, nisi aliqua eius cognitio præcesserit, quæ antecedenter ad speciem minime haberi potest ab angelo quod si intellectus beati per infusionem luminis gloriæ sufficienter intelligitur constitutus potens videre Deum, est quia lumen intrinsece illum informans supponitur, & eleuare ad supernaturaliter operandum, quod in casu nostro minime inuenitur.

32 Atque hæc quantum ad priorem partem antecedentis principalis, quo ad verò posteriorem, in qua assumebamus species intelligibiles non dimanare ab essentia Angeli in quo sunt. Probatur etiam; quia si emanarent vel solæ species rerum, quæ defacto productæ sunt, ac producentur successu temporis, vel etiam species omnium possibilium emanarent, non secundum, quod infinita virtus in Angelis concedenda esset, vti supra notauimus: neque primum, quia quilibet Angelus habet indifferentiam ad coexistendum cum his, vel illis creaturis possibilibus, faciamus ergo, quod Gabriel cum nulla ex his creaturis, quæ defacto in hac rerum serie creatæ fuerunt extitisset, sed cum alijs in alia serie possibilibus quæ nunquam existuræ sunt; profecto exigeret potius Gabriel habere species in tali casu earum, quæ defacto non existunt, sed huiusmodi species non emanarent ab eius essentia; alioquin eius virtus contineret omnes omnium possibilium; ergo neque species, quas defacto habet Gabriel creaturarum, quæ in hac rerum ordine dantur, ex eius essentia dimanant: cum non sit maior ratio de his, quam de illis. Ratio à priori huius rei est, quia quilibet Angelus, quantum est ex se, est indifferens ad cognoscendam quamlibet rem naturalem à Deo creatam multo magis, quam noster oculus ad videndum quodlibet colorabile naturaliter existens; aliunde verò inter infinitos mundos à Deo creabiles, non magis vnus exigit creari, quam alius; sed omnes rerum series æqualem habent indifferentiam ad existendum, impossibile igitur est Angelos ex suis intrinsecis habere determinationem ad harum potius, quam aliarum rerum species intelligibiles producendas.

33 Respondet ad hoc Granadus, ex Angelis possibilibus quosdam habere peculiarem connexionem cum vna rerum naturalium serie, alios verò cum alia, & sic in infinitum: Deum verò dos solum Angelos produxisse, qui cum hac rerum serie, quam defacto creauit, connexi sunt; & ideo non esse mirum, si harum tantummodo rerum species ex eorum essentia dimanare possint.

Sed contra est primo, quia substantiæ spirituales completæ, quales sunt Angeli, nullam dicunt exigentiam rerum corporearum; in tantum enim animæ rationales exigunt corpora, in quantum sunt formæ quædam incompletæ essentialiter, ordinatæ ad faciendum vnum per se cum illis; at verò Angeli sunt à corporibus totaliter absoluti ergo impossibile est eos habere connexionem cum seriebus rerum materialium, ita vt quidam cum hac, quidam verò cum illa determinata serie exigant existere. hoc enim videtur esse prædicatum quoddam Angelicæ naturæ ex suis intrinsecis repugnans, quatenus, vel materialitatem, vel incompletionem in ea argueret. Contra secundò, quia dato quod huiusmodi connexio non repugnet; non tamen illico tribui debet Angelis, qui defacto existunt, sine aliqua positiua ratione; cum præsertim sit contra communem existimationem, quam sapientes habent de tam nobilissimis creaturis; atqui nulla apparet huiusmodi ratio, quæ id suadeat; ergo &c. 34

Duobus alijs argumentis alij eandem Granadi responsionem impugnant. Vnum est: quia si Petrus V. G. pro sua libertate filium genuisset, quem tamen defacto non genuit, Deus debuisset creare aliam multitudinem Angelorum totaliter diuersam ab ea, quam defacto creauit; illam scilicet, quæ habuisset connexionem cum filio Petri, quam præsens multitudo non haberet; sed hoc videtur absurdum; ergo &c. Alterum verò est, quia si Angeli, qui defacto existunt, fuissent essentialiter connexi cum existentia tot actionum externarum, quas homines libere pro qualibet temporis differentia ponunt à parte rei ergo ex vna parte huiusmodi actiones quilibet Angelus ab initio suæ creationis cognouisset, comprehendendo suam naturam essentialiter cum illis connexam: ex alia verò dictæ actiones carerent libertate, quia ex positione alicuius antecedentis, nimirum, existentiæ tot Angelorum antecedenter positæ, necessario deberent existere. 35

Verum neutra ex his rationibus videtur sufficiens impugnandam Granadi responsionem. Ad priorem enim posset negari sequela, & dici quod quando aliquem quemlibet Angelum habere ex natura sua connexionem cum hac potius serie obiectorum, quam cum alia non sit intelligendum de obiectis in individuo, sed in specie: cum enim individuorum cognitio materialiter se habeat in ordine ad perficiendum intellectum eius, à quo elicitur, & tota perfectio formalis à cognitione naturarum in specie consideratarum ponenda sit hinc sit, vt siue, in hoc ordine sint hæc, siue alia individua ex possibilibus dummodo eadem species physicæ habeantur, eidem numero Angelo ponendi sint: eo quod per easdem species intentionales, per quas illi cognoscunt naturas in specie: cognoscunt earum individua existentia, & non per alias, quod vltimum num habeat veritatem examinabitur infra. 36

Ad posteriorem verò negari etiam posset, Angelos, qui defacto sunt potuisse ab initio cognoscere actiones liberas externas hominum, quæ 37

pro-

Digitized by Google

procedente tempore faciendæ erant; ac dici ſpecies, quæ ab eorum eſſentia procedunt, non poſſe individua ante eorum exiſtentiam repræſentare neq; vt ponenda, neq; vt poſita à parte rei, propter rationem ſuo loco dicendam *ſect. ſexta*. Ex quibus ſequitur falſum eſſe id, quod ex dicta ſententia deducebatur, nimirum actus noſtros carere libertate, quatenus ex poſitione alicuius antecedentis neceſſario deberent exiſtere. cum enim dicti actus per eaſdem ſpecies, per quas natura humana cognoſcitur, deberent ab Angelis determinatè intelligi, non niſi habita exiſtentia eſſent ſufficientes ad eorum cognitionem certitudinaliter terminandam. Linquo, quod etiam ſi ſpecies aliqua infunderetur hodie Petro de peccato Pauli cras futuro, nihil libertati Pauli præiudicaret. quia daretur Petro ex ſuppoſitione ipſius peccati Pauli præuiſi, atque adeo non importaret neceſſitatem antecedentem, ſed conſequentiam tantum, ſimilem illi, quam importat cognitio, quam ab æterno habuit Deus de omnibus actibus liberis Angelorum, & hominum.

38 *Obijcies* primò: niſi ſpecies intelligibiles, quas habet Angelus, ab eius eſſentia dimanarent: ſequeretur quod non eſſent ei connaturaliter debitæ; ſed hoc eſt inconueniens, ergo &c. minor patet, quia Angelus eſt ex ſuis intrinſecis intellectiuus obiectorum, quæ in hoc rerum ordine continentur; ergo ei debentur connaturaliter omnia, quæ ad eã actu intelligendum ſunt neceſſaria; inter hæc autem numerantur ſpecies, ergo abſurdum eſt dicere, quod aliquæ ſaltem ſpecies intelligibiles non ſint ei connaturaliter debitæ, ac naturales. ſequela verò maioris probatur, ſi ſpecies non emanarent ab eſſentia Angeli, hic ſolum potentiam paſſiuam circa illas exerceret; ſed potentia paſſiua tantum non facit vt forma ſit connaturaliter debita ſubiecto; alioquin non eſſet ratio cur calor, qui eſt in igne exiſtimandus eſſet procedere efficienter ab ipſo igne; ergo &c.

39 Reſpondeo negando ſequelam maioris; ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ſi ſpecies intelligibiles non emanarent ab eſſentia Angeli, hic ſolam potentiam paſſiuam exerceret erga illas cum exigentia eas habendi, concedo ſine exigentia, nego maiorem, & ſic diſtincta minore: dico ad hoc, vt aliqua forma ſit connaturaliter alicui ſubiecto debita, non requiri vt in genere cauſæ efficientis procedat ab illo, ſed ſufficere ſi pendeat in genere cauſæ materialis, dummodo ſic ab eo exacta, ſit licet forma ſubſtantialis non cauſetur efficienter à materia, ſed ſolum recipiatur in illa, eſt tamen ei connaturaliter debita quæcumq; materia ſine ea non poteſt ſaltem naturaliter exiſtere. ad id autem quod in contrarium affertur de calore in igne exiſtente. Reſpondet Arriaga *loco citato num.* 35. duplicitèr primò ſe probaſſe poſſe ſubiectum exigere aliquam formam, abſque eo, quod influat effectiuè in illam. vnde autem inferatur vis effectiua in igne, eſſe independentem ab hoc puncto. Reſpondet ſecundò rationem, cur dicamus ignem effectiuè calorem producere, peti ex probabiliori ſententia, quæ tenet paſſiones ab eſſentijs, quarum ſunt paſſiones, emanare. calorem enim eſſe paſſionem ignis omnes admittere.

Verum neutra reſponſio ſatisfacit. non prior, quia aduerſarij contendunt, omnem exigentiam in virtute effectiua fundari, ad quod probandum adducunt exigentiam, quæ eſt in igne habendi calorem; quandiu igitur non affertur à nobis ratio, qua probemus huiuſmodi exigentiam non fundari in ſola virtute receptiua ignis, ſicuti fundatur in Angelis exigentia habendi ſpecies, ſed etiam in effectiua, victoria ſtat pro aduerſarijs. neque ſatisfacit poſterior; quia licet in ea aſſignetur ratio diſparitatis, hæc non videtur eſſe ſufficiens. nam multi inter quos eſt Cardinalis Pallauicinus *lib. 5. Aſſertionum num.* 33. ſuſtinet ſpecies intentionales eſſe proprietates, & paſſiones Angelorum, non obſtante quod à Deo immediatè ſint ipſis infuſæ. vrget contra hoc Arriaga: Angelus petit has vel illas ſpecies ſub diſiunctione, ſicuti materia prima hanc vel illam formam ſubſtantialem. ergo ſicuti id non ſufficit vt forma dicatur paſſio materiæ: ita neque quod ſpecies dicantur pathemes angeli. Sed huius argumenti facile negarem conſequentiam. diſparitas ſata eſſet, quia materia exigit formam vt compartem in ordine ad conſtituendum vnũ per ſe in genere ſubſtantiæ. Vnde impoſſibile eſt eam exigere vt paſſionem, quia paſſio eſt de genere accidentium; quod adeò verum eſt; vt etiam ſi materia determinatam formam ſubſtantialem exposceret, ſicuti multi dicunt eſſe materiam calorum: adhuc ratiorà nobis aſſignata euinceret, huiuſmodi formam non eſſe exiſtimandam paſſionem illius. Quare paritatis adductæ inefficaciam hoc argumento ſuadere mihi, ſi daretur ſubſtantia, quæ ſpecies intelligibiles non ſub diſiunctione, ſed determinatè peteret, huiuſmodi ſpecies eſſent paſſiones illius, etiam ſi à generante immediatè efficerentur; & rationem ſi daretur materia determinatè formam ſubſtantialem ſibi vendicans, huiuſmodi forma reſpectu talis materiæ non ſe haberet vt paſſio; ergo paritas ex materia deſumpta non eſt efficax: His igitur reſponſionibus poſthabitis.

Reſponderemo ego: ex eo quod admittamus 41
dari potentiam mere paſſiuam cum exigentia, non ſequi talem eſſe potentiam ignis reſpectu caloris. ratio huius inconſequentiæ poteſt eſſe duplex: altera quæ tunc ſolum concedi debet ſubiecto huiuſmodi potentiæ, quando aliquid obſtat nè concedatur illi effectiua cum debito, & exigentia; & hoc nè alioquin pugnam omnem virtutem effectiuam rebus creatis negare. at nil obſtat ſi concedamus igni exigentiam caloris in virtute effectiua fundatam: eſt verò quod maximè obſtet, ſi concedamus Angelo exigentiam ſpecierum, quæ cum ſimili virtute coniuncta ſint, ergo &c. Altera verò ratio poteſt eſſe quia igni, vt experientia conſtat, eſt connaturaliter debita virtus effectiua caloris in ſubiectum extraneum ad ſui ſpeciem propagandam; ergo non eſt cur negetur ſimilis virtus producendi in ſe ipſo eandem calorem in ſpecie ad conſeruandum proprium eſſe. habet igitur hanc virtutem. at conſtat Angelo non eſſe connaturaliter debitam virtutem productiuam in alijs Angelis ſpecierum intelligibilium rerum in hoc ordine contentarum;

vnde

vnde ex hoc non possumus inferre similem virtutem eum habere respectu sui ipsius. Atque hæ disparitates sufficere possunt ad solutionem argumenti ex calore desumpti.

42 Obijcies secundò: illud accidens, quod non potest produci ab alio, quam à solo Deo, est supernaturale. sed species intelligibilis angelica est naturalis; ergo non est producibilis à solo Deo, sed vel ab obiectis, vel à substantia Angeli.

43 Respondeo, negando maiorem. vt enim inferamus formam aliquam esse supernaturalem, non sufficit videre, eam non posse ab alio, quam à solo Deo immediatè produci. sed vlterius necesse est non haberi in hoc rerum naturalium ordine principium aliquod exactiuum illius. hanc doctrinam confirmat Cardinalis Pallauicinus *lib. 5 cit. num. 34.* paritate animæ rationalis, quæ non solum quo ad esse est ordinis naturalis, sed etiam quo ad produci, & tamen non potest effici nisi à solo Deo; verum posset quis respondere hoc esse speciale in ea, eo quod ex suis intrinsecis exigit per creationem produci. afferri etiam possent formæ cælorum, quæ sunt à materia dependentes, & tamen solum Deum vt causam efficientem sui possunt agnoscere; verum ad hoc responderi posset huiusmodi formas esse substantiales; in maiori autem fermonem esse de formis accidentalibus. quare falsitatem illius maioris melius hoc discursu demonstrare. Multi eorum, qui tenent proprietates non produci immediatè à substantia genita, cui sunt debitæ sed à generante illam: existimant vlterius potentias animæ esse realiter distinctas ab anima, quare si consequenter discurrant admittere debent intellectum, & voluntatem, tum in homine, tum in Angelo non posse nisi à solo Deo immediatè effici; atqui eorum aduersarij illos non impugnant ex eo, quia intellectus, & voluntas sunt de genere accidentium ordinis naturalis, & ideo à solo Deo creari posse repugnet. falsum igitur vniuersaliter censeri debet illud principium: accidens, quod non potest produci ab alio, quam à solo Deo, supernaturale esse. cum

44 constet, neque eos, qui dupliceem illam sententiam propugnant, neque eorum aduersarios illud existimare probabile. idem suadetur in sententia eorum, qui sustinent quantitatem esse proprietatem materiæ, neque ab illa creationis initio dimanasse; sed à solo Deo productam fuisse. denique id euincitur ex doctrina, quam tradit *D. T. 1. p. secunda qu. 6. art. 5. ad 2.* vbi sic: dicitur autem aliquid naturale dupliciter vno modo, quia est à natura sicut à principio actiuo, sicut calefacere est naturale igni, alio modo sicut principium passiuum, quia scilicet est innata inclinatio ad recipiendam actionem à principio extrinseco.

44 Obijcies tertiò per nos species intelligibiles humanæ non fiunt à solo Deo, sed etiam ab intellectu agente, qui vna cum ipso Deo tanquã eum concausa particulari supplente vicem obiectorum, illas producat; ergo idem debemus asserere de speciebus intelligibilibus angelicis, atque adeo angelis concedere intellectum agentem. Respondeo, concesso antecedente: negando cõsequentiam. disparitas est, quia nos hoc ipso, quod elicuimus in nobis phantasmata illorum obiectorum, quæ intelligere debemus: acquisiuimus ius quoddam speciale, eorum species in nobis producendi. non quidem per influxum totalem, quia hic, vti probauimus, repugnat, sed per partialem, in quo nulla apparet repugnantia. Porrò hoc ius fundatur in eo, quod per materiales cognitiones, quas de illis obiectis elicuimus attraximus ea veluti intra nos ipsos, & ad nos pertinere fecimus; adeo vt, non possimus, nisi vt nostris phantasmatibus velata ea intelligere. quemadmodum igitur per hoc, quod obiectum aliquod externo sensu percipimus V. G. oculo Leonem, habemus exigentiam producendi in superiori potentia cognoscitiua materiali speciem intentionalem ipsius Leonis, sub velamine visionis, beneficio cuius, sensus communis eum sibi vitaliter exprimit, producendo in se phantasma Leonem representans: eodem modo dum obiectum ipsum per phantasiam attingimus, debemus etiam acquirere ius producendi in superiore potentia, nimirum in intellectu, species eiusdem obiecti, quibus ipse intellectus sub velamine phantasmatis illud intelligere valeat. quare si Deus in nobis species intelligibiles obiectorũ sensatorum vt causa totalis produceret, contra nostram exigentiam, vt auctorem supernaturalem se gereret. Atqui nullum huiusmodi ius habetur in Angelis; quamuis enim illi exigant habere species rerum, at non à se productas. quia non supponunt dictas res ad se interius attraxisse, & eas sibi veluti per præcedentẽ aliquam cognitionem appropriãsse, sub cuius integumento, ac velamine illa debeant postea intelligere. quare se habent quo ad hoc sicuti nos respectu obiectorum per externas sensationes percipiendorum, ad quorum species in nobis per nos ipsos producendas nullum ius habemus, sed solum habemus exigentiam, vt posita illorum debita præsentia, & sublatis impedimentis ab efficiente aliquo extrinseco illas accipiamus. Atque hæc videtur mihi ratio sufficiens cur concedere debeamus hominibus intellectum agentem, non verò angelis.

SECTIO QVARTA.

Quandonam angeli species intelligibiles acceperint.

45 VNica Conclusio: Angelis suæ creationis initio fuerunt à Deo indita species rerum omnium naturalium, tum in specie, tum in individuo, quæ in principio à Deo productæ sunt, quæque postea procedente tempore produci naturaliter debebant. est S. T. *prima parte quæst. 55. art. 2. in corp.* vbi sic: Angeli suam intelligibilem perfectionem consequuntur per intelligibilem influxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura, & *tertia parte quæst. nona art. 3.* hæc habet. Per verbum Dei animæ Christi sibi proportionaliter vnitæ impressæ sunt species intelligibiles ad omnia, & ad quæ intellectus possibilis est in potentia; sicuti per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti angelicæ in principio creationis rerum

Digitized by Google

rum, vt patet per Augustinum. vbi notandum, quòd quemadmodum species intelligibiles per se infusæ animæ Christi fuerunt, non solum de tunc existentibus, sed etiam de futuris, ita, & species intelligibiles Angelorum mentibus inditæ, S. D. sequuntur Thomistæ [cum] Suario *lib. secundo de Angel. cap. vltimo*, & alijs communiter.

46 Probatur assertio quo ad priorem eius partem in qua dicebamus, Angelos habuisse concreatam speciem rerum omnium naturalium in individuo, quæ initio mundi extiterunt. Quia nisi illas concreatas habuissent, profectò cum ignorantia earum rerum perpetuò remansissent; sed hoc est inconueniens; ergo &c. minor, & consequentia patent. sequela verò maioris suadetur; nam ex vna parte neque in actu, neque in habitu scientiam illarum rerum habuissent: ex alia verò parte eandem exigentiam habebant tunc illas sciendi, quam postea habuerunt: ergo si tunc non acceperunt à Deo earum species, neque in posterum accepissent; & sic cum earum ignoratione perpetuò remansissent; hæc consequentia clarescit: verò antecedens, quo ad priorem partem est euidens; nam tunc creati essent in ordine ad res naturales pro eo tempore existentes cum sola potentia intellectiua, quæ, cum sit potentia remota, ignorantiam propriam non excludit, vt patet in nobis. Posterior verò pars eiusdem antecedentis probatur, quia iam supponimus tunc res aliquas naturales existere, nimirum alios Angelos, cælum, solem, lunam, elementa &c. ergo si hoc non obstante, Deus non indidit singulis Angelis horum species, neque procedente tempore indidisset.

47 Ad hoc argumentum respondet primò Scotus *in secundo dist. 3. quæst. 12.* volens Angelos ab ipsis obiectis species accipere; negando sequelam maioris; ait enim Angelos habuisse quidem concreatas species rerum naturalium quo ad genera, & species earum, de quibus est propria scientia: non autem quo ad earum individua, quorum non datur propria scientia. vnde non potest dici, quod creati fuerint cum ignorantia propria rerum naturalium, quia hæc exclusa est per propriam earum scientiam, neque quod nunc illam habeant, quia nunc etiam scientiam de individuis paulatim acquirunt, pro vt successiuè existunt.

48 Sed contra est: quia licet nostra scientia sit de vniuersalibus; ea tamen, cùm non descendat ad notitiam individuorum, quibus ipsa vniuersalia identificantur, est cum aliqua ignorantia coniuncta; atque adeo dedecet Angelos; quod ex eo liquet; nam si huiusmodi scientiam ab initio habuissent; ergo verè ignorassent suos socios in particulari, & hunc numero modum, & hæc à se &c. quo quid absurdius? falsum igitur est de individuis non dari propriè scientiam, loquendo de scientia, non nostra; vt dixi, sed de scientia simpliciter, cuiusmodi est scientia Dei, & Angelorum. verum autem Angelus elicere possit cognitionem de generibus, & speciebus rerum naturalium in communi: aliqui sunt, qui negant; melius distinguendum putarem; & siquidem sermo sit de cognitione procedente à speciebus intelligibilibus, ordinaris per se ad dicta genera, & species representanda, negarem: sin autem de cognitione procedente à speciebus ordinatis per se ad eorum individua exprimenda, concederem. primum patet, quia sicuti in nobis dictæ species necessariæ non sunt; multo minus in Angelis. secundum verò suadetur, quia non videtur neganda Angelis vis intellectiua, inadæquatè vtendi speciebus per se ordinatis ad res individuas manifestandas, videlicet secundùm quod earum naturam, non verò individuationem representant, possunt ergo elicere cognitiones generum, & specierum rerum naturalium, per easdem species, quibus ad eas in individuo cognoscendas vtuntur.

Ad idem argumentum respondere possunt alij 49
secundò, aliter negando sequelam maioris; & ad eius probationem dicendo: quod licet Angeli non habuerint concreatas rerum naturalium suæ creationis initio existentium species, non bene deducitur eis pulchrè procedente tempore caruisse; quia licet Angelus non accipiat species ab obiectis: potest tamen eas exigere à Deo, quando non distat ab illis; & ratio potest esse, quia, si quando Angelus est præsens alicui obiecto, posset debitas species ab eo recipere: Angelus tunc naturaliter illud obiectum cognosceret; ad eum modum, quo nos propter eandem rationem cognoscimus obiecta præsentia. ergo tunc Deus tenetur supplere defectum obiecti, producendo in eo species spirituales illius, ne obiecti florilitas defraudet Angelum perfectione, ex cognitione de illo prouenienti, quæ sibi naturaliter debita est.

Sed contra hanc etiam responsionem facit, quia 50
videtur absurdum Angelos nó potuisse res naturales initio mundi in quiete cognoscere, sed debuisse ad eas accedere, vt earum species à Deo recipere connaturaliter possent: sic enim nec sitatem habuissent excurrendi per totum vniuersum ad eius scientiam comparandam, in quo non essent melioris conditionis, quam homines. nos enim, ad rerum procul nos positarum cognitionem comparandam, iter arripimus, vt ad eas perueniamus, & sic earum species consequimur. Imo possemus contra Angelos gloriari ex eo, quia non passiuè tantum ad earum comparationem nos habemus; sed actiuè illas nobis partialiter producimus; valde igitur fuit conueniens, vt hæc nostra gloriatio cõpensaretur ex eo, quod fuerint dictæ species Angelis initio simul cum eorum natura inditæ. Confirmatur, quia non debemus plus tribuere Adamo, quam Angelis; sed communiter docent patres, & Theologi Adamo initio creationis suæ fuisse à Deo infusas species rerum omnium naturalium, quæ tunc existebant; ergo multo magis id debemus affirmare de Angelis. Sed maior hæc ratio nequit in alio consistere, quam quod Angeli ex suis intrinsecis huiusmodi species exigebant à Deo; Adam verò ex liberali Dei beneficio. ergo &c. atque hæc quantum ad priorem partem assertionis.

Quoad verò posteriorem, in qua dicebamus, 51
Angelos habuisse etiam cõcreatas à Deo species illorum individuorum, quæ procedente tempore in hac rerum vniuersitate extitura erant. Probatur assertio contra eos, de quibus suppresso nomine mentionem facit Suarez *lib. secundo de Ang.*

Cap.

Cap. 6. num. 14. & 18.

52 Probatur inquam primò illis verbis *Ezechielis* 28. *tu signaculum similitudinis Plenus sapientia*; quæ verba primò, & per se dicta esse de Diabolo docent Origines *lib.* 1. *Periarchon. S. Gregor. lib.* 32. *moral. cap.* 18. *Tertullianus lib.* 2. *contra Marcion. cap.* 10. alij verò vt S. Ambrosius *lib. primo de Parad. cap.* 2. & S. Hieron. licet ad litteram ea intelligunt de Rege Tyri, sub typo tamen, & parabola Diaboli; quo posito; sic arguo: Illas particulas: Tu signaculum similitudinis; sic legit Vatablus: tu es omnibus numeris absolutissimũ exemplar; in quo autem hæc ratio similitudinis posita sit videtur innotescere per particulas sequentes, Plenus sapientia; quas communiter exponunt sacri interpretes de Plenitudine scientiæ quam initio suæ creationis Diabolus habuit; sed si caruisset speciebus earum rerum, quæ naturaliter futuræ erant in mundo, hoc de eo verificari non posset. siquidem ad plenitudinem sapientiæ pertinet non solum omnia in specie, sed etiam in individuo posse perfectè cognoscere; ergo, &c.

53 Arriaga *disput. 6. de Angel. sect. 3. num.* 15. postquam contrariam sententiam præcedenti sectione docuit: tribus ad hanc auctoritatem respondet. primò, ea non tam probari infusionem specierum de futuris, quam actualem cognitionem; eam enim significat vox illa, sapientia, in sensu communi. secundò, loco citato maximè esse sermonem de sapientia supernaturali; vnde nihil de speciebus naturalibus. tertiò meritò dici plenos sapientia etiam si non nouerint omnia in particulari, cum de sapiente quolibet iusto dicat Ecclesia ex scriptura: impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ.

54 Verum nulla ex his responsionibus satisfacit. Non prima. nam vna ex regulis sacram scripturam interpretandi est, vt expositio loci obscurioris non sit contraria locis clarioribus eiusdem. constat autem ex scripturis, non posse creaturis intellectualibus cognitionem intuitiuam futurorum naturaliter competere, iuxta illud: *Isaiæ* 41. Annunciate quę ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos. Vnde Origines *lib. sexto contra Celsum* ait: Diuini Sermonis characterem esse prædictionem futurorum, & Chrisost. *Hom.* 8. *in Ioann.* Certa prædictio, inquit, futurorum immortalis dumtaxat Dei opus est. Et ratio huius est, quia ad cuiuscumque rei creatæ existentiam requiritur decretum Dei liberum de concurrendo ad eam extra causas ponendam; sed hoc decretum est secretum Diuini Cordis, quod nemo potest naturæ viribus certo cognoscere; ergo neque poterit aliqua creatura intellectualis certo noscere entia naturalia futura. Decretum enim Dei vniuersale non abstulit à Deo facultatem hunc, vel illum effectũ in particulari, quando sibi placuerit, impediendi; & hinc est vt prophetia, & futurorum reuelatio semper fuerit in Ecclesia certissimum signum assistentiæ, & auctoritatis diuinæ. vt colligitur *ex prima ad Corinth.* 14. Ex quibus euidenter deducitur non posse nos locum Ezechielis interpretari de actuali futurorum cognitione, sed bene posse de habituali, habita per species.

55 Neque secunda responsio est solidior, quia dato quod ad hanc sapientiæ plenitudinem pertineret scientia supernaturalis, quam initio Diabolus à Deo habuit, quod multi non concedunt: non tamen est putandum, quod totaliter in ea consisteret, sed quod illam tanquam partem includeret, ita vt; tum naturalis, tum supernaturalis dictam plenitudinem componeret; cum debita tamen proportione, vt supernaturalis fundata sit in Fide, quam habuit à Deo libere infusam, atque adeo non importauerit proprias species. naturalis verò habita sit ad exigentiam naturæ, cuius perfectio requirebat vt res naturales in se ipsis perfectè cognosceret.

Neque denique tertia responsio aliquid euincit. quia aliud est aliquem esse plenum sapientia; aliud verò esse plenum spiritu sapientiæ. Ad primum enim verificandum requiritur, vt ille vere sit sapiens; ad secundum verò sufficit si possideatur in suis operibus à Spiritu Sancto, qui Spiritus sapientiæ passim in scripturis appellatur. Quoniam verò viri sanctitate insignes à diuino spiritu reguntur; id circo dici possunt spiritu sapientiæ repleti, sicuti fuerunt discipuli, de quibus *Actorum secundo* dicitur: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto &c. Quod si quis contendat hoc loco de ipsa sapientia sermonem esse; dicerem Sanctos esse membra vnius corporis Christi, atque adeo licet plenitudo sapientiæ supernaturalis sit solius Christi propria: dicetur tamen competere Sanctis, quatenus faciunt, vnum cum Christo, iuxta illud *prima ad Corinth.* 12. Omnia autem membra corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt ita, & Christus. In quo sensu *locus citatus* potius nobis fauet, vt de se patet. 56

Sed age iam probemus ratione nostram sententiam. ea tota quanta est fundatur in perfectione, & dignitate Angelorum, quæ exigit vt statim ab initio illis dentur rerum omnium naturalium species, vt hoc modo sint ex suis intrinsecis quantum est de se ad ea intelligendum completi. Porro hæc exigentia suaderi potest dupliciter. primò quidem congruentia quadam desumpta ex comparatione, quam cum reliquis substantijs intellectualibus habent. Angeli enim in ordine intelligendi sunt medij inter Deum, & animam rationalem. atqui Deus est in supremo intelligendi gradu, maximè per hoc, quod de se semper est in actu secundo in ordine ad omnia intelligibilia ab ipso; anima verò in infimo, quia, quantum est de se, non exigit creari, nisi in potentia etiam ad actum primum intelligendi. ergo natura Angelica, vt pote media, exigit vt creetur saltem in actu primo in ordine ad intelligibilia à se connaturaliter, licet sit in potentia in actu secundo, cum igitur actus primus *intelligendi* habeatur per species intelligibiles: rectè deducitur, Angelos ab initio suæ creationis omnium futurorum ordinis naturalis species habuisse. Secundò suaderi idem potest ratione à priori allata à Diuo Th. *p. p. quæst.* 55. *art.* 2. *in Corp.* quæ sic formari potest: Angelus est substantia spiritualis completa, quæ non pendet in cognitione sua ab obiecto, vt ab illo species recipiat; sed eas à Deo tanquam ab auctore naturæ expectat. 57

ergo

Digitized by Google

ergo non eſt cur eas ſion habuerit initio ſuæ creationis concreatas. antecedens patet, conſequentia verò ſuadetur; quia in tantum anima rationalis eas ſucceſſiuè acquirit, ſecundum quod exiſtunt, & præſentantur illi obiecta; in quantũ illas ab ipſis obiectis, remotè expectat, quia nihil eſt in intellectu noſtro, quod prius non fuerit in ſenſu; ſi quidem ab illo intelligendi principia ſibi comparare debet; ſed hæc ratio ceſſat in Angelis; ergo &c.

58 Arriaga Diſput. 6. de Angelis citata, ſect. 4. ſubiect. 4. noſtrum principale argumentum, ex dignitate, & perfectione Angelicæ naturæ deſumptum, multipliciter conatur euertere. Et primò quidem, quia eſto petat Angelus omnia genera, & ſpecies rerum in hoc vniuerſo cognoſcere: certè vt omnia indiuidua in particulari petat cognoſcere nullam vel apparentem video (inquit) rationem, qua id ſuadeatur in ipſo Deo; qui tamen omnium rerum in particulari cauſa eſt; quanto minus igitur erit naturaliter neceſſaria talis ſcientia in Angelo; qui nec eas res conſeruat, nec eſt omnia ſciens neceſſariò

59 Sed contra eſt: quia dupliciter poteſt intelligi ſcientiam omnium rerum in particulari eſſe naturaliter neceſſariam Angelo; primò quidem quod petat in actu ſecundo illas neceſſario cognoſcere. ſecundo quod petat habere in ſe naturaliter principia illas cognoſcendi; ſi libuerit; & in primo quidem ſenſu certum eſt nullam eſſe aſſignabilem rationem cur Angelo ſit naturaliter neceſſaria rerum omnium ſcientiam: at in ſecundo falſum; quia hoc ipſo quod aliquod indiuiduum creatum naturaliter exiſtit in mundo, iam continetur intra ſphæram obiecti adæquati naturalis intellectus Angelici. ergo Angelus exigit à natura viam illud naturaliter cognoſcendi, niſi aliquod ius fortius, prænaleat. quod addo ad excludenda ſecreta cordis, vt dicam; quemadmodum igitur hoc ipſo quod potentia viſiua habet pro obiecto coloratum in comuni, exigit vt natura omni colorato, quod ponit à parte rei, det vim producendi ſpecies viſuas. aliter non haberet dicta potentia viam naturaliter attingendi ſuum obiectum ordinis naturalis, quando aliud nihil obſtat, quod videtur repugnare: ita, hoc ipſo quod intellectus Angelicus habet pro obiecto omne ens naturale, petit à natura viam illud intelligendi, ſi aliud non obſtet. Cæterum quantum ad id, quod additur ab auctore, ſe nimirum nullam vel apparentem rationem videre, qua ſuadeatur in ipſo Deo ſcientia omnium indiuiduorum in particulari, poteſt excuſari ſi intelligatur de ſcientia ſimili Angelicæ, quæ ſit in Deo per modum actus primi, & per ſpecies illorum, licet ab ipſo Deo indiſtinctas: at, abſolute loquendo, mihi inexcuſabile videtur: tum quia ſi ſapientia Dei non ſe extenderet prorſus ad omnia ſecundum vltimam indiuiduationem, & ſtatum, quem habent in qualibet temporis differentia; poſſet excogitari alia perfectior illa, & ſic non eſſet diuinæ eſſentiæ conſentanea: tum etiam quia ſic daretur in Deo vera ignorantia. ſiquidem neſciret illas creaturas, quas haberet à ſe dependentes, & de quibus prouidentiam teneretur habere. Taceo reliqua, quia hæc ſufficiunt ad oſtenſiuè ſuadendum quod Deus omnium rerum in particulari neceſſariò debeat habere ſcientiam.

Pergit Arriaga ſuam rationem confirmare *ſub num.* 16. ſic: Non poſſumus probabiliter dicere Angelis ex pura natura deberi cognitionem plurium rerum; quam debeatur Beato in patria exiſtenti. Gratia enim dignior eſt cognitione, quam natura Angeli, quia exigit cognitionem Dei intuitiuam. quemadmodum igitur non debetur cuilibet Beato in Cœlo exiſtenti cognitio omnium indiuiduorum, quæ ſunt, & erunt in mundo, vt communiter dicitur; ita multo minus cuilibet Angelo ſecundum naturam ſuam conſiderato, 60

Verum hæc confirmatio non rectè procedit. primò quia, vel illa clauſula (ex pura natura) in antecedenti poſita facit hunc ſenſum: non poſſe dici Angelis in ordine naturali conſideratis deberi cognitionem plurium rerum, quam debeatur Beato in patria exiſtenti: vel hunc alium: Non poſſe dici Angelis ſuæ creationis initio deberi naturaliter cognitionem plurium rerum, quam beato, &c. vtrumque enim ſignificare poteſt dicta clauſula. primum dici non poteſt: quia auctor *à num.* 20. concedit quod quando Angeli ſunt præſentes indiuiduis materialibus, quæ ſucceſſu temporis producuntur in mundo, exigunt à Deo illorum ſpecies, quas non exigunt animæ beatæ exiſtentes in Patria, vt idem ibidem teſtatur, ergo in hoc ſenſu falſum eſt angelis ex pura natura non deberi cognitionem plurium. Sin autem dicatur ſecundum, non eſt contra nos, quia nos non dicimus deberi Angelis naturaliter conſideratis in primo ſuæ creationis inſtanti cognitionem omnium Indiuiduorum in poſterum exiſtentium, ſed ſolum ſpecies illorum; ex hoc autem non poſſe inferri eis deberi tunc actualẽ cognitionem illorum patet; quia multarum rerum nos in hoc inſtanti habemus ſpecies, quarum cognitio nobis non debetur. 61

Præterea, vel comparatio cum Beato fit quo ad ea, quæ videt in Verbo, vel quo ad ea, quæ videt extra Verbum. ſi primum dicatur, falſa eſſe conuincitur ex ijs, quæ idem Arriaga dixerat *to. præcedenti diſputat. 11. ſectione ſexta*: nimirum Beatos præter miſſteria gratiæ reuelata, & ea, quæ pertinent ad ſingularem ſtatum ſingulorum: quemlibet ſua, omnes videre omnes rerum ſpecies, quæ ſunt in hoc vniuerſo, quatenus ſunt neceſſariæ ad ſatiandum appetitum, qui ordinatus eſt, dum optat videre mundum hunc, quem Deus propter ipſum creauit. atqui Angelis debetur non ſolum cognitio omnium ſpecierum, ſed etiã eorum indiuiduorum, quibus ipſi ſunt præſentes; ergo &c. Sin autem eligatur ſecundum, dicta comparatio non eſt ad rem; confert enim Angelos in pura natura conſideratos, qui ad hunc inferiorem mundum pertinent, cum animabus Beatis, quas cõſtat de hoc mundo nõ eſſe; vtriſque enim cognitiones debentur diuerſorum: Angelis quidem eorum, quæ in hoc mundo ſunt obiectorũ. Beatis vero quæ ſunt in empyreo. Paritas ergo ſolum poteſt fieri cum debita proportione ad obiecta illis pertinentia; & quidem ſi hoc modo fiat, potius erit pro nobis 62

Digitized by Google

bis: nã quèadmodũ Beatis statim ac ingrediuntur Empyreum, debentur species cognoscendi omnia, quæ tunc in eo sunt, & procedente tempore erunt: quatenus non potest emendicare illas ab obiectis: ita & Angelis, propter eandem rationem ab initio suæ creationis species obiectorum in hoc inferiori mundo existentium, & futurorum.

63 Idem principale argumentum Arriaga *sub num.* 17. conatur sic euertere. Si angeli peterẽt species omnium rerum naturaliter existentium, quæcunque illę sint: fac à Deo creatos esse infinitos Angelos, vel omnes mundos possibiles; sequeretur singulis Angelis in hac suppositione debitas fuisse infinitas species intelligibiles; sed hoc est obsurdum; ergo &c. minor patet; sequela verò suadetur, quia nullus ex illis Angelis repugnaret naturaliter cum alijs, ergo iam essent naturaliter possibiles; ergo &c.

64 Respondeo tamen cum distinctione, vel enim supponimus virtutem sustentatiuam intellectus angelici posse connaturaliter se extendere ad substentandas infinitas formas: vel non; si primũ, concedo sequelam; si vero dicatur secundum, nego illam, propter repugnantiam, quæ haberetur ex parte subiecti; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ad probationem sequelæ dico, Agelos ad hoc vt suæ creationis initio speciem aliquam exigant, non sufficere quod obiectum ab ea repræsentabile connaturaliter existat, sed etiam requiri vt intellectus illorum possint illas recipere. Vnde in eo casu ad Deum spectaret, ex illis speciebus, has, potius, quam alias singulis Angelis infundere, dummodo non excedant vim substentatiuam illorum, Atque hic aduerte me supponere in præsentia, Angelos illos seu mundos infinitos, specie inter se omnes differre. nam si differrent solo numero, possent vnica specie eaque finita repræsentari, vt postea dicemus.

65 Tertiò denique idem *sub num* 18. sic arguit. Ex multis reuelationibus constat, non semper Luciferum scire omnia, quæ in hoc mundo fiunt; sed ea cognoscere ex alijs Dæmonibus hic apud nos existentibus, ergo Angelorum natura non petit species de omnibus. Sed responsio ad hoc inpromptu est. concesso enim antecedente, nego consequentiam. quemadmodum enim intellectus meus nunc ex suppositione quod viderim aliquando, Petrum exigit habere species de illo; & tamen nunc non aduertit ad illum, sed si alius vult vt de eo cogitem, necesse est, excitet mihi illius species: multo magis Lucifer, licet habeat species rerum omnium, quæ fiunt in mũdo, quia tamen est alijs negotijs occupatus, & præsertim cogitationi suarum pœnarum addictus: indiget sæpe Dæmonibus in hoc mundo existentibus, vt veniat in cognitionem rerum, quæ successu temporis accidunt.

66 Postquam Arriaga his argumentis confutauit communem rationem ex eccellentia naturæ angelicæ petitam, ad probandam infusionem specierum de futuris ordinis naturalis, illi suæ creationis initio debitarum; *sectione sequenti a num.* 20. docet, quod licet Angeli in principio habuerint species rerum in hoc mundo tunc existentium; non tamen futurorum, sed horum tunc solum à Deo habere, quando ea fiunt actu existentia, & non distant ab ipsis Angelis quatenus tunc Deus tenetur supplere defectum obiecti materialis, quod non potest agere in Angelum. 67

Verum Huic sententiæ, præter rationes, quas supra adduximus, obstant duo ex eius principis deducta, quia ipse *num.* 19. ideo dicit Angelis suæ creationis initio fuisse inditas species indiuiduorum tunc temporis in mundo existentium; tum quia sine fundamento positiuo non debet concedi rebus omnibus materialibus virtus spiritualiter operandi: tum etiam quia si dictam virtutem haberent; absurdum esset asserere Angelos non posse eas cognoscere nisi excurrendo per totum vniuersum, & ab illis species emendicando. Tum sic: Non habetur maius fundamentum concedi phantasmatibus virtus productiua specierum intelligibilium in nobis, quam alijs rebus materialibus; & tamen auctor eam phantasmatibus concedit. ergo inconsequenter eandem reliquis rebus materialibus negat. Deinde idem absurdum est: Angelos debere excurrere per totum mundum ad comparandam cognitionem indiuiduorum initio existentium, ac debere excurrere ad comparandam cognitionem illorum indiuiduorum, quæ procedente tempore extituta sunt; ergo si ad vitandum illud absurdum conceditur Angelis initio infusio specierum indiuiduorum tunc existentium: non est cur negetur infusio specierum existentium postea. Atque hæc satis ad probandam posteriorem partem nostræ conclusionis. Cõtra quam licet multa obijciat Scotus *quæst.* 11. *citata*, duo tamen maiorẽ ingerunt difficultatem, quibus duabus sequentibus sectionibus faciemus satis.

SECTIO QVINTA.

Soluitur Prior obiectio, & statuuntur species Angelica vniuersales.

OBijcies primò: si Angelus habuisset species indiuiduorum initio suæ creationis à Deo infusas: eæ vel fuissent finitæ, vel infinitæ. non finitæ, quia cognitio singularium potest in infinitum procedere, atque adeo tota collectio singulariũ cognoscibiliũ ab angelo nõ est finita, neq; dicas eũ habuisse solũ species indiuiduorũ, quę durãte mundo extitura sunt cũ Maiore apud *Suarez cap. 6. num.* 11. quia sic Angelus sciret naturaliter diem iudicij, quod non est dicendum. ergo species infusæ fuissent infinitæ, & quidem cathegorematicè, quia à *principio* omnes actu; sed hoc non est admittendum; ergo &c. 68

Respondeo vnica specie intelligibili repræsentari posse Angelo plura indiuidua existentia, quæ sub vnica specie logica continentur. V.G. omnes homines, qui extituri sunt quandiu duraturus est mundus. etiam si in infinitum eius duratio protrahenda esset, porro hæc species quo ad vim suam productiuam esset intrinsecè finita simpliciter, & solum quo ad terminationem 69

Digitized by Google

nem extrinsecam sic categorematicè infinitæ; adeum plane modum, quo est sol quoad vim productiuam individuorum luminis, non tot quin plurium in infinitum. ad rationem autem in contrarium dico, quod licet cognitio singularium possit in infinitum procedere: non tamen inde sequitur principium effectiuum illius debere esse infinitum. atque hoc verum puto, etiam si dicamus mundum esse duraturum per totam æternitatem à parte post, vt patet ex virtute productiua luminis, quæ est in sole. ita verò nostra responsio, vt apparet, supponit species Angelicas esse vniuersales in repræsentando, quod negatur à Scoto *in 2. dist. 3. qu. 10.* quem sequuntur Bassolis, Riccardus, & Maior apud Franciscum de Lugo de Angelis *Disput. 8. cap. 4.* contra D. Th. *p. qu. 55. art. 3. & 2. Contragen. cap. 96. & 98.* cum quo sentiunt communiter Thomistæ, & nostri, inter quos Suarez *lib. 2. de Angel. cap. 14.* Iosephus Augustinus *in art. 3. cit. difficult. prima* & de Lugo citatus, qui putant non solum posse dari vnam speciem repræsentatiuam plurium obiectorum solo differentium numero; sed etiam differentium inter se specie logica; quod ipsum sensit Arriaga *disp. 7. de Angelis sect. 2.* licet putet species indiuiduorum in tempore existentium infundi à Deo Angelis successiuè, secundum quod ipsa indiuidua existunt in mundo. Ne autem hanc sententiam supponere videamur, eam probamus dupliciter, & primò quidem ratione D. Th. quia species intelligibiles imitari possunt exemplaria, & Ideas Diuinas, quæ licet sint vna simplicissima realitas; plures tamen, & diuersas res, non solum numero, sed etiam specie, ac genere repræsentant. ergo dari possunt species intelligibiles, quæ sint vniuersales, quamuis de cætero, & in multitudine, & in modo repræsentandi ab Ideis diuinis maximè superentur. consequentia patet, antecedens euincitur, quia ad perfectionem Idearum diuinarum pertinet, vt possint se communicare creaturis etiam infinitis, omni ea ratione, quæ infinitatem cathegorematicam non includunt; sed hoc quod est posse repræsentare plura modo quodam limitato non necessario sibi vendicat cathegorematicam infinitatem; ergo &c.

70 Probatur secundò: possibilis est species expressa, quæ repræsentet plura non solum numero, sed etiam specie, ac genere diuersa; ergo possibilis etiam erit species impressa, quæ similem habeat latitudinem in repræsentando; consequentia patet paritate. *Antecedens probatur*, quia quando dico: *Homo non est lignum*; cognitio illa vna, & indiuisibilis cum sit entitatiuè, repræsentat hominem, & lignum, quæ differunt genere; sed huiusmodi cognitio est species expressa. ergo &c. quamuis autem his rationibus proximè probetur solum non repugnantia specierum vniuersalium: remotè tamen euincitur huiusmodi de facto fuisse illas, quæ Angelis initio fuerunt infusæ, quod sic euincitur: Species vniuersales, cum nihil de supernaturalitate contineat, possunt alicui substantiæ intellectiuæ connaturaliter conuenire. ergo dicendum est quod sic conueniant naturæ Angelicæ. antecedens patet; consequentia euincitur, quia huiusmodi natura est in supremo ordine creaturarum intellectualium; ergo exigit principium cognoscendi in eodem ordine; sed species vniuersalis in repræsentando est in superiori ordine, quam sit singularis, nam virtus, quo perfectior est, eo simplicior, ergo &c. Cõfirmatur, quia ex vna parte Angeli exigebant habere species ab initio; ex alia verò nõ poterãt eas habere singulares absq; infinitate; ergo illas exegerunt vniuersales.

71 Contra nostram tamen sententiam dices primò: implicat vt eadem forma indiuisibilis sit similitudo plurium rerum dissimilium, secundum quod dissimiles sunt; sed species impressa est forma indiuisibilis; ergo non potest esse vniuersalis. minor patet, & consequentia euincitur, quia vniuersalitas speciei pen nos in dissimilium repræsentatione consistit. maior verò probatur, quia implicat vt idem assimiletur pluribus diuersis, quatenus diuersa sunt. Respondeo, distinguendo maiorem; & si quidem forma indiuisibilis debet esse similitudo formalis plurium dissimilium, concedo: sin autem debeat esse similitudo intentionalis, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam; & explico: similitudo formalis vnius rei cum alia, importat conuenientiam in prædicatis quidditatiuis, quæ fundat relationem vnitatis: intentionalis verò stat cum disconuenientia in natura, & importat solum, quod vna res alteram intentionaliter repræsentet, vel expressè, vt cognitio repræsentat obiectum, vel virtualiter, vt species; quo posito dico, quod licet implicet vt eadem res indiuisibilis sit formalis similitudo rerum dissimiliũ: nulla tamen est implicantia, quod sit similitudo intentionalis, vt patet ex vna eademque cognitione, qua plura dissimilia cognoscimus. Ad probationem maioris aio, plura diuersa, quatenus diuersa, imo & opposita, in repræsentatione intentionali nullam habere diuersitatem, atque oppositionem; quia hæc sequuntur solùm entitatem eorum. aliàs voluntas non posset esse causa productiua amoris, & odij; nec diuina mens continere Ideam hirci, & Ideam cerui.

72 Dices secundò: vltimæ differentiæ diuersarum specierum intentionalium sunt incompossibiles, alioqui vna res posset esse in duplici specie. ergo non potest dari species intelligibilis vniuersalis. consequentia probatur. huiusmodi species vniuersales plures vltimas differentias continerent. nam vltima differentia speciei intelligibilis particularis Leonis V.G. habet posse repræsentare Leonem, item vltima speciei particularis Bouis, posse repræsentare bouem, sed species vniuersalis habet posse repræsentare Leonem, & bouem V. G. ergo &c.

73 Respondeo, distinguendo antecedens: vltimæ differentiæ diuersarum specierum intentionaliũ formaliter acceptæ sunt incompossibiles, concedo; equiualenter sumptæ, nego antecedens, & consequentiam. cuius probationem eodem modo distinguo: species vniuersalis plures vltimas differentias specierum particularium contineret formaliter, nego. contineret æquialenter, concedo; & dico, differentiam vltimam speciei particularis Bouis V. G. non esse, posse repræsentare bouem quomodocumque, sed cum positiua qua-

Digitized by Google

quadam ratione limitatè attingendi ipsum obiectum; ita vt formaliter excludat à se potentiam repręsentandi quodvis aliud; & sic de cæteris. Iam verò species vniuersalis continet quidem vim repręsentatiuam bouis, sed sine illa ratione exclusiua potentiæ ad repræsentandum Leonem. Vnde est vt contineat æquiualenter vltimas differentias specierum particularium, non autem formaliter, quia quælibet illarum vltimò constituitur per dictam limitationem.

74 Instabis, si hæc doctrina vera esset, sequeretur quod species vniuersalis repræsentatiua Leonis, & bouis non haberet essentiam speciei intelligibilis Leonis, neque speciei intelligibilis bouis; sed hoc est contra suppositum; ergo &c. Respondeo, distinguendo sequelam: non haberet essentiam speciei intelligibilis Leonis, & bouis adæquatam, & specificam, concedo; inadæquatam, & genericam, nego sequelam, & consequentiam. Dico enim speciem particularem Leonis habere rationē genericam, per quam constituitur in ratione speciei Leonis, & rationem specificam, perquā constituitur in ratione speciei talis, hoc est particularis, idem dico de specie particulari bouis. Porrò certia species, quæ ponitur vniuersalis, participat quidem formaliter rationem genericam vtriusque, non verò specificam.

75 Dices tertiò: non minus differunt inter se species particulares Leonis, & bouis, quam leo, & bos. sed non potest diuinitus produci animal vniuersale, quod simul sit leo, & bos. ergo neque species vniuersalis, quæ simul sit repręsentatiua Leonis, & bouis. Respondeo concedendo totum, si termini comparationis sumantur secundum omnia prædicata positiua, quæ includunt, sicuti enim implicat quod leo sumptus secūdum suam vltimam differentiam, secundum quā constituitur in ratione rugibilis, coeat in tertium animal cum boue, sumpto secundum suam vltimam differentiam mugibilitatis. Ita species repręsentatiua Leonis, sumpta secundum suum specialem modum limitatè repręsentandi Leonem, implicat quod coeat in vnam tertiā speciē, quæ simul repręsentet bouem. Atqui species vniuersalis ponitur à nobis quod contineat species particulares secundum ea prædicata tantum, secundum quæ non habent inuicem repugnantiam; in quo sensu si sumantur termini comparationis in argumento, concessa maiore, nego minorem; & dico quod si leo, & bos sumantur secundum ea prædicata, quæ non repugnant, possunt in vnū tertium animal coire, vtrum autem prædicata, secundum quæ leo, & bos constituuntur in ratione rugibilis, & mugibilis, sint præscindibilia à positiua limitatione, secundūm quam se inuicem excludunt, sicuti sunt prædicata specierum intentionalium illorum, alterius est considerationis. Interim partem negatiuam tueor, quam à posteriori suaderem ex dispositionibus, quas in eadem materia exigunt inter se repugnantes, vt constat ex organizatione diuersa, quam forma Leonis, & forma bouis sibi vendicant. quod non apparet in earum speciebus intentionalibus.

76 Dices quarto: vnius speciei vnicum debet esse specificatiuum; sed speciei vniuersalis nequit esse vnicum specificatiuum; ergo species vniuersalis est impossibilis. Respondeo: Suarez *cap.* 16. duplicem vnitatem specificatiuam speciei vniuersalis assignare: vnam, quæ desumatur ab aliquo prædicato communi generico, vel specifico, in quo omnia obiecta repręsentabilia conueniant. alteram, quæ habeatur per solam conuenientiam in aliqua conditione, ratione cuius per eandem speciem repræsentari queant; hanc autem conuenientiam saluari posse per aliquem maiorem titulum, vel proportionem, quem physice habent aliqua obiecta, vt per vnicam speciem repręsentari possint potius, quam alia. Sed neutra satisfacit. non prima quia sic species, quæ repręsentaret hominem, & Leonem, deberet repręsentare omnes species animalium, quia repręsentaret illos quatenus in ratione animalis conueniunt. neque secunda, quia vti supra notauimus, duo obiecta, quantumuis inter se disparata, imo opposita, possunt vnica specie expressa repręsentari, absque alia conuenientia, vt, cum dico, lux non est Tenebra. ergo, & vnica impressa. Adde conditionem, in qua duo obiecta conueniunt, aliquando nullam esse assignabilem: & tamen dicere, quod non possint vnica specie impressa repręsentari, vel recurrere ad occultas conuenientias sine necessitate, non est Philosophi. Quare melius respondendum puto cum Arriaga *disput.* 7. *de Angelis sect.* 2. plura obiecta absque vlla vnitate in prædicatis quidditatiuis, vel conditione, posse constituere vnum specificatiuum adæquatum vnius speciei vniuersalis in ratione vnius conflati, per collectionem pluriū inadæquatorum, sicuti plura obiecta, quæ vnica visione videntur, constituunt vnum specificatiuum illius, non simpliciter, sed in ratione vnius conflati ex pluribus inadæquatis; quamuis quodlibet ex illis obiectis respectu alterius visionis possit esse adæquatum. certè, qui dicunt potentias animæ esse realiter indistinctas à substantia animæ, docent in vna entitate coalescere plures potentias particulares non solum specie, sed etiam genere distinctas, sicuti nos dicimus de specie vniuersali; ex hoc autem non rectè deduci, potentias vitales, & habitus non requirere aliquam conuenientiam in suis obiectis, patet ex eo, quia neque ad vnitatem potentiæ vitalis, neque ad vnitatem habitus sufficit habere vnam entitatem physicam cum virtute attingendi plura quomodocumque; alioqui non haberemus vnde potentias vitales inter se distinguere possemus, & habitus intellectus per actus spectantes ad voluntatem intendi posset, quo nil absurdius: atqui neutrum incommodum ex speciebus vniuersalibus videtur sequi.

77 Dices quintò: si possent dari species repræsentatiuæ plurium obiectorum numero distinctorum: posset dari species repræsentatiua omnium hominum; sed hæc videtur esse infinita. ergo &c. sequela patet, minor probatur; quia non minus infinitatē includunt omnes homines possibiles, quam omnes creaturæ possibiles, sed species harum repugnat, quia esset infinita per nos; ergo & illorum. Respondeo, concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem, non minus infiniti sunt omnes homines possibiles, quam omnes creaturæ possibiles,

Digitized by Google

sibiles, & eodem modo, nego; & diuerso modo, concedo; & concessa minore, nego consequentiam. dico enim omnes homines possibiles esse materialiter solum infinitos, hoc est quo ad
77 numerum; species verò possibiles esse infinitas etiam formaliter, & quo ad essentias suas. posse autem in vna virtute finita contineri effectus numero infinitos patet ex sole, potente producere individua luminum finitè in infinitum.

78 Instabis: si singulare cognosceretur per speciem vniuersalem, non cognosceretur secundum quod singulare est, sed secundum rationes cõmunes tantum: ergo vt secundum quod tale est cognoscatur, per singularem speciem cognosci debet.

79 Respondeo: duplicitèr speciem aliquam dici vniuersalem. primò, quia naturam aliquam in communi repræsentet, absque rationibus individualibus, per quas à parte rei dicta natura contrahitur: secundò, quia licet repræsentet obiectum suum in individuo, hoc tamen non est vnum tantum, sed multiplex; atque adeo ex parte rerum, quas repræsentat, dicitur vniuersalis, quatenus ad plura individua se extendit. Iam verò hoc posteriori modo dicimus nos species angelicas esse vniuersales, atque adeo falsum est per eas non posse cognosci singulare secundum quod singulare est; & individuum, sed secundum rationes communes tantum; hac distinctione posita, neganda est consequentia.

SECTIO SEXTA.

Soluuntur Posteriora obiectia, & futurorum cognitio in se ipsis negatur Angelis.

80 OBijcies secundò: Angeli non possunt futura, ante quam existant, in se ipsis cognoscere; sed possent si habuissent à Deo illorum species concreatas. ergo nõ est dicendum eas sic accepisse. maior supponitur, & minor probatur. quia nihil aliud requiritur ad cognoscendam rẽ futuram in se ipsa, quam eius species intentionalis. neque enim aliter Deus faceret, vt ego nunc certò Antichristum viderem, quam infundendo mihi species proprias illius, vt de se patet. ergo &c.

81 Ad hoc argumentum Auctores, quorum sententiam sequimur, varias adhibent responsiones.

Quidam enim primò dicunt: species vniuersales infusas Angelis ab initio non posse individuum aliquod determinatè repræsentare, nisi accipiant à Deo intrinsecè nouum modum, cuius beneficio ad illius repræsentationem determinentur; & quia Deus, vt auctor naturæ operans, hanc modificationem non causat, nisi quando individuum iam existit: hinc fieri vt Angeli nequeant certò futura cognoscere.

82 Sed contra hanc responsionem facit primò auctoritas D. Th. *qui quodlib. 7. art. 3. ad 2.* Dicendum, inquit, quod quando aliquid incipit esse præsens, Angelus de nouo cognoscit illud, non facta aliqua innouatione in ipso Angelo, sed in re cognoscibili. ergo falsum est speciem vniuersalem recipere intrinsecè debere nouum modum à Deo, vt individua existentia repræsentare valeat. Contra est secundò, quia hi auctores absolutè loquendo negant species rerum impositarum existentium fuisse Angelis à Deo in fusas initio creationis suæ; nam species rei existentis in eorum sententia constat ex specie vniuersali, quam fundum, seu hypostasim apellant, & ex modificatione illa, quam dicunt esse extensionem ad rem individuam existentem, si igitur ab initio, per eos non habuerunt vtrumque: quomodo species individuorum tunc accepisse putandum est. Contra denique tertiò, quia, quemadmodum individuatio obiecti cum eius natura realiter identificatur: ita exigit in Angelo speciem, quæ per suam entitatem individuabiliter vtrumque repræsentet. in tantum enim species sensibilis proprij, vt modificata sensibile commune repræsentat: in quantum inter vtrumque realis distinctio intercedit, & alioquin sensibile commune non nisi quatenus subsistat proprio V. G. figura colori pertinet ad potentiam sensitiuam V. G. visiuam. neutrum autem habetur in casu nostro, quia individuatio non solum identificatur realiter cum natura, sed etiam est de se obiectum proprium potentiæ intellectiuæ, quia hæc specificatur abente vniuersalicumè accepto, sub quo omnis individuatio comprehenditur.

Respondent alij secundò, futurum antequam existat, non habere determinatam entitatem; neque in se, quia nondum est, neque in causa, quia est contingens; atque adeo indifferens ad fore, & non fore. Vnde non est mirum si neque determinatam habeat cognoscibilitatẽ, quia cognoscibilitas sequitur ens. Sed contra est, quia futura contingentia determinatam habent veritatem obiectiuam in se ipsis, quæ sicuti sufficit ad terminandam scientiam, quam Deus de illis habuit ab æterno: ita quantum est de se ad terminandam præscientiam Angelorum. 83

Respondent alij tertiò, speciem vniuersalem non esse principium cognoscendi, nisi individua existentia, quia ad hoc vt sit principium cognoscendi obiectum, debet illud repræsentare. repræsentatio autem fit per assimilationem. Res autem existens non est actu similis alteri, nisi altera existat; sed ad summum est similis illi in potentia, quod non sufficit ad repræsentandum illam actu. 84

Sed contra: quia quando assumitur, quod repræsentatio fit per assimilationem, vel est sermo de similitudine prædicamentali, vel de trãscendentali. non primum, quia species, cum non sit eiusdem naturæ cum obiecto, potius est prædicamentaliter illi dissimilis; & dato sit hoc modo similis, relatio prædicamentalis est purus ordo, atque adeo nequit esse ratio, cur species producat cognitionem obiecti, quod si eligas secundum, sic arguo; Relatio transcendentalis non requirit existentiam sui termini. ergo species potest esse transcendentalis repræsentatio rei futuræ, de se quidem virtualiter: in ordine ad efficientiam verò, quandiu non efficit actum, erit huiusmodi in potentia: quando verò efficit, erit huiusmodi in actu. 85

Respondent alij quartò; ideo non posse, quia ad 86

Digitized by Google

ad cognitionem vnius individui requiritur concursus, & combinatio plurium specierum, quam combinationem faceret temere Angelus ante existentiam illius individui, vt illud cognosceret. Sed contra est tum quia vnum individuum ad summum per vnicam speciem cognoscitur ab Angelis, multo melius, quam á nobis: tum etiam, quia non est maior ratio cur Angelus ante individui existentiam dictas species combinare non possit; possit verò postea, posito quod hac combinatione indigeat ad ipsius individui existentis cognitionem.

87 His ergo responsionibus posthabitis: Respondeo ego quintò, quod licet Angelus habuerit initio suæ creationis species de sè repræsentatiuas non solum naturarum in communi, sed etiam individuorum existentium pro sua differentia temporis, pro quo extitura sunt; non potest tamen eis vti ante illorum existentiam ad cognoscendum illa vt futura, quia quandiu non existunt, nequit Angelus habere exigentiã, quod Deus vt auctor naturæ concurrat cum ipso ad vsum dictarum specierum in ordine ad dicta futura cognoscenda; ad eum plane modum, quo quamuis Angelus habeat ex suis intrinsecis vim perturbandi ordinem vniuersi, impediendo generationes rerum, occidendo viuentia, concutiendo insolitis motibus terram, aerem pestilentia corrumpendo, & cælum ipsum ac astra immobilia in eodem semper loco detinendo; Deus tamen, vt auctor naturæ, tenetur denegare illi concursum ad huiusmodi effectus, absque eo, quod ei vllam violentiam inferat, quatenus non habet exigentiam talis concursus, nisi ex suppositione quod Deus velit ad dictos effectus extra ordinarios eius ministerio vti. Iam verò hęc nostra responsio suadetur dupliciter. Primo, quia nequit Angelus habere exigentiam cognoscendi certo secreta cordis diuini futurum autem, non nisi ex vi alicuius liberi decreti diuini futurum est, cum igitur omne decretum diuinæ voluntatis antequam exeat in actum secundum externum sit secretum cordis diuini: impossibile est vt Angelus exigat concursum Dei ad vsum specierum in ordine ad futura in se ipsis cognoscenda. maior patet, quia si non habet exigentiam cognoscendi certò secreta cordis creati: multo minus diuini. minor verò est certa, quia quandiu res non existit, potest Deus illam miraculosè impedire, sicuti defacto impediuit generationes rerum diluuij tempore, & combustionem in fornace babilonica. Ex quo sequitur, quod Angelus non modo futura contingentia, sed neque necessaria, & inimpedibilia possit intuitiuè in se ipsis cognoscere. Suadetur secundò, quia licet Deus Angelis species rerum initio creationis infunderit: supplere tamen voluit in hoc defectũ obiectorum, quorum vicariæ, & instrumenta sunt essentialiter species. sed obiecta futura non exigunt esse completè intelligibilia in ratione existentis, atque adeo neque exigunt vt Deus suppleat defectus ipsorum in intellectu Angelico, & sic reddantur completè intelligibilia intelligibilitate motiua; eo quod actuale complementum debet supponere actuale complebile; res autem futura quandiu futura est, non est actu, vnde non est cur exigat speciem sui cum decreto Dei de concurrendo cum illa, quoties voluerit Angelus; imo potius oppositum.

Sed contra hoc dices primò, quia inde sequitur: Angelos non debuisse habere species futurorum ab initio creationis, sed hoc est contra ea, quæ diximus, ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam; & si quidem Deus attendere debuisset ad meritum ipsorum futurorum præcisè, concedo; posito quod debuit attendere ad merita etiam Angelorum, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam; & dico quod si Deus voluisset ad sola obiectorum merita attendere, non debuisset infundere Angelis species representatiuas futurorum; quoniam verò debuit in hoc attendere ad meritum ipsorum Angelorum, qui exigebant creari perfecti in actu primo in virtute intelligendi non minus, quam creata sint perfecta corpora cælestia, ideo illis initio infudit species futurorum. negauit autẽ earum vsum ad intuitiuè cognoscenda ipsa futura; eo quod dictum vsum non exigebant, nisi ad eorum actualem existentiam. Neq; dicas: ergo infusio dictarum specierum ab initio fuit Angelis inutilis, quia iam non poterant illis vti. Nego enim consequentiam, & distinguo probationem: non poterant illis vti, adæquatè, concedo; inadæquatè, nego. cum enim species angelicæ representarent simul naturam, & individua rerum materialium: Angeli potuerunt illis vti, in quantum faciebant venire incognitionem naturæ, & illorum individuorum, quæ initio existebant; & hoc sufficit nè dicatur earum infusio inutilis Angelis; quemadmodum non sunt nobis inutiles potentiæ posito, quod per illas aliquas operationes in præsentia, & si non omnes exercere possimus.

Dices secundò: species Angelica, vel est apta repræsentare futurum antequam existat, vel non est apta: secundum dici nequit, quia non posset assignari quomodo postea redderetur apta; ergo primum. tum sic: quoties species est apta repræsentare aliquod obiectum, qui habet illam speciem, exigit concursum paratum à Deo, vt quando vult, illa vtatur. ergo nulla ratio à nobis assignata. Respondeo cum Vasquez *p. p. disput. 208. cap. 2.* species Angelorum quamuis est de se esse aptas repræsentare obiecta, quarum sunt, futura; sicuti repræsentant illa existentia, sed non repræsentare illa actu, quia futura non sunt intra latitudinem obiecti Angelici naturaliter cognoscibilis, propter rationes à nobis superius assignatas. quare ad argumentum eligo primum membrum. ad rationem in contrarium, distinguo antecedens: quoties species apta est repræsentare aliquod obiectum; qui habet illam speciem, exigit concursum paratum à Deo, quandiu obiectum continetur intra latitudinem obiecti naturaliter attingibilis ab illo, concedo: si tunc non contineatur, nego antecedens, & consequentiam. ex quo sequitur denegationem illam concursus, posita specie in Angelo in ordine ad intelligenda futura, nullam ei inuehere violentiam, quemadmodum in ordine ad cognoscenda secreta cordis alieni, propter eandem rationem.

Ali-

Digitized by Google

90 Aliter reſpondere dictæ obiectioni ſecundæ poſſem: dicendo, quod eadem ſpecie repræſentari *indiuiduum* ſubſtantiæ, & accidentia ei intrinſeca valeant, & quia exiſtentia ex ſuppoſitione, quod ab eſſentia nemine cogitante diſtinguitur eſt eius accidens methaphyſicum: hinc fit, vt niſi de facto ſit coniuncta cum illa, non valeat à ſpecie repræſentari: ſed ad ſummum quandiu res eſt futura repræſentabitur ab ipſa ſpecie ſub negatione exiſtentiæ, quia cum dicta negatione indiuidua illa eſſentia coniungitur. verum hanc viam innuiſſe ſatis eſt in præſentia dum properamus ad alia.

91 Obiter pro huius materiæ complemento quæri poteſt; num Angeli per huiuſmodi ſpecies ab initio infuſas poſſint videre res præteritas in ſe ipſis? Ad quod Reſpondeo breuiter cum diſtinctione, & ſi quidem illas quando exiſtebant cognouerunt, affirmarem poſſe: ſin autem non cognouerunt, id negarem.

92 Primum ſuadeo, quia ſi Angelus accepiſſet ſpeciem ab obiecto, exiſtente poſſet eo corrupto poſtea illa vti ad ipſum iterum cognoſcendum, pro ea differentia temporis, pro quo vere extitit. ergo etiam dum illam accepit à Deo, quia per hoc non ſolum non deperdit perfectionem, quam habuiſſet ab obiecto, ſed maiorem acquirit. quemadmodum igitur in eo caſu, poſito quod vellet Angelus vti illa ſpecie ab obiecto producta, exigeret à Deo naturaliter concurſum, ita & nunc.

Secundum verò colligitur ex *Iſaia* 41. vbi 93
ſic: Priora, quæ fuerunt nunciate, & ponemus cor noſtrum, annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos, in quem locum S. Hieronymus: dicite, inquit, nobis vel præterita, vel futura. vnde rectè S. Gregor. *Hom. prima in Ezechielem* aſſerit, Prophetiam nõ ſolum de futuris eſſe, ſed etiam de præteritis. Hoc autem intelligendum eſt ex ſuppoſitione quod ea non cognouerint, alioquin Angeli eſſent peioris conditionis quam homines. Cæterum non habere hoc ius Angelos præterita cognoſcendi facta illa ſuppoſitione patet, quia alioquin eorum politica ſocietas eſſet valde diminuta. ſi quidem per hoc quod huiuſmodi iure careant magnam habent occaſionem inuicem communicandi, dum alter alteri præterita, quæ cognouerit quando actu exiſtebant, manifeſtat.

DISPVTATIO DECIMA SEPTIMA

DE SPECIE IMPRESSA DEI.

SPECIES impreſſæ, de quibus huc vſque, maximè per ordinem ad ſua ſubiecta à nobis conſideratæ ſunt; nimirum Angelicæ, per ordinem ad Angelos quibus inhærent; humanæ, ad homines, &c. Hæc verò, de qua in diſputatione præſenti, ratione ſui obiecti nobis ingerit difficultatem. nomine enim ſpeciei impreſſæ Dei venit illa qualitas, quæ claram Dei viſionem in noſtris mentibus ingeneret, ita vt faciat nos illum intuitiue videre; Quamuis enim huius ſpeciei diſputatio Theologica ſit: Recentiores tamen philoſophi ad ſe ſibi eam attraxerunt; & iure quidem, nam tota quanta eſt refunditur in explicationem eſſentiæ ſpeciei impreſſæ communiſſimè acceptæ; quæ ad philoſophos proprie pertinet. De ea igitur prius quærendum nobis eſt num de facto detur in Beatis; qui Deum clare intuentur. Deinde verò; poſito quod non detur, num ſaltem diuinitus ſit poſſibilis.

SECTIO PRIMA.

An de facto beati videant diuinam eſſentiam per ſpeciem impreſſam creatam.

94 CONcluſio eſt negatiua. Puto enim non dari in Beatis ſpeciem impreſſam creatam Dei, per quam diuinam eſſentiam intueantur. vbi notandum: me loqui de ſpecie impreſſa creata; certum enim puto diuinam eſſentiam vniri de facto cum intellectu beati per modum ſpeciei impreſſæ, atque adeo reſpectu illius habere rationem ſpeciei; ſi non regoroſè, quatenus importat eſſe vicariam obiecti, & ſupplere vicem illius, quæ munia ſine reali diſtinctione ab obiecto exequi nequeunt: at quatenus dicit eſſe completiuam principij effectiui viſionis per hoc, quod ſe tenet ex parte obiecti tanquam vltimam rationem, & complementum intelligibilitatis illius. porrò hanc concluſionem ſic explicatam docet S. Th. *p. p. quæſt.* 12. *art.* 2. & cum eo communiter Theologi, quos citat, & ſequitur Comptonus *Diſput.* 17. *de anima ſect.* 1. *nu.* 5. eſt tamen contra Aegidium Luſitanum *tom.* 2. *in p.* 2. *lib.* 8. 2. *p. qu.* 3. *art.* 3. vbi fuſe defendit dari in Beatis huiuſmodi ſpeciem; quæ ſententia duplici limitatione ſuſtinetur ab alijs. quidam enim de quibus Ricardus *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 3. *qu.* 3. admittunt

Digitized by Google

sunt illam inadæquate solum concurrentem ex parte obiecti, quia putant Deum non solum vt causam vniuersalem, sed etiam vt particularem, & vt obiectum immediatè ad beatam visionem concurrere; ita vt ex causa principali, & instrumentali resultet vna adequata immediatè concurrens, Vasquez verò *p.p. quæst. 12. art. 5. disput. 43. cap. 7.* vult speciem Dei esse quidem in Beatis adæquatam, sed realiter cum lumine gloriæ identificatam, atque adeo eadem certitudine, qua defendimus dari lumen gloriæ debere, nos Dei speciem defacto propugnare.

2 Probatur autem nostra assertio vnica ratione: Species impressa rigorosa, de qua loquimur, instituta est à natura ad supplendum defectum obiecti, quod simul cum potentia debet quidem ingenerare notitiam sui, sed per se immediatè non potest; atqui ex parte Dei nullus datur defectus quo minus ipse non possit immediatè ad sui visionem cum intellectu creato concurrere; ergo connaturaliter loquendo, esto quod species impressa Dei non implicet, nulla defacto in Beatis admittenda est. maior, & consequentia patent ex dictis supra. minor verò suadetur, quia Deus non minus in ratione intelligibilis, quam in ratione entis est actus purus. ergo sicuti in ratione entis nullum admittit defectum; ita neque in ratione intelligibilis: sed posse immediatè concurrere ad visionem sui eliciendam à nobis, importatur essentialiter ab actu puro in ratione intelligibilis considerato. si quidem aliqua potentialitas est in obiecto indigere specie, qua careret, si ea non indigeret, vt de sè patet: ergo &c. Confirmatur, quia species impressa datur ob defectum, quem habet obiectum in ordine ad cognitionem sui, vel quo ad præsentiã, vel quo ad vim effectiuam, vel denique quo ad proportionem, quam cum potentia cognoscitiua habere debet. sed Deus est intime præsens intellectui, & habet virtutem productiuam perfectissimam visionis, & est maxime proportionatus intellectui elevato per lumen gloriæ, sicuti supponitur esse Beatorum: nimia enim immaterialitas Dei solum in ordine ad comprehensionem eundem gradum immaterialitatis in cognoscẽte requirit, vt bene aduertit Quiros *Disp. 91. sect. 4. nu. 22.* nostram sententiam sequens ergo quamuis alia obiecta creata innaturaliter sine specie impressa videantur: Deus tamen, cum sit ex se completè intelligibilis, non nisi innaturaliter videretur per illam. cum igitur non sit dicendum illum sic defacto á Beatis videri: negandum consequenter est defacto ad visionem Dei speciem impressam creatam concurrere.

3 Atque ex his patet, ex duplici limitatione assignata, neutram aliquid probabilitatis opinioni contrariæ afferre posse. Non priorem, nam ille immediatus concursus, qui speciei creatæ tribuitur, quantumuis partialis sit; si connaturaliter ad eliciendam Dei visionem admittitur; euidens signum est quod Deus illo indigeat ad hoc, vt perfecte intelligibilis in actu primo reddatur; sed hoc derogat rationi actus puri in genere intelligibilis; ergo &c. Neque posteriorem videtur probabilior; tum propter dictam rationem, quia quandiu obiectum in ratione intelligibilis completum est, innaturaliter ei additur complementum; tum etiam, quia in visione Dei lumen se tenet ex parte potentiæ illam corroborans; si autem esset species Dei, se teneret ex parte obiecti, innaturale autem videtur hæc duo munera adeo diuersa in vnam entitatem coalescere. Scio P. Vasquez contendere, intellectum creatum de se esse completum ex parte potentiæ ad visionem, & sic lumen, solum se tenere ex parte obiecti. Sed contra est, quia inde sequeretur intellectũ nostrum esse etiã completum ex parte potentiæ ad actum fidei: atque adeo non dari in nobis habitum fidei infusæ, quem esse distinctum à speciebus rerum credendarum manifestum est. si quidem hæ sunt ordinis naturalis, vt patet; ille verò, si datur, non est nisi ordinis supernaturalis. absurditas autem sequelæ adeo videtur manifesta, vt non indigeat explicatione, ipsa verò sequela paritate, vel etiam maiori ratione suadetur. nobilior enim in sua entitate est visio Dei, quam actus fidei infusæ. repugnat igitur intellectum creatum esse completum de se ad visionem, quin etiam sit completus de se ad actum fidei.

4 Ad nostrum principale argumentum respondent aduersarij. speciem non solum institutam esse ad supplendum defectum necessarium obiecti, sed etiam liberum; per hoc scilicet, quod cum obiectum possit per se ipsum, nolit tamen hoc modo concurrere, sicuti igitur propter modum connaturaliter operandi supernaturaliter, quamuis possit Deus per se ipsum nobiscum cõcurrere, tamen per habitus supernaturales concurrit, ita propter eandem rationem in visione beata per speciem creatam concurrere debet.

5 Sed concesso antecedente pro modo: nego paritatem: disparitas est toties decantata, quia nimirum habitus supernaturales tenent se ex parte potentiæ, supplentes defectum illius in linea potentiæ se continentis: at verò species impressa se tenet ex parte obiecti supplens vices illius, vel non potentis immediatè concurrere, vel saltem nolentis.

6 Verum contra hoc nouotericus quidam sic insurgit; etiam si species impressa teneat se ex parte obiecti, non est cur etiam non se teneat ex parte potentiæ, quatenus nimirum est exactum complementum intrinsecæ virtutis eiusdem potentiæ ad operandum, ergo &c.

7 At est manifeste falsum, quod assumit. sicuti enim semen virile etiam si sit exactum complementum intrinsecæ virtutis potentiæ generatiuæ, quæ est in femina, non tamen se tenet ex parte ipsius fœminæ, sed viri, ita & in casu nostro.

8 Vrget. Actus vitalis, cuiusmodi est visio petit connaturaliter procedere à principijs intrinsecis. ergo principium influxiuum obiecti debet esse intrinsecum potentiæ, & sic se tenere ex parte eiusdem potentiæ.

Respondeo distinguendo antecedens debet connaturaliter procedere à principijs intrinsecis quatenus vitalis est, concedo: quatenus repræsentatio est obiecti, nego antecedens, & consequentiam.

9 Contra hanc distinctionem submurmurat aduersa-

Digitized by Google

uersarius sic: Influxus obiectiuus in visionem tendit in illam, quatenus in repræsentationem vitalem; ergo debet esse influxus procedens à principio potentiæ intrinseco. Respondeo tamen facile distinguendo antecedens; & si quidem sensus est, quod vitalitas visionis realiter ab influxu obiectiuo attingatur, concedo; si autem quod formaliter, nego antecedens, & cõsequentiã, quemadmodum enim influxus primæ causæ tendit in visionem, quatenus in repræsentationem vitalem tanquam in vnam indiuisibilem entitatem, quia tamen vitalitatem non formaliter, sed solum materialiter attingit: ideo non debet procedere formaliter à principio intrinseco potentiæ, ita et in casu nostro.

10 Hanc paritatẽ subuertere conatur recentior ille dicendo, quod adiutorium primæ causæ non se habet vt completiuum causæ secundæ, sed potius vt procedens ab alia causa, sicuti inquit, influxus vnius ignis adiuuantis alium ignem ad calefaciendum lignum, & ideò non petit esse intrinsecum: contra verò adiutorium obiecti se habet vt completiuum potentiæ. Sed contra, tum quia manifestè falsum est quod asserit, alioquin causa secunda posset aliquid agere sine prima, sicuti vnus ignis sine alio; tum etiam, quia dato asserto, sic vrgeo. Neque adiutorium obiecti se habet vt completiuum potentiæ vitalis, sed potius vt procedens ab alia causa. ergo sicuti adiutoriũ causæ primæ non debet procedere à principio intrinseco causæ secundæ, ita neq; adiutorium obiecti à principio intrinseco potentiæ vitalis; consequentia patet, antecedens probatur, quia adiutorium obiecti complet ipsam obiectum in ratione intelligibilis, non verò potentiam in ratione intellectiui. obiectum enim, & potentia in ordine ad visionem comparantur vt duæ causæ diuersæ rationis, quarum vnaquæq; in sua linea diuersum complementum exposcit: ergo neq; adiutorium obiecti se habet vt completiuum potentiæ &c.

11 Denique ad suadendum, quod principiũ influxiuum ex parte obiecti debeat connaturaliter esse intrinsecum potentiæ varias congerit rationes aduersarius: quarum prima sic procedit: Species est accidens, sed accidens est completiuũ subiecti, cui inhæret, quod in casu nostro est potentia; ergo &c. Secũda: nisi principium influxiuum ex parte obiecti se teneret etiam ex parte potentiæ, sequeretur, quod species sensibilis coloris V. G. etiam si non existeret in pupilla, sed solum in vicino aere, ad visionem cõcurreret. sed hoc est falsũ: ergo &c. Tertia, quia lumen gloriæ, & quælibet alia qualitas elevatiua ad effectus supernaturales, non solum se tenet ex parte potentiæ elevandæ, sed etiam ex parte Dei elevantis, cuius maximè propria est: ergo à pari. Quarta, quia gratia sanctificans est altera natura in ordine supernaturali, ergo datur ius ad complementum intrinsecum in ordine ad visionem. Quinta denique, quia potentia vitalis speciali quadam ratione exigit vt actus, qui ab ea procedit sit suus, sed suitas requirit saltẽ connaturaliter vt omnia comprincipia sint intrinseca dictæ potentiæ, ergo &c.

12 Sed nulla ex eis habet soliditatem. Ad primam enim dico, duo haberi in specie impressa, vnum est eam dare vltimam intelligibilitatem obiecto: alterum, esse accidens. Iam licet quoad secundum sit perfectiua potentiæ: at verò quoad primum, totaliter se tenet ex parte obiecti. vnde fit, vt si obiectum per se ipsum sine specie ad visionem concurrat, nullam innaturalitatẽ in potentiam refundat, eo quod in hoc vtitur iure suo; aliunde verò perfectionẽ illam, quã potentia haurit á specie materialiter, & per accidens se habet in ordine ad vitalem operationem eliciendam, & dato quod formaliter, ex hoc aliud nihil colligi potest, quam quod potẽtia quando vna cum specie concurrit ad visionẽ, innaturaliter operatur, nisi ea informetur. 13

Ad secundam verò aio: non esse nouum aliqua agentia intimam præsentiam cum suo effectu ad operandum requirere, vt patet ex prima causa. huius generis est causa, quæ in ratione obiecti mouui agere debet. nam siue per se ipsam ad actum vitalem concurrat, siue per speciem impressam, exigit compenetrari cum illo, & per consequẽs cum potentia, quæ illũ recipere debet.

Ad tertiam, nego consequentiam. Disparitas est, quia in lumine gloriæ, alijsque qualitatibus elevatiuis habemus fundamentum asserẽdi, vt se teneant ex parte vtriusq; Dei scilicet, & creaturæ: at verò agẽdo de vltima intelligibilitate obiecti habemus potius fundamẽtum in cõtrariũ dicendi, quod se teneat ex parte potẽtiæ, quia nullo modo pertinet ad eius intellectiuitatẽ complendam in propria linea, vti de se patet. 14

Ad quartã: nego item consequẽtiam. ex eo enim quod gratia sanctificãs sit altera natura, satis bene cũ ea agitur, si det ius ad complementũ intrinsecum, ex parte potentiæ se tenens, cuiusmodi est lumen gloriæ. 15

Ad quintam denique distinguo maiorem: potentia vitalis exigit vt actus speciali quadam ratione sit suus; quatenus vitalis est, cõcedo: quatenus expressio est obiecti, nego maiorem: & sic distinguo etiam minorem: suitas connaturaliter exigit vt omnia cõprincipia sint intrinseca potentiæ, quæ faciunt ad vitalitatem actus, concedo, quæ faciunt ad obiecti expressionẽ nego minorem, & consequentiam, & dico quod absolutè loquendo, obiectum multo magis specialiter vendicat sibi visionem tanquam suam, quam potentia, vt patet ex eo, quia multi existimant eandẽ visionem saltem diuinitus fieri posse vel ab hac, vel ab illa potentia intellectiua: at nullus dixit eam esse indifferentem ad representandum Deũ, vel creaturam, ex quo deducitur non esse cur potentia connaturaliter exigat operari suum actũ cum vltima intelligibilitate obiecti sibi intrinseca, hoc ipso quod obiectũ sit in se completũ in ratione intelligibilis, vt in casu nostro est Deus. 16

Obijcies primò: intellectus ad connaturaliter operandũ debet informari specie, sed Deus informare nequit intellectum Beati, ergo si sine specie creata intellectus Deum videret, saltẽ innaturaliter operaretur, minor patet; maior probatur: paritate omnium potentiarũ per species operantium, ita fere ille recentior.

Respondeo distinguendo maiorẽ: & si quidem concurreret cũ intellectu vera, & quidditatiua species, 17

cies, concedo quia cum hæc sit essentialiter vicaria, & semen obiecti: debet esse accidens, & per consequens de se informatiua potentiæ, & necessariò operatiua. sed si species non concurrat, sed potius concurrat obiectum, nego maiorem: sic distinguo minorem eodem modo ad minoris probationem patet ex dictis.

18 Obijcies secundò: nequit Deus intelligi in actu secundo visus sine specie expressa creata; ergo nequit intelligi in actu primò visibilis, sine impressa creata. Cõfirmatur quia species expressa debet cõformari impressæ. Respondeo, cõcesso antecedẽte, negando consequẽtiã. disparitas est, quia Deũ in actu secõdo à nobis intelligi importat cognitionẽ nostrã circa se versantẽ; hæc autẽ est perfectio intrinseca intellectus creati, & non Dei, atq; adeo sic cognosci importat essentialiter speciẽ expressam creatam; at verò Deũ intelligi in actu primò visibilẽ est ipsum esse intelligibile: intelligibilitas autem pertinet ad perfectionẽ obiecti, & non intellectus. cum igitur Deus in ratione intelligibilis sit in se summe perfectus: nõ est cur necessariò per aliquod creatum reddi debeat tale. Ad Cõfirmationẽ dico: speciẽ expressam debere necessariò conformari impressæ, quãdo adest; & quidem non in essendo, sed in repræsentando, atqui in casu nostro negatur adesse.

19 Obijcies tertiò: nequit haberi visio, absque eo, quod Deus vniatur intellectui in ratione intelligibilis, sed hæc vnio sine specie creata haberi nequit; ergo &c. maior patet, quia Deus, & intellectus debent coalescere in vnum principium operationis vitalis. minor probatur, quia nullam aliam veram vnionem inter creaturam, & Deum cognoscimus præter hypostaticam, exceptæ quæ oritur ex specie impressa.

20 Respondeo: vnionẽ Dei in ratione intelligibilis cũ intellectu, posita huius elucidatione per lumen, non esse realẽ intrinsecam, sed intentionalẽ, in ratione principij productiui intellectionis; & importare intimum illapsum Dei in potentiã: seu, quod idem est, Dei præsentiam, & omnipotẽtiã applicatã illi per decretum de concurrendo; per quæ patet negandã esse minorẽ argumẽti; & ad eius probationẽ dicendũ; verũ quidẽ esse nullã aliã dari vnionẽ realẽ intrinsecã inter Deum, & creaturã præter hypostaticam: verum vnionẽ, de qua loquimur esse intentionalẽ in ratione principij operatiui, quam non debere esse intrinsecã patet ex vnione, qua causa prima, & secunda vniuntur ad operandum.

21 Obijcies quartò: si Deus non concurrit ad visionẽ Beatã per speciẽ creatã, sed per se ipsum immediatè, vel concurrit per suã essentiã, vel per suã omnipotentiã: non primum, quia omnis concursus ad extra in genere efficientis habetur proximè ab omnipotentia, per quã significamus virtutẽ Dei operatiuã omniũ factibiliũ ad extra. Neque secundũ, sicuti enim essentia per se primò repræsentatur à visione beata, tanquã obiectũ terminatiuũ primariũ, & non omnipotentia, ita per se primò illa, & nõ hæc tanquã obiectũ motiuũ debet influere, vt patet ex diuina cognitione, cuius proximum obiectũ motiuũ est essentia, & nõ omnipotentia. ergo &c.

22 Respondeo primò: hoc argumentum militare etiam contra speciem distinctã, quia vel ad eam causandã concurrit Deus immediatè per suã essentiã, vel per suam omnipotentiam, quodcũque dixeris, est contra te; ergo &c. Respondeo secundò, & concessa maiore, dicã, quod concurrat per suã omnipotentiã. ad probationẽ in contrarium data sẽtẽtia Scoti volẽtis solã essetiã esse obiectũ terminatiuũ primariũ; attributa verò, & relationes secundariũ, quæ à multis reijcitur; nego omnipotentiã debere per se primò influere tanquam obiectum motiuũ primariũ. sufficit enim si per se primò influat, quatenus virtualiter continet expressam similitudinẽ diuinæ essentiæ. sicuti per se sufficeret, si hoc modo influeret species creata. Paritas autem de obiecto motiuo diuinæ cognitionis non est ad rẽ; quia eadem diuinitas, sicuti vt cõparata ad operationes ad intra habet rationẽ essentiæ: ita & comparata ad operationes ad extra habet rationẽ omnipotentiæ; & rectè, quia hæc est virtus effectiua Dei. ad intrinsecã autem in Deo nulla datur efficientia.

Obijcies quintò pro Vasquez: implicat, quod duæ causæ proximæ ad eundẽ effectũ concurrãt, quin sint in eo duæ formalitates illis correspondẽtes, cũ igitur ad visionẽ Dei cõcurrãt tanquã duæ proximæ causæ intellectus, & lumẽ; deberent in ea duæ formalitates illis respondere; Deus igitur visio pro vt est intellectio vitalis respondebit intellectui: pro vt verò est talis obiecti, nimirum Dei, respondebit lumini. ergo lumen gerit respectu illius munus speciei impressæ, à qua proximè pendet specificatio obiectiua actus vitalis. prima, & secunda consequentia patẽt: antecedẽs verò, & hæc tertia probatur exẽplo visionis corporeæ, ad quã, quia concurrunt potentia visiua, & species: à potẽtia visiua habet quòd sit visiõ; à specie verò, quod sit talis obiecti V. G. albi, si species est ab obiecto albo transmissa.

Respondeo negando antecedens; cuius falsitas patet primò ex Deo, & causa secunda concurrẽtibus ad eundẽ effectũ simul secundum quamlibet formalitatem. sed quia Vasquez se excusat dicẽdo, quod loquatur de duabus causis secundis immediatis: præter quam quòd ratio superfluitatis, à qua desumitur argumentũ, militat vtrobique & impugnatur secundò ex duobus ignibus ad eandẽ indiuisibilẽ combustionẽ concurrentibus. tertiò ex sententia eiusdem Vasquez volentis potẽtias ab anima distinctas, simul cum anima ad vitales operationes immediatè concurrere, & tamen nulla formalitas in illis est assignabilis, quæ vtriq; indiuisibiliter non correspondeat. Ad probationẽ antecedẽtis dico ex casu particulari nõ bene vniuersalẽ propositionẽ deduci; & ratio à priori est, quia dependentia effectus à distinctis causis potest quidem aliquando à diuersis formalitatibus prouenire; sed non semper, nam interdũ oriri potest ex imbecillitate vnius causæ ad vnã & eandem formalitatẽ causanda, interdum etiã ex exigentia illius formalitatis specialiter à duplici causa pendentis, sicuti est vitalitas supernaturalis in casu nostro. non negauerim tamẽ, quod si quis à visione supernaturalitate distinguat, potest concedere Vasquio antecedens, & dicere, quod eius vitalitas correspondeat intellectui, supernaturalitas autẽ lumini, specificatio verò obiectiua speciei impressæ.

Obij-

Digitized by Google

25 Obijcies sexto pro eodē: duo sunt munera speciei: Primum est determinare potentiā ad tale determinatū obiectū attingendum: Secundò ad attingendum illud cū tanta, vel tanta intēsione & claritate; sed vtrumq; munus præstatur à lumine gloriæ ergo lumen habet rationē speciei. maior patet inductione specierum naturalium; species enim parietis albi V.G. impressa oculo, & determinat potentiam visiuam ad videndum tale obiectum; & ad videndum illud minus, vel magis intensè iuxta proportionē intensionis, quam illa cæteris paribus habet in se. minor verò probatur, quia lumen gloriæ ex vna parte determinat potentiam ad obiectum supernaturale, non qualecunque, vt de se patet, alioqui Beatus omnia entia supernaturalia creata videre posset. ergo ad supernaturale increatum: ex alia verò lumen datur cum certa intensione Beatis, sed hoc non ob alium finem, nisi vt illi intensio, & claritas visionis proportionetur; ergo &c.

26 Respondeo negando vniuersaliter maiorem quo ad primam partem; aio enim vim determinandi potentiam ad tale determinatum obiectum non competere speciei vt sic, sed soli speciei obiecti inadæquati; quando enim obiectum est adæquatum potentiæ, & sibi vendicat proprium modum tendendi ex parte potentiæ, species eius supponit determinationem in illa. Iam verò Deus clarè visus est obiectum adæquatum intellectus eleuati, à quo possit attingi in ratione actus puri, per quam differt à quocunque alio obiecto. & per hoc patet responsio ad probationem ab inductione desumptam; cum enim cæteræ species sint obiectorum inadæquatorum, quæ communicant in ratione, secundum quam attingi debent à potentia; hinc habent determinare potentiam ad specificationem actus circa hoc potius, quam illud obiectum; species igitur hoc de se habet essentialiter, quod sit principiū concurrens ex parte obiecti, primariò complēs illud, & secundariò potentiam, non autem, quod determines potentiam ad illud. Ad secundam verò partem maioris dico determinare potentiam ad actum tantæ, vel tantæ intensionis posse competere tam speciei, quam habemus, vt patet in visione, quæ si prouenit à potentia robustiore, perfectior est, & clarior ea, quæ prouenit ab imbecilliore, etiam si species sint æque intensæ. vnde deducitur, quod etiam si lumen gloriæ hoc munus præstet, non tamen, ideireo gerit vices speciei impressæ, tenendo se ex parte obiecti in visione Dei.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum species impressa creata Dei sit Possibilis.

27 AD vitandam quæstionem de nomine, supponendum: aliud esse quærere num diuinitus fit possibile aliquid, quod ad visionem Dei concurrat, supplendo vices diuinæ essentiæ, quādo Deus non vult per sè ipsum immediatè concurrere, & aliud num Deus possit producere speciem sui, quæ ex suis intrinsecis habeat dictum præstare concursum. primum non reuocamus in dubium esse possibile, quæ enim repugnantia est in eo, quod Deus eleuet lignū V. G. ad præstandum in visione concursum illum obiectiuum, quem per se ipsum connaturaliter loquendo præstare deberet? nulla profecto. Tota igitur controuersia sita est in eo, vt videamus num Deus speciem impressam creatam sui diuinitus producere possit, quę ex vi sua intrinseca fit primò, & per se ordinata concurrere ad visionem, diuinæ essentiæ vices supplendo. Dico, primò, & per se ordinata, quia alia posset esse in hoc quæstio; num scilicet Deus, quando vellet vt lignum concurreret ad visionem loco suæ essentiæ, posset illud eleuare per qualitatem aliquam intrinsecam, quæ ex se effet primariò instituta ad huiusmodi eleuationem ligno communicandam, ita vt conflatum ex ligno, & hac qualitate connaturaliter in visionem influeret loco diuinæ essentiæ. De hac enim qualitate nihil in præsentia curamus num sit possibilis; quia putamus verè non fore speciem impressam Dei, si quidem eius essentiam minime participaret, sed potius essentiam qualitatis eleuatiuæ ligni adhoc, vt ex suis intrinsecis speciei concursu, in visionem influeret; & rectè id quidem. species enim impressa Dei debet posse totaliter ex suis intrinsecis obiectiuum concursum in visionem præstare; atqui hæc qualitas non nisi partialiter posset, quia vti supponimus etiam lignum loco speciei deberet influere; ergo ipsa per se, & solitariè sumpta non esset species Dei. Porrò quamuis conflatum ex ligno ex dicta qualitate connaturaliter concursum obiectiuum visioni præberet; neque esset essentialiter species impressa Dei; si quidem species impressa debet connaturaliter posse in visionem influere connaturalitate primò, & per se se tenente ex parte sui totaliter sumpta. at conflatum hoc posset connaturalitate tantum se tenente primò & per se ex parte vnius extremi, non verò alterius, nempè ligni, nisi secundariò, quatenus videlicet eleuaretur ab altero: sic explicata quæstione.

Conclusio est negatiua, Censeo enim non 28
posse diuinitus dari speciem impressam creatam cuius beneficio Deus videri possit intuitiuè. Ita D Th. *p. p. qu. 12. art. 2. & qu. 13. art. 3. item tertio Contreg. cap. 49.* & sæpè alibi vt infra videbimus quem sequuntur Thomistæ Caiet. Ferrariensis, Capreolus *in 4. dist. 49. qu. 5.* Paludanus *qu. 1. art. 1. Concl. 3.* Durandus *quæst. 1. num. 13.* D. Antonin. *3. part. tit. 30. cap. 4. §. 1.* Bassolus *in 3. dist. 14. qu. 1. art. 1.* & ex nostris Arrubal. *in primam par. quæst. 12. disput. 16. cap. 5.* Granados *disput. 5. sect. 3.* Tannerus *disput. 2. de Deo qu. 6. dub. 2. num. 12.* Recupitus *to. 1. in primam par. lib. 6. qu. 21.* Augustin. *in qu. 12. art. 2. disp. 5.* Palumbus *in primam par. qu. 12. art. 2.* & passim Doctores in Hispania, vbi adeo communem hanc sententiam fuisse suo tempore fatetur Hericius *in primam par. tract. 4 disput. 4. cap. 6.* vt dicat oppositam ibi apud nobiles Theologos penè extinctam fuisse. Oppositum tamen docent Riccardus, Aureolus, Maironius, Palatius, & ex nostris Molina *in primam par. qu. 12. art. 2. disp. 1.* Suarez *lib. 2. de Attrib. cap. 13.*

Digitized by Google

Vasquez *in primam par. disput. 38. cap. 2.* Valentia *tom. 1. disput. 1. qu 12. punct. 2.* Salas *par. 2. tract. 2. disput. 5. sect. 2.* Arriaga *disput. 3. de anim. sect. 1. & disput. 8. de Deo sect. 2.* Hurt. *disput. 13 de anim. sect. 2.* Ouiedus *de anima contr. 13. pun. 6.* & alij recentiores.

39 Iam verò assertio nostra probatur vnica ratione, quæ afferri communiter solet ad negandum posse aliquid per absolutam Dei potentiam fieri: species impressa creata Dei implicat in suis prædicatis contradictionem. ergo est diuinitus impossibilis. huius enthymematis tota difficultas est in antecedente; consistit enim in assignanda implicantia dictæ speciei. multæ afferri solent ab auctoribus nostræ sententiæ, quas examinare prius oportet, vt tandem nostram in medium adducamus sit igitur.

SECTIO TERTIA.

Dissoluuntur octo implicantiæ ab aliis adductæ.

40 HArum prima potest esse huiusmodi. si diuinitus dari posset species impressa Dei, sequeretur, quod visio Dei ab ea procedens esset simul immediata; & mediata; sed hoc implicat, vt de se patet; ergo & ipsa species implicabit. minor patet, & consequentia videtur certa, quia ex implicantia effectus rectè deducitur implicantia causæ ad illum essentialiter ordinatæ, cuiusmodi supponitur esse species, de qua loquimur; sequela verò maioris probatur, quia visio Dei est de se intuitiua; ergo ex suis intrinsecis immediata, aliunde verò; si inter eam, & Deum species creata interciperetur, esset etiam mediata. ergo &c.

41 Verum hæc implicantia non videtur solida, ad quam dissoluendam suppono inter cognitionem, & obiectū duplex dari posse medium: alterū, quod, alterum quo. medium quod est obiectum primarium, in quo scilicet, tanquam in præcognito cognoscitur secundarium. cuiusmodi est causa, quando ducit nos in cognitionem effectus. medium verò, quo, est id, quo mediante obiectum mouendo potentiam concurrit ad actum, licet in se non cognoscatur, & huiusmodi est species impressa. quo posito, distinguo sequelā; si species impressa Dei daretur, visio Dei esset immediata, & mediata; & si quidem sermo sit in ordine ad idem medium, nego; si verò in ordine ad diuersa, concedo; & sic distincta minore, nego consequentiam, & ad probationem sequelæ dico: visionem Dei à specie creata prouenientem, fore immediatam, loquendo de medio vt quod, quia non terminaretur ad aliquid obiectum, & eo mediante ad Deum; vnde esset intuitiua: fore quoque mediatam si sermo sit de medio vt quo; quia inter ipsam, & obiectum intercederet ipsa species, quæ verè esset medium motiuum, quo, scilicet, mediante obiectum moueret potentiam, & influeret in visionem ipsam, hoc autem non obstare intuitioni patet ex visione corporea, quæ licet intuitiua sit: admittit tamen species visibiles, à quibus ex parte obiecti immediatè procedat. Ex quo patet responsio ad id, quod dicunt alij; quod nimirum admissa specie, Deus videretur simul per essentiam vt supponitur, & non videretur per essentiam, quia per speciem. videri enim per essentiam excludit solum medium quod, non autem medium quo, vnde fiat cum hoc, quod Deus videatur per speciem, & simul per suam essentiam.

Secunda implicantia est hæc. implicat agens 42
creatum productiuum connaturaliter sanctitatis. ergo implicat agens creatum productiuum connaturaliter beatitudinis; sed huiusmodi esset species creata Dei, si daretur; quia ex se influeret in visionem Dei, in qua beatitudo nostra consistit. ergo huiusmodi species creata implicat. Ita fere Sotus *in 4. distin. 49. qu. 2. art. 3.*

Sed neque hæc est præcedente solidior; falsum enim esse antecedens, constat ex valdè probabili sententia docentium: Sacramenta physicè causare gratiam per qualitatem sibi intrinsecā, cuius beneficio instrumētaliter eleuantur à Deo. quod si antecedens verum esset, nulla tamen esset consequentia, disparitas esse posset, quia gratia sanctificans est fons, & principium totius supernaturalitatis creatæ; vnde quælibet alia res videtur esse improportionata ad illā physicè non solum principaliter, sed etiam instrumentaliter efficiendam: at verò visio beata debetur ipsi gratiæ, atque adeo non excludit à se dependentiam ab alio principio effectiuo creato; defacto enim agnoscit lumen gloriæ vt causam sui. non est igitur cur non possit etiam à specie impressa Dei efficienter procedere.

Tertia sic procedit. implicat Deum ad extra 43
producere aliquid necessariò; sed hoc eueniret si daretur species impressa Dei; ergo huiusmodi species repugnat. maior est certa; minor verò suadetur tripliciter: Primò à pari, quia omnis species fluit necessariò à proprio obiecto. Secundò, quia species Dei si daretur, deberet fluere ab eius essentia, quam primariò exprimeret. essentia autem sumpta formaliter vt essentia, præcedit libertatem in actu secundo. Tertiò denique, quia de ratione speciei intelligibilis est procedere ab obiecto vt intelligibili; sed obiectum independenter à libertate est intelligibile, sicuti est ens. ergo &c.

Hæc quoque implicantia est ineffica. con- 44
cessa enim eius maiore, facile negari potest minor; & ad primam eius probationem dici, quod quemadmodum non obstante, quod concursus obiectiuus immediatus à cæteris obiectis naturaliter exhibetur potentiæ rectè dispositæ: nihilominus tamen in omnium sententia à Deo tribuitur liberè intellectibus Beatorum; constat enim absque vlla necessitate Deum concurrere per modum obiecti ad visionem sui: ita dicendum est de specie, quod nimirum, quamuis à cæteris obiectis necessariò fluat, à Deo tamen flueret liberè propter perfectissimum dominium, quod supra suas omnes operationes ad extra sibi vendicat. Ad secundam verò aio dubium esse inter Teologos; num sola essentia diuina sit obiectum formale terminatiuum visionis. multi enim id negant, putantque, quid quid est in Deo, esse huiusmodi. sed dato assumpto, di-

Digitized by Google

dicendum, quod hoc non obstante, vel obiectū formale motiuum sit omnipotentia, vel si est essentia, non tamen sola est, sed quatenus est subordinata voluntati diuinæ, siuè debeat sui speciem producere, siue immediatè cum intellectu Beati ad visionem concurrere.

35 Ad tertiam denique: concessa maiore, distinguenda est minor: obiectum independenter à libertate est intelligibile. & si quidem sermo sit de obiectis creatis, quæ non habent dominium plenum in suas operationes ad extra, concedenda: sin autem de obiecto beatifico, cuiusmodi est solus Deus, subdistinguenda: Independenter à libertate est intelligibile, remotè, concedo; proximè, nego, quia sicuti quando essentia Diuina exercet in Beatis munus speciei impressæ, redditur intelligibilis proximè per decretum de concurrendo ad visionem ipsam: ita etiam in casu nostro redderetur huiusmodi per simile decretum, quo vellet media specie creata in visionem influere,

36 Quartò sic alij: Implicat aliquid habere per formam distinctam, quod habet ex se essentialiter. sed Deus est per se essentialiter intelligibilis; ergo implicat reddi intelligibilis per speciem. minor, & consequentia patent; maior suadetur, quia in tantum Deus non potest reddi per formam distinctam omniscius, præsēs &c. quia hæc habet ex suis intrinsecis essentialiter.

37 Respondet Comptonus *disput. citata sectione tertia à nu. 1.* supponendo Deum non esse necessariò proximè intelligibilem essentialiter, sed reddi talem per voluntatem concurrendi ad visionem. ad eum plane modum, quo ignis redditur proximè potens ad comburendum per approximationem. Esto totam vim combustiuam habeat intrinsecè. quò posito, distinguit maiorem: Implicat aliquid habere per formam distinctam, quod habet ex se essentialiter: & si quidem sermo est de agentibus necessarijs, concedit, sin autem de liberis, negat maiorem; & & ad eius probationem dicit: cognitionem, & & præsentiam hoc ipso, quod distinguntur à Deo, esse formas creatas, atque adeo non posse in eo recipi, alioquin Deus esset mutabilis: deberent autem recipi & eum præsentem, & intelligentem denominarent; vt patet. ergo &c.

38 Verum hęc responsio ad hoc vt satisfaciat, indiget fulcimento. Primò, quia aduersarij non inrendunt Deum necessariò ex se esse proximè intelligibilem, sed supponendo id habere per decretum de concurrendo, asserunt quod hoc ipso, quod ex suis intrinsecis ex se est intelligibilis formaliter, non possit reddi talis per aliquod extrinsecum à se distinctum. Secundò, quia distinctio maioris est diminuta, ea enim loquitur vniuersaliter, videlicet non posse aliquid habere per formam distinctam, quod habet per se essentialiter. Comptonus verò illam restringit ad genus causæ efficientis dumtaxat, dicens veram esse in agentibus necessarijs, & non in liberis. Tertiò, quia in hacetiam restrictione dicta maior accepta non videtur vera, nam implicat Deum per virtutem à se distinctā præstare concursum, quem vt causa prima per se & ex intrinsecis suis exhibet causis secundis, & tamen Deus in exhibitione huiusmodi concursus est agens liberrimum, vt patet, ergo non solum agens necessarium, sed etiam liberum implicat habere per formam distinctam id, quod per se, & essentialiter habet. Quartò denique, quia id, quod ad infirmandam probationem maioris vltimo loco additur, non videtur soluere difficultatem, quia etiam si supponeremus per impossibile Deum posse aliquas formas accidentales in se recipere, atque adeo mutabilitati subiectum esse; adhuc si per suam entitatem, & essentialiter esset omniscius, & immensus; implicaret forma aliqua accidentalis, quæ esset ex suis intrinsecis instituta ad reddendum illum omniscium, ac omni loco præsentem. Quod vlterius suadetur ex eo; quia in sententia eorū, qui ponunt vbi modaliter distinctum, implicat vbi Romanum V. G reddi præsens Romæ per aliud vbi, quod esset ex se ordinatum ad vbificandum illud in eo prorsus loco determinato, cui est essentialiter affixum. ergo, non ex eo, quod Deus est incapax formæ creatæ, implicat reddi sapiens aut immensus per aliquod distinctum; sed ex eo præcisè, quia implicat aliquid habere per formam distinctam, quod habet per se, & essentialiter. Solidius ergo responderem, supponendo; prædicatum, quod habet aliquid ex se, & essentialiter, posse esse duplicis generis, primò ita vt sit formaliter operatiuum, secundò vt sit merè constitutiuum, & non operatiuum formaliter. prioris generis est risibilitas respectu hominis in sententia eorum, qui illam identificant cum natura humana: posterioris verò rationalitas per hanc enim homo constituitur formaliter in esse hominis, per illam verò formaliter potens videre. quo posito distinguerem maiorem: Implicat aliquid habere per formam distinctam, quod habet ex se essentialiter; si sermo sit de prædicatis merè constitutiuis, concederem: sin autem de operatiuis formaliter negarem. sic distinguerem eodem modo minorem. Deus est per se essentialiter intelligibilis, ita vt hoc sit prædicatum in eo formaliter operatiuum concederem, ita vt non sit huiusmodi, sed merè constitutiuum, negarē minorē, & consequētiam. Ad probationem verò maioris dicerem omniscientiam, & immensitatem non esse prædicata formaliter operatiua; & ideo nil mirum si nō possit Deus per aliquod distinctum reddi omniscius, & præsens loco. Contra verò loquendo de intelligibilitate, de qua sermo est in argumento, ea enim cum non sit terminatiua, sed motiua: constat importare de se virtutem operatiuam ad extra. Iam verò ratio disparitatis inter vnum, & alterum prædicatorum genus est, quia merè constitutiua imitantur naturam causæ formalis, quæ hoc ipso, quod est in subiecto apto, suo munere functa est. vnde non habet amplius diuina omnipotentia, & libertas, quid circa eius effectum disponere possit: at verò prædicata operatiua pertinent ad genus causæ efficientis, quæ quamuis existat, adhuc tamen subditur diuinæ omnipotentiæ, & libertati in ordine ad sui effectus positionem. non est igitur mirum si in Thesauro diuinæ omnipotentiæ reperiantur virtutes

ali-

Digitized by Google

aliquæ operatiuæ instrumentariæ de genere accidentis, quarum beneficio substantia producere valeat effectum, ad quem producendū est ex se, & ex suis prædicatis intrinsecis adæquatè potens producere, casu quo Deus non vult vt per se ipsam, & per sua prædicata sibi identificata illum producat. Quod si hæc ratio euincit, substantiam creatam diuinitus habere posse per formam distinctam id, quod habet per se & essentialiter, dummodo pertineat ad genus causæ efficientis, idem de substantia increata concludere videtur; non enim potest facile assignari disparitas quoad hoc inter vnam, & alteram, ex quo deducitur, quod etiam si Deus sit per se essentialiter intelligibilis, possit nihilominus per speciem impressam creatam id habere.

39 Dices: rationem causæ primæ esse in Deo prædicatum formaliter operatiuum, & tamen ex dictis non subditur diuinæ omnipotentiæ, & libertati in ordine ad præstandum, vel non præstandum per se ipsam suum concursum causis secundis. ergo non est vniuersaliter verum, posse aliquid habere per formam distinctā, quod habet per sua prædicata intrinseca formaliter operatiua. Respondeo, concesso antecedente, & distinguendo consequens: si non assignatur aliundè implicantia, nego; ex suppositione, quod aliunde assignetur, concedo. Dico enim meum intentum solum esse in præsentia ostendere nullam esse implicantiam, quæ ex principio assumpto ab aduersarijs deducebatur, eo quod non repugnet aliquid habere per formam distinctam, quod ex suis intrinsecis, & per se habet, pertinens ad genus causæ efficientis, cum quo stat ex peculiari aliqua ratione id repugnare posse, sicuti defacto repugnat in ordine ad vim causatiuam, per quam Deus in ratione causæ primæ constituitur, quam non posse Deum alicui creaturæ demandare, etiam in ordine ad peculiarem effectum in præsentia supponimus; & in hoc etiam sensu sustinemus repugnare speciem impressam creatam Dei, quatenus censeamus præcisè per hoc, quod Deus sit ex se, & ex suis intrinsecis perfectè intelligibilis, nullam inuoluere repugnantiam.

40 Atque ex his remanet soluta quinta implicantia, quam nonnulli deriuant ex eo, quod species impressa Dei si daretur esset ex suis intrinsecis superuacanea, & frustratoria; quatenus semper inueniret intellectum Beati per intrinsecam Dei intelligibilitatē motiuam actuatum atque completum. Quamuis enim verum esset, quod; vt intellectus Beati inciperet esse vnitus diuinæ essentiæ per modum speciei intelligibis, sufficeret habere lumen gloriæ, quod negatur ab alijs asserentibus requiri præterea decretum Dei de concurrendo ad visionem.

41 Adhuc tamen vt species creata non esset essentialiter superuacanea, satis esset si Deus posset nolle postea cum intellectu creato per suam essentiam actuato, atque completo concurrere. quia iam ex suppositione quod defacto nollet, esset proficua vt beata visio poneretur à parte rei dependenter ab ipsa, vt dè se patet.

42 Sextam implicantiam adducunt alij sic: si posset dari species impressa creata ad supplendum vices Dei nolētis concurrere cum intellectu Beati per suam essentiam immediatè: sequeretur quod posset dari alia species impressa creata ad supplendum vices prioris speciei, posito quod Deus nollet per priorem concurrere. Sed hoc implicat. ergo &c. sequela patet paritate; quia non minus esset intelligibilitas Dei species impressa creata, quam ipsa Diuina essentia; ergo si ex eo, quod Deus nolit concurrere per suam essentiam debet admitti species creata supplens vices illius: ita ex eo quod nolit vti dicta specie, admittenda est alia, quæ in locum illius subrogetur. minor verò probatur, quia sic daretur species speciei in infinitum, quod repugnare videtur.

Verum hæc quoque implicantia eneruis est. 43
Responderi enim ad eam dupliciter potest: Primò quidem negando sequelam, & ad eius probationem dicendo, quod licet tum ipsa essentia diuina, tum eius species impressa creata essent diuina intelligibilitas: non tamen eodem modo. diuersitas consisteret in eo, quod essentia esset intelligibilitas Deo intrinseca, species verò creata, extrinseca. quoniam verò species impressa est essentialiter ordinata ad supplendam tantummodo intelligibilitatem intrinsecam obiecti, non verò extrinsecam: hinc fit vt etiam si possit dari species impressa creata ad supplendum vices Dei, nolētis concurrere cum intellectu Beati per suam essentiam immediatè; non tamen sit dabilis vna species essentialiter ordinata ad supplendum vices alterius speciei, quia simul esset, & non esset species impressa Dei: esset quidem vt supponitur: non esset verò, quia non ordinaretur ad supplendum vices intelligibilitatis intrinsecæ Dei, sed extrinsecæ, atque adeo ad summum esset species impressa speciei diuinæ, non verò ipsius Dei, eo quod non faceret venire in cognitionem Dei immediatè, sed mediatè, atque adeo abstractiuè tantum, & non intuitiuè illum repræsentaret.

Quoniam verò, vt in præcedenti disputatione vidimus, non repugnat species impressa, quæ plura immediatè repræsentet obiecta: id circo responderi posset secundò ad adductam implicantiam, concedendo sequelam; quemadmodū enim non repugnat vna species impressa, quæ sit simul repræsentatiua hominis, & leonis: ita neque alia, quæ sit simul repræsentatiua Dei, nec non etiam alterius speciei, quæ ex suis intrinsecis ad Deum tantummodo repræsentandum ordinata esset. in hoc enim nulla apparet contradictio, si aliunde species impressa Dei non inuolueret contradictionem. quare negata minore, ad eius probationem concederem esse possibilem speciem speciei in infinitum, quemadmodū enim non repugnat dari cognitionem cognitionis in infinitum, ita videlicet vt prima reflectat supra secundam, secunda supra tertiam, tertia supra quartam, sine fine, ita neque quod detur prima species impressa Dei, quæ habeat solum Deum tamquam obiectum primarium repræsentare, secunda verò Deum simul, & primam speciem, tertia Deum, & secundam, & sic in infinitum. 44

Septima implicantia sic procedit: implicat effectum connaturaliter exigentem causam superio- 45

Digitized by Google

riorem produci ab inferiore superioris vicem supplente: sed visio Dei exigit connatural ter immediatè produci ab essentia diuina. ergo implicat produci posse á specie creata, quæ est in valde inferiori ordine, ac ipsa diuina essentia, omnia patent præter maiorem, quæ probatur; quia non aliunde repugnat creaturam posse creare, nisi quia creatio exigit connaturaliter Deum tanquam causam superiorem ipsa creatura, à qua specialiter, atque totaliter pendeat; & ratio vniuersalis esse potest, quia quoties effectus aliquis causam superiorem connaturaliter exigit, ideo est, quia indiget ad sui positionem tota virtute, quæ est in illa causa; sed implicat tantumdem virtutis in inferiori causa reperiri; ergo, &c.

46 Verum hæc quoque implicantia non minus, quam præcedens dupliceem habet solutionem. prior est, si negetur maior, cuius falsitas constare potest ex gratia sanctificante, quæ licet connaturaliter exigat causari à Deo, non repugnat tamen causari à creatura, vti notauimus. ad probationem maioris dicerem, quod etiam si vera esset sententia eorum, qui dicunt non posse vnam creaturam ne instrumentaliter quidem creare aliam, de quo in methaphysicis, falsum tamen est hoc prouenire ex eo, quod creatio exigat connaturaliter à Deo tanquam à causa superiore procedere. sed, vel ex eo, quod perfectissimum operandi modum importat, qui sibi vendicet in causa infinitam virtutem, quatenus habet extrahere creaturam ex puro nihilo, vel ex aliquo alio capite, de quo infra. Rationem denique vniuersalem, quæ vltimo loco affertur, in quam tota implicantia refundi videtur, non procedere suadetur, quia confundit exigentiam connaturalem cum essentiali. multa enim connaturaliter exigimus, quæ falsum est exigere essentialiter. quamuis igitur effectus aliquis exigat connaturaliter causam superioris ordinis, male deducitur quod illam essentialiter exigat; benè autem deduceretur, si inde constaret totam virtutem causæ ad eius productionem necessariam esse. Verum effectum aliquem connaturaliter exigere causam ordinis superioris, potest in aliud refudi, vt in casu nostro, quia nimirum cum visio beatifica habeat pro obiecto terminatiuo Deum, qui est de se perfectissimo modo intelligibilis, & intime præsens intellectui creato, sibi per lumen gloriæ proportionato, ideo exigit ab ipso Deo tanquam ab obiecto motiuo, & non à specie creata procedere.

47 Posterior solutio eiusdem implicantiæ potest esse si distinguatur maior sic: Implicat effectum connaturaliter exigentem causam superiorem, produci ab inferiore supplente vicem superioris, & siquidem exigentia illa oritur primò, & per se ab essentia effectus, transeat maior, sin autem proueniat ei aliunde, negatur. sic distinguo minorem: Visio Dei exigit connaturaliter produci immediatè ab essentia diuina, ita vt huiusmodi exigentia primò, & per se oriatur ab ipsa essentia visionis, nego; ita vt aliunde illi proueniat, concedo minorem, & nego consequentiam. Explico: quoties effectus aliquis ita connaturaliter superiorem causam exigit, vt hæc exigentia primò, & per se ab eius natura, & quidditate procedat, transeat quod implicet ab inferiori causa produci: dico, transeat, quia tunc potest habere locum principium illud, quod ideo hoc sit, quia tunc signum est, quod huiusmodi effectus indigeat ad sui productionem tota virtute illius causæ, quam constat in causa inferiori non reperiri. At si exigentia illa primò, & per se in alio aliquo fundatur nempe in ipsa causa, secundario verò, & consequenter deriuetur in effectu, nego implicare effectum illum ab inferiori causa produci: quia ipse circumscripta causa superiore indifferens est vt ab ea potius, quam ab inferiori producatur. Porrò exigentiam, quam habet beata visio connaturaliter procedendi ab essentia diuina tanquam à specie, radicari primario in ipsa diuina essentia constat ex eo, quia si per impossibile supponamus Deum non esse ex se perfectè intelligibilem, visio Dei exigeret procedere connaturaliter à specie creata, & non à diuina essentia, non est igitur mirum si non obstante, quod Deus de facto sit ex se perfectissimè intelligibilis: non implicet eius visionem produci ab ipsa specie creata; siquidem illa exigentia procedendi connaturaliter à causa superiore non oritur illi ex suis principijs intrinsecis, sed primariò aliunde, & ab extrinseco. Contra verò posito quod creatura creare diuinitus non potest: dicendum est exigentiam, quam habet creatio procedendi à causa superiore, primò, & per se procedere ex intrinsecis ipsius creationis, quæ, cum sit productio rei ex nihilo, exigit causam, quæ in perfectione omnem superet creaturam, & ideo implicare quod fiat ab alio, quam à Deo.

48 Octaua denique implicantia est huiusmodi: Admissa specie impressa Dei creata, ex vno capite non posset Deus non concurrere per modum obiecti, posito causæ vniuersalis concursu parato ad concurrendum cum ipsa specie: ex alio verò capite deberet posse ad libitum negare suum concursum per modum obiecti, quia libere sic concurrit. sed hæc sunt implicatoria ergo &c.

49 Sed hæc implicantia ab Aldrete allata *in primam partem disput. 9. sect. 5. à numero 6* videtur solutu facilis, si dicamus: Deum in præstando concursu suo in ratione obiecti ad visionem immediatè per se ipsum sine creata specie dupliciter exercere libertatem: primò vt causam vniuersalem, secundò vt particularem. at verò quando concurrit media specie creata, non nisi vt causam vniuersalem immediatè exercere posse libertatè in illam, & in hoc nullam inuolui implicantiá, vt exemplo planum fieri potest; casu enim, quo Deus vult se solo comburere lignum, dupliciter libertatem immediatá exercet, & vt Causa vniuersalis est, & vt particularis; at si velit vna cum igne connaturaliter in ratione causæ vniuersalis concurrere, tantummodo libertatè exercere valebit vt causa vniuersalis, & non vt particularis.

50 Instabis: si hæc responsio consisteret, sequeretur posse dari qualitatem supplentem munus causæ primæ in visione Dei; sed hoc repugnat, vt patet; ergo &c. sequela probatur, quia in tali casu adhuc Deus vt causa secunda particularis libere in illam influeret. sed hoc sufficeret ad salvandum dominium Dei liberum in visionem. si-

cuti

Digitized by Google

cui sufficit per te ad saluandum ipsum dominiũ per hoc, quod admissa specie creata, liberè vt causa vniuersalis influat in illam. ergo &c.

51 Sed contra, quia negare possunt rectè aduersarij sequelam, ac dicere; ex possibilitate qualitatis supplentis munus causæ particularis non valere inferre possibilitatem qualitatis supplentis munus causæ primæ vniuersalis, vt patet exemplo combustionis supra allato. Ad probationem verò in contrarium dicerent non sufficere quemcumque vsum diuinæ libertatis immediatè ad saluandum perfectissimum Dei dominium in visionem, sed debere esse talem, vt omnis creatura, quæ in eam influit, quantum ad esse, & operari ab eo dependeat; atqui hoc non haberetur casu, quo qualitas aliqua posset supplere concursum causæ vniuersalis in visione, & Deus solum vt causa particularis illam causaret; nam dicta qualitas pecque in essendo, neque in operando subdi deberet Deo, alias non supleret vices causæ primæ, contra verò ex hoc, quod aliqua qualitas suppleat vices Dei in genere obiecti, cum admittat concursum Dei vt causæ vniuersalis, iam retinet, quod tum in essendo, tum in operando immediatè Dei dominio subdita sit. atque hæc maior ratio potest probabiliter assignari ab aduersarijs cur illa repugnet, non verò hæc.

52 Ad hanc implicantiam reduci potest illa alia, quam adducit Quiros in suo cursu *disput. 91. num. 26.* ea est huiusmodi; non potest Deus non concurrere obiectiuè, & in actu secundo ad sui visionem; ergo species creata implicat vt pote essentialiter superflua, antecedens suadetur, quia concurrere obiectiuè duo importat, terminare, & coeficere ipsam visionem; sed Deus non potest non esse terminus suæ visionis, nec potest illam vt causa vniuersalis. vnà cum potentia non coeficere; ergo &c.

53 Ad hanc enim nullo negotio respondere possunt aduersarij dicendo: non quamcunque coeficientiam cum potentia ex parte Dei sufficere ad productionem visionis sine specie impressa, sed requiri duplicem omnino: illam scilicet, quæ prouenit à Deo vt à causa prima, & vniuersali: & eam, quæ fit ab eodem vt à causa secunda, & particulari; quam cum libere exhibeat; casu quo nolit, habet species creata locum ne sit essentialiter superflua.

SECTIO QVARTA.

Expenduntur octo aliæ implicantiæ à Recupito allatæ.

54 P. Iulius Cæsar Recupitus *ta. 1. de Deo lib. 6. qu. 21. cap. 2. & 3.* ad probandum speciei impressæ creatæ Dei impossibilitatem, octo adduxit implicantias, quas prius quam nostram, in medium proferamus, æquum est perpendere.

Primam inuenio *nu. 13. cap. 2.* quæ sic se habet: Implicat accidens subiectiuum, seu tenens se ex parte subiecti, quod nullius subiecti sit, aut esse possit perfectiuum. ergo implicat accidens obiectiuum, seu tenens se ex parte obiecti, quod nullius obiecti sit, aut esse possit perfectiuum. sed talis esset species impressa creata Dei. ergo huiusmodi species implicat. antecedens patet, quia omne accidens est essentialiter ordinatum ad perficiendam substantiam. ideoque dicitur entis ens: consequentia probatur paritate, quia sicuti accidens subiectiuum est ordinatum ad perfectionem subiecti, ita obiectiuum ad perfectionem obiecti. ergo sicuti repugnat illud, ita & hoc. subsumptum verò suadetur, quia species creata Dei si esset perfectiua, maximè obiecti increati, cuius ponitur esse species.

55 Verum hoc esse falsum eadem paritate probatur, quia implicat accidens subiectiuum, quod sit perfectiuum subiecti in eadem ratione perfecti; nam ratio perfectiui intrinsecè respicit perfectibile; perfectibile autem intrinsecè importat carentiam in se illius perfectionis, secundum quam est ab alio perfectibile. ex quo fit, vt si materia haberet sibi identificatã quantitatem, vel dispositionem ad formam, implicaret quantitas vel dispositio distincta, quæ esset ordinata quantificare vel disponere dictam materiam; & sic de cæteris accidentibus subiectiuis. ergo implicat etiam accidens obiectiuũ essentialiter perfectiuum, & completiuum obiecti in eadem ratione ex se completi, atque perfecti. cum igitur essentia diuina sit obiectum completissimum, & perfectissimum in ratione obiecti, implicabit profecto speciem impressam esse perfectionẽ essentiæ diuinæ in ratione obiecti. Iam ergo esset, & non esset species: esset, quia talis ponitur: non esset, quia species est de se perfectio, & complementum obiecti.

56 Ad hanc implicantiam relictis solutionibus, quas auctor eodem capite adducit, & impugnat. Responderem dupliciter. Primò negando vniuersaliter antecedens, in quo totus hic discursus fundatur. puto enim falsum esse implicare accidens subiectiuum, seu tenens se ex parte subiecti, quod nullius subiecti sit, aut esse possit perfectiuum, loquendo de perfectiuo physicè, de quo auctor hic loqui videtur, quod multipliciter probo, & primò quidem, quia probabile existimatur in philosophia dari virtutem impressam accidentariam, sed eam nullius subiecti esse, aut esse posse perfectiuam constat ex eo, quia omni subiecto, cui imprimitur est innaturalis, & defacto subiectum non solum conatur resistere nè illa in se producatur, sed casu quò proijciens contra eius resistentiam præualet, aduersus eam iam productam acriter reluctatur; & non desistit donec illam à se penitus abijciat. Secundò multo probabilius est dari defacto in spiritibus dãnatis qualitatem quandam doloriferam eos deturpantem, atque inficientem, & ob id acriter illos torquentem, vt meliores Theologi recentiores docent, sed hanc etiam qualitatem nullius subiecti esse, aut esse posse perfectiuam sic ostendo. Huiusmodi qualitas nullum aliud subiectum sibi vendicat præter spiritum, sed spiritus non est perfectiua, sed imperfectiua. ergo &c. maiorem probo, quia licet Cartusianus *Dialogo de iudicio particulari art. octauo*, & Henricus *quodl. 8. quæst. 34.* existiment dictam qualitatem, dum ab igne inferni producitur, non posse esse nisi calorem, recte tamen Suarez *3. parte tom. 4. disput.*

Digitized by Google

disput. 46. sect. 2. & lib. 3. de Angelis cap. 15. ostendit eam esse qualitatem in suo ordine spiritualē productam ab igne, non quidem per potentiam actiuam naturalē, quia nil corporeum potest per se in spiritu aliquid materiale producere; sed per potentiam obedientialem, ad eum plane modum, quo Thomistæ volunt aquam baptismi producere gratiam sanctificantē in ijs, qui baptizantur. quo posito sic argumētor: Qualitas spiritualis nullum aliud subiectū exposcit, nisi spirituale; huiusmodi autem non est, neq; esse potest præter solum spiritum; cum igitur hunc inficiet, atque deturpet falsum est implicare accidens subiectiuum tenens se ex parte subiecti, quod nullius subiecti sit, aut esse possit perfectiuum. Tertiò denique idem suadetur ex habitibus vitiosis, siue intellectus vt erroris, infidelitatis &c. siue voluntatis vt superbiæ, inuidiæ &c. constat enim ex vna parte huiusmodi habitus esse accidentia subiectiua, ex alia parte afferre imperfectionē subiectis suis, ad quæ per se ordinantur. quemadmodum etiam actus ipsi ad quos inclinant. quis enim neget habitum, & actum erroris non perficere, sed inficere intellectū, sicuti etiam habitū, & actum superbiæ voluntatē dantur ergo multa accidentia subiectiua, quæ nullius subiecti sint, aut esse possint perfectiua; nil mirū igitur si dabilis quoque sit species impressa Dei, quæ licet sit accidens obiectiuum, nullius tamen obiecti sit, aut esse possit perfectiua. Ad probationē antecedentis dicerem, omne accidens esse quidem ordinatum ad *subſtantiā*, & ideo dici entis ens à *Philosophis*, nō tamen habere pro fine essentiali illam perficere, ita vt si non esset perfectiuū, eius accidētis rationem amitteret. vt patet ex dictis.

58 Responderem secundò: Bifariam intelligi posse vnum esse, aut esse posse perfectiuum alterius. primò latè, & minus rigorosè. secundò strictè, & rigorosè. Ad perfectiuum priori modo sumptum constituendum, sufficit si quoad modum intelligendi, & significandi concipiatur, & significetur vt perfectio alterius, quamuis realiter non sit illi intrinsecum, sed extrinsecum, tantum; sic cognitio dicitur perfectiua obiecti, quia illud constituit in ratione cogniti, & actus secundus siue sit actio, siue effectus cē fetur perfectiuus potentiæ actiuæ, & actus primi causæ, à quā procedit, quatenus illam denominat actu causantem. contra verò vt aliquid sit perfectiuum strictè, & rigorosè alterius non debet quomodocunq; intelligi perfectio illius, sed debet præterea esse illi realiter intrinsecū, ita vt, si sit de genere qualitatis in eo nemine cogitante recipiatur, eique inhęrendo perfectius illud reddat, in quo sensu dicimus, lumen esse perfectiuum aeris, calorem ignis, sapientiam, & virtutem hominis &c. Alioquin si, vt aliquid sit cū omni proprietate, & rigore perfectiuum alterius, sufficeret esse ei realiter extrinsecum, sequeretur quod creatura esset huiusmodi perfectiuum respectu Dei, quatenus se haberet vt actus secundus respectu suæ omnipotentiæ, & illū constitueret cognitū, Amatū &c. quod nemo dixerit. his breuiter præmissis vt ad solutionem implicantiæ deueniam, permitto antecedens, in quo dicebatur: Implicare accidēs subiectiuum, quod nullius subiecti sit perfectiuū, sed distinguo consequens. ergo implicat accidens obiectiuū, quod nullius obiecti sit perfectiuū; & si quidem de perfectione latè, & minus rigorosè sumpta fermo sit, concedo: sin autem de propria, & rigorosa, de qua in antecedēte agitur, nego consequentiam. ad probationem verò consequentiæ, nego paritatem: disparitas est, quia dato, quod omne occidens sit ordinatum ad perfectionem substantiæ, diuerso tamen modo id contingit; nam subiectiuum vt posè substantiæ intrinsecè inhærens, ad eam rigorosè, & stricte perficiendam ordinatum est, obiectiuum verò quippe obiecto extrinsecū, ad illud late, & minus rigorosè perficiendum solummodo. Porrò nullū esse inconueniens formam aliquā creatā extrinsecā perfectionem afferre posse Deo, constat paritate gloriæ, & honoris. sicuti enim censemus creaturas posse afferre Deo extrinsecam gloriā, & honorem: cur nō etiam similem perfectionem? cum constet gloriā, & honorē esse perfectiua. Per quę patet responsio ad probationē in contrariū. permisso enim antecedente, concedo cōsequentiā, videlicet implicare accidens obiectiuū, quod sit essentialiter perfectiuū, & completiuū obiecti in eadē ratione completi, aq; perfecti; & distinguo subsumptū: essentia diuina est obiectū perfectissimū, & completissimū, loquēdo de perfectione intrinseca obiecti, cōcedo: sin autē fermo sit de extrinseca, nego subsumptū. dico enim, quod secundū hanc perfectionē, sicuti non est absurdū putare quod Deus sit obiectū perfectibile, atque cōplebile: ita neque quod de se non sit perfectissimū, & cōpletissimū; quantū igitur ex hoc capite, quod species impressa Dei sit perfectio, & complementum ipsius Dei, falsum est eam contradictionem inuoluere.

Secunda implicantia affertur à *Recupito cap.* 59
3. *nu.* 21. & est huiusmodi: si species impressa Dei esset possibilis, vel esset instrumentū connaturale Dei in ordine ad visionē, vel tantū obediētiale, neutrū dici potest; ergo implicat. consequentia patet, quia omne instrumentū Dei vel connaturale est, vel obedientiale. minor verò probatur, nō primū, quia vel esset connaturale potentiæ, vel actui, vel obiecto. non potētiæ, quia hæc exigit vnirī essentiæ diuinæ immediatè, & non per speciem, ex suppositione quod sit elevata per lumē; neq; obiecto quia essentię diuinę saltē est cōnaturale non per aliud, sed per se ipsā fieri intelligibilē; neq; denique actui, quia id connaturāle est actui, quod est connaturale obiecto, & potentiæ, á quibus originē ducit. quod verò neq; dici possit secundū, suadetur, tū quia de ratione essentiali speciei impressæ est, vt sit connaturale principiū expressū, tū etiā, quia hæc species nō esset 18
magis species, quā lapis, quādo hic obediētialiter concurret concursu obiectiuo ad visionē Dei.

Verū neq; hæc implicantia videtur soluta difficilis, concessa enim eius maiore, negāda est minor quo ad secundā partē, dicendumq; speciē impressā Dei absolutè loquendo censendā esse instrumentū obediantiale, & nō cōnaturale ipsius Dei. Ad priorē probationē in contrariū, in qua assumitur, de ratione essentiali speciei impressæ esse, vt sit cōnaturale principiū expressē, distinguo assūptū: & si quidē obiectū nō est ex se aptū, obiectiuē connaturāi speciei expressæ immediatè præbere, concedo, nego verò, si secus. & aptum

Digitized by Google

sd hoc. sed pro sua libertate non vult. puto enim in tali casu, ipsum obiectum esse connaturale principium, quatenus species videtur instituta à natura in defectum obiecti, nemo autem dixerit, Deum habere defectum in ordine ad ea, quæ vel absolute non vult facere; vel non vult se solo. ad posteriorem verò probationem, in qua dicebatur, quod si hæc species esset instrumentum obedientiale, sequeretur quod non esset magis species, quam lapis, qui obedientialiter eleuetur ad præstandum obiectiuum concursum visioni beatæ, neganda est sequela. ratio negationis est, quia species creata Dei hoc ipso, quod talis est, ponitur habere ex suis intrinsecis proportionem cum visione, ita vt illam respiciat tanquam effectum sibi proportionatum, ad quem ponendum sufficientem virtutem in sua entitate contineat. contra verò quando lapis eleuatur ad concurrẽdum loco speciei, constat ex suis intrinsecis, non habere proportionem cum visione, nec sufficientem virtutem, sed incoatam tantum ad illam causandam. Iam verò ex dicta proportione, quam agnoscimus in specie, non sequi eam esse instrumentum cõnaturale Dei, hoc suaderẽ discursu. Vt aliquid censeatur connaturale instrumentum alterius, ex nullo capite debet aliquam innaturalitatem, & obedientiam respectu illius inuoluere, cum enim conceptus connaturalitatis s. habeat vt bonum, bonũ autem ex integra causa procedat: hoc ipso, quod aliqua innaturalitas subrepit, non potest instrumentum illud absolute loquendo censeri connaturale. erit igitur obedientiale, non quia non habeat ex se virtutem producendi effectum, nempè visionem in casu nostro; sed quia Deus ita vult efficaciter visionem, vt nolit ei concursum obiectiuum immediatè per se ipsum præbere, sed mediante ipsa specie creata. innaturaliter enim hoc contingit, vt patet. vnde non est mirum si ratione huius innaturalitatis *speries impressa Dei instrumentum obedientiale dicatur. innaturalitas enim se habet vt malum, quod ex quocumque naturalitatis defectu procedit. Totum hoc, quod dicimus confirmatur exemplo actus supernaturalis fidei, vel charitatis: hunc enim, licet, siue habitus, siue auxilium actuale ex suis intrinsecis producere valeat, si tamen, præsente habitu, Deus nolit illo vti, sed medio actuali auxilio pro suo libitu velit actũ producere, omnes dicent dictũ auxiliũ in tali casu, non habere rationem instrumẽti cõnaturalis, sed obedientialis; eo quod, præsente habitu, est innaturale actui non produci ab illo, sed ab auxilio.

61 Porrò tradita responsio differt ab illa, cuius meminit idem Recupitus nu. 22. quod nimirum concursus speciei creatæ est minus connaturalis quam concursus diuinæ essentiæ, quatenus hæc connaturalius obiectiuè concurrit, quam species, & hoc sufficit ad saluandam ipsam speciem esse instrumentum connaturale Dei. cum enim dicatur à nobis esse obedientiale, nil mirum si contra nos nil valeat auctoris impugnatio, quæ tota refunditur in illud principium, quod nimirum: quotiescumq; aliquid est iuxta modũ agẽdi connaturalem: contradictorium illius debet dici innaturale; iam enim modum agendi speciei innaturalem, absolutè loquendo, censent dum esse, concedimus.

Tertiam implicantiam affert auctor nu. 24. & est huiusmodi: Implicat instrumentum connaturale ad creandum; ergo implicat species creata Dei, quæ sit instrumentum connaturale ad visionem. antecedens supponitur. consequentia verò probatur; ideo implicat instrumentũ ad creationẽ, quia de ratione instrumenti connaturalis est disponere subiectũ ad esse formę, ad quã est instrumentum, cum igitur implicet subiectum ad creationem disponi, quia in creatione nullum intercedit subiectum: implicabit consequenter instrumentum ad creationem. Hanc autem rationem militare in specie suadetur, quia huiusmodi species, de qua loquimur, iuxta naturã reliquarum specierum, ponitur esse instrumentum connaturale Dei ad visionem. ergo deberet connaturaliter subiectum disponere. sed nullum subiectum posset disponere; non diuinam essentiam, quia hæc est irreceptiua accidentium. neq; intellectum creatum, quia hic disponitur sufficienter per lumen; ergo sicuti implicat vnum instrumentum connaturale Dei, ita & alterum. 62

Hęc quoq; implicantia est eneruis; si enim vim haberet, probaret etiam implicare reliquas species intentionales. cum enim, vt ipse assumit: species sit instrumentum connaturale obiecti, vtique species visiua parietis erit connaturale parietis instrumentum. tum sic; de ratione instrumenti connaturalis est, disponere subiectum ad esse formæ, ad quã est instrumentum; ergo huiusmodi species, si esset possibilis, deberet connaturaliter aliquod subiectũ disponere, non parietem, quia ipse per actionẽ transeuntẽ illam producit; neque oculum, quia hic disponitur sufficienter per suas dispositiones naturales, vt multi dicunt, vel ad summum per lumen, vt alij malunt. ergo si repugnat instrumentum connaturale creationis, debet etiã omnis species impressa creata implicare; quæ consequentia, cum sequatur ex principio in maiori assumpto, clare deducitur illud esse vniuersaliter negandũ. sufficit igitur ad saluandã rationẽ instrumenti connaturalis, si vt alteri ex suis intrinsecis subordinarum, & vt quid alterius, & vt virtus illius, operetur. Atque hæc potest esse prior solutio implicantiæ adductę. posterior verò erit, si ad consequentiã primi enthymematis dicamus, nos nõ sustinere possibilẽ esse speciẽ creatã Dei, quæ sit instrumentũ connaturale ad visionẽ, vti supra notauimus. trãseat igitur, si in tantũ implicat species connaturalis Dei, quia deberet ex vno capite disponere ad visionem, ex altero verò, nullum esset assignabile subiectũ, quod ab ea disponibile esset. Hinc tamen non recte deducitur implicare speciem impressam creatam Dei, de qua loquimur. 63

Quarta implicantia assignatur nu. 25. quæ sic procedit: Implicat accidens, quod fit contra inclinationem omnis subiecti. sed talis esset hæc species; ergo non solum qua instrumentum, sed etiam, qua accidens est, implicat. maior suadetur, quia repugnat accidens omni prorsus subiecto violentum. cum enim, qua accidens est, intrinsecè ordinetur ad perficiendum subiectum, repugnat quod fit contra cuiuscunq; subiecti inclinationẽ, alias nulli esset bonum. minor verò probatur, quia si huiusmodi species esset 64

Digitized by Google

set alicui subiecto naturalis, maxime intellectui creato. sed intellectui eleuato connaturale est videre Deū per essentiā, & nō per speciē; ergo &c.

65 Solutio huius implicantiæ patet ex dictis supra; vbi probauimus, exemplo qualitatis spiritualis doloriferæ, qua torquentur spiritus, non implicare accidens, quòd sit contra inclinationem omnis prorsus subiecti, neq; esse de ratione accidentis vt sic esse perfectiuum alicuius subiecti physicè: sed satis esse si metaphysicè, seu ex modo concipiendi sit huiusmodi, quatenus eius beneficio subiectum ex potentia transire intelligatur ad actum, & per consequēs ab eo actuari: verū vt aliquid noui in hac solutione addere videamur; dici probabiliter posse putamus, quod licet verū esset, omne accidens essentialiter habere nō esse contra omnis prorsus subiecti inclinationem, sed esse alicuius perfectiuum; adhuc tamen species creata Dei non implicaret. eo quod falsum esset, eam fore contra inclinationem intellectus per lumen eleuati. ad probationem autē in contrarium, in qua assumitur, quod intellectui eleuato connaturale sit videre Deum per essentiam, tamquam per comprincipium obiectiuum, & non per speciem. Responderem, distinguendo assumptum: & si quidem sermo sit de connaturalitate extrinseca ipsi intellectui eleuato, concederem: sin autem de intrinseca, negarem, antecedens, & consequentiam. ac dicerem, quod quoties duo comprincipia effectiua ad eundem effectum connaturaliter producendū concurrere debent, dupliciter concursus vnius comprincipij dici potest alteri connaturalis, primò connaturalitate intrinseca. secundo extrinseca. Intrinseca consistit in eo, vt alterum ex suis intrinsecis, hoc determinatum comprincipiū exigat, & non aliud, & quantumuis detur aliud, quod æque bene cum eo concurrat ad effectū, nihilominus tamen respuatur ab illo, propter intrinsecam determinationem, quam habet ad suum peculiare comprincipium. extrinseca verò habetur per hoc, quod licet alterum æque bene hoc, vel illud comprincipium ex suis intrinsecis admittere valeat, quia tamen vnum ex illis connaturaliter exigit potius cum eo concurrere, quam alterum: ideo concursus vnius dicitur illi connaturalis, alterius verò innaturalis, videlicet extrinsecè; connaturalitate, vel innaturalitate se tenente ex parte alterius comprincipij.

67 quod autem intellectui eleuato per lumen posteriori modo, & non priori connaturalis sit concursus immediatus diuinæ essentiæ, constat ex eo, quia ex suppositione siue possibili siue impossibili, quod specie creata informetur, nemo dixerit, quod vltra eleuationem luminis gloriæ requireret aliam eleuationem ad concurrendum vna cum dicta specie ad visionem: requireret autem illam, si ex suis intrinsecis sibi vendicaret determinatè concursum obiectiuum immediatum diuinæ essentiæ. Idem suadetur ex eo, quia si per impossibile Deus non esset completus in ratione obiecti intelligibilis, & reliqua remanerent sicuti defacto sunt intellectui eleuato lumine gloriæ diceretur connaturale videre Deum per speciem creatam potius, quam per ligaum, V.G. à Dei omnipotentia ad præbendum obiectiuum concursum diuinitus eleuatum. ergo connaturalitas, vel innaturalitas in hoc prouenit illi ab extrinseco, & non ex suis intrinsecis: in hunc fere modum possent non improbabiliter discurrere aduersarij.

66 Quinta implicantia, quam proponit auctor. nu. 26. est huiusmodi: Implicat essentia realis, cui nunquam, & secundum nullam differentiam temporis existentia esse possit connaturalis; sed talis esset species impressa creata Dei; ergo &c. maior suadetur: implicat materia, quæ non posset existere nisi spoliata omni forma; sicuti etiam implicat accidens, quod nunquā possit existere, nisi extra omne subiectum, sic enim esset vtrisque innaturale ipsum existere, & per naturalem appetitum tenderent per se ad suum malum est, vt malum est. sed hoc, non nisi quia omnis essentia realis ex suis principijs intrinsecis exigit, vt secundum aliquam saltem temporis differentiam existentia possit esse illi connaturalis. ergo &c. minor verò suadetur, quia ille status est innaturalis speciei, qui est contra naturam subiecti, & obiecti, ad quod species ex suis principijs intrinsecis ordinatur; si quidem implicat, aliquid esse cōtra naturā finis, & esse iuxta naturā medij ad talē finē essētialiter ordinati, sed existentia talis speciei esset contra naturā, & exigētiam subiecti, & obiecti; ergo talis species naturaliter peteret sēper esse in statu sibi innaturali.

Sed neque hæc implicantia conuincit, vt constat ex qualitate dolorifera existēte in Dæmonibus, quæ, licet sit contra eorum naturam, ipsa tamen connaturaliter existit in illis tanquam in subiecto sibi proportionato. sed quid quid sit de hoc. concessa maiore argumenti, negari rectè potest ab aduersarijs minor, & ad eius probationem dici, quod licet verum sit statum illum esse innaturalem speciei, qui est contra naturam proprij subiecti, & obiecti: falsum tamen est, existentiam talis speciei esse contra naturam vtriusque. probatur: non subiecti secundum sua intrinseca considerati. siquidem species impressa creata Dei complet intrinsecè potentiam intellectiuam in ratione potentis elicere visionem, & sic est intrinsecè perfectiua illius, licet minus, quā esset diuina essentia vnde potius cēsenda est iuxta naturā intellectus eleuati secundū sua intrinseca considerati quā contra. vtrū autē sit cōtra natuam obiecti potest esse dubiū. puto tamen absolutè negandum, quia, quod est contra naturam alterius, est illi violentum. violentum autem definitur ab Aristotele: Id quod est à principio extrinseco nullam vim conferente passo, imo eo repugnante. quare id solum est contra naturam alicuius, quod respectu illius sic habet vt forma, cuiusmodi est frigus respectu ignis, calor respectu aquæ &c. atqui essentia diuina non est passum, in quo species impressa recipiatur, sed respectu illius se habet vt agens, quod quatenus tale est non potest violentiam pati, vt communiter dicitur. ergo &c. quod si supra innuimus innaturale esse essētię diuinę nō concurrere per se, sed cū creata specie ad visionem: innaturale sumpsimus large, vt idem sit, ac non iuxta regulas vniuersales naturæ; quæ, quoties habet causam expeditam, & habilē ad con-

concurrendum cum altera, vt fugiat superfluitatem, non adhibet aliam loco illius, ex hac autem innaturalitate licet rectè deducatur existentiam numquam in primo instanti posse esse speciei creatæ connaturalem; at non in reliquis instantibus consequentibus, quia pro consequentibus, sicuti videtur Deus se spoliasse iure suo immediatè obiectiuè concurrendi, & illud dedisse speciei: ita & species acquisisse ius perseuerandi in eodem esse, quod acquisiuit. simile quid apparet in mundo, qui licet in primo instanti à Deo liberaliter creatus sit: in reliquis tamen consequentibus existentia est illi connaturalis, & debita, ita vt, si modo destrueretur à Deo, contra eius inclinationem esse cēseretur.

68 Sexta implicantia; quæ habetur *num.* 27. sic procedit: implicat contradictionem materia spiritualis in Angelo, vt supponimus, ergo & species impressa creata Dei. consequentia probatur, quia ideo materia spiritualis esset in Angelo implicatoria, quia esset essentialiter superuacanea; quatenus supponeret Angelum in ordine ad omnes operationes suas iam completum, sed etiam species creata Dei supponit obiectum completum in ratione speciei: ergo &c. Confirmatur, quia sicuti dicitur dari duplex genus speciei: Vnum speciei complentis obiectum incompletum, Alterum quo obiectum, licet sit completum, libere tamen vtitur. ita dicet aliquis; dari duplex genus materiæ: vnum materiæ complentis formam de se incompletam; Alterum materiæ, quæ ex libitu Dei supponi possit formæ substantiali de se completæ.

69 Hæc quoque implicantia solui facile potest, si concesso antecedente, negetur consequentia. & ad eius probationem dicatur: dupliciter posse concipi Angelum materia spirituali constare primò ita vt altera pars formalis illius sit actus completus. secundò ita vt sit actus incompletus; & si quidem ponitur esse actus completus, ideo implicat angelum constare materia, quia ad hoc vt ex materia & forma resultet vnum per se, indispensabiliter requiritur, vt vtraque sit ens in completum; cum igitur Angelus supponatur esse vnum per se implicabit componi ex actu completo, & ex materia spirituali: At verò in casu nostro ex Deo, & specie non debet fieri vnum ens per se, vt constat, & ideo non repugnat, quod quamuis Deus sit completissimus in genere obiecti, adhuc dabilis sit species, quæ eius vicem suppleat influendo in visionem: sin autem dicatur, actus vna cum materia spirituali Angelum componens esse imcompletus; præterquam, quod non fauet aduersario, quam doquidem non currit paritas cum Deo, qui in genere obiecti intelligibilis est completissimus: concessa causali, nimirum non dari in Angelo materiam spiritualem, quæ simul cum forma spirituali incompleta constituat Angelum vnum ens per se, quia esset essentialiter superflua: addo tamen etiam si species creata Dei supponeret obiectum completum in ratione speciei, non futuram huiusmodi: disparitas est, quia materia spiritualis ponitur esse de genere constitutiui: species verò de genere operatiui. constitutiua autem, posito quod habeant omnia requisita ad constituendum, non pendent ab extrinseca Dei voluntate, vt de facto constituant, & sic est essentialiter superfluum aliquid, quod eorum vicem suppleat: contra verò operatiua etiam si habeāt omnia requisita ad operandum, adhuc tamen possunt ex Dei beneplacito impediri ne de facto operentur. Vnde non est essentialiter superfluum id, quod in tali casu eorum vices supplere valeat. cum igitur essentia Diuina, vt potens concurrere ad visionem, habeat rationem operatiui, sicuti etiam species impressa creata: nullam in hac erit superfluitas si illius vicem supplere posse supponatur. Perquæ patet responsio ad confirmationem: non potest enim Deus facere, vt forma, quæ est essentialiter completa, euadat incompleta item essentialiter; potest verò vt essentia, quæ est de se completa ad concurrendū in genere obiecti, non concurrat; sed loco illius concurrat eius species. in hoc enim non videtur esse maior repugnantia, quam in eo, quod Citharedus, qui possit quidem per se ipsum suis digitis immediatè pulsare citharam: id tamen nolit, sed velit illa sonare adhibendo pecten, seu plectrum. sicuti monebat quendam Martialis *lib.* 14. Feruida ne trito fibi pollice puſtula ſurgat, Exornent docilem garrula plectra lyrā. En quo modo id, quod tanta facilitate concedimus hominibus, Recipitis putat inuoluere repugnantiam respectu Dei.

Dices disparitatem esse, quia Citharedus 70
innaturaliter se gerit loco digitorum adhibendo plectrum: at Deus per nos innaturaliter concurrit ad visionem per speciem creatam, & non per se ipsum. Contra tamen est, quia licet vera sit hæc disparitas: ea tamen fundatur in hoc, quod Citharedus in pulsatione citharæ suis digitis, siue plectro, semper se habet vt agens liberum: at verò essentia diuina in concursu obiectiuo præstando debet imitari naturam agentium necessariorum, quæ se ipsis concurrunt ad effectum aliquem producendum, quando possunt, & non ad libitum se subtrahunt, adhibendo instrumenta distincta. Præterea essentia diuina iam supponitur ad productionem speciei creatæ vnita cum intellectu per lumē eleuato in ratione principij. innaturaliter ergo non concurrit, sed loco sui substituit speciem. hanc autem vnionem non habemus inter citharedum, & Citharam.

Septima implicantia adducitur *num.* 28. sic: Si 71
daretur hæc species: deberet concurrere loco obiecti, hoc implicat, ergo &c. maior patet. minor suadetur, quia Deus non potest se obiectiue concursu spoliare; ergo repugnat species, quæ loco ipsius Dei concurrat. antecedens, in quo est difficultas, probatur à pari, Deus vt causa prima non potest se spoliare concursu immediato in genere causæ merè effectiuæ, vt constat; ergo neque vt species prima poterit se spoliare concursu immediato, qui scilicet est à Deo vt à causa obiectiua. Consequentia patet, quia non minus Deus est species prima, quam sit causa prima, & vtraque est perfectio essentialis ipsi. Confirmatur quia implicaret dari causam secundam, quæ haberet essentialiter posse loco Dei, vt primæ causæ, concurrere ad productionem

Digitized by Google

pem alicuius effectus; ergo implicat dari speciē secundam, quæ loco Dei vt obiecti concurrat ad productionem visionis.

72 *Ad hanc* quoque implicantiam responderi potest ab aduersarijs: cōcessa maiore, negando minorem; ad eius probationem negarent antecedens cum paritate, quæ ad eam probandam assumitur, Disparitas lata est, quia diuersimodè Deus est causa prima, quam sit species prima, est enim causa prima quatenus non solum debet habere omnes causas secundas à se dependentes in genere purè efficientis, sed etiam debet influere vna cum *illis influxu* vniuersali in eodem genere. quare *hoc ipso*, quod communicare posset alicui creaturæ munus hoc modo concurrendi ad productionem alicuius effectus; posset se spoliare perfectione causæ primæ, quod repugnat. At non dicitur species prima, per hoc, quod debeat habere omnes species secundas à se dependentes in genere efficientis obiectiui, quia sic deberet necessariò omnibus speciebus secundum propriam entitatem acceptis suum concursum obiectiuum præstare semper, & necessariò; quod implicare patet ex eo, quia sic quandiu haberetur entitas alicuius speciei secundæ, deberet haberi actualis repræsentatio Dei per modum obiecti, eo quod actualis dependentia vnius ab alio in genere obiecti, importat necessariò, quod vnum, aliud vitaliter repræsentet. Neque dici potest Deus *species prima respectu aliarum* specierum per hoc, quod *simul, quoties illæ influunt* concursu *speciali proprio in* genere obiecti, debeat quoque *Deus concursu generali in eodem* genere obiecti concurrere. alioquin quoties cognosceremus per species secundas aliquod obiectum creatum, deberemus posse cognoscere ipsum Deum, & quidem intuitiuè, eo quod cum specie illa in genere obiecti ad productionem nostræ cognitionis concurreret, ex obiecto enim, & potentia *procedit notitia*. Ex quo deducitur non posse aliter Deum dici speciem primam respectu secundarum, formaliter loquendo, quam, quia est omnium nobilissima. In quo sensu dixit philosophus: *in vnoquoque genere dari primū*; atque hinc fieri, vt omnes aliæ eam tanquam prototypum suum aliqua ratione imitentur, atque adumbrent. vnde apparet, implicare quidem, quod Deus se spoliet concursu causæ primæ, quia hoc ipso haberet aliquam Creaturā, quæ in esse, & operari ab eo minimè immediatè penderet. at non implicare, quod se spoliet concursu obiectiuo, quia admissa specie creata, quæ loco illius concurret; adhuc ipse remaneret secundum suam essentiam demptis imperfectionibus species omnium nobilissima; à qua non solum aliæ, sed ea quoque, quæ vicem illius suppleret, tanquam ab exemplari per imitationem, & similitudinem dependerent; & per hæc patet ad confirmationem adductam.

73 Instabis contra hanc doctrinam afferendo implicantiam, quam Quiros adducit *tom. 1. de Deo disp. 25.* & propugnat *in* suo cursu *disp. 9. nu 30.* ea verò sic procedit: non potest Deus se spoliare immediato concursu obiectiuo in visione; ergo &c. antecedens euincitur: *si posset*; beatitudo nostra staret sine Deo, vt bono obiecto; sed hoc implicat; ergo &c. minor patet, quia implicat intellectum creatum perfectè beari, nisi à reali præsentia Dei, alioquin beatetur alio bono, quam infinito, maior verò probatur: visio per se non pendet ab obiecto præsente, sufficit enim haberi eius speciem in potentia, vt producatur. ergo si species impressa Dei esset possibilis, etiā si per impossibile Deus non esset præsens, neq; existeret; possemus esse beati.

Respondeo primò: ex illa hypotesi impossibili, 74
sine absurdo sequeretur, quod essemus, & non essemus beati, licet de reliquo hoc absurdissimū sit. Respondeo secundò Deum non beatificare nos in genere efficientis formaliter, sed *in* genere obiecti ergo si in genere obiecti eodem modo se haberet ad visionem siue existeret, siue non: non posset visio Dei, quæ de facto est, beatificare beatos. sed hoc est absurdum. ergo implicantia assignata, vt pote nimis probans, nulla est.

Respondeo denique tertiò, negando primum 75
antecedens, & ad probationem, eius maiorem. ad cuius suasionem nego visionem Dei per se nō pendere ab obiecto præsēte, quid quid sit de alijs visionibus. Ratio disparitatis est; quia aliæ non sunt perfectè satiatiuæ potentiæ visiuę sicuti est visio intuitiua Dei. quare sic in illa hypotesi impossibili argumentor: vel representaret Deum præsentem, vel non præsentem. si primum esset falsa, atque à Deo beatificare nequiret, quia esset mala intellectui, sin autem dicatur secundum, saltem non perfectè nos beatificaret, quia non nisi intentionaliter summo bono coniungeret, & non realiter. dicendum igitur, quod quemadmodum actus fidei est essentialiter cum veritate sui obiecti connexus: ita multo magis visio Dei vt talis, cum reali præsentia eiusdem.

Num. denique 30. habetur octaua, & vltima im- 76
plicātia, quæ est huiusmodi: si dabilis esset species accidentalis Dei, esset quoq; dabilis substantialis. sed hæc implicat, ergo &c. maior probatur, si substantialis nō esset dabilis disparitas esset, quia ratio speciei non compatitur secum rationem substantialem. sed hoc esse falsum patet in Deo, in quo ratio speciei cum ratione substantiæ identificatur, sicuti etiam in Angelo, cuius substantia proprio intellectui vnitur vt species. minor verò suadetur, quia talis species impressa Dei esset ordinis supernaturalis vt patet; sed substantia creata supernaturalis repugnat. ergo &c

Non maiori difficultate, quam præcedentes 77
hanc etiam implicantiam solui posse existimo; & quidem dupliciter. primò negando maiorem, ad cuius probationem dicerem speciem impressam esse essentialiter entis ens, atque adeo excludere à se rationem substantiæ. ad rationem verò in contrarium respondeorem Deum non esse speciem impressam sui, quia in visione beata non concurrit vt Vicar. a diuinæ essentiæ, vti alias diximus.

Secundò verò distinguerem sequelam maioris: dabilis esset quoque species Dei substantialis, considerata præcisè ratione speciei impressæ creatæ Dei, transeat, spectata identitate, quā haberet cum esse substantiali: subdistinguerem; & quidem si supponatur implicare substantia supernaturalis, negarem: contra verò si suppo-

natur

Digitized by Google

natur non implicare, concederem. sic distinguerem eodem modo minorem: implicat species creata Dei substantialis quatenus creata est vt sic, negarem: quatenus substantialis species Dei est, subdistinguerem: posito quod non est dabilis substantia supernaturalis, concederem; ex suppositione quod hæc non implicet, negarem minorem: & consequentiam.

78 Sed contra hanc responsionem instare potest auctor. quia posita speciei impressæ possibilitate, volens probare substantiam supernaturalem esse dabilem, vti rectè posset possibilitate speciei creatæ Dei substantialis, tanquam medio ad id probandum; si qua enim assignabilis esset ratio in contrarium ea potissimum peteretur ex implicantijs, quæ contra substantiam supernaturalem afferri solent; sed hæ militant tantum contra substantiam, quæ vitaliter attingeret Deum, vt in se est, non autem contra illam, quæ non sibi, sed alteri tantum esset species; ergo &c.

79 Hæc tamen instantia, vt mihi videtur, se ipsam interimit. nam si omnes implicantiæ, quæ contra substantiam supernaturalem adducuntur, conuincunt tantum non esse dabilem substantiam, quæ connaturaliter sit visiua Dei: non est cur negetur diuinitus possibilem esse speciem impressam Dei substantialem, qua intellectus aliquis creatus elevatus per lumen gloriæ Deum intueatur, male igitur ex implicantia prætensa speciei substantialis deducere conatur auctor implicantiam accidentalis. quando quidem ipse ingenue fatetur nullam esse assignabilem implicantiam, quæ à ratione speciei impressæ Dei substantialitatem excludat. Atq; hæc ad hominem contra Recupitum. cæterum negandum est omnes implicantias, quæ afferi solent contra substantiam supernaturalem conuincere tantum non esse dabilem substantiam, quæ per sua naturalia Deum videre possit. illa enim, quæ sumitur à ratione supernaturalitatis vt sic, militat contra omnes, vt patet ex hoc discursu: supernaturale dicitur, quod est supra naturam. Porrò huiusmodi natura, supra quã dicitur, non potest sumi pro quidditate rei, quia sic nihil esset supernaturale, neque pro principio motus sensibilis immanentis, quia sic Angelus esset ens supernaturale, quia est supra huiusmodi naturam. ergo debet sumi pro principio motus cuiuscumque immanentis, siue sensibilis sit, siue insensibilis. cum igitur implicet dari substantiam creatam, quæ non sit principium alicuius motus in se ipsa recepti: implicabit consequenter substantia creata supernaturalis, siue se habeat vt videns Deum intuitiue, siue vt species Dei, siue alio quouis modo.

SECTIO QVINTA.

Affertur nostra implicantia speciei creatæ impressæ Dei.

80 OSTensa imbecillitate implicantiarum huc vsque adductarum ab alijs; æquum est, vt nostram in medium proferamus: nostram, inquam, non quasi verò sit proprio cerebro excogitata, sed quia, cum sit à sapientissimis viris adhibita; ad eam nos adiungimus, illamque propugnamus, ea autem sic procedit.

Per speciem inferioris ordinis implicat intuitiuè videri rem ordinis superioris, sed quælibet 81
species creata est inferioris ordinis ipso Deo. ergo implicat per aliquã speciem creatã intuitiue videri Deum; & per consequés implicat species impressa Dei creata, cuius essentia consistere debet in eo, quod faciat intuitiue videre Deum. Hoc argumento vtitur D.T. *opusculo 2. par. 2. cap. 9.* & est fundamẽtum omnium aliorum, quæ *prima par.* & alibi proponit, vti infra videbimus.

Ad occludendum autem aditum aduersarijs multiplicandi frustra distinctiones, noto inferioritatem ordinis in specie comparatã ad obiectum, posse esse duplicem: in essendo, & in repræsentando. à nobis autem in argumento sumitur primo modo, aliter maior esset nugatoria. in hoc igitur sensu accepta inferioritate ordinis speciei, minor est euidẽs, quia esse cuiuscũq; rei creatæ, vel creabilis est potentiale, atq; adeo inferioris ordinis ipso Deo, cuius esse, cum sit essentialiter actus purus, nullã dicit potẽtialitatẽ. & consequentia euidenter sequitur ex præmissis. maior verò, quæ sola indiget probatione; probatur sic: species impressa essentialiter exigit esse saltem in eodẽ ordine in repræsentãdo, ac est in essendo. ergo per speciem, inferioris ordinis in essendo, implicat repræsentari atque adeo videri rem ordinis superioris. consequentia patet. antecedens verò probatur inductione. Defacto enim videmus, quod licet dentur multæ species, quæ in essendo sint in sublimiori gradu, quam in repræsentando; cuiusmodi sunt species, quas habent Angeli de rebus corporeis: nulla tamen datur, quæ sit in inferiori, per speciem enim impressam materialem nulla res spiritualis repræsentari potest, nec per speciem spiritualem dicentem tamen ordinem in essendo ad phantasmata, seu ad materiam repræsentari potest res aliqua spiritualis, nisi sub velamine materialitatis, & cum ordine seu ad modum rei corporeæ: nec denique per speciem omnino spiritualem, sed potentialem in essendo, cuiusmodi est angelica repræsẽtari potest Deus, nisi ad modum rei potentialis, sicuti ipsa est. licet autem inductio merè à posteriori ex naturalibus non sit sufficiens ad rerum essentias constituendas. defacto enim inductione constat nullam cognitionem naturaliter habere modum abstractiorem in repræsentando, ac in essendo: & tamen supernaturaliter concedimus dari beatam visionem, quæ in essendo quidem potentialis est, attingit verò Deum vt actum purum, & sic in repræsentando est in sublimiori gradu, quam in essendo: attamen si, cum inductione, ratio á priori admisceatur, attendendo in rebus inductis rationem formalem, & deueniendo ad principium radicale, vnde illa conuenientia oritur: Hic modus optimus est, & efficax ad probandum aliquod prædicatum esse aliquibus essentiale. ratio autem à priori est, quia munus speciei impressæ formalissimè consistit in reddendo obiectum vltimo, & complete intelligibile, secundum modum suæ intelligibilitatis, atque

Digitized by Google

atque adeo habet essentialiter illud complere in ratione intelligibilis; sed non potest hoc praestare nisi in essendo habeat saltem eundem gradum immaterialitatis cum obiecto; quia ex vna parte, maior, vel minor intelligibilitas sequitur maiorem, vel minorem immaterialitatem. ex alia verò, complementum debet necessariò continere in se gradum, illum secundum quem est complementum. implicat igitur quod sit complementum intelligibilitatis obiecti superioris ordinis in representando, dum est in essendo inferioris ordinis ipso obiecto, atque adeo essentialiter illi competit, quod saltem sit quo ad entitatem in eodem ordine cum ipso obiecto, quod erat probandum. haec autem ratio nō militat contra vltionem Dei, vt de se patet; ergo &c.

83 Respondent communiter ad argumentum distinguendo maiorem; & siquidem sermo est de specie naturali, concedunt per illam, quae est in inferiori ordine, nō posse repraesentari obiectum ordinis superioris. sin autem de supernaturali, negant maiorem, & concessa minore, distingunt consequens: implicat per speciem naturalem videri Deum intuitiue, concedunt; per speciem supernaturalem, qualem contendunt esse illam possibilem, quam admittunt, negant consequentiam.

84 Sed contra hanc distinctionem facit: quia si vera esset, sequeretur quod si species materialis supernaturalis esset possibilis: possemus per eam intuitiue videre rem spiritualem, quod ab omnibus fere Theologis, exceptis paucis inferioris notae existimatur impossibile; quemadmodum etiam, quod dari possit species dicens ordinem ad phantasmata quantumuis supernaturalis, per quam videatur Angelus, aut Deus intuitiue, quia haec essentialiter habet sub velamine materialitatis repraesentare obiectum suum; ergo non solum per speciem naturalem, sed etiam per supernaturalem inferioris ordinis obiectum superioris ordinis videri nequit; & ratio à priori est, quia quoties defectus aliquis oritur praecise ex essentia alicuius rei, si supernaturalitas non mutat essentiam, non tollit defectum illum; sed improportio, quam habet species inferioris ordinis naturaliter possibilis ad rem superioris ordinis repraesentandam, oritur praecise ex eo, quod sit inferioris ordinis, & non ex eo, quod naturalis sit. ergo quantumuis ponatur supernaturalis, ad huc remanebit improportionata ad rē superioris ordinis repraesentandam.

85 Ad hoc argumentum negant minorem: putant enim dictam improportionem, quam habent species naturales inferioris ordinis ad representandam rem superioris ordinis, oriri ex eo, quod naturales sint, & secundum legem ordinariam possibiles. ex quo inferunt huiusmodi improportionem in speciebus supernaturalibus, quantumuis inferioris ordinis, non reperiri. Hoc autem vt probent tria ponunt. Primum est, omnem speciem esse debitam alicui potentiae, quam connaturaliter compleat; naturalem quidem, naturali; supernaturalem verò, eleuatae; Ratio est quia species est complementum potentiae in ordine ad determinatum modum operandi ipsius potentiae, vnde fit vt aliae species de eodem obiecto debeantur oculo, aliae phantasiae, aliae denique intellectui. Secundò ponunt: speciem quantum ad abstractionem habere illum ipsum modū, tum essendi, tum operandi, quem habet potentia, cui connaturaliter debetur; quod probant inductione; nec non etiam à priori; eo quod species debetur potentiae, vt complementum ipsius in ordine ad proprium modum operandi. Ponunt tertiò: potentiam naturalem, non posse habere modum operandi abstractiorem suo modo essendi, vt patet ex dictis; posse verò potentiam supernaturalem. defacto enim intellectus eleuatus lumine gloriae respicit Deum sub modo operandi abstractissimo, videlicet vt actum purum. quibus positis, aiunt, quod in tantum species naturales inferioris ordinis non possunt representare obiectum ordinis superioris, quia debentur potentiae naturali, quae non potest habere modum abstractiorem operandi, suo modo essendi. at verò species supernaturalis cum sit debita potentiae supernaturali, quae habet abstractiorem modum operandi suo modo essendi: hinc fit vt, licet sit inferioris ordinis suo obiecto, possit tamen illud representare.

Sed contra hanc responsionem Primò facit, 86
quod species impressa primò, & per se debetur obiecto, quod vel non potest, vel saltem non vult concurrere per se ipsum cum potentia, & debetur illi tanquam complementū ipsius in ordine ad producendam cognitionem, & ad perficiendum illud in ratione intelligibilis; ergo falsum est quod primò, & per se debeatur potentiae, quodque ad illam complendam sit instituta. consequentia patet, antecedens probatur, quia quando potentia est completa in eo genere actiuitatis, quod est proprium ipsius, & determinata quo ad specificationem ad hoc numero obiectum attingendum, potius quam aliud: exigit vnionem cum ipso obiecto ad producendam cognitionem; & quia obiectum saepe, ab hoc munere vniendi se cum potentia deficit, exigit à natura speciem sibi proportionatam ad hoc, vt ea media, tanquam sua virtute, & actiuitate vniat se cum intellectu intelligibiliter, in ordine ad cognitionem eliciendam. Perquae patet responsio ad rationem in contrarium: Aio enim speciem primò, & per se esse complementū obiecti, quia concurrit ad actum eo genere actiuitatis, quod est proprium obiecti, at verò secundario, & per accidens potest dici complementum potentiae in quantum actiuitas, quam supponit in illa se tenentem ex parte ipsius potentiae, expectat compleri per ipsam speciem, tanquam per virtutem obiecti ad producendam cognitionem de eodem obiecto. Quemadmodum igitur semen virile primò, & per se debetur viro, & est illius complementum, secundario verò, & per accidens mulieri, quatenus illā complet in ordine ad constituendum principium adaequatum generationis prolis, quod quidem principiū non est sola mulier, sed etiam vir: ita, & in casu nostro.

Ex hoc autem sequitur quod species in essendo 87
potius conformari debet obiecto, quam potentiae: in tantum enim naturalis videtur potentiae conformari, quia haec quantum ad abstractionem conformatur obiecto, & defacto species, quas habuit

Digitized by Google

buit Christus dum viueret de Angelis, non dependebant quo ad esse à phantasmatibus, atque adeo habebant eundem gradum abstractionis in essendo, ac in repræsentando cum ipsis Angelis, etiam si intellectus Christi Domini in ordine ad illos esset in inferiori gradu abstractionis.

88 Contra secundò, quia si species impressa creata Dei deberetur intellectui eleuato per lumen, sequeretur quod dicto intellectui innaturaliter vniretur immediatè diuina essentia ad modum speciei. Sed hoc est contra id, quod supra cum comuni docuimus. ergo &c. sequela probatur, quia per aduersarios in tantum species impressa Dei creata cõnaturaliter debetur intellectui eleuato per lumen: inquantum est illi proportionata in eo, quod est inferioris ordinis in essendo, quam in repræsentando, sicuti intellectus eleuatus habet modum operandi eleuationem suo modo essendi. Sed Deus non proportionaretur in hoc cum intellectu; quia est in modo essendi perfectissimo. ergo &c.

89 Contra denique tertiò (& ex præcedenti impugnatione sequitur) quia si, inquantum species impressa Dei, licet sit inferioris ordinis in essendo, quam Deus, potest tamen illum repræsentare, in quantum est debita intellectui eleuato, qui habet abstractiorem modum operandi suo modo essendi: sequeretur quod in visione Dei deberet defacto connaturaliter dari species creata, non minus, quam detur lumen gloriæ, quia sic inter speciem, & intellectum beati maior daretur correspondentia atque proportio, quatenus vtrumque extremum haberet abstractiorem modum operandi suo modo essendi, quam proportionem constat inter essentiam diuinam, & intellectum eleuatum minimè reperiri; Sed consequens negatur ab aduersarijs, cũ quibus modo; ergo &c.

SECTIO SEXTA.

Afferuntur, & soluuntur obiecta in contrarium.

90 OBijcies primo commune argumentum quod tangitur ab *Arriaga in primam partem disp. 8. sect. 2. sub num. 8.* datur in beatis species expressa Dei. ergo, & dari potest impressa. consequentia patet, quia omnes implicantiæ, quæ militant cõtra impressam, militant, etiam contra expressam; imo multo magis, quia expressa est formalis similitudo obiecti: Impressa verò virtualis. si igitur potest expressa habere inferiorem gradum in essendo, quam in repræsentando respectu Dei; multo magis poterit eandem habere impressa.

91 Respondeo, concesso antecedente, negando cõsequentiam; & ad eius probationem dico, quod prima disparitas petenda est ab aduersarijs, qui defacto admittunt in Beatis expressam, & negant impressam. nam quod illi assignant pro disparitate, impressam non solum non dari, sed etiam implicare conuincit. secunda verò est, quia impressa se tenet ex parte obiecti tanquam vltimũ complementum illius in ratione intelligibilis, atque adeo debet modum suæ intelligibilitatis, & per consequens gradum suæ abstractionis in esse participare: at verò expressa tenet se ex parte potentiæ, tanquam vltimum complementum illius, quia vltimum, & optimum rei est propria operatio. Vnde Aristotiles *lib. secundo de Cælo text. 17.* ait, Vnumquodque esse propter propriam operationem, & ideo, in gradu abstractionis ab ipsa met potentia, quam vltimo perficit, mensurari debet; quemadmodum lumen, & alij habitus. quia hæc omnia ex parte potentiæ se tenent, si non illius, in qua sunt, saltem illius, in qua per se petunt esse.

Instabis primo potentialitas expressæ non tollit in ea propriam, & intuitiuam Dei repræsentationem. ergo neque potentialitas impressæ ab ipsa eandem Dei repræsentationem auferet. 92

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas est, quia species expressa, sicuti duo exigit principia essentialiter; potentiam cognoscitiuam; & speciem impressam: ita duas specificas rationes item essentialiter includit: vnam essendi, vt scilicet spiritualis sit, vel materialis; sensitiua, vel intellectiua, & alteram repræsentandi, vt scilicet sit intuitiua, & propria; vel abstractiua, & aliena; & priorem quidem rationem adæquate obtinet à potentia, quam in ea ipsa ratione complere debet. vnde non est mirum, si in dicta ratione gradum immaterialitatis eius sequatur. At verò posteriorem obtinet à specie, & quidem adæquate. repugnat enim, quod species impressa intuitiua sit, & propria, & quod expressa sit abstractiua, & aliena; & quia ad uisionem Dei concurrunt defacto intellectus potentialis, & diuina essentia per modum speciei: hinc est, vt potentialitas, & intuitiua Dei repræsentatio in dicta visione non repugnent, quia non debent ab vno eodéque principio in ea causari. At verò species impressa intuitiua Dei vrãque rationem specificam tum essendi tum repræsentandi participat, dependenter à solo obiecto, tanquam à mensura non excedente. nam debet concurrere ad uisionem secundum modum cognoscibilitatis propriæ Dei, aliter visio non erit intuitiua, sed abstractiua. cum autem connaturaliter concurrat sic, necesse est vt dictum modum cognoscibilitatis in se præcontineat: non potest autem illum præcontinere, nisi habeat talem abstractionem à materia, seu talem modum essendi, quo ad abstractionem, qualem modus ille cognoscendi proprius Dei exigit, tanquam radicale, & peculiare sui principium, à quo essentialiter profluit. cum igitur hæc abstractio excludat omnem materiam, & potentialitatem: sequitur manifestè quod species impressa Dei tum in modo essendi, tũ in modo repræsentãdi Deum ipsum, tanquam mensuram non excedentẽ essentialiter respicere debeat.

Instabis secundò: species impressa in ordine ad expressam non est, nisi instrumentum obiecti; ergo non requirit maiorem abstractionem quo ad rationem specificam essendi, quam habeat expressa. Respondeo distinguendo antecedens: est instrumentum quomodocumque, nego. est instrumentum completiuum, & perfectiuum obiecti in ratione intelligibilis, concedo antecedens; & nego consequentiam. explico: instrumentum vt sic, non est propriè completiuum causæ principa- 93

lis,

Digitized by Google

lis, sed e contra potius causa complet, & perficit instrumentum, vt patet ex artifice, qui mouendo malleum, complet illum in ratione instrumenti; & ex calore, qui ab animali, in quo existit, habet vim producendi sanguinem, & carnem. dixi (non est propriè completiuum) quia aliquo modo potest dici tale, quatenus scilicet est vltimum, quod requiritur ad exequutionem effectus. at verò species complet obiectum in ratione intelligibilis, quare siue ea obiectum, indigeat, siue non, sed sit potens sine illa sui cognitionem per se ipsum generare: debet esse in eadem abstractione cum obiecto. negatio enim talis indigentiæ, speciei essentiam non mutat: ad eum plane modum, quo si daretur color, qui per se ipsum esset quidem completè visibilis, sed nihilominus posset etiam ad libitum compleri per lumen: tunc lumen secundum vim intrinsecam completiuã coloris in ratione visibilis eodem prorsus modo se haberet, ac nunc.

94 Instabis tertiò: plus est repræsentare Deum formaliter, & *in* actu secundo, quam virtualiter, & in actu primo; sed primum stat in specie expressa cum potentialitate coniunctum; ergo poterit cum impressa stare secundum. Respondetur primò distinguendo maiorem: plus est simpliciter, & per se loquendo repræsentare Deum formaliter, & in actu secundo, quam virtualiter, & in actu primo, nego. plus est, secundum quid, & per accidens, concedo maiorem; & concessa minore, nego consequentiam. explico distinctionem: *Actus primus alicuius rei est duplex*: alter *methaphysicus*, qui importat possibilitatem rei: alter *physicus*, qui importat causam rei, maximè efficientem; quamuis autem actus primus metaphysicus semper sit minor seu imperfectior actu secundo: falsum tamen est loquendo de actu primo physico. causa enim æquiuoca est nobilior suo effectu; & de facto intellectus, & voluntas sunt simpliciter perfectiores actibus suis: at verò secundum quid, & in ordine ad vtilitatem subiecti perfectior est actus secundus, quam primus physicus. Iam verò species impressa se habet vt actus primus per modum causæ æquiuocæ respectu expressæ; vnde non est mirum si simpliciter, & per se loquendo maiorem perfectionem importet, quam illa. Respondeo secundò: concessa maiore, & minore, nego consequentiam. committitur enim fallacia accidentis ad hunc plane modum: Plus est esse discursiuum, quam esse Cælum; sed esse discursiuum stat cum corruptibilitate. ergo & esse Cæli multo magis cum eadem corruptibilitate stare potest. sic in casu nostro, etiam si sit minus, præcisè loquendo, repræsentare Deum per modum actus primi, & virtualiter, quam formaliter, & per modum actus secundi: quia tamen aliunde habetur vnde ista minoritas auferatur, & acquiratur maioritas perfectionis supra actum secundum: hinc fit vt absolutè loquendo plus sit repræsentare Deũ per modũ actus primi, quã per modum actus secundi. porrò radix huius maioritatis est æqualitas in gradu abstractionis cum obiecto, quam non debet habere actus secundus.

95 Atque ex his remanet solutum fundamentum, quod adducitur ab Ouiedo *de anima controu* 13. *puncto* 6. *numero* 4. ad speciei impressæ Dei possibilitatem astruendam; sic: Non requiritur maior proportio inter impressam, & Deum, quam inter expressam, & ipsum Deum. ergo si non repugnat hæc, neque illa. antecedens probat, quia expressa Deum immediatè *in* se attingit vt obiectum; impressa verò mediante expressa. ergo saltem æqualis habetur in vtrisque proportio ad Deũ. Respondetur enim, quod quamuis ex hoc capite non requirat maiorem proportionem ad Deum impressa, quam expressa; ex alio tamen illam expoſcit, vti notauimus.

96 Obijcies secundò: materialitas vel immaterialitas speciei quo ad esse non sumitur à materialitate, vel immaterialitate, quam habet obiectũ, quo ad esse, sed ab ea, quam habet potentia; quemadmodum modus repræsentandi eiusdem speciei sumitur à modo operandi magis, vel minus abstracto eiusdem potentiæ; sed intellectus eleuatus lumine gloriæ, licet in modo operandi attingat Deum vt actum purum: habet tamen esse potentiale; ergo dabilis est species impressa creata, quæ licet repræsentet Deum vt actum purum, habeat tamen esse potentiale. omnia patent, præter maiorem, quæ probatur Primò, quia de eodem obiecto per ordinem ad diuersas potentias dantur species diuersæ quo ad immaterialitatem. de eadem enim albedine per ordinem ad oculum datur species omnino materialis, per ordinem verò ad intellectum nostrum immaterialis quidem, sed dicens ordinem ad materiam, per ordinem denique ad Angelum datur species, quæ licet sit potentialis, sicuti Angelus, nullum tamen dicit ordinem ad materiam. ergo &c. Secundò probatur auctoritate D. T. qui *qu.* 3. *de verit. art. primo ad secundum* esse spirituale, inquit, & immateriale conuenit speciei, secundũ quod habet esse in cognoscente, & *art. secundo ad quintum*. Forma, inquit, quæ est in intellectu, scilicet species, habet respectum duplicem, vnum ad rem cuius est, alterum ad id, in quo est. ex primo autem respectu non dicitur aliqualis, hoc est materialis, vel immaterialis, sed alicuius tantum. non enim materialium forma materialis est, nec sensibilium sensibilis, sed secundum alium respectum aliqualis dicitur, quia sequitur modũ eius, in quo est. Hæc S. D. ergo immaterialitas speciei non sumitur per ordinem ad obiectũ, cuius est, sed ad potentiam, in qua debet esse.

97 Respondeo, negando maiorem: dico enim debere sumi à materialitate vel immaterialitate obiecti. ratio verò negationis est, quia species est complementum obiecti in ratione intelligibilis. sicuti igitur debet participare ad minus eundem gradũ intelligibilitatis cũ illo ita, & immaterialitatis, quã cõsequitur arithmeticè intelligibilitas. Ad primã maioris probationẽ cõcesso antecedente, nego consequentiã. in tantũ enim de eodem obiecto, per ordinẽ ad diuersas potentias dantur species diuersæ quo ad immaterialitatẽ: in quãtũ obiectum ipsũ habet diuersas rationes formales, magis, & minus immateriales, secundum quas est aptũ specificare diuersas potentias, & earũ actus terminare. quare retorqueri potest argumẽtũ sic: materialitas, vel immaterialitas potẽtiarũ sumi-

Digitized by Google

cur à materialitate, vel immaterialitate rationũ formalium, quæ in vno eodemque obiecto ab ipsis potentijs respiciuntur; ergo multo magis materialitas vel immaterialitas specierum, quæ se tenet ex parte dictarum rationum formalium obiectiuarum, easque complet in ratione intelligibilis; & certè non potest assignari ratio, cur potentia visiua debeat necessariò esse materialis, nisi recurramus ad eius obiectum formale inuoluens materialitatem, & sic de cæteris.

98 Instabis: ratio formalis albedinis attingibilis ab Angelo, est in albedine materializata, & tamen species, quam habet Angelus de albedine quo ad esse, non est immersa in materia; ergo falsũ est quod immaterialitas speciei quo ad esse, ab obiecti immaterialitate desumitur. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: falsum est quod omnis immaterialitas, quam potest habere quomodocumque species quo ad esse, ab obiecti immaterialitate desumitur, concedo: falsum est quod aliqua immaterialitas ab obiecti immaterialitate desumitur, nego consequentiam. dico enim quod quando materialitas, vel immaterialitas obiecti dicitur mensura materialitatis vel immaterialitatis speciei: intelligendum est de mensura exclusiua gradus inferioris, non autem superioris; quod enim contendimus est, quod species non potest esse in essendo in inferiori gradu, quam in representando, non quod non possit esse in superiori. Quoniam verò à potẽtia superiori debet posse attingi obiectum inferius: hinc est vt hoc exigant etiam species abstractiores ac spiritualiores in ordine addictas potentias, & per hæc patet responsio ad secundam maioris probationem ex auctoritate D.T. obiectum enim licet sit taxatiuum sui gradus in specie, ita vt inferiorem excludat, adhuc relinquit illam capacem superioris, cuius est taxatiua ipsa potentia, vnde non est mirum si absoluta immaterialitas, vel materialitas per ordinem ad potentiam desumatur in specie. ex quo patet, quod proportio, quæ requiri debet inter speciem, & obiectum in essendo in ratione immaterialitatis, assimilẽtur proportioni, quæ est necessariò inter causam, & effectum. sicuti enim causa potest quidem excedere in perfectione effectum, non tamen ab eo excedi: ita species potest excedere in immaterialitate obiectũ, non tamen in ea ab illo superari.

99 Obijcies tertiò: species creatæ sunt accidentia, & tamen representant substantias, sed accidens est in inferiori ordine, quam substantia: ergo &c. Respondeo, negando minorem; aio enim speciẽ quidditatiuam substantiæ, licet sit accidens, non esse in inferiori gradu abstractionis ipsa substãtia; & ratio huius est, quia rationes accidentis, & substantiæ sunt extraneæ in ordine ad esse intelligibile, & intentionale. defacto enim eodem modo Angelus se ipsum intelligit per suam substantiam, ac intelligitur ab alio per speciem, quæ est accidens. Gradus enim intelligibilitatis desumuntur ab abstractione à materia; & quia accidens potest eodem modo distare à materia, ac substantia: hinc fit vt possit esse in abstractione illi æquale, quamuis enim intelligibilitas oriatur ab entitate rei, in qua est, oritur tamen ex ea non secundum quamlibet rationem acceptam, sed in ratione distantis à materia.

Instabis: omne accidens de se est receptibile. substantia autem irreceptibilis est. ergo semper accidens est in inferiori gradu abstractionis, quã substantia. Consequentia patet, tum quia receptibilitas importat materialitatem, tum etiam, quia magis distat à Deo, qui est irreceptibilis. Respondeo; concesso antecedente, negando consequentiam ad priorem eius probationem dico, quod receptibilitas accidentis materialitatem, quam importat connotatiuè, & in obliquo, substantia creata dicit intrinsecè, & in recto, atque adeo potentialitas, quam ex receptibilitate habet accidens, abunde compensatur à potentialitate, quam ex receptiuitate habet substantia creata. Ad posteriorem verò aio, quod sicut accidens distat à Deo per hoc, quod sit receptibile, ita, & substantia creata per hoc quod sit receptiua. quare cum æqualiter vtrumque à materia physica distare possit: potest etiam in eodẽ gradu abstractionis reperiri. 100

Instabis: illud est magis abstractum, quod magis ad actum purum accedit; sed substantia magis accedit ad actum purum, quam accidens; ergo, &c. Respondeo accessum ad actum purum posse esse multiplicem, videlicet ratione incorruptibilitatis, sapientiæ, subtilitatis &c. At non omnis constituit abstractiorem gradum, sed ille solus, qui fit per exclusionem materiæ, & potentialitatis, quare quamuis substantia, vt ens per se subsistens, magis accedat ad Deum, quam accidens: potest tamen accidẽs aliquod magis ad Deũ accedere per maiorem distantiã à materia, & per consequens esse magis abstractũ, quã substantia, vt patet ex nostris habitibus, & actibus spiritualibus comparatis cum rebus corporeis. 101

Obijcies quartò: species representatiua Angeli superioris, quæ in Angelo inferiori reperitur, est in inferiori gradu abstractionis suo obiecto, & tamen intuitiuè illum representat; ergo &c. antecedens probatur, quia Angelus superior est Angelo inferiori actualior, & magis à potentialitate recedens; ergo est etiam actualior omnibus accidentibus, quæ in Angelo inferiori reperiuntur, inter quæ numeratur species superioris. 102

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem distinguo antecedens: est actualior intra eundem gradum abstractionis à materia physica, & inclusionis materiæ methaphysicæ, concedo, est actualior in diuerso gradu, nego antecedens, & consequentiam in sensu intento. ad hoc enim vt species, quæ est in inferiori Angelo, sit quidditatiua superioris, satis est, si eodẽ modo recedat à materia physica ac superior, licet magis dẽ potentialitate seu materialitate methaphysica participet; cur autem separatio à materia physica vnum gradum abstractionis in specie arcana constituat, ratio est, quia quantumcumque incapacitatem materiæ physicæ eodem modo omnes Angeli se habent, & licet quo ad potentialitatem methaphysicam differant inter se, quatenus vnus est perfectior, atque adeo actualior alio: illa differentia est secundum magis, & minus in eodem gradu, eo quod Angelus inferior si intelligatur in perfectione angelica crescere: pertinget, imo excedet superiorem. 103

Insta-

Digitized by Google

104 Instabis: Abstractio, quam habet anima rationalis supra animas sensitivas, differt secundum magis, & minus, & tamen fundat gradum abstractionis supra illas, ergo etiam si abstractio Angeli superioris supra inferiorem differat secundum magis, & minus, debet distinctum gradum abstractionis fundare: consequentia patet: antecedens probatur; quia verò anima rationalis in suo modo naturali cognoscendi non abstrahit omnino à materia physica, licet minus illam includat, quam sensitiva. Respondeo, distinguendo antecedens: differre secundum magis & minus intra eundem modum specificum cognoscendi, nego. extra limites eiusdem modi specifici, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia differentia secundum magis, & minus in Angelis est intra limites eiusdem modi specifici; quod prior sit extra probatur, quia si esset in infinitum excrescere in sua perfectione, tamquam posset ad abstractionem modi operandi intellectus humani pertingere, ita vt attingere valeret naturas abstractas à singularibus, & res spirituales ad modum corporis. quod verò posterior sit intra, patet ex eo, quia si Angelus inferior in perfectione sua excresceret, pertingeret, & excederet Angelis superioris perfectionem.

105 Ex hinc sit vt communiter triplex gradus abstractionis à materia constituatur. primus excludit à se dependentiam à materia physica, sed non coniunctionem cum illa. secundus, qui est nobilior, præter dependentiam excludit etiam coniunctionem cum eadem materia; at verò tertius, qui est perfectissimus omnium constituitur per excludionem à se non solum dependentiæ, & coniunctionis cum materia physica, sed etiam per excludionem materiæ metaphysicæ; nempe adeo omnis prorsus potentialitatis. vnde est, vt per ordinem ad materiam metaphysicam vna ratio detur abstractionis. Iam verò ex his tribus abstractionibus, primam habet anima dum est in corpore. secundam sibi vendicant Angeli, & anima ipsa extra corpus. tertia verò propria est solius Dei, qui est actus purissimus, nullam prorsus in se potentialitatem includens.

SECTIO SEPTIMA.

Quid de anima Dei Verbum.

106 VNICA conclusio. certum est in sententia D. Thomæ Speciem Impressam Dei esse impossibilem. Probatur primò ex his, quæ habentur *art. secundo quæst.* vbi licet secundario, & consequenter neget speciem obiectiuam, siue creatam ipsius Dei: primariò tamen, & per se negat impressam. primum patet ex argumento sed contra, vbi adducit verba illa Apostoli videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, visio autem ænigmatica est, qua Deus in aliqua creatura prius visa tanquam in medio in quo, cognoscitur. Accedit ratio impossibilitatis huius speciei, quia nulla datur creatura, in qua Dei essentia, vel formaliter, vel eminenter, contineatur. Confirmatur *ex art. 4. ad primum* vbi ait: se ostendisse supra non posse essentiam Dei intuitiuè cognosci per similitudinem creatam eo modo, quo Angelus naturaliter cognoscit Deum per similitudinem aliquam Dei in ipso refulgentem; & *art. 11. ait*: manifestum esse, quod Deus non potest intuitiuè cognosci per naturas rerum materialium; quia nimirum hoc supponit *art. 2.* probatum cuius rationes impossibilitatem huius similitudinis manifestè connectunt.

107 Quod verò negetiam speciem impressam, probatur *ex corp. art.* vbi præsupponens ad visionem duo requiri: potentiam visiuam, & visionem rei visæ cum visa quam vnionem in visione corporea, ait: eo quod res visa non potest esse in vidente per suam essentiam: fieri per similitudinem suam, sicuti similitudo lapidis est in oculo: subdit in visione Dei non posse dari huiusmodi similitudinem, atque adeo, ex parte rei visæ, quam necesse est aliquo modo vnici videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentiam videri posse; quia omnis, vt potè creata, est inferioris ordinis Deo. ergo &c.

108 Probatur secundò conclusio *ex 4. distinct. 49. qu. 2. art. 1 ad 15.* vbi distinguit triplex medium ad rem aliquam cognoscendam; primum est medium sub quo, quale est lumen, secundum medium quo, qualis est species impressa, tertium medium in quo, qualis est similitudo obiectiua: & sic concludit in visione igitur patriæ non erit tertium medium, vt scilicet Deus per species aliorum cognoscatur, sicuti nunc cognoscitur, ratione cuius nunc dicimur videre in speculo. nec erit ibi secundum medium, quia ipsa essentia Diuina erit, qua intellectus noster videbit Deum, vt ex dictis patet. sed erit ibi tantum primum medium, quo eleuabit intellectum nostrum ad hoc, vt possit coniungi essentiæ Diuinæ modo prædicto. in suis autem omnibus dictis, in quibus dicit quod patet non dari, non aliâ assignat rationem, nisi quod implicet.

109 Probatur tertiò ex *quodlibeta de verit. art. primo* vbi quærens: an Deus per similitudinem aliqua videatur, eo modo, quo lapis videtur ab oculo? Respondet hoc esse impossibile, quia, inquit cognitio, quæ esset per talem similitudinem, non esset ipsius Dei per essentiam, sed multo imperfectior, quam si cognosceretur substantia per similitudinem accidentis.

110 Denique idem probatur ex *prima secunda cap. 3 compendij Theologiæ*: vbi post quam dixit: Impossibile esse, per similitudinem obiectiuam Deum videri posse: agens postea de specie impressa, hæc habet: Est considerandum, quod cum intellectus per aliquam speciem seu formam intelligat, nihil quod nouit, sicuti etiam visus exterior per formam lapidis videt lapidem: non est possibile quod intellectus Deum per suam essentiam videat per aliquam creatam speciem, seu formâ, quasi diuinam essentiam repræsentantem: ex quibus colliges malè Comptonum de *anim. disput. 18. sect. 5.* ex verbis quibus D. T. Controuersiam concludit *prima parte qu. 12. art. 2.* deduxit, eum agere tantum de specie obiectiua, seu in qua. Verba enim sunt hæc: Vnde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere, diuinam essen-

Digitized by Google

tiam non videri, quamuis enim hoc dictum vniuersaliter de reliquis obiectis falsitatem habeat manifestam loquendo de specie impressa: at loquendo de Deo verissimum esse constat ex implicantia à nobis allata.

111 Respondent aliqui primò: D. T. in his locis nunquam vti nomine speciei impressæ, quo tamen vtitur alibi, nimirum 3. *par. qu.* 9. *art.* 3. *in corp.* ergo signum est; quod non loquatur de ea. sed contra est, quia licet non vtatur illis verbis, vtitur tamen æquiualentibus, apellando eam similitudinem impressam, receptam in intellectu, productam ab obiecto, & se tenentem ex parte obiecti, vnientem illud cum potentia, quæ omnia non nisi speciei impressæ competere possunt, suatque illius descriptiones completissimæ.

112 Respondent alij secundò: eum loqui quidem de specie impressa, sed eam non negare in ordine ad potentiam Dei, sed solum de facto. Contra tamen est, quia rationes, quas adducit, conuincunt eam omnino implicare; quia scilicet, si daretur, esset suum esse, & in eodem gradu abstractionis cum Deo, & incircumscripta in repræsentando, sicuti Deus. vnde in 2. *scripto in* 4. *dist. qu. vnica art.* 1. quælibet species, inquit, creata insufficientissimè repræsentat essentiam Diuinam, & minus, quam vmbra corpus: quare sicuti videns vmbram non præsentialiter videt eum, cuius est vmbra: ita per quamcumque speciem intellectus Deum præsentialiter videre non potest. quæ omnia absolutam implicantiam manifestant.

113 Respondent alij tertiò: D. T. loqui quidem de specie impressa, & docere eam implicare simpliciter, non tamen agere de illa pro vt est medium quo, sed pro vt potest esse medium in quo. sed contra est, tum, quia huiusmodi species esset medium quo; sed ipse negat medium quo, & similitudinem vnientem obiectum cum potentia; ergo &c. tum etiam: quia ex locis citatis eodem modo negatur ista species in visione Dei: quo modo conceditur in visione creaturarum; sed nulla res creata est visibilis intuitiuè per suã speciem impressam sumptam vt medium in quo, & vt similitudinem obiectiuam; ergo non negatur species impressa Dei pro vt est similitudo illius obiectiua, & medium in quo. maior patet. minor probatur, quia nulla species rei creatæ continet formaliter, vel eminenter essentiam rei, cuius est species; ergo non potest illam repræsentare tanquam species obiectiua illius: bene tamen tanquam species formalis, & impressa, quod cum negatur à S. T. Deo, sequitur, quod negetur illi species impressa.

114 Respondent alij quartò: eum loqui de specie impressa ordinata primò, & per se ad repræsentandam similitudinem obiectiuam; seu creaturam aliquam, & huiusmodi speciem docere, non posse Deum repræsentare. sed hanc responsionem esse ridiculam patet primò, quia vel negat huiusmodi speciem impressam posse immediatè repræsentare Deum, sicuti repræsentat suum obiectum primarium, vel negat posse mediatè: neutrum dici potest; ergo non agit de hac specie. minor probatur; non primum, quia hoc non esset proprium Dei; nulla enim res creata est visibilis immediatè per alienam speciem: neque secundum, quia nihil diceret distinctum ab eo, quod Deus videri nequeat per similitudinem aliquam tanquam per medium in quo, sed ipse hæc duo distinguit *in* 4. *& in comp. theolog. citatis*. Præterea talem similitudinem negat *p. p. in art.* 2. *corp.* qualem concedit reperiri in oculo in uisione lapidis, & qualem dicit esse vnionem rei visæ cum vidente; sed eiusmodi est species impressa propria, & non aliena. denique apparet falsitas interpretationis aduersariorum ex eo, quod ipsi negantes Deum de facto videri per speciem impressam creatam, citant D. T. præsertim *in* 4. *dist.* 49. *citat.* sed ibi negat speciem ordinatam primò, & *per se* ad repræsentandum Deum ipsum, & non creaturam. aliter dicerem hanc negare de facto D. T. & non illam, quæ esset propria Dei. ergo &c.

115 Quæres hic, quam vim rationes, quas assignat D. T. *p. p. qu.* 12. *art.* 2. ad negandam speciem impressam, habeant? Respondeo, maximam; sed omnẽ fũdari in nostra implicantia assignata, quod esset & nõ esset creata. esset vt supponitur, non esset quia deberet habere eundem gradum abstractionis cum Deo; nam ex hac implicantia sequitur primò, quod esset species rei, hoc est obiecti inferioris ordinis, ex eo quod haberet esse potentiale; sequeretur secundò, quod deberet esse ipsum esse per se subsistens, quia deberet habere eandem cum Deo actualitatem, quæ consistit in purissimo esse nullam dicente potentialitatem. sequeretur denique tertiò, quod esset infinita in vi repræsentatiua, atque adeo comprehensiua Dei, quia esset propria cognoscibilitas ipsius Dei, dicens eandem abstractionem, & perfectionem in essendo, quam dicit Deus. ad eum plane modum quo 3. *contrag. cap.* 49. *ratione* 4. arguit sic: omnis intelligibilis species (loquendo de impressa) per quam intelligitur quidditas, & essentia alicuius rei, comprehendit in repræsentando rem illam. sed impossibile est, quod aliqua similitudo creata totaliter Deum repræsentet (*idest comprehensiuè*), non igitur est possibile, quod per aliquam similitudinem creatam diuina substantia intelligatur.

DIS-

DISPVTATIO DECIMA OCTAVA

DE POTENTIIS ANIMAE SENSITIVAE In Particulari.

1 POST cognitum specierum intentionalium mare, æquum est tandem per ad litus accedere, & in potentijs animæ sensitivæ in particulari, quæ non nullum difficultatis præ se ferunt explicandis, animum aliquantulum relaxare. eas recte dividi in externas, & internas supra innuimus, externas verò esse quinque Visum, Auditum, Olfactum, Gustum, & Tactum nulli dubium esse potest. primo igitur si placet de externis, deinde verò de internis disputemus, supponendo contra nonnullos Recentiores, eos percipere transitivè objecta, hoc est per actus vitales sibi proprios, ut experientia ipsa constat: non verò intransitivè, per hoc scilicet, quod recipiant ab illis passiones quasdam, quarum beneficio potentiæ internæ illa vitaliter posita percipiant, quia hoc est contra
11 communem omnium sensum, cui non debemus sine urgenti necessitate renunciare.

SECTIO PRIMA.

De visu, & Visibili.

2 VIsivam potentiam, quæ reluceat in oculis præstantissimam esse inter cæteras externas constat ex eo, quod tam cara est hominibus, ut illam cæteris præferendam existiment: de ea autem quærimus in præsentia quatuor, primò, quidnam sit: secundò quidnam sit objectum, quod sibi vendicet: tertiò in qua oculi parte resideat: quartò denique quo pacto suos actus visorios producat. quo ad primum autem sit.

3 Primo conclusio. Potentia visiva est potentia vitalis sensitiva externa percipiens solùm lumen, & colorem. Ponitur in definitione particula illa, externa, ad differentiam internarum. Additur verò particula, solum, ut excludantur ab objecto visus cætera sensibilia propria, in solum enim colorem, & lumen potentia hæc tanquam in objectum proprium, & adæquatum tendit.

4 Probatur autem conclusio, quia ex una parte lumen, & color sentiuntur ab animali, & quidem per nullam aliam potentiam externam, quæ per visuam: ex alia verò parte non potest affigurari in quod alicui objectum potentiæ hanc feratur tanquam in sensibile proprium. ergo &c. dixi tanquam in sensibile proprium, quia dantur
21 sensibilia communia, quæ quinque numerantur ab Aristotele secundo de anima cap. 6. nempe motus, quies, numerus, figura, magnitudo. hæc enim ab alijs etiam externis sensibus percipiuntur, media specie intentionali, qua afficiantur ab eis objecta propria, vel ab illis modificatæ ex Aub. de anim. cap. 6. quæst. 6. hi pro se citat D. Th. & alios.

5 Secunda conclusio. lumen recte definitur ab Aristotele actus perspicui, non perspicuum est: videlicet quæ diximus alibi, ubi hanc definitionem explicuimus.

6 Tertia conclusio. Color qui est aliorum objectum proprium visus recte definitur ab Aristotile text. 67. ejus mentem suscipiendo in hoc, hujus definitionis sensus est: Colorem esse id, quod habet vim imprimendi species suas in corpus diaphanum illuminatum, ex quo patet definitionem hanc non explicare colorem secundum naturam suam, sed solum per ordinem ad visuam potentiam. Quod si illum secundum se definire velis, dic, quod sit qualitas secunda non activa, orta ex temperamento quatuor primarum qualitatum, quæ simul cum lumine visu percipitur.

7 Probatur: quia intensionem ac remissionem susscipit, tum etiam, quia non posset assignari quid operetur. recte igitur dicitur esse qualitas non activa: quod autem secunda sit, & ex temperamento primarum qualitatum oriatur, experientia patet. ad frigiditatem enim consequitur ut plurimum albedo, ad calorem verò nigredo, & sic de cæteris. præterea ipse color sine lumine videri non potest; Contra verò potest lumen sine colore. recte igitur diximus, eum simul cum lumine visu à nobis percipi, & hinc fit ut lumen vocetur communiter objectum formale visus: Color autem materiale, quod non est intelligendum proprie, quasi verò lumen ipsum prius visum ducat nos in visionem coloris. verumque enim ex æquo visu percipitur. sed quia sicut objectum formale cognoscitur sine dependentia à materiali, non autem materiale sine dependentia à formalitate lumen videri potest sine colore, at color sine lumine videri nequit, dùmodo non existimemus cum aliquibus lumen sæpe aliquid coloris in se habere.

8 Quantum verò attinet ad partem oculi, in qua potentia visiva residet: sciendum est, oculum figuram habere rotundam aliquantulum oblongam, ut ad capacitatem, & agilitatem sit expeditior; & gemini sunt quidem oculi, ut altero deficiente, alter possit ad illuminandum animal deservire, in loco eminentissimo capitis collocati sunt, ut non secus ac vigiles, nocturna quæque denotent, ne quæ ab extra seco irruentibus in imis minime sint obnoxii offensis. unde quaque palpebris, & supercilijs quasi propijs sepimentis obvallati sunt, eorum verò corpus tribus constat

stat humoribus, quinq; tunicis, nervis duobus & septē musculis ex humoribus intimior, qui centrū oculi obtinet, appellatur Chrystallinus, seu glacialis, quia similitudinem refert Chrystalli, seu glaciei, & lentis seu lupini figuram imitatur. medius ab aliquibus dicitur albugineus, quia aliquantulum albescit, vt oui album, ab aliis verò vitreus, quia vitri tunsi speciem habet. tertius denique aqueus, quia aquæ elementari conformatur. ex tunicis prima quæ locum centro oculi viciniorem habet, & chrystallinum humorem complectitur, dicitur specularis, eo quod niteat quasi speculum. secunda, quæ complectitur albuginem, appellatur vuealis, quia propter multitudinem venarum, & arteriarum, quas continet, recte figuram refert. cetera vuea, eo quod vuæ folliculo conformatur. hæc sola non ambit totum oculum, sed totum habet in medio, ex quo pupilla cernitur, exuatio autem, & diuersa huius tunicæ colore docet Aristoteles primo de histor. animal. capite 10. oculos apparere vel glaucos, vel flauos, vel cæruleos, vel nigros, vel alio colore imbutos.

8 Quarta dicitur cornea, quæ cum diaphana, sit, splendida, & dura, huiusmodi cornu laminam imitatur, & humorem continet aqueum. quinta denique adnata seu adhærens nuncupatur, quia cæteras inferiores tunicas in se coarctat, atque adeo eius beneficio tota oculi structura constitit. Duo nerui, qui optici seu visorij vocantur, è cerebro descendunt ad oculos, hi sic veluti oculorum axes è cerebro demissi, & alter quidem à dextra, alter verò à sinistra eius parte prouenditur, qui aliquantulum progressi se inuicem contingunt, aut fecant, postea verò ab inuicem recedunt; & alter dextrum, alter verò sinistrum oculum contingit. per hos autem nervos spiritus animales à cerebro descendunt in oculos, & vicissim species ab oculis ascendunt in cerebrum, musculi denique instrumenta animali, vt globum oculi in varias partes conuertant, quorum primus extollit eum sursum, secundus deorsum deprimit, tertius ad dexteram, quartus ad sinistram partem illum conuertit, quintus, & sextus illum volunt in gyrum, & septimus eum in sua cauea firmat & retinet. His præmissis sit,

9 Quarta conclusio potentia visiua in humore chrystallino potissimum residet, qui humor communiter pupilla oculi appellatur. est Rubij hic *quæst.* 8. Arriaga *disput.* 3. *num.* 42. Ouiedi *tomo* 1. *pun.* 1. *nu.* 4. & aliorum communiter, quibus fauet Aristoteles, qui *secundo de anima* 90 & 10 dicit visum esse in oculo contra illos, qui volunt in concursu neruorum opticorum residere. in qua verò oculi parte potissimum dicta potentia Philosophis constituenda, colligitur ex *primo de historia anim. cap.* 9. vbi dicit quod humor oculi interior, quo videmus, pupilla est, & est expressa sententia Galeni.

10 Probatur autem qui à humor chrystallinus videtur esse præcipua pars oculi, ad quam tota oculi structura ordinata est à natura, præterea humor ille diaphanus est carens colore, atque adeo ad recipiendas species coloris aptissimus ergo &c. Neque dicas nullum humorem esse animatum, & sic chrystallinum carere anima, & per consequens facultate visiua, quæ animam consequitur, seu potius cum illa identificatur. sic id dicas inquam, quia animalis humores sunt in duplici differentia, quidam non continuati cū partibus solidioribus nec in se consistentes, sed fluidi ac veluti in vase quodam constituti, atque hi quidem inanimes sunt: alij verò cum solidioribus partibus coniunguntur, & in se cosistunt, nec per venas tanquam per canales quoscā fusque deque feruntur, atque hi animati sunt, ex quorum numero est chrystallinus humor. per quæ patet falsam esse sententiā Mauri *lib.* 4. *qu.* 43. & Nyuierdi *disp.* 1. *nu.* 30. volenti cum nonnullis recentioribus visionē nō fieri in humore chrystallino, sed in tunica retina propter maiorē aptitudinē, quā hæc prælio ad hunc finē habere videtur, iam enim oppositum à nobis probatum est. quod si hæc tunica spiritibus plena apparet, est vt illos humori chrystallino ad visionē faciendam subministret. quantum ad vlteriorem fin

Quinta conclusio visio fit per receptionem specierum ab obiectis in oculos immissarū. est contra Platonem existimantem fieri per extra missionem, hoc est emissis radijs ab oculis in obiecta. qui quidem radij ex obiectorum contractu alterati recurrerent ad oculos, & sic illos ad visionem determinarent. 11

Patet ex dictis, & vlterius confirmatur, quia non videtur credibile oculū posse tot tantosque radios producere qui usq; ad finem mundi perueniant, & inde ad ipsum oculum sanguinis reflectant; sol enim cum sit valde actiuus, quamuis lumen vsque ad terras producat, non potest tamen sua virtute facere, vt eius actio vsque ad se postea reflectat. 12

SECTIO SECUNDA.

De auditu, & auditibili.

AVditus est disciplinarum pastus, & certæ vitæ ciuilis fundamentum, ideoque secundum inter sensus exteriores locum obtinet. de quo quærimus primò quid sit, & in qua parte potentiæ sensitiuæ sit. secundò verò quid sit sonus, qui est obiectum illius, & in quo subiecto recipiatur. tertiò quomodo auditionis actus exerceatur quousque ad primum sit. 13

Primus conclusio auditus est potentia externa sensitiua solum percipiens sonum. vt autem nos eamus in qua corporis parte habeat residere. 14

Sciendum est organum auditus esse aures, quæ in extrema parte temporum animalium constituuntur, illas autem natura non fecit animum duras, nè facile frangerentur, nec omnino molles, nè inepte essent ad recipiendum sonum, sed tartarinas, & concauas vt obiectas voces reciperent, flexuosum itaque habent meatum, ad cuius finem impetu delatus, sensum læderet, neue exterorum animalium facilem inuenirent aditum, quod si aliqua bestiola hoc non obstante illas nihilominus irrepere, in liquido humore, qui foramen ipsum oblinitur, tanquam in viscō inhærescet. Intra quæ foramen hoc, quod Caecum dicitur, ea pellicula quædam seu membrana, quam tympanum appellant, eo quod in eius forma similitudinē ex

cam-

Digitized by Google

campanarum pulsu relinquitur. Porrò membrana hæc tribus osſiculis ſuſtinetur, quorum primum refert figuram incudis duobus pedibus innixæ, ſecundum eſt inſtar mallei. tertium inſtar ſtapedis ſeu litteræ græcæ Δ cui alligatur incus. intra membranam incluſa cõtinetur ſubſtantia quædam tenuiſſima, quæ quia aeri perſimilis eſt, aer innatus appellatur: multum tamen ab aere elementari differens. denique ad dictum locum neruus quidam proueniens ex cerebro terminatur, per quem ſpecies ſoni auditi ad cerebrum deferuntur, indeque ſpiritus animales ad auditionem neceſſarij deſcendunt in potentiam auditiuam, quibus prænotatis ſit.

Secunda concluſio: potentia auditiua propriè reſidet *in aere innato*: eſt communis. contra Veſalium *lib. 1. de fabrica corporis humani cap. 8.* qui auditum collocat in oſſibus timpanum ſuſtentantibus. eſt etiam contra Iſquierdo *diſput. 1. nu. 78.* volentem huiuſmodi potentiam in caua internaque ſuperficie tympani reſidere, quemadmodum voluit viſiuam in caua ſuperficie tunicæ retinæ.

16 Probatur autem, quia aer innatus videtur eſſe pars auditus præcipua, ad quam reliquæ partes ordinantur. adde quod dictus aer maximam cum aere externo, qui ſonos defert, ſimilitudinẽ habet, atque adeo ad recipiendas ſpecies ſoni eſt aptiſſimus nõ minus, quã humor chryſtallinus ad recipiendas ſpecies obiectorũ viſibilium. ex quo *ſit aerem illum eſſe animatum, & cũ reliquis auditus partibus ſolidioribus continuum. non ſunt igitur audiendi qui putant auditionem fieri in concauitate tympani, quia in ea tanquam ſede propria reſidet aer innatus, & multominus in* oſſiculo ad modum incudis efformato. tum quia os caret ſenſu: tum etiam quia haberet ineptitudinem ad diſcernendas minutiſſimas ſonorum differentias. *Quod ſi quæras ad quid hæc incus inſeruiat? Reſponderem, quod ad hoc vt percuſſa à paruo malleolo item oſſeo innatus aer moueatur, ſitque aptus ſoni ſpecies recipere. ſine* quibus auditionem formare non poſſet, quod verò attinet ad obiectũ auditus, quod eſt ſonus, ſit.

17 Tertia concluſio: ſonus eſt qualitas de tertia ſpecie producta conſequenter ad motum, quo aer duro corpore verberatur, & cum ipſo motu diffluit.

18 Probatur, quia non poteſt aſſignari, quid aliud ſit, & quo alio modo producatur, ſi non dicitur, quod ſit qualitas producta per motũ. nullatenus enim tolerabilis eſt ſententia docentium eum eſſe ipſum motum vibrationis corporis ſonori, conſtat enim motum hunc etiam tacto ipſo percipi, imo, & viſu obiectum ſuum habere, auditus ſolo auditu percipibile eſt, quod ſi Ariſtoteles illud appellauit motum, loquitur eſt catachreſtice, non autem formaliter: quod verò ſit de tertia ſpecie qualitatis, conſtat ex eo, quia paſſionem efficit in ſenſibus, & citò tranſit. addidi (quo aer duro corpore verberatur) quia ad cauſandum ſonum non ſufficit motus vnius corporis, ſed requiritur plurium corporum repercuſſio, aeris ſcilicet, & alterius ſolidioris corporis. vnde Ariſtoteles *lib. 2. de anima tex. 78.* Fit autem, inquit, ſecundum actum ſonus ſemper alicuius ad aliquod, & in aliquo; per quod ſignificat ad ſonum requiri tria corpora, nempe duo ſolidiora, veluti extrema ſe inuicem percutientia, & tertium intermedium, quod frangitur, & reſilit, ita vt ſit natura fluidum, vt aer. per hoc tamen non regat Philoſophus duo corpora, quorum alterum ſolidum ſit: alterum verò fluidum, poſſe cauſare ſonum, dummodo fluidum ſolidioris naturam induat beneficio condenſationis ac conſiſtentiæ, quam à ſolidiore obtineat. iam verò corpus fluidum debet eſſe aer, nihil tamen prohibet quominus ſit aqua, vt patet ex piſcibus, qui ſub aquis detenti, piſcatorum voces exaudiunt. verum aqua propter craſſitiem atque pinguedinẽ, quam habet, eſt minus apta ad deferendum ſonum, quam ſit aer. dixi denique ſonum cum ipſo motu fluere: ſiue hoc minus rigoroſè intelligatur, quatenus, licet ſit permanens, breuis tamen eſt durationis, ſicuti virtus impreſſa, ſiue in ſenſu rigoroſo accipiatur, quatenus non eſt qualitas permanens, ſed fluens, ita vt vna pars ſuccedat alteri, ſicuti eſt ipſe motus, à quo tum in fieri, tum in conſeruari dependet, ſiue tanquam à cauſa, ſiue tanquam à conditione ſine qua non. quantum denique ad ſubiectum ſoni &c.

19 Quarta cõcluſio: ſonus recipitur in medio colliſo, nempe, aere habente rationem fluidi, non verò in corporibus ſolidis inuicem ſe percutientibus, quæ ſolum, quia ſonum in aere producunt, ſonantia appellantur, ſeu ſonora.

20 Probatur: tum, quia vox eſt ſonus animalis perfectiſſimus, ſed hæc non recipitur neque in pulmone, neque in arteria, neque in animalis ore, ſed *in* ſolo aere egrediente, ergo &c. tum etiam, quia ſonus non producitur niſi, quia ex ictu corporis ſolidioris frangitur medium. ibi igitur erit ſonus vbi erit fractio. atqui fractio eſt in medio. ergo &c. Non negauerim tamen pro diuerſitate corporum ſolidorum ſe inuicem colliidentium diuerſos in ipſo medio cauſari ſonos, modo graues, modo acutos, modo denique medios.

21 Maurus *lib. 4. philoſophicarum quæſtionum qu.* 44. putat corpora dura, & conſiſtentia recipere ſonum, quod probat ex eo, quod ſi cubiculum ſit vndique clauſum muris, & eius murus exterius malleo percutiatur, auditur ſonus intra cubiculum. ſed ad hoc facile reſpondetur, aerem, qui eſt in poris muri percuſſi, concipere ſonum, & quia dictus aer per compreſſionem eiuſdem muri excluditur à poris, & cogitur in intentiora cubiculi ſe recipere: hinc fieri vt ſonus in cubiculo auditur, niſi malis murum, qui eſt ſimul cum malleo cauſa ſoni, dum motu locali concuſſionis, & vibrationis verſus cubiculum mouetur, producere ibi per ſe immediatè in aere ſonum.

22 Quinta concluſio: ſonus auditur per hoc quod immittat ſpecies ſuas in organum. eſt contra nonnullos, qui putant requiri vt ipſe ſecundum ſuum eſſe reale phyſicum perueniat ad auditum.

23 Probatur autem tum, quia ſonus aliquando eodem tempore auditur, quo editus, hoc autem non eueniret, ſi vera eſſet aduerſariorum ſententia. illi enim putant per motum aeris ſemper deferri ſonum, qui in eo eſt, ad organũ auditus: tum etiam, quia nullo motu aeris exiſtente aliquando audimus ſonum, tum denique, quia ſonus

editus, intra vas vndique occlusum audiri rectè potest vt experientia constat. Inquo gratis id asseri ab aduersarijs, posito enim quod species visibiles necessariæ sunt ad visionem, eo quod obiectum distet à potentia visiua: ita etiam species audibiles propter eamdem rationem sunt admittendæ. vbi obiter aduerte dictas species necessarias esse etiam quando sonus realiter peruenit ad aures. ex suppositione enim quod aliquando potentia ad hoc vt constituatur proximè potens actum auditionis elicere, debet esse intentionaliter similis obiecto: videtur hunc semper operandi modum sibi vendicare propter suam imperfectionem, & alligationem quam habet ad organum.

24 Obijcies autem: si sonus audiretur per species, vtique eodem tempore, quo in loco distanti produceretur à corporibus solidis, audiretur à nobis, sed hoc est contra experientiam ergo &c. minor patet ex bombardis, & fulminibus. quorum sonitum longo temporis interuallo post quam editus est audiri à distantibus constat. sequela verò probatur. quia species non habent contrarium, & per consequens totæ simul produci debent.

25 Respondeo: negando sequelam, ad cùius probationem dico, quod aer ille, in quo subiectatur sonus ex ictu corporum solidorum, vndique mouetur ac dissipatur, & per motum istum suam sphæram actiuitatis in ordine ad producendas species extendit in tempore; sicuti sol, qui licet in productione luminis contrarium non habeat, illud tamen ratione motus localis prius tempore in partes viciniores, quam in remotiores producit. quod si sonus est de se qualitas fluens, vt non nulli existimant, hoc nihil impedit; dici enim potest, vel quod ipsa corpora sonantia successiuè illum producant per motum, vel quod eadem corpora determinauerint medium, quod compresserunt ad producendas alias atque alias partes soni iuxta proportionē maioritatis, aut minoritatis soni producti, ita vt vniformiter difformiter successiuè dicta qualitas minoretur vsque ad certam distantiā, ad quam moueatur medium, licet postea per species ad potentiam auditiuam deferatur.

SECTIO TERTIA.

De Olfactu, & Odore.

26 POtentiam Olfactiuam esse sensum percipientem solum odorem probatione non eget, at verò in qua corporis parte resideat, & quid propriè sit eius obiectum, & quo pacto sensationes suas elicial, hæc in præsentia nobis examinanda sunt.

27 Quantum igitur attinet ad primum, sciendum nobis est, ijs animalibus, quæ respiratione indigent nasum odoratui inseruire. Cætera verò animantia, vt pisces, quæ cum non respirent, nasum non habent, aliqua alia sui corporis parte loco nasi ad odorandū vti. Iam verò nasus cartilaginosus est duobus foraminibus distinctus, quæ foramina nares appellantur, & ex vna parte ad Cerebrum vsque ducuntur, vt per ea macosæ pituitæ excrementa expellantur, vtq; odoriferæ exhalationes deferantur sursum; quæ non solum odore, sed alijs etiam qualitatibus cerebrum recreent: ex alia verò parte intra faciem ad finem palatus flexuoso quodam circuitu exeunt, & ad guttur correspondent, vt per ea inspiremus, & respiremus aerem, quo cordis immoderatus calor refrigerari continuò possit. In his foraminibus latet sensus olfactus duobus clausus ostiolis, quæ aspiratione, seu, quod idem est, attractione aeris per nares aperiuntur, & sic dant locum, vt exhalationes odoriferæ, earumque species perueniant ad sensorium: respiratione autem seù expulsione aeris comprimuntur, & sic negant aditum dictis exhalationibus, & speciebus, ne sensum contingant, & ad illud deferantur. atquæ hæc est ratio, ob quam non sentiamus odores ex nostro stomacho prouenientes. aer enim per nares emissus comprimit olfactus ostiola, à quibus excluſus odor, non peruenit ad sensum, atque adeò non sentitur, ad enm plane modum quo propter eandem rationem palpebræ occlusæ rerum visibilium species excludunt ab oculis, & sunt impedimento, nè potentia visiua actum visionis eliciat. intra hæc ostiola reperiuntur ex vtroque latere duæ caruncule seù tubercula, quæ quia prominent eo fere modo, quo papillæ solent in pectore, communiter mammillares seù papillares caruncules appellamus, quæ indutæ sunt quadam tunica omni ex parte continuata atque vsque ad guttur, & ad extremarium porrecta, denique, sicuti in alijs sensibus, ad sunt duo neruiculi à cerebro addictas mammillares caruncules extensi, quibus spiritus animales descendunt in olfactum, & species rerum odoratarum ascendunt ad cerebrum. his autem breuiter prænotatis sit.

28 Prima conclusio: sensus odoratus residet in caruncuiis, quas papillares appellant. Ita Conimbricenses *2. de anim. cap. 9. qu. 4.* quos sequuntur Arriaga, Quiedus, & alij apud Iquierdo *in suo pharo disp. 1. num. 84.* Probatur quia non potest assignari alia pars ex enumeratis, in qua melius resideat huiusmodi potentia. ergo. antecedens probatur, non enim dici potest, quod residet in anteriori parte Cerebri, vt putat Galenus; quia cum in cerebrum exhalationes odoriferæ ascendant, debuit ante ipsum à natura aliqua potentia collocari, quæ exploraret, quæ natiuæ eis bonæ, quæue malæ essent, vt his excluſis præberetur illis aditus ab animali. neque, quod resideat in neruis è cerebro descendentibus, hi enim ordinantur ad caruncules illas tamquam ad suos fines, sicuti ad oculos nerui optici dirigūntur. neque in tunica, quia hæc cum vsque ad gutter, & extremas narium partes porrigatur: sequeretur posse nos gutture, & extrema parte nasi odores sentire, quod est contra experientiam. multo minus dicta potentia reperiri potest in osse prope oculorum concauā sito, quod quia multis foraminibus intertextum est, cribrosum seù spongiosum os dici solet. ossa enim, vt communis fert opinio, propter immodicam duritiem, & siccitatem, quam habent ad sui constitutionem exactam, insensibilia (vti dicebam) existimantur. Quantum verò ad obiectū olfactus, quod est solus odor sit.

Se-

Digitized by Google

29 Secunda conclusio: Odor est qualitas quædam ex temperamento primarum qualitatum orta, ita Hurtadus *de anima disp. 17. sect 4.*

30 Probatur; & quidem quod sit qualitas, & non substantia, vti Eraclitus existimabat, quem sequuntur Atomistæ cum Cabeo *in tex. 35. lib. 4. meteor. quæst. unica*. Patet, tum quia substantia non est per se sensibilis, vt ex obiecto cæterorum sensuum probatur; tum etiam, quia odor intensibilis est, ac remissibilis. ergo nec quantitas est, nec relatio, nec aliud ex prædicamentis, nisi qualitas. Quod verò ex temperamento primarum qualitatum oriatur constat ex eo, quia vt communis & probabilior fert sententia, nulli elemento puro conuenit odor.

31 Iam verò, vt aliquid de primarum qualitatũ temperie ad odorem requisita dicamus, sciendũ est, quod odor in communi in bonum odorem, qui nomine generis simpliciter gaudet; & in malum, qui dicitur fœtor primò diuiditur. Porrò bonus odor dominatur in sicca corpora. vnde est quod siccitas plurimum illi semper conferat, vt patet ex floribus, qui cum exsiccantur plurimum odoris emittunt, & ex vinis, & arboribus, quæ verno tempore atque æstiuo magis olent, quam hyeme: contra verò fœtor dominatur in humida corpora; aqua enim corrupta maximè fœtet, & vrina item corrupta inter excrementa animalium fœtidissimum existimatur. verum quidé est quod, tum ad odorem, tum etiam ad fœtorem edendum caloris prædominium requiritur, qui poros benè, vel malè olentis corporis aperiat, & sic exalare faciat subtiliores eius partes, in quibus partibus odor, seu fœtor potissimum residere solet. Iam verò ratio propter quam bonus odor in sicco corpore, & malus in humido prædominante existat, esse potest, quia bonus odor signũ

32 est integritatis ac salubritatis, quæ in sicco, & calido temperamento posita sunt, vnde est quod ad corpora odorifera maximè inclinemur naturaliter. at verò fœtor corruptionis inditium, cuius præcipua causa est humiditas cum calore, in qua ille reperitur.

32 Dices: Aristoteles *lib. problem. sect. 13. quæst. 5.* docet odorem esse vaporem quemdam, ideoque corpora magis odorare dum calent, quam quando frigent; sed vapor est substantia; falsum igitur est, odorem esse qualitatem.

Respondeo: Philosophum *loco citato* loquutum fuisse caute, in quantum odor residet po-

32 tissimum, tanquam in proprio subiecto, in parte corporis tenuiore, quæ in fumosam exhalationẽ facile resoluitur. at fumosa hæc exhalatio est veluti vehiculum deferens, ac diffundens odorem per aerem, sed non est ipse formalis odor. ad eum plane modum, quo spiritus vitales sunt quidem vehiculum, calorem vitalem per totum corpus animalis diffundens, ac deferens; non tamen sunt formaliter ipse calor.

33 Dices iterum: si bonus odor ex siccitate prouenit: Cur res sapidæ esse possunt odoriferæ, cum sapor per Aristotelem oriatur ex prædominio humidi?

Respondeo, quia eadem res habere potest diuersas partes ætherogeneas, quarum aliquæ sint humidiores, atque adeo sapidæ; aliæ verò siccio-

ores, & per consequens odoriferæ. Quantum denique ad modum odoranti sit.

Tertia conclusio: Odor percipitur à sensu olfactus per species intentionales, quas in illum immittit. 34

Probatur primò, tum quia non est maior ratio cur color ab oculo, & sonus ab auditu percipiatur per species, & non percipiatur etiam per species odor ab olfactu: tum etiam, quia si non 35
perciperetur odor per species, maximè per suam realitatem perciperetur: sed ipse non potest hoc modo percipi. ergo &c. maior patet, minor probatur, quia si ita percipitur per realitatem suã, vt perueniat ad potentiam delatus ab exhalatione odorosa à solido corpore exhalante: ergo in omni parte loci, ex quo odor percipitur, reperiretur odorosi corporis exhalatio. hoc autem videtur inoredibile, quia sic deberet spatium notabile loci odoroso halitu esse refertum. vnde corpus ipsum odorosum, breui tempore totũ quantum est resolueretur in halitum, quod experientia falsum esse comprobatur. odorem enim Cadaueris vsque ad quinquaginta milliaria sentiunt Vultures teste. D. T. 2. *de anim. lect.* 20. licet cadauer non sit sensibiliter immutatum. sic quo pisces odorem rei super aquas commorantis ex fundo maris, vel piscinæ optimè sentire. sin autem ita percipitur odor, vt effectiuè diffundatur per medium: sic odor corporis odoriferi deberet producere odorem in aere, contra naturam secundarum qualitatum prouenientium ex temperamento omnium primarũ, quæ de se non sunt actiuæ, vt patet in coloribus. 35

Probatur secundò: Experientia constat odo- 36
ratum quando recipit in se halitum corporum odorosorum, secundum esse reale, reddi ineptum ad odorem percipiendum, vt patet ex iis, qui diu manent in locis valde fœtidis, vel odoratis: illi enim non sentiunt amplius odorem, vel saltem vt ergo odor sentiatur à potentia odoratiua debet ei secundum esse intentionale, & non reale coniungi.

Dices: flante vento in contrarium impeditur olfactio; signum igitur est, quod fiat per delationem exhalationis odoriferæ.

Respondeo, negando consequentiam: experi- 37
entia enim solum conuincitur, quod odor ad breuissimum spatium intentionales sui species potentes mouere nostrum odoratum diffundat. Vnde cum exhalatio odorifera flante vento in oppositam partem depellatur; non immittit species adeo nobis sensibiles propè nos, atque adeo non sentitur à nobis; & hinc fit vt ad nares corpus odoriferum cum olfacimus admouemus, & vehementius inspiratione attrahamus aerem, cum odorare intensius volumus, sic enim melius, & vberius exhalationes aeri immixtæ ascendunt ad potentiam, & ostiola olfactus magis aperiuntur. Porrò exhalationes illæ si sunt salubres cerebrum reoreant. sin autem fœtidæ, atque adeo maleficis qualitatibus imbutæ illud lædant, atque corrumpant necesse sit.

SECTIO QVARTA.

De Gustu, & Sapore.

37 GVstus est sensus externus solos percipiens sapores, quem quidem sensum in solo animalis ore residere manifestum est. de eo autem in qua parte corporis potissimũ sit, & quid sit eius obiectum, & quo pacto sensationes suas eliciat, quærendum est, quantum autem attinet ad primum.

38 Sciendum, quod os ex duabus maxillis constat ex inferiore, quæ ab omnibus animalibus mouetur ad sumendos cibos, Cocodrillum si demas; & ex superiore, quæ existit semper immobilis; maxillas terminãt labia, quæ sunt oris veluti ostium, natura quidem mollia, & facile mobilia. ad oris latera sequuntur gingiuæ carneæ, & illis infixi dentes, quorum anteriores acuti sunt, vt facile scindant cibos: posteriores verò, quos molares appellamus, lati, & ad eosdem cibos conterendos accommodati. Iam verò os ipsum est instar fornicis, cuius partem superiorem obtinet palatus, inferiorem verò lingua, quæ eius implet cauitatem, & ex inferiori parte osse quodam sustentata, faucibus est alligata. Hæc septem habet musculos, quibus vtitur ad se ipsam mouendam, constat autem carne laxa, rara, & porosa, quo facilius sapidos humores excipiat. ad hæc duo nerui è cerebro proficiscuntur, qui per quosdam ramusculos ad linguam ipsam, fauces, atque palatum descendunt, his autem prænotatis est

39 Prima conclusio: sensus gustus residet potissimũ in duobus neruis, qui è cerebro descendentes ramificantur per linguam, fauces, atque palatum. Ita Aristoteles de *hystoria animalium cap.* 11. quẽ sequuntur omnes peripatetici cum D. Thoma, & alijs communiter citatis ab Izquierdo. *nu.* 87.

40 Probatur autem: tum, quia caro, quæ supra dictos neruos existit potius habet rationem medij tum etiam, quia si in carne potissimum sensus gustus resideret, deberent æque sentiri sapores à tota lingua, quin imo à crassiore parte magis, quã à tenuiore, quia ibi plus sensus adesset. sed hoc, præterquam quod sit contra experientiam, est etiam contra Aristotelem, qui *loco citato* hæc habet: Lingua præcipue obtinet vim sentiendi sapores parte sua prima; nam si interiore tangat, minus sentiet. ratio autem huius rei est, quia in ea parte linguæ, quæ cuspis illius appellatur neruorum ramusculi, non ita carne hebetantur, sicuti hebetantur in radice ipsius linguæ propter carnis abundantiam. Iam verò, quod etiam à molliore, & interiore parte palati, nec non etiam à faucibus sapores sentiantur, experientia ipsa testis est.

41 Secunda conclusio: sapor est qualitas ex primarum temperamento orta ex mixtione partis siccæ, & terreæ, vel humidæ aqueę calore dequoquente. sumitur ex Aristotele *lib. de sensu, & sensibili cap. de sapore*. Cabaeus *in tex. 19. lib. 2. meteor. qu. 4.* probare volens saporem non esse qualitatem ex primarum temperamento prouenientem sic arguit. si hoc esset, ex quolibet temperamento aliquis determinatus sapor oriretur. sed hoc esse falsum, constat ex eo, quia multa sunt mixta omni prorsus sapore carentia, ergo &c: Sed hæc ratio nihil probat. tum quia potest negari maior, ac dici: non esse id necessarium, sed sufficere vt ex certis quibusdam temperamentis sapores procedant, sicuti, & odores: tum etiam quia, data maiore, potest negari minor, ac dici cuilibet mixto suum inesse saporem: non tamen sentiri á nobis, vel, quia est valde remissus, vel, quia ab humido linguę resolui facile nequit: porrò saporum species numerantur ab Aristotele: prima est saporis dulcis vt mellis, secunda amari vt absynthij siue fellis, tertia pinguis vt butyri, quarta salsi vt salis: quinta acris vt piperis. sexta acerbi vt fructus immaturi; septima acidi vt oleæ, octaua acuti, vt aceti, quibus Galenus addit nonam insipidi. non negauerim tamen multo plures saporum differentias assignabiles esse: verum hæ præcipuę sunt, ad quas cæteræ reduci facile possunt. præsertim artificiales inter quos, & naturales illa est præcipua differentia, quod naturales sunt qualitates simplices, artificiales verò ex plurium mixtura consurgunt.

42 Illud tamen in hoc notandum est: sæpè contingere, ea mixta, quæ in calore, & siccitate differunt, posse esse simili sapore prædita. siquidẽ sapor proximei ex mixtione humidi aquei, & sicci terrei procedit; ex calore verò, & frigore, non nisi remotè, quatenus hæ qualitates variè concoquunt materiã illam terræaqueam. varietas enim concoctionum, varietatem saporum inducere, experientia ipsa comprobatur. videmus enim eundem cibum diuersimode coctum diuersum saporẽ induere. quoniam verò nil vetat duo corpora, quorum alterum excedit in calore, alterum verò in siccitate, humidũ aqueũ, & siccum terreum ferè atque intensum, & simili modo concoctũ habere: hinc oritur, vt possint similem saporem habere.

43 Tertia cõclusio: Gustus elicit sensationes suas per hoc, quod immutetur à sapore per species intentionales. est Aristotelis *lib. secunda de anima cap.* 12. vbi hæc habet: Oportet autẽ vniuersaliter in omni sensu accipere, quod sensus est id, quod est susceptiuum formarum sine materia, id est specierum sensibilium. & *Paulo post*. similiter, & sensus vniuscuiusque ab habente aut odorem, aut saporem, aut sonum patitur. Constat autem huiusmodi qualitates esse secundas, atque adeo sensum non posse pati ab illis naturali actione, ea scilicet, qua producatur qualitas similis in natura, sed intentionali, qua producatur species.

44 Probatur autem, quia experientia constat nos sentire saporem ciborum, qui in ore sunt; necesse igitur est vt hi species suas immittant in neruos, qui sunt sub carne linguæ, ad hoc vt sentiantur. Neque dicas, partes cibi tenuiores per põros linguæ descendere, & in hunc modum sensorium ipsum pertingere, ac adgustandum illud determinare. ne id dicas inquam, tum quia constat, etiam partium cibi crassiorum nos idem saporem sentire: tum etiam, quia non sufficit materialis contactus obiecti cum potentia ad tollendam indifferentiam eiusdem potentiæ, & ad illam determinandam ad operandum; perfectio enim operationis vitalis maiorem coniunctionem suorum comprincipiorum requirere videtur.

SE-

Digitized by Google

SECTIO QVINTA.

De Tactu, & Tangibili.

45 TActus est sensus, qui licet hebetissimus sit, eius tamen actus maximè omnium delectat, adeo vt infinita pene hominum multitudo eorum illecebris capta, sanctissimam Dei legem pauipendere non vereatur. de eo autem quæruntur fere eadem, quæ de superioribus sensibus quæsita sunt, sit igitur.

46 Prima conclusio. Tactus residet in neruis, & in carne tanquam in proprio subiecto; carnis autem nomine hic comprehenduntur etiam cutis, membranæ, Cartilagines, & similes corporis partes. est Galeni, Suarij, Zimaræ, Conimbricensium, Dandini, & aliorum.

47 Probatur quia experientia constat in his omnibus partibus per se, & solitariè sumptis nos sentire dolorem, qui absque organo tactus sentiri nequit. Dixi per se, & solitariè sumptis, quia nonnulli sunt, qui existimant in carne sentiri dolorem propter coniunctionem, quam illa habet cum neruis, vel è contra sentiri in neruis propter coniunctionem eorum cum carne; quod tamen falsum est. caro enim à neruis dissita sentit, & nerui carne denudati, maximè dolent, etiam si leuiter tangantur; non negauerim tamen in ipsis neruis magis, quam in carne sensum tactus vigere, vt eadem experientia comprobatur, quæ docet in manibus, pedibus atque alijs maximè sentiri dolorem, quod non euenit nisi, quia huiusmodi partes corporis sunt neruosissimæ. ex quo fit veram esse eorum sententiam, qui docent sensum tactus per totum corpus esse diffusum, non, quod existiment ossa ipsa sentire (id enim falsum est) sed inquantū in omnibus corporis membris, vt in capite V. G. Collo, brachijs, & cæteris sensilis hic reperiatur.

48 Quod si Aristoteles *secundo de anima tex.* 116. videtur docere carnem se habere ad sensorium tactus, sicuti aerem, & aquam ad visum: atque adeo non esse organum formale tactus, sed medium tantum. Dicendum, vel, quod dubitatiuè loquatur, sic enim habet: Omnino autem videtur caro, & lingua sicut aer, & aqua, &c. vel, quod agat in ordine ad illam sensationem, quæ fit in neruis, hæc enim cum perfectissima sit, respicit carnem, & cutem tanquam putum medium, ita vt si hæc nihil sentirent, adhuc tamen sentirent nerui, qui contenguntur ab illis.

49 Quantum verò ad obiectum tactus sciendum est, *qualitatum tangibilium*, quæ sunt eius obiectum *septem contrarietates ab Aristotele secundo de generat. tex. 8.* fuisse enumeratas. primæ duæ sunt Calidum, & Frigidum, Humidum, & Siccum; tertia est graue, & leue, quam sentimus cum corpora sustinere conamur. quarta est durum, & molle, quam tangimus, atque sentimus corpora comprimendo; quinta est lubricum, & aridum: lubricum est id, supra quod non bene consistimus, vt glacies, vel quod non bene manibus continemus, vt anguilla: aridum quod bene sustinet, & continetur manibus. sexta est asperum, & leue. Asperum est, quod partes habet inæquales quantū ad sensum, vt pumex, vel spongia. leue verò quod secundū suas partes æqualiter disponitur, vt chartæ. septima denique est æquum, & ferè contrarium est id, quod in se habet vt lapis teste verò id, quod facilè se in diuersa corpora insinuat, vt ter. his autem præmissis

Secunda conclusio. Sensus tactus non percipit eas qualitates tangibiles, quæ sunt sibi inadæquatæ, sed solum eatenus in obiecto tangibilium percipiuntur. est communis, contra Izquierdo, in sua pharo *disput. quinquagesima sexta*, vbi dubia cum rationibus oppositum suadere conantur: ex quibus duas velim hic in medium adducere, reliquæ enim sunt solutu facilem. Prima est: quia tactus, & gustus sentiunt qualitates subiectiuas, non obiectiuas, ergo & tactus. sed nos supra iam probauimus. falsitatem antecedentis. Secunda: manus admota rei incensæ à calidæ non sic tactum eius calorem sentit, sed paulatim. hoc autem non, nisi quia paulatim calorem suscipit. ergo &c. sed contra. hæc quia dici potest hoc ratione differentiæ, nobis accidentali, tum quia sicuti per ipsum *num. 99.* huiusmodi sensatio patum duas defectu concursus Dei, qui per lapsum temporis incipit esse illi indebitus, ita dici potest, quod defectu eiusdem concursus tardè producatur.

Probatur tertio, quia quando manu tangimus aliquod durum vel asperum corpus, certū est nos non sentire duritiem, & asperitatem aliquas quæ reliten existat in manu, bene tamen sentire illas quæ in obiecto tangibili reperitur. idem clarius apparet in tactu corporis mollis, & leuis; qualis est puellarum, & puerorum. ergo eodem dicendum est de alijs sensibilibus qualicunque. Confirmatur, quia nerui non sentiunt suam duritiē, neque carō suam molliciem, & neruum suam temperamentū primarum qualitatum.

Dices eos, qui laborant febribus, calorem sibi intrinsecū sentire, atque adeo sensum tactus posse qualitates sibi inhærentes rectè percipere. Sed contra, quia hi licet calorem febrilē, qui est in partibus sanguinis, vehementius humoris adhærescentis organo tactus, sentiant, non tamen sentiunt calorem illum, qui in ipsis organis realiter inexistit. Neque cum alijs dicas dolorem, & voluptatē esse qualitates tangibiles, & tamen immediate tactui, & non ipsi obiecto tangibilium: id dicas inquam, falsum siquidem est id, quod assumitur. dolor enim, & voluptas sunt potius vitales quidam actus ab ipsa potentia tactus elicitæ, qui vel sunt idē realiter cū sensationibus, quas circa obiectū nobis conueniens aut disconueniens elicimus, vel sunt affectiones quædā, quæ alias consequimur, & ab eis realiter distinguuntur.

Atque ex his patet tactum percipere suum obiectum mediantibus speciebus impressis. qualitates enim, quæ sunt in obiecto, nequeunt per seipsas determinare sensus ad operationes vitales elicendas, vt supra probatum est. minimum enim debent penetrare cum illis. neque inde sequitur, vt contendit Izquierdo *num. 97.* obiectum loco distitum bene posse sentiri per tactum, atque ac per visum, & auditum. In naturam enim obiecti huius sensus hanc impotentiam refundendam esse docet experientia, hoc est, quod visibile possitum supra oculum, non faciat visionem.

54 Tertia conclusio. sensus tactus eas solum qualitates obiecti tangibilis sentit, quæ, vel nullo modo sunt in organo, vel si sunt, maiorem tamen habent intensionem ea, quam habent illæ, quæ in organo existunt. Est expressa sententia Aristotelis *secundo de anima* tex. 118. vbi hæc habet: simile calidum, & frigidum, aut durum, & molle non sentimus, sed excuperantias, hoc est, excessum illum, in quo qualitas obiecti tangibilis superat in intensione qualitatē eiusdem rationis, quam in organo reperit.

55 Probatur, quia qui manum frigidam ponit in aqua tepenti, sentit illam calidam; qui verò manum calidam immergit, frigidam illam experitur: at verò qui æque tepentem manum in dictam aquam iniecit, nec calidam illam sentit, nec frigidam, ergo &c.

Confirmatur quia mares, qui sunt naturaliter dotes feminis, magis frigent, ac mouentur, quam fœminæ ipsæ, quæ sunt natura frigidæ: contra verò hæ magis æstuis calidis molestantur, quam mares, cuius rei ratio est, quia organum esse debet expers illius qualitatis, quam sentit, vel saltem illius intensionis, vt patet ex potentia visiua; quæ vt colores omnes percipere, omni colore necesse fuit à natura spoliari.

56 Quarta conclusio. sensus Tactus est essentialiter distinctus à sensu gustus. est contra nonnullos, qui putant duas hasce potentias, licet extrinsecè, & ratione actus essentialiter differant, esse tamen idem formaliter si sumantur secundum id, quod dicunt intrinsecè, & in recto, ac in ratione habilitatis animæ.

57 Probatur autem, primò ex Aristotele *hic tex.* 112. vbi de lingua verba faciens: omnia inquit, tangibilia sentit secundum eandem partem, & saporem. si igitur & alia caro sentiret saporem, videretur vnus, & idem gustus, & tactus, nunc autem duo, propter quod non conuertitur.

58 Probatur autem secundò, tum ex communi omnium consensu, qui sensus externos dicunt esse omnino quinque: tum etiam, quia sapores sunt qualitates essentialiter diuersæ à qualitatibus purè tangibilibus. requirunt igitur potentiam externam particularem essentialiter distinctam à potentia tactus. Confirmatur, quia diuersus est modus operandi per tactum, ac per gustum. tactus enim non requirit humidum in organo ad hoc vt suas sensationes tactiuas eliciat. at verò gustus id necesse habet. ex diuerso autē operandi modo rectè potentiarum diuersitas colligi potest.

59 Dices: Aristoteles *hic tex.* 107. & *lib. de partibus animalium cap.* 50. asserit. Gustabile esse quoddam tangibile, & gustum esse tactum. ergo per Philosophum sensus hi non differunt inter se essentialiter.

60 Respondeo negando consequentiam. Aristoteles enim *loco citato* non loquutus est formaliter, sed materialiter tantum; voluitque tantummodo asserere, quod in omni illo subiecto, in quo sunt qualitates saporabiles, sint etiam qualitates tangibiles; sicuti etiam in ea parte corporis, in qua est potentia gustatiua, reperitur potentia tactus; licet non è contra, huius rei ratio illa est, quia qualitates tangibiles sunt priores in subsistendi consequentia qualitatibus saporabilibus. vnde est vt etiam potentia tactus esse debeat hac ratione prior potentia gustus, & per consequens vt vbi est gustus, ibi sit etiam tactus, non tamen vbi est tactus, ibi reperiatur & gustus.

Sed contra hoc vltimum instari potest, quia 61
experientia constat, quod si vulneri applicentur corpora diuersimode sapida, vt sal, vinum, oleū, acetum, & similia horum diuersitas sentiatur ab ægro, quamuis vulnus in quacumque parte corporis reperiatur. ergo gustus est per totam corpus diffusus, & sic non differt à tactu.

Respondeo distinguendo antecedens: eorum 62
diuersitas sapida sentitur ab ægro, nego. eorum diuersitas tangibilis, concedo antecedens; & nego consequentiam. dico enim huiusmodi corpora præter sapores habere etiam alias qualitates tangibiles vt acrimoniam, & similes, partē huiusmodi qualitates sentiri à vulnerato parte ex eo, quia diuersam elicit sensationem vini, si illud liber, ac si vulneri infundas.

SECTIO SEXTA.

De sensibus internis.

NOmine sensus interni intelligimus facultatem quamdam materialem cognoscitiuam propriam animæ sensitiuæ in internis animalis partibus delitescentem, ac organa habentem occulta, quæ ab obiecto extrinseco immediatè immutari nequeant; ad differentiam sensuum externorum, qui cum externis corporis partibus vtantur pro organis, ab obiectis ipsis immediatè per species sensibiles ad operandum determinantur. 63

Iam verò dari sensus internos experientia cō- 64
stat: Bruta enim recordantur rerum absentium, & canis filiorum, catus domus propriæ, lupus foueæ &c. qui actus à sensibus externis prouenire nequeunt; siquidem hi non mouentur, nisi ad præsentiam obiectorum; ideoque extimas corporis partes occupant, vt inde species ab illis impressas excipiant. dubium tamen est, in qua parte corporis dicti sensus reperiantur, & ad quæ obiecta percipienda se extendere possint, item de numero, distinctione, & modo operandi illorum; de quibus singillatim agendum. sit igitur.

Prima conclusio: Proprium organum sensuum internorum, qui sunt de genere cognoscitiui, est cerebrum animalis, dico eorum, qui sunt de genere cognoscitiui, quia appetitum sensitiuum à præsenti controuersia excludo: est Galeni, Toleti, Conimbricentium, Suarij, & aliorum, quos citat, & sequitur Izquierdo *loco citato disputat.* 25. videtur esse contra Aristotelem, qui *lib. de Insomniis, & Senectute cap. 2. & alibi* assignat cor, tamquam primum principium sentiendi. Verum, Philosophus exponendus est vel de primo principio remoto, in quantum ex corde prouenient spiritus vitales, qui deinde sunt in cerebro animales, & sic ad sensitiuas operationes deseruiunt: vel de principio sentiendi radicali, quod est appetitus, qui iuxta sua principia in corde sedem fetinet, inquantum omnes potentiæ cognoscitiuæ

Digitized by Google

ux ad illum tamquam famulantes ad Principem ordinantur. Cæterum idem Philosophus *secundo de partibus animalium cap. 7.* docet Principium sensitiuum esse in capite, ibique interiorem sensum residere.

66 Probatur autem conclusio: quia experientia constat assidua phantasmatum excitatione, ac rerum sensatarum nimia recordatione caput maximè defatigari; nec non ex eo, quod si lædatur cerebrum statim in obliuionem, vel frænesim, vel delirium incidimus; verum anqua cerebri parte resideat sensus communis, dubitant auctores. Circa cerebrum duæ sunt membranæ ipsum continentes. Quarum altera cerebrum contingit, & quia tenuis est, ac lenis, dicitur pia mater. altera verò est proxima cranio capitis, atque à cerebro remota; & quia dura est, ac solida, vocatur dura mater. Sunt igitur, qui volunt sensus internos in huiusce membranis reperiri, in quantùm in illis sensus tactus maximè vigeat. Sed tenendum potius videtur quod resideat in ipsa cerebri substantia; ad quam tutandam atque fouendam ipsæ membranæ ordinantur, quod probatur experientia à Galeno, allata *lib. 7. de decretis Hippocratis, & Platonis cap. 3.* vbi ait: Incisis membranis cerebri, nullum detrimentum in sentiendo fieri; maximum autem fieri detrimentum si cerebri medulla seù substantia lædatur. nec refert, quod dictæ membranæ sensu polleant tactus, quo cerebrum expers est. Conueniens enim fuit, quod organum illud, quod tactum, & sensationes cæterorum sensuum debebat percipere expers foret tactus, aliorumque sensum particularium affectionum.

67 Dices in Euangelio dici à Christo Domino Iudæis: Quid cogitatis mala in cordibus vestris, ergo virtus cogitatiua est in corde, & non in cerebro. Respondeo nomine cordis venire animam ipsam; sicuti alibi nomine animæ significari vitæ, vt ibi: Qui amat animam suam perdet eam. quare nego consequentiam.

Secunda conclusio. sensuum internorum obiecta non solum sunt omnia sensibilia, quæ sensibus percipiuntur externis, nec solum sunt externorum etiam sensuũ sensationes; verum etiam affectiones quædam, quæ, quia à sensibus externis non percipi possunt in sensibiles appellantur. est Sancti Tho. *prima parte quæst. 78. art. 4.* vbi ait: Necessarium est animali, quod percipiat huiusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior.

68 Probatur autem conclusio; & quidem quantum ad primum nulli dubium esse debet. Bruta enim recordantur obiecta prius sensata in eorum absentia, vt supra notauimus. quantum verò ad secundum, probatur, quia nos apprehendimus non solum obiectum sensatum, sed etiam sensationem ipsam, qua circa idem obiectum versati sumus, & illius sæpè recordamur per memoriam, & reminiscentiam sensitiuam. Bruta præterea recordantur delectatione, vel dolore, quibus affecta sunt ex præsentia, quorumdam obiectorum; & ex talium imaginatione, vel obiectum aliquod prosequuntur, vel ab illo refugiunt; in quo maxime sensus interni præstant externos, externi enim actus suos minimè percipiunt, quia sunt extra rationem formalem proprij obiecti: Contra verò interni, quin etiam valde probabile, est, quod ijdem sensus interni omnes etiam actus internos tam sui, quam appetitus sensitiui cognoscant, vt rectè notat Auersa, *disp. 55. art. 2.* & probat ex eo, quia appetitus sensitiuus tam circa actus internorum sensuum, quam circa suosmet actus versatur. Concupiscit enim delectari, & abhorret à tristitia, timore, &c. Rursus inclinat animal ad cogitanda ea omnia, quæ delectant, & retrahit sensum ab eorum cogitatione, quæ molestiam pariunt. Quãtum denique attinet ad tertium probatur eadem conclusio: quia Bruta cognoscunt inimicitias, & amicitias, seu conuenientias, & disconuenientias, quæ inter se naturaliter intercedunt, vt ouis contrarietatem, quam habet cum lupo, vnde illum videns timore perterrita, fugæ consulit, non quidem ex sola apprehensione coloris, atque figuræ, quam in lupo cernit. si quidè eam videns in cane, ab illo minimè refugit, sed ex apprehensione dictæ inimicitiæ, quæ appetitui sensitiuo, ab interno sensu repræsentatur.

Tertia conclusio. sensus interni, cognoscitiui 69
sunt omnino quinque, scilicet Sensus communis, Phantasia, Imaginatio, Aestimatiua, seu cogitatiua, & Memoria. sensus communis dicitur, non quasi verò res in communi percipere possit, hoc enim est opus solius intellectus, sed quia omnium externorum sensuum obiecta, præsentia, eorumque sensationes cum primum circa dicta obiecta exercentur, cognoscit, atque distinguit. Phantasia percipit sensationes ac obiecta simplicia sensuum externorum in eorum absentia. Imaginatio autem eadem obiecta simplicia absentia iam, & sensationes, quas circa illa elicuimus, coniungit atque componit secundum figuram externam, vt montem aureum, animal habens ceruicem equinam, & corpus humanum &c. Aestimatiua verò concipit obiecta sensibilia sub ratione conuenientis, aut disconuenientis, atque adeo ad effectiones quasdam materiales non sensatas per sensus externos se extendit. Memoria denique recordatur obiectorum prius cognitorum. conclusio sic explicata.

Probatur quia his omnibus sensibus cognoscitiuis pollet animal, vt patet ex multiplici genere operationum ad illos pertinentium, quas exercet. 70

Quarta conclusio: Omnes istæ potentiæ non 71
solum realiter, sed etiam formaliter secundum id, quod dicunt in recto, sunt vna, eademque potentia, licet de reliquo distinguantur secundùm id, quod in obliquo important. Ita Izquierdo *in sua pharo disp. 1. qu. 2. Hypotesi 24.*

Probatur, quantum ad primam partem etiã 72
si dicamus potentias realiter à substantia animæ distinctas esse, Quia vna, & eadem potentia non solum realiter, sed etiam formaliter accepta, licet materialis sit, potest se extendere ad omnia munia dictarum quinque potentiarum. non est igitur cur dicamus dictas quinque potentias esse distinctas inter se formaliter secundum id, quod important in recto. consequentia tenet, quia cum non sint multiplicandæ potentiæ sine necessi-

necessitate, & vna potentia facere potest eorum id, quod ille quinque, si distincta essent, efficerent, dicendum est, quod hæ sint vna potentia indistincta. Antecedens verò probatur discurrendo per singulos. Illa potentia, quæ percipere potest obiecta simplicia absentia, potest etiam præsentia percipere, siquidem id, quod potest plus, si quid non obstet, potest etiam minus: ergo phantasia potest se extendere ad operationes sensus communis, & per consequens non est ab illo distinguenda. Rursus illa potentia componendi, quæ obiecta simplicia absentia componit, vtpote dicta obiecta simplicia absentia præcognoscit, quia non aliter illa componit, nisi cognoscendo. imaginatio igitur phantasia nostra necesse est vt existens, atque adeo operans ab illa minime distinguatur. Præterea illa potentia, quæ est adeo perfecta, vt affectiones nondum sensatas possit præcognoscere, & præcipere, imò etiam magis sensatas, siue absentes, siue præsentes, supponendo illas sine simplicibus aliunde sibi representandis: ergo æstimativa operationis potentiæ exercere. Vnde æstimativa dum hæc sensibilia sub ratione boni conducentis, aut disconducentis attingit, nihil quidquam comparationis ad diuisionis exercet. Denique illa potentia, quæ potest recordari obiectorum prius cognitorum, non est aliud non posse illa primo cognoscere: non est igitur cur memoriam à reliquis potentijs distinguamus. Confirmatur quia potentia recipiens species exteriorum sensuum non distinguitur à sensu communi: ergo neque potentia conseruatiua earundem specierum, quæ est particularis memoria, distingui debet ab illa, quia in eadem potentia, in qua recipitur aliqua forma, conseruatur; quamuis enim dispositio ad recipiendas species sit humidas: ad retinendas verò siccitas, quia tamen neutra debet esse in summo in eadem parte cerebri in gradibus remissis habere potest vtrumque, & sic ratione vnius recipere species, & ratione alterius illas conseruare. Quarum verò rationi ad secundam conclusionis partem res non indiget probatione. vna siquidem & eadem potentia interna ratione diuersorum actuum, quos enumerauimus, diuersas inducit denominationes atque adeo pro vt est cognoscitiua obiecti præsentia, distinguitur à seipsa, prout est cognoscitiua dicti obiecti absentis, quæ quidem distinctio cum non sit intrinseca, vt supra probatum est, sequitur necessariò, quod extrinseca sit, & rationis eorum, quæ ad eadem potentiæ in obliquo, & connotatiuè dicuntur.

74 Quinta demique conclusio: Sensus interni percipiunt obiecta beneficio specierum impressarum productarum à sensibus externorum sensationibus est S. Thomas *prima parte quæst. 78. artic. 4.* Fonseca, & aliorum. Patet hoc ex alibi dictis cum de speciebus sensibilibus.

75 Ex quibus infero, quod per eadem omnino species sensus interni percipiat obiecta sensuum externorum, eorumque sensationes, quibus dicta obiecta attinguntur: non enim necesse est vt operatio sensus externi duas in interno sensu species producat, quarum altera sui ipsius, altera verò sui obiecti representatiua sit: ex quo sequitur

[illegible]

iusmodi species esse diuersæ naturæ à speciebus sensuum externorum, vt rectè probat Isquierdo *Hypothesi 26.* & nos alibi asseruimus.

SECTIO SEPTIMA.

De Appetitu sensitiuo.

PRima conclusio. Appetitus sensitiuus est potentia, quædam interna materialis non cognoscitiua, ad quam spectat operari circa sensibilia, quæ vt conuenientia, vel vt disconuenientia ab interno sensu cognita sunt, & siquidem vt conuenientia, & bona, sunt cognita per actum prosequutionis: si autem vt mala, seu disconuenientia, per actum fugæ, & detestationis. 76

Probatur in omnibus prorsus animalibus habentur actus quidem prosequutionis circa bona sibi conuenientia, & actus quidam abstentionis, & fugæ circa mala, seu disconuenientia, atque contraria: cum igitur appetitus sensitiuus sit ille, in quo huiusmodi actus eliciantur; sed hæc non potest esse alia, quam appetitus sensitiuus, ergo &c. 77

Secunda conclusio. Quoniam bonum, & malum sub ratione apprehendi potest primò abstracte, & simpliciter, secundò vt arduum, & difficile ad obtinendum vel fugiendum: ideo appetitus sensitiuus in irascibilem, & concupiscibilem distinguitur. Concupiscibilis est, quo absolutè prosequimur obiectum vt bonum, vel quatenus vt malum detestamur. Irascibilis verò, quo prosequimur bonum, & fugimus malum, quibus aliqua difficultas annexa est, ad hoc vt vnum obtineatur, & alterum fugiatur. est contra Occam *in 4. dist. 49. quæst. vnic. num. 2.* vbi ait, quod quatenus appetitus in bonum inclinat, concupiscibilis dicitur, & quatenus malum fugit, irascibilis. 78

Assertio nostra probatur eo modo, quo probari solent significationes vocum, quibus in philosophia vtimur, nimirum auctoritate antiquorum sit pro omnibus solus D. T. qui *primæ p. quæst. 23. art. 1. corp.* sic habet: Obiectum potentiæ concupiscibilis est bonum, vel malum sensibile simpliciter acceptum, quod est delectabile, vel dolorosum, sed, quia necesse est, quod interdum anima difficultatem, vel pugnam patiatur adipiscendo aliquod huiusmodi bonum, & fugiendo malum, in quantum hoc est quodam modo elevatum supra facilem potestatem animalis, ideo ipsum bonum, vel malum, secundum quod habet rationem ardui, vel difficilis, est obiectum irascibilis. quid clarius? Addiderim tamen, quod hi duo appetitus solum secundum id, quod dicunt in obliquo, & per ordinem ad obiecta distinguantur; de cætero verò in recto, & intrinsecè sunt eadem formalissima potentia. 79

Quod probatur paritate sensuum internorum, quos vidimus esse vnam formalissimam potentiam secundum id, quod important formaliter in recto, & distingui solum in ordine ad actus, penes quos in obliquo dimensificatur. Confirmatur, quia voluntas nostra est vna formalissima potentia, quæ tendat in bonum, & malum vt sic vniuersaliter sumptum, siue in bonum, & malum arduum: ergo idem dici potest de appetitu sensitiuo respe-

Digitized by Google

respectu sui obiecti, quod est bonum, & malum particulare, nempe sensibile.

80 Tertia conclusio: actus appetitus concupiscibilis sunt omnino sex; Amor, Desiderium, Fuga, Delectatio, Tristitia, & Odium. Actus verò appetitus Irascibilis quinque enumerantur, Spes, Desperatio, Audacia, Timor, & Ira. ita D. Tho. *par. 2. qu. 23. art. 4.* in cuius corpore habetur certa huius conclusionis probatio, quam ibi inuenire poterit quicunque volet.

81 Quarta conclusio: Appetitus sensitiuus residet in cerebro tanquam in propria sede. Ita Hurtadus *Disput. 17. de anim. sect. 10*: Ouiedus *loco supra citato*: Competonus *disp. 15. sect. 2.* & alij recentiores sequuti medicos, & anatomicæ artis professores.

82 Probatur ex dictis supra: quia idem debet esse principium cognoscitiuum, & appetitiuum: sed sensus communis est principium cognoscitiuum animalis, à quo proximè mouetur appetitus sensitiuus. ergo sicuti sensus communis est in cerebro, ita & appetitus sensitiuus.

83 Dices primò: Aristoteles *de Iuuent. & Senect. cap. 2. & lib. 2. de part. animal. cap. primo, & 10. & lib. 4. de sensu & sensili cap. 2. & sæpe alibi* docet: appetitum sensitiuum in corde tanquam in proprio organo residere. huic enim vni membro, tanquam regi, ipse administrationem regni totius corporis, & quasi monarchiam attribuit. ergo nostra sententia est contra Philosophum.

84 Respondeo: nonnullos exponere Aristotelem, quod non loquatur de sede proxima appetitus, sed de remota, sicuti diximus de sensu communi. & quidem si ita res se haberet, certum est, quod non esset nobis contrarius. si quidem in corde caloris officina viget, in eoque spiritus vitales procreantur, sine quibus nec vllus motus, nec vllius sensus, siue interni, siue externi operatio haberi potest. Verum alij ingenuè fatentur Philosophum in hoc erraſſe, quia putauit in corde sensum communem reperiri: & ab eodem non solum naturales & vitales, sed etiam animales facultates originem ducere. Porrò hic error adscribendus potius est Medicis, & anatomicis sui temporis, quâ sibi, quisque enim, prudenter operando, credere debet professoribus illius artis, de qua loquitur. Quoniam verò ex anatomijs quotidianis, quæ nostris temporibus fiunt, apparet, neruos à cerebro tum ad sensus externos, tum etiam ad reliquas partes corporis procedere: id circo sensum communem, & perconsequens appetitum sensitiuum in cerebro tanquam in proprio organo residere putandum est.

85 Dices secundo: experimur quasdam operationes appetitus, vt Iram, Tristitiam, & similes esse in corde. ergo ibi erit potentia appetitiua. Consequentia euincitur, quia huiusmodi potentia sicuti reliquæ sensitiuæ immanenter operantur.

Respondeo negando antecedens; quamuis enim quoties irascimur experiamur sanguinem circa cor efferuescere, & quoties tristamur, humore melancholico ipsum cor premi: actus tamen iræ atque tristitiæ distinguntur essentialiter ab his affectionibus. Ira enim est appetitus vindictæ, tristitia verò est dolor de malo præsenti. Verum quidem est, iram causare efferuescentiam illam sanguinis circa cor; tristitiam verò mouere ad illud melancholiâ. Porrò contra hoc non facit immanentia huiusmodi actuum, quia ad immanentiam actuum non requiritur vt nihil extra potentiam, à qua fiant, operari valeant, sed sufficit, si ipsi in principio à quo procedunt recipiantur.

Quinta conclusio: Præter appetitum sensitiuum 86
in cerebro residentem, non dantur alij appetitus particulares singuli in singulis externis sensibus existentes. est Ouiedi *loco supra citato* contra Hurtadum *disput. 17. de anim. sect. 11.* sequente Scotum, & alios.

Probatur: quia ex vna parte nulla est necessi- 87
tas multiplicandi tot appetitus in animali, cum sufficiat pro omnibus his sensationibus appetitus sensitiuus internus, qui mediante sensu communi circa eorum obiecta valeat operari: ex alia verò parte Philosophi ferè omnes, qui de huiusmodi potentijs accuratè scripserunt, nunquam de multiplicitate horum appetituum mentionem fecerunt; ergo frustra, & sine necessitate diuersis sensibus externis, appetitus diuersi in ipsis residentes tribuuntur.

Dices primo pro Hurtado: Bonum visum, au- 88
ditum, &c. est obiectum appetitus, sed non appetitus communis interni, quia hic non fertur in bonum vt visum, & vt auditum, &c. ergo bonum visum est obiectum appetitus proprij potentiæ visiuæ, auditum auditiuæ &c.

Respondeo concessa maiore, negando minorem; cuius distinguo probationē: appetitus communis non fertur in bonum vt visum &c. reduplicatiuè acceptum, ita vt particula, vt, reduplicet rationem formalem appetendi, concedo: specificatiuè sumptū, ita, vt dicta particula conditionem appetitionis importet, nego minorē; & ad consequentiā dico, quod si obiectū appetitus esset bonū vt visum, auditū &c. reduplicatiuè acceptū, concedendi essent peculiares appetitus pro singulis sensibus: quoniam verò particula, vt, significat meram conditionem; & solum bonum sensibile, vt sic, est obiectum appetitus sensitiui: hinc fit, vt non debeant pro singulis sensibus singuli appetitus multiplicari. 89

Dices secundo: Appetitus rationalis non fertur 90
immediatè in obiecta sensata sensu communi, sed inter ipsum, & sensum communē datur appetitus sensitiuus, qui immediatè attingat obiecta communi sensu cognita. ergo neque appetitus sensitiuus internus fertur immediatè in obiecta sensata sensibus externis; sed inter ipsum, & sensus externos datur appetitus sensitiuus particularis.

Respondeo concesso antecedente, negando con- 91
sequentiam; disparitas est, quia cognitio sensitiua ad appetitum sensitiuum per se mouendum ordinatur, & ideo non potest appetitus rationalis ab operationibus sensus communis, nullo mediante appetitu materiali, moueri: at potest appetitus sensitiuus ab operationibus sensuum externorum, nullo alio mediante appetitu moueri, quia ex vna parte in materialitate illis proportionatur: ex alia verò intercedit sensus communis, qui exterius sensata ipsi appetitui approximat, & repræsentat.

Dices tertiò: in externis sensibus experimur de- 92
lectationē, atque doloré. delectatur enim ipse tactus

Digitized by Google

ctus tangibili blando, & dolet acerbo; ergo dantur in ipsis externis sensibus appetitus proprij.[1]

Ad hoc Respondet Hurtadus ipse negando consequentiam: ait enim, quod quemadmodum lux videtur in subiecto, in quo est à potentia distanti: sic dolor sentitur in obiecto, id est in sensu externo, quia inde specie immittit in sensū communem, qui per suam sensationem appetitum ad displicentiam illam determinat.

92 Sed contra est, quia inter sensationem doloris, & lucis est magna disparitas. nam lux videtur quidem in pariete V. G. obiectiuè; sed non subiectiuè, ita vt percipiatur ab ipso pariete: at dolor subiectiuè cruciat pedem; experimur enim non solum interius auerti ab obiecto dolorifero, sed etiam pedem ipsum dolore affici. Hac igitur responsione posthabita, melius respondendum putarem: quemlibet actum sensitiuum quantum, vis externum per se ipsum formaliter afferre aliquam delectationem, vel dolorē potentiæ sensitiuæ, in qua recipitur, pro vt obiectum, circa quod versatur est conueniens, vel disconueniens dictæ potentiæ. sic quia vehemens lux est corruptiua organi visiui, ideo visio talis lucis formaliter accepta affert molestiam oculo: Contra verò, quia color viridis debite illuminatus est conseruatiuus dictæ potentiæ, quia æque de extremis coloribus participat; ideo visio illius visum recreat, atque confortat: idem in reliquis sensibus externis videre est; quare concesso antecedente, nego consequentiam.

94 Instabis dolor, & delectatio sunt actus appetitus; sed iam conceditur singulis sensibus externis inesse dolorem, & delectationem; ergo negari non potest eos habere peculiares appetitus sibi correspondentes. Respondet primo Comptonus *disput. 15. sect. 2. num. 5.* se existimare probabile, externos corporis sensus præditos esse suis peculiaribus appetitibus imperfectis, qui licet nequeāt actus perfectos appetitionis elicere, possunt tamen imperfectos de obiectis propriorum sensuum, quorum sunt actus. Verum hoc est dare manus aduersariò, & victum se ab illo confiteri. neque enim Hurtadus intendit, appetitus quinque sensibus externis correspondentes habere perfectionem illam, quam communiter appetitui sensitiuo interno tribuimus.

Respondet secundò Oviedus *punctо 3. citato nu.* 95
12. ipsam sensationem externam esse formaliter conuenientem, vel disconuenientē potentiæ sensitiuæ, in qua recipitur, & sic habere rationem doloris, vel delectationis: sed non explicat discrimen inter dolorem, & voluptatem quando sunt actus appetitus, & quando sunt actus sensuum externorum.

Respondeo ergo tertiò ad difficultatem, distin- 96
guendo maiorem: Dolor, & delectatio transcendentaliter accepta, sunt actus appetitus, nego: specialiter sumpta, concedo maiorem, & sic distinguo minorem, sed iam conceditur singulis sensibus externis inesse dolorem, & voluptatem transcendentaliter accepta, concedo specialiter, nego minorem, & consequentiam. Ac duo rationem doloris, & voluptatis dupliciter concipi posse: primò quatenus transcendunt per omnes actus sensitiuos, qui aliunde habent, vt quilibet illorum in sua determinata specie constituatur. Secundò quatenus dant speciem quibusdam actibus, & illos vltimò constituunt in ratione doloris, & delectationis. Iam verò ratio doloris, & voluptatis, quæ priori modo reperitur in actibus, non est sufficiens illos appetitui tanquam propriæ potentiæ attribuere; sed bene sufficit sola ratio, quæ in eis posteriori modo cernitur; & rectè id quidem, cum enim per nos quilibet actus cognoscitiuus etiam externus habeat ex se formaliter afferre potentiæ, in qua recipitur, aliquam delectationem, aut dolorem, impossibile est, quod dolor, & voluptas sic transcendentaliter sumpta, sint actus appetitus sensitiui. Solum igitur ille dolor, & illa voluptas erunt tales, quæ de sua ratione specifica habebunt torquere, vel delectare potentiam, in qua sunt, cuiusmodi non est visio luminosi intensi, vel coloris medij; quia hæc primò, & per se habet solum dicta obiecta vt luminosa sunt, & colorata percipere. Secundariò verò, & veluti consequenter afferre dolorem, vel delectationem potentiæ visiuæ. vnde fit, vt in specie visionis, non verò in specie appetitionis constituatur. Contra verò actus doloris, & delectationis, qui ab appetitu sensitiuo eliciuntur primò, & per se habent torquere, vel delectare appetitum; & ideo rectè in specie actus appetitus existunt.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO DECIMA NONA

DE VI POTENTIARVM SENSITIVARVM in ordine ad spiritualia obiecta vitaliter attingenda.

1 POtentias sensitiuas, quæ de facto dantur carere vi connaturaliter attingendi res spirituales tamquam obiecta, experientia ipsa comprobatur; nunquam enim aliquis hominum vidit, sed nec videre potest oculis corporeis animam rationalem, aut Angelum in propria substantia, sed si illa vidit vnquam, non nisi in corporibus assumptis lumine, & colore affectis videre valuit. vtrum autem diuinitus eleuari possint ad id præstandum, dubium est; sicuti etiam, num saltem sit possibilis potentia aliqua sensitiua, quæ aliquod spirituale cognoscere valeat. nos verò loco prioris controuersiæ, exagitabimus illam de oculo corporeo in ordine ad videndum Deum, quæ est celeberrima apud Theologos; & loco posterioris de potentia sensitiua saltem possibili in ordine ad eundem Deum intuitiuè cognoscendum, quæ occasione prioris controuersiæ ab eisdem Theologis prima parte tractatur. ex his enim, & præcipue ex rationibus, quæ adducentur à nobis ad nostram sententiam propugnandam, euidenter constabit quam vim potentiæ sensitiuæ in ordine ad reliqua spiritualia obiecta vitaliter attingenda sibi vindicent.

SECTIO PRIMA.

Vtrum oculus corporeus possit diuinitus eleuari Ad videndum Deum intuitiuè.

2 PRo quæstionis præsentis intelligentia notant nonnulli ex Quiros, Gonzales, & alijs oculum nostrum, præter animam rationalem, includere humores, musculos, neruos, ossicula, tunicas, & cætera huiusmodi, affecta calore, humiditate, mollitie, figura, reliquisque accidentibus ad videndum de facto necessarijs: Quo posito dicunt, quæstionem non procedere: an humores, musculi, & cætera suis accidentibus prædita Deum videre possint; cum enim hæc non sint magis capacia ad videndum naturaliter colores, & lumen, quam lapides, & ligna; non est dubiũ ea non posse diuinitus eleuari ad Deum intuitiue percipiendũ. ergo vt rationabiliter, inquiunt, præsens quæstio instituatur, intelligi debet de anima rationali per actus diuinitus facti bilis obedientialiter ab hoc organo: sed de ea sic accepta rectè potest asseri, quod possit videre Deum. sicuti igitur quando quæritur, an homo possit videre Deum? conceditur, quia per aliquod sui, hoc est per animam, id præstare potest: ita, & in casu nostro ad affirmandum quod noster oculus eleuari possit ad Deum intuitiue videndum, sufficit vt aliquid oculi nempe anima possit id præstare per actum saltem diuinitus à tali organo factum.

3 Ego verò vt quid sentiam de hoc integro discursu, ingenuè fatear. dico ex verissimo antecedente falsas consequentias deduci. ratio est, quia sic nil aliud importaret dicta quæstio, quam duplicem hanc: num anima in corpore existens possit videre Deum intuitiue, & num ad huiusmodi visionem producendam possit diuinitus eleuari substantia aliqua corporea, cuiusmodi est organũ oculi humani, atqui hoc esse nimis crasse, & pinguiori minerua, vt aiunt, de præsenti quæstione sentire, constat ex omnibus, qui vsque ad nostra tempora partem eius negatiuam sequuti sunt, inter quos D. T. & Scotus, alijque, sacræ Theologiæ lumina numerantur, qui si in sensu aduersariorum eam intellexissent: affirmatiuam sententiam sine dubio propugnassent; eo quod vtramque illam suis locis, validis rationibus tutati sunt. Atque hæc quantum ad primam consequentiam, quo ad subsumptam verò minorem, dato, sensum controuersiæ esse illum, quem aduersarij sibi fingunt, adhuc dico in sententiam negatiuam eundum fore: Primò, quia falsum est ad denominandum oculum videntem Deum sufficere solum, vt aliquid eius, nempe anima, Deum videret per actum saltem diuinitus factum tali instrumento corporeo, alioquin si Deus nunc eleuaret oculum Virginis ad conseruandã illam eandem visionem Dei intuitiuam, quam ab instanti suæ sanctissimæ mortis habuit, cum veritate diceretur oculus virginis nunc videre Deũ; sed hoc est manifestè falsum, eo quod visio hæc esset eadem quo ad sua essentialia, & indiuidualia, quæ fuit ab initio, videlicet intellectualis dicens ordinem essentialem ad potentiam intellectiuam Virginis, cuius est actus proprius; ergo &c. Secundò, quia dubium est inter auctores num substantia materialis organi sensitiui efficienter ad sensationem concurrat; multi enim putant, solum potentiam sensitiuam vitalem animæ eam efficere: iuxta quorum sententiam, stante aduersariorum discursu de parte ad totum, sufficeret solum

olum ad denominandum oculum videntē Deum, quod anima rationalis, quæ est in oculo illum videat: vnde sequeretur, quod in resurrectione sensus omnes omnium electorum Deum perciperent; & in præsenti Christi Domini, eiusque Matris: quo quid absurdius? quin imo rectè deduceretur quemlibet sensum V. G. oculum nostrum naturaliter audire, gustare, olfacere &c. eo quod eius pars nempe anima id defacto præstat. Tertiò denique; quia ex ratione fundamentali, quam aduersarij ad suam sententiam probandam adducunt, videntur esse in ea opinione, quod videlicet in casu nostro non requiratur eleuatio organi visus ad oculum humanum diuinitus Deum videntem constituendum: sic enim habent in vltima consequentia. ergo sicuti quando quæritur, an homo possit videre Deum, hoc est intellectualiter, conceditur, quia per aliquid suis scilicet per animam potest hoc præstare: ita cum quæritur an oculus, vel ut homunculus, seu vt totulum animatum possit, probabiliter non est negandum: Tum sic, ad verificandum, quod homo V.G. Virgo defacto in cœlo videat visione intellectuali Deum, non est necesse per se, vt eius etiam sanctissimum corpus ad huiusmodi visionem efficiendam eleuetur, sed sufficit si solum anima visionem efficiat ac percipiat: ergo neque ad hoc vt oculus videre dicatur Deum, necesse est vt organū materiale, nempe humores, ossicula, nerui tunicæ &c eleuētur, sed sufficit, vt anima, quæ est eius pars id præstet, atqui hoc est manifeste falsū, vt patet ex dictis, nō igitur in sensu aduersariorū intelligenda est quæstio, sed potius in hoc alio.

4 Quod cum constet, animam rationalem in corpore existentem, præter potentiam intellectiuam sensitiuis potentijs præditam esse, ad quarū actus exercendos organis corporeis saltem materialiter indigeat: num dicta anima pro vt est, & operatur in tali organo V. G. in oculo possit diuinitus per potentiam visuam percipere Deū, perceptiuitate huiusmodi potentiæ, & organo correspondente, quemadmodū constat illum percipere diuinitus per potentiam intellectiuam inorganicam; ita vt sicuti perceptio hæc intellectualis exigit ex suis intrinsecis à dicta potentia, tamquā proprius eius actus fieri, & conseruari, ita, & perceptio Dei oculatis à potentia visiua in organo corporeo existente, atque operante, siue demum potentia hæc ponatur identificari cum anima, siue realiter ab illa distingui, id enim in præsentia parum refert, vt patet ex potentia intellectiua. num si identificatur quæstio procedit in sensu solum formali: si verò distinguitur etiam in reali. Dico, etiam in reali, quia in quæstione præsenti eo modo debet accipi potentia visiua, sicuti necesse est vt oculum constituere valeat, nempe formaliter. Operationes enim quas anima rationalis in corpore exercet vt tribuantur toti, sufficit si fiant ab illa tanquam parte in toto existēte, non tamen vt tribuantur parti hoc sufficit, sed præterea necesse est, vt anima pro vt illam partem informat, operetur, ac per potentiam vitalem, & perceptiuitatem illi parti correspondentem operationem illam eliciat, atque percipiat, ita vt operatio huiusmodi saltē connaturaliter fieri exigat ab ipsa anima, pro vt in illa parte existenti, alioquin nō esset ratio cur oculus nō diceretur cū veritate audire, auris videre, &c. huiusmodi, quæ per omnes falsa esse omnino censentur: His pro quæstionis intelligentia stabilitis.

Conclusio nostra est negatiua, quam Patres, & Scholastici communiter docent, ita vt Vasquez *in primam partem &c.* dicat oppositum esse manifestum errorem: Suarez autem *in primam partem lib. 2. de attributis negat. cap. 6 n. 5.* eam ita esse receptam, vt licet non possimus dicere esse dogma fidei: proximè tamen ad illud accedat; Satis verò Augustinus *Epistola 111.* cum pro ea multos ex Patribus adduxisset: hanc autē, subdidit, meam sententiā esse confirmo, & eam probat ex verbis Apostoli prima ad Thimotheum primò: Regi seculorum immortali, & inuisibili. Ex quibus sic concludit: natura Dei in futuro sæculo de inuisibili non fiet visibilis, quia neque poterit de incorruptibili corruptibilis fieri: vbi ostendit eodem modo implicare Deum esse visibilem, & esse corruptibilem. Quod *li 22. de Ciuitate Dei cap. 29.* super illud Iob. 19. in carne mea videbo Deum, videatur dubitare, an Iob. defacto viderit Deum *in corpore mortali*: loquitur, vt ipse met se declarat, de visione in carne concomitanter. quam habebunt animæ de Deo in corporibus gloriosis, non autem causaliter per carnem; nisi malis textum exponere cum Hieronymo *epistola septima* de visione Dei humanati, quam S. Iob. in sua resurrectione sperabat. 5

Laborant tamen DD. in assignando huius rei implicantiā. Communior verò est hæc: Implicat potentiam aliquam ferri extra suum adæquatum obiectum; sed Deus vt est in se, est extra obiectum adæquatum oculi corporei. ergo implicat Deum vt est in se videri ab oculo corporeo. 6

maior probatur, quia obiectum adæquatum alicuius potentiæ comprehendit omnia ea, in quæ illa potentia ferri potest. minor verò vt probetur, supponit, obiecta illa circa quæ versari potest potentia aliqua debere conuenire in vna quadam ratione communi, & in certo quodam gradu vniuersaliori, cuius beneficio constituant vnū adæquatū obiectum, à quo illa potentia suā speciē, & vnitatem accipiat. cum enim hæc ordinetur ad obiectū, & ab illo specificetur, vt sit vna, necesse est vt vnitatem quandā in ijs præsupponat, adquæ ordinem dicit, quo posito.

Sic probatur illa minor. Obiectum adæquatum proprium potentiæ visiuæ sunt colores omnes, quatenus conueniunt in modo speciali illam immutandi, vel eā congregando, vel disgregando, vel medio modo se habendo. sed Deus, vt est in se, non est color; ergo vt est in se, est extra obiectum adæquatum oculi: minor patet. maior euincitur; nam experientia constat, omne quod videtur esse coloratum (coloris autē nomine hic intelligo admixtionem perspicui cum opaco, sub qua acceptione comprehenditur lumen, quod est primum perspicuū, & mensura cæterorum) constat etiā non quomodocumque attingi colores à potentia visiua, sed pro vt habent dictum specialē modū illā immutandi per concursum obiectiū; quod enim videtur oculo corporeo, vel parum habet de opaco, & multum de perspicuo vt alibedo; & hoc immutat visum disgregando, vel parum

Digitized by Google

rum de perspicuo, & multum de opaco, vt nigredo; & hoc immutat congregando, vel æque de vtroque participat, vt viriditas, & hoc immutat medio modo se habendo.

7 Quamuis autem experientia ducta ab inductione mere à posteriori, eo quod sumitur à solis actibus naturalibus, non probet nisi obiectum adæquatum à potentia naturaliter attingibile; illa tamen, quæ ducitur ab inductione, cui ratio à priori admiscetur, cum faciat nos ab actibus particularibus circa plura obiecta partialia deuenire ad rationem communem, à qua illa potentia adæquatè specificetur, erit sufficientissima ad probandum eius adæquatum obiectum, vltra quod nè supernaturaliter quidem se extendere possit; vt constat ex inductione ducta ab actibus naturalibus intellectus, qua probamus eius adæquatum obiectum, cui assentitur simpliciter esse verum, ita vt nè per absolutam quidem Dei potentiam possit assentiri in falsum cognitum sub ratione falsi; & ex ea, qua ex actibus naturalibus hominis eius essentia indagata, inferimus nè diuinitus quidem dari posse hominē sine animalitate, & rationalitate. Iam verò inductione, qua probamus obiectum adæquatum proprium oculi esse colorem, non esse mere à posteriori, quam materialem appellant, sed admistam habere rationem à priori, quam dicunt formalem, probatur, quia per eam nos aduertimus omnia, & sola ea, quæ attinguntur ab oculo, conuenire in ratione coloris, vnde inferimus formalem rationem adæquatam obiecti potentiæ visiuæ esse colorem, & ex ea rectè deducimus nè diuinitus quidem hanc potentiam attingere posse aliquid, quod dictam rationem non participet.

8 Dices: modum procedendi ad formalem obiectorum conuenientiam inuestigandā, prout complectitur vires tum naturales, tum supernaturales, debere necessariò fieri per inductionem per plures actus, tam naturales, quam supernaturales circa obiecta partialia versantes, vt patet ex modo procedendi ad inuestigandam potentiam actiuam aquæ, cuius actus naturales non certificant, nisi de potentia naturali, quam habet.

Sed contra est, quia sicuti nos in constituendis essentijs rerum absolutarum, vt aquæ, hominis &c. non expectamus animaduertere quid supernaturaliter possint; sed visis ijs, quæ naturaliter agunt absolutè proferimus earum essentiæ esse adæquatè principium radicale dictarum operationum: ita; & in casu nostro, & ratio est, quia pro verisque sufficit inductio facta per naturales actus admixta ratione à priori, vt sæpè diximus. Ad illud de aqua, nego potentiam obedientialē aquæ in ordine ad gratiā producendam colligi à posteriori, sed solū à priori, vt vidimus: ex perfecta scilicet subordinatione, quam omne ens creatum habere debet Deo in omnibus, quæ non includunt manifestam implicantiam.

9 Secunda implicantia, quæ potest esse potius explicatio, & corroboratio præcedentis, affertur sic: Tria ad vitaliter cognoscendum obiectum sunt necessaria: Productio actus, qui dicitur vitalis: Receptio eiusdem actus, & capacitas vitalis, seù perceptiuitas obiecti, cuius beneficio potentia vitaliter illud peroipit, & denominetur ab actu, illud cognoscens. Iam verò licet quātum ad priora duo obedientialiter se habere posset vitalis potentia, atque adeo ad illa diuinitus eleuari: tertium tamen debet naturaliter illi competere, & non obedientialiter ita, vt posito quantumuis supernaturali actu vitali in potentia, quam actus ille ex suis intrinsecis sibi vendicat, naturaliter potentia illa percipiat dicti actus obiectum absque noua eleuatione; alioquin sequeretur, quod res inanimatæ possent vitaliter operari, & sic corpus inanime V. G. lapis, diuinitus videre Deum, sicuti diuinitus potest producere visionem, & in aliquorum sententia eam recipere, quo quid absurdius? Hoc posito sic arguo: Experientia constat, nullo modo oculum nè imperfectè quidem, & abstractiuè Deum cognoscere; ergo licet possit diuinitus eleuari ad visionem Dei producendam, & fortasse etiam ad eam recipiendam: defectu tamen naturalis capacitatis non poterit eleuari ad Deum percipiendum. Antecedens patet. Consequentia verò probatur primò, quia omnis potentia vitalis, quæ est vitaliter capax alicuius obiecti, potest saltem imperfectè in aliquo statu naturali constituta, illud attingere, vt patet ex nostro intellectu abstractiuè Deum naturaliter cognoscente. Secundò probatur, quia capacitas illa naturalis supponit naturalem quamdam proportionem inter potentiam, & obiectum, cuius beneficio illa si non perfectè, at saltem imperfectè debet illud naturaliter attingere posse. ergo &c.

Dices primò sufficere, quod potētia illa sit que 10
ad sua essentialia proportionata cū obiecto, quā proportionē stare posse cū improportione, quo ad naturalia, patet ex in fāte, qui licet sit essētialiter capax discursus, naturaliter tamen est incapax.

Sed contra est primò, quia licet infans in sensu composito cum infantia sit naturaliter incapax discursus, hoc est per accidens; quod patet ex eo, quia si receedat ab infantia per naturalem recessum, poterit naturaliter discurrere.

Contra secundò, quia non potest assignari in 11
quo alio consistat proportio essentialis inter Deum, & oculum, quam ex eo, quod Deus sit cognoscibilis: oculus verò cognoscitiuus vt sic: sed non sufficere huiusmodi proportionem ad cognoscendum Deum patet, quia sic quælibet potentia cognoscitiua posset cognoscere quodlibet, quod absurdum esse conuincitur à pari: Implicat enim quamlibet causam causare posse quemlibet effectum; alioquin Deus, qui est causa finalis, & efficiens omnium rerum, posset causare in genere causæ materialis, & formalis. sicuti igitur in his requiritur determinata proportio in 11
determinato genere, & non sufficit vt sit in vniuersum; quod scilicet vna res sit causa, & altera effectus, vt sequatur causatio quantumuis diuinitus; ita neque sufficiet proportio inter Deum, & oculum in ratione cognoscibilis, & cognoscitiui vt sic, quia Deus est essentialiter tale cognoscibile determinatum in ratione veri, & sic determinatā cognoscitiuitatē in potentia requirit, vt possit attingi sicuti est in se, quæ non reperitur in potentia visiua, sed bene in intellectiua tantūm.

Dices secundo oculū habere quidē naturalem 12
potentiam percipiendi abstractiuè Deum, sed de facto non percipere illū ex defectu specierū sensibilium, quæ non sunt aptæ ingenerare in oculo

Digitized by Google

lo Dei notitiam; ſicuti dicimus habere quidem naturalem capacitatem videndi Chriſtum Dominum in Euchariſtia: defectu tamen ſpecierum ſe tenente ex parte obiecti illum non videre.

13 Sed contra eſt primò, quia ſi natura dediſſet oculo huiuſmodi potentiam, debuiſſet prouidere illi ſpecies, quæ eſſent aptæ Dei cognitionem illi ingenerare; alioquin hæc potentia fuiſſet fruſtratoria.

14 Contra ſecundò, quia neque paritas deſumpta ex Euchariſtia eſt ad rem, falſum eſt enim oculum habere naturalem capacitatē videndi Chriſtum, pro vt in Euchariſtia exiſtentem, quia cum ibi exiſtat indiuiſibiliter, & obiectum oculi exiſtere debeat diuiſibiliter in loco, vt terminet viſionē: hinc fit, vt oculus nō poſſit naturaliter attingere Chriſtū m, pro vt exiſtentem in Euchariſtia.

15 Obijcies primò: ſicuti diſtat Angelus à Deo, ita oculus ab Angelo, quia vtraque diſtantia eſt in ratione potentiæ, & obiecti, ergo ſi poteſt diuinitus ſuperari prior diſtantia, & fieri vt Angelus videat Deum, poterit etiam diuinitus fieri, vt oculus intueatur Angelum, & conſequenter Deum; quia non videtur eſſe maior ratio. Reſpondent aliqui negando vltimam conſequentiā, dicunt enim: non benè argui ab intuitione Angeli ad intuitionem Dei, quia Deus eſt purus actus: ſed contra, quia ratio, quod oculus, videndo Deum, ferretur extra ſuū obiectum adæquatum iam corrueret, ſi poſſet Angelum intueri. Quare ad argumentum reſpondeo ex dictis, diſtinguendo antecedens. Magis diſtat in genere entis, concedo; in genere potentiæ, & obiecti, nego antecedens, & conſequentiam, quia ens infinitum, qua infinitum, eſt verum. vnde ratio infinitatis eſt intranea ad rationē formalē obiecti intellectus. at verò Angelus eſt incorporeus, ratio autē incorporei eſt extranea à ratione formali conſtitutiua obiecti viſibilis, hæc enim eſt de neceſſitate materialis.

16 Inſtabis primò: Dæmonis arte, id quod eſt de ſe ſenſibile, redditur aliquando inſenſibile. ergo multo magis Angelus, qui de ſe eſt inſenſibilis, poterit virtute diuina reddi ſenſibilis. Reſpondeo negando conſequentiam. diſparitas eſt, quia non aliter corpus redditur à Dæmone inſenſibile, quam impediendo actum ſecundum ſenſationis, qui cum non ſit de eſſentia actus primi, optime poteſt ab illo ſeparari: at verò, vt ſpiritus in actu ſecundò ſentiatur, requirit neceſſariò vt ſit ſenſibilis, quod cum illi repugnet, repugnabit etiam quod ſentiatur.

17 Inſtabis ſecundò: obiectum intellectus eſt ens, & verum, & tamen cognoſcit non ens ac falſum. Item obiectum viſus eſt quid reale, & tamen videt remum diſtortum in aqua, qui non eſt realis. ergo licet obiectum viſus ſit color, poterit tamen diuinitus hæc potentia Deum attingere. Reſpondeo, quod quando aſſignatur pro obiecto intellectus verum, agitur de obiecto, in quod fertur hæc potentia per modum proſequutionis, cū certum ſit permodum fugæ verſari circa falſum; quod ſi aliquando feratur in entia negatiua, atque chymerica permodum proſequutionis, fertur in illa in quantū habent aliquam veritatem, ac rationem entis complexi, quomodo etiā ferri poteſt in falſum, hoc eſt ſub ratione veri. Ad id, quod pertinet ad remum in aqua dico, quod ſicuti non ſolum veri colores ſunt obiectum potentiæ viſiuæ, ſed etiam apparentes, vt conſtat in Iride; ſic etiam non ſolum vera curuitas, ſeù figura, ſed etiam apparēs poteſt viſiuam potentiam mouere, pro vt repræſentatur à ſpeciebus excrinſecus aduenientibus, quare nego conſequentiam.

Obijcies ſecundò: poteſt aqua eleuari ad producendam gratiam, ergo & oculus ad videndum Deum. Reſpondeo negando conſequentiam. diſparitas eſt, quia gratia de ſe eſt producibilis; atque adeò non eſt mirum, quod poſſit à Deo aliquid eleuari ad producendā illam; at vero Deus non eſt ſenſibilis; ſiquidem ſe habet ad ſenſibilitatem, ſicuti chymera ad producibilitatem, vnde quemadmodum non poteſt neque diuinitus produci chymera, ita nec Deus aliquo ſenſu ſentiri. 18

Inſtabis, quia gratia de ſe eſt producibilis, poteſt eleuari aqua ad illam producendā: ergo quia Deus eſt de ſe cognoſcibilis, poterit oculus eleuari ad eum cognoſcendum. Reſpondeo negando conſequentiā. diſparitas eſt, quia potentia obedientialis ad aliquid producendum, ſicuti non eſt alligata alicui determinatæ rationi entis producibilis, ita neque ſibi determinat peculiarem aliquam rationem in agente, ſed ſequitur ens creatum indeterminatè ſumptum: & ideo potentia obedientialis aquæ in producendo gratiam, non fertur extra ſuum adæquatum obiectum, contra verò, potentia obedientialis ad aliquid ſentiendum eſt determinata ad rationem ſenſus; alioqui poſſet quodlibet ad ſentiendum eleuari. quare obedientialitas illa ſupponit rationem ſenſus conſtitutam in ordine ad ſuum obiectum, quod ſi addit rationem obedientiæ, hæc obligata eſt ſenſui, vt ſenſus eſt. cū autem ſenſus, vt ſenſus eſt dicat eſſentialem ordinem ad ſenſibile, quod neceſſariò materialitatē importat; hinc fit, vt nō poſſit eleuari, niſi ad percipiendum ſenſibile materiale; ſecus ferretur extra ſuum obiectum; benè tamen poteſt eleuari ad producendam cognitionem, qua cognoſcatur res ſpiritualis, quia ad hoc præſtandum ſufficit habere rationem entis. 19

Obijcies tertiò: licet Angelus non ſit naturaliter frigefactibilis; poteſt tamen diuinitus frigefieri ab aqua, recipiendo in ſe frigus ab ea productum. ergo licet Deus non ſit naturaliter ſenſibilis ab oculo, poterit tamen diuinitus ab eo ſentiri. Reſpondeo tranſeat antecedens, quod à multis negatur; nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia in frigefactione Angelus ſe habet vt ſubiectum, in ſenſatione verò Deus ſe habet vt obiectum; frigefactio autem ſicuti poteſt eſſe diuinitus ſine omni ſubiecto, ita indifferens eſt ad materiale, vel ſpirituale ſubiectum admittendum. Contra verò, ſenſatio implicat ſine obiecto, vnde non eſt mirum ſi ſibi etiam determinat obiectum. Cur autem non ſit indifferens ad obiectum ſpirituale, & materiale, ratio eſt, quia eſt eſſentialiter actualis perceptio ſui obiecti ſenſibilis, quemadmodum frigefactio eſt eſſentialiter actualis productio frigoris, vnde dicitur actio grammaticalis, ſeù obiectiua, ad differentiā prædicamentalis, ac productiuæ, ſicuti igitur implicat dari frigefactionē ad producendum Angelum, 20

Digitized by Google

gelum, ſed de neceſſitate debet actu producere frigus, ita repugnat dari ſenſationem ad ſentiendum Deum, vel Angelum, ſed debet de neceſſitate percipere rem ſenſibilem, & hinc etiam oritur, quod ſenſatio non dicat eſſentialem ordinem ad obiectum aptitudinale, ſicuti dicit accidens ad ſubiectum; ſed ad actuale. ita vt ſit eſſentialiter actualis perceptio obiecti ſenſibilis.

21 Inſtabis: poſito diuinitus frigore in Angelo tanquam in ſubiecto, vtique Angelus euaderet tangibilis; ergo aliquod ens ſpirituale poteſt eſſe diuinitus ſenſibile. Reſpondeo conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens, ens ſpirituale poteſt eſſe ſenſibile, per accidens, tranſeat: per ſe, nego conſequentiam, quæſtio autem procedit vtrum poſſit eſſe per ſe ſenſibile, nam ſenſibilitas per accidens conceditur defacto à D. Tho: animæ rationali, & Deo reſpectu oculi glorioſi *in 4. diſt. 50. quæſt. prima art.* 2. Dixi, tranſeat etiam in hoc ſenſu, loquendo de Angelo, quia cum frigiditas illa non ordinetur ad Angelum tanquam ad ſubiectum, nec ſit proprietas illius, non eſt de ſe ordinata ad manifeſtandum illum ſenſui, & ſic nè per accidens quidem ſeù denominatiue Angelus eius beneficio dicetur propriè ſenſibilis.

22 Obijcies quartò: poteſt ſenſus abſtractiuè attingere obiectum. ergo poterit eleuari ad ſentiendum Deum ab omni materia abſtractũ. Antecedens patet in imaginatione, quæ cogitat de obiecto non ſolum abſente, ſed etiam corrupto. Conſequentia probatur, quia non minor vis requiritur ad abſtrahendum ex parte ſubiecti, quo admodum tendendi, quam ex parte obiecti. Reſpondeo: tranſeat antecedens, nego conſequentiam; ad cuius probationem nego aſſumptum, & ratio in caſu noſtro eſt, quia cum eo, quod ſenſus attingat abſtractiuè obiectum ſuum, & abſtrahat quo ad modum tendendi, ſtat, quod ad hoc feratur circa ſenſibile. at verò ex eo, quod percipiat obiectum abſtractum à materia, ſequitur, quod feratur extra ſuum obiectum adæquatum. Dixi tranſeat ad antecedens, quia non pauci dicunt, quod imaginatio repreſentet ſemper obiectũ in ſe ipſo, & ſic non attingat illud abſtractiuè, ſed intuitiuè tantum.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum ſit poſſibilis aliqua potentia materialis qua poſſit Diuinitus Deum intueri.

23 VIdimus non poſſe eleuari oculũ corporeum ad intuendum Deum, eo quod ferretur extra ſuum adæquatum obiectum; quæ ratio cum militet eodem prorſus modo contra cæteras potentias ſenſitiuas materiales, quæ defacto dantur, manifeſtè colligitur, nullam ex his potentijs eſſe Diuinitus eleuabilem ad Deum cognoſcendum, ſicuti eſt in ſe, ſed adhuc manet difficultas, an ſaltem ſit creabilis à Deo aliqua alia potentia ſenſitiua, quæ ad hoc diuinitus eleuari poſſit.

24 Concluſio eſt negatiua, & comunis: Probatur primò argumento comuni, quia ſi potentia materialis poſſet diuinitus Deum intueri, ſequeretur, quod poſſet attingere ens ſpirituale. ſed hoc implicat. ergo &c. maior patet, minor probatur, quia ſi id poſſet, vel immediatè vel mediatè poſſet; neutrum. ergo &c. probo minorem, non immediatè, quia ſic potentia hæc eſſet perfectior intellectu noſtro, iam enim videret intuitiuè rem ſpiritualem, cum noſter illam videat abſtractiuè; neque mediatè, tum quia huiuſmodi potentia eſſet diſcurſiua; atque adeo ſubſtantia materialis poſſet eſſe capax libertatis, & per conſequens amicitiæ, & inimicitiæ Dei; cum omnis potentia materialis poſſit conuenire ſubſtantiæ materiali; tum etiam, quia non poſſet naturaliter oſtendi animam noſtram non eſſe materialem, atque adeo hominem conſtare ex anima ſpirituali; hoc enim non aliunde probatur à Philoſophis, quam ex eo, quod experiamur illam diſcurrere.

Mira ſunt, quæ ad hæc reſpondet Arriaga *diſput. 5. de anima ſect.* 2. Ait enim primò non videre repugnare libertatem, amicitiam, vel inimicitiam Dei potentiæ alicui materiali; eo quod ſubſtantia ſpiritualis, cui hæc competunt, non multum differat à ſubſtantia materiali, poteſt enim, ſicuti illa, habere partes integrantes, & extenſiuas; ſiquidem per hoc ſolum diſcrimina ur ab ea, quod ſit penetrabilis in eodem loco cum alio individuo eiuſdem ſpeciei; contra verò ſubſtantia materialis eſſentialiter per impenetrabilitatẽ conſtituitur, quod non videtur magnum diſcrimen vt, quod conceditur vni, negari debeat alteri. 25

Contra tamen eſt primò, quia falſo nititur fundamento, dum docet, poſſe dari ſubſtantiam ſpiritualem conſtantem partibus integrantibus, & ſolum differre à materiali, per hoc quod ſit penetrabilis, illa verò minime, vti nos fusè probauimus ſupra. contra etiam eſt ſecundo, quia ſi non repugnat libertas, & amicitia Dei ſubſtantiæ materiali, neque poſſet negari eam poſſe eleuari ad intuendum Deum. ſed hoc negatur expreſſe ab ipſo Arriaga, ergo &c. ſequela probatur; quia quando concedit hic auctor ſubſtantiæ materiali amicitiam Dei, vel loquitur de amicitia naturali, vel ſupernaturali, ſi dabilis eſt prima, quod negatur à multis, non poteſt hæc non eſſe fundamentum ſecundæ; ſicuti enim potentia ad naturaliter amandum Deum eſt fundamentum amoris ſupernaturalis; ita & amicitia. Atqui ſupernaturalis amicitia conſiſtit in gratia habituali, quæ eſt ſemen gloriæ conſiſtentis in viſione Dei, impoſſibile igitur eſt dari poſſe potentiam materialem capacem naturalis amicitiæ Dei, quin ſit capax Viſionis beatæ, quod ipſum multo magis conuincit, ſi loquatur de amicitia ſupernaturali. 26

Addit ſecundò, quod ex diſcurſu intellectus non ſequitur neceſſariò libertas in voluntate, quia poteſt eſſe aliquod intellectiuum, quod non ſit volitiuum; vnde non bene deducitur, creaturam materialem attingentem mediatè obiectum ſpirituale eſſe debere liberam. 27

Sed contra eſt: quælibet enim natura habere debet appetitum ſibi proportionatum; quare ſicuti natura, quæ non eſt vita, non poteſt habere appetitum vitalem; ita implicat, quod natura viuens vitali careat appetitu, alias dicamus, poſſe dari voluntatem ſine intellectu, quod ne mo 28

mo dicet; nam ſicuti voluntas eſſentialiter ſupponit intellectum: ita intellectus eſſentialiter ordinatur ad voluntatem; nam ſubſtantia viuens ad hunc finem debet cognoſcere obiectum ſuum, vt ſcilicet in illud feratur, eo modo, quo cognoſcit. Iam verò potentiam appetitiuam ſequentè diſcurſiuà debere eſſe liberam conſtat ex eo, quia per diſcurſum conferuntur, & expenduntur obiecta in ordine ad proſequutionem, vel fugam illorum faciendam à voluntate, quod ſine libertate ſtare non poteſt.

29 Tertiò dicit Arriaga cognitionem intuitiuam potentiæ materialis verſantis circa obiectũ ſpirituale eſſe poſſe imperfectiorem noſtra intellectione abſtractiua eiuſdem obiecti, ſicuti viſio corporea intuitiua albedinis eſt imperfectior cognitione abſtractiua eiuſdem albedinis. Contra tamen eſt, quia ſi hæc vera eſſent, ſequeretur, quod nulla poſſet aſſignari ratio, cur intellectus noſter, vel ſaltè aliquis alius naturaliter Deum intueri nequiret; dici enim poſſet, quod tam imperfecta cognitio intuitiua excederetur in perfectione à cognitione abſtractiua de eodem Deo, quo quid abſurdius? Contra ſecundò, quia intuitiua perceptio ſpiritualis obiecti certificare debet intuentem, quid ſit illud obiectum, & quæ nam prædicata contineat, quod non habet noſtra cognitio abſtractiua Dei, vti dicemus inferius; ergo impoſſibile eſt, quod cognitio abſtractiua ſpiritualis obiecti alicuius item ſpiritualis poſſit eſſe perfectior intuitiua materiali eiuſdem obiecti in ratione cognitionis.

30 Quartò denique reſpondet duo. Primò, quod potentia illa materialis perfectius cognoſceret propria obiecta, quam intellectus noſter: poſſet tamen ab illo ſuperari ex eo, quod eſſet limitata ad duo, vel tria obiecta tantum; cum intellectus noſter omnia cognoſcere poſſit. Deinde ait nullam apparere repugnantiam, quod aliqua materialis ſubſtantia ſit perfectior in cognoſcendo quam noſter animus. Sed contra primum facit, quia non poſſet potentia illa materialis attingere tria, vel quatuor obiecta ſpiritualia, niſi ſub ratione veri; ſed in hac ratione cætera omnia conuenirent: ergo ſicuti implicat intellectus potens ſe extendere ad tria, vel quatuor obiecta tantum, ita & hæc materialis potentia. Contra ſecundum verò facit: nam modus operandi non poteſt non ſequi modum eſſendi, & impoſſibile eſt, quod id, quod in eſſendo eſt imperfectius alio, perfectius illo operetur: cauſa enim præcontinere debet ſuum effectum, & eſſe ſaltem æque perfecta, ac eſt ille. quare ſi qua potentia habet operationem cognoſcitiuam perfectiorem intellectione noſtra, neceſſario erit perfectior noſtro animo. atque hæc pro prima ratione à nobis aſſignata contra Arriagam.

31 Probatur ſecundo ratione D. Thom. qua vtitur hic *quæſt. 12. art. 3.* quæ non ſolum conuincit non poſſe oculum corporeum eleuari ad cognoſcendum Deum, ſicuti eſt, ſed neque vllam aliam potentiam, ſiue exiſtentem, ſiue poſſibilem, ea eſt huiuſmodi: Omnis potentia ſenſitiua eſt actus corporalis organi; vnde nulla huiuſmodi potentia poteſt ſe extendere vltra corporalia: Deus autem in corporeus eſt; vnde nec ſenſu nec imaginatione videri poteſt, ſed ſolo intellectu. in quo diſcurſu, ex eoquod ſenſus ſit corporalis, prius deducitur non poſſe percipere aliquod ſpirituale; poſtea verò, quod non poſſit ſentire Deum, ſicut eſt in ſe. Ex quo colligo male loqui Arriagã *prima parte diſput. 6. ſect. 1. num. 3.* dum ait quoſdã, quaſi cœco modo, dum audiunt materiale, ſtatim negare illi operationem circa obiectum ſpirituale, & in hoc non ita bene diſcurrere. debebat enim reuereri præceptorem ſuum, ſicuti ſcit noſtra ſocietas, quæ inter propoſitiones philoſophicas, quas in ſcholis ſocietatis non amat doceri, hanc recenſuit propoſitionẽ. Probabilius eſt non repugnare potentiam materialem cognoſcitiuam rei ſpiritualis.

Sed nos redeamus ad argumentum D. Thom. in quo omnia, quæ aſſumuntur ſunt manifeſta, ſi primam conſequentiam excipias; ad quam probandam ſuppono admirabilem diſcurſum, quo idem S. Doctor vtitur *in 4. diſt. 50. quæſt. 1. art. 2.* ad probandum, quod oculus ſit ineleuabilis ad videndum Deum; procedit autem in hunc ferè modum: Senſu corporali aliquod ſentitur dupliciter; vno modo per ſe, alio modo per accidens; per ſe quidem ſentitur id, quod per ſe paſſionem ſenſui corporali inferre poteſt, per ſe autem poteſt aliquid paſſionem inferre, aut ſenſui, in quantum eſt ſenſus, aut huic ſenſui, in quantum eſt hic ſenſus. quod autẽ ſecundo modo infert, dicitur ſenſibile proprium; ſicut color reſpectu viſus; quia autem ſenſus, in quantum eſt ſenſus, vtitur organo corporali, non poteſt in eo aliquid recipi, niſi corporaliter; cum omne, quod recipitur in aliquo, ſit in eo per modum recipientis. & ideo omnia ſenſibilia inferuut ſenſui paſſionem, in quantum eſt ſenſus, ſecundum quod habent magnitudinem; & ideo magnitudo, & omnia conſequentia, vt motus, & quies, & numerus & huiuſmodi dicuntur ſenſibilia comunia, per ſe tamen; per accidens autem ſentitur id, quod coniungitur his, quæ per ſe ſenſui inferunt paſſionem. dico ergo quod Deus nullo modo poteſt videri viſu corporali, ſicut per ſe viſibile; quia ſi à ſenſu remouetur id, quod conuenit ſenſui, in quantum eſt ſenſus, non erit ſenſus; & ſimiliter ſi à viſu remoueatur id, quod eſt viſus, in quantum eſt viſus, non erit viſus. cum ergo ſenſus, in quantum eſt ſenſus, percipiat magnitudinem, & viſus, in quantum eſt talis ſenſus, percipiat colorem; impoſſibile eſt quod viſus percipiat aliquid, quod non eſt color, nec magnitudo, niſi ſenſus diceretur æquiuocè. hæc Sanctus Doctor, qui poſtea pergit oſtendere, quod oculus corporeus in patria videat *Deum*, ſicut viſibile per accidens, quia intellectus noſter tam clare in rebus corporaliter viſis *Deum* percipiet, ſicut in loquutione percipitur vita. ſed difficultas noſtra eſt de Dei ſenſibilitate per ſe. quare his poſitis.

Sic probo primam conſequentiam argumenti S. Thom. Omnis ſenſus etiã creabilis eſſentialiter inuoluit rationẽ corporei materialis: ergo omne ſenſibile eſſentialiter rationem materialitatis inuoluat neceſſe eſt. ſed implicat aliquod ſpirituale eſſe in ſe materiale: ergo implicabit etiam eſſe per ſe ſenſibile. ſecundum enthymema

euidens

euidens eſt, & antecedens primi patet, quia per hoc diſtinguimus potentiam ſenſitiuam ab intellectiua, quod illa eſt eſſentialiter affixa alicui parti materiæ, & non niſi cum proxima dependentia ab ea operatura eſt; intellectus autem nullum habet organum corporeum, cui affixus ſit, & á quo in operando dependeat, vt patet ex intellectu Angelico, & Diuino. Quod ſi noſter indiget ſenſibus in operando, non illis indiget tanquam organis, ſed veluti quibuſdam requiſitis prædeterminatiuis intellectus agentis ad producendas ſpecies intelligibiles obiectorum, quæ percipere debet. Conſequentia igitur primi, in qua tota difficultas ſita eſt, probatur, quia potentia ſpecificatur ab obiecto mediis actibus, ſicuti igitur ex eo, quod videamus potentiam ſenſitiuam eſſe eſſentialiter materialem, rectè colligimus à poſteriori ſenſationem ipſam eſſentialiter materialitatem inuoluere. Ita rectè etiam deducimus inuoluere dictam materialitatem eſſentialiter ipſum ſenſibile. Et ratio à priori huius rei eſt, quia illud eſſe exigit eſſentialiter potentia, per quod redditur apta ad recipiendam actionem ſui obiecti, & hac mediante ſpeciem intentionalem in ſe ab illo producendam, vt patet diſcurrenti per omnes ſenſus, atque potentias, tum internas, tum externas; non poteſt igitur aliud aſſignari, cur potentia ſenſitiua exigat eſſentialiter eſſe materiale, organumque corporeum, niſi hoc, vt ſcilicet per dictum eſſe reddatur apta recipere actionem intentionalem obiecti ſenſibilis. Atqui omne agens, quod ad operandũ tranſeunter indiget materia neceſſe eſt vt in ſe ſit materiale, quia operari ſequitur ad eſſe, præſertim ſi debet exprimere imaginem ſui. ergo omne obiectum ſenſibile neceſſariò eſt materiale, quod erat probandum. Qui diſcurſus colligitur clarius ex eodem D. Thoma *lib. 2. de anima lect. 12. in Textum 60.* vbi probans quare ſenſus ſit ſingularium, ſcientia verò vniuerſalium, hæc habet: Senſus eſt virtus in organo corporali, Intellectus verò eſt virtus immaterialis, quæ non eſt actus alicuius organi corporalis; vnumquodque autem recipitur in aliquo per modum ſui; cognitio autem omnis fit per hoc, quod cognitum eſt aliquo modo in cognoſcente, ſcilicet ſecundum ſimilitudinem; nam cognoſcens in actu eſt ipſum cognitum in actu, oportet igitur, quod ſenſus corporaliter, & materialiter recipiat ſimilitudinem rei, quæ ſentitur. Intellectus autem recipiat ſimilitudinem rei, quæ intelligitur incorporaliter, & immaterialiter.

34 Et quibus ſic confirmatur noſtra ratio. Potentia ſenſitiua de neceſſitate eſt materialis: ergo de neceſſitate etiam erit materiale obiectum ſenſibile. Conſequentia euincitur, quia ſi ſenſibile ita ſic poſſet eſſe ſpirituale, non poſſet aſſignari vlla neceſſitas materialitatis in potentia ſenſitiua, ſumpta in tota ſua latitudine propoſuiſſet. Neque dicas de neceſſitate potentiam intellectiuam eſſe ſpiritualem, & tamen obiectum intelligibile non eſſe de neceſſitate ſpirituale, poteſt enim intelligi ens materiale. Nam contra eſt, quia neceſſitas illa ſpiritualitatis in potentia intellectiua oritur ex eo, quia attingere debet obiectum materiale ſub ratione veri, atque adeo ſub ratione comuni enti materiali, & ſpirituali: & ſic deducitur eam debere poſſe attingere ens ſpirituale, & ex hoc de neceſſitate eſſe ſpirituale. quare paritas eſt potius contra te ſic: Intellectus ex eo, quod debeat poſſe attingere aliquod ens ſpirituale, de neceſſitate eſt ſpiritualis in entitate ſua: ergo ſimiliter ſi dabilis eſſet ſenſus potens attingere aliquod ſpirituale, entitatem ſpiritualem deberet habere.

Contra hanc rationem D. Tho. Obijcies primò 35
Noſter intellectus eſt potentialis, & tamen poteſt attingere Deum, qui eſt purus actus. ergo licet ſenſus ſit materialis, poterit attingere obiectum ſpirituale. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: ita vt potentialitas illa ſit exacta ab obiecto intellectus, nego: ita vt proueniat ab imperfectione principij intelligentis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Et ratio eſt, quia materialitas in ſenſu exigitur ab obiecto; & ſic arguit materialitatem in ipſo imperfectio, enim, quæ in aliqua potentia reperitur, ex duplici capite prouenire poteſt: vel ex eo quod exigatur ab obiecto, vel ex defectu principij, à quo emanat dicta potentia; quando prouenit ex primo capite, arguit imperfectionem in obiecto, quando verò ex ſecundo, arguit imperfectionem in principio; ad cognoſcendum autem ex vtro fonte prouenial, hæc dari poteſt regula. Si imperfectio illa eſt inſeparabilis à potentia in tota ſua latitudine conſiderata, ſignum eſt, quod exigatur ab obiecto, ſi verò ſeparabilis eſt, arguitur quod prouenit à principio. Et ratio huius eſt, quia quando eſſentialiter exigitur ab obiecto, implicat, quod detur potentia circa illud ſine tali imperfectione: at verò quando prouenit ex defectu principij, ſicut obiectum ſecundum ſe hanc imperfectionem in potentia non requirit, ita dabilis eſt potentia proueniens ab alio principio ſpoliata dicta imperfectione. Iam verò in caſu noſtro potentialitas, quæ in intellectu noſtro reperitur, quod non exigatur ab eius obiecto eſſentialiter, conſtat ex eo, quia intellectus Angelicus, & Diuinus & ſi reſpiciant idem obiectum, Angelicus tamen caret potentialitate illa; Diuinus verò omni. Contra verò, quod materialitas, quæ reperitur in ſenſu, exigatur eſſentialiter ab obiecto ſenſibili, probatur ex eo, quia dari nequit ſenſus dicta materialitate carens. Porrò ex eo, quod potentialitas noſtri intellectus oriatur ex imperfectione principij intelligentis, non ſequitur, quod ille actum purum attingere nequeat, quia agens quantumuis perfectiſſimum ſine nota imperfectionis poteſt operari dependenter á materia, dummodo non exigat, ex ſe ſic operari; quare quantum eſt ex hoc capite non eſt cur Deus non poſſit, quia ſe eſt ab intellectu noſtro percipi vt obiectum: at verò ex eo quod materialitas potentiæ ſenſitiuæ exigatur ab obiecto, ſequitur quod dicta potentia ſentiret ſolum obiectum, ſi aliquod ſpirituale ſentiret; atque adeo eius obiectum eſſet & non eſſet ens ſpirituale, quod implicat.

Obijcies ſecundò: anima rationalis eſt ſpiritualis, & tamen in operando actus ſenſitiuos pendet neceſſariò à materia; ergo etiam ſi obiectum, quod ſentitur, in operando ſenſibiliter pendeat à 36

mate-

Digitized by Google

materia, potest tamen in se esse spirituale. Respondeo distinguendo antecedens, ita vt ipsa anima sit prima radix exigentiæ organi materialis, nego: ita vt prima radix materialitatis sit ipsum obiectum sensibile, concedo antecedens; & nego consequentiam. si enim sensibile obiectum non exigeret materialitatem in organo: anima rationalis quantum est de se independenter ab illo suas operationes exerceret.

37 Obijcies tertiò: agens calefactiuum exigit operari dependenter à materia, & tamen non est de necessitate ex se materiale, vt patet ex Deo: ergo etiam si obiectum sensibile exigat operari dependenter à materia, poterit tamen esse spirituale. Respondeo distinguendo antecedens eodem modo sicuti supra; ita vt prima radix exigentiæ operandi dependenter à materia sit ipsum agens, nego: ita vt sit effectus, id est calor, qui sic exigit produci, concedo antecedens, & nego consequentiam. Sed instabis sic. ergo dicere possumus in casu nostro, quod prima radix exigentiæ materialitatis sit ipsa species, vel sensatio producenda. Respondeo negando consequentiam. Ratio negationis est, quia species sensibilis est semen, & vicaria obiecti; quare si obiectum in se non esset materiale, ipsa materialitatem in suo esse nullam requireret. Sensatio verò est proles respiciens obiectum vt Patrem, & potentiam vt matrem: si igitur est essentialiter materialis, hæc imperfectio non potest refundi nisi in obiectum, quod tanquam pater, ad hoc vt similem sibi prolem in materialitate producat, exigit potentiam tanquam coniugem, quæ sibi in eadem materialitate conueniat.

38 Obijcies quartò: potest dari cognitio potentialis, quæ representet Deum per modum actus puri. Item cognitio spiritualis, quæ modo materiali representet obiectum. ergo dari etiam poterit cognitio materialis, quæ representet obiectum ad modum spiritualis; non est igitur neganda potentia sensitiua materialis, quæ circa obiectum spirituale feratur. Respondeo, quosdam negare secundam consequentiam, dicentes huiusmodi materialem cognitionem deberi potentiæ intellectiuæ, quia sola hæc est capax obiecti spiritualis, quod ab illa cognitione attingitur. Verum ego negarem primam consequentiam; quia vel prima radix materialitatis huius cognitionis est potentia, vel obiectum, verumuis dicatur semper sequitur, quod potentia à qua procedit sit sensitiua; atqui hæc, vt vidimus, nequit se extendere ad obiectum modo spirituali; ergo neque actus ille, per quod patet disparitas inter huiusmodi cognitiones materiales, & alias in antecedenti propositas.

39 Queres hic. An potentia sensitiua possit Diuinitus attingere Deum saltem per cognitionem spiritualem, quemadmodum aqua attingit gratiam per spiritualem gratiæ factionem. Respondeo negatiuè, quia spiritualis cognitio est intellectio; hæc autem est essentialiter vitalis operatio potentiæ intellectiuæ, quæ sicuti, qua vitalis est, determinat sibi de necessitate vitale principium; ita, qua intellectio determinat sibi intellectum. Implicat igitur, quod potentia sensitiua per illam intelligat; per quod patet disparitas inter intellectionem, & gratiæ factionem; hæc enim cum non sit operatio vitalis, nullum sibi determinat particulare principium.

40 Dices: gratia determinat sibi gratiæ factiuum, tanquam essentiale principium, non minus, quam intellectio, intellectiuum. ergo sicuti aqua, licet non sit naturaliter gratiæ factiua, potest tamen esse talis obedientialiter, ita potentia sensitiua, licet non sit naturaliter intellectiua, poterit tamen esse huiusmodi obedientialiter. Respondeo intellectionem, & quemcumque alium actum vitalem posse produci ab aliquo principio vitaliter, & ab aliquo non vitaliter. Ad id, à quo vitaliter producitur, comparatur vt quo, & vt grammaticalis actio; quatenus est id, quo mediante principium illud percipit obiectum suum, & denominatur intelligens. Ad id verò, à quo producitur non vitaliter, solum comparatur, vt quod, quatenus est effectus aliquis ab eo causatus, qui non denominat illud intelligens; sicuti neque ex eo, quod possit ab eo produci illud denominat intellectiuum: sed ad summum intellefactiuum, sicuti gratia principium suum gratiæ factiuum. Iam verò si non vitaliter consideretur intellectio, à quolibet ente produci potest, non minus, quam gratia. at verò si vitaliter, vendicat sibi determinatum principium vitale, respectu cuius se habeat vt actualis perceptio obiecti, & vt operatio grammaticalis, & sic non nisi ab intellectu fieri potest. perquæ patet falsum esse antecedens argumenti; nam gratia determinata sibi tanquam essentiale principium gratiæ factiuum, quod prædicatum in quolibet ente indifferenter reperitur, at verò intellectio licet eodem modo sibi determinet principium intellefactiuum; intellectiuum tamen determinat sibi, vt in sua specie vltima constitutū per ordinem ad intelligibile, atque adeo vt distinctum à quolibet alio, quod non est intellectus.

41 Atque ex his omnibus clarè deducitur nostra conclusio, titulo disputationis respondens, in qua quærebatur de ni potentiarum sensitiuarum in ordine ad percipienda spiritualia obiecta. Constat enim nullam potentiam materialem cognoscitiuam siue existentem, siue etiam possibilem habere vllam vim, neque naturalem, neque obedientialem vitaliter attingendi aliquod spirituale obiectum, sicuti est in se; ex quò vlterius constat nullum etiam appetitum sensitiuum dari posse qui in rem aliquam spiritualem siue per modum prosequutionis, siue per modum auersionis feratur; cum indubitatum sit nullam potentiā appetitiuam posse in in cognitum ferri.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA

DE POTENTIIS ANIMAE RATIONALIS & primò de Intellectiua.

1 PErfectissima animarum species, quæ est rationalis, qua talis, duas sibi vendicat potentias Intellectum videlicet, & Voluntatem; & quia voluntas cum sit potentia cæca, intellectus illuminatione indiget, vt in suum obiectum feratur: Ideo prius à nobis de hoc, deinde verò de illa disputandum est. Porrò intellectus duplex, agens, & passibilis; & Agens quidem est specierum intelligibilium productiuus. Passibilis verò est productibus intellectionum: non quod duplex sit potentia formaliter ex parte obiecti, sed eadem cum sit, in ordine ad duo munera, quæ habet, explicatur. Nos verò, cum de Agente satis supra occasione specierum intelligibilium dependentium à phantasmatibus loquti simus; ad Passibilem explicandum totam nostram disputationem conuertimus,

SECTIO PRIMA.

51 *Quod nam sit obiectum Intellectus humani.*

2 PRima Conclusio; adæquatum humani intellectus obiectum est ens in tota sua significationis amplitudine sumptum, quatenus comprehendit omnia tum positiua, tum negatiua; tum realia, tum fictitia; tum possibilia, tum existentia: non quod sit completè constitutus ad hæc omnia in particulari cognoscenda; sed quia omnia sub suo obiecto adæquato continentur. Est communis, & eam docet Arriaga *disput. 6. de anim. sect. 1.* Quiedus *Controuer. 5. puncto 2.* & alij communiter.

3 Probatur, quia experientia constat intellectum humanum de his omnibus agere, & disputare posse. hoc autem præstare nequiret, nisi intra eius obiectum adæquatum continerentur. ergo &c.

4 Obijcies primo: intellectus Angelicus, quantùm est de se, ferri potest in omne ens; sed intellectus humanus est imperfectior Angelico. ergo obiectum intellectus humani non potest esse ens in tota illa ampliſſima significatione consideratum, sed magis restrictum.

5 Respondeo: concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia aliunde illa maior perfectio intellectus Angelici, quæ à maiori amplitudine obiecti sui adæquati defluit, potest; nimirum, quia humanus omnia sub ratione sensibilitatis, naturaliter operando, cognoscit; & nihil ex his, quæ hoc modo attingit comprehendit, & cætera huiusmodi. Porrò has, & similes imperfectiones non habet Angelicus.

6 Obijcies secundò: ens in tota ampliſſima significatione sumptum, comprehendit verum, & falsum: de facto enim entia ficta falsa sunt, & tamen comprehenduntur sub illo, vt supra notauimus; sed obiectum intellectus humani est solum verum, vt communiter dicitur: ergo non est ens ampliſſimè sumptum.

7 Respondeo: verum dupliciter sumi posse: Primo quatenus opponitur falso. Secundò quatenus intellectus illi conformari potest affirmando de eo aliquid, quod habet, & negando, quod non habet. Hoc secundo modo sumitur verum, quando dicitur esse obiectum adæquatum intellectus: & sic sumptum comprehendit sub se etiam falsa, atque chimæras eo, quod illis potest intellectus conformari, affirmando V. G. Quod sint impliciantia, negando, quod sint, aut esse possint à parte rei &c. Hac adhibita distinctione, nego consequentiam. Atque hic obiter notarem: Verum secundo modo acceptum ad hoc duplex constituit, formaliter, & fundamentaliter: formaliter importat cognitionem tanquam formam: fundamentaliter est id, circa quod versatur cognitio. Iam verò si detur cognitio reflexiua supra se ipsam, in ea vtramque rationem veri distinguere valeamus. Porrò quando dicitur obiectum intellectus esse verum, intelligendum est de verò fundamentaliter, huiusmodi autem verum constituitur per suam cognoscibilitatem intrinsecam, quam omne ens, etiam si fictitium sit, atque falsum, habeat necesse est, quatenus terminare potest cognitionem, de eo aliquid enunciantem.

8 Obijcies tertio: potest dari intellectus, qui sit cognoscitiuus aliquorum obiectorum tantum, non verò omnium. sed quod non sit huiusmodi intellectus nostra non potest probari positiuè. ergo temerè dicitur, quod posse cognoscere omnia. Maior patet, quia non potest assignari implicantia huius intellectus. Minor similiter patet, quia nulla positiua probatio est assignabilis. Consequentia verò suadetur, quia posse cognoscere omnia maiorem perfectionem importat, quam aliqua tantum. ergo non debet concedi intellectui humano sine aliqua ratione positiua: cum igitur nulla sit huiusmodi

Digitized by Google

ratio assignabilis, temerè saltem dicitur intellectus humanus posse cognoscere omnia.

9 Ad hanc obiectionem Respondent Arriaga, & Ouiedus citati: concessa maiore, negando minorem. Rationem assignant, quia cum constet intellectum humanum posse cognoscere omnium entium perfectissimum, quale est Deus, & imperfectissimum, quale est chimericum, non potest ei negari cognitio reliquorum, quæ sunt in medio. Confirmatur vlterius ex Ouiedo, quia Beati in Verbo cognoscere possunt creaturas possibiles, vt Theologi docent; ergo nulla est assignabilis, quam cognoscere nequeant. quia hoc ipso quod intellectus potest attingere clare Deum, de se potentem ducere in cognitionem creaturæ, non est cur non possit ipsam creaturam attingere.

10 Sed contra rationem assignatam facit primo quia præterquam quod in negatiuam resolui videtur, potest quis dicere, quod quemadmodum dari potest cognitio, quæ cognoscat solum Deum, & chimeram, non verò reliqua intermedia, ita quod detur potentia intellectiua horum duorum tantum cognoscitiua, non enim videtur esse maior ratio assignabilis. Præterea asseri potest, quod inter imperfectissima sit aliquod ens extra obiectum intellectus humani, eo quod ex entibus rationis angelicis V. G. vnum sit imperfectius alio. Neque dicas non esse maiorem rationem de vno imperfectissimo ac de reliquis, quia hæc maior ratio fundari potest in diuersitate essentiali vnius entis imperfectissimi, perquam differt ab alijs.

Confirmatur id, quod dicimus, quia quando supponitur intellectus humanus ens rationis cognoscere, vel est sermo de omni ente rationis factibili à quocumque intellectu, vel de eo quod est factibile à solo intellectu humano, non primum, quia hoc ipso, quod posset dari intellectus, qui non habeat pro obiecto suo omne ens, non repugnaret dari aliquas species possibiles creaturarum, quæ essent extra obiectum adæquatum intellectus humani: Sed facta hac suppositione, non posset intellectus humanus attingere ens rationis, quod ex compositione dictarum specierum consurgeret: Gratis ergo supponitur posse intellectum humanum omne prorsus ens rationis attingere. Sin autem eligatur secundum membrum, manifestè deducitur ex veritate antecedentis nullam esse consequentiam; semper enim potest Aduersarius respondere, quod licet verum sit, quod intellectus humanus potest cognoscere ens perfectissimum, qualis est Deus, & imperfectissimum, quale est ens rationis à se ipso factibile: quia tamen non potest probari positiuè eum posse cognoscere omne ens rationis à quocumque intellectu cognoscibile, ideo non rectè deducitur eum posse attingere omnia prorsus entia.

11 Ad confirmationem autem Ouiedi, Responderi etiam potest ex suppositione non implicantiæ intellectus aliqua tantum obiecta potentis cognoscere, nullum esse argumentum, quo probetur intellectus humanus non esse huiusmodi, ex eo quod potest attingere intuitiuè Deum, qui quantum est de se, potest ducere in cognitionem cuiuscumque creaturæ. Quemadmodum enim non valet hoc argumentum in sententia doctiorum: Deus quantum est de se potest ducere in cognitionem omnium prorsus creaturarum; ergo potest intellectus creatus in eo viso videre omnes prorsus creaturas possibiles. Neque hoc aliud in sententia omnium: Deus quantum est de se, est summe comprehensibilis. ergo potest intellectus creatus comprehendere illũ. Ita neque valet argumentum Ouiedi. Et ratio inconsequentiæ est, quia ad formandam alicuius obiecti cognitionem non sufficit aptitudo illius obiecti, sed requiritur præterea virtus, siue naturalis, siue obedientialis intellectus. 1
vnde sicuti stat, quod virtus intellectus eleuari non possit ad cognoscenda omnia prorsus possibilia in Deo viso, & multo minus ad ipsum comprehendendum; ita neque ad cognoscendam in ipso Deo aliquam creaturam, quæ intra obiectum adæquatum ipsius intellectus minime contineatur. Quare hac responsione ad obiectionem principalem posthabita, Respondendum puto per negationem maioris. quod vt melius exponam sit.

Secunda conclusio: Implicat contradictionem intellectus, qui sit aliquorum tantum obiectorum, & non omnium prorsus, tum possibilium tum impossibilium cognoscitiuus. 12
Est communis contra Arriagam, & Ouiedum citatos.

Probatur: implicat contradictionem, quod aliquid participet rationem formalem sub qua obiecti potentiæ intellectiuæ, & non possit ab illa cognosci, sed nihil est assignabile, quod non participet rationem formalem sub qua obiecti potentiæ intellectiuæ. ergo implicat dari aliquid, quod non possit potentia intellectiua cognoscere. Consequentia patet, & maior non videtur rationabiliter neganda, minor verò suadetur, quia Ratio formalis sub qua obiecti intellectus est ratio veri superius explicata, sed nihil est assignabile, quod non participet rationem veri. ergo nihil est assignabile, quod non participet rationem formalem sub qua potentiæ intellectiuæ obiecti. Consequentia huius est certa, & minor patet, quia de omni prorsus re siuè possibili siuè impossibili aliquid assignari, vel negari potest saltem per propositionem identicam. Maior verò probatur tripliciter. Primò ex communi omnium philosophorum consensu. Secundò, quia nihil aliud potest assignari pro obiecto potentiæ intellectiuæ, nisi verum. Tertiò denique inductione facta per obiecta omnium potentiarum intellectiuarum quas nouimus. Obiectum enim nostri intellectus licet habeat rationem substantiæ, accidentis, potentialitatis &c. terminat tamen illum qua verum est; nam ideo affirmamus de aliquo quod sit substantia, vel accidens &c. quia verè tale illud esse putamus. idem videre est in obiecto intellectus diuini: ideo enim Deus indicat se esse increatum, independentem, omnipotentem, &c. quia verè in se, talis est, 13

atque

atque adeo ipsæmet rationes creatæ non attinguntur ab intellectu diuino, nisi pro vt stant sub ratione veri. idem denique constat ex obiecto intellectus Angelici. rectè igitur deducitur ex his, quæ nobis nota sunt, rationem formalem, sub qua cuiuscumque intellectus esse rationem veri.

14 Dices quando assumitur: rationem veri esse obiectum intellectus, vel ratio veri accipitur, vt supponit, simpliciter, & abstrahit à differentijs, vel pro vt supponit personaliter pro omnibus inferioribus suis distributiuè, & determinate sumptis: non primum, quia non valet argumentari à suppositione simplici ad personalem, vt dicitur in logicis: neque potest dici secundum, quia quod ratio veri sumpta pro qualibet veritate in particulari sit obiectum cuiuscumque intellectus, non potest colligi, nisi à posteriori per experientiam; sed nunquam nos experti sumus quemlibet intellectum posse quamcumque veritatem in particulari cognoscere. ergo &c.

15 Respondeo sumi à nobis pro vt supponit personaliter in confuso. Ad rationem in cõtrarium dico, obiectum vniuersale, & adæquatum alicuius potentiæ V.G. intellectiuæ, volitiuæ &c. non posse à nobis solum à posteriori colligi; sic enim vel prius facienda esset inductio per omnia obiecta particularia, quę cũ non possit fieri à nobis, numquam posset in scientijs obiectũ adæquatum alicuius potentiæ assignari: vel si sufficeret inductio, quam experimur, deberemus asserere obiectum adæquatum potentiarum non esse nisi sub certa intentione, & determinatione, quæ defacto datur; & sic non posse oculum videre colorem intensum vt decem V. G. neque tactum tangere nisi ad summum frigus vt octo, & cætera, quæ sunt manifeste falsa. Ad constituendum igitur obiectum adæquatum alicuius potentiæ, animaduertenda sunt obiecta in particulari, in quæ defacto fertur; & quia vna potentia non potest ferri in plura vt plura, inuenienda est ratio formalis, sub qua illa adunentur: ea autem inuenta, quodcumque illam participat, tenendum est sub eius obiecto adæquato contineri; aliter, minimè contineri. Cum igitur ex dictis probatum sit intellectum omnem ferri in sua obiecta particularia sub ratione veri, recte deducimus omne quod participat rationem veri, sub eius obiecto adæquato contineri. cum enim inductio nostra facta sit per omne genus intellectus possibilis, nempè Humani Angelici, & Diuini, hoc ipso quod constet triplex hoc genus vendicare sibi pro ratione formali rationem veri, concludendum est nullum esse possibilem intellectum, qui aliquod, hanc rationem formalem participans, non possit saltem diuinitus vt taliter attingere.

16 Ad hæc Obijcies primò ex Arriaga, & Ouiedo *locis citatis* Intellectus, qui non sit cognoscitiuus, nisi aliquorum tantum obiectorum, non verò omnium, non implicat contradictionem; ergo est possibilis. Respondeo negando antecedens. contradictio supra à nobis assignata est, quia esset, & non esset intellectus; esset, vt supponitur, non esset, quia non ferretur in sua obiecta quatenus veri rationem participant. Dices satis esse si feratur sub determinata ratione, veri. Sed contra est quia non potest assignari quæ nam sit huiusmodi ratio determinata. vel enim esset ratio substantiæ, vel accidentis, vel modi, vel non entis; nil enim aliud excogitari potest: nullum autem ex his dici posse suadetur, quia quælibet ratio ex assignatis est essentialiter connexa cum alijs, V. G. ratio substantiæ cum ratione accidentis, & è contra, & sic de reliquis: ergo impossibile est quod detur intellectus potens cognoscere accidentia, quin possit venire in cognitionem substantiæ, & vice versa. Linquo hæc eadem attingi debere ab intellectu illo, quia vera sunt. ergo non quatenus talia. Quod si addas non sic faciendam esse suppositionem, sed hoc alio modo: quod videlicet possit intellectus ille omnia cognoscere præter solum Gabrielem V. G. aut Michaelem, aut determinatas quasdam rerum essentias. Contra etiam est, quia hæc substantia intellectiua sic limitatæ cognitionis habere potest communicationem cum alijs Angelis, vel hominibus. ergo potest ab illis discere dari alium Angelum, qui appelletur Gabriel, & formare sibi species abstractiuas illum representantes, sicuti nos formamus de omnibus Angelis: ergo tam Gabriel V. G. in obiecto adæquato huius intellectus continebitur. Præterea si non implicat huiusmodi intellectus ab aduersarijs assignatus, neque implicabunt alij inferiores pauciora, & pauciora obiecta valentes cognoscere. erit igitur possibilis substantia intellectiua sic limitatæ virtutis, vt se ipsam tantum cognoscere valeat, quæque sola ipsa sit obiectum adæquatum sui intellectus, quo nihil absurdius, & incredibilius excogitari posse videtur.

Obijcies secundò ex eodem Arriaga *sub num.* 6. Non quælibet potentia materialis potest cognoscere omnia obiecta materialia, vt patet ex potentijs sensitiuis externis. ergo non quælibet potentia spiritualis necessario debet posse cognoscere omnia obiecta spiritualia. Probatur consequentia, quia sicuti se habet potentia materialis ad obiecta materialia, ita spiritualis ad spiritualia. 17

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, & eius distinguo probationem: sicuti se habet in omnibus, nego. in aliquibus, concedo. Explico distinctionem: potentia cognoscitiua spiritualis limitatur quidem materialem quantum ad specificationem, & dependentiam ab obiecto, quantum ad indigentiam specierum, & similia: non autem quo ad restrictionem, ac limitationem pretensam. Ratio disparitatis est, quia quælibet cognoscitiua potentia materialis est affixa organo corporeo, & quia hoc duxerat eas tanquam dispositiones, quas habet immutari potest ab obiecto V. G. oculus non potest immutari nisi à colorato tantum, quia non habet nisi dispositiones ad visionem requisitas, auris verò à sono tantum, quia non habet nisi dispositiones ad auditionem, & sic de reliquis; hinc fit vt non quælibet potentia cognoscitiua materialis omnia obiecta materialia cognoscere possit: at verò nulla potentia cognoscitiua 18

scitiua spiritualis est affixa organo corporeo; vnde cessat contra illam ratio, cur aliqua potius obiecta, & non omnia cognoscere valeat, eo quod ipsa quantum est de se æque ab omnibus per receptionem specierum immutari potest.

19 Obijcies tertiò ex eodem: Aliqua res spiritualis potest esse cognoscitiua omnium obiectorum, aliqua nullius cognoscitiua. ergo non repugnabit alia media aliquorum tantum cognoscitiua. Respondeo implicare substantiam spiritualem non cognoscitiuam: atque adeo nullum esse argumentum ductum ex oppositione extremorum ad medium inferendum. vt autem id melius explicetur fit:

SECTIO SECVNDA.

Vtrum implicet substantia spiritualis incapax intelligendi:

20 CONclusio est affirmatiua, & communis contra Ochamum *in primo dist. 35. quæst. prima* Gabrielem, & Bassolum *ibid.* & alios innominatos apud Aureolum *ibid. art. 2.* quos citat, & sequitur Arriaga *in primam partem disput. 15. sect. prima* cum Ouiedo *de anima controuer. 1. puncto 5.* & nonnullis alijs Recentioribus.

21 Probatur autè assertio, afferendo duplicè implicantiã, alterã adductã ab Aureolo *loco citato* alteram erutã ex D. T. *prima parte quæst. 14. art. prima*, Et prior quidem sic procedit: Implicat contradictionè substantia spiritualis omni prorsus operationis expers; sed substantia spiritualis incapax intelligendi esset huiusmodi. ergo implicat. Maior patet, tum quia omne esse est propter operari: tum etiam, quia infimum supremi excedit supremum infimi; si igitur omne corpus, quod est supremum infimi, est operatiuum, multo magis quilibet spiritus, etiam si intelligatur esse infimus inter reliquos spiritus, erit operatiuus. Minor verò probatur: Si huiusmodi substantia spiritualis aliquas haberet operationes sibi proprias, ea vel materiales essent, vel spirituales. neutrum dici potest. ergo &c. Maior huius est euidens; minor probatur, & quidem, quod non essent materiales euincitur; quia licet substantia spiritualis nonnullas operationes materiales exercere possit, debet tamen vlterius posse exercere alias sibi proportionatas, quæ cõpetant sibi, quatenus spiritualis est; sed hæ non possunt esse nisi spirituales. ergo &c. Quod verò neque spirituales essent, suadetur, quia nullæ aliæ spirituales operationes assignari possunt, præter intellectiuas, & eas, quæ sunt essentialiter cum illis connexæ: sed huiusmodi substantia non esset intellectiua, vt supponimus; ergo &c. Maior huius, quæ sola probatione eget, explicatur, quia nos non habemus cognitionem aliorum accidentium spiritualium ordinis naturalis, intellectiones si demas, quam specierum intelligibilium volitionum, & habituum, siue ad intellectum, siue ad voluntatem pertinentium; sed hæc omnia sunt essentialiter cum operationibus intellectiuis connexa, vt de se patet: ergo nullæ aliæ spirituales operationes sunt assignabiles præter intellectiuas, & eas, quæ cum illis essentialiter sunt connexæ, quod erat probandum.

22 Quiedus *loco citato num. 11.* simile argumentum sibi proponit, eique respondet: verum quidem esse omni substantiæ spirituali deberi operationes spirituales; falsum tamen eas non posse esse ab intellectione, ac volitione distinctas; quia posset talis substãtia plures qualitates spirituales non vitales in se producere, tanquam passiones sibi debitas. Sed contra est, quia hæ qualitates, vel sunt species intelligibiles, vel habitus, alias enim qualitates non vitales spirituales ordinis naturalis, cum non possit assignari ad quid dictis substantijs inseruiant, gratis ac temerè fingunt quicumque fingunt. Quin imo vix, aut ne vix quidem aliqua in ordine supernaturali, quæ non sit cum intellectione connexa assignabilis est. quamuis enim gratia sanctificans non ponatur immediate operatiua, est tamen mediantibus suis proprietatibus, hoc est habitibus supernaturalibus, essentialiter ordinata ad producendas sanctas operationes intellectiuas, & volitiuas. Nihil dico de lumine gloriæ: id enim ad claram Dei visionem eliciendam ex suis intrinsecis est institutum, idemque in reliquis cernere licet; cum igitur videamus omnes qualitates spirituales supponere essentialiter principium intellectiuum, nullius productio poterit assignari tanquam operatio propria substantiæ spiritualis non vitalis.

23 Idem Ouiedus *num. 14.* ait ex prædicato immaterialitatis in hac creatura spirituali non intellectiua oriri posse eam penetrari cum alia eiusdem speciei, nec non etiam prædicatum spiritualitatis in actionibus, quæ defacto procedunt ab illa. Sed neque hoc effugium habet securitatem. nam potentiam se penetrandi cum alia re eiusdẽ speciei habet substantia materialis spoliata extensione quantitatiua, vt patet ex corpore Christi Domini in Eucharistia existentis, quod, quia caret dicta extensione, defacto penetratur cum quantitate panis; eademque facilitate cum substantia eiusdem panis penetraretur, si hæc non periret. Impossibile igitur est, quod gradus substantiæ spiritualis, contentus sit esse exactiuus huius potentiæ, quodque operatio ei propria, non sit alia, quam penetratio in eodem loco cum alia eiusdem speciei. Nec minus improbabile est afferere huiusmodi gradum exigere, vt actiones ex rè spirituali procedentes, spirituales sint; nam vel est sermo de omnibus, & hoc falsum esse patet ex Deo, Angelis, & animabus rationalibus, qui multas operationes transeuntes materiales exercent; vel de aliquibus, nimirum de immanentibus, & hoc etiam impugnatur ex eo quia omnis actio immanens semper ordinatur ad producendam qualitatem, quæ vel primo faciat ad conseruationem principij, à quo procedit, vt est actio, qua ignis se ipse calefacit; vel secundo sit virtus operatiua eiusdem principij, vt est actio perquam intellectus, si esset distinctus, emanaret ab anima; vel denique tertio sit vitalis qualitas; sed substantia spiritualis non est corruptibilis; aliunde verò nullam virtutem operatiuam, aut vitalem operationem habere potest, intellectiuas operationes si demas; ergo &c.

24 Dices pro Auctore, quod quemadmodum in rebus corporeis dantur qualitates ad earum ornatum

natum ſolummodo inſernientes, vt colores, lumen &c. ita nil vetat in ſubſtantijs ſpiritualibus dari ſimiles qualitates, & defacto in Dæmonibus datur qualitas eos deſędans, atque deturpans: bene igitur poterit dari qualitas exornans, atq; perficiens ſubſtantiam ſpiritualem non cognoſcitiuam, ex gradu ſpiritualitatis emanens.

25 Contra tamen eſt, quia ſi hæc qualitas ex dicto gradu procederet etiam in Angelis, & inanimabus noſtris, deberet dari vt potè ſpiritualibus: Conſequens autem videtur manifeſtè falſum, non ſolum, quia nullibi auctores huius qualitatis mentionem feçerunt; ſed, quia expreſſe docuerunt nullam aliam pulchritudinem, & ornatum ſubſtantias ſpirituales habere poſſe, præter illum, qui ex habitibus virtutum, & ſcientiarum, earumque actibus formaliter cauſatur. Præterea ſi in Angelis, & animabus noſtris hæc qualitas datur, cum ſit ordinis naturalis, & ex eſſentijs eorum tanquam proprietas oriatur, ſequitur eam remanere in damnatis. quod non videtur facile concedendum. Tandem ad id, quod dicebatur de qualitate Dæmones deturpãte, dico eam facere contra Aduerſarium: eſt enim dicta qualitas eſſentialiter dolorifera: quare cum reſpiciat tanquam ſubiectum ſibi connaturaliter debitum ipſos Dæmones, ex ſuis intrinſecis cum ſubſtantia intellectuali connexa eſt.

26 Denique dices inter actiones immanentes non vitales enumerari acquiſitiuam vbi: ergo poteſt attribui ſubſtantiæ ſpirituali non vitali, quod ſit operatiua huius actionis.

27 Sed contra eſt, quia hæc actio eſt propriè motus *localis*; Atqui huiuſmodi ſubſtantia non poſſet ab intrinſeco moueri localiter; ergo non poſſet illi attribui tanquam proprietas huiuſmodi actio. Maior patet, minor ſuadetur, quia dupliciter intelligere poſſumus aliquam ſubſtantiã

28 moueri ab intrinſeco. primò ad acquirendũ locũ ſibi connaturaliter debitum in determinata parte mundi: ſic intelligimus moueri ignem ſurſum, terram deorſum &c. Secundò ad acquirendum locum á ſe præcognitum, tamquam ſibi conuenientem: hoc modo intelligimus moueri canem ad inſequendam prædam, Hominem ad eumdum Romam &c. Et quidem, quod hæc ſubſtantia ſpiritualis non poſſet moueri hoc poſteriori modo, probatione non eget; ponitur enim non cognoſcitiua. Quod verò neque priori, probatur ex eo, quia non eſſet ratio, cur ſibi determinatum locum in mundo vendicaret; id circo enim hoc

29 natura corporibus naturalibus conceſſit, vt melius á ſuis contrarijs, in quibuſdam locis ſpecialibus conſtituta, tuerentur, vt patet in elementis; vel ſaltem vt reliqua corpora ſuis influentijs fouerent, & regerent, vt in cæleſtibus globis cernere eſt. Atqui hæc ſubſtantia, cum ſpiritualis eſſe ponatur, neque poteſt pati à contrarijs, neque reliqua corpora in ſe continere influendo in illis, vt patet à fortiori ex Angelis, qui non poſſunt agere in corpora, niſi mouendo illa localiter, & applicando actiua paſſiuis. ergo &c. Atque hæc quantum ad priorem implicantiam.

28 Poſterior autem eſt huiuſmodi: Hoc ipſo, quod ſubſtantia aliqua recedit à conditionibus materiæ proprijs, neceſſariò eſt cognoſcitiua, ſed implicat, quod ſubſtantia ſpiritualis non recedat à conditionibus materiæ proprijs; ergo implicat ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiua. Omnia patent, præter maiorem, quæ ſuadetur a D. T. *prima parte eit.* dupliciter Primò à priori ſic: cognoſcentia per hoc à non cognoſcentibus differunt, quod non cognoſcentia non habent niſi ſuam formam tantum, cognoſcentia verò etiam aliorum, vt conſtat ex Ariſtotele *tertiò de anima tex.* 37. vbi ait: Animam intelligendo fieri quodammodo omnia. vt autem id de quacumque ſubſtantia cognoſcitiua cum proportione intelligatur, ſubdit Philoſophus: aut enim ſunt ſenſibilia, aut intelligibilia: eſt autem ſcientia, ſcibilia quodammodo omnia, ſenſus verò ſenſibilia. Iam verò, quod huiuſmodi capacitatem cognoſcitiua habeant per receſſum à conditionibus materiæ ſuadetur ex eo, quia materiæ proprietas eſt quantitas, cuius eſt immediatum ſubiectum; & per hoc eſt intrinſece limitatiua, & coarctatiua formarum, quas habet, eas intra terminos ac ſuperficiem terminatiuam ſuæ quantitatis reſtringens. ſed poſſe fieri omnia importat aggreſſum à limitibus, & Cancellis proprij eſſe. ergo importat receſſum à conditionibus materiæ. Idõ ſuadetur ab eodem à poſteriori, quia experientia conſtat, quod ea omnia, quæ vim cognoſcendi habent, recedunt à conditionibus materiæ, quatenus exigunt habere ſpecies ſuorum obiectorũ, quæ à Philoſopho appellantur formæ ſine materia, eo quod etiam ſi ſint aliquando ineſſendo materiales, ſemper tamen in repreſentando, à conditionibus materiæ ſunt immunes, ſiquidem ſunt in repreſentando indiuiſibiles, nec ſe inuicem excludunt ab eodem ſubiecto, etiam ſi numericè inter ſe differant. Linquo, quod ſenſus animalis, quo magis à materia recedunt, eo nobiliores, & perfectiores eſſe cenſentur, vt patet ex viſu, & phantaſia. Denique inter ſubſtantias cognoſcitiuas videmus, quod ſecundum proportionem, qua à conditionibus materiæ receduut, quædam maiori, aliæ verò minori vi cognoſcitiua præditæ ſunt. Neque dicas cum Arriaga, maiorem vim cognoſcitiuam in his, quæ magis á materia recedunt non prouenire ex dicto receſſu, ſed ex propria, & ſpecifica eorum perfectione: Ne id dicas, inquam, ſic enim omnem argumentationẽ ab inductione tolleremus è medio, dicere enim quis poſſet riſibilitatem non prouenire ex rationalitate, ſed ex conuenientia, quam habent in ſua indiuiduatione homines, quì defacto dantur, & ſic nihil obſtare quin alij non riſibiles dari poſſint. Item quantitatem non oriri à materia ſed ex propria, & ſpecifica perfectione corporum naturalium, quæ defacto dantur, atque adeo non implicare corpora non quanta, & ſic decæteris. Vera eſt igitur illa maior, quod per hoc, quod ſubſtantia aliqua à conditionibus materiæ recedit, neceſſariò in ratione cogcoſcitiui conſtituitur.

Contra hanc rationem, quæ valde controuerſa 29
eſt eo, quod ea vtitur D. T. ad probandũ Deum eſſe perfectiſſimè cognoſcitiuum.

Obijcies primò: etiam Planta recedit à conditionibus materiæ per hoc, quod habeat accidentia organica, & ab intrinſeco creſcat, atque fructi-

Digitized by Google

fructificet; & tamen planta non est cognoscitiua: ergo non bene gradus cognoscendi fundatur in recessu à conditionibus materiæ.

30 Respondeo: non quemcumque recessum à conditionibus materiæ sufficere ad fundandum gradum cognoscitiuum, alioquin omnis prorsus forma substantialis deberet dicto gradu predita esse. ille igitur solus recessus sufficiens est, beneficio cuius substantia non operatur per qualitates pænitus immersas materiæ primæ, neque eius operationes ad similes formas siue substantiales, siuè accidentales terminantur. quoniam verò huiusmodi recessum non habent plantæ à conditionibus materiæ; si quidem per primas qualitates suas omnes operationes exercent, & formæ, quas per dictas operationes producunt materiæ commensurantur: hinc fit vt non sint cognoscitiuæ. Contra verò omne prorsus animal indiget speciebus ad suas operationes, qua tales exercendas, & dictæ operationes non commensurantur materiæ, quia licet ab ea dependeant, modo tamen spirituali exprimunt obiecta sua.

31 Instabis: etiam aer est susceptiuus specierum sensibilium: sed aer non est cognoscitiuus: ergo allata disparitas nulla est. Respondeo cum Ruiz distinguendo maiorem; aer est susceptiuus specierum sibi proficuarum, nego: non proficuarum sibi, sed alteri, concedo; & concessa minore, nego consequentiam. principium enim cognoscitiuum est susceptiuum specierum sibi vtilium, vt patet in pupilla.

32 Quiedus *loco cit. num.* 4. Hanc responsionem sic impugnat; hæc vtilis receptio in pupilla importat, eam posse illis vti ad visionem. ergo importat ipsam potentiam sentiendi. immaterialitas igitur pupillæ consistit in potentia sentiendi; & sic quando ex immaterialitate infertur potentia sentiendi, potentia sentiendi infertur ex ipsa potentia sentiendi obscure significata, ergo.

33 Verum eneruis est hæc impugnatio. distinguo enim antecedens: vtilis receptio in pupilla importat eam posse vti speciebus ad visionem, ita vt etiam hic vsus sit quidam recessus à materialitate, concedo. ita vt non sit recessus, nego; & eodem modo distinguo primum consequens, ergo importat ipsam potentiam sentiendi quatenus à materialitate recedit, concedo; quatenus est talis potentia vt sic, nego primam, & secundam consequentiam in sensu intento; Dico enim potentiam visiuam quatenus recipit species in ordine ad visionem posse dupliciter considerari; primò pro vt constituitur per eas in ratione principij proximè, & completè sensitiui. secundò quatenus per eas manifestat substantiam, cuius est potentia recedere à conditionibus materiæ proprijs, recessu sufficienti ad inferendum, quod sit cognoscitiua. Iam hoc secundò modo consideratur à nobis, quando dicitur, quod vtiliter species recipiat.

34 Obijcies secundò ex Arriaga *loco cit. num.* 3. si vis cognoscitiua ex immaterialitate proueniret, quoties habetur maior vis cognoscitiua, haberetur maior immaterialitas. Sed hoc est falsum. ergo &c. Minor probatur, quia Deus habet maiorem vim cognoscitiuam, quam Angelus, & tamen non est immaterialior illo; quod patet ex eo, quia hic nomine immaterialitatis venit negatio materiæ quantæ, quæ eodem modo est in Deo, ac Angelo.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem, nego Deum non esse magis immaterialem, quam Angelum. ad cõfirmationem verò nego subsumptum, ac dico nomine immaterialitatis venire per nos recessum à conditionibus materiæ, pro vt beneficio quantitatis est limitatiua, & coarctatiua formarum, quas habet, ne vlterius se extendant. qui quidem recessus habetur beneficio cuiusdam perfectionis positiuæ fundantis vim cognoscitiuam, quæ à nobis appellatur immaterialitas, pro vt præscindit ab eo, quod pendeat in esse à materia, vel non pendeat. 35

Instabis: stante æquali materialitate potest vna res esse cognoscitiua, alia non. ergo &c. Antecedens probatur: Forma Cœli non est magis materialis, quam forma vermis; & tamen hæc est cognoscitiua, illa non. 36

Respondeo: negando antecedens, cum sua probatione. formam enim vermis esse magis immaterialem forma cæli patet ex eo, quia est exactiua formarum sine materia, cuiusmodi sunt species intentionales, & ordinatur ad operationes cognoscitiuas æque á conditionibus materiæ recedentes. Neque in assignanda hac ratione circulus vitiosus committitur, quia supponitur vermis esse cognoscitiuus, atque adeo exigere formas sine materia; & inde probatur à posteriori esse magis immaterialis quam Cæli. Quod si cœlum dicitur ab Aristotile expers materiæ; intelligendum est de materia susceptiua contrariorum in ordine ad corruptionem formæ ipsius Cæli: nam de cætero ipsum esse quantum omnes videmus. 37

Obijcies tertio, ex eodem Arriaga *num.* 12. Materia quanta non est causa adæquata, neque sufficiens impeditiua cognitionis. ergo ex immaterialitate non benè vis cognoscitiua deducitur. Consequentia patet, antecedens probatur quo ad primum, quia non est maior ratio cur non sit causa adæquata impeditiua Deitatis, & sit cognoscitiuitatis. Non esse autem Deitatis patet ex Angelo, qui licet illa careat, non est tamen Deus: ergo &c. Quo ad secundum verò, quia sensitiua sunt materialia, & sunt cognoscitiua. ergo neque causa adæquata est, neque sufficiens impeditiua. 38

Respondeo: negando antecedens, quo ad vtrumque partem; ad prioris probationem nego paritatem. Materialitatem enim omnimodam esse causam adæquatam impeditiuam gradus cognoscitiui sic probatur, quia omne, quod est, vel penitus materiale est, vel à conditionibus materiæ recedit. si primum constat non esse cognoscitiuum; contra verò hoc ipso, quod à conditionibus materiæ recedit est susceptiuum formarum sine materia, atque adeo cognoscitiuum. At non omne, quod est, vel penitus materiale est, vel Deus; & ideo negatio materialitatis omnimodæ non est causa adæquata Deitatis. Ad posterioris probationem dico sensitiua esse materialia quo ad esse, sed à conditionibus materiæ aliquatenus

si

Digitized by Google

se elongare, & ideò posse cognoscere.

40 Obijcies quartò ex Ouiedo *hoc exacte num. 8.* Sed Potest intelligi ratio substantiæ spiritualis absque vlla connexione cum principio intellectiuo: ergo &c. *Antecedens* probatur, quia ratio spiritualitatis sumitur per penetrabilitatem cum alia re omnino á se diuisa, vti supra probatum est ab auctore. ergo potest intelligi ratio substantiæ spiritualis absque vlla connexione cum principio intellectiuo. Consequentia euincitur, quia substantia spiritualis duo includit prædicata sed neque prædicatum substantiæ vt sic trahit esse intellectiuum, vt patet ex ligno, neque prædicatum spiritualitatis vt sic; ex coniunctione autem horum prædicatorum non apparet quo modo connexio ista resultet: ergo &c.

41 *Respondeo*: negando antecedens. ratio enim substantiæ spiritualis in confuso huiusmodi connexionem essentialiter involuit, vt á nobis probatum est: ad probationem antecedentis, quid quid sit de assumpto, cuius oppositum nos suo loco probauimus; nego consequentiam: & ad eius probationem dico, quod licet neque prædicatum substantiæ, neque prædicatum spiritualitatis in sensu diuiso trahat intellectiuum: trahit tamen in sensu composito; quia hoc ipso, quod substantia spiritualis conditiones materiæ, imo materiam ipsam á se excludit, constituitur in ratione principij radicalis operationum, supra omnem materiam se extollentium, quales sunt solæ intellectuales, ac ad eas pertinentes. Quod dico *nequè de possibilibus illis diuisim acceptis.*

42 *Obijcies*, quinto Argumentum, quod idem Ouiedus *num. 6.* sumit ex Fasolo: prædicatum intellectiui est differentia constitutiua viuentis intellectualis: ergo non oritur adhuc formaliter ex alio prædicato, nempe substantiæ spiritualis. *Antecedens* patet. Consequentia probatur, quia differentia essentialis est prima radix, ex qua reliqua oriuntur, ipsa verò non oritur ex alia.

43 *Respondet* Fasolus apud Ouiedum ex Capreolo, & Soncinate, vt notat idem Ouiedus, dari duplex esse intellectiuum: Radicale, & Formale. Radicale est formalissimè idem cum ratione immaterialitatis: Formale verò oritur ex radicale. Iam quando dicimus: ex prædicato substantiæ spiritualis oriri prædicatum intellectiui sermo est, de intellectiuo formali, quod est proprietas intellectiui radicalis, atque adeo extra essentiam substantiæ spiritualis. Contra verò radicale.

44 Sed contra est primo, quia hæc responsio coincidit cum *sententia Aduersariorum volentium* vim *intellectiuam non prouenire* ex spiritualitate, *sed ex propria, & specifica perfectione substantiarum intellectualium.* Contra secundò, quia ratio spiritualitatis est formalissimè eadem in omnibus Angelis, quia omnes per eundem prorsus gradum recedunt à materia, & tamen cum habeant diuersas essentias intellectiuum radicale in illis est essentialiter diuersum. ergo falsum est intellectiuum radicale esse formalissimè idem cum ratione immaterialitatis. Hæc igitur responsione posita habita.

45 Respondeo ad obiectionem (supponendo, quod in ea forma sit de intellectiuo radicali) concessa antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem distinguo assumptum: differentia essentialis determinatè sumpta est prima radix, & non oritur ex alia: concedo; indeterminatè acceptam ego assumptum cum consequentia. Dico enim quod quemadmodum datur duplex prædicatum differentiale coarctatiuum animalis vt sic: rationale, & irrationale; & licet vtrumque sit prima radix, ex qua reliqua, quæ per se competunt animalibus in specie, ortum habent; indeterminatè tamen acceptum oritur ex animali; quia hoc ipso, quod aliquod est animal, necessariò vel rationale, vel irrationale esse coincitur. Sic etiã datur duplex prædicatum differentiale coarctatiuum substantiæ spiritualis vt sic: nimirum intellectiuum cum dependentia à phantasmatibus, & intellectiuum sine dependentia ab illis. Licet autem vtrumque determinatè acceptum sit prima radix, ex qua reliqua, quæ in speciebus ex illis resultantibus habentur: indeterminatè tamen (tempore ex prædicato spiritualitatis ortum habet; quia hoc ipso, quod de aliqua rè prædicatur, quod sit substantia spiritualis, debet de ea verificari, quod sit, vel intellectiua cum dependentia à phantasmatibus, vel intellectiua sine dependentia. In eo autem deceptus est Fasolus, quod existimauerit prædictum intellectiui esse vnum tantum, & non diuersificari specie, pro vt differunt inter se species substantiæ intellectuales. Quod est apertè falsum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum implicet substantia intellectiua quæ non sit volitiua.

46 CONclusio est affirmatiua quam docent Molina, Vasquez, Suarez, Valentia Ruiz, Arriaga, Hurtado, Herricius, *loci citati ab Ouiedo de anima contron. quæst. 4. punct. 7. numero 2.* qui licet videatur toto tractatu huius quæstionis partes contrarias sustinere, videlicet non implicare viuens intellectiuum non volitiuum; in fine tamen *num. 14.* expresse citatis doctoribus se adiungit, & implicare determinat. Arriaga tamen *disput. 2. de anim. sect. 4.* expresse tuetur oppositum, cui paucissimis verbis se adiungit Cõpetonus *de Anima disp. 24. sect. 6. n. 8.* Tota difficultas nostra vertitur in assignanda implicantiâ huiusce substantiæ.

47 Primò enim quidam dicunt eam implicare, quia sequeretur, quod esset ex suis intrinsecis impeccabilis: quatenus voluntate, atque adeo libertate careret. Sequela autem est contra communem sensum Patrum, & Theologorum negantium possibilem esse creaturam intellectualem de se, & absque auxilio Diuinæ Gratiæ impeccabilem.

Sed ad hoc facile respondetur; quod licet huiusmodi substantia verè intellectualis ex suis intrinsecis, & absque auxilio Diuinæ Gratiæ peccare non posset: hoc tamen non esset contra Patres, & Theologos: eo quod quando ipsi negant possibilitatem creaturæ impeccabilis, loquuntur de ea, quæ intellectu, & voluntate prædita est, qualis de facto est Angelica, & humana: non autem de possibili, quæ sola tantum intellectiua posset.

Digitized by Google

leret. Quo non deesse recentiores, qui sustinerent creaturam intellectualem ex suis essentialibus impeccabilem non implicare; etiam si intellectiua sit simul, & volitiua; quorum ego sententiæ non acquiesco, illa ductus ratione à priori. Quod voluntas huius creaturæ licet particularis sit subalterna, est tamen obiectiuè vniuersalis; atque eam adeo debet posse appetere omne illud bonum, quod ei representatur ab intellectu vt sibi conueniens. Sed aliquando representantur illi vt conueniens bonum delectabile, quod habet inhonestam adiunctam; non quia intellectus in hoc decipiatur; posset enim dari intellectus in hoc indecipibilis, sed, quia rè vera bonum illud tale sit natura sua. Ergo huiusmodi voluntas debet posse appetere tale bonum. dicere autem, quod obiectum, in quod huiusmodi voluntas per prosequutionem feratur, sit bonum honestum tantum, est ludere verbis; nam huic creaturæ indispensabiliter inhonestum, aliquando bonum est, vt casu quo Deus omnem actum naturalem delectabilem illi prohiberet, vel vitam effundere pro sui nominis gloria præciperet &c. Quare relicta hac via de possibilitate voluntatis creatæ natura sua impeccabilis, tenenda est solutio à nobis data.

48 Secunda implicantia est aliorum, qui ideo negant possibilem creaturam intellectiuam rationalem & non volitiuam; quia intellectus est essentialiter ordinatus ad voluntatem illuminandam, & dirigendam. Sed neque hæc implicantia, nisi melius explicetur, est efficax, quia admisso assumpto, quod nimirum intellectus dicat essentialem ordinem ad voluntatem, huc hic Ordo realis sit, si distinguitur realiter ab illa; sine rationis, si nemine cogitante ei identificatur: addere Aduersarij possunt id verum esse de intellectibus, qui dantur de facto; cæterum non implicare potentiam intellectiuam, quæ nullum dicat ordinem ad volitiuam.

49 Tertiò alij sic discurrunt: substantiæ cognoscitiuæ differunt à non cognoscitiuis, quod illæ habeant appetitum elicitum, hæ verò solum innatum. Sed appetitus elicitus in substantia intellectuali ex potentia volitiua procedit. ergo implicat substantia intellectualis carens potentia volitiua. Sed hæc quoque implicantia, nisi procedatur vlterius, est soluta facilis; si nimirum dicatur, quod licet substantiæ cognoscitiuæ, quæ habentur de facto, differant à non cognoscitiuis per hoc, quod habeant appetitum elicitum, illæ verò innatum tantum; non repugnet tamen alia, quæ per hoc non differat, sed solum per vim cognoscitiuam, qua non cognoscitiuæ careant.

50 Quod si instes appetitum proportionatum substantiæ cognoscitiuæ, quæ tali, debere esse elicitum, & non innatum: negabunt id Aduersarij, dicentque sufficere huic substantiæ, etiam quatenus cognoscitiua est, appetitum innatum, cuius beneficio inclinet ad producendas in se passiones sibi debitas, nec non etiam cognitiones, quas elicere naturaliter potest.

51 Quarta denique aliorum implicantia sic procedit: Implicat, quod eadem substantia sit absolutè perfectior, & imperfectior homine: sed huiusmodi esset substantia intellectiua, & non volitiua. ergo implicat. Maior videtur certa, minor verò probatur, esset perfectior, quia constat hominem inter intellectiuas substantias tenere infimum gradum, esse verò imperfectior, quia dum caret principio volitiuo, superaretur ab honestis, qui eo præditus est. Verum neque hæc implicantia est præcedentibus solidior; respondebunt enim Aduersarij hominem dici imperfectissimum omnium substantiarum intellectualium, quæ de facto dantur, non autem etiam possibilium. Cæterum quamuis, quatenus voluntate præditus est, substantiam illam mere intellectiuam superare videatur: posset tamen ab ea ex alijs capitibus superari; si nimirum illa esset adæquatè spiritualis, vel maiorem, & perfectiorem vim intellectiuam haberet &c. Quæ quidem capita si adæquarent perfectionem, quam habet homo quatenus volitiuus est, absolute loquendo, eq; substantia esset æquè perfecta, ac homo; si superarent esset magis; si denique superarentur, minus; quo nulla inuoluitur repugnantia. his igitur implicantijs posthabitis

52 Assertionem nostram sic efficaciter probabimus. Omnis substantia spiritualis debet necessariò posse se auertere ab obiectis, quæ vt mala sibi proponuntur ab intellectu, & inclinare ad ea, quæ ab eodem intellectu sibi proponuntur vt bona; sed hæc sine principio volitiuo præstare nequit. ergo implicat substantia intellectiua, quæ non sit simul volitiua. Consequentia huius est euidens, sicuti etiam Minor; quia actus auersionis est odium, inclinationis verò amor. amor autem, & odium sunt actus vitales à potentia volitiua elicit. Maior ergo, in qua est difficultas, suadetur tripliciter. Et primo quidem, quia primarius finis, propter quem substantia spiritualis potentiam intellectiuam ex suis intrinsecis principijs exposcit, nullus alius est, quam vt per suos actus cognoscat obiecta sibi disconuenientia, vt illa odio habendo fugiat, & conuenientia vt illa amando prosequatur, & hoc modo suam obtineat felicitatem. Sed si non posset se auertere ab obiectis, quæ vt mala sibi proponuntur, & conuertere ad ea, quæ sibi proponuntur vt bona, frustraretur hoc fine. ergo &c. Secundò, quia nisi substantia intellectiua facultate volitiua polleret, posset iuste conqueri cum auctore naturæ, quod malè secum actum esset, quodque non satis sibi in necessarijs prouisum fuisset; eo quod ex sua parte cognosceret, quæ sibi conuenientia, & disconuenientia forent; & ex alia non posset conuenientia obtinere; efficaciter illa desiderando, & imperando reliquis virtutibus famulantibus, vt ad ea obtinenda se accingerent; neque à disconuenientibus se auertere, imperando eisdem facultatibus, vt illa fugerent, sibique consulerent. ergo &c. Tertiò denique, quia quod est appetitus innatus substantijs non cognoscitiuis, hoc est elicitus cognoscitiuis; sed implicat substantia non cognoscitiua, cui non competat ex suis principijs intrinsecis appetitus innatus; ergo implicabit etiam substantia cognoscitiua, quæ ex suis intrinsecis non exigat appetitum elicitum. Maior patet, quia sicuti appetitus innatus est inclinatio, qua substantia non cognoscitiua in suum bonum, & perfectionem sibi naturaliter debitam propendet; ita & elicitus est actus quidam vitalis à

poten-

Digitized by Google

potentia appetitiua productus, quo principium cognoscés ad id, quod sibi congruit, inclinat. differunt autem per hoc, quod innatus non distinguitur ab entitate rei, cuius est appetitus, elicitus verò, vt potè vitalis operatio, distinguatur necesse est. Sed hoc parum refert; ad veritatem enim maioris satis est, si vterque appetitus sit inclinatio sui subiecti in bonum connaturaliter illi debitum. Minor verò videtur certa: quia substantia non cognoscitiua sine appetitu innato esset essentialiter imperfecta, & mala, quatenus nullam haberet propensionem ad bonum suum. constat enim bonum esse id, quod omnia appetunt, quodcumque suum.

93 Dices: substantiam intellectualem appetitu elicito carentem iam habere appetitum innatum. 94 sufficere autem sibi huiusmodi appetitum; ne sit essentialiter imperfecta, & mala, sicuti esset non cognoscitiua omni prorsus appetitu carens, in quo sensu neganda est consequentia.

94 Sed contra est: quia licet appetitus innatus sufficiat substantiæ non cognoscitiuæ ad appetendum bonum sibi conueniens, atque adeo ad sui perfectionem consequendam: non sufficit tamen substantiæ cognoscitiuæ, sed est illi necessarius etiam elicitus, vt naturalem sui perfectionem, felicitatem, scilicet obtineat. ergo sicuti illa sine appetitu innato esset essentialiter imperfecta, & mala; ita propter eandem rationem hæc sine elicito. Consequentia videtur certa. Antecedens verò probatur, quia ea, quibus ad sui perfectionem natura non cognoscitiua indiget, paucissima, & vno modo consequibilia, vt patet in lapide, qui ad hoc vt suum connaturalem statum obtineat satis illi est, si sit infra omne 95 leue, & benè instructus vt à contrarijs suis se tueri valeat, ad quæ obtinenda satis illi est, si habeat virtutem se mouendi deorsum, & producendi in se qualitates sibi connaturaliter debitas, ad quæ appetitus innatus, qui semper vno 96 modo operatur, est sufficientissimus. Contra verò ea, quibus indiget cognoscitiua, præsertim intellectualis, sunt quamplura, & diuersis modis parabilia, quæ non potest per solum appetitum innatum obtinere. quod præter quam quod constet ex homine, qui non solum ijs, quibus indiget lapis ad sui perfectionem, sed etiam multo pluribus eget, quæ, nisi haberet appetitum elicitum, minimè obtineret: suadetur ex substantia ipsa non volitiua posita ab aduersarijs; ea enim cum sit intellectiua ad suas intellectiones exercendas, procul dubio species intentionales requirit. Tum sic, vel has species ex obiectis ipsis sibi comparat, vel expectat, vt sibi infundantur à Deo. neutrum dici potest, si careat appetitu elicito. ergo &c. Maior patet ex dictis. Minor verò quo ad primam partem suaderur: quia quando hæc substantia intellectiua apprehendit obiectum, quod immittit species, esse sibi conueniens, debet habere virtutem accedendi ad illud. contra verò quando apprehendit esse sibi nocuum, virtutem ab eo recedendi; sed hæc virtus motiua non potest immediatè subdi in his operationibus appetitui innato, quia hic semper eodem modo quantum est de se operatur: huiusmodi autem operationes debent posse diuersimodè fieri, modo tarde, modo velociter; nunc versus dexteram partem, nunc versus sinistram, pro vt ad consequutionem, vel fugam obiecti sibi conducere substantia intellectiua existimauerit. Quod si dicas nullum obiectum huic substantiæ esse conueniens, nullumque disconueniens; Præter quam quod hoc sit manifestè repugnans, negare non poteris intellectum illius appetitu innato inclinare in veritatem, & abhorrere à falsitate. debet igitur habere virtutem se constituendi in debita distantia ab obiectis, vt species ingenuas, & non deturpatas ex illis accipiat, & sic veras cognitiones de eis eliciat, quo ad fieri potest, & non falsas. sed hæc virtus non potest nisi ab appetitu elicito regulari, non autem ab innato; alias dicam ego omnia bruta esse cognoscitiua tantum, easque virtutes operatiuas à solo appetitu innato regulari. ergo &c.

Quod verò neque dictas species hæc substantia habere possit infusas à Deo, quæ erat secunda pars minoris probandæ, suadetur: quia, vel habuit illas infusas simul suæ creationis initio, & sic debet habere virtutem seligendi modo has, modo illas. supponimus enim non posse vti simul omnibus; alioquin in intelligendo esset necessariò perfectior Angelo, qui non potest omnibus suis speciebus adæquatè vti, sed inadæquatè, modo his, modo illis. Atqui hæc virtus non potest saluari per appetitum innatum, sed debet necessariò haberi beneficio eliciti, vt patet ex dictis. ergo &c. vel habet dictas species paulatim à Deo infusas secundum exigentiam, quam habet posita tanta, vel tanta distantia obiectorum; & sic deberet habere virtutem appropinquandi obiectis melioribus, vt earum species obtineret à Deo, & modo ad hęc, modo ad alia obiecta, excurrendo, appropinquare, vt plures species infusas acciperet. sed neque ad hoc potest se extendere solus appetitus innatus, sed requiritur elicitus; ergo &c. 55

Neque dicas his argumentis conuinci solum appetitum innatum huius substantiæ spiritualis de necessitate debere esse perfectionem omni appetitu innato, qui defacto datur, quatenus deberet præstare in his totum id, quod ab appetitu elicito præstaretur, si ad esset. 56

Contra enim est, quia hæc perfectio, quæ appetitui innato huius substantiæ intellectiuæ tribuitur, facit illum excurrere ad elicitum hoc ipsò, quod intellectus ductu, & illuminatione indiget ad operandum, vti à nobis probatum est.

Atque hinc colliges ex implicantijs superius adductis secundam, & tertiam benè intellectas habere efficaciam. Iam enim ex nostra probatione constat omnem potentiam intellectiuam, qua talis est, habere intrinsecam connexionem cum volitiua, siue demum hæc connexio realis sit, si distinguuntur inuicem realiter, siue rationis, si per intellectum tantum. Constat etiam non satis prouisum esse substantiæ intellectiuæ, quæ talis est, per appetitum innatum, cuius beneficio inclinet ad producendas in se passiones sibi debitas, & cognitiones intellectuales. sed requirere præterea appetitum elicitum ad quirendam suam perfectionem naturalem aliq- quia 57

Digitized by Google

quin esset essentialiter imperfecta, & mala, hoc ipso, quod non inclinaret ad bonum sibi naturaliter conueniens.

58 Verum contra nostram conclusionem Obijcies primo potest dari intellectio, quam nulla sequi potest appetitio; ergo potest dari principium cognoscitiuum, quod non sit volitiuum. Consequentia patet, quia connexionem principiorum deducimus ex connexione actuum; ergo si potest dari intellectio non dicens ordinem ad volitionem, poterit etiam dari principium intellectiuum, quod non sit volitiuum. Antecedens probatur: ponamus Deum reuelare Angelo se habere decretum de non concurrendo cum voluntate ad aliquem actum supernaturalem fidei Diuinæ: tum sic talis actus esset intrinsecè connexus cum reuelatione & decreto Dei, ergo esset incompossibilis cum quocumque actu voluntatis; aliter decretum & reuelatio Dei frustari possent.

59 Respondebit forte aliquis negando Antecedens; & ad eius probationem dicet: actum illum fidei esse liberum, & sic essentialiter actu voluntatis inuoluere, atque adeo esse impossibilem posito decreto de non concurrendo cum voluntate ad illum actum. Sed ad hoc posset instare Aduersarius ex suppositione, quod Deus exigat actum fidei ab Angelo de suo decreto decretum esse de non concurrendo cum voluntate ad omnem actum præter illum, qui primo circa ipsum decretum admittendum, vel non admittendum, versaretur. Quare hæc responsio non habet. Respondeo ego concesso Antecedente, negando consequentiam: ad cuius probationem distingvo Antecedens: connexionem principiorum deducimus ex connexione omnium prorsus actuum, qui ab illis principijs eliciuntur, nego: deducimus ex connexione aliquorum actuum, concedo Antecedens; & nego consequentiam. Dico enim, quod vt veniamus in cognitionem, quod principium intellectiuum sit essentialiter à volitiuo inseparabile, non est necesse vt ad omnem prorsus operationem intellectiuam debeat posse sequi volitiua. dantur enim aliquæ cognitiones merè speculatiuæ, quæ non sunt sufficientes de se mouere aliquo modo voluntatem; vt quod omnis Triangulus habeat tres Angulos æquales duobus rectis, vel quod sex sunt bis tria, quod idem clarius apparet in cognitionibus sēnitiuis: Quæro enim, quam appetitionem potest elicere musca ex eo quod videat in Cælo stellas, aut aues ex eo, quod videat scripturam aliquam? nullam profecto, sufficit igitur ad huiusmodi inseparabilitatem aduertendam, si videamus intellectum elicere posse operationes aliquas, ad quas necessariò debeat posse sequi volitiones; cum enim supra probauerimus potentiam intellectiuam habere pro obiecto omne prorsus verum: non potest dici dabilem esse intellectum, qui sit productiuus illarum intellectionum tantum, quas nulla possit subsequi appetitio, & sic substantiam spiritualem positam ab aduersarijs merè intellectiuam, huiusmodi intellectiones præditam esse.

60 Obijcies secundo ex Arriaga *loco citato* num. 137. Potentiæ sensitiuæ exteriores vt visus, auditus &c. sunt cognoscitiuæ; sed illis non correspondet potentia appetitiua; hæc enim correspondet solum sensui interno, ergo potest dari principium cognoscitiuum, quod non sit appetitiuum.

61 Respondet Quiodus concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem negat potentiam appetitiuam materialem correspondere solum sensui interno, sentit enim inquit, omnia obiecta sua sensata sensibus externis,

62 sua interna tantum. Sed contra est, quia obiecta sensata sensibus externis, sicut sensibus internis non possunt ab appetitu sensitiuo attingi, ergo negari non potest sensibus externis non correspondere suam potentiam appetitiuam,

63 immediatè. Quare melius respondendum primum, quod, quemadmodum supra dixi, non est necesse, vt ad quamcumque intellectionem debeat posse sequi sua appetitiua, sed ad quamcumque potentiam cognoscitiuam, datur sua potentia appetitiua. Sed satis esse ad saluandam nostram conclusionem, principium cognoscitiuum sit de genere tale, etiam appetitiuum, quod habetur in casu nostro; nam licet non detur potentia appetitiua immediatè correspondens potentiæ visiuæ; datur tamen, quæ correspondeat mediatè, & hoc sufficit ad nostrum intentum, sic etiam potest verificari, quod cuiuscumque intellectioni potius mediis aliis intellectionibus correspondere sua appetitio.

64 Obijcies tertio: quod est prius, non pendet ab eo, quod est posterius, sed potentia intellectiua est prior volitiua, ergo non pendet ab illa, potest igitur dari substantia intellectiua quæ non sit volitiua.

Respondeo: distinguendo maiorem, quod est prius non pendet ab eo, quod est posterius per dependentiam causalitatis, concedo, per dependentiam connexionis, siue realis, siue rationis nego; & sic concessa minore, ad consequentiam dico, quod licet potentia intellectiua non pendeat per dependentiam causalitatis à volitiua, vt potè illa prior; pendet tamen per dependentiam connexionis; & siquidem est res, per ab illa distincta, connexio erit realis: sin minus connexio erit solum per intellectum; quatenus ex eodem radicali principio, nempè substantia spirituali formaliter accepta, intelligi debet utraque potentia de genere tale procedere, licet non aliquo ordine, vt in signo priori intelligatur intellectiua procedere, & in posteriori volitiua; quod quidem multi probabiliter negant putantes, quod licet duæ potentiæ in operando vna præcedat aliam, in essendo tamen in eodem prorsus signo profluere à substantia spirituali intelligunt.

DISPVTATIO VIGESIMA PRIMA

DE INTELLECTIONE.

1 OPeratio Potentiæ intellectiuæ, reddens illam in actu intelligentem, est Intellectio, quam esse formam ab ipsa potentia nemine cogitante distinctam nulli dubium esse potest; experientia enim constat, nos quidquid intelligere possumus, non actu semper, & necessariò intelligere, sed modo vnum obiectum, modo aliud, aliquando verò nullum. Verum quænam sit huiusmodi forma, seu, quod idem est, in quo formaliter intellectionis ratio posita sit, ante omnia quærendum nobis est; illud interim admonendo, quod multa, quæ de ea statuuntur, de reliquis operationibus intentionalibus, siue cognoscitiuæ illæ sint, siue appetitiuæ, intelligenda erunt, hoc ipso, quod eadem prorsus ratio videtur militare pro omnibus.

SECTIO PRIMA.

In quo nam ratio Intellectionis formaliter consistat.

2 QVamplures circa hanc controuersiam Doctorum opiniones circumferuntur; probabiliores nos oportet expendere, vt confutatis confutandis, quæ nobis arrideat, in medium adducamus.

3 Prima est eorum, qui Intellectionem adæquatè *in sola actione physica, & prædicamentali* consistere tuentur. hi verò in duas diuisi sunt classes. Nonnulli enim existimant huiusmodi actionem nullum habere terminum siue distinctum, siue identificatum. Alij verò licet ei terminum per ipsam productum agnoscant, putant tamen rationem Intellectionis totam in actione positam esse. Et quidem hæc sententia secundum neutram intelligentiam suorum Patronorum habet probabilitatem. nam priores ponunt actionem sine termino, quam implicare omnes fatemur; & rectè id quidem: impossibile est enim haberi fieri rei, & non haberi rem, quæ fiat; sicuti, & haberi causalitatem sine rè causata; actio enim est fieri effectus, & causalitas efficientis, vt supponimus. Posteriores verò, dum totam rationem cognitionis *in actione* constituunt, vel
11 requirunt terminum, vt merè subsistat actio, vel vt sit idolum, in quo intellectus, tanquam in obiecto prius cognito, suum cognoscat obiectum: neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet; non enim potest assignari, facta illa suppositione, ad quid aliud dictus terminus necessarius esse possit; Minor verò probatur quo ad priorem partem: quia sic terminus esset propter actionem, & non actio propter terminum, contra essentiam actionis, quæ, cum essentialiter importet fieri rei, habet ex suis intrinsecis ordinari ad aliud, & non propter se intelligi; quo ad posteriorem verò eadem minor suadetur, quia intellectus potest obiectum suum in se ipso immediatè cognoscere, vt patet ex intuitiua cognitione, vnde non indiget idolo à se formato tanquam termino actionis, vt in eo cognoscat illud, vti melius dicetur inferius. Ex quibus remanet impugnata sententia Alfonsi *de anima disp. 13. sect. 3.* Volentis Intellectionem in actione productiua vnionis, qua species expressa vnitur intellectui, positam esse.

Secunda sententia extreme opposita, pro qua 4
Arriaga *disput. 6. de anim. sect. 2. num. 37.* citat multos, quibus ipse subscribit, docet Intellectionem in sola qualitate consistere, non secus ac gratiam, & calorem: vnde sicuti gratia à quocumque tandem agente producatur in anima, reddit illam gratam, & calor subiectum suum calidum: sic, ait, Intellectionem siue, producatur à solo Deo in intellectu, siue ab ipso intellectu, æque reddere illum intelligentem.

Verum hæc opinio ex sola ratione reijcienda videtur, quod essentiam vitalis operationis destruat, eamque cum non vitali confundat. siquidem de essentia vitalis est immanentia in principio, à quo profluit, vti contra ipsum Arriagam suo loco probauimus. Et vlterius confirmatur ex eo, quia potentiam vitalitèr operari est mouere se ipsam, & non moueri ab alio; hoc enim est proprium potentiæ non vitalis. ergo impossibile est Intellectionem æquiparari in hoc gratiæ, & calori, quæ sunt formæ non vitales, non constituentes subiectum suum formaliter viuens in actu secundo, sicuti facit Intellectio. Nequè distinctio, qua se hic auctor tuetur, de vita physica, & intentionali, quidquam valet; cum enim doceat immanentiam importari essentialiter à vita physica, & non ab intentionali, qualis est omnis cognitio, & appetitio, se ipsum implicat, dum duplicem vitæ rationem nullam inter se conuenientiam habentem inuenit, contra omnem scolasticorum sensum; & communem vitalis principij notionem destruit, dum negat se ipsum ab intrinseco mouere debere. Quod si D. T. *prima parte qu. 14. art. primo ad tertium* docet, quod intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis intelligitur; loquitur de intellectione abstractissimè accepta, in qua creata, & increata essentialis conueniunt, quam nullam realem originem importare certum est, sed ad summum originem rationis. His igitur extremis opinionibus post habitis, sit,

5 Nostra prima conclusio: Ad rationem intellectionis tam qualitas, hoc est species expressa, quam actio intelligentis necessaria est. Patet ex dictis: cum enim probatum sit eam non consistere in sola actione productiua qualitatis, neque in sola qualitate ipsa; aliunde verò, si hæc duo relinquamus, non habemus in quo probabiliter pedem figere possimus: manifestè deducitur, vtramque ad reddendum intelligentem intellectum necessariam esse. Atque hæc est sententia media, extrema aliqua ratione componens, & reconcilians. verum quo modo se habeant duo hæc ad id præstandum, difficile explicatu est. Quinque enim explicandi modos inuenio; ex quibus, post quam quatuor priores reiecero, quintum amplectendum proponam. Et quidem primo loco exponendus occurrit eorum, qui dicunt totam rationem intellectionis in qualitate consistere; vt autem immanentiam, quam exigit vita in actu secundo propugnent, addunt, actionem intellectus esse causalitatem, qua dicta qualitas eum formaliter intelligentem constituit; atque adeo si dicta qualitas a solo Deo in intellectu produceretur, eum defectu causalitatis non euasurum intelligentem; quemadmodum, si à Deo produceretur in ligno calor absque vnione, non redderet lignum calidum.

6 Hunc modum explicandi nostram sententiam Quiedus *de anima contron. 6. puncto primo num.* 15. non approbat; & rectè id quidem. Nam intelligens est effectus formalis intellectionis in intellectu positæ; sed hic effectus formalis habetur beneficio vnionis termini ad intellectum, & non actionis eius. ergo propria actio intellectus nequit esse causalitas, qua terminus eum constituat formaliter intelligentem. Maior patet, & minor probatur inductione facta per omnes effectus formales. Et confirmatur vlterius, quia effectus formalis est totum ex forma, & subiecto apto resultans; sed ad habendum totum præter extrema satis est si habeatur vnio. ergo &c.

7 Ad hoc argumentum respondere possunt Aduersarij negando minorem; & ad eius probationem dicere, quod licet ad reliquos effectus formales prouenientes à forma non vitali sufficiat vnio cum extremis: ad eos tamen, qui causantur à forma vitali, loco vnionis sit necessaria actio; ad quod probandum sic insurgerent: Si peccator libere actum contritionis eliceret, Deus verò vnionem dicti actus impediret, adhuc homo ille reponeretur in gratia per dictum actum. ergo per actionem, & non per vnionem resultat effectus formalis actus vitalis, cuiusmodi est detestatio peccati super omnia in tali homine.

8 Sed contra hanc responsionem facit: quia ea, quæ essentialiter importat effectus formalis, vt sic, indispensabiliter importare debet quilibet effectus formalis siue vitalis sit, siue non vitalis; atqui vnio ad essentiam effectus formalis vt sic est necessaria, eo quod hic essentialiter importat formam in subiecto, & non à subiecto; quamuis enim forma, si vitalis est, debeat etiam dicere esse à subiecto, hoc tamen vt in sua entitate existat, & non vt effectum suum causet videtur exposcere. Atque hæc quantum ad distinctionem allatam. Quod verò attinet ad probationem ex actu contritionis desumptam: admisso casu miraculoso, distinguo antecedens: adhuc homo ille reponeretur in gratia, quatenus illam meretur de congruo ob exercitium suæ libertatis, concedo: quatenus effectum formalem contritionis consequeretur, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod licet in tali casu iustificaretur homo, quatenus contritionem exerceret, at non quatenus formaliter esset contritus. Vnde in sententia eorum, qui volunt actum contrictionis formaliter sanctificare, & expellere peccatum: homo ille quantum est ex hoc capite remaneret in peccato, & non sanctificaretur.

9 Secundus explicandi modus est eorum, de quibus Arriaga *disput. 6. sect. 2. subsect. 2.* hi docent intellectionem requirere de connotato actionem ab intellectu procedentem, vt suum effectum formalem illi communicet.

10 Hunc explicandi modum impugnat idem Arriaga *numero* 27. eo, quod *hæc connotata sint* omnino imperceptibilia. Sed cum nos a *ibi* eorum probabilitatem ostenderimus, eum aliunde impugnamus, nimirum ex eo, quia operatio cognoscitiua dicit viralitatem intrinsecè; ergo, & immanentiam; sed immanentia non distinguitur ab ipsa actione immanenti. ergo intellectio non requirit actionem ab intellectu procedentem tanquam connotatum, vt suum tribuat formalem effectum. Omnia videntur certa, præter vltimam consequentiam, quæ suadetur, quia connotatum est extrinsecum formæ connotanti. ergo eo ipso, quod cognitio vitalitatem intrinsecè includit, impossibile est vt dicat actionem immanentem tanquam connotatum. Confirmatur: vita in actu secundo dicit in recto immanentiam. Sed cognitio proueniens ab intellectu, eique communicans suum effectum formalem, est vita in actu secundo; ergo dicit actionem immanentem in recto. cum igitur de ratione connotati sit vt non importetur à connotante in recto, sed in obliquo, enunciatur, quod actio non sit connotatum cognitionis.

12 Tertia explicatio affertur ex Hurtado *disp. 6. sect. prima subsect. prima* nimirum intellectionem ex qualitate, & actione distincta tanquam ex duabus partibus coalescere. Contra hanc explicationem facit, quia sola qualitas est de se expressiua repræsentatio obiecti. ergo *sicuti* intellectus illa informatus redditur *expressiue* repræsentans obiectum, *licet in eam non concurrat* effectiuè: ita etiam *redderetur intelligens*. Antecedens videtur *certum*. *Non enim* potest explicari quid nam *sit illa qualitas*, quæ actionem intellectus terminat, *nisi* dicatur, quod sit repræsentatio *expressiua*, & imago obiecti. Consequentia probatur, quia per eandem formalissimam rationem, per quam qualitas illa constituitur expressiua repræsentatio obiecti respectu intellectus, constituetur etiam in ratione intellectionis. nil enim aliud venit nomine intellectionis, quam qualitas, quæ sit expressiua, & imago

Digitized by Google

imago obiecti reſpectu intellectus. quod ſi id negat Aduerſarius, dicatque intellectionem præterea importare rationem vitalitatis in actu ſecundo, quæ in actione conſiſtit. Contra eſt, quia non magis intellectio, quam expreſſiua repreſentatio, & imago obiecti debet includere vitalitatem in actu ſecundò; ergo ſi ad illam non pertinet eſſentialiter actio intellectus, ita neque ad intellectionem. Confirmatur id quod dicimus: faciamus quod illa qualitas expreſſiua, quæ per actionem diſtinctam defacto producitur ab intellectu ſimul, & à Deo, producatur in eodem intellectu à ſolo Deo: profecto reddet intellectum expreſſiuè repreſentantem obiectum; ergo reddet illum intelligentem, quia nullo alio modo intellectus exprimit, & repreſentat obiectum ſuum, quam illud intelligendo.

12 Quartus explicandi modus eſt eorum, qui aſſerunt intellectionem conſiſtere in qualitate ſe ipſa immediatè pendente ab intellectu, ſeu quod idem eſt, per actionem ſibi identificatam, & non diſtinctam. Ita Quiedus *loco cit.* §. 3. vbi pro ſe citat Scotum, Durandum, Gabrielem, & alios Thomiſtas; imo & Ariſtotilem 9. *metaph. text.* 16. vbi ſimiles operationes vitales dicit omni termino carere; differentiam adducit inter ædificationem, & viſionem: quod in ædificatione, præter ipſam actionem ædificandi, detur ædificium: in viſione autem præter ipſam actionem nullus *alius* terminus reperitur ex vi actionis productus.

Sed Philoſophus loquitur de termino producto ad extra, qui tranſacta actione perdurat, qualem habet ars ædificandi, pingendi &c. non autem potentia viſiua, intellectiua & ſimiles. Quod ſi ſubdit: harum potentiarum non eſſe aliud quoddam opus, præter actionem, loquitur de actione grammaticaliter, non autem prædicamentaliter ſumpta, qualis eſt viſio, intellectio &c. Cæterum dictæ artes, præter terminos ſuos ad extra, quatenus motum vitalem ad eos producendos adhibent, habent etiam ſuum terminum immanentem nimirum vbi intrinſecum. Quiedus, qui admittit hoc vbi, negare id non poteſt. atque hæc de auctoritate Philoſophi.

13 Verum, vt de ipſo modo explicandi ſecundum ſe accepto aliquid dicamus, eum probare non poſſumus. Ratio eſt quia hanc immediatam dependentiam ab intellectu vel importat intellectio, qua operatio eſt vt ſic, vel qua talis operatio, nempe vitalis, intentionalis, cognoſcitiua &c. neutrum dici poteſt, ergo &c. Maior, & conſequentia patent. minor verò probatur quo ad vtramque partem; & primò quo ad priorem ſic: Duplex datur genus operationum ad rem noſtram ſpectantium: alterum earum, quæ ſunt de prædicamento actionis, alterum verò earum, quæ ſunt de prædicamento qualitatis. quamuis autem omnis operatio primi generis ſe ipſa immediatè pendeat à ſua cauſa efficiente, alioquin daretur proceſſus in infinitum in huius modi actionibus: at operationes ſecundi generis, quantum eſt de ſe, hanc immediatam dependentiam per ſe ipſas ab efficiente non important. Et ratio eſt, quia hæ reuera propriè ſunt qualitates, & à Philoſophis actiones grammaticales dicuntur, vt notent eas grammaticaliter tantum, & ſecundum dici eſſe actiones; ſicuti calere, rubere &c. non verò propriè, & in rigore philoſophico. eum igitur intellectio, qua operatio eſt, adhoc ſecundum genus pertineat operationum: hinc fit, vt qua talis, non importet per ſe ipſa ſine actione diſtincta ab intellectu pendere: Eadem minor quoad ſecundam partem probatur etiam; quia etiam ſi operatio vitalis intentionalis cognoſcitiua, cuiuſmodi eſt intellectio, non pendeat per ſe ipſam immediatè à ſua potentia vitali, ſed per actionem diſtinctam: eius tamen vitalitas ſaluari poteſt dicendo, quod duplex detur vitalitas in illa; vna actualis, & accidentalis, quæ ſit diuinitus ab ea ſeparabilis, & importet actualem dependentiam in genere efficientis à ſuo principio vitali; alia aptitudinalis ſibi eſſentialis, quæ ſaluetur per exigentiam dependentiæ à dicto principio. Sed ſic dicendo ex vna parte vllum ſequitur inconueniens, & ex alia ſaluatur, quod etiam qua talis operatio eſt non importet immediatè dependere per ſe ipſam ſine actione diſtincta ab intellectu. ergo ita dicendum eſt.

Duplici argumento oppoſitum conatur ſuadere Quiedus *num.* 21. Primum ex ratione intellectionis deducit, ſic: Intellectio eſt quædam repræſentatio obiecti; atqui non eſt repræſentatio emortua, ſed vitalis, qua intellectus apprehendit obiectum, & quaſi illud manu capit; ergo intellectio actualem, & non aptitudinalem vitalitatem eſſentialiter importat. Omnia patent præter conſequentiam, quæ ſuadetur, quia apprehenſio, & captio eſt potiſſimum vitæ exercitium. 14

Reſpondeo: conceſſa maiore, ad minoris diſtinctionem præmitto, quod quando intellectus connaturaliter aliquid cognoſcit, duplicem nos apprehenſionem, & captionem obiecti cogniti ab eo fieri intelligere poſſumus: vnam motiuam, quatenus ſe mouet ab intrinſeco ad cognoſcendum obiectum: alteram terminatiuam, quatenus percipit, & cognoſcit ipſum obiectum. Vtraque enim eſt apprehenſio, & captio obiecti. Sed priorem intellectus exercet beneficio actionis, qua influit in qualitatē cognoſcitiuam: poſteriorem verò beneficio ipſius qualitatis in ſe receptæ; qua poſita doctrina, dico minorem illam duas continere partes, vtramque diſtinguendam: Et primo priorem iuxta priorem doctrinam ſic: Intellectio eſt repræſentatio vitalis obiecti, eſt vitalis in actu primo, concedo; in actu ſecundo, nego minorem. Cum enim vitalitas actualis, & in actu ſecundo ſit reſpectu intellectionis denominatio prouenies ab actuali influxu potentiæ intellectiuæ in ipſam, non poteſt dici, quod ipſa de ſe ſit vitalis in actu ſecundo, ſed ſolum in actu primo; per quod ſaluatur, quod non ſit qualitas emortua. Poſteriorem verò, in qua dicebatur, quod intellectus per intellectionem apprehendat obiectum, & quaſi illud manu capiat, hoc alio modo iuxta poſteriorem doctrinam diſtinguo ſic: apprehendit, & quaſi manu capit terminatiuè, concedo; motiuè nego minorem, & conſequentiam. Quia hoc ipſo, quod per intellectionem intellectus 15

con-

Digitized by Google

constituitur formaliter intelligens obiectum, terminatiue ipsum apprehendit, & veluti manu capit; at non motiue, quia per actionem ab intrinseco prouenientem mouetur, & ponitur in via ad apprehendendum, & capiendum illud terminatiue. Per quæ patet responsio ad probationem minoris, in qua assumitur, quod apprehensio, & captio obiecti sit potissimum vitæ exercitium. Hoc enim verum est de apprehensione, & captione motiua, qua viuens se ipsum ab intrinseco mouet, non de terminatiua, nisi etiam ipsum exercitium terminatiuè accipiatur.

16 Posterius argumentum idem Ouiedus *nu.* 22. ex voluntate deducit in hunc fere modum: Cognitio prærequiritur ad amorem. sed non prærequiritur nisi ad actionem voluntatis; ergo actio voluntatis est amor, & sic amor per se ipsum à voluntate dependet, & consequenter Intellectio ab intellectu. Maior patet. minor probatur, quia cognitio prærequiritur vt voluntas valeat se determinare ad amplectendum obiectum; sed determinatio voluntatis consistit in eius actione, per quam ex actu primò reducitur in actum secundum. ergo prærequiritur ad actionem. Confirmatur: Rationi amoris primario, & ex se competit esse exercitium libertatis. sed exercitium in actione consistit. ergo amor in actione consistit.

17 Respondeo distinguendo maiorem: cognitio prærequiritur ad amorem, quatenus amor est vitalis in actu secundò, concedo. quatenus est vitalis solum in actu primò, nego maiorem, & sic concessa minore, distinguo consequens; actio voluntatis est amor, quatenus amor includit vitalitatem in actu secundo, concedo: quatenus includit illam solum in actu primo, nego consequentiam. Dico enim quod amor, sumptus prout dicit vitalitatem in actu secundò, tam in actione, quam in qualitate consistit; vnde non est mirum si actionem includat. Per quæ patet responsio ad confirmationem: rationi enim amoris, non qua amor est præcisè, sed qua vitalis est, competit esse exercitium libertatis. His igitur quatuor modis intelligendi nostram primam conclusionem confutatis, sit.

18 Secunda conclusio. Intellectio non qua vitalis est in actu primo, sed qua vitalis est in actu secundo, tam qualitatem, quam actionem distinctam includit, vtramque in recto, non minus, quam homo animam rationalem, & corpus. Et in hoc sensu dixit Aristoteles 1. *Eth. cap.* 3. operationem virtutis, & fœlicitatis non esse qualitatem, quia videlicet est quid ex actione, & qualitate conflatum, sicuti sunt nostri actus meritorij, & demeritorij voluntatis.

19 Probatur; quia Intellectio, qua vitalis est, in actu primo solum importat expressionem, & repræsentationem obiecti, exigentem habere vitalitatem in actu secundò, per hoc quod ab intellectu effectiuè procedat; sed totum hoc habetur per solam qualitatem; ergo Intellectio qua vitalis est, in actu primò non importat necessariò actionem. posito igitur quod illam importet, vti supra vidimus, pro vt vitalis est, in actu secundò illam importabit; in qua acceptione *Intellectionis vocabulum passim* vsurpatur; sed non importat illam tanquam vnionem sui cum intellectu, neque tanquam connotatum, neque tanquam compartem constituentem illam in ratione qualitatis, neque tanquam sibi identificatam, vti supra vidimus. ergo tanquam quid distinctum, & à se dictum in recto.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contra secundam conclusionem.

OBijcies primo: hic noster modus explicandi coincidit cum explicatione Hurtadi, tertio loco à nobis adducta, in qua dicebatur: Intellectionem ex qualitate, & actione distincta tanquam ex duplici parte constare, quam nos supra impugnauimus, eo quod sola qualitas, quæ est terminus actionis, de se est expressiua repræsentatio obiecti, ergo &c. 20

Respondeo, negando anteeedens. latissimum enim discrimen inter vtramque sententiam intercedere constat ex eo, quia Hurtadus ita vult Intellectionem ex qualitate, & actione intellectiua constare, vt si sola qualitas produceretur miraculosè à Deo in intellectu, non constitueret illum formaliter intelligentem defectu actionis intellectus, quæ ad hunc effectum in eius sententia est simpliciter necessaria. At nos putamus actionem intellectus requiri tantum ad vitalitatem in actu secundo; quare si Deus sola Intellectionem in intellectu produceret, in nostra sententia intellectus quidem constitueretur formaliter intelligens; eo quod ad habendum effectum formalem nil aliud requiritur, nisi forma in subiecto apto, cuiusmodi esse intellectum, & dictam qualitatem, videtur plusquam certum; redderetur igitur per eam intellectus formaliter intelligens, sed non vitaliter vitalitate actuali, quia hæc est denominatio, Intellectioni ab actuali influxu potentiæ intellectiuæ proueniens, qui in tali casu nullus esset. Per quæ patet, argumentum, quod fecimus contra Hurtadum ab expressiua repræsentatione petitum, non facere contra nos. 21

Objcies secundo: quando intellectus intelligit, non est otiosus, sed se ipsum mouet, & operatur; ergo per Intellectionem à solo Deo in se productam, intelligere nequit. 22

Respondeo, quod quando intellectus noster de facto intelligit, dupliciter se mouet, & operatur: primo realiter, secundo grammaticaliter. Primum habet ex eo quod vitaliter in actu secundo attingat obiectum, ad quod necessaria est actio immanens, perquam in se qualitatem cognoscitiuam producat. Secundum, ex eo quod per dictam qualitatem extrinsecè obiectum veluti manu capiat, & apprehendat. Hoc posito distinguo Antecedens: quando intellectus intelligit, se ipsum mouet, & operatur, & siquidem sermo est de intellectu vitaliter in actu secundo intelligente, concedo, quod vtroque modo se ipsum mouet, & operatur, videlicet tum realiter, tum grammaticaliter. sin autem de intellectu intelligente non vitaliter in actu secundo, nego, quia tunc se mouet grammaticaliter tantum 23

Digitized by Google

tum cum exigentia &c. sic distinguo antecedentem, nego consequentiam.

23 Ignis ignem calefacere essentialiter calorifica productionem ab igne procedentem importat: ergo intellectum intelligere semper essentialiter etiam intellectionis productionem ab intellectu procedentem importet necesse est; nulla ergo distinctio. Respondeo concesso antecedente: negando consequentiam, disparitas est, quia intelligere non se habet proprie sicut calefacere, quod essentialiter actionem importat, sed sicut calefactio, quod dicit tantum habere in se esse formale caloris: calefactum verò non intellectio sed intellectum, vt ita dicam, correspondet: ideo casu, quo intellectus habeat à solo Deo intellectionem infusam, non potest dici affirmative, quod intellectum sit, sed solum quod intelligat.

24 Obiicies tertio: per nutritionem a solo Deo productam viuens non dicitur nutriri, ergo nec quis homo per intellectionem a solo Deo in se efficienter causatam intelligere. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas est, quia in nutritione operatio vitalis est sola actio praedicamentalis, quam exercemus quando nutrimur, quia substantia quam augmentat, dicta actio perficit viuens substantialiter tantum; vnde non est vitalis nisi per extrinsecam denominationem ab actione proueniendam, & hoc propter imperfectionem vitae generatiuae; at verò vltima intellectiua vitae perfectio, qualis est ipsa intellectio ab actione praedicamentali producta, quae licet non sit de se vitalis in actu secundo, est tamen vltimus terminus, & finis actionis, quae est hac ratione vitalis.

25 Obiicies quarto: implicat actum voluntatis qui in nobis non liberum, sed necessarium producitur nobis à solo Deo, sed eadem est ratio de intellectione, & reliquis operationibus intentionalibus, vt supra notauimus; ergo implicat à solo Deo in nobis produci intellectionem. Maior, qua sola probatione egeo, suadetur, quia actus voluntatis est essentialiter voluntarius, deo vt voluntarium opponitur violento, est inferre à solo Deo iam esse violentum, quia ex Aristotele *tertia, ethic.* Cap. prima violentum debetur id quod à principio extrinseco nullatenus confert aliquid passo, ergo &c. Respondeo negando maiorem: ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem; violentum enim ita est à solo principio extrinseco, vt non exigat esse à principio intrinseco subiecto quod expressit Philosophus dum dixit: non conferre quidquam passo, id est quod neque actu neque aptitudine sit à passo, hoc autem non habet actus voluntatis à solo Deo in voluntate productus.

26 Contra hoc vltimum instabis adducendo tria argumenta ab Arriaga *num. 39. Et 40.* adducta: Primum sic procedit: Materia, vel Quantitas est capax caloris, & similium qualitatum; sed calores & similes qualitates non petunt oriri ab intrinseco à materia, vel quantitate. ergo potest dari voluntas, quae non exigat oriri à potentia voluntate. Secundum est huiusmodi: etiam si loquendo de volitionibus ordinis naturalis id verum esset, quod minimum exigant à voluntate procedere, non tamen de illis, quae sunt ordinis supernaturalis. Licet enim anima recipiat gratiam, & habitus supernaturales, non tamen potest producere illos: cur non etiam aliquam operationem vitalem intentionalem? Tertio demum 31 quia in Angelo possunt species per se infusae à Deo, quae non exigunt ab illo, ergo possunt dari similes volitiones, & intellectiones.

Sed ad tria dicta vnico verbo respondeo: negando 27 paritatem, disparitas est, quia neque species, neque gratia, neque calor sunt operationes vitales, quales sunt volitio, & intellectio, quare quemadmodum potentia vitalis non potest vitaliter ferri extra suum obiectum adaequatum, ita neque extra suum actum, ita vt vitales 32 actiones attingat obiectum per qualitatem, quae producere nequeat nisi se solo, si qualitas est ordinis naturalis, sine elevatae à Deo, si est supernaturalis, licentia cum respectu obiecti materialis actus.

Pater Izquierdo *in sum. Pharo disp. 2. quest. 11. art. 4.* eo ratiocinio nitebatur conatur sententiam Arriagae, quam dicit esse D. T. Scoti, & aliorum: verum quia earum solutio ex dictis facile colligere potest, vt brevitati consulam, eas referre non curo.

SECTIO TERTIA.

Quid sit verbum mentis, & ad quid inserviat. 33

AD perfectam intellectionis notitiam pertinet scire quid sit, & ad quid inserviat verbum mentis, & prior difficultas. 28

Primam pono conclusionem: Verbum est id 29 reale cum intellectione vitali, atque adeo qualitas, & actionem intellectus importat. Sequitur ex dictis, & patet pro eadem contra eos omnes qui alicui de intellectione sentiebant.

Probatur primo auctoritate D. Augustini, *lib. 15. de Trinit. cap. 10.* vbi Cognitio, inquit, nobis pertinens ad id quod scimus, atque inde formata verbum nostrum verum est. Praeterea Anselmus in *Monol. cap. 32.* absolutè docet: Cognitionem cuiusquam rei esse imaginem omnis, & verbum eius reliquos vius apud auctores patitur.

Probatur secundo ratione: quia verbum men- 30 tis dicitur per analogiam ad verbum oris, atqui verbum oris essentialiter importat procedere, labore vt signum manifestativum alterius, ergo verbum mentis essentialiter quoque importabit procedere ab intellectu item vt signum manifestativum alterius. Sed totum hoc habemus praecisè per cognitionem, & actionem intellectus, ergo in his duobus consistit ratio verbi. Omnia patent, praeter minorem subsumptam; quae suadetur ex eo, quia in actione productiua intellectionis habemus conceptum processionis, in ista verò intellectione rationem signi manifestantis obiectum ipsi intellectui; cum enim ea sit expressa similitudo obiecti, implicat, quod posita in intellectu, per se ipsam non ei manifestet dictum obiectum.

Pro

Pro posteriori difficultate sit Secúda Conclusio: Verbum mentis non inseruit intellectui vt medium, in quo cognito, cognoscat obiectum siue præsens, siue absens; sed inseruit illi vt medium, quo non cognito, suum cognoscat obiectum. Est communis in Societate, contra Thomistas.

31 Duas habet partes assertio; & quidem secunda sequitur necessariò ex prima. nam verbum de se est medium manifestatiuum obiecti; vel igitur illud manifestat ita, vt in se cognoscatur, vel ita, vt in se minime cognoscatur: si primum erit medium in quo, hoc est in quo cognito cognoscitur obiectum; sin autem secundum, erit medium quo, quatenus absque sui manifestatione manifestabit obiectum; tota igitur difficultas in probanda priore parte assertionis posita erit.

32 Probatur autem tripliciter; & primo quidem experientia. nam quando nos cognoscimus Petrum, non aduertimus cognoscere aliquod eius idolum in mente formatum, & in eo cognito venire in cognitionem ipsius Petri; deberemus autem id maxime aduertere, quemadmodum quando cognoscimus ipsum Petrum in sua imagine, benè animaduertimus cognitionem nostram non solum ad ipsum, sed etiam ad eius imaginem terminari. Quod si alterutrum nostram obseruationem fugere deberet, id potius deberet esse obiectum, quam idolum, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

33 Idem secundo probatur, quia nullam habet necessitatem intellectus huius medij, in quo; ergo superfluè ponitur. Consequentia patet. Antecedens suadetur, si qua enim haberet, ea vel esset, vt dicunt Thomistæ, distantia obiecti, quia nimirum cum cognitio non transeat ad extra, vbi est obiectum, videtur necessariò debere idolum sibi intrinsecus efformare, vt in eo speculetur ipsum obiectum; vel, vt Conimbricenses asserunt, ratio actionis, eo quod non potest dari actio sine termino, & intellectio est de genere actionis vt patet. Sed verè neutra vrget; non prior. obiectum enim in ordine ad cognitionem duplex exercet munus: vnum terminandi, alterum mouendi; & quidem vt terminatiuum est, non requirit præsentiam; terminus enim vt terminus etiam si valde differ à re, quam terminat, potest rectè suum munus præstare, vt diximus in logicis cum de termino relationis. vt motiuum verò requirit quidem præsentiam, sed eam habet ratione speciei impressæ, quam existere in intellectu, & esse obiecti vicariâ vertum est. cum igitur tota necessitas refundatur à Thomistis in obiectum vt terminatiuum: sequitur eam nullam esse. Confirmatur, quia nulla est per eos in ordine ad verbũ ipsum terminandum, quod, non obstante obiecti distantia, illud representare valet: ergo &c Neque plus vrget posterior ratio à Conimbricensibus adducta. si quidem intellectio non est actio prædicamentalis, quæ essentialiter ordinetur ad terminum producendum, sed grammaticalis, in quantum est actualis ratio, cuius beneficio intellectus versetur circa suum obiectum, & sic non eget termino, quem producat.

Idem denique probatur tertio paritate, sic: 34
Volitio non amat obiectum suum in aliqua qualitate tanquam in medio in quo: ergo neque cognitio cognoscit suum obiectum in verbo tanquam in medio in quo. Antecedés suadetur, quia quando quis desiderat sibi gloriam, non desiderat illam qualitati in sua voluntate productæ, neque sibi qualitatem illam, neque qualitati; sed sibi à parte rei existenti realem gloriam. consequentia patet, quia, si qua esset disparitas maximè quia, vt respondet Aduersarij, voluntas supponit obiectum suum ab intellectu sibi præsentatum: at verò intellectus debet illud facere sibi præsens. Hanc autem disparitatem nullam esse constat, quia quamuis voluntas, quæ cæca est non possit ferri in suum obiectum, nisi ab intellectu sibi manifestetur; tamen non fertur in ipsam manifestationem, alioquin quando quis 35
desideraret diuitias Petro, illas primo; & per se suo verbo mentis optaret. quemadmodum igitur voluntas fertur immediatè in suum obiectum exterius positum, ita procul dubio potest intellectus.

Contra priorem Conclusionem obijcies primo: in diuinis Verbum non est ipsa intellectio, seu id quo Pater formaliter intelligit, sed est terminus per intellectionem à Patre productus. ergo & in Creatis verbum erit etiam terminus ab intellectione productus, & non ipsa intellectio. Consequentia paritate patet: antecedens verò negari non potest, quia cum diuina intellectio sit quid absolutum, est communis omnibus tribus personis. Verbum autem est proprium Patri.

Respondeo: concesso antecedente, negando 36
consequentiam. pro disparitate nota, verbum in communi esse id, quod producitur ab aliquo ad exprimendum obiectum; & in hoc conuenit Verbum creatum siue mentale, siue vocale, atque diuinum, sed aliunde differunt; & quidem creatum mentale, & vocale differunt inter sè, quia mentale producitur ad exprimendum obiectum ipsi loquenti; vocale verò alteri; ex quo aliud discrimen subsequitur, quod vocale representet instrumentaliter vt prius cognitum. mentale verò formaliter, absque eo quod cognoscatur; reddendo subiectum formaliter intelligens. Porrò Verbum Diuinum partim conuenit cum vtroque verbo, & partim differt. quia habet vtriusque perfectiones detractis imperfectionibus. Conuenit enim cum vocali in eo, quod producitur à Patre ad manifestandum alteri, nempè Filio omnia, quæ Pater scit. Pater enim genierat Verbum vt dicat illi omnia, quæ scit, & sic loquendo generat. differt autem quatenus non est signum instrumentale, sed formale; quia Pater loquitur Filio perfectissimo modo, hoc est, dando illi suammet notitiam, atque scientiam; & in hoc conuenit Verbum Diuinum cum creato mentali, quod formaliter representat obiectum loquenti sibi ipsi; differre autem quatenus per creatum loquens non loquitur nisi sibi; at per Diuinum Pater non sibi loquitur, sed alteri nempe Filio. His autem ex prima parte præ-

tatis.

Digitized by Google

tatis, dico: non ideo Verbum Diuinum esse terminum cognitionis, quia est medium obiectiuum, in quo Pater loquens, cognoscere debeat obiecta; in quem finem ponunt Aduersarij verbum nostrum mentale à cognitione distinctum: sed, quia imitatur nostrum verbum externum in eo, quod per ipsum Pater loquitur Filio, & aliunde scimus neminem posse alteri loqui, nisi prius nouerit ea, quæ loqui debeat, habeatque in se notitiam rerum manifestandarum. Quoniam verò quando quis loquitur sibi hæc ratio non militat: hinc fit, vt eius verbum non debeat à notitia, quam habet in sede obiecto, distinguj.

Quod si vlterius quæras, cur nostra cognitio
37 habeat rationem verbi: non autem cognitio diuina? Responsio patet ex dictis: quia ad rationem verbi requiritur essentialiter dictio, quod nimirum à loquente producatur. Porrò hoc habet nostra cognitio, non autem diuina, prout est tribus personis communis, sed prout est Verbo Diuino terminata, ex quo vlterius deducitur, quod si Deus infunderet in meo intellectu cognitionem aliquam absque eo, quod intellectus ad illam effectiuè concurreret: talis cognitio non haberet rationem verbi respectu mei intellectus; sed neq; respectu intellectus diuini, nisi ea vteretur Deus tanquã signo manifestatiuo sui interni conceptus, quẽ habet de obiecto.

38 Contra secundam vero conclusionem obijcies secundò: Imago in speculo est medium, in quo videtur obiectum visibile; ergo, & in intellectu verbum potest esse medium, in quo cognoscatur obiectum intelligibile. Respondeo antecedens esse falsum; in speculo enim non videtur imago obiecti, sed ipsum obiectum vt alibi diximus. quin imo addo, quod si videretur imago, minimè in ea videretur ipsum obiectum per aduersarios; quia adhuc stat, quod non recta immitteret sui species in potentiam. sed permisso antecedente, nego consequentiam. *Disparitas est*, quia imago illa est extra potentiam visiuam: at verbum mentis est in potentia intellectiua. non est autem nouum imaginem alicuius videri posse; inauditum autem est, quod intellectus formet imaginem de aliquo obiecto, vt in ea obiectum illud cognoscat. ad formandam enim imaginem, inquam, alicuius debet necessario præhaberi cognitio illius, cuius imago effornanda est.

39 Obijcies tertio, inuariato obiecto variatur visio. ergo, quia variatur verbum. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. variatio enim visionis, non ex variatione verbi, sed ex variatione principij efficientis oriri potest; diuersum enim principium effectiuum diuersitatem in ipsis cognitionibus causat, vt patet. Porrò hoc tenentur dicere aduersarij quando inuariato obiecto variatur verbum, nè cogantur admittere processum in infinitum in verbis.

40 Obijcies quarto: si quis diu intuitus est solem, clausis oculis videt lumen. sed non, quia remanet in pupilla lumen. ergo, quia remanet verbum oculi.

Respondeo: aliquos negare consequentiam, quia putant in sola cognitione spirituali reperiri rationem verbi: Contra tamen est, quia cognitiones materiales hoc ipso, quod sunt manifestatiuæ obiectorum potentijs sensitiuis, à quibus procedunt, habent integram rationem verbi. Quare melius, non propter hoc neganda est consequentia, sed propter improbabilitatem, quod nimirum potentia visiua in suo verbo, quod neque coloratum est, neque luminosum, tanquam in medio cognito, suum videat obiectum; quodque dictum verbum sine influxu actuali specierum visibilium existere possit, non autem visio ipsa de lumine. Cæterum lumen, quod oculis clausis apparet, non est, nisi fortis quædam imaginatio, quam de illo formauimus adhuc clausis oculis aliquantulum durans, quæ facit nos putare, quod lumen videamus.

Obijcies quinto: verbum vocale non ducit in 41
cognitionem obiecti, nisi vt prius cognitum, ergo, & mentale. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas est, quia vti supra dicebamus, vocale est ordinatum ad manifestandum alteri nostrum verbum mentale; quod cum non possimus in intellectu audientis imprimere, neque eius producere species: necesse est vt vtamur aliquo signo, cuius cognitio ducat audientem in cognitionem nostri conceptus: at vero per verbum mentale loquimur nobis ipsis, ad quod præstandum satis est ipsa cognitio, hoc ipso, quod de se est obiecti sui manifestatio, & nostrum intellectum, à quo procedit, informat.

SECTIO QVARTA.

An eadem numero intellectio possit reflectere supra se ipsam.

42 REflexio, vt docet Proclus citatus à Conimbricensibus *lib. 3. de anima cap. 2. quæst. 2. art. 2.* Ex communi aliorum Philosophorum sententia, Est opus intellectricis facultatis, quæ primum rectà suis cognitionibus pergit, cognoscendo alia à se, deinde vt quasi circulum absoluat in se ipsam reuertitur, quod potentijs materialibus negatur, quæ ratione organi sui materialis ad solas rectas operationes determinatæ sunt, teste D. T. *lib. 1. sentent. dist. 17 qu. 1. art. 5. ad tertium*, & rectè id quidem; oculus enim V. G. vt experientia constat, non habet pro obiecto suo proprio nisi colorem, & lumen, aliter videret visiones tum suas, tum etiam alienas, quod nemo dixerit: cum quo tamen stat, sensum omnem materialem, nec non etiam appetitum sensitiuum aliquo modo suas operationes percipere, eas per se ipsas in actu exercito experiendo, vt pluribus benè probat Iaquierdo *in sua pharo disp. 1. qu. 2. Hypotesi 28.* At vero loquendo de intellectu nostro, constat eum non solum sic posse suas intellectiones cognoscere, vt ipsi constet se eas habere, & quidem per se ipsas: sed etiam supra se ipsum per suas cognitiones reflectere se ipsum cognoscendo, nec non etiam posse vnam cognitionem reflectere supra aliam ab eodem principio intellectiuo productam, illam intelligendo. nisi enim vtramque vim reflexiuam intellectui concedamus, videmur non solum contra communem doctorum sensum ire; sed etiam contra manifestam experien-

perientiam. millies enim experti sumus de nostro intellectu, & de nostris cognitionibus loqui, quod facere non possemus, nisi supra vtrumque reflectere possemus. Cæterum, quod in præsentia controuertimus est, Num possit eadem intellectio supra se reflectere cognoscendo se ipsam. Quidam enim id absolutè negant: contra vero Alij absolute concedunt. Nonnulli vero distingunt. Nos verò quid sentiendum sit per sequentes conclusiones declarabimus: sit igitur.

43 Prima conclusio. Eadem numero intellectio potest supra se ipsam reflectere, dummodo habeat aliquid aliud à se distinctum pro obiecto.

Probatur: intellectiones illæ, quibus has veritates cognoscimus: Omnis intellectio est spiritualis; Omnis cognitio est actus vitalis: Nulla intellectio est possibilis, quæ nō sit expressiua sui obiecti, & similes: reflectunt supra se, quatenus comprehenduntur sub signis illis vniuersalibus: omnis, & nulla, atque adeo se ipsas cognoscunt. sed ita se cognoscunt, vt habeāt pro obiecto aliquid aliud à se ipsis distinctū, reliquas videlicet intellectiones, atque cognitiones. ergo &c. Neque dicas has, & similes veritates cognosci à nobis cum suppositione accommoda præscindendo ab ea intellectione, quæ illas intelligit, ad eum plane modum, quo quando dicimus: Deum omnibus dominari: ab (omnibus) excludimus ipsum Deum, eo quod implicat Deum dominari in se ipsum. Contra enim est, quia propositio, qua affirmamus Deum omnibus dominari sine vlla restrictione prolata, falsa est. ergo vt habeat veritatem suppositione accómoda restringi debet; at vero propositiones à nobis allatæ de intellectionibus in tota sua latitudine, intellectæ sine vlla restrictione, habent veritatem; non igitur opus habent suppositione accommoda.

44 Dices, non, quia dictæ propositiones absolutam non habeant veritatem, restrictione egent, sed aliunde, quia nimirum cognitio dicere debet realem ordinem ad obiectum, & esse illo posterior, atque ab eo causari; quæ omnia falsa essent sine dicta restrictione. Sed contra est, quia licet illa intellectio, quæ realiter ab obiecto suo distinguitur, transcendentalem ordinem dicat ad illud sumptum in esse repræsentatiuo, at non ea, quæ illi identificatur, sicuti est ea, de qua loquimur. Præterea non esse de essentia omnis cognitionis esse posteriorem obiecto suo, sed solum illius, quæ speculatiue fertur in illud, patet ex cognitionibus practicis, quæ faciunt sibi sua obiecta. Porrò inter has computanda est intellectio, quæ dicit omnis creata cognitio est qualitas &c. quatenus facit vnum conflatum ex omnibus cognitionibus creatis, quas confusè cognoscit. Denique, quod attinet ad rationem causæ, & effectus diximus suo loco regulariter verum esse, quod obiectum sit causa cognitionis, non autem necessariò, & indispensabiliter vt patet ex cognitione effectus in causa. Ex quibus deducitur nullas esse rationes allatas ad probandum propositiones illas vniuersales eum restrictione excludente cognitiones, quæ illas cognoscunt, intelligendas esse.

45 Secunda conclusio intellectio illa, quæ habet aliquod aliud præter se ipsam pro obiecto, non solum obscure, & confuse; sed etiam clare, atque distincte potest se ipsam attingere. Est cōtra nonnullos, qui licet id concedant diuinæ cognitioni, quæ se ipsam, & omnia cognoscibilia perfectiuè comprehendit: negant tamen cognitioni creatæ. Probatur assertio, quia non potest assignari disparitas cur eadem numero intellectio se ipsam obscure atque confuse attingere valeat: non autem clarè atque distinctè; atqui potest confuse vt probauimus; ergo &c. Maior, quæ sola probatione egeat, suadetur, quia si qua disparitas adduci posset, ea esset, vt dicunt aduersarij teste Comptono *disput. 19. sect. 3. nu. 4.* quia clare se attingendo effectiue influeret in se ipsam: sed hæc ratio militat etiam dum se confusè attingeret. nam omnis cognitio siue clara sit, siue obscura ab obiecto simul, & potentia procedit. si igitur hoc non obstante eadem numero intellectio potest confusè supra se reflectere, poterit etiam sine difficultate distinctè.

Tertia conclusio eadem numero intellectio nō 46
potest supra se ipsam solitarie reflectere, quando scilicet non habet aliquid aliud pro obiecto à se ipsa distinctū. Est contra Arriagam qui *disp. 6. de anim. sect. 3. in fine num. 72.* his verbis præsentem controuersiam de cognitione supra se reflectente concludit. Potest cognitio saltem se ipsam cum aljs cognoscere, imo, & solam, quia non est in hoc maior vlla repugnantia.

Probatur autem assertio: quia si posset eadem 47
numero intellectio supra se ipsam solitarie reflectere, posset esse cognitio sui ipsius tantum, vt patet. Hoc autem repugnare suaderem ex duplici capite: quia nimirum sumpta in ratione obiecti esset cognitio, & non esset cognitio; & sumpta in ratione reflexionis esset reflexa, & non esset reflexa. Primum caput sic probarem, & quidem quod sumpta in ratione obiecti esset cognitio, videtur certū, quia obijcitur cognitio: & rectè id quidem nam debet habere prædicata obiecti cognitionis reflexæ, cuiusmodi esse supponitur cognitio se ipsam cognoscens. Quod verò non esset, constat ex eo, quia sumpta in ratione obiecti, nullius obiecti est vitalis expressio, ac repræsentatio; ergo sumpta in ratione obiecti, non esset cognitio. Consequentia videtur certa, nam in eo essentia cognitionis posita est, vt sit vitalis expressio obiecti: antecedens vero suadetur; si huiusmodi cognitio esset alicuius obiecti vitalis expressio, maximè sui ipsius: hoc autem esse falsum suadetur, quia quatenus se ipsam vitaliter exprimit, non habet rationem obiecti cognitionis reflexæ, sed rationem ipsius cognitionis reflexæ; quæ essentialiter habet reflectendo supra cognitionem, illam tanquā obiectum suum vitaliter exprimere. Atque hoc est discrimen inter cognitionem, quæ supra se ipsā reflectit, habēdo pro obiecto aliquid aliud præter se, & cognitionem, quæ solitariè se ipsam cognoscit. De illa enim quatenus est obiectum ita verificatur, quod sit cognitio, & quod obijciatur vt talis, vt nequeat verificari, quod non sit huiusmodi: si quidem de ea sic accepta affirmatur quod sit expressio vitalis aliorum obiectorum à se distinctorum, & quod sumpta vt reflexa habeat pro obiecto se ipsam, vt directè eadē obiecta respicientem, in quo nulla apparet cōtradictio. Contra verò cognitio, quæ solitarie sè

cogno-

Digitized by Google

cognoscit; quatenus concipitur in ratione obiecti suæ reflexionis non habet quid vitaliter exprimat. Atque hæc quantum ad primum caput implicantiæ.

48 Quantum verò ad secundum, quod nimirum eadem cognitio sumpta in ratione reflexiuæ cognitionis, formaliter esset reflexa, & non esset reflexa: Probatur sic; & quidem quod formaliter loquendo esset reflexa patet, quia esset expressiua representatio sui ipsius, quæ obiectiuè supponitur esse cognitio ab ipsa potentia intellectiua procedens; quod verò non esset formaliter reflexa suadetur, quia cognitio formaliter reflexa habet essentialiter versari circa cognitionem ab eadem potentia procedentem; sed hæc formaliter accepta non esset huiusmodi, quia de eius obiecto non posset verificari, quod esset cognitio, si quidem non posset assignari cuiusnam obiecti esset expressiua similitudo. ergo &c. Confirmatur, quia non est intelligibile quo modo hæc cognitio se ipsam solitariè cognoscens prius ratione intelligatur recta tendere in obiectum, & postea vt circulum absoluat, in se ipsam reuerti; sed hoc est necessarium vt idem actus reflectat supra se ipsum. ergo implicat dari cognitionem se ipsam solitariè cognoscentem. Minor patet ex dictis; & maior probatur, quia vt intelligatur recta tendere in obiectum, debet aliquid aliud à se distinctum cognoscere, ac veluti extra se tendere, vt postea concipiatur circulum absoluere se ipsam intelligendo.

49 Obijcies primo: Diuina cognitio, etiam præscindendo ab eo, quod creaturas cognoscat, reflectit supra se ipsam: sed sic accepta non habet aliquid aliud pro obiecto à se ipsa distinctum. ergo eadem numero cognitio potest supra se reflectere, quamuis non habeat aliquid aliud pro obiecto. Consequentia videtur bene deduci; & maior certa: quia si per impossibile nihil aliud esset cognoscibile præter Deum, ad hoc Deus se ipsum cognosceret. Minor verò probatur, quia omne quod est in Deo, cum eius cognitione identificatur.

50 Responderi posset primò, negando maiorem, & ad eius probationem dici, quod sicuti in eo casu impossibili non solum rerum omnium creatarum essentiæ destruerentur, sed etiam ipsius Dei, quæ est cum creaturis connexa: ita destrueretur quoque essentia cognitionis supra se ipsâ reflectentis, & sic diuina cognitio esset simul, & nõ esset supra se reflexa. Vnde nihil eorum ex illa suppositione impossibili haberi potest.

51 Respondeo secundo: concessa maiore, distinguendo minorem: sic accepta non habet aliquid pro obiecto à se ipsa distinctum realiter, concedo q ratione, nego; & ad consequentiam dico: cognitionem diuinam identificari cum Deitate, omnipotentia, æternitate, & reliquis perfectionibus simpliciter simplicibus, quæ sunt in Deo; vnde etiam præscindendo ab eo, quod creaturas cognoscat, quatenus est obiectum sui ipsius, potest concipi, quod habeat rationem cognitionis directæ, versantis circa dictas perfectiones. pro se verò præcisè, quatenus est reflexa, sufficit, quod in actu exercito, & quasi experimentaliter reflexionem exerceat.

Instabis: idem dici potest de cognitione nostra habente pro obiecto se ipsam tantum, quod nimirum se cognoscat in ratione entis, qualitatis spiritualis &c. quæ non important rationem cognitionis vt sic. sicuti igitur cessant implicantiæ assignatæ in cognitione diuina in illa hypotesi impossibili: sic etiam cessabunt in nostra. 52

Respondeo, negando Antecedens: disparitas est, quia rationes entis, qualitatis spiritualis, & similes, quæ cognoscerentur ab intellectione sumpta directè, pro vt est suæ reflexionis obiectum, pertinent ad constitutionem sui ipsius existentis intra lineam directæ cognitionis. quare hoc ipso, quod sub dictis rationibus se ipsam cognosceret, non exerceret munus cognitionis directæ, sed reflexæ, reflectendo supra ea, quæ includit, quatenus cognitio directa est, & sic qua directa, esset cognitio, & non esset cognitio, esset, vt supponitur, & non esset, quia nullius obiecti esset expressiua nullumque cognosceret. at verò rationes omnipotentiæ, æternitatis, bonitatis, personalitatum, & similium sunt extrancæ cognitioni diuinæ intra lineam cognitionis consideratæ. Vnde optimè potest dicta cognitio intelligi in ratione cognitionis directæ huiusmodi rationes cognoscere, quia sic habet pro obiecto aliquid saltem ratione distinctum à se ipsa, atque in hoc sensu veritatem habet, quod dicunt aliqui cum Quiros *in suo cursu disp. 98. sect.* 2. docentes: cognitionem pure habentem munus cognitionis, quin aliquod aliud prædicatum, & munus imbibat, non posse supra se reflectere: posse verò si aliud munus habeat quam cognoscere; exemplo actionis; quæ si aliud munus non habet, quam agere, implicat: contra vero si habet, vt si cum termino identificetur. 53

Obijcies secundo: fundamentum totius nostræ sententiæ supponit in cognitione se ipsam solitariè cognoscente, duas dari formalitates, vnam, quæ sit obiectum, aliam quæ sit cognitio de illo; in hoc enim sensu argumentum supra factum habet vim; sed id non debet supponi; nam Aduersarij dicunt vnam, eandemque formalitatem esse, quæ concipitur vt obiectum, & vt cognitio: vt obiectum per species obiecti puri, vt cognitio per species puræ cognitionis. ergo &c. 54

Respondeo: negando maiorem; sive enim supponatur in ea cognitione dari duplex formalitas, sive vna, dico habere vim argumenti nostrum; & quidem, quod supposita duplici formalitate, habeat vim, fatetur obijciens; quod autem etiam habeat, ex non suppositâ, probatur, quia quantumuis supponamus in ea cognitione vnicam formalissimam, rationemque dari, quæ cognoscit, & cognoscitur, non potest tamen negari, quin huiusmodi ratio æquivalere debeat duplici; nimirum rationi obiecti, quod non sit præcisiue illa cognitio, per quam intelligitur, & rationi cognitionis, quæ præcisiue non sit obiectum, 55

quod attingitur, alioquin non posset neque per speciem obiecti puri, neque per speciem cognitionis purę cognoscitur, vt contendit aduersarius quod cognoscatur. Hoc posito, sic arguerem: hæc ratio quatenus æquivalet obiecto, non importat rationem obiecti vt sic, quia hæc est denominatio veluti extrinseca proueniens à se ipsa, quatenus æquivalet cognitioni circa se versanti, sed importat cognoscibilitatem quandam, ratione cuius est apta terminare se ipsam per speciem cognitionis cognitam: atqui hæc cognoscibilitas non potest esse formaliter ex parte actus ea, quam habet, quatenus æquivalet cognitioni supra se versanti; alioquin non per speciem obiecti, sed per speciem cognitionis deberet attingi: ergo debet esse illa, quam habet, quatenus æquivalet obiecto cognitionis, non quidem cuiuscumque cognitionis, sed illius, quæ cognoscit cognitionem ab eodem principio procedentem, quia hæc cognitio ponitur se ipsam cognoscere; ipsa autem essentialiter habet, quod sit cognitio. Habemus igitur quod debeat cognosci vt cognitio; sed non vt cognitio, quæ veluti reflexè se ipsam cognoscit ergo quæ directè aliquid cognoscat, quod cum non habeat hæc cognitio solitariè se ipsa cognoscens, tanquam fictitia, & chimærica reijcienda est.

56 Ex quibus colliges quod cum sit eadem prorsus ratio de actibus intellectus, & voluntatis, implicabit etiam dari actum amoris, qui nihil aliud amet præter se ipsum. nec non etiam actum odij, qui nihil aliud odio habeat, nisi se ipsum.

SECTIO QVINTA.

An saltem Diuinitus possit simul Intellectus assentiri, & dissentiri eidem obiecto.

57 AGimus de his actibus, ac si nullos haberent gradus, quibus intendi ac remitti possent; sed indiuisibiles omnino essent; & de illis quærimus, an saltem per absolutam Dei potentiam possint in eodem intellectu simul reperiri, ita vt per eos iudicet intellectus idem simul esse, & non esse V. G. Petrum nunc existere, & non existere; sine demum ambo sint in gradu remisso, siue alter in remisso, & alter in intenso, ipse siue intellectus eos eliciat per idem prorsus motium, siue per motiua diuersa.

58 Conclusio est negatiua. puto enim non solum naturaliter non posse simul componi in eodem intellectu, sed neque diuinitus. *Ita Suarez in 3. metaph. 45. sect. 4. num. 25. & tom. 1. in 3. partem disput. 38. sect. 3. Conimbric. lib. 2. de Generat. cap. 3. quæst. 6. Arriaga disput. 6. quæst. 5. Comptonus Disput. 21. sect. 2. & alij.* Contra Quiedum *de anim. Conimbr. 3. parte c. 6. punct. 3. num. 21.* vbi postquam probauit huiusmodi actus naturaliter inuicem repugnare, docet de potentia absoluta posse simul componi. Pro sententia *num. 4.* citauerat Gabrielem, & Paludanum affirmantes posse Deum quoscumque actus contrarios positiuos etiam vitales quantumuis inter se repugnantes, in eodem subiecto coniungere.

Assertio verò nostra probatur: & quidem 59
quod assensus, & dissensus de eodem obiecto esse simul non possint connaturaliter experientia ipsa suadet. nemo enim, quantumuis conetur, potest sibi persuadere Petrum in hoc instanti existere simul, & non existere; ita vt eius existentiæ præbeat assensum, & simul ei dissentiatur. Vnde Philosophus 4. *metaph.* Perspicuum esse, ait, fieri non posse, vt idem simul rem eandem & esse, & non esse existimet.

Quod verò neque possint diuinitus, suadetur 60
sic: Intellectum assentiri euidenter falso, & dissentiri ab euidenter vero, contradictionem inuoluit. sed hoc ipso quod haberet assensum, & dissensum circa idem obiectum assentiretur euidenter falso, & dissentiretur ab euidenter vero: ergo habere assensum, & dissensum circa idem obiectum, contradictionem inuoluit. constat autem, quæ sunt huiusmodi neque per absolutam Dei potentiam fieri posse. Huius argumenti maior videtur certa; quia assensus est *inclinatio* quædam intellectus, sicuti dissensus est *eius fuga*. sed *inclinatio non potest esse nisi ad bonum* potentiæ, & fuga non nisi à malo: alioquin male constituta esset potentia, neque satis sibi constaret, si bonum suum fugeret, & malum prosequeretur. cum igitur bonum intellectus sit verum, & malum eius falsum, implicat contradictionem, quod assentiatur euidenter falso, & dissentiatur ab euidenter vero. Minor verò probatur: hoc ipso quod intellectus negat Petrum existere, existentia Petri proponitur illi vt falsa, & eius carentia vt vera; & quidem euidenter ex suppositione quod cum non existere iudicauerit: quando quidem primum principium est naturæ lumine manifestè cognitum, non posse idem simul esse, & non esse: quibus hoc ipso, quod affirmat Petrum existere, existentia Petri proponitur illi vt vera, & eius carentia vt falsa; & quidem euidenter ex suppositione propter eandem rationem: ergo si intellectus cum dissensu componeret consensum circa existentiam Petri, assentiretur euidenter falso, & dissentiretur ab euidenter vero; quod erat probandum. Cæteræ enim cum manifestæ sint probationes non egent.

Atque ex his colliges non solum non posse 61
naturaliter voluntatem simul amare, & odio habere efficaciter idem obiectum, vt experientia constat; sed neque per absolutam Dei potentiam. Ratio sumitur ex dictis, quia amor efficax est, quo voluntas determinatur ad consequendum obiectum sibi bonum: odium verò efficax, quo determinatur ad excludendum à se obiectum sibi malum, cum intensione ponendi si opus sit, media ad vtrumque conducentia. ab qui implicat voluntatem se determinare ad id quod ab intellectu impossibile esse proponitur. quemadmodum enim nil velle aut nolle potest quin sit præcognitum ab intellectu: ita quoque nil potest efficaciter velle ac nolle, quin prius possibile, vel ab intellectu proponatur. cum igitur videat intellectus implicare contradictionem idem obiectum simul esse absolute bonum, & malum

malum, impossibile erit quod voluntas illud efficaciter amet simul, & odio habeat.

62 Contra id, quod diximus simul assentiri, & dissentiri eidem obiecto contradictionem inuoluere, Obijcies primo: Neque existentia Petri, neque eius negatio de se est impossibilis, sed sola simultas; atqui intellectus etiam si consentiat existentiæ, & eius negationi, non consentit simultati eorum formaliter; ergo eliciendo assensum, & dissensum circa existentiam Petri non assentiretur alicui impossibili. Maior, & consequentia patent. Minor probatur, quia simultas eorum formalis non attingitur nisi per vnicum actum, sed nos supponimus, quod intellectus duplici actu consentiat existentiæ, & eius negationi. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem nego maiorem; dico enim simultatem formalem nil aliud esse, quam existentiam Petri, & eius carentiam in eodem instanti; quare cum huic toti obiecto consentiat intellectus, siue demum id faciat per vnicum actum, siue per duplicem, dicendum est, quod semper consentiat eorum simultati formaliter sumptæ. & rectè id quidem; nam hoc ipso, quod iudicat verum esse, quod Petrus nunc existat, siue eodem actu siue distincto iudicet, Petrum nunc non existere simultati duorum manifestam contradictionem importantium assentitur.

63 Obijcies secundo: Non implicat contradictionem simul esse in lapide assensum, & dissensum; ergo multo minus implicabit existere in intellectu. Antecedens patet ex eo, quia non potest assignari huius rei implicantia. Consequentia euincitur, quia intellectus est subiectum capax effectus formalis vtriusque actus. Contra verò lapis est incapax; ergo si non implicat in lapide incapaci multo minus in intellectu capaci.

64 Respondeo; quam plures negare Antecedens; & ad eam probationem dicere: implicantiam contradictionis deduci ex ratione operationis intellectiuæ, de cuius essentia est, vt sit actualis tendentia intellectus in obiectum. Vnde sicuti actualis motus importat essentialem connexionem cum mobili, ita vt implicet contradictionem non esse in mobili suo tanquam in subiecto: sic aiunt intellectionem importare essentialem connexionem cum intellectu vel subiecto, ita vt implicet existere in alio subiecto. Quod si dicas rationem actualis tendentiæ in obiectum intellectioni competere solum connaturaliter, ex suppositione, quod sit in intellectu, non autem essentialiter: Contra id insurgunt primo auctoritate Aristotelis qui 12. *metaph. text.* 39. docet intellectionem esse id, quo intelligens apprehendit, & attingit intelligibile. Secundo ratione; quia influxus causæ non potest dare termino aliquam actualitatem in genere causæ formalis, sed tantum causaliter; quare si intellectio non est de se actualis tendentia in obiectum non potuit reddi formaliter talis per hoc, quod ipsa influat intellectum in genere causæ materialis? Verum quidquid sit de tota hac doctrina, quam ego probabilem existimo, certum est actio prædicamentalis, qualis est intellectio, ab actione grammaticali plusquam ratione distinguatur. Ad obiectionem, dato Antecedente, nego consequentiam; ad cuius probationem, concesso Antecedente, nego pariter consequentiam, ac dico: repugnantiam assensus, & dissensus non oriri ex formali oppositione, quam habeant: alioquin in gradu saltem remisso possent simul naturaliter componi, vt de facto componuntur calor, & frigus: sed ex effectibus formalibus, quos subiecto communicant, nimirum assentiri euidenter falso, & dissentiri ab euidenter vero. Quoniam verò dictorum effectuum non est capax lapis, benè tamen est capax intellectus; hinc fit, vt eorum simultas inuoluat contradictionem in intellectu, non verò in lapide.

Obijcies tertio: intellectus potest apprehendere existentiam Petri, & eius negationem, item potest voluntas complacere sibi in vtraque; ergo, & intellectus poterit simul consentire eidem existentiæ, eiusque negationi, & voluntas vtramque simul efficaciter velle. 65

Respondeo: concessa integra Antecedentia, 66 nego consequentiam, quo ad vtramque partem. Ratio disparitatis in ordine ad intellectum est, quia hic se habet vt Iudex in controuersijs, ad iudicē autem spectat cognoscere partes controuersiæ inter se oppositas: at non, nisi pro vna parte contra alteram, absolutam postea ferre sententiam, quoniam vero apprehensiones existentiæ Petri, & negationis eius respondent cognitioni partium controuersiæ: assensus verò, & dissensus sententiæ, quæ fertur: hinc fit, vt possit, imò debeat intellectus apprehendere existentiam Petri eiusque negationem; at non possit iudicium affirmatiuum de vtraque simul ferre. Quod verò pertinet ad voluntatem dico: actus complacentiæ esse velleitates quasdam, non determinantes voluntatem ad opus, & ideo posse simul esse in voluntate de obiectis contradictorijs, per eas enim voluntas ad bonum sibi repræsentatum in vtraque parte contradictionis leuiter tantum afficitur tam amore, & odium efficacia sunt effectiua operis, determinantque voluntatem ad illud; impossibile autem est, quod voluntas videndo aliquid esse implicatorium contradictionis, se determinet ad illud sibi comparandum. ergo cum repræsentetur illi existentia Petri, & eius negatio vt quid impossibile implicat quod vel vnam, vel alteram efficaciter simul amet, & odio habeat.

Obijcies quarto: potest intellectus iudicare 67 probabilem vtramque partem contradictionis: ergo poterit vtramque etiam iudicare veram. Respondeo, quod si hæc, & præcedens paritas quidquam probaret, euincere assensum, & dissensum posse simul esse in eodem intellectu de lege ordinaria, quod nemo dicet. quare concesso Antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia iudicium, quod vtrumque sit probabile, non fertur in vtriusque simultatem, quasi verò iudicemus probabile esse, quod vtraque pars contradictionis simul existat, hoc enim est euidenter falsum: sed fertur in vtramque per se acceptam, & iudicat, quod pro vtraque parte sint aliquæ rationes apparentes; in quo

nulla

nulla apparet repugnantia ex parte intellectus; sicuti neque ex parte obiecti. At verò iudicium, quo iudicamus vtramque partem contradictionis esse veram, fieri debet per hoc, quod intellectus sibi persuadeat existentiam, & negationem existentiæ posse simul in eodem subiecto reperiri; quod cum sit manifestè falsum, repugnat, quod intellectus hoc iudicium ferat.

68 Obijcies quinto ex Ouiedo *num.* 22. Ratio propter quam repugnat assensus cum dissensu, est, quia ex vi assensus proponitur tanquam falsum obiectum dissensus, quæ propositio impedit ne intellectus se determinet ad dissensum; sed etiam si non se determinet ad dissensum, potest determinari immediatè à Deo; ergo poterunt diuinitus simul componi in eodem intellectu assensus, & dissensus. Minor, & consequentia videntur certa. Maior probatur ex his, quæ habentur *num.* 16. vbi docet, quod cum intellectus nõ possit ferri actu dissensus in obiectum, quod ex prima apprehensione terminorum apparet verum; neque actu assensus in obiectum, quod ex prima terminorũ apprehẽsione apparet falsum: rectè deducitur posito assensu circa existentiam Petri, intellectum manere determinatum ad non eliciendum dissensum de eadem existentia, eo quod hæc ei repræsentatur vt vera, & per consequens repræsentatur tanquam quid euidenter falsum, Petrum non existere. Vnde ex ipsa terminorum apprehensione determinatur intellectus ad non eliciendum actum dissensus. ergo ratio, propter quam repugnat assensus cum dissensu, est, quia ex vi assensus proponitur tanquam falsum obiectum dissensus.

69 Respondeo primo: argumentum nimis probare, atque adeo nihil. si enim haberet vim, euinceret intellectum habentem assensum de existentia Petri, posse determinari à voluntate ad dissensum; hoc enim ipso, quod tota ratio impedimenti, ne eliciat dissensum, est, quia non potest se determinare ad oppositum ei, quod ex prima terminorum apprehensione elucescit vt verum: iam in tali casu non determinaretur à se, sed à voluntate. non enim esset maior ratio, cur ad huiusmodi actum eliciendum determinari posset à Deo, & non etiam à voluntate. quamuis enim hæc non possit efficaciter velle duo contradictoria, cognita vt talia: tamen eo ipso, quod actus assensus, & dissensus in eodem intellectu non æquiualent duobus contradictorijs, non apparet, cur ad experiendam suam libertatem, vel ob alium aliquem finem non possit intellectum cogere vt simul assentiat, & dissentiat eidem obiecto. Atqui hoc esse absurdum patet, quia sic de facto naturaliter assensus, & dissensus possent simul componi in eodem intellectu, quod Auctor mordicus negat. ergo &c.

70 Respondetur secundo directè distinguendo maiorem: ratio, propter quam repugnat assensus cum dissensu est, quia ex vi assensus proponitur tanquam falsum obiectum dissensus, proponitur mediatè tantum, hoc est media sola terminorum apprehensione, nego: tum mediatè, tum etiam immediatè hoc est tum per terminorum apprehensionem, tum etiam per ipsum met formalem assensum, concedo; & sic distinguo eodem modo minorem: sed intellectus dum assentitur obiecto, potest diuinitus determinari à Deo ad dissentiendum illi, ex suppositione, quod ei obiectum dissensus proponeretur vt falsum mediatè tantum, concedo. posito, quod tum mediatè, tum immediatè taliter proponatur, nego minorem, & consequentiam. & ad eius probationem dico verum quidem esse posito assensu de existentia Petri, intellectum non posse elicere dissensum circa illam eo, quod ex prima terminorum apprehensione repræsentatur tanquam quid euidenter falsum Petrum non existere. verum hoc impedimentum est mediatum, & remotum, ratione videlicet primæ apprehensionis terminorum, quod quidem impedimentum à Deo superari posset infundendo intellectui actum dissensus absque vlla præuia terminorum apprehensione, non obstante, quod haberet actum assensus. atqui præter hoc datur aliud impedimentum proximum, & immediatum, quod est actus assensus, communicans subiecto capaci, nimirum intellectui, suum formalem effectum, ratione cuius, intellectus redditur omnino impotens habere effectum formalem dissensus: ad eum plane modum, quo linea quæuis sit subiectum aptum recipere effectus formales à rectitudine, & curuitate prouenientes: tamen hoc ipso, quod recta est, implicat in sensu composito fieri curuam. Vnde dicimus Curuirectũ esse quid impossibile, atq; chimæricũ. atq; hæc ex suppositione, quod actus qui à Deo infunderetur haberet veram rationem iudicij (quod multi negant) quia cæterum non repugnaret.

Instabis: gratis afferitur effectum formalem assensus excludere indispensabiliter ab intellectu assentiente dissensum circa eadem obiectum, ergo &c. 71

Respondeo, negando antecedens: rationem assigno, quia intellectus dissentiendo ferretur extra suum obiectum adæquatum; sed hoc implicat, vt omnes concedunt; ergo &c. Maiorem probo: obiectum adæquatum intellectus, vt potentis dissentire, est omne id, quod ei repræsentatur vt falsum. sed Petrum existere, intellectui hoc affirmanti repræsentatur vt verum, & non vt falsum, & quidem proximè, & immediatè per ipsummet actum, quo id affirmat. ergo si per actum dissensus Petri existentiam attingeret, ferretur extra suum adæquatum obiectum, quatenus potens dissentire, sicuti assentiendo obiecto, quod per dissensum cognosceret esse falsum, ferretur extra suum adæquatum obiectum, quatenus potens est assentiri. 72

Obijcies sexto ex eodem Ouiedo *num.* 23. de odio, & amore. Ideo non potest voluntas intendere simul ambulare, & non ambulare, quia hæc obiecta illi proponuntur ab intellectu vt impossibilia, atque adeo inepta vt efficaciter intendantur; ergo tota ratio, propter quam ferri nequit efficaciter in dicta obiecta, est defectu propositionis attrahentis ad hos actus, & ex propositione retrahente; nam si proponerentur ab intellectu illa obiecta vt compossibilia, vtique voluntas posset ea simul intendere: sed 73

defectus

defectus propositionis potest suppleri à Deo; siquidem voluntas diuinitus ferri potest in incognitum, necnon etiam prædeterminari ad actū, à quo retrahit propensio. ergo potest voluntas diuinitus idem obiectum efficaciter amare, simul & odio habere.

74 Respondeo: concesso antecedente, distinguēdo consequens; ergo tota ratio, propter quam voluntas ferri nequit efficaciter in dicta obiecta, est ex defectu propositionis attrahentis ad hos actus, & ex propositione retrahente, ex suppositione, quod debeat se ipsam determinare ad dicta obiecta, concedo: independenter ab hac suppositione, nego; & sic distinguo minorem subsumptam: defectus propositionis potest suppleri à Deo, casu quò voluntas se ipsam determinare debet, nego: casu quo determinari debeat ab ipso Deo, transeat; & nego consequentiam. Explico distinctionem. ratio à nobis desumpta ex propositione ab intellectu facienda, procedit ex suppositione, quod voluntas se ipsam determinare deberet ad ambulandum, & non ambulandum, inqua suppositione rectè probatum est id implicare contradictionem; eo quod voluntas in suis actibus intellectus illuminationē expectat. quare implicat se determinare ad vtrumque simul, hoc ipso quod intellectus eorum simultatem impossibilem esse existimat, & vt talem illi repræsentat. At si supponamus eam vel ad vtrūque actū vel ad alterutrum determinari à Deo, repugnantia contradictionis petenda est ex modo, quo voluntas suum obiectum attingit; non enim ad se illud trahit, vt intellectus; sed impetu quodam extra sè eggreditur ad illud sibi comparandum; quemadmodum igitur implicat contradictionem idem corpus absque eo quod miraculosè ponatur simul in duplici loco, moueri duplici motu contrario: ita vt beneficio vnius accedat ad vnum punctum assignatum, & beneficio alterius eadem velocitate, eodemque tempore recedat ab illo, etiam si alter ex his motibus ab intrinseco, alter vero ab extrinseco illi proueniat, vel vterque ab extrinseco: ita implicabit, quod voluntas simul velit efficaciter deambulationem, & eam efficaciter nolit, siue ad vnum, ex his duobus actibus siue ad vtrumque determinetur à Deo; & rectè id quidem, posito enim quod per modum impetus obiectum suum attingit, ambulatio respectu illius, se habet vt punctum respectu mobilis, & volitio ambulationis vt accessus ad illud; nolitio verò vt recessus. efficacitas denique, quam vterque actus habere supponimus, comparatur eidem velocitati vtriusque actus; quare, absque eo quod miraculosè saltem replicetur voluntas, implicat vtrumque actum simul habere.

75 Obijcies septimo ex eodem num. 24. potest Deus modo concurrere cum intellectu ad actum assensus independenter ab alijs causis determinantibus productionem illius nimirum obiecto, & speciebus; sed posito hoc concursu nihil est, quod obliget Deum ad subtrahendum concursum, quò conseruabat dissensum ab intellectu elicitum. ergo poterit diuinitus vtrumque actum intellectus habere. Maior videtur certa. minor probatur, quia quantumuis consensus determinatus à Deo exigat suspensionem concursus in dissensum, poterit Deus illi violentiam inferre contra eius exigentiam operando, neque enim exigentia ita Deum determinat, vt non possit contra illam operari. ergo &c.

76 Respondeo: concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem, negatur assumptum: & ad eius confirmationem dico dari multas creaturarum exigentias, quæ ita Deum determinant, vt contra eas operari non possit. huiusmodi est exigentia, quam habet rectitudo miraculosè producta à Deo in virga curua, ad hoc vt suspendat concursum, quo in ea curuitatem conseruabat; necnon etiam exigentia, quam haberet calor vt octo, miraculosè à Deo in instanti productus in aquam frigidam vt octo, vt in eodem instanti desineret conseruare dictum frigus, ex suppositione quod materia aquæ esset incapax recipiendi duas primas qualitates contrarias in summo. sic, cum nos supra probauerimus implicare intellectum effectus formales assensus, & dissensus simul recipere: rectè deducitur ita exigere dissensum suspensionem concursus in assensum, vt non possit Deus contra huiusmodi exigentiam operari. nisi forte quis dicat dissensum in eo casu nō allaturum suum effectum formalē intellectui assentienti, sed illi in hæsurum, ac si inhæreret lapidi: in quo non video repugnantiam; quia hoc modo de intellectu verificaretur quod assentiretur obiecto, quatenus supponeretur capax effectus formalis assensus pro eo tempore, quo illum elicuit, & adueniente dissensu non esset ratio, cur deberet huiusmodi effectu formali priuari, quando quidem compertum est etiam in physicis meliorem esse cōditionem possidentis; & quidem hoc modo videor mihi contrarias sententias circa hanc difficultatem inter sè conciliare posse, & opinionem aduersariorum cohonestare.

77 Obijcies denique octauo: potest intellectus assentiendo existentiæ Petri à Deo esse distractus, vt non aduertat ad oppositionem, quam habet cum negatione existentiæ. sed in hoc casu potest simul dissentire ab existentia. ergo non solū diuinitus, sed etiam naturaliter potest intellectus assentiri & dissentiri eidem obiecto.

78 Respondeo: oppositionem, quam habent inter se existentia, & eius negatio esse adeo manifestam, vt ex prima terminorum apprehensione se prodat, quod si potest dari intellectus, qui sit adeo distractus, vel obtenebratus, vt eam non aduertat: dicendum est illum in hoc casu se habere, sicuti se habet intellectus eorum, qui affirmant esse possibile id, quod re vera in suis prædicatis contradictionem inuoluit, quam ipsi non penetrant. Porrò nos quando negamus posse intellectum assentiri & dissentiri simul eidem obiecto, loquimur de intellectu cognoscente, & aduertente significationem terminorum, quibus assentitur, & dissentitur.

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA SECVNDA

VTRVM IN EODEM INTELLECTV possint esse simul actus Fidei scientiæ, & Opinionis de eodem obiecto.

1 OCcasione repugnantiæ, quam habere vidimus inter se assensum, & dissensum de eodem obiecto, quærimus vtrum repugnent inuicē actus Fidei, scientiæ, & opinionis idem de eodem obiecto; nihil autem de habitibus, ex quibus dicti actus prouenire solent inquirimus, quia si illi opponerentur, maximè quia respicerent actus oppositos: atqui eadem potentia potest esse principium actuum oppositorum, vt patet ex intellectu qui est principiū assensus, & dissensus: & ex voluntate, quæ potest idem omnino obiectum amare, & odio habere. multo magis igitur poterunt esse simul plures habitus respectu vnius obiecti, etiam si per actus oppositos illud attingere debeant.

SECTIO PRIMA.

Vtrum actus Fidei Scientiæ & Opinionis de eodem obiecto materiali per diuersa media opponantur.

2 ACcipimus hic actum Scientiæ paulo latius, pro vt comprehendit quamcumque cognitionem claram, & euidentem de obiecto, quæ cognitio duplicis generis esse potest; alia enim habetur per medium demonstratiuū siuè à priori, siuè à posteriori: alia verò per intuitionem siuè imperfectam, siuè perfectam sui obiecti. Et de his quærimus num actus Fidei de eodem obiecto aliquam habeat cum illis oppositionem, ita vt vel naturaliter, vel etiam supernaturaliter repugnet stare simul in eodem intellectu cum aliquo ex dictis actibus; & quia eandem prorsus difficultatem facit actus opinionis ac actus Fidei, quidquid de illo asserimus, de hoc quoque assertum esse volumus.

3 Prima Conclusio: Potest connaturaliter actus Fidei stare simul cum cognitione scientifica demonstratiua eiusdem obiecti. est S. T. 2. 2. *qu.* 5. *art.* 2. præterea Alexandri, Alensis, Alberti, Altiscidorensis, Bonauenturæ, Valentiæ, Suarij, Hurtadi, & aliorum recentiorum, quos citat, & sequitur Lugo *disp.* 2. *sect.* 2.

4 Assertionem hanc probant aliqui primo ex scripturis, in quibus multa proponuntur fide credenda, de quibus Philosophi scientiam habent, vt quod Deus sit, iuxta illud ad *Hebr.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, quod sit Omnipotens; Cæli, & terræ creator, vt habetur in symbolo; ex quibus locis deducunt hi posse stare simul in eodem intellectu actum Fidei, & Scientiæ de eodem obiecto.

5 Ad hoc argumentum respondēt aliqui primò Scripturam de his mysterijs non exigere nisi assensum firmum, siuè sit fidei siuè scientiæ. Contra tamen est, quia de eo assensu loquitur Paulus *loco citato*, qui est dispositio ad iustificationē; sed hic non potest esse assensus scientificus, sed de necessitate est fidei. ergo &c. Minor patet; quia assensus scientificus est naturalis, qui nequit esse dispositio ad iustitiam. Maior verò probatur tum quia Apostolus *loco citato* cum eo quod Enoch Deo placuit, infert eum habuisse fidem; eo quod sine fide, inquit, impossibile est placere Deo; idque probat ex eo, quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est: tum etiam ex Tridentino *sess.* 6. *cap.* 6. quod cum dixisset fideles disponi ad iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum: paulo post sic subdit. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.

6 Respondent alij secundo: Apostolum loqui de existentia Dei, vt auctoris supernaturalis: hoc modo autem certum est non posse nos de eo habere scientiam. Sed contra, tum quia Deus vt auctor supernaturalium creditur quatenus remunerator, quod mysterium vt distinctum ab eo, quod sit, exigitur ab Apostolo vt credatur: tum etiam, quia existentia antecedit rationem auctoris, quia hæc pertinet ad efficiētiam, illa ad esse, quod prius credendum est.

7 Respondent alij tertio, sufficere quod, qui scientiam habet de existentia Dei, ita sit affectus, vt si illam non haberet, eam crederet. *sed contra*, quia vel hoc pertinet ad voluntatem conditionatā credendi declarantem animi prōptitudinem; vel, si ad intellectum, non est nisi cognitio probabilis, quod homo facta illa suppositione esset crediturus. neutra autem potest esse dispositio necessaria ad iustitiam. ergo &c.

8 Melius igitur ad argumentum ex scripturis allatis deductum respondendum putarem, quod quando viri docti mysteria, de quibus habent scientiam habitualem actu credere debent, auertunt animum à medio demonstratiuo, & illum applicant ad motiuū fidei; licet enim actus scientiæ

Digitized by Google

tiæ in se consideratus sit necessarius, eo quod intellectus determinatus per præmissas, non potest non assentiri conclusioni: est tamen liber in eo, quod voluntas potest intellectū à præmissis auertere, ac cohibere, vt aliud cogitet, & sic actus fidei cum habitu scientiæ simul stabit, tum quo nullam dicit oppositionem, non verò cum actu.

9 Hanc responsionem impugnat Lugo *nu.* 60. sic: Si actus fidei pugnat cum scientia actuali, pugnabit etiam cum memoria dictæ scientiæ, memoria enim consistit in excitatione speciei euidentis de obiecto; qua habita, non potest intellectus obiectum illud non euidenter cognoscere; sed ad propositionem obiecti sciti non potest homo, regulariter loquendo, non recordari scientiæ de illo habitæ; ergo non poterit illud credere.

10 Sed contra est; quia huiusmodi recordatio solum conuincit debere philosophum apprehendere obiectum illud cum sua euidentia; cum quo stat, quod voluntas cohibere possit intellectū, ne de illo ferat iudicium. non enim est necesse vt quidquid apprehendimus, iudicemus; quæcumq; enim sensibus externis percipimus, licet apprehendamus, non tamen de illis omnibus iudicū ferimus. & certè sæpè nos in memoriam redimus alicuius actus præteriti, à nostro intellectu elicit, & quidem euidenter, absque eo quod illum iterū eliciamus. Ratio à priori est, quia non sunt idē recordari nos medio, & illo vti ad assensum conclusionis: imò potest accidere, vt quis agnoscat consequentiam, hoc est euidenter videat sequi aliquam conclusionem ex suis principijs, absque eo quod illis vtatur ad dictam conclusionem inferendam.

11 Idem argumentum ex scripturis allatum infirmari iterum posset dicendo, quod licet Philosophus simul assentiatur motiuis fidei, atque scientiæ ob species excitatas: possit nihilominus suspendere assensum scientificum circa conclusionem, & elicere assensum fidei: & sic non oporteret, vt si credat fide diuina Deum esse, debeat simul idem scientificè cognoscere. Assumptum constat ex sententia illa valdè probabili, quæ tuetur, posse assensum præmissarum, assensum conclusionis habere libertatem, non quidem specificationis, sed exercitij.

12 Hanc responsionem impugnat Hurtadus *disput.* 30. §. 6. sic: Applicatis duabus causis ad agendum, non est in potestate Philosophi exercere vnam, & non aliam. Sed ad hoc dicam, Philosophum non applicare præmissas scientificas ad eliciendum actum scientiæ, quando applicat motiuum fidei ad eliciendum actum fidei; præmissarum enim applicationem distinctam esse ab earum cognitione patet ex eo, quia intellectus in hac sententia legitimis præmissis nō determinatur ad exercitium conclusionis. Sed contra hoc instat hoc modo §. 7. idem auctor: vis causatiua præmissarum in conclusionem exercetur, ostendendo identitatem medij cum extremis; sed hæc identitas iam est persuasa per præmissas tum scientiæ, tum fidei; ergo si elicit intellectus assensum identitatis extremorum inter se, non potest voluntas impedire influxum præmissarum scientiæ in dictum assensum. Probatur consequentia, quia præmissæ non influunt nisi per cognitionem identitatis extremorum cum medio. Confirmatur, quia qui habet habitum temperantiæ naturalis, & supernaturalis, non potest pro libito cohibere vnum, & facere vt alter tantum operetur, licet possit vtrumque simul ab operatione prohibere.

Respondeo, negando maiorem; ostensio enim 13
identitatis medij cum extremis non est actuale exercitium vis causatiuæ præmissarum in conclusionem, sed est ipsa vis causatiua, quæ impediri potest à voluntate, nè exeat in actum secundum, per hoc, quod auertat intellectum, nè assentiatur per illas ipsi conclusioni. Ad confirmationem nego paritatem. disparitas est, quia exercitium habitus supernaturalis temperantiæ, quatenus cōdistinguitur ab exercitio naturalis, non subijcitur imperio voluntatis nostræ, sed Dei; non enim homo aliter se gerit quò ad libertatem, si operetur supernaturaliter, ac si naturaliter tantum. at verò in hac sententia influxus præmissarum impediri potest à voluntate.

Probatur secundo eadem conclusio à Lugo 14
numero 59. sic: Ad contrictionem præcedere debet actus fidei de bonitate, & misericordia Dei, de malitia peccati &c. sed hæc omnia possunt demonstratiuè à viro docto cognosci. ergo poterit hic habere simul actum fidei, & scientiæ de ijsdem obiectis. alias deterioris esset conditionis vir doctus, quam indoctus, qui circa hæc obiecta actum fidei exercere potest, qui nobilior est, ac firmior, quam sit conclusio illa scientifica. Hoc etiam argumento vtitur Hurtadus *disput* 30. *sect.* 2. *subsect.* 4. vbi totus est in probando, quod ex habitu fidei non accrescat certitudo demonstrationi naturali; & rectè: habitus enim non influit, nec transit in actum secundum nisi per suum actum, qui nullus esse supponitur. Verum ad hoc etiam argumentum patet responsio ex dictis, vel enim Philosophus consideratur absolutè, & sic est melioris conditionis, quatenus circa eadem obiecta actu fidei, & scientiæ tendere potest; atqua adeo non solum supernaturaliter; sed etiam naturaliter perfici in ordine ad dicta obiecta; vel consideratur, quatenus vrgetur præcepto hic, & nunc eliciendi actum fidei circa illa obiecta, & sic potest auertere animum à motiuis scientiæ; & illum applicare ad motiuum fidei, & per hoc fortasse plus mereri, quam rusticus, qui hanc vim intellectui in credendo inferre non debet.

Probatur tertio ab Hurtado *disp.* 30. *sect.* 15
secunda subsect. prima: Non obstante euidentia obiecti per medium scientificum: possumus tamen assentiri veracitati Dei, & reuelationi eiusdem obiecti; sed habito assensu vtriusque principij non possumus cohibere nos, nè assentiamur propter illa obiecto reuelato. ergo &c. Verū ad hoc responderi potest negando minorē non solum propter rationem dictam, verū etiam propter doctrinam ab ipso traditā §. 15. vbi ait: non posse hominē fide humana credere id, quod per demonstrationē aliunde cognoscit, etiam si vna cum demostratiuo assensu habeat motiuum, quo actu fidei humanæ assentiri solemus.

Digitized by Google

His igitur probationibus tanquam inefficacib^us posthabitis. Melius probanda videtur nostra conclusio argumento, quo vtitur D. Th. 2.2. *quæst.* 5. *art.* 1. quod sic in bonam formam redigi potest: Angelus & homo suæ Creationis initio habuerunt actualem scientiam de existentia Dei, quia fuerunt creati in statu perfecto; sed etiam de eadem existentia habuerunt fidem actualē, vt constat ex verbis Apostoli: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est; illi autē in prima sui conditione erant in statu accedēdi ad Deū, & de facto accesserunt; ergo debuerunt habere fidem de existentia Dei, si non mysterij, saltem principij; alias eorum fides in certitudinem naturalis scientiæ quantum adhoc resoluenda fuisset. Confirmatur quia ex D. T. *loco citato* illa sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam cognoscitur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides, sed manifestatio demonstratiua non est huiusmodi. ergo non excludit fidei rationem. 16

Idem probatur secundò ob duplicem rationem: Duæ formæ non possunt simul existere in eodem subiecto, quantum est de se apto illas recipere, vel quia aliquam habent oppositionē ad inuicem, vel quia vna præsente, alia est superflua; sed neutrum in casu nostro inuenire est. ergo &c. Probo minorem quo ad priorem partem: quia si quam oppositionem haberent, maximè quia assensus scientificus affert secum claritatem, fidei verò obscuritatem; sed hæc ratio nulla est primò, quia obscuritas fidei non comparatur ad claritatem scientiæ, sicuti tenebra ad lumen; quemadmodum enim claritas actus scientifici est perfectio quædam essentialiter illi conueniens per hoc, quod proueniat ab intellectu ex principijs obiectiuis ad illum eliciendum determinato: ita & obscuritas actus fidei est perfectio quædam illi essentialis, quatenus prouenit ab intellectu, qui ob insufficientiam motiuorum indiget imperio voluntatis ad hoc, vt ad eliciendum illum determinetur: & licet ad huiusmodi actum consequatur negatio claritatis, hæc est intransitiua, quia consistit in eo, quod per suam entitatem dicat se non esse clarum; sicuti frigiditas dicit se non esse lucem, & tamen in eodem subiecto cum illa identidem reperitur. Ratio à priori est quia forma, & eius carentia non pugnat esse, simul in eodem subiecto mediato, sed in eodem immediato, quia huic debent vniri, & in ordine ad hoc oppositionem suam exercere. subiectum autem immediatum negationis claritatis est actus fidei, qui propterea implicat esse clarus; intellectus verò est subiectum mediatum; cui propterea non repugnat informari simul vtraque forma, quarum altera reddat illum euidenter certum, altera verò ineuidenter certum; non quidem absolutè, quasi verò tollat ab eo euidentiam, sed secundum quid, quatenus eius beneficio non certificatur cum euidentia. quoniam verò negatio est malignātis naturæ, hinc fit vt intellectus sub hac duplici forma existens, absolutè dicendus sit clarus, & euidens: obscurus autem, & ineuidens, solum secundum quid: & sic probata remanet prior pars minoris. Posterior verò constat ex eo quia, vel actus scientificus est ordinis naturalis, à scientia acquisita proueniens, vel supernaturalis, ab infusa causatus: si primum, actus fidei affert intellectui certitudinem ordinis diuini, & supernaturalitatem cognitionis in ordine ad illud obiectum, quod naturaliter scitur; & sic neutra cognitio est superflua: si secundum, cum actus fidei, & scientiæ illius infusæ essentialiter differant inuicem, eidem intellectui perfectiones essentialiter diuersas afferant necesse est; & sic alter ad præsentiā alterius non est otiosus. Et quidem hæc probatio euincit etiam actum opinionis cum duobus dictis actibus posse componi. quamuis enim ipse sit intransitiuè formidolosus ratione sui motiui formalis, non tamen incutere potest formidinem actualem intellectui, qui per actum fidei, & scientiæ de obiecto opinato certificatur.

Secunda Conclusio potest actus fidei quantū est de se connaturaliter componi cum cognitione intuitiua eiusdem obiecti, siue intuitio sit imperfecta, siue perfecta. Est contra Vasquez *3. par, disp.* 53. *nu.* 5. *& disp.* 62. *nu.* 33. Coninch. *disp.* 11. *dub.* 1 & ex parte contra Lugo qui *disp.* 2. *de fide fect.* 2. *nu.* 8. licet admittat assensum fidei diuinæ non pugnare cum visione sensitiua, & materiali eiusdem obiecti, quæ visio habet rationem intuitionis imperfectæ, quatenus subest periculo deceptionis: *nu. tamen* 81. fatetur non solum connaturaliter visionem intuitiuam perfectam non posse stare cum actu fidei de eodem obiecto, sed neque per absolutam Dei potentiam; & in hoc profitetur sequi Turrianum *disp.* 8. *dub.* 5. & alios qui illi placuerunt *disp.* 21 *de Incarnatione sect.* 3. *nu.* 32. 17

Probatur autem Conclusio primò Cognitio intuitiua ex vna parte, cum differat essentialiter ab actu fidei, non otiatur, neque superfluit, si simul cum illo actuet intellectum: ex alia verò parte nō habet oppositionē cū illo, neq; ratione obiecti materialis, quia hoc est idem respectu vtriusq; neq; ratione obiecti formalis, quia testimonium primæ veritatis adhuc supponitur obscurè cognosci posse, dum intuitiuè cognoscitur obiectum materiale, quod testificatur. ergo &c. Confirmatur quia triplex cognitio intuitiua cōsiderari potest à nobis: prima imperfecta quomodocumq; secunda perfecta ordinis naturalis: tertia perfecta ordinis supernaturalis; sed cum nulla ex his repugnat actus fidei. ergo &c. Minor probatur, quia intuitio imperfecta cum stare possit cum falsitate, nō affert intellectui illam certitudinem, quam ei affert actus fidei de eodem obiecto. Rursus perfecta intuitiua ordinis naturalis, qualis est illa, quam habet Angelus, vel homo, quod existant à parte rei, licet non subiaceat periculo deceptionis, eius tamen certitudo est ordinis naturalis; ergo non est, cur vtraque intuitio non possit simul stare cum cognitione fidei, dante intellectioni certitudinem ordinis diuini, atque adeo perfectissimam. Denique quod actus fidei stare possit cum intuitiua perfectissima ordinis supernaturalis constare potest ex eo, quia licet vtraque cognitio certitudinem supernaturalem habeat; differunt tamen 18

Digitized by Google

men per hoc quod certitudo intuitionis sit cum euidentia : fidei vero sine euidentia . euidentiâ autem vnius actus non pugnare cum obscuritate alterius superius probatum est.

19 Probatur secundò de facto B. Virgo quando Verbum concepit, habuit Fidem se sine labe pudicitiæ concipere . Vnde Elisabet ; *Luc. primo* : dixit illi , Beata, quæ credidisti . Sed simul habuit de hoc euidentiam imperfectam ordinis naturalis; licet enim in hoc dæmonum præstigijs poterat subiacere : euidenter tamen cognoscebat , quantum fas est naturaliter, se nullam pati iniuriam in pudicitia : ergo Fides stare potest cum euidentia imperfecta . Rursus valdè probabile est, quod si quando Beata Virgo Deũ clarè vidit intra statum viæ, vt de facto eum vidisse testantur communiter quotquot hoc dubium mouent scholastici scilicet Recupito *to. 1. in primipar. lib. 6. quæst. 14. cap.* 1. id maximè fuit in instanti incarnationis Verbi , vt colligitur ex S. Bernardo , & Antonino citatis ab Aluarez, Spinello , Recupito , & alijs; quia tunc elevata est ad dignitatem maternitatis, & regimen filij , ac creaturarum dominium consequta est: & rectè; si enim de ea Hieronymus *in lib. de Natiuitate Mariæ* dicit , quod quotidie diuinâ visione fouebatur , quæ eam à malis omnibus custodiebat , & bonis omnibus abundare faciebat: multò magis hoc ipsum dicendum est de tempore , quo Christum concepit. in Diuina autem essentia quid potius videre debuisset , quã quod ipsa in eo instanti gaudia matris cum Virginitatis honore possidebat? ergo actus Fidei cum visione intuitiua perfectissima stare in Virgine potuit .

Neque dicas primò cum Recupito *loco citato cap.* 2. visionem Dei in Virgine successisse immediatè post illum actum Fidei excellentissimum , quo assensum Angelo præstitit. Contra 21 enim est primò , quia sic incarnatio non fuisset facta eo instanti , in quo Virgo assensum præbuit Gabrieli . Contra secundò , quia si post assensum , ergo Incarnatio quando facta est non fuit libera Virgini actualiter ; sed virtualiter tantum , ratione actus præcedentis ; quod non videtur credibile ; quia sic , poterat in illo instanti Virgo quantum erat de se mutare sententiam , atque adeò ea remouente fieri Mater contra Decretum Dei , qui non nisi ex eius consensu carnem sumere statuerat. Neque addas tam beneficio visionis beatæ in suo assensu confirmatam fuisse , atque adeò non potuisse in instanti 22 incarnationis illam mutare. Contra enim est , quia , vt fert probabilis opinio , consensus prius essentialiter pendebat à cognitione habita per fidem, ergo non poterat remanere dependenter à visione Beata . ad hoc igitur faltinendum duplicandus est consensus Virginis ; quod sine necessitate fieri nequit . Tum quia hunc modo consensum secundum fore necessarium vt pote pendentem à visione Beata . Quod si dicas tertiò in priori naturæ consensum habitum esse à principio indifferenti , in posteriori verò datam si fuisse visionem Beatam in præmium : Non soluis difficultatem , quia debes assignare cognitionem à quâ sensus ille pependit ; dicam autem non posse esse cognitio Beata , quæ est in posteriori, debet concludi ; quod sit cognitio fidei & sic fidei , & visio fuissent simul in eodem instanti realj de eodem obiecto in virgine .

Vrgebis quartò : inde sequi quod cum beata 20 visione Virgo potuisset dissensum componere , quod non videtur dicendum. Contra, quia beata visio simul cum Incarnatione sequta est in posteriori naturæ ad actum consensus , qui actus pro eo instanti, pro quo erat, non poterat non esse potestate consequente, poterat verò potestate antecedente; cum igitur visio Dei penderet ab assensu , impossibile erat quod cum dissensu potuisset de facto componi.

Neque denique dicas quòd actum fidei , & 21 visionis Dei de potentia absoluta fuisse simul in Virgine. Contra enim est quia , licet verum sit visionem beatam non sine magno miraculo concessam esse Virgini intra statum viæ ; posito tamen quod sic concessa fuit, non est cur negemus eam connaturaliter cum actu fidei extitisse ; neque aliqua ratio in contrarium afferri potest, quæ id suadeat, vt ex solutione argumentorum constabit .

Probatur tertiò contra Lugo ; quia eius re- 22 gula vniuersalis , quam *num.* 86 tradit, est, quod tunc intellectus moueri potest à medio ad assensum Conclusionis, cuius obiectum aliunde intuitiuè cognoscit , quando cognitio immediata non auferet omnino indigentiam , cui indigentiæ aliquo modo saltem ex parte occurri possit per assensum genitum ex illo medio ; si enim (inquit) hæc cognitio per medium non inseruit ad tollendam vel minuendam indigentiam illam , hæc tunc poterit intellectus à medio illo moueri. Vnde concludit, quod quando intellectus veritatem obiecti plenè & perfectè intuetur, non potest nè diuinitus quidem propter aliquod medium illam cognoscere. Sed hanc doctrinam falsam esse constat primò , quia ipsemet *num.* 82. fatetur non repugnare diuinitus assensum fidei diuinæ habitum in priori naturæ cum visione intuitiua , & perfecta eiusdem obiecti pro posteriori naturæ comparata ; quatenus nulla est repugnantia in eo, quod Deus det visionem beatam alicui in eodem instanti, in quo elicit actum fidei, in præmium dicti actus . ergo poterit etiam cum actu fidei stare simul visio intuitiua perfecta eiusdem obiecti pro eodem instanti in- 23 dependenter ab eodem actu; prius enim est quod possint stare simul , & postea quod vnus actus dependere possit ab alio. Contra eadem solidas secundò , quia Christus Dominus habuit perfectissimam intuitionem in Verbo omnium sensibilium , quæ tamen postea per acquisitam scientiã cognouit. Ad hoc respondet Lugo *num.* 75. Christũ habuisse scientiam acquisitam de sensibilibus vt terminatam ad prima principia in se ipsis euidenter , & sine discursu cognitis : non autem vt terminatã ad cõclusiones per discursum deductas. quamuis enim hæc secunda repugnet , non tamen prima ; si quidem tam acquisita tum infusa est immediata possessio finis intenti . Sed contra primò , quia ad præsentiam immediatæ possessionis perfectæ , sistendo in suis principijs , deberet excludi immediata possessio imperfecta. nam sicuti

sicuti possessio mediata, per ipsum, quæ habetur per discursum, debet esse in defectum immediate: ita, & immediata imperfecta in defectum immediatæ perfectæ. Contra secundò, quia ex hac responsione sequitur nunquam Christum Dominum in toto vitæ decursu discursum aliquem intellectiuum elicuisse; eo quod de rebus omnibus perfectissimam intuitionem habebat. Quod quia fatetur Lugo esse contra communem sententiam, idcirco subdit has duas cognitiones de iisdem obiectis in Christo miraculosè existere debuisse iuxta communem sententiam, quam ipse sequi non potest, eo quod paulo post num. 81. doceat repugnantiam, nè intellectus vtatur medio aliquo ad assequendam veritatem, quam plenè, & perfectè intuetur esse essentialem, ita vt implicet contradictionem vti illo. Constat denique tertiò falsitas illius regulæ, quia in sententia Cardinalis vt patet ex num. 95. quando intellectus habet euidentiã immediatam de obiecto, potest moueri à medio probabili, vel à fide humana ad credendum idem obiectum; ergo etiam quando habet euidentiam immediatam, & perfectam de obiecto, potest moueri medio aliquo siue demonstratiuo, siue fidei diuinæ. Consequentia probatur, quia si qua esset disparitas, ea esset, quam tradit numero sequenti, quia nimirum intellectus habens euidentiam mediatam de obiecto, cum non plenè, & perfectè illud possideat, per quodcumque aliud medium magis illuminatur, & ad eius perfectam possessionem appropinquat; quod non potest habere, quando habet perfectam, & immediatam euidentiam veritatis obiecti. Sed hæc disparitas nulla est primò, quia contradicit regulæ numero 86. traditæ; quando enim cognitio non deseruit ad tollendam, vel minuendam indigentiam, quam habet intellectus ratione cognitionis euidentis, tunc non poterit intellectus moueri à medio, & illam aliam cognitionem circa obiectum euidenter cognitum elicere; sed cognitio ex medio probabili, vel fidei humanæ non deseruit ad tollendam, vel minuendam indigentiam, quam habet intellectus ratione cognitionis euidentis mediatæ, quia tunc ille non indiget nisi immediatè, seu maiori certitudine cognoscere obiectum, quod ex cognitione probabili, vel fidei humanæ minimè consequitur, ergo &c.

23 Nulla est etiam secundò, quia intellectus per medium demonstratiuum cognoscens obiectum, falsum est quod magis illuminetur intensiuè, & ad eius immediatam possessionem appropinquet per medium probabile, aut fidei humanæ; sed hoc non obstante per ipsum potest simul cum actu scientifico admittere cognitionem probabilem, & fidei humanæ de eodem obiecto; ergo poterit etiam simul cum euidentia immediata, & perfecta obiecti elicere actum fidei diuinæ de eodem obiecto.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contra priorem conclusionem.

24 OBijcies primo ad Hebr. 11.: Fides dicitur argumentum non apparentium, vnde D. August. tract. 40. in Ioann. Quid est, inquit, fides nisi credere, quod non vides. Præterea plures Patres explicantes verba Christi: Quia vidisti me Thoma credidisti, docent S. Apostolum aliud vidisse, aliud credidisse, & per hoc saluare conantur eius fidem; ergo idem obiectum non potest simul esse visum, & creditum. Respondeo verba definitionis intelligenda esse in sensu formali, ita vt sensus sit, quod quantum est ex suo motiuo formali fidei, res quæ creduntur, apparere non debeant, in quo sensu loquutus est Augustinus in sua definitione, & alij Patres asserentes non debere quæri experimentum, seu rationem credendorum, formaliter scilicet, ita vt velimus nostram fidem in experientia, & humana ratione fundare. Ad illud Christi quia vidisti &c. Dico Apostolum absolutè loquendo potuisse credere illud ipsum, quod vidit, nempè Resurrectionem Christi, vt defactò credidit; Patres vero dum docent illum aliud credidisse, volunt innuere, quod eius fides non stetit ad rediuiuam humanitatem, sed peruenit vsque ad diuinitatem; & ob hoc fuit fides proficua, vnde per ly, quia vidisti, noluerunt assignari motiuum formale fidei, sed motiuum credibilitatis, & quidem non necessarium; & idcirco subditur: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Linquo, quod etiam stando in Resurrectione, aliud Thomas vidit, aliud credidit; quia non vidit nisi apparentiam externam, credidit autem Christum verè resurrexisse.

25 Obijcies secundò: nemo potest circa idem obiectum simul liberè, & necessariò operari; sed actus scientificus est necessarius, fidei vero liber. ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem, nemo potest circa idem obiectum simul liberè, & necessariò operari eundem actum, transeat. nam de hoc videbimus alias: actum diuersum, nego. quoties enim sunt diuersa principia diuersorum actuum in vna potentia, ea, quæ determinant ad vnum, non tollunt indifferentiam, quam habent alia in ordine ad alterum, & sit distincta minore nego consequentiam.

26 Obijcies tertiò minus luminosum coram magis luminoso non illuminat, vt lucernæ coram sole, ergo neque fides ad præsentiam cognitionis euidentis. Respondeo, negando consequentiã, ratio disparitatis est, quia solis & lucernæ lumen est eiusdem speciei; & sic licet aliquid luminis producat lucerna præsente sole, non est distinctum à lumine solis: contra vero lumen fidei, & scientiæ differunt essentialiter; & sic non sequitur duo indiuidua eiusdem speciei in eodem subiecto simul esse. Quod si quis vrgeat: species duorum numero distinctorum posse esse simul; & tamen astra suis speciebus non mouere sensum nostrum præsente lumine solis, ergo à

pari euidentia medij non patietur intellectum mouerì à motiuo fidei. Nego paritatem. Argumentum enim, si quid probat, solum probat non posse esse in intellectu simul duas inæquales demonstrationes de duobus obiectis; sicuti non possunt visu distingui duæ luces inæquales, solis & astrorum. Deinde aio hanc paritatem nullam esse: ideo enim illud contingit in oculis, quia medium illuminatur à sole æquali luce, quo ad nos, ac sunt sidera illuminata; vnde non possumus hæc à cæteris partibus medij distinguere; hoc autem non accidit in casu nostro.

27 Contra posteriorem vero conclusionem obijcies quartò: Nullum agens producere potest formam in subiecto iam actuato per aliam formam, quæ contineat perfectionem formæ producendæ: sed visio intuitiua perfecta alicuius obiecti continet omnem perfectionem assensus fidei de eodem obiecto; ergo intellectus actuatus per visionē intuitiuam perfectam alicuius obiecti non poterit simul cum habitu fidei producere in se assensum fidei circa idem obiectum. Minor patet; supponimus enim visionem intuitiuam perfectam esse claram Dei visionem, atque adeo præter claritatem habere certitudinem ordinis diuini, quæ reperitur in assensu fidei. Maior vero probatur tum experientia caloris, vt duo, non valentis agere in calidum vt quatuor, eo quod inuenit illud actuatum forma continente perfectionem formæ quam potest producere: tum etiam à priori, quia natura abhorret à superfluitate; posterior autem forma iam esset superflua; ergo &c. Responderi posset ad hoc argumentum: illo probari solum, quod intellectus in priori naturæ videns intuitiuè aliquod obiectum non possit illius in posteriori credere; non autem si in priori naturæ credat quod non possit in posteriori illud perfectè intueri, quia tunc iam non supponitur perfectiori forma informatus. Sed quidquid sit de hoc,

28 Respondeo ego distinguendo maiorem: nullum agens producere potest formam in subiecto actuato ab alia forma, quæ continet formaliter perfectionem formæ producendæ, transeat; si solum contineat eminenter, nego maiorem, & sic distinguo minorem: visio intuitiua perfecta continet eminenter perfectionē actus fidei concedo; formaliter, nego minorem, & consequentiam. Ad priorem maioris probationem dico, quod calidum vt quatuor continet formaliter perfectionem caloris vt duo, quam formam calidum vt duo producere posset. Ad posteriorem vero aio, quod licet demus, casu quo forma perfectior contineat formaliter perfectionem formæ imperfectioris, non posse in eodem subiecto sine superfluitate simul reperiri (quod negatur à multis, præsertim ab ijs, qui formas partiales admittunt:) falsum tamen id est, quando forma perfectior continet eminenter perfectionem formæ imperfectionis. nam de facto clara visio Dei continet eminenter perfectionem cognitionis abstractiuæ ipsius Dei, quæ habetur per creaturas: & tamen vtraque reperitur in Angelis. & Christus Dominus licet habuerit cognitionem intuitiuam intellectualem perfectissimam obiectorum sensibilium, habuit tamen etiam aliam cognitionem de eisdem obiectis imperfectiorem dependentem à sensibus. Linquo causas efficientes continere eminenter effectus, quos identidem in se ipsis producunt. Ratio autem à priori huius est, quia cum continentia eminentialis non sit formalis, relinquit locum alteri formæ, vt det formaliter illam ipsam perfectionem subiecto. Per quæ patet responsio ad probationem minoris; certitudo enim fidei, licet sit ordinis supernaturalis, atque diuini, differt essentialiter à certitudine visionis beatæ, & in ea virtualiter continetur; & licet demus non esse imperfectiorem ea quo ad gradum, est tamen imperfectior quo ad assentiam, vt de se patet.

Obijcies quintò cum Lugo *numero* 67. Experientia constat, quod dum video solem, quantumuis mihi aliquis dicat diem esse: non possum quamuis conet assentiri propter dictum dicentis, sed solum iudico diem esse, quia id video; ergo cognitio euidens perfecta cum assensu fidei repugnare videtur. Respondeo antecedens falsum esse in eius sententia; ipse enim *numero* 95. facetur, quod quando intellectus veritatem obiecti potidet immediatè, & plenè in se ipso, potest pluribus argumentis vti ad eam indagādam (etiam si enim per demonstrationem prius veritatem patidebat, potest postea vti medio probabili, eo quod ex multiplicatione mediorum melioratur ipsa possessio vt addit *numero* 96.) iam vero, quod cognitio orta ex visione corporea obiecti non sit plena, & perfecta possessio eiusdem obiecti in eius sententia patet ex *numero* &c. vbi hæc subdit: Per visionem intuitiuam non plenè patidetur obiectum propter fallibilitatem, cui sensuum cognitio exposita est, falsum igitur debet esse antecedens in suis principijs. Respondeo secundò ex doctrina quam ipse met Lugo tradit *numero* 97. vbi respondens huic obiectioni: si quis ex radio solis, quem videt in cubiculo, arguat euidenter ortum esse solem, non potest assentiri ortui solis propter auctoritatem alterius, id ipsum ei asseuerantis; ergo cognitio euidens imperfecta non potest stare simul cum actu fidei. Respondet, quod licet regulariter voluntas non imperet intellectui talem assensum fidei humanæ, nisi in defectu motiui euidentis, nè periculo fallibilitatis saltem ratione motiui formalis sine necessitate intellectum exponat; si tamen aliquid boni in hoc apprehendat, vsque imperare potest intellectui vt a non obstante euidentia illa, propter dictum amici eidem obiecto assentiatur. Ex quibus distinguo antecedens: dum video solem, quantumuis mihi aliquis dicat diem esse, multum possum quamuis conet illi assentiri, regulariter loquendo, & quia in huiusmodi assensu non apprehendo aliquid boni, concedo, posito, quod apprehendam, nego antecedens, & consequentiam. Suppono enim, quod aliquid boni apprehendat homo, quando actum fidei vult cum visione perfecta componere saltem ad experimentum libertatis propriæ

Obijcies sextò ex eodem *numero* 81. Plena possessio boni repugnat etiam diuinitus cum desi-

derio

Digitized by Google

derio illius, & electione mediorum, quibus acquiritur. ergo plena possessio veri in se ipso immediatè habita, repugnat cum vsu medij ad verum illud comparandum; sed per perfectam intuitionem obiecti plenè possidetur eius veritas in se ipsa; ergo cum ea repugnat actus fidei, qui vtitur diuino testimonio tanquam medio ad illam comparandam. Respondent aliqui primò negando consequentiam: disparitas est, quia plena possessio boni per voluntatem consistit in reali ipsius consequutione, qua posita non relinquitur locus nouæ acquisitioni: at plena possessio veri per intellectum in eius intentionali consequutione posita est; quæ, cum non faciat vt nos realiter fruamur obiecto, relinquit locum vt illud alio modo etiam intentionaliter consequamur. Ego vero respondeo secundò, distinguendo antecedens: plena possessio boni omnibus titulis habita, repugnat etiam diuinitus cum desiderio illius, & electione mediorum, quibus acquiratur, concedendo; plena possessio boni habita vno titulo, repugnat cum desiderio, & electione mediorum, quibus acquiratur alio titulo, nego antecedens; & sic etiam distincto consequente, ad subsumptum dico: per perfectam intuitionem obiecti plenè possideri veritatem eius vno titulo; vnde est, quod non repugnet cum ea actus fidei, qui vtatur diuino testimonio tanquam medio ad hoc, vt illud alio titulo possideat.

31 Neque dicas cum Lugo: disparitatem in eo consistere, quod voluntas, casu quo vult bonū vno titulo possessum, alio titulo possidere, intendit possidere bonum, quod non habet, nempe duplicem illum titulum, ad hoc vt eius possessionem reddat securiorem: at vero intellectus habet solum pro fine veritatem conclusionis, siue demum illam per præmissas, siue per intuitionem acquirat; quare nisi medium maiorem claritatem, vel certitudinem, vel securitatem afferat, non potest eo vti ad veritatem, quam iam plenè possidet, cognoscendam. Contra enim est: nam sicuti maius bonum est voluntati obiectum volitum multiplici titulo possidere: ita & intellectui obiectum cognitum multiplici via; sic enim etiam ipse securior redditur de possessione veritatis illius: Præterea sicuti voluntas per secundum actum non solum habet pro fine bonitatem rei volitæ vt sic: ita neque intellectus veritatem rei cognitæ vt sic.

32 Obijcies septimò cum eodem *num.* 78. Deus licet perfectissimè veritatem præmissarum cognoscat, non potest tamen assentiri obiecto conclusionis propter illas; sed hoc non aliunde prouenit, quam ex eo quod Deus obiectum conclusionis perfectissimè in se ipso cognoscit. ergo &c. Respondeo primò distinguendo maiorem: Deus non potest assentiri obiecto conclusionis propter præmissas per discursum formalem, concedo: per discursum virtualem, nego maiorem; & sic distincta minore nego consequentiam. Dico enim Deo tantum repugnare discursum formalem, qui cum procedat de noto ad ignotum positiuè, ignorantiam conclusionis in discurrente supponit, & hoc solum probare D. Tho *prima parte quæstione 14. art. 7. dum, ex eo quod omnis discursus successionem cognitionum essentialiter importat, negat Dei scientiam esse discursiuam. Confirmatur id, quod dicimus ex eo, quia vt benè notat Recupitus *parte secunda tib. primo quæstione 34. numero primo* Deus habere potest cognitionem de rebus abstractiuam; in qualibet autem cognitione abstractiua intercedere videtur quidam virtualis discursus resolubilis in duplicem cognitionem, principij scilicet, & conclusionis.

Respondeo secundò concessa maiore. Ratio enim ob quam Deus non assentitur obiecto conclusionis propter præmissas à se perfectè cognitas, non est, quia illud perfecta cognitione intuitiua quomodocumque cognoscit, sed quia illud cognitione infinitè perfecta super comprehendit, atque adeò cognoscit illud immediatè cum omni connexione, quam habet cum quolibet medio, & cum omni connexione, quam quodlibet medium habet ad illud; vnde est vt mediata cognitio, qualis est discursiua, non habeat locum in Deo, & dicatur communiter illi repugnare quicumque discursus. At *vero cognitio* intuitiua quamuis perfectissima *creata, non supponitur* in casu nostro attingere obiectum conclusionis, cum omni connexione, quam habet ad alia, & alia habent ad ipsum, secus cognosceret etiam illud vt reuelatum, & ideò non est par ratio. In quo sēsu concedi debet Lugo, quod argumenta sunt media, quibus intellectus vtitur ad inquirendam veritatem, quam plenè non possidet: ad inquirendam, inquam, illam non quidem simpliciter, sed quo ad notam connexionem, atque adeo secundum aliam cognoscibilitatem, quam habet.

Obijcies octauò: si cum perfecta intuitione obiecti stare posset actus fidei connaturaliter; 33
hoc esset cur in Patria Beatis non competeret fides. ergo &c. Respondeo negando antecedens, licet enim actus fidei, & visionis Dei non habeant inuicem vllam oppositionem, opponuntur tamen in cœlo ratione status beatifici determinantis totaliter voluntatem Beati in ordine ad Deum, atque adeò excludentis actum fidei, per quem liberè voluntas mouetur ad illum. Adde intellectum in eliciendo actum fidei captiuari, & vim aliquam à voluntate pati; creaturam autem rationalem in Gloria nullam captiuitatem, & violentiam habere debere, Paulus *ad Corinth. 13.* docet: cum venerit (inquiens) quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. At viator si per transitum videt Deum, potest etiam connaturaliter credere in illum, *quia adhuc* est in via ad Deum, atque adeò captiuitati violentiæque subiectus. Et *hæc est ratio* cur negandus sit Christo *Domino*, & *multo magis* Deo assensus fidei.

SECTIO TERTIA.

An idem actus possit esse Scientia, Fides & Opinio de eodem obiecto ob diuersa media.

QVæstio procedit de medijs mouentibus intellectum adæquatè, adæquatione se tenente 34

Digitized by Google

nente ex parte ipsius intellectus, quatenus ita persuadeatur à singulis, vt cessantibus reliquis duobus, ipse nihilominus propter tertium assentiretur obiecto; non quidem eodem actu, quo prius, quia respectu illius inadæquatè omnia tria motiua concurrere supponuntur, sed diuerso, qui solum respiceret motiuum remanens.

35 Quoniam vero hæc controuersia tum in ordine ad diuinam omnipotentiam, tum etiam in ordine ad modum connaturaliter operandi intellectus nostri specialem habet difficultatem, ideo à nobis in duas subsectiones diuiditur: in quarum altera de priori, in altera de posteriori difficultate singillatim agitur. & quia ratio opinionis nihil peculiare continet, præter formidinem, de qua satis dictum est supra, ad solum actum prouenientem ab habitibus fidei, & scientiæ quæstionem restringimus.

SVB SECTIO PRIOR.

Num implicet contradictionem idem obiectum materiale vnico actu posse credi, & euidenter cognosci.

36 CONclusio est negatiua, quam tenent Molina *prima parte quæst. prima art. primo disp. prima* Fonseca *sexto metaph. cap. primo quæstione prima sect. quinta*, Valentia *in præsenti quæstione prima puncto quarto*, Arriaga *disp. sexta de anima sect. 6. subsect. 3.* Ouiedus *ibid. Controu. quinta puncto tertio* Hurtadus *disp. 31. & 32.* Ripalda *tom. primo de ente supernaturali disp. 47. numero 14. & Lugo disp. 2. sect. tertia*, qui pro se citat Durandum, Aragonium, Ochamum, Gabrielē, Capreolum, Paludanum, & alios.

37 Probatur autem vnica ratione: Nulla potest afferri implicantia huius actus, quæ facilè non soluatur, ergo &c. Antecedens probatur, quia si qua affertur, maximè ex motiuis fidei, scientiæ, & opinionis simul concurrentibus ad illum, vt de se patet; sed dicta motiua non repugnare in ordine ad eundem actum eliciendum probo sic: quia si repugnant, vel quia plura sunt, vel quia totalia sunt, vel denique, quia opposita sunt; nullum ex his dici potest; ergo &c. Minor quo ad primum patet: tum, quia assensus conclusionis pendet à duplici obiecto præmissarum tanquam à duplici motiuo: tum, etiam, quia electio, qua æger præfert medicinam delectabilem insuaui, pendet tanquam à motiuo à bonitate sanitatis simul, & medicinæ. ergo &c. Quo ad secundum verò probatur primò: quia si dentur centum argumenta, quorum vnumquodque sit sufficiens ad euincendam conclusionem, si quis vnico actu illa percipiat, non est cur eodem actu non possit illi conclusioni assentiri. secundò, quia de facto aliqua dantur mysteria credenda, quæ pluribus reuelationibus reuelata sunt, quibus intellectus vnico actu assentitur propter omnes, cum non sit maior ratio, quando simul proponuntur omnes, cur propter vnam potius, quam propter aliam assentiatur. Denique quo ad tertium eadem minor suadetur: quia motiuum fidei, & scientiæ non inducunt in eandem entitatem actus prædicata inuicem repugnantia. ergo non quia opposita, pugnant. Antecedens probatur, quia si quæ inducerent, maximè essent euidentia, & inuidentia, vt dicunt aduersarij; sed hæc prædicata eo modo quo inducuntur in actum ab vtroque motiuo, non repugnant. ergo &c. Minor probatur, quia hæc prædicata dupliciter spectari possunt in actu illo, primò in ordine ad motiua formalia, secundò in ordine ad obiectū materiale. primo modo actus est simpliciter inuidens respectu motiui fidei, quia illud agnoscit obscurè; est verò simpliciter euidens respectu motiui scientiæ, quia illud agnoscit clarè. Verum hæc prædicata non pugnant: sicuti non pugnant in vnica visione corporea, quia clarè attingimus obiectum propinquum, obscurè vero remotum; Et ratio vtriusque est quia huiusmodi prædicata, licet sint absoluta, non exercent oppositionem, nisi respectu eiusdem prorsus obiecti, quod non habent in casu nostro. Secundo vero modo consideratus actus, est quidem absolutè euidens, non autem absolutè inuidens; quia ad hoc vt sit tale, requirit realem carentiam claritatis, eo quod negatio est malignantis naturæ; potest tamen dici inuidens secundum quid, & cum addito, hoc est ratione motiui fidei, quo loquendi modo significamus, quod licet actus ille euidenter suum obiectum materiale cognoscat: euidentiam tamen non habet á motiuo fidei sed aliunde. nullam autem in his prædicatis esse repugnantiam patet ex paritate, quia cum veritate, absolutè loquendo, dicitur hodie aer illuminatus, secundum quid vero carens lumine; quatenus non habet lumen exterum corruptum iam, neque producendum cras.

Obijcies primò: Habitus nequit elicere actū, 38
nisi ex vi sui motiui formalis; sed motiuum formale fidei est solum diuinum testimonium; ergo nequit habitus fidei elicere actum, cuius motiuum formale sit etiam medium scientificū. Respondeo, distinguendo maiorem, & si quidem habitus eliciat actum vt causa totalis, concedo: sin autem eliciat illum vt causa partialis concurrendo simul cum alio habitu, nego maiorem; & concessa minore; nego consequentiam in sensu intento.

Instabis: habitus fidei, per hoc quod concurrat ad aliquem actum vt causa partialis non 39
mutat essentiam; ergo neque dum partialiter concurrit, potest producere actum, qui respiciat motiuum diuersum. Respondeo, distinguendo consequens, non potest producere actum, qui respiciat motiuum diuersum, formaliter, pro vt ab ipso habitu fidei pendet, concedo: concomitanter, pro vt scilicet pendet ab habitu scientiæ, nego consequentiam; Et dico habitum fidei, formaliter loquendo, concurrere ad actum illum propter solum diuinum testimonium; quia tamen actus ille, & concursus, per quem fit, procedant etiam ex motiuo scientiæ, hinc fit, vt habitus fidei ex hoc motiuo concurrat ad illum concomitanter, seù, quod idem est, identicè, hoc est, ad illam entitatem, quæ pendet ex motiuo scientiæ. Ad eum plane modum, quo si ignis,

Digitized by Google

& sol simul calefaciant lignum, licet quilibet ex vi suæ virtutis calefactiuæ formaliter agat; quia tamen actio illa indiuisibiliter ab vtroque procedens respicit principia essentialiter diuersa, concomitanter ignis producit actionem; dicentem ordinem essentialem ad virtutem calefactiuam solis.

40 Obijcies secundò: implicat eundem numero actum esse simul liberum, & necessarium; sed actus fidei est liber, actus verò scientiæ necessarius. ergo implicat in vnam entitatem coire. Respondeo concessa maiore, distinguendo secundam partem minoris: actus scientiæ est necessarius, si non habet per quid voluntatis imperio subdatur, concedo: si habet, nego minorem, & consequentiam; Ac dico actum scientiæ hoc ipso, quod elici simul debeat ex motiuo fidei, indiget voluntatis imperio, intellectum in fidei obsequium captiuitatis.

Instabis: præmissæ euidentes necessitant intellectum ad assensum conclusionis; ergo si assensus cõclusionis esset simul fidei, præmissæ necessitarét ad illum. Respondeo distinguendo antecedens. necessitant intellectũ ad assensum conclusionis, disiunctiuè, hoc est, vel ad illum, qui est tantum scientia, vel ad illã, qui simul est fides, ponendũ, concedo: determinatè ad vnũ, nego antecedens, & consequentiam; quia posita indifferentia, vel ad hunc, vel ad illum, stat quod voluntas liberè possit imperare illum, qui eius imperio subditur, absque eo quod præmissæ euidentes eundem actum in actu secundo determinent; quia sine hoc iam eorum exigentia remanet expleta.

41 Obijcies tertiò: implicat, quod duæ differentiæ vltimæ specificæ diuersorum actuum coeant in entitatem vnius actus. ergo implicat eundem actum esse simul fidei, & scientiæ. Consequentia tenet, quia vltima differentia specifica actus fidei sumitur per ordinem ad motiuum fidei, sicuti vltima differentia specifica actus scientifici sumitur per ordinem ad motiuum scientiæ; sed hic actus haberet ordinem ad vtrumque motiuũ. ergo in eo duæ vltimæ differentiæ diuersorum actuum reperirentur.

42 Respondeo, distinguendo antecedens; implicat vt duæ vltimæ differentiæ specificæ, formaliter acceptæ, coeant in vnam entitatem; concedo; æquiualenter, nego antecedens, & consequentiam; & distinguo eius probationem: vltima differentia specifica actus fidei, siue formaliter, siue æquiualenter accepta, sumitur per ordinem ad motiuum fidei, concedo: accepta solum formaliter nego; & concessa minore, nego consequentiam, loquendo de vltimis differentijs fidei & scientiæ formaliter sumptis; Et dico, nullam esse repugnantiam in eo, quod detur vna differentia atoma alicuius rei, continens eminenter perfectiones vltimarum differentiarum diuersarum rerum specie diuersarum. Quemadmodum de facto in Angelo superiore datur vna species impressa, quæ est representatiua plurium obiectorum, quæ per species essentialiter diuersas in inferioribus Angelis representantur: & in nobis datur identidem vnus actus visionis plurium obiectorum, qui in sua differentia individuali æquialenter contineat individuationes plurium visionum, quibus successiuè plura illa obiecta videre poteramus; non minus enim obiectum materiale dat individuationem actui; quam det illi speciem obiectum formale, neque minus absurdum est, quod duæ individuales differentiæ in vnam coeant entitatem, quam quod duæ differentiæ specificæ.

Instabis: si doctrina tradita vera esset, sequeretur, quod actus ille neque esset in specie actus fidei, neque in specie actus scientiæ; sed hoc implicat multipliciter; & primò quidem, quia sic non respiceret specificationem vtriusque actus, quod est contra suppositum; secundò, quia neque causari posset ab habitibus fidei, & scientiæ; alias huiusmodi habitus ferrentur extra suum obiectum adæquatum, nos autem contendimus, quod causari debeat ab vtroque. tertiò, quia admittendus esset tertius habitus ab vtroque distinctus, qui medio hoc actu ex suo modo tendendi ab vtroque motiuo specificaretur, cum non sit maior ratio de actu, quam de habitu. ergo &c. 43

Respondeo distinguendo sequelam: actus ille non esset in specie atoma actus fidei, neque in specie atoma actus scientiæ, concedo; non esset in specie subalterna vtriusque, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. Dico enim actum purum fidei habere rationem generecam, per quam constituitur in ratione actus fidei vt sic, & rationem specificam per quam constituitur in ratione talis actus. idem dico de puro actu scientiæ. Porrò tertius actus participaret quidem formaliter rationem generecam vtriusque actus, non verò specificam. Dico formaliter, quia sicuti non est absurdum, quod vna, & eadem res realiter sumpta, sit formaliter in duobus prædicamentis: ita neque, quod duplicem rationem generecam duarum rerum formaliter contineat; absurdum autem est, quod contineat formaliter vltimas earum differentias. Iam verò vltima differentia puri actus fidei est modus quidam positiuus limitatè attingendi diuinam reuelationem, qui sit formaliter exclusiuus attingentiæ cuiuscunque alterius motiui; qui quidem modus, licet per puram negationem alterius ordinis explicetur, quandam tamen positiuam perfectionem innominatam importat, similem illi, quæ importatur ab esse incorporeo, insensibili, irrationali &c. Idem proportionaliter dico de vltima differentia puri actus scientiæ; cum autem tertius ille actus his limitationibus careat, & sic vnum motiuum attingat, vt non excludat ordinem ad aliud: hinc fit, vt vltimas dictorum actuum differentias formaliter acceptas minimè habeat. 44

Atque ex his habes solutionem rationis fundamentalis, qua Cardinalis Pallauicinus vtitur contra nostram sententiam lib. tertio de fide cap. 9. numero 159., quæ est huiusmodi: Nullum ens creatum distinguitur ab alio ente creato per solam negationem, neque per differentiam positiuam, quæ non habeat aliud munus, quam inferre talem negationem; sed hoc eueniret in nostra sententia; nam actus solius scientiæ non distingueretur ab actu fidei simul, & scientiæ 45

nisi.

Digitized by Google

nisi per negationem alterius prædicati, dicentis perfectionem fidei: cuius rei nullum est exemplum in natura, ergo &c. concessa enim maiore, negada est minor; ad cuius probationem dicēdum, actum solius scientiæ distingui essentialiter à tertio actu per suam differentiam atomam, quæ non est negatiua, sed positiua; neque solum habet pro munere negationem differentiæ actus fidei inferre; sed constituere actum scientiæ in vltima specie, & positiuas perfectiones, & proprietates puræ scientiæ illi afferre. Porrò huius rei dari optimum exemplum in natura patet ex differentia indiuiduali illius visionis, qua videmus vnum hominem, comparata cum differentia indiuiduali illius, per quam illum & alium simul videmus.

46 Ad primam implicantiam, quæ affertur in minori præcedentis instantiæ, dico actum illum, qui est fidei simul, & scientiæ, respicere quidem specificatiuum vtriusque actus, sed non eo modo, quo vnumquodque est aptum constituere actum, à quo respicitur in specie atoma; ad hoc enim necesse est, vt respiciatur vnumquodque tanquam adæquatum specificatiuum, quod non habetur in casu nostro. Ad secundam verò dico, actum illum causari ab habitu fidei, & scientiæ, neque per hoc huiusmodi habitus terri extra suum obiectum adæquatum. Ratio huius est, quia dicti habitus siuè solitariè operentur, siuè coniunctim, semper propter suum motiuū formale ad operandum inducantur; quod si entitas operationis aliud simul motiuum formale respiciat, ad saluandum quod vnus habitus V. G. fidei non feratur extra suum motiuū adæquatum, sufficit si actus ille non respiciat motiuum scientiæ, pro vt pendet ab habitu fidei, sed pro vt pendet ab habitu scientifico modo dicto. Ad tertiam denique, distinguo sequelam illam, deberet dari tertius habitus acquisitus, & naturalis, transeat; supernaturalis, & infusus, nego sequelam, & consequentiam. dixi, transeat, quia posita veritate sententiæ eorum, qui tenēt, quoties sunt actus supernaturales acquiri habitus naturales, sinè absurdo admitti potest habitum per actum fidei simul, & scientiæ, in nobis productum, à dicto actu indiuisibiliter accepto specificari: atque adeo respicere vtriusq; motiuum; cum quo tamen fiat non dari in nobis similem habitum supernaturalem; licet enim non repugnet, quia tamen ex vna parte, neque tanquam dispositio, neque tanquam proprietas pertinet ad gratiam sanctificantem: ex alia verò combinationes, quæ ex diuersis motiuis ab intellectu, & voluntate fieri possunt, sunt ferè infinitæ, habitus supernaturales in nobis penè in infinitum multiplicandi essent; & quidem sine necessitate, cum sufficiat ad huiusmodi actus eliciendos combinatio simplicium habitum.

47 Obijcies quartò: non minus differunt inter se actus fidei, & scientiæ: quam bos, & equus, sed non potest per absolutam Dei potentiam produci tertium animal, quod simul sit bos, & equus. ergo neque tertius actus, qui sit simul fidei, & scientiæ. Respondeo concedendo totum, si termini comparationis sumantur secundum omnia prædicata positiua, quæ includunt. sicuti enim implicat, quod bos sumptus secundum suam vltimam differentiam, secundum quā constituitur in ratione mugibilis, coeat in vnum tertium animal cum equo, sumpto secundum suā vltimam differentiam hinnibilitatis: ita assensus fidei, sumptus secundum suum specialē modum limitatè attingendi diuinum testimonium, implicat, quod coeat in vnum tertium actum, qui simul motiuum scientificum respiciat. At qui nos, quando asserimus actus fidei, & scientiæ posse in vnam tertiam entitatem coalescere, loquimur de illis secundum ea prædicata tantum, secundum quę non habent inuicem repugnantiam: in quo sensu si sumantur termini comparationis in argumento, concessa maiore, nego minorem; & dico quod si bos, & equus sumantur secundum ea prædicata, quæ non pugnant inter se, poterūt in vnum tertium animal coniungi non minus, quam fides, & scientia in vnum tertium actum. non verò si accipiantur secundum ea prædicata, secundum quæ peculiarem repugnantiam habent, siuè hæc oriatur ex temperamentorum diuersitate, siuè ex illorum essentijs exigentibus illa temperamenta diuersa. Atque ex his habes cur albedo, & nigredo: amarum, & dulce: calor, & frigus non possint identificari; inuoluunt enim prædicata repugnantia, adeò vt se excludant ab eodem subiecto, quando sunt in gradu intēso. Vndè nō est mirum si etiam in gradu remisso non possint in eandē entitatem coalescere; quæ quidem ratio multo magis militat contra identitatem assensus, & dissensus circa idem obiectum; hi enim actus nè in gradu quidem remisso possunt in eodem intellectu componi.

48 Obijcies quintò: implicat, quod effectus sit sua causa perfectior, sed actus qui simul esset fidei, & scientiæ esset perfectior habitu fidei, cuius est effectus; ergo huiusmodi actus implicat. Respondeo distinguendo maiorem, implicat, quod effectus sit sua causa adæquata perfectior, concedo; sua causa inadæquata, nego; & ad minorem dico, habitum fidei esse causam inadæquatam respectu huius actus, quia non nisi vnà cum habitu scientiæ illum causare potest. quare nego consequentiam.

Instabis: hic actus haberet perfectionem fidei, & scientiæ nobiliori modo, quam eius causa adæquata. ergo esset illa perfectior. Consequentia patet, antecedens probatur, quia actus hic perfectionem fidei, & scientiæ simpliciori modo, hoc est sine distinctione contineret, quæ perfectio in habitibus fidei, & scientiæ diuisa reperitur. Respondeo distinguendo antecedens: haberet perfectionē fidei, & scientiæ nobiliori modo, simpliciter, nego; secundum, quid, concedo; & eodem modo distinguo consequens. Ad probationē antecedentis dico: quod, licet actus ille suam causā adæquatam superaret in modo habendi perfectiones fidei, & scientiæ: superaretur tamen in modo illas continendi, hoc est eminenter, & virtualiter, ratione cuius vterque habitus, simul sumptus, habet quod sit causa æquinoca respectu illius actus, atque adeò eò nobilior, atque perfectior simpliciter, actus verò secundum quid. in quo nullam innolui implicantiam, patet ex visione beata, quæ etiam perfectiones vitalitatis, & supernaturalitatis simpliciori modo continet

Digitized by Google

quam lumen gloriæ, & intellectus, à quibus causatur, & vniuersaliter constat ex effectibus, qui à pluribus causis etherogeneis exigunt causari.

49 Obijcies sextò ex Quiedo *Controu. quinta de anima puncto tertio num.* 29. saltè quando actus est intuitiuus implicat esse fidei, ergo &c. Antecedens probatur, quia actus fidei importat essentialiter rationem cognitionis abstractiuæ, quæ rem non immediatè sed instar alterius attingit; actus verò intuitiuus attingit obiectum immediatè in se ipso; sed implicat idem actus attingere obiectum immediatè in se ipso, & mediatè ad instar alterius; quia sic esset simul intuitiuus, & abstractiuus. ergo &c. Respondeo, negando antecedens: puto enim de eodem obiecto posse dari actum intuitiuum, & fidei. Ad rationem in contrarium, concessa maiore, nego minorem; & ad eius confirmationē dico: eundem actum posse esse intuitiuum, & abstractiuum respectu eiusdem obiecti sine contradictione cōstare ex visione Dei, qua Beati intuitiuè vident Deum, & *in* eo creaturas aliquas, quæ cum importent essentialem ordinem ad ipsum Deum, nequeunt videri sine dicto ordine, sed hic ordo ex vna parte requirit cognitionem sui termini, nempe Dei: ex alia vero contentus est abstractiua eius cognitione; ergo eadem visio est cognitio intuitiua, & abstractiua eiusdem obiecti.

SVBSECTIO POSTERIOR.

An possit connaturaliter idem obiectum materiale attingi vnico actu, qui sit simul fidei, & scientiæ.

50 COnclusio est affirmatiua cum Lugo, & alijs contra Suarium *disp. 3. sect. 9.* Turrianum *disp. 12. dub. 1.* Granadum *tract. 2. disp. 7.* & alios, qui dum absolutè negant posse eundem actum esse simul fidei, & scientiæ, ad minimum de potentia ordinaria loquuntur.

51 Probatur experientiâ: quia quotiescunque duæ causæ etherogeneæ, æque efficaces, quarum vnaquæque separata est sufficiens ad producēdum suum effectum specie diuersum ab alia, simul applicantur eidem subiecto, toties producunt tertium effectum, qui continet perfectionem duorum distributiuè sumptorum, dummodò effectus ille non implicet. sed habitus fidei, & scientiæ ad præsentiam suorum motiuorum sunt duæ causæ etherogeneæ dicto modo simul applicatæ obiecto materiali, seù intellectui. ergo posito, quod tertius actus, qui simul sit fidei, & scientiæ, non implicet, debent illum naturaliter omninò producere. Minor, & consequentia patent. Maior verò probatur. Primò ex speciebus intentionalibus visibilibus diuersorum obiectorum; posito enim, quod species obiecti albi V. G. simul cum speciebus obiecti nigri producantur in oculo, efficitur tertius quidam visionis actus, distinctus ab actibus, quibus videmus solum obiectum album, & solum obiectum nigrum. Idem experimur in potentia auditiua, gustatiua, &c. respectu suarum specierum. Secundò in causis naturalibus, ex quarum diuersa combinatione effectus longè diuersi sæpè producuntur, cuiusmodi sunt animalia, quæ generantur ex putri materia; & aurum, ac argentum, quæ arte chimica fiunt; nec non & monstra, quæ nunquam aliàs visa sunt; qui quidem effectus si perfectiones suarum causarum non ostendunt, est, vel quia causæ illæ non adæquatè applicantur, vel quia vna prævalet alteri; vel denique ob aliquod aliud impedimentum nobis ignotum; quæ non habent locum in casu nostro.

52 Obijcies primò: non potest saltem connaturaliter idem effectus pendere à duplici causa totali totaliter concurrente; sed hoc eueniret, si actus aliquis esset simul fidei, & scientiæ; ergo &c. Minor probatur, quia hic actus tum ex parte principij respiceret duos habitus totales, tum ex parte obiecti duo motiua, quorum vnumquodque est sufficiens mouere intellectum ad assensum conclusionis. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico: quod neque duo *illi habitus*, neque duo eorum motiua se habent *vt causæ totales totaliter concurrentes respectu huius tertij* actus; eo quod ablato alterutro ex motiuis, non maneret hic actus, licet intellectus, manente altero, assentiretur quoque firmiter obiecto. Vnde est, vt motiua illa solum in ordine ad intellectum dici possint totalia, quatenus intellectus, dum illum tertium actum elicit, non solum attingit ipsa motiua, sed per quendam modum tendendi in illa, in ipso actu imbibitum, explicat ita ea simul attingere, vt altero deficiente, propter solum motiuum remanens, adhuc firmum præberet assensum. Quod si intellectus ita vnico actu propter motiuum fidei, & scientiæ assentiretur, vt non à singulis totaliter moueretur, & cum independentia vnius ab altero, sed propter vtrumque simul; tunc non crederet Deo super omnia, quia eius assensus resolueretur in motiuum humanum partialiter, ex quo moueretur ad præstandum assensum. Verum autem ad huiusmodi actum concurrere posset habitus fidei, non est huius loci.

53 Obijcies secundò: supponendo, quod si daretur hic tertius actus, vtique esset supernaturalis, eo quod ad illum producendum supernaturale principium, hoc est habitus fidei, necessarium esset. Tum sic: habitus naturalis, cuiusmodi esse ponitur scientificus, non potest concurrere ad actum supernaturalem, nisi eleuetur; sed hanc eleuationem non potest connaturaliter habere ab habitu fidei, quia hic non eleuat nisi ea principia, quæ ad proprium obiectum attingendum ordinantur, cuiusmodi non est habitus scientificus. ergo &c.

54 Respondeo admisso *supposito*, & concessa maiore, nego *minorem*; & dico quod cum habitus scientiæ *in tali casu* concurrat ad illum actum, qui simul est fidei, & scientiæ: rectè dici potest identicè esse principium ad attingendum obiectum fidei ordinatum. Cæterum fides hoc ipso, quod habet vim producendi illos actus, quibus motiuum formale respiciunt, debet eum habere connaturaliter

vim

Digitized by Google

vim elenandi omnia illa comprincipia, quæ possunt circa dictos actus operari, cuiusmodi non solum sunt intellectus, & species intentionales, sed etiam omnes illi habitus, quorum motiuum formale vna cum motiuo formali fidei per vnum numero actum attingi potest.

Obijcies tertiò: quando ratio demonstratiua vna cum motiuo fidei simul proponuntur intellectui, non habet hic, vnde connaturaliter determinetur ad eliciēdum potius vnum actum, qui simul sit fidei, & scientiæ, quam ad duos, quorum vnus, sit fidei, alter verò scientiæ. ergo tertius hic actus de lege ordinaria fieri nequit. Consequentia patet, quia indiget determinatione Dei, modo extraordinario se habentis. Antecedens verò probatur, quia si haberet vnde, vel à se, vel à voluntate determinaretur: non primū, quia intellectus in hoc est potentia cæca, quare si semel duos actus elicit ad præsentiam illorum motiuorum, semper duos elicere debet: neque secundum, quia voluntas nostra non habet vim imperandi sibi, aut potentijs subiectis id, quod post imperium nullo modo vtrum factum sit cognoscere possumus, vt patet experientia. sed nos non experimur vnitatem, vel multiplicitatem actuum, quos simul elicimus. ergo &c. Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem, concesso assumpto, eligo primū membrū; & dico quod quotiescunq; duo illa motiua simul, simultate tum temporis (tum naturæ, intellectui applicantur; toties intellectus se ipso necessariò determinatur ad vnicum actum eliciendum, qui specificetur ab vtroque motiuo; cum quo stat, eum in hoc adiuuari, & impediri posse à voluntate adiuuari quidem, hoc ipso quod efficacius excitetur ab illa ad simul cogitandum de vtroque motiuo: impediri verò per hoc, quod vel ab vtroque, vel ab alterutro ab ipsa auertatur, aut cum successione alijs applicetur. 55

Instabis ex Cardinali Pallauicino *loco citato n. 160.* congruentius fuit ordini naturæ, vt intellectus sibi relictus, semper istos actus distinctos eliceret; ergo id credendum est euenire de facto. Antecedens probatur, quia debet natura consulere durabilitati actus, quem elicit. quēad modum igitur distinxit albedinem à dulcedine, vt si quid superueniret, quod esset dulcedinis destructiuum, superexisteret albedo: ita debuit prædicata actus fidei, & scientiæ distinguere, vt cessantibus requisitis ad conseruationem vnius, superduraret alius. Respondeo hoc argumento probari animam vegetatiuam in animali esse distinctam à sensitiua, vt cessantibus requisitis ad conseruationem vnius, posset natura alium conseruare; quod tamen falsum est. Ad argumentum igitur nego antecedens: ad cuius probationem dico, naturam debere consulere durabilitati actus, quem elicit iuxta exigentiam ipsius actus, & accommodare se exigentiæ actus; ita scilicet, vt quantum ille exigat, illum conseruet: non autem actum exigentiæ, vt scilicet eam illi tribuat essentiam, quæ maiorem exigit durationem. Ad paritatem dico, quod si dulcedo, & albedo possent in vnam coire entitatem, & daretur causa naturalis huius entitatis productiua, non obstante, quòd dicta entitas breuem exigeret durationem, nihilominus illam produceret. quod si non facit, est quia alterutrum de est, quare nego causalem illam, & consequentiam. 56

Obijcies quartò: inter duas causas naturales potest tanta diuersitas reperiri, vt saltem naturaliter nequeant simul concurrere ad eundem numero effectum, qui vtriusque similitudinem referat, vt patet ex ficu, & nuce V. G. & similibus. sed maior diuersitas inter habitum fidei, & habitum scientiæ, quam inter hæc, esse videtur. ergo &c. 57

Respondeo distinguendo maiorem: ita vt illa impotētia ex diuersitate causarum vt sic oriatur, nego maiorem; defactò enim nulla maior diuersitas excogitari potest, quam inter Deum, & creaturam, inter solem, & hominem &c. & tamen simul concurrunt ad productionem effectuum; ita vt illa impotentia oriatur ex eo, quod non sit dabilis effectus vtriusque similitudinem referens, concedo; Et ad minorem dico, quod licet inter habitus fidei, & scientiæ sit maior diuersitas quam inter ficum, & nucem: quia tamen non est dabilis fructus referens similitudinem vtriusque arboris: potest verò dari effectus, qui referat similitudinē vtriusque habitus, per hoc quod producatur actus, qui propter vtriusque motiuum eidem obiecto materiali assentiatur: hinc fit, vt ficus, & nux non possint concurrere ad eundem effectum: possint verò fides, & scientia.

Instabis: si esset dabilis actus, fidei, & scientiæ similitudinem referens: multò magis dari posset actus, qui similitudinem referret habitus fidei infusæ, & habitus fidei acquisitæ. sed hic non est dabilis; quia ex vna parte esset imperceptibilis, vt potè supernaturalis; ex alia perceptibilis quia fieret liberè; ergo &c. Respondeo concessa sequela negando minorem. dico enim quod si simul vtriusq; fidei motiua intellectui proponuntur, non est, cur actum ab vtroq; habitu dependentem non eliciat. in quo casu homo perciperet quidem suum illum actum esse fidei, sed non perciperet eius supernaturalitatem. 58

SECTIO QVARTA.

Vtrum possit esse scientia, & fides de eodem obiecto ob idem numero medium.

PRO decisione sit prima Conclusio: Implicat contradictionem posse dari scientiam, & fidem de eodem obiecto materiali ob idem numero medium obscurè tantum cognito. Est communis; & probatur, quia de essentia cognitionis scientificæ est euidentia; scientia enim definitur, Cognitio certa, & euidens rei per causam. sed medium obscurè cognitum de sè importat essentialiter priuationem euidentiæ. ergo implicat posse dari scientiam, & fidem de eodem obiecto materiali ob idem me- 59

medium obscurè tantum cognitum; & quidem in hoc sensu videtur, loquutus D. Tho. 2. 2. qu. 1. art. 4. & 5. dum docet obiectum fidei non posse esse neque visum neque scitum. hoc enim intelligendum est de eodem obiecto materiali, quatenus stat sub obiecto formali fidei obscurè tantum cognito.

60 Secunda Conclusio: Implicat etiam contradictionem posse esse scientiam, & fidem de eodem obiecto materiali ob idem numero medium, non nisi euidenter intellectui propositum. Probatur autem assertio: si dabilis esset scientia, & fides de eodem obiecto ob vnicum medium euidenter tantum propositum intellectui, maximè casu, quo homo cognosceret euidenter reuelationem diuinam sibi à Deo fieri, & Deum non posse fallere, neque falli; sed in hoc casu etiam repugnat scientia, & fides de eodem obiecto; ergo &c. Maior patet; cum enim motiuum fidei sit diuinum testimonium, implicat excogitari posse alium casum ad inferendam possibilitatem scientiæ, & fidei de eodem obiecto ob idem medium, nisi medium ponatur esse diuinum testimonium, quod importet essentialiter reuelationem à prima veritate procedentem: primam verò veritatem non posse fallere, neque falli. Minor verò probatur, quia diuinum testimonium in tali casu ita esset euidenter cognitum, vt nullo modo cognosceretur obscurè. ergo actus, qui penderet ab illo tanquam à motiuo, nullo modo esset fidei. Antecedens supponitur; consequentia suadetur, quia obiectum fidei necessariò debet esse obscurum; nam fides ad *Hebræos* 11. definitur: Argumentum non apparentium, & Gregor. *Ho. 26. in Euangelia*: Apparentia, inquit, non habet fidem, sed agnitionem. Atqui motiuum euidens necessariò refundit euidentiam in obiectum, ad quod mouet. ergo si diuinum testimonium esset tantum euidenter cognitum, actus, qui penderet ab illo tanquam à motiuo formali, nullo modo esset productus ab habitu nostræ fidei, & sic non esset fidei.

61 Minor huius Argumenti, quoad rem nostram facit, negatur à Vasquez *prima par. disp.* 135. vbi docet ex euidentia diuini testimonij non benè inferri euidentiam rei testificatæ, eo quod non habetur ex principio intrinseco ipsius rei, sed ex extrinseco, atque adeo fidem cum euidentia in attestante stare posse.

62 Verum hæc doctrina, si vera esset, quamuis nostram quidem probationem infirmaret, non tamen conclusionem; quia ad scientiam per hunc auctorem requiritur euidentia obiecti ex principio sibi intrinseco procedens. sed diuinum testimonium, vt idem fatetur, quamuis sit euidens, est principium obiecto extrinsecum, ergo est ineptum ad actum scientiæ ingenerandum; & sic staret implicare contradictionem posse dari scientiam, & fidem de eodem obiecto ob idem numero medium euidenter tantum proposito.

63 Abnego doctrinam Vasquez ob duplicem rationem puto reijciendam. Prima est, quia euidentia intellectualis consistit in eo, quod intellectus connitentur ab ipso obiecto, & necessitetur ad non dissentiendum illi, sed potius assentiendum, vti cum communi suppono ex tractatu de fide. sed posita euidentia diuini testimonij de mysterio Sanctissimæ Trinitatis V. G. intellectus conuincitur, & necessitatur ad assentiendum dicto mysterio ab ipso obiecto. ergo iam habet euidentiam de hoc mysterio. cum igitur fides cum euidentia, vt supra innuimus, repugnet: rectè deducitur non posse haberi de illo fidem per hoc medium taliter cognitum. Minor, quæ sola probanda est, suadetur, quia posita euidentia tum veracitatis Dei, tum reuelationis eius, euidens est reuelationem illam habere essentialem connexionem cum veritate mysterij; ergo ad assensum illi præstandum conuincitur, atque necessitatur intellectus. aliàs indigeret imperio voluntatis; & integrum esset ipsi voluntati imperare illi dissensum, quod videtur apertè falsum.

64 Secundò eandem doctrinam reijcio: quia fundamentum, cui nititur, non est solidum. nam vel per principium intrinsecum ad scientiam ingenerandam necessarium, intelligit Vasquez id, quod est intrinsecum obiecto materiali; & hoc non requiri paret ex eo, quia demonstrationes aliquæ scientificæ rectè procedunt per causam efficientem, atque finalem, vt habetur in logicis; vel intelligit id, quod habet necessariam connexionem cum dicto obiecto, & hoc quidem verissimum est. Sed iam habetur in casu nostro, quia inter prædicata essentialia diuini testimonij est, quod sit verum, atque adeò quod essentialiter importet obiectum ita esse, sicuti enunciatur ab illo.

65 Dices pro Vasquez: Testimonium Dei, ex eo quod euidenter cognoscatur, non extrahitur à ratione diuini testimonij; sed habitus fidei habet pro motiuo formali diuinum testimonium; ergo ex eo, quod dictus habitus assentiretur rei reuelatæ ob diuinum testimonium euidenter cognitum, non ferretur extra suum obiectum, & sic assensus ille verè esset fidei.

Respondeo: concessa maiore, distinguendo minorem: habitus fidei habet pro motiuo formali diuinum Testimonium in tota sua amplitudine sumptum, nego: coarctatum ad peculiare genus actuum, nempè obscurorum, & inuidentium, concedo; & sic distinguo eodem modo consequens; Ac dico: quod licet habitus fidei in tali casu non ferretur extra suum obiectum, tendendo mysterium propter reuelationem euidenter cogniram: mutaret tamen intrinsecum modum tendendi in obiectum suum: & sic non operaretur amplius, vt habitus fidei, sed vt motum instrumentum Dei: quod certum est non implicare contradictionem. Quod autem inuidentia ad intrinsecum modum tendendi habitus fidei pertineat, patet ex dictis, & consentit D. T. *quæst.* 1. *art.* 6. vbi ait: rationem formalem rei credibilis ex parte nostri, esse non visum. quiet. ergo, non visum esse differentiam obiecti fidei, non quidem se tenentem ex parte obiecti, sed ex parte subiecti; quam quidem differentiam rectè rationem formalem appellat, quatenus habitus omnis non solum specificatur ab obiecto

biecto suo formali, sed etiam ab intrinseco modo, quo tendit in illud.

66 Tertia conclusio: Potest dari scientia, & fides de eodem obiecto materiali ob idem numero medium, duplici propositione intellectui repræsentatum, altera clara, & euidenti, altera verò obscura. Quod tunc eueniret, quando quis præter euidentem cognitionem de testimonio Dei circa tale mysterium V. G. Trinitatis, haberet cognitiones alias inferiores de motiuis credibilitatis, ex vi quorum eliceret iudicium prudens, quod dictum mysterium sit euidenter credibile; in hoc enim casu talis homo posset de tali mysterio actum scientiæ, & fidei propter diuinum testimonium elicere.

67 Probatur; Et quidem quo ad scientiam patet ex dictis: quia testimonium diuinum euidenter cognitum refundit euidentiam in obiectum testificatum, ergo reddit illud scitum. Quo ad fidem verò suadetur ex eo, quia positis cognitionibus inferioribus de motiuis credibilitatis, etiam si testimonium sit euidens aliundè: habitus tamen fidei habet totum id, quod requiritur, tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti, vt possit exire in actum secundum. ergo obiectum testificatum potest esse creditum. Huius consequentia patet, antecedens verò euincitur. ponamus enim, quod aliquis fidelis habeat sinè immediatam, sinè mediatam euidentiam de testificatione facta à Deo de Trinitate, quodque ei sicuti, & alijs fidelibus dicta reuelatio ab Ecclesia proponatur credenda, cum omnibus illis motiuis credibilitatis, quibus defactò proponitur, tum sic: Habitus fidei, qui in hoc homine repetitur, habet in ordine ad credendum mysterium Trinitatis testimonium diuinum, quod se habet vt sua integra ratio formalis obiectiua. ergo habet totum id, quod requiritur ex parte obiecti. Rursus euidentia dicti testimonij non impediret, quin ipse habitus obscurè tenderet in dictum testimonium, & per consequens in rem per illud testificatam, beneficio scilicet cognitionum inferiorum, quæ de motiuis credibilitatis habeatur. ergo habet totum id, quod ex parte subiecti requiritur, vt eueat in actum secundum.

68 Hurtadus *de fide disput. 30. sect. 2. dicto quinto* docet non nisi de absoluta potentia posse componi intuitionem, & fidem immediatam circa diuinam reuelationem: & quidem, quod connaturaliter non possint, probat ex eo, quia non experimur non moueri ad credendum, quod videmus, nisi per aliquod medium non visum, habens infallibilem connexionem cum re credenda. si enim, inquit, medium probabile occurrat, statim illud despuimus, & impetu naturali mouemur ad hunc actum (Iam id scio); sed motiua credibilitatis non habent infallibilem connexionem cum reuelatione, ergo &c. Quod verò possint diuinitus componi, sic probat §. 49. Hi actus nempè intuitio, & fides immediata circa reuelationem, non sunt oppositi propter effectus formales, sed præcisè, quia principia vnius retardant voluntatem, nè moueri possit ad imperandum assensum circa media cognita vt contingentia; sed Deus independenter à voluntate nostra potest mouere intellectum, vt assentiatur; ergo &c. Maiorem supponit; & minorem probat, quia circa obiectum alicuius habitus potest Deus determinare intellectum, non secus ac possit voluntas propria.

69 Verum ego probabilius existimarem oppositum: nimirum intuitionem, & fidem immediatam circa diuinam reuelationem etiam connaturaliter posse simul componi; quia posito, quod, non obstante euidentia reuelationis, habitus fidei habet totum id, quod tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti requiritur, vt exeat in actum secundum; si qua esset assignabilis ratio, cur non posset connaturaliter exire, maximè experientia paulò antè assignata ab Hurtado; sed eam nullam esse constat primò, quia ea adducitur solum de illis rebus, quæ tanquam obiecta materialia credi debent propter aliud. Reuelationi autem in casu nostro est præstanda fides tanquam principio: neque enim motiua credibilitatis sunt media assentiendi diuino testimonio, vt auctor videtur assumere: alioquin fides nostra in principia probabilia resolueretur; sed sunt media, quæ nobis obligationem ostendunt, qua tenemur dictæ reuelationi per se, & immediatè fide principij assentiri; in ordine ad quam obligationem falsum est nos posse dicere (Iam id sciebam;) quia totaliter refunditur in motiua credibilitatis, quæ nobis etiam dictant diuino testimonio per se, & immediatè omni firmitate assentiendum esse; ergo &c.

70 Constat secundò falsitas dictæ rationis: quia licet experientia illam non solum militet contra obiecta materialia, quæ credi debent propter aliud, sed etiam contra formalia, quæ credi debent propter se; id tamen contingit, quia cum ex vna parte intellectus possideat veritatem ratione euidentiæ: & ex alia deceptionis periculum fugiat: cum difficultate inducit, illum voluntas ad præstandum assensum, quando nihil commodi repræsentatur illi in hac violentia intellectui facienda; at verò in casu nostro multum commodi repræsentatur voluntati, si fide principij reuelationi propositæ assentiatur; ergo &c.

71 Vlterius addo, ex ratione ipsa, qua Hurtadus probat posse diuinitus reuelationem euidenter cognosci, & simul credi fide principij, erui posse id connaturaliter contingere: primò, quia in tantum dici potest, quod euidentia retardet voluntatem ad imperandum intellectui assensum obscurum circa id, quod euidenter cognoscit, in quantum, vti dicebam, non repræsentatur voluntati aliquod commodum, quod præualeat violentiæ, quam pateretur intellectus, ei parendo. sed in casu nostro præualet commodum, quod ei repræsentatur, si credat, nempè obligatio, fuga peccati &c. ergo assignata ratio cessat.

72 Idem secundò colligitur ex probatione minoris, in qua dicitur, quod ideò Deus independenter à voluntate nostra mouere potest intellectum, vt assentiatur fide principij diuino testimonio, quia circa obiectum alicuius habitus potest Deus determinare intellectum, non secus ac voluntas propria: vel igitur supponit, quod

quod voluntas propria in tali casu non possit intellectum determinare, vel quod possit; non primum, quia alioqui neque Deus posset, & sic paritas nulla esset; ergo secundum, & sic voluntas connaturaliter, non obstante euidentia reuelationis, poterit intellectum inducere, vt credat illam fide principij.

73 Pro sententia autem Vasquez Obijcies primò: Viator euidenter cognoscens reuelationem Trinitatis sibi factam, non cognoscit euidenter Deum esse Trinum in se ipso; sed neque id cognoscit euidenter à priori per causam, neque á posteriori per effectum, vt patet; ergo nullo modo cognoscit illud euidenter. non est igitur cur non valeat cognoscere illud per fidem.

Respondeo, negando minorem; dico enim, quod licet reuelatio non sit propriè Trinitatis effectus, qui illam de se ostendere valeat: est tamen talis in ordine ad ingenerandam cognitionem claram de dicto mysterio; quia eius veritatem tanquam priorem se supponit, & cum ea essentialiter connectitur; quare cognitio de Trinitate habita per euidentem notitiam reuelationis, habet rationem scientiæ à posteriori; ad eum planè modum, quo cognitio de ente habita per euidentem notitiam veritatis, aut bonitatis eius. De reliquo verum huiusmodi cognitio euidés de Trinitate possit appellari fidei, quatenus diuino testimonio nititur, est quæstio de nomine: sufficit nobis, quod implicet elici ab habitu nostræ fidei, qua talis est.

74 Instabis: si cognitio de Trinitate per reuelationem euidentem habita esset scientifica à posteriori, sequeretur, quod talis etiam esset cognitio conclusionis, habita ex recordatione euidenti, quod homo illi aliàs assensus sit per medium demonstratiuum, cuius postea oblitus est; sed hoc non videtur dicendum. ergo &c. Respondeo concessa sequela, negando minorem; & dico, quod memoria illa cum habeat intrinsecam, & necessariam connexionem saltem mediatam cum veritate conclusionis, non est, cur non sit scientifica, & demonstratiua in eo sensu, in quo multas probationes Mathematicas, & syllogismum euidenter ducentem ad impossibile, appellamus demonstrationes á posteriori, quatenus important causam cognoscendi tantum.

75 Obijcies secundò: Angeli in via, & Adam ante lapsum euidenter cognouerunt reuelationem sibi factam, prouenire à Deo: & tunc saltem alijs cognitionibus inferioribus de motiuis credibilitatis, propter illam tanquam motiuum formale fidei diuinæ crediderunt mysteria sibi reuelata; ergo potest dari fides ex reuelatione euidenter tantum cognita. Respondent aliqui primò, inter quos est Gabriel, Bonauenturam, Durandus, & alij negando secundam partem antecedentis; dicunt enim neque Angelos in via, neque Adamum ante lapsum habuisse propriè fidem, sed cognitionem quandam supernaturalem ea nobiliorem, quæ illos illuminante. Verùm hæc responsio est contra communem sensum Patrum, ita vt eam aliqui omnino damnent. Respondet secundò Cardinalis de Lugo disp. 2. de fide sect. prima num. 13. esto omnes Angeli fidem habuerint, non tamen euidentiam reuelationis, & sic falsam esse primam partem antecedentis; putat enim Deum occultasse, tum Angelis, tum Adamo supernaturalitatem, & quidditatem illius reuelationis: & sic nouisse illis euidens, quod prouenirent à Deo, sed dubitare potuisse vtrum ab alia aliqua creatura nobiliori sibi occulta ad ipsos decipiendos causaretur. Sed contra est, quia Angeli ex vno capite sciebant illam aliam creaturam esse ordinis naturalis, atque adeò sibi deberi cognitionem illius: ex alia verò nullum habebant fundamentum dubitandi positiuè, quod Deus vellet vt auctorem supernaturalem se gerere, occultando illis dictam creaturam. Quod si huiusmodi fundamentum habuerunt: quæro ex Lugo, cur potius crediderunt eam à Deo prouenire, quam à creatura illa? profectò respondebit non temerè id credidisse, sed habuisse motiua credibilitatis sufficientia, quæ illos ad prudenter credendum inducerent, huiusmodi reuelationem sibi à Deo factam esse.

Melius ergo respondendum videtur tertiò, 76
concedendo primam antecedentis partem: sed negando secundam, quatenus negat illis alias cognitiones inferiores de motiuis credibilitatis. Puto enim, quod quamuis Angeli non cognouerint illam reuelationem esse in sua entitate ordinis supernaturalis: cognouerunt tamen euidenter prouenire à Deo. sed addo eos habuisse alias cognitiones inferiores de motiuis credibilitatis, ratione quorum propter dictam reuelationem mysteria reuelata fide Theologica crediderunt. Porrò inter hæc motiua erant Sanctitas mysteriorum, congruentia vt suum iudicium Deo subordinarent, illuminatio ex parte intellectus, & sancta ex parte voluntatis inspiratio. eaque omnia, quæ concedunt eis ab Aduersarijs ex suppositione, quod non cognouissent reuelationem sibi factam prouenire à Deo, & nihilominus obligari fuissent ad eam credendam. Eodem modo respondendum videtur argumento desumpto ex fide Prophetarum de rebus sibi à Deo reuelatis, etiam si euidenter cognouissent reuelationem illam sibi à Deo factam fuisse, quod non putarem.

Obijcies tertiò: Sancti Viri, qui in contestationem fidei miracula ediderunt, imò & qui illa viderunt, euidenter cognoscebant ex miraculis Deum fuisse, qui mysteria fidei reuelauerit. sed hi habuerunt solam fidem, & non scientiam de reuelatione. ergo &c. 77

Respondeo, quod si illi potuerunt ex miraculis euidenter Dei reuelationem cognoscere, habuerunt simul fidem, & scientiam de mysteriis reuelatis propter rationem dictam. Verum autem id potuerint, negatiuè respondeo; quia nequam euidenter cognouerunt illa esse vera miracula, semper enim dubitare poterant, num intermiscerentur sensuum deceptiones, vel dæmonum præstigiæ, falsam doctrinam confirmare volentium. Occasione huius obiectionis quæri solet: Num Deus concurrere posset ad vera miracula cum eo, qui illis vteretur ad confirmandam falsam doctrinam. Verum hæc quæstio ad Theologos propriè spectat, quare ego dubito ad eam respon-

Digitized by Google

pondeo: euidens mihi esse eum non posse, non solum cum intentione confirmandi illam falsam doctrinam, sed neque ob alium honestum finem, quoties aliunde ex circumstantijs constare nequit, se ob dictum finem honestum illa miracula edere. Ratio est, quia in vtroque casu Deus esset auctor, & particeps falsitatis, & in primo quidem per se; in secundo verò occasionaliter: quia miracula habent rationem diuinæ subscriptionis, atque sigilli, quibus Deus profitetur suam auctoritatem interponere velle. Vnde etiam si ob finem honestum occultum miracula illa ederet, quando homo vellet suam falsam doctrinam confirmare, esset auditoribus deceptionis occasio. Præterea si Deus hoc posset: sequeretur, quod tota fides Catholica vacillaret; nam Christus, & Apostoli vnum ex præcipuis medijs, quibus ad disseminandum Euangelium vsi sunt, fuit miraculorum patratio in contestationem doctrinæ, quam prædicabant. si igitur Deus, non repugnante lumine rectæ rationis, potuisset concurrere ad ea miracula ob alium honestum finem, & non potuisset id constare auditoribus ex circumstantijs; non solum illi nunquam conuinci potuissent, hoc scientes; sed etiam nos dubitare possemus, num defactò Deus ita se gesserit in illis miraculis patrandis; sed sic firmitas nostræ fidei concuteretur. ergo &c. Dicere autem ex Sacris Scripturis nobis constare eum non ita se defactò gessisse, mihi videtur ridiculum, quia prius fuit homines credidisse, vt à Deo sibi reuelatum id, quod prædicabant illis Apostoli, & deinde recepisse Sacram Scripturam tanquam veram Dei loquutionem. si igitur falsitas prioris cum veritate miraculorum coniungi potuit: non restat per quid homines de veritate posterioris certificentur. Non rectè igitur Deus in hoc se gereret, illa miracula operando; quamuis enim possit licitè Princeps in finem honestum sigillum, & subscriptionem suā ministro confidere, quam præuidet abusurum illis, ad falsam scripturam confirmandam: non potest tamen hic, & nunc sigillo, vel scriptione sua munire scriptum, quod falsitatem continere animaduertit; quia sic fieret particeps falsitatis. sed hoc prorsus modo se Deus haberet signando miraculis doctrinam illam, quam falsam esse cerneret. ergo &c. Nec refert, quod non possint homines vera miracula à falsis discernere, quia nec sigillum, ac subscriptio Principis vera à falsis certò internosci possunt ab ijsdem hominibus: & tamen Princeps si sigillo suo ac subscriptione falsum firmaret scriptum aliquod, peccaret. ficuti, & subditi si sine ratione falsum illud esse iudicarent.

His tamen non obstantibus addo, quod si 78
aliunde constare posset ex circumstantijs; Deum miracula illa edere ob alium honestum finem: tunc rectè posset Deus ad ea concurrere, quia si huiusmodi finis Dei ad alicuius notitiam non perueniret: hoc per accidens se haberet, neque illa deceptio Deo, sed priuatæ illius ignorantiæ adscribenda foret.

DISPVTATIO VIGESIMA TERTIA

DE COGNITIONE INTVITIVA, & Abstractiua.

1 INtellectiua Cognitio rectè diuiditur in Intuitiuam & Abstractiuam tanquam in duo membra, eam adæquatè diuidentia; & ideò non est necesse æquè primò de vtraque disputare seorsim, nam cognita essentia Intuitiuæ, statim, quid sit Abstractiua remanet explicatum.

SECTIO PRIMA.

Expenduntur aliorum sententiæ cognitionis Intuitiuæ, & Abstractiuæ essentiam explicantes.

2 CIrca hanc controuersiam plures circumferuntur Doctorum sententiæ, quæ ad decem commodè reduci possunt. Prima est eorum, qui dicunt essentiam cognitionis intuitiuæ consistere in eo, quod quantum est de se non præsupponat aliam; ad differentiam abstractiuæ, quæ cum sit cognitio rei in alio, necessariò debet sequi, siue mediatè, siue immediatè intuitiuam. Sed contra hanc sententiam facit: tum quia potest quis diu intuitiua accipere immediatè à Deo species rerum abstractiuas, & sic absque eo, quod prius cognitionem aliquam intuitiuam eliciat, elicere abstractiuam: tum etiam, quia prioritas, quam naturaliter sibi vendicat intuitiua, est quid posterius ad suam essentiam, quam in præsenti inuestigamus. Nos enim huius præcedentiæ vlteriorem rationem inquirimus, dum de quidditate intuitiuæ cognitionis disputamus.

Secunda est aliorū docentiū. Intuitiuā cogni- 3
tionē essentialiter ferri in quid, quod erat esse rei, hoc est in rei essentiā: ad differentiam abstractiuæ, quæ versatur circa rei existentiam. Sed contra est: tum quia cognitiones sensuum externorum sunt intuitiuæ, & tamen nullā obiectum sunt omnes intuitiuæ, & tamen nulla obiectum suorum quidditatem attingit: tum etiam, quia consequentia demonstrationis à

poste-

Digitized by Google

posteriori est cognitio abstractiua: & tamen sæpè attingit essentiam rei. Contra verò cognitiones Dei, & Angelorum, quibus res vt existentes percipiunt, sunt intuitiuæ; & tamen feruntur circa existentiam rei, quam cognoscunt.

4 Tertia est eorum, qui aiunt: Essentiam cognitionis intuitiuæ consistere in eo, quod feratur in obiectum per simplicem intuitum, & sinè terminorum complexione; per quod differat ab abstractiua, quæ non nisi cum discursu, vel saltem cum complexione terminorum suum obiectum attingit. Sed contra hanc explicationem facit, quia Deus, & Angeli per cognitionem intuitiuam agnoscunt multa prædicata saltem accidentalia competere rebus creatis, quod sine aliqua complexione terminorum fieri nequit: contra verò nos per simplicem intuitum Deum, & Angelos absque vlla complexione apprehendimus, de quibus certum est, non nisi abstractiuam cognitionem habere.

5 Quarta est dicentium: Intuitiuam terminari immediatè ad obiectum nullo verbo intermedio, per quod differt ab abstractiua, quæ terminatur ad verbum tanquam ad obiectum immediatum, & proximum. Sed contra, tum quia omnis cognitio, quæ ab intellectu procedit, est verbum illius: tum etiam, quia falsum est verbum esse medium, in quo cognitio suum cognoscit obiectum, quod vtrumque suo loco probauimus.

6 Quinta est Scoti *in primo dist. 2. quæstione 2. art. secundo* qui vult: Intuitiuam tendere essentialiter in rem vt existentem, & præsentem: ad differentiam abstractiuæ, quæ à rei existentia, & præsentia præscindit. Sed contra est primò, quia in effectu cognoscimus abstractiuè causam vt existentem, & præsentem; vt in lumine cubiculum ingrediente, solem; in fumo, ignem; & vniuersaliter ex rebus creatis causam primam existentem, eisque præsentem. ergo falsum est tendere in obiectū vt existens, & præsens, competere essentialiter intuitiuæ. Neque dicas, quod licet cognitio abstractiua possit attingere obiectum existens æquè, ac non existens: intuitiua tamen non sit nisi existentis, vt existens est: Nè id dicas, inquam, Quia, posito, quod sæpè abstractiua attingit obiectum suum in ratione existentis, non potest explicari, quid sit hoc, quod intuitiua attingat illud vt existens, nisi confugias ad exigentiam attingendi obiectum existentia, & præsentia affectum: sed incassum: quia potest intuitiua ferri etiam in rem non existentem; ergo ferri in rem existentem non competit illi essentialiter. Antecedens probatur, quia species intuitiua rei potest saltem diuinitus durare, corrupta re, cuius est species; quia non pendet ab illa essentialiter. ergo, & ipsa cognitio intuitiua, quæ ab intuitiua specie causatur, potest ferri etiam in rem non existentem. Quod si dicas primò ferri quidem tunc in rem non existentem, sed in rationem existentis. Iam confundis intuitiuam cum abstractiua, quam attingere posse obiectum in ratione existentis, supra probaui. Quod si addas secundò non esse absurdum, quod species seu cognitio, quæ existente obiecto, erat intuitiua, eo corrupto, transeat in abstractiuam, falsum assumis; nam, vt benè docet ipse met Scotus *in quarto dist. 49. quæst. 12. §. alia diuersitas*: duæ istæ cognitiones differunt inter se essentialiter. ergo nequit vna transire in aliam: non enim potest dari transitus rei, in se immutatæ, de specie in speciem. Quod si denique dicas tertiò, de ratione intuitiuæ esse, quod terminetur ad existens pro ea ipsa differentia temporis, pro qua cognoscitur, nihil euincis: nam constat Christum Dominum intuitiuè præterita, & futura in hoc instanti intueri, quæ tamen pro hoc instanti nequaquam existunt.

Sexta est volentium: Quod licet tum intuitiua, tùm abstractiua in obiectum existens, & præsens ferri possit: obiectum tamen intuitiuæ exercet rationem præsentis, & existentis, mouendo potentiam, & illi se obiectiuè præsentando; quod non facit obiectum abstractiuæ, quantumuis præsens sit, atque existens. Sed contra hanc sententiam facit, quia cognitio, qua vnus Angelus alium videt, intuitiua est; sed obiectum dictæ cognitionis non exercere rationem præsentis, & existentis mouendo intellectum cognoscentis, & se illi obiectiuè præsentando, constat, ex eo quia Angeli habuerunt huiusmodi species sibi à Deo congenitas suæ creationis initio, & eas non accipiunt ab obiectis, vti supra probatum est. ergo &c. 7

Septima est docentium: Intuitiuam constitui essentialiter per hoc, quod immediatè, & directè tendat in obiectum in se ipso: per quod differt ab abstractiua, quæ habet tendere in suum obiectum non in se, sed in alio. Sed contra hoc facit primò, quod cognitio entis vniuersalissimè sumpti, & à suis differentijs abstracti, est abstractiua, & tamen per eam cognoscitur ens in se, & non in alio. si enim cognosceretur in alio, vel tanquam in causa, vel tanquam in effectu: neutrum autem dici posse patet, quia ens vt ens, cum sit maximè transcendens, neque potest habere causam, neque effectum, à quibus distinguatur, & in quibus cognoscatur. Dicere autem, quod cognoscatur in suis differentijs, est manifestè falsum; cum enim differentiæ entis implicitè contineantur in ente, potius dicendum est, quod differentiæ in illo, quam quod illud in differentijs cognoscatur. 8

Contra secundò: quia Deus in se ipso cognoscit creaturas, sed non nisi per cognitionem intuitiuam, saltem existentes. ergo non est de essentia intuitiuæ tendere directè in obiectum suum, & non cognoscere illud in alio. Maior patet: Minor probatur, quia cognitio intuitiua, cæteris paribus, est perfectior abstractiua; quæ autem videntur in Deo, perfectissimè videntur. Porrò hoc argumentum idem euincit, si transferatur ad cognitionem, qua Beati cognoscunt creaturas in Verbo. 9

Octaua est aliorum, qui dicunt: Essentiam intuitiuæ consistere in eo, quod cognoscat obiectum, sicuti est in se, & non ad modum alterius: hoc quod differt ab abstractiua, quæ cognoscit obiectum ad modum alterius. V. G. Deum ad modum sensis, Angelum ad modum pueri vlati, &c. 10

Digitized by Google

&c. Sed cõtra est: quia si, quãdo dicis, quod ad cognitionẽ intuitiuã requiritur, quod cognoscatur res, & nõ admodũ alterius: vel necessariũ ducis, quod hoc alterũ debeat esse diuersę speciei ab eo, quod cognoscitur, vel sufficit, quod sit alterũ, siue tandẽ diuersæ, siuè eiusdẽ speciei. Neutrum dici potest. ergo &c. Maior patet ex sufficiẽti partiũ enumeratione. Minor probatur quo ad primum: quia si oportet esse diuersæ, ergo quãuis qui nunquam vidit Romam, illam cognoscit per species, quas habet de alia ciuitate V. G. de Panormo, Neapoli &c. eam videt intuitiuè, & quando Angelus cognoscit arguitiuè meum Secretum Cordis per species, quas habet de altero Secreto, illud etiam intuitiuè cognoscet. Et quando ego ad modum alterius hominis Imperatorem agnosco, item illum dicar intueri, quia per se non cognosco illum in alio, quod sit diuersæ speciei, quod necessarium esse putas ad abstractiuam cognitionem. ergo &c. Probatur nunc eadem. Minor quo ad secundum, quia si ad cognitionem intuitiuam requiritur, quod non cognoscatur res ad modum alterius, licet eiusdem speciei, sequitur manifestè, quod ad eam habendam, necesse sit cognoscere obiectum secundum vltimam determinationem, & differentiam, quam habet, quia quandiù cum aliqua confusione, seù præcisione cognoscitur, semper cognoscitur admodum alterius; V. G. si cognoscam hominem singularem, hoc est Petrum, sed eius singularitatem confusè, & vagè attingam abstrahendo ab hac, vel illa singularitate determinata, iam cognosco illum ad modum cuiuscumque alterius indiuidui hominis, & sic non sicuti est in se. sed hoc est contra sensum horum auctorũ, qui putant huiusmodi cognitionem esse intuitiuam, vt patet ex Ouiedo *Controu. 6. puncto 4. nu.* 14. qui postquam hanc sententiam de intuitione docuit, concluſit visionem intuitiuam posse esse præcisiuam saltem ex parte actus, quia ex parte obiecti eam dari posse negat. ergo &c.

11 Nona est, quam nonnulli recentiores sequuntur cum Arriaga *in pr. par. disp. 9. sect. 2. nu.* 10. Hæc vult: quod differentia inter cognitionẽ intuitiuam, & abstractiuam in eo præcisè cõsistat, quod illa sit per species proprias ac immediatas, aut per concursum immediatum ipsius obiecti: abstractiua verò per mediatas, & alienas, ab alio obiecto desumptas. Sed contra hoc facit primò, quia quando quis in hac vita per cognitionem reflexam suam directam cognitionẽ agnoscit, illam per proprias species ab ea immediatè productas agnoscit, & tamen non putamus eum intuitiuam cognitionem de illa habere, vt fatetur Ouiedus *loco cit. nu.* 18.

12 Contra etiam est secundò, quia per ipsum Arriagam *Disp. 10. de Angelis sect 1. nu.* 4. cognitio, quæ terminatur ad rem præsentem, nisi rem illã cognoscat vt existentem atque præsentem, non erit intuitiua, sed potest cognitio aliqua fieri per species proprias, & terminari ad rem præsentem, non vt existentem, atque præsentem, casu quoquis per species proprias Ranæ V. G. cognoscerer illam vt possibilẽ, vt idemmet auctor ibidẽ fatetur. ergo falsũ est essentiã cognitionis intuitiuæ consistere in, eo quod per species vel per concursũ immediatũ cognoscat obiectum.

SECTIO SECVNDA.

Proponitur nostra sententia de essentia cognitionis Intuitiuæ, & abstractiuæ.

13 PRima Conclusio cognitio intuitiua quatenus opponitur abstractiuæ rectè describitur. Cognitio propria obiecti, quod cognoscit: ad differentiam abstractiuę, quæ definiri potest: Cognitio, quæ non est propria sui obiecti. Pro explicatione nota: quod præter proprietatem specificationis ab obiecto suo, quæ est omni cognitioni communis, dupliciter aliqua cognitio dici potest propria obiecti, primo effectiuè; secundo obiectiuè, propria effectiuè illa, est quæ producitur ab obiecto suo, siuè immediatè per se ipsũ siue mediãtè specie impressa ab ipso procedente. propria verò obiectiuè illa est, quę repræsentat suũ obiectum secũdũ omnẽ determinationẽ, quã habet in sè, ratione cuius à quouis alio diuersificatur. Hoc enim ipso, quod illud repræsentaret cum aliqua indeterminatione, seu confusione nõ esset illius, pria, sed cõmunis illi, ac alijs obiectis cũ quibus illud confunderet ac permisceret. Quo posito dico proprietatẽ vt sic cõstituere cognitionẽ intuitiuã vt sic, & improprietatẽ illi oppositã abstractiuam vt sic. qua explicatione posita.

Probatur assertio, primo ex impugnatione aliarum sententiarũ, quas sectione præcedenti reicimus. 14 Probatur secundò quia intuitiua cognitio semper concipitur cũ aliqua peculiari tendentia in obiectũ suũ, ratione cuius sit illi speciali modo propria, vel effectiuè, vt patet in visione, auditione, & similibus: vel obiectiuè; vt constat ex cognitione intuitiua, quam habent Angeli de rebus naturalibus. Contra verò abstractiuã cognitio apprehenditur semper veluti accomodatitia, & alienæ respectu obiecti; vt quando cognoscimus Deum ad modum senis, Angelum ad instar pueri alati. Et fauet huic explicationi vocabulũ: abstrahere enim, à quo abstractio est quasi per vim aliquid auferre, quod facit intellectus quoties non valens cognitione propria obiecti, illud attingere, veluti furtiuè cognitione impropria, sicuti potest, illud ad sè intẽtionaliter pertrahit. ergo cognitio intuitiua vt sic rectè describitur cognitio propria obiecti siuè demũ effectiua siue obiectiua proprietate, de quo postea. Contra vero rectè describitur præcisiua cognitio obiecti impropria modo dicto.

15 Cõfirmatur Cõclusio nã sicuti docent Gregorius, & Scotus apud Ouiedũ *contr. 6. pun. 4. nu 9.* intuitiuæ, & abstractiuæ cognitionis nomina inuẽta sunt à Patribus, & Theologis occasione illius dicti 2. *ad Corinth.* 13. videmus nunc per speculũ in ænigmate, nunc autẽ facie ad faciẽ. sed visiones, quibus duo se inuicẽ facie ad faciẽ cognoscunt, sunt maximè propriè illorũ, ita vt impossibile, sit posse ad alios pertinere. cõtra verò cognitiones speculares attribui possũt pluribus, de facto enim multi dicunt id, quod videtur in speculo esse figurã quãdã similẽ obiecto, alij verò eius species impressas in speculo reflexas, alij demũ obiectũ ipsũ, idẽ dicendũ de cognitione ænigmatica, vt fuit illa de comedẽte exiuie cibus, & de forti eggressa est dulcedo; quæ multis rebus rectè acõmodari potest. ergo &c.

Digitized by Google

16 Secunda Conclusio. Cognitio Intuitiua materialis contenta est, vt sit propria obiecti proprietate solum effectiua. Probatur facilè, quia omnes supponimus sensus externos semper intuitiuè sua obiecta debere cognoscere, nunquam verò abstractiuè; sed illorum intuitio nequit per proprietatem obiectiuam constitui, benè tamen per effectiuam; ergo Intuitiua cognitio materialis proprietate solum effectiua contenta est. Probo minorem, quia per sensus externos illa solum obiecta cognoscimus, quæ medijs speciebus, ab eis productis, in sentiationes influunt; illud enim obiectum, & non aliud à nobis V. G. videtur, quod suas species in oculo nostro producit, quæ cum non sint aptæ repræsentare oculo, num color sit substantia an accidens; num identificatum cum subiecto, an potius ab illo distinctum, & cætera. imo verò multipliciter vitiari, ac hebetari possint: hinc fit vt intuitio materialis aliquam semper impropriatem obiectiuam habeat admixtam, ita vt cum aliqua confusione, & indeterminatione suum semper repræsentet obiectum. ergo intuitio sensitiua nequit per proprietatem obiectiuam constitui, benè tamen per effectiuam.

17 Tertia Conclusio. Cognitio intuitiua spiritualis debet esse propriæ obiecti proprietate obiectiua, quid quid sit de effectiua.

18 Probatur: quia constat Angelos suæ creationis initio substantias materiales intuitiuè cognouisse. sed illæ cognitiones non fuerunt propriæ dictarum substantiarum proprietate effectiua, benè tamen proprietate obiectiua, ergo &c. Minorem probo, quia, vt ex dictis suppono, Angeli species intentionales saltem illarum substantiarum habuerunt inditas à Deo tanquam ab auctore naturæ, quia non exigebant dictæ substantiæ eas illis producere. Aliunde verò cognitiones, quas earum beneficio formarunt Angeli, nos certificauerunt de omnibus prædicatis, quæ erant in illis substantijs, ergo illæ cognitiones non fuerunt propriæ obiectorum proprietate effectiua, sed obiectiua.

19 Confirmatur, quia cognitiones reflexæ, quas in hac vita de nostris cognitionibus directis habemus, sunt propriæ directarum proprietate effectiua, & tamen non sunt intuitiuæ illarum, vt supra notauimus, sed hoc non nisi quia non sunt propriæ illarum proprietate obiectiua, ergo ad intuitionem spiritualem obiectiua, & non effectiua proprietas necessaria est.

20 Atque ex his patet nonnullas ex sententijs in præcedente Sectione reiectis, posse in bono sensu explicari, & probabiliter sustineri, hoc ipso quod earum explicatio cum nostra coincidat. Inter eas autem octauam, & nonam eligerem: & quidem Octaua, si ita explicetur, quod cognitio intuitiua cognoscat obiectum suum sicuti est in se per hoc, quod sit illi propria; abstractiua verò cognoscat obiectum suum instar alterius, quatenus sit illi veluti accommodatitia, aliena, & impropria; sicuti est cognitio, qua Angelum quis cognoscit admodum pueri alati, & tenebras ad instar nigredinis. Nona verò qua dicitur, quod intuitiua fiat per species proprias: abstractiua verò per alienas, si hoc modo intelligatur, vt non faciat vim in proprietate & improprietate ipsarum specierum, sed potius cognitionum, quæ (regulariter loquendo, & si non aliud obstet) solent esse propriæ obiectorum hoc ipso, quod à speciebus proprijs producantur, & alienæ, si ab alienis proueniant.

Contra dicta Obijcies primò: cognitio intellectiua albedinis correspondens visioni corporeæ eiusdem albedinis, est intuitiua, & tamen non est propria proprietate obiectiua, accepta in tanto rigore, quia suam habet confusionem, & indeterminationem quo ad multa prædicata. ergo falsa conclusio. Respondeo admisso antecedente, me videar à communi sententia discedere, negando consequentiam: in conclusione enim loquuti sumus de cognitione absolutè spirituali: hic autem sermo est de cognitione nostra, quæ est aliquo modo corporea, in quantum pendet à phantasmatibus; & ideò eius intuitio essentialiter pendet à proprietate effectiua, saltem mediatè, quia intellectus noster pro statu immersionis in materia ad hoc vt obiectum aliquod intueatur determinari debet à phantasmatibus dependentibus à sensibus, medijs speciebus causatis ab obiecto effectiuè; sicuti enim anima in esse actum corporis pendet à corpore, ita debet pendere quatum ad operari. 21

Obijcies secundò: si intuitiua intellectio deberet cognoscere rem secundum vltimam determinationem, quam habet: sequeretur quod posset dari cognitio quidditatiua rei, quæ esset abstractiua eiusdem: sed hoc absurdum esse patet in Deo, qui nequit cognosci quidditatiuè nisi per cognitionem intuitiuam. ergo &c. Respondeo, distinguendo sequelam, posset dari cognitio quidditatiua rei, quæ esset abstractiua eiusdem rei, si individuatio talis rei non sit de eius quidditate, concedo: posito quod individuatio est de quidditate rei, nego sequelam. Et ad minorem dico, quod intantum non potest dari cognitio quidditatiua Dei, quæ sit abstractiua, in quantum eius individuatio est de conceptu quidditatiuo ipsius Dei, quia essentia Dei quantumcumque præscindatur, est incommunicabilis alteri ab hoc Deo; at verò cum individuatio creaturarum, saltem regulariter, non sit de illarum quidditate: hinc fit, vt possimus habere cognitionem quidditatiuam earum, quæ simul sit abstractiua. 22

Obijcies tertiò: res merè possibiles habent in se suam vltimã determinationẽ, & sic videntur à Deo, sed non videntur intuitiuè. ergo &c. 23

Respõdeo aliquos negare minorẽ: partẽ enim, quod non solũ ea, quæ aliquando habitura sunt existentiã, sed etiã ea, quæ nunquã existura sunt, cognoscãtur à Deo intuitiuè, propter fatidicam allignatam. Contra quos faceret, quia intuitiua cognitio videtur esse eatẽ formalissimè cũ scientia visionis, quæ nõ est nisi existentiũ. Melius igitur negãda videtur maior, vltima enim determinatio rei est existentia, atq; adeò ad hoc vt aliqua res intuitiuè intelligatur, oportet cognosci in ratione existentis licet hoc non sufficiat, sed requiratur præterea vt secundum

Digitized by Google

dum omnem determinationem, quam habet, attingatur,

24 Obijcies quartò: etiam si Deus per se ipsum suppleat speciei coloris defectum in ordine ad meam visionem corpoream adhuc, mea visio est intuitiua. ergo ad intuitionem corpoream non requiritur propietas effectiua. Antecedens patet, consequentia probatur: quia dicta visio non pendet effectiuè ab obiecto colorato mediatè, quia non habet species ab illo productas. neq; immediatè. Respondeo, concesso antecedente, distinguendo consequens: ergo ad intuitionem corpoream non requiritur proprietas effectiua, connaturaliter, nego: diuinitus, subdistinguo: non requiritur actu, & formaliter, concedo, exigitiuè, nego consequentiam, & ad eius probationem dico: quod visio illa diuinitus producta, licet nõ sit propria obiecti sui proprietate effectiua actu formaliter; est tamen propria illius exigitiuè, quatenus exigit connaturaliter fieri dependenter ab eo in genere causæ efficientis mediatè. In idem recidit, quod dicit Quiros *in sua pharo disp. 97. sect. 2.* denominationem videlicet intuitiuæ sumendam esse ex modo loquendi intentionaliter per modum præsentis, cui præsentia realis obiecti nihil refert, in quo sensu explicat suam definitionem intuitiuæ cognitionis quando, dixit eam esse, quæ suaptè natura immediatè pendet à præsentia obiecti, vt obiectum est.

SECTIO TERTIA.

An implicet contradictionem intueri vnum ex his, quæ sunt formaliter in Deo, non intuitis reliquis.

25 HAnc Controuersiam exagitant Theologi *p. parte.* sed, quia eius resolutio totaliter ex principio philosophico pendet, quod in superioribus sectionibus stabilitimus, æquum est eam pertractare, vt sic melius nostram de intuitione sententiam explicemus.

26 Conclusio est affirmatiua. putamus enim implicare contradictionem intellectum aliquem, quantumuis diuinitus elevatum, intuitiuè cognoscere aliqua prædicata ex his, quæ formaliter sunt in Deo, quin simul cognoscat intuitiuè reliqua, tùm absoluta, tùm relatiua, quæ in eo sunt, non tantum materialiter, & identicè: sicuti oculus, quando videt albedinem, rationem qualitatis, quæ in ea est, cognoscere putatur; sed etiam distinctè, & formaliter, ita vt de omnibus, & singulis certificetur. Ita S. T. 2. 2. *qu. 2. art. 8. ad tertium*, & cum eo Vasquez *ibi disp. 48.* Suarez *lib. 2. de attributis cap. 22.* Ericius *tract. 2. disp. 50.* & alij contra Scotum *in primo dist. 2. quæst. 2.* quem sequuntur Salas *tom. primo in primam secundæ quæst. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 2. & 3.* Granad. *tom. primo in primam partem tract. 5. disp. 5. 6. & 7.* Hurtad. *in metaph. disp. 6. sect. 6.* Arriaga *in primam partem disp. 8. sect. 6.* & alij. Verum ex his auctoribus quidam aiunt, quod solum ea, quæ in Deo distinguntur realiter, ita se habent, vt possit intuitiuè videri vnum sine alio V. G. Pater sine Filio: alij verò addunt, quod etiam, quæ virtualiter intrinsecè distinguntur, possint hoc modo intuitiuè cognosci, vt paternitas sine paternitate. nonnulli denique tertiò dicunt, etiam ex his, quæ inter se tantum extrinsecè distinguntur, posse vnum intuitiuè videri, non visis alijs, quia quamuis per eos vna ex his rationibus non possit obiectiuè præscindi ab alijs, sed solum formaliter: putant tamen dari posse cognitionem intuitiuam, quæ certificet solum intellectum de vna, & non de alijs V. G. de natura, & non de attributis de sapientia, & non de omnipotentia, de misericordia, & non de iustitia &c. Quibus positis.

27 Probatur Cõclusio nostra aduersus tres dictas sententias, singulas earum impugnando. Et primò quidem probatur impugnando tertiam, quæ est Arriagæ *loco sit. numero* 35. Formalitates, quæ tantum extrinsecè distinguntur in Deo, sunt vna simplicissima formalitas constitutiua vltimæ rationis, qua Deus à quolibet alio, quod non est ipse, diuersificatur. ergo implicat Deum intuitiuè cognosci secundum vnam ex eis, hoc est secundum essentiam V. G. quin intellectus reddatur æquè certus de reliquis, id est de attributis eius. Antecedens supponitur in hac via, & absolutè suadetur, quia Deus secundum suam rationem vltimò constitutiuam est formalissimè actus purissimus, nullam involuens potentialitatem. ergo formalissimè omnes perfectiones absolutas, quæ solum extrinsecè distinguntur includit; alioquin si solum eas identicè, & radicaliter importaret, posset excogitari alia essentia perfectior, quæ illas includeret essentialiter; & sic diuina essentia, non esset adeo perfecta, quin alia perfectior excogitari posset, quod nemo dixerit. Porrò hæc ratio æquè conuincit de reliquis attributis, quæ virtualiter etiam extrinsecè inter se distinguntur, quatenus vnumquodque ex eis est formalissimè actus purissimus. Consequentia verò sequitur ex dictis, quia visio intuitiua consistit in eo, vt sit propria obiecti proprietate obiectiua, atque adeò cognoscat illud secundum suam vltimam rationem distinctè, & determinatè.

28 Ad hoc argumentum responderi potest tripliciter: Et primò quidem: essentialem constitutionem non tollere distinctionem penes conceptum implicitum, & explicitum. Sed contra, quia licet, quod assumitur verum sit in ordine ad cognitionem abstractiuam, falsum tamen est in ordine ad intuitiuam; ad hanc enim non sufficit repræsentatio qualiscumque vltimæ differentiæ constitutiuæ eius, quod intuemur; sed requiritur repræsentatio sub totali, & vltima determinatione: vt patet ex cognitione individui vagè sumpti, quæ quia attingit illud secundum vltimam rationem individualem inadæquatè, etiam si nullo modo pendeat à phantasmatibus, non censetur esse intuitiua, sed abstractiua. Neque dicas disparitatem in hoc esse, quia cognitio individui vagi abstrahit rationem communem individui vt sic, à ratione singulari, hoc est talis individui, quod non habetur in casu nostro, quando quis intueretur naturam diuinam, non intuitis attributis.

Digitized by Google

29 Ne id dicas, inquam, nam præterquam quod falsum assumis, quatenus aliter fertur intellectus in indiuiduum, vt sic, ac in indiuiduũ vagum, hoc vel illud: Sic contra insurgo: repugnat intueri rationem communem, non intuita particulari, quæ non ingreditur in conceptũ essentialem illius. ergo multò magis repugnabit intueri essentiam absque attributis, quæ ex parte obiecti sunt constitutiua ipsius essentiæ.

30 1. Responderi potest secundò, quod quemadmodum Diuina sapientia ratione extrinseci cõnotati potest clarè cognosci per cognitionem abstractiuam, non cognita clarè essentia: ita, & per intuitiuam. Sed contra est primò, quia hæc distinctio ratione extrinseci connotati non facit quin essentia, & sapientia sint vnica perfectissima formalitas obiectiua indiuisibilis, ita vt nõ possit per te vna obiectiuè præscindi ab alia. ergo non obstante distinctione in ordine ad extrinseca, implicat, cum, qui per intuitionem clarè certificatur de vna, non certificari etiam de alia. Antecedens patet: Consequentia verò probatur: nemo dixerit posse aliquem clarè intueri essentiam hominis, absque eo quod eius prædicata essentialia, seu, quod idem est, eius definitionem obiectiuam clarè etiam intueatur: & tamen definitum ita est cum sua definitione vna formalitas ex parte obiecti, vt extrinsecè seu in ordine ad intellectum nostrum virtualiter distinguantur.

31 Contra etiam est secundò, quia in sententia negante præcisiones ex parte obiecti, intantum intellectus potest certificari de animalitate hominis, & non de rationalitate, in quantum videt solas operationes animalitatis, & ex eis ad earum principium dignoscendum, veluti dimidiatè procedit; sed intuitiua cognitio opposito modo se habet, ex cognitione videlicet principij operatiui ad operationes ipsas progreditur. quemadmodum igitur, si eadem formalissimè esset operatio sensitiua, & rationalis, non posset intellectus noster abstractiuè certificari de animalitate, & non de rationalitate: ita ex eo quod idem formalissimè sint in Deo essentia, & sapientia, implicat intellectum intueri vnam, absque eo quod intueatur & alteram.

32 Responderi denique potest tertiò: nostro argumento probari solum, non posse videri intuitiuè essentiam sine attributis, non autem non posse videri vnum attributum sine alijs V. G. omnipotentiam, sine sapientia. ergo non euincit vniuersaliter ex omnibus, quæ virtualiter extrinsecè distinguntur in Deo, non posse dari cognitionem intuitiuam vnius, & non alius. Consequentia patet. antecedens probatur, quia: possunt duæ rationes esse constitutiuæ formaliter vnius tertiæ absque eo, quod sint constitutiuæ sui ad inuicem. ergo etiam si non possit intuitiuè cognosci essentia sinè omnipotentia, sapientia &c. quia ex eis constituitur, poterit omnipotentia sinè sapientia.

33 Verùm ad hoc negatur antecedens; cum enim, vt vidimus, essentia Diuina ex parte obiecti sit vna simplicissima formalitas cum omnibus suis attributis in ordine ad intuitiuam cognitionem, implicat, quod ipsa attributa sint formalitates inter se distinctæ in ordine ad eandem cognitionem; alioquin essentia constaret ex pluribus formalitatibus, atque adeò non esset simplicissimè vna formalitas. Ad probationem antecedentis dico: propriè loquendo attributa non esse constitutiua naturæ, neque de ratione illius; sic enim dicebam, non esset natura vna simplicissima formalitas, quia nequit idem esse constitutiuum sui ipsius. solum igitur impropriè, & quo ad nostrum modum imperfectè, & limitatè cognoscendi intelligi potest natura constare ex perfectionibus attributalibus, tanquam rationibus, eam in summo perfectionis gradu constituentibus.

34 Probatur secundò conclusio contra secundam sententiam, docentem ex his, quæ virtualiter intrinsecè distinguntur in Deo, posse haberi cognitionẽ intuitiuam vnius, quin habeatur alterius V. G. essentiæ, & non personalitatis. Probatur, inquam, ex eo quia virtualis distinctio inter naturam, & personalitatem in ordine ad communicari, & non communicari, ad produci, & non produci, non tollit quin in ordine ad reliqua sint vna formalissima ratio ex parte obiecti. ergo implicat intuitiuè videri vnam sinè alia: Consequentia patet ex dictis in prima probatione. Antecedens verò fundetur, quia virtualis distinctio intrinseca inter naturam, & personalitatem est solum in ordine ad terminos contradictorios, qui de fide saluandi sunt, non autem in ordine ad reliquos; alioquin posset eius beneficio affirmari, quod natura est incorruptibilis, & personalitas corruptibilis: illa æterna, hæc in tempore, & similia, quod nemo dixerit. ergo in reliquis natura, & personalitas ita se habent, ac si virtualiter non distinguerentur, sed essent vna simplicissima formalitas. Confirmatur contra Scotistas, qui distinctionem formalem à parte rei antecedenter ad intellectum inter naturam, & personalitates agnoscunt, quia ipsi non negant dictas formalitates, quantumuis formaliter distinctas, identificari realiter, sed cognitio obiecti, quod in se continet plura realiter identificata, non potest esse propria illius obiecti proprietate obiectiua, quin exprimat illa plura; alioquin esset aliena, & impropria illius obiecti, illudque cum alijs obiectis confunderet, quæ non habent sibi identificata omnia illa. ergo &c.

35 Probatur denique tertiò Conclusio contra primam sententiam, quæ docebat ad minimum ex his, quæ realiter distinguuntur in Deo posse videri vnum non visis alijs V. G. Patrem non viso filio, & Spiritu Sancto. Probatur inquam, quia, vti probauimus, ex his, quæ virtualiter intrinsecè distinguuntur in Deo, non potest videri intuitiuè vnum, non viso alio; cum igitur natura, & personalitates distinguantur inter se virtualiter intrinsecè, rectè deducitur non posse videri intuitiuè naturam, non visis intuitiuè personis. Sed nequit videri intuitiuè vna persona, non visa natura, quia natura est essentia ipsius personæ. ergo non potest intuitiuè videri vna persona non visis alijs. Quod si de personalitate vt sic V. G. de paternitate, & non de Patre loquamur, vt linquam eam in solorum sen-

Digitized by Google

ſententiâ etiam includere eſſentialiter naturam diuinam: hoc ipſo quod virtualiter ab illa diſtinguitur, iam reddit argumentum, quod non poſſit ſinè illa intuitiuè cognoſci, alioquin cognitio non eſſet propria illius proprietate obiectiua. ergo neque ſinè alijs perſonis, cum quibus identificatur. Atque ex his remanet probatum, implicare contradictionem ex his omnibus, quæ formaliter ſunt in Deo, vnum ſinè alijs intuitiuè cognoſcere, ſiuè demum realiter ſiuè virtualiter intrinſeci, ſiuè tantum extrinſecè inter ſe diſtinguantur.

SECTIO QVARTA.

Diſſoluuntur obiecta.

36 OBijcies primò cum Arriaga *diſput. 9. cit. ſect. 2.* ex his, quæ virtualiter extrinſecè diſtinguuntur in Deo, videre intuitiuè vnum, & non aliud, neque ex parte obiecti, neque ex parte ipſius cognitionis intuitiuæ repugnat. ergo poteſt id diuinitus fieri. Antecedens quo ad priorem partem patet ex eo, quia non obſtante ſumma, & perfectiſſima ſimplicitate eſſentiali, habetur virtualis multiplicitas quo ad eſſe; ergo haberi etiam poterit quo ad intelligi, eo quod intelligibilitas ſequitur ad eſſe. quo ad verò poſteriorem partem idem antecedens ſuadetur, quia ſi ex parte cognitionis intuitiuæ repugnat vel repugnat ex parte cognitionis vt ſic; & hoc non, quia per cognitionem præciſiuam poteſt cognoſci vnum non cognito alio: vel ex parte cognitionis, quatenus intuitiua eſt; & hoc neque, quia viſio corporea eſt intuitiua, & tamen non cognoſcit obiectum ſuum ſecundum omnia. ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: & dico repugnare ex parte vtriuſque indiuiſibiliter accepti, ſeù ex parte obiecti in ordine ad intuitiuam cognitionem. Ad priorem probationem, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: haberi poterit virtualis diſtinctio, & multiplicitas quo ad intelligi, abſtractiuè, concedo: quo ad intelligi, intuitiuè, nego conſequentiam; & ad probationem aio: quod intelligibilitas intuitiua in hoc ſenſu ſequitur ad eſſe, quod ſicuti res, de qua loquimur, in eſſendo eſt indiuiſibilis, ita vt, vel tota ſit, vel nihil illius: ita etiam, ſi intuitiuè videatur, vel tota vel nihil illius videri debeat. Ad poſterioris verò partis antecedentis probationem aio, repugnare id ex parte cognitionis, quatenus intuitiua intellectio eſt; nam ſic debet eſſe propria obiecti proprietate obiectiua, & non effectiua tantum, ſicuti eſt viſio corporea: atque adeò debet attingere obiectum ſuum ſecundum omnes rationes, ſecundum quas diuerſificatur ab alijs. Ex quibus patet contra hunc auctorem falſum eſſe non implicare notitiam de Deo propriè immediatam ita confuſam, & imperfectam, vt non poſſit de Deo affirmare omnia, quæ ſunt in eo formaliter. Quandiu enim non cognoſcitur Deus ſecundum omnia, iam inter ipſum & cognitionem aliquid mediat, nimirum illud obiectum, quod re vera non eſt ipſe Deus; eodem fere modo, quo mediat fenectus, quando cognoſcimus Deum ad modum ſenis. atque adeò vtraque erit abſtractiua, licet alia, atque alia ratione.

Inſtabis ex eodem Arriaga: ſtat viſio corporea intuitiua cum hoc, quod cum aliqua confuſione ſuum attingat obiectum. ergo cum ſimili confuſione viſio intuitiua ſpiritualis ſtare poterit. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam. diſparitas abundè conſtat ex dictis; cum enim inductione conſtet cognitionem intuitiuam corpoream, qualis eſt viſio, proprietate effectiua contentam eſſe, contra verò intuitionem totaliter ſpiritualem non niſi per proprietatē obiectiuam poſſe conſtitui: hinc fit, vt ſtet viſio corporea intuitiua cum confuſione, non autem ſpiritualis. 37

Obijcies ſecundo: potentia obedientialis eſt de eſſentia creaturæ. ſed Angelus intuendo creaturam V. G. aquam, non certificatur de eius potentia obedientiali; ergo etiam ſi attributales perfectiones ſint de eſſentia Dei, poterit cognoſci intuitiuè natura diuina, abſque eo quod intellectus de perfectionibus attributalibus certificetur. Maior patet ex dictis, & conſequentia rectè procedit. Minor probatur, quia nequit cognoſci potentia, quin eius terminus cognoſcatur; ſed Angelus non poteſt viribus naturæ cognoſcere terminum potentiæ obedientialis, quia hic eſt ſupernaturalis V. G. gratia, vnio hypoſtatica &c. ergo. &c. 38

Reſpondeo, negando minorem: ad eius probationem dici poteſt primò verum quidem eſſe quod non poſſit cognoſci potentia, quin cognoſcatur eius terminus, quoties potentia dicit ordinem tranſcendentalem ad illum; at potentiam obedientialem vt potè incoatam, & incompletam non importare huiuſmodi ordinem ad terminos ſupernaturales. Dici etiam ſecundò poteſt: ad cognitionem intuitiuam alicuius potentiæ ſatis eſſe cognoſcere abſtractiuè, & in confuſo terminum illius, & hoc facere Angelum, dum intuetur potentiam obedientialem creaturæ; cognoſcit enim abſtractiuè poſſe Deum eleuare aquam V. G. ad producendum aliquod ſupernaturale, quatenus diuinæ omnipotentiæ ſubiecta eſt, non autem ad hoc, aut illud in particulari.

Obijcies tertiò: diſtinctio virtualis intrinſeca inter intellectum, & voluntatem diuinam, ſufficit ad diſtinguendas actiones ad intra; ad verificandum, ſcilicet, quod Pater generat per intellectum, & non per voluntatem, ſpirat verò per voluntatem, & non per intellectum. ergo etiam ſufficere poterit dicta diſtinctio ad diſtinguendas viſiones circa intellectum, & voluntatem Dei verſantes. 39

Reſpondeo: conceſſo antecedente, negando conſequentiam. diſparitas eſt quia actiones ad diuerſificationem terminorum realiter acceptorum propriè diuerſificantur, atque adeò multiplicantur; & quia ſufficit virtualis diſtinctio in principio productiuo, vt diuerſos terminos producere valeat, vt patet in ſole, in ordine ad producendum lumen, & calorem, hinc fit vt eadem virtualis diſtinctio ſufficiat etiam ad actiones diſtinguendas. At verò viſiones intuitiuæ diuerſi-

Digitized by Google

uerſificantur iuxta diuerſitatem obiectorum realiter acceptorum, vt patet ex dictis; cum autem virtualis diſtinctio in obiecto non ſit ſufficiens ad illud realiter diuerſificandum, hinc fit, vt neque ſit ſufficiens ad diuerſificandas intuitiuas viſiones, quarum altera intueatur intellectum diuinum, altera verò voluntatem.

40 Inſtabis: magis eſt diuiſiua actio intentionalis, quam realis. ſed realis ex his, quæ virtualiter intrinſecè diſtinguntur in Deo, attingit vnum, & non alterum: generatio enim in diuinis producit perſonam Verbi, & non naturam. ergo multò magis poterit intentionalis, cuiuſmodi eſt viſio intuitiua, cognoſcere eandem perſonam Verbi, non cognoſcendo naturam.

Reſpondeo, maiorem veram eſſe, loquendo de actione intentionali in tota ſua latitudine accepta, pro vt abſtractiuam cognitionem comprehendit: at verò falſam, ſi loquatur de intuitiua, quia hæc de neceſſitate fertur in obiectum ſecundum vltimam determinationem, quam habet; atque adeò ſecundum, quod ſe habet à parte rei. Quod in caſu noſtro realis generatio Verbi præſtare non valet, quia reperit in termino producendo naturam diuinam, quæ cum ſit improducibilis, ab ea attingi non poteſt.

41 Obijcies quartò: perſonalitas verbi, & eius natura in ordine ad terminandam humanam naturam, ita ſe habent, ac ſi eſſent realiter diſtincta, quia perſonalitas eſt terminus vnionis hypoſtaticæ, & non natura. ergo ita ſe habere poterunt in ordine ad terminandam cognitionem intuitiuam.

Reſpondeo, negando conſequentiam; ratio diſparitatis eſt, quia natura diuina habet incapacitatem, & repugnantiam ad terminandam vnionem hypoſtaticam: at verò perſonalitas verbi eſt capax illam terminare, & ideo in Incarnatione de hac verificatur, quod ſit terminus vnionis hypoſtaticæ, non verò de illa. Contra verò: tum natura tum perſonalitas habent capacitatem terminandi viſionem. Vndè non eſt mirum ſi, quando vna terminat, debeat etiam altera neceſſariò illam terminare, quia virtualis diſtinctio intrinſeca in diuinis eſt ſolùm in ordine ad ea prædicata, quorum vna virtualitas habet capacitatem, altera verò incapacitatem.

42 Inſtabis: tres Perſonæ habent capacitatem ſimul terminandi naturam humanam Chriſti Domini: & tamen ex hoc non ſequitur, quod ſimul omnes illam terminent. ergo licet tùm natura, tùm perſonalitas ſimul terminare valeant cognitionem intuitiuam, non rectè deducitur, eam debere ſimul neceſſariò terminare. Reſpondeo, conceſſo antecedente; negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia perſonalitates ſunt actu realiter inter ſe diſtinctæ; vndè non eſt neceſſe, vt quidquid realiter competit vni, competat etiam alijs, quamuis hoc illis minimè repugnet, niſi aliundè conſtet, quòd in ordine ad id, quod vni competit, omnes indiuiſibiliter ſe habere debeant. At verò natura diuina virtualiter tantum à perſonalitatibus diſtinguitur. Vndè non eſt mirum, ſi in ordine, ad ea prædicata realia, quibus eſt capax, cuiuſmodi ſunt, videri, & non videri intuitiuè, ſe habeat vt vnum cum illis. Neque hinc ſequitur, vt arguit Arriaga, quod etiam in ordine ad cognitionem abſtractiuam eodem modo ſe habere deberet; abſtractiua enim cognitio non attingit obiectum cum omni determinatione, quam habet à parte rei, ſicuti intuitiua, ſed indeterminatè, ſecundum quod intellectus venire poteſt in cognitionem illius ex conuenientia, quam habet cum alijs rebus, vel ordine, quam dicit ad illas.

Obijcies quintò: poteſt videri intuitiuè albedo, abſque eo quod videantur relationes, quæ in ea ſunt. ergo poterit quis etiam intueri Naturam diuinam, abſque eo, quod intueatur relationes paternitatis &c. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: & ſi quidem ſermo eſt de viſione corporea, concedo, ſed nego conſequentiam. Diſparitas patet ex dictis, quia viſio corporea exprimit ſolum id, quod eſt viſibile, cuiuſmodi non ſunt relationes: at intuitiua intellectio attingit naturam diuinam vt intelligibilem. quare cum relationes intelligibiles ſint, non eſt mirum, ſi neceſſariò attingi debeant hoc ipſo, quod natura diuina ſecundum vltimam determinationem, quam habet, attingitur. Quod ſi in antecedente ſermo ſit de intuitione albedinis omninò ſpirituali, ſubdiſtinguendum, & ſi quidem loquatur de relationibus tranſcendentalibus, quas dicit albedo, vel etiam de prædicamentalibus totaliter identificatis cum illa, negandum, eam poſſe intuitiuè videri ſine dictis relationibus propter rationem modo aſſignatam: ſin autem de prædicamentalibus ab ea diſtinctis, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia propter manifeſtam diſparitatem, quatenus videlicet relationes diuinæ ſunt formaliter à parte rei vna ſimpliciſſima entitas cum natura, & ſolum virtualiter ab ea diſtinguntur. 43

Obijcies ſextò: Pater beatificatur defactò per viſionem eſſentiæ, & non filiationis. ſed viſio beatifica Patris eſt intuitiua. ergo poteſt dari viſio intuitiua eſſentiæ abſque eo, quod ſit intuitiua perſonalitatum. Minor, & conſequentia patent. Maior verò probatur tripliciter. Primò, quia Pater in priori originis, quam generet Filium, eſt perfectè beatus. Secundò, quia Pater nihil accipit à Filio, acciperet autem aliquid ſi per intuitionem illius beatificaretur. Tertiò denique, quia priora ſunt abſoluta relatiuis. ergo, & viſio beatifica Patris, diuinis relationibus. Contrarium autem haberetur, ſi Pater per viſionem filiationis beatificaretur, ſiquidem obiectum eſt prius cognitione circa ſe verſante. 44

Reſpondeo negando maiorem: aio enim Patrem beatificari per viſionem omnium, quæ ſunt in Deo. Ad primam antecedentis probationem dico, prioritatem illam originis eſſe à quo, & non in quo. atque adeò ſicuti in nullo priori ſigno, in quo, poteſt intelligi Pater cum præciſione à Filio, ita neque eius viſio beata, quin intelligatur etiam ad eundem Filium terminari. Ad ſecundam verò aio intellectum diuinum propter ſummam perfectionem, quam con-

Digitized by Google

continet, nihil accipere ab obiecto suo, siuè hoc sit natura, siuè relatio. Ad certum denique concesso antecedente, & consequentia, nego sublumptum, ad cuius confirmationem dico, obiectum debere esse prius cognitione in specificando, non autem in essendo, alioquin non posset esse cognitio de futuris. Porrò in casu nostro cognitio Patris pro eo priori à quo originis Filij, terminatur ad filiationem, quæ tunc intelligitur pro posteriori item à quo originis exsitura.

45 Instabis: pro eo priori à quo visio intuitiua Patris terminatur ad suum obiectum primariũ; sed obiectum primarium est sola essentia diuina, & non relationes. ergo pro eo priori ad solam essentiam, & non ad personam Filij cognoscendam terminatur.

Respondeo dato, quod relationes non sint obiectum primarium visionis Dei, quod à multis negatur: nego tamen quod pro eo priori originis à quo intuitio Patris ad solum obiectum primarium terminari debeat; cum enim filiatio pertineat ad vltimam determinationem naturæ diuinæ, implicat, quod pro eo priori intelligatur intuitiua cognitio Patris absque eo quod intelligatur terminari ad ipsam filiationem.

46 Subinstabis: si ponamus Patrem intueri pro eo priori naturam diuinam in se ipsa absque eo quod intueatur personam Filij, non sequitur cognitionem illam esse mediatam, seu ad modum alterius. ergo adhuc erit intuitiua. Consequẽtia patet. antecedens verò suadetur, quia non potest assignari aliquod obiectum, quod habeat naturam diuinam ad modum cuius Pater suam naturam cognosceret. Respondeti potest primò, quod quemadmodum aduersarij putant esse intuitiuam cognitionem illam, quæ est abstractiua siuè ex parte actus, siue ex parte obiecti, dummodo cognoscat obiectum sicut est in se, & non ad modum alterius: ita nos abstractiuam censemus illam, quæ non cognoscit obiectum, exprimendo illud secundum omnem determinationem, quam habet, siue cognoscat illud mediatè, & ad modum alterius, siuè immediatè, sicuti est in se, non quidem absolutè, sed secundum quid, hoc est secundum aliquam rationem, quam exprimit. in quo sensu dato antecedente, neganda est consequẽtia. Respondeti potest secundo, negando antecedens tanquam de subiecto non supposito, implicat enim posse intuitiuè cognosci naturam diuinam in se ipsa, absque eo quod intuitiuè cognoscatur simul personalitas Filij. Ad probationem antecedentis distinguo assumptum, non potest assignari aliquod obiectum reale, quod habeat naturam diuinam, ad modum cuius Pater illam cognosceret, concedo, non posset assignari obiectum siue reale, siue fictitium, nego antecedens, & consequentiam. Ac dico, quod si Pater solam naturam diuinam in priori cognosceret, inter naturam, quæ reuera est, & suam cognitionem intercipereretur natura diuina fictitia, quia licet abstrahentium non sit mendacium, est tamen mendacium intuentium; dum dicunt ex his, quæ realiter identificantur, se intueri vnum, & non alia, quare hoc ipso quod Pater intueretur naturam illam filiatione carere, quod est obiectum omnino chymæricum, atque fictitium, & sic numquam natura diuina potest in se ipsa intuitiuè cognosci, quin simul intuitiuè persona Filij cognoscatur.

Obijcies sepeimò: si implicaret contradictionem ex his, quæ formaliter sunt in Deo videri vnum, & non reliqua, sequeretur, quod Beati omnes comprehenderent Deum, sed horum est absurdum, vt patet. ergo &c. sequela probatur, quia deberent videre omnipotentiam secundò omnes respectus, quos habet ad omnes creaturas possibiles in particulari. ergo deberent videre omnes creaturas possibiles. sed sic comprehenderent Deum, vt ex dictis supponimus ergo &c. Respondeo, negando sequelam, quia vt rectè docet *D. Th. 1. p. q. 12. art. 7. ad secundum*, Deus non propter hoc dicitur incomprehensibilis, quasi aliquid eius fiat, quod non videatur, sed quia non ita profectò videtur, sicuti visibilis est, hoc est, cum claritate, quam exigit videri. Ad probationem sequelæ, admisso respectu omnipotentiæ ad creaturas, quem multi negant, nego antecedens, tanquam de subiecto non supponente, nam omnes creaturæ possibiles non respiciuntur ab omnipotentia, nisi per vnicum formalissimum respectum, attingentem illas sub vnica ratione formali producibiles cum dependentia, quem quidem respectum ad hoc vt intuitiuè Beati cognoscant sufficit cognoscere abstractiuè creaturas omnes sub ea ratione communi, sub qua ab eo respiciuntur. 47

Instabis: posse Deum creare Angelum V. G. est aliqua perfectio simpliciter simplex, quia melior est ipsa quam non ipsa. ergo debet formaliter in Deo reperiri. & idem dicendum de reliquis speciebus, & individuis creaturarum, ergo si non posset Beatus aliquas ex his perfectionibus non cognoscere in Deo, deberet omnes, & sic omnipotentiam suam comprehendere. 48

Respondeo, distinguendo antecedens, posse creare Angelum est aliqua perfectio simpliciter simplex distincta à perfectione, per quam Deus potest creare hominem, Leonem &c. nego: indistincta, concedo; Et ratio negationis est, quia cum omnis perfectio, quæ est in Deo sit essentialiter actus purus, debet necessariò includere omnem perfectionem saltem in eo genere possibilem, atque adeò ipsa potentia creatiua Angeli debet esse in Deo formalissimè potẽtia omnium creabilium, & sic habere rationem omnipotẽtiæ. qua posita distinctione, concessa prima consequentia, nego secundam, quæ supponit potentias creatiuas Creaturarum in Deo esse inter se formaliter distinctas.

Subinstabis: Nostra doctrina est, quod etiam ex his, quæ virtualiter tantum extrinsecè distinguntur in Deo, non potest videri intuitiuè vnum, non visis aliis. sed potentia productiua Leonis, & potentia productiua hominis distinguntur in Deo virtualiter extrinsecè, videlicet per æquiualentiam, vel correspondentiam 49

ad

adeas potentias, quæ in creaturis inueniuntur realiter inter se distinctæ. cum igitur constet posse beatum videre Deum vt determinatè potentem producere hominem, non verò Leonē, necessario sequitur falsam esse nostram conclusionem quantum ad hoc.

Respondeo dupliciter intelligi posse, aliqua in Deo virtualiter extrinsecè inter se distingui; primo ita vt importent conceptus ita essentialiter diuersos, vt nequeant in rebus creatis inueniri in vnica ratione formali recollecti, & hoc modo intelliguntur in Deo virtualiter extrinsecè inter sē distingui primò natura diuina & eius attributa; secundò ipsa attributa ad inuicem V. G. sapientia, bonitas, omnipotentia &c. tertiò denique operationes ad intra tum inter sè, tum etiam ab attributis. Secundo verò ita vt importent conceptus, qui in rebus creatis intelligi possunt in vnica ratione formali recollegi, & hac ratione intelliguntur virtualiter extrinsecè distingui in Deo non solum potentia productiua Petri, & potentia productiua Pauli, sed etiam potentia productiua hominis, Leonis, & reliquarum rerum; quia quemadmodum datur de facto potentia intellectiua formaliter vna diuersarum intellectionum essentialiter inter sē differentium productiua, ita non est cur nequeat etiam dari vna formalissima potentia productiua hominis & Leonis. quibus positis aio: quod quando auctores, quos in conclusione sequimur, docent ex his, quæ virtualiter extrinsecè distinguntur, non possit videri intuitiuè vnum non visis aliis, loquuntur de illis, quæ primo modo sic distinguntur, non autem de his quæ secundo modo. ratio disparitatis est, quia si ex his, quæ primo modo extrinsecè distinguntur videri intuitiuè posset vnum, non viso item intuitiuè altero, hoc alterum aduersarijs ipsis sentientibus intuitiuè minimè videretur. at hoc ipso quod videtur Deus potens producere Leonem, etiam si non videatur potens determinatè producere equum, iam videtur intuitiuè tota eius omnipotentia, quia non supponimus per illam visionem videri in Deo potentiam productiuam Leonis vt sic, præscindentem ab eo, quod sit creatiua Leonis tanquam causa principalis, aut instrumentalis, vel quæ sit generatiua, qualis est vnius Leonis respectu alterius. alioquin illa visio neque esset intuitiua, sed maximè abstractiua, quæ posset applicari potentiæ, quam habet Leo producendi Leonem. ergo debemus supponere per illam visionem videri in Deo potentiam determinatè vt creatiuam principaliter Leonis. sed hæc est adæquatissimè tota omnipotentia, vti supra probauimus. ergo iam videretur intuitiuè tota omnipotentia. Hoc autem confirmatur ex eo, quia ad intuendam omnipotentiā adæquatè adæquatione se tenente ex parte obiecti sufficit eam determinatè videre, quatenus est productiua omnis entis defectibilis in confuso, quia ratio formalis, ex qua sumit speciem, est intrinseca rei defectibilis producibilitas. sed hoc ipso quod videtur Deus potens creare principaliter Leonem; certificat intellectum, eum esse productiuum omnis entis defectibilis vti notauimus, quia videt sub hac formalissima ratione illum attingere posse Leonē; ergo iam videt totam omnipotentiam adæquatissimè non quidem adæquatione se tenente ex parte cognitionis, alioquin illam comprehenderet, sed solum ex parte obiecti.

Obijcies tertiò saltē omnes Beati deberent videre in Deo omnia eius decreta libera, si vera esset nostra sententia. Respondeo negando sequelā: vel enim decreta libera ponūtur esse partim intrinseca & partim extrinseca Deo, vel tota liter illi intrinseca; si primū videntur, secūdū id, quod sunt in Deo tātūm quatenus scilicet important actum diuinæ voluntatis necessarium; si verò dicatur secundum, quod ego non puto, conclusio explicari debet de his, quæ formaliter sunt in Deo, exceptis secretis cordis diuini, quia hæc non solum intuitionem, sed etiam alienam comprehensionem fugiunt, vt patet ex Angelo superiore comprehendente inferiorē, cuius secreta cordis minimè penetrat. 50

(†)



Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA QVARTA

DE COGNITIONE COMPREHENSIVA.

1 

Lia diuisio, per quam cognitio intellectiua, vt sic, adæquatè diuiditur, est in Comprehensiuam, & Non comprehensiuam; nulla enim excogitari potest intellectio, de qua alterutrum nequeat affirmari. Verùm comprehensio, quo ad rem nostram attinet, dupliciter sumi potest, primò largè, secundum quod importat solam consequutionem, & quasi possessionem rei, quam quis prius optauerat: in quo sensu *ad Philippenses tertio* dicitur: Sequor autem, si quo modo comprehendam; Ex quo processit vt omnes Beati comprehensores appellarentur, quatenus tenent Deum, ad quem tanquam ad vltimum finem anhelabant. Secundò strictè pro vt sumitur ab August. *Epist.* 112. *cap.* 8.: Aliud, inquiens, est videre, aliud totum videndo comprehendere, & *in quæst. ad Trinit.* quæ *to.* 2. habetur: videri, inquit, potest Deus per donum gratiæ siuè ab Angelis, siuè ab animabus Sanctorum: plenam verò diuinitatis naturam nec Angelus quilibet, nec Sanctus aliquis perfectè videre potest; ideoque incomprehensibilis dicitur Deus. Ex quibus verbis expressè colligitur cognitionē comprehensiuam esse intuitiua perfectiorem; quatenus non solum debet esse clara, & quidditatiua, sed etiam veluti vsque ad fundum exinanire, vt ita dicam, obiectum; ita vt remaneat intentionaliter exhaustum, & nihil circa illud facere reliquum sit. De comprehensione in hoc secundo sensu accepta nobis in præsenti agendum est, de qua disputant Theologi, cum D. Thom. *par. prima quæst.* 12. *art.* 7. qui supponentes ex communi scholasticorum consensu nullum intellectum siuè creatum, siuè creabilem eleuari diuinitus posse ad comprehendendum Deum, quærunt huius impotentiæ rationem. Verùm hæc non potest aliundè clarescere, quàm ex intelligentia essentiæ ipsius comprehensionis, cuius inuestigatio, sicut & intuitionis, etiam ad animasticum propriè spectat, quatenus de omni cognitione etiam ordinis naturalis explicare tenetur, num comprehensiua sit, an non? ideò eam pertractantes, non debemus existimari falcem in alienam messem inijcere. Sit igitur.

SECTIO PRIMA.

In quo nam essentia comprehensionis intellectualis posita sit.

2 HAEC difficultas maximè Theologorum ingenia torsit, qui vt ostenderent implicare contradictionem Deum ab alio intellectu, quam à proprio comprehendi posse, in assignanda essentia comprehensionis, in varias abiere sententias, quas omnes oportet expendere, vt, quæ sit nobis probabilior, statuamus.

3 Prima sententia potest esse asserentium, Cognitionem comprehensiuam esse illam, qua cognoscitur obiectum omni perfectissimo modo, quo potest cognosci. Verùm hæc sententia ab omnibus tanquam absurda reijcitur; ex ea enim sequeretur, quod incomprehensibilitas ab intellectu creato nō esset propria solius Dei, sed eam Deus haberet communem cum creaturis; siquidem nulla res creata nisi à solo Deo potest cognosci cognitione clarissima, & perfectissima omnium, quibus est cognoscibilis.

4 Secunda verò est illorum, qui docent, Tunc rem aliquam comprehendi, quando eius potentia causatiua secundum omnes gradus perfectionis, quos continet, expressè videtur. Supponunt enim quamlibet potentiam, siuè effectiuam, siuè receptiuam habere quosdam veluti gradus perfectionis, quorum beneficio suos effectus diuisim respiciat. sic dicunt materiam primam per primum gradum potentialitatis constitui aptam recipere formas elementorum: per secundum perfectiorem, formas mixtorum inanimatorum: per tertium item perfectiorem, formas animatorum &c. Et hoc posito aiunt tunc materiam comprehendi, quando eius potentia secundum omnes huiusmodi gradus, quos virtualitates appellant, clarè cognoscitur; & quia implicat omnipotentiam diuinam secundum omnes dictos gradus posse à creatura videri: ideò concludunt implicare Dei essentiam posse ab alio intellectu, quam à diuino comprehendi.

5 Verùm hæc sententia non est probabilis, confundit enim cognitionem comprehensiuam cum intuitiua; siquidem, vt in superiori disputatione probauimus, intuitiua debet cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in obiecto; ergo & om-

Digitized by Google

& omnes perfectionis gradus, quos in se formaliter continet. si igitur omnipotentia Dei non indiuisibiliter, sed diuisibiliter per diuersos gradus perfectionis suos effectus respicit, (quod puto falsum) necessariò sequitur omnes Beatos, qui Deum intuentur omnes huiusmodi gradus diuinæ omnipotentiæ clarè cognoscere: & per consequens illam comprehendere. quod aliqui putant hæreticum alij: verò mitius, temerarium.

6 Tertia sententia est docentium, Cognitionem comprehensiuam illam esse, quæ non solum ea, quæ formaliter sunt in obiecto, distinctè cognoscit, sed etiam omnia ea, quæ in eo virtualiter continetur, V. G. in Deo formaliter continentur essentia, attributa, & personalitates: virtualiter verò creaturæ, quas producendi virtutem in se habet; & quia intellectus creatus potest quidem eleuari ad cognoscendam essentiam, attributa, & personalitates; non verò ad cognoscendas distinctè omnes creaturas, quas Deus facere potest: hinc est, vt non possit Deum comprehendere; atque hoc videtur voluisse D. T. 1. *p. q.* 12. *art.* 8. dicens, quod siquis cognosceret omnia, quæ Deus potest facere, diuinam essentiam comprehenderet. *Et* 3. *p. qu.* 10. *art.* 1. *&* 2. vbi probat, animam Christi non videre omnia possibilia, aliter comprehenderet diuinam virtutem, & essentiam.

7 Sed neque hæc sententia videtur probabilis; nam comprehensiua cognitio debet perfectiori modo attingere obiectum, quam intuitiua, quæ versatur circa idem obiectum. sed in hac sententia id non haberetur. ergo &c. Maior est certa; alioquin non dixisset Augustinus supra citatus: Ad comprehensionem Dei necessarium esse plenam diuinitatis naturam perfectè videre, quod nulli spiritui Beato contingere potest. Minor verò suadetur, quia si per impossibile, vel per possibile visio beatifica, quæ defactò videt omnia, quæ sunt formaliter in Deo claritate V. G. vt centum; retinendo eandem claritatem, inciperet videre omnes creaturas possibiles: hæc iam esset per aduersarios comprehensiua, & tamen non attingeret Deum perfectiori modo, quam claritate vt centum, sicuti attingebat, quando erat intuitiua tantum. ergo si sufficeret ad rationem comprehensiuæ cognoscere omnia, quæ sunt in obiecto tum formaliter, tum virtualiter: sequeretur, quod eadem perfectione attingeret obiectum, qua intuitiua. Quod verò attinet ad D. T. rectè Caietanus ibi ait, eum à posteriori argumentatum fuisse, Deum comprehendi, si in eo omnia possibilia viderentur, eo quod perfectissimo modo secundum ea, quæ formaliter continet, penetraretur. Atque hic obiter notarem, quod Quiros *in sua cursu disp.* 97. *num.* 15. hanc sententiam profitetur amplecti; quam explicat per hoc, quod cognitio sit in esse intentionali totum, quod est obiectum in esse rei. Quoniam verò difficultatibus pressus, ad alias sententias paulatim dilabitur: idcircò nulla peculiari impugnatione illum redarguendum censeo.

8 Dicunt alij quartò: Ad comprehensionem non sufficere videre tum ea omnia, quæ formaliter sunt in obiecto, tum etiam omnia, quæ in eo virtualiter continentur sinè vlla connexione, & dependentia; sed præterea requiri, vt virtualiter contenta videantur ex vi eorum, quæ formaliter in obiecto conspiciuntur. Porrò hoc absque eo quod perfectiori modo attingatur obiectum à comprehensiua cognitione, quam ab intuitiua tantum, intelligi nequit.

Contra hanc sententiam facit: quia visio 9
eorum omnium, quæ virtualiter continentur in obiecto, oritur ex eo, quod obiectum perfectissimè penetretur, veluti proprietas ab essentia rei, cuius est proprietas. ergo per prius habetur obiecti comprehensio, quam visio eorum, quæ in eo virtualiter continentur ex vi visionis formaliter contentorum. malè igitur asseritur, quod essentia comprehensionis partialiter includat visionem omnium, quæ virtualiter continentur in obiecto; etiam si ponatur haberi ex vi visionis formaliter in eo contentorum. Quod si dicas totam comprehensionis essentiam consummari quidem in visione eorum, quæ formaliter continentur, non quacumque, sed illa, quæ habeat vim inducendi, tanquam quid consequens, visionem omnium, quæ virtualiter continentur, benè dicis. Sed contra hoc solum facit, quia si posset vlterius explicari, in quo nam hæc vis posita sit, vtique deberet; sed potest, vt ex dicendis patebit, ergo &c.

Quinta est Recupiti *in primam partem lib. sexti quæst.* 40. vbi docet, Comprehensionis essentiam consistere in eo, quod sit cognitio adæquans cognoscibilitatem obiecti. Porrò duplicem cognoscibilitatem posse nos in quolibet obiecto distinguere, extensiuam, & intensiuam. Priorem constituunt omnia prædicata, quæ sunt in obiecto. Posterior verò sumitur per ordinem ad abstractionem à materia, quia quò res est magis abstracta à materia, eò est actualior, atque adeò intelligibilior. ex quo principio colligit implicare, Deum posse per creatam cognitionem comprehendi, quatenus implicat huiusmodi cognitionem adæquare cognoscibilitatem intensiuam Dei, alioquin posset habere rationem actus puri: esto quod non implicet adæquare extensiuam. 10

Sed neque hæc explicatio satisfacit: quia 11
si hæc duplex adæquatio ad perfectam comprehensionem sufficeret: sequeretur, quod infimus Angelus summi substantiam comprehenderet; sed hoc videtur absurdum; ergo &c. Minor patet, quia comprehensio est quædam obiecti conclusio, seù circumscriptio intellectualis; repugnat autem id, quod est maius concludi, & circumscribi ab eo, quod est minus; & ita sentiunt communiter. sequela verò maioris suadetur, quia ex vna parte Angelus infimus cognoscit intuitiuè omnia ordinis naturalis, quæ sunt in supremo, exceptis secretis cordis, quorum cognitionem ad comprehensionem causæ liberæ non esse necessariam patet ex eo, quia alioquin neq; supremus Angelus comprehenderet infimum, vt patet: ex alia verò parte

infimus

verò parte infimus est in eodem gradu abstractionis cum substantia supremi, vel alias vidimus; ergo si duo hæc ad comprehensionem sufficerent, iam infimus Angelus supremum comprehenderet.

12 Sexta est aliorum asserentium ad comprehensionem alicuius rei, præter cognitionem intuitiuam eorum omnium, quæ in ea formaliter continentur, requiri etiam vt huiusmodi cognitio procedat à principio æque perfecto, seu non minus perfecto, ac sit ipsa res.

13 Sed contra hanc explicationem facit primò: quia si hoc esset, nunquam vna anima extra corpus posset cognoscere intuitiuè tantum aliam; sed per hoc præcisè, quod illam intueretur, deberet eam necessario comprehendere, eo quod supponitur esse æque perfecta ac illa; sed hoc videtur absurdum; & rectè id quidem, nam comprehensio est specialis quædam perfectio, quæ intrinsecè tanquam prædicatum essentiale cognitioni comprehensiuæ competere debet; atqui perfectio principij intellectiui est illi extrinseca, & accidentalis, nam potest saltem diuinitus ea carere, ergo &c.

14 Contra etiam est secundo, quia potest principium æque perfectum, ac est obiectum, non adhibere in cognoscendo totum conatum, qui necessarius est ad cõprehensionẽ illius vel quia non vult vel quia distrahitur ad alia cognoscẽda sed in hoc casu etiã si intueretur ônia, quæ sunt in obiecto, non cõprehenderet illud ergo &c. Neque dicas quod si daretur cognitio, quæ esset in eodem gradu abstractionis, in quo est Deus, ipsum cõprehenderet. ergo à pari, nego enim consequentiam: disparitas est, quia gradus abstractionis, in quo est Deus, importat rationem actus puri, atque adeo omnem perfectionem imaginabilem in claritate cognitioni affert. at gradus abstractionis, in quo est Angelus V. G. multum de potentialitate includit, & sic non affert necessario cognitioni omnem claritatem, quam exigit obiectum, vt perfectè cognoscatur, quia quando dicitur, quod cognitio comprehensiua præter intuitionem omnium, quæ formaliter sunt in obiecto, debet procedere à principio æque perfecto, ac est obiectum, vel fermè est de principio, quod se habet vt causa principalis dictæ cognitionis; vel de principio quod se habet vt causa instrumentalis. Neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet, minor probatur, quia si dicatur primum sequitur, quod Deus ab omni intellectu creato eleuato per lumen gloriæ iam comprehenderetur, quia ita omnes Beati vident omnia, quæ formaliter continentur in Deo, vt respectu huius visionis principium, quod se habet vt causa principalis eleuans intellectum eorum, sit ipse Deus, qui cum sit etiam dictæ visionis obiectum, rectè deducitur, quod principiũ principale illius sit æque perfectum, ac est obiectum: sin autem eligatur secundum: inde sequitur non posse supremum Angelum comprehendere infimum ex suppositione, quod intellectus illius ab eius substantia nemine cogitante distinguitur; sed hoc est absurdum, vt communiter etiam asseritur. ergo &c. sequelam maioris euinco, quia, facta hypothesi distinctionis saltem de possibili, quam non implicare satis probabile videtur, intellectus supremi se haberet vt causa instrumentalis respectu cuiuscunque intellectionis illius. sed esset accidens, atque adeo multo minus perfectus, quam infimus Angelus. ergo iam nequiret supremus Angelus infimum comprehendere. Quod si D. Tho. citatus ab Arriaga *disput. 6. de anima num.* 130. requirere videtur ad comprehensionem, vt sit cognitio orta à principio tam perfecto, quam sit obiectum comprehensum, exponendus est, quod non loquatur formaliter sed remotè, & radicaliter; cum enim cognitio, vt sit comprehensiua, debeat tanta perfectione cognoscere obiectum, quanta ipsum exigit cognosci, vt dicemus; rectè deducitur, quod principium illius debeat esse tã perfectum, quam est obiectum cognitum, hæc igitur æqualitas, non formaliter à comprehensione requiritur, sed solum remotè, & radicaliter. quare si per impossibile supponamus cognitionem totaliter correspondentem intelligibilitati obiecti posse à principio minus perfecto, quam sit obiectum, procedere: vtique erit comprehensiua.

15 Septima sententia est eorum, qui dicunt comprehensionem esse illam cognitionem, quæ attingit omnia, quæ sunt in obiecto eo modo, quo in eo sunt; ita vt si obiectum sit talis naturæ, vt absque vlla mutatione physica possit habere, vel non habere actum aliquem Intellectus, ac voluntatis, ita cognitio comprehensiua illius debeat esse talis, vt absque vlla intrinseca variatione possit esse, & non esse cognitia talium actuum, esse quidem, posito quod sint in obiecto, non esse autem posito, quod non sint: huic autem principio nixi huius sententiæ auctores concludunt, Deum non posse ab vllo intellectu creato, sed à suo tantum comprehendi; eo quod ita se habet, vt sicuti absque vlla sui reali mutatione potest carere omnibus actibus liberis, tum intellectus, tum voluntatis, quos de facto habet, & aliis illis, è diametro oppositos habere; ita absque vlla suæ cognitionis reali mutatione potuisset nõ cognoscere esse illos actus liberos, quos habet, & alios illis oppositos cognoscere. Contra verò implicat contradictionem dari cognitionem creatam, quæ ita dictos actus liberos intueatur, vt potuerit sine vlla sui reali mutatione illos non intueri, sed alteri oppositos: ergo à suo intellectu Deus comprehenditur, à creato implicat, vt comprehendatur.

16 Verum ego huic sententiæ, quam subtilem appellat Ouiedus *controu. 6. punct.* 5. §. 2. acquiescere nequeo. Primò, quia non desunt auctores, qui tenent per eandem numero visionem beatam realiter intrinsecè inuariatam posse Beatos modo has, modo illas creaturas in Verbo videre. Porrò iuxta horum sententiam euidenter sequitur, posse Deum ab intellectu creato comprehendi, quia non implicat creata intellectio, quæ ita videat omnia, quæ sunt in Deo, vt actus Dei liberos, quos de facto videt, absque vlla physica sui mutatione non videret, casu quo non essent in Deo. sed videat oppositos, si essent oppositi.

Digitized by Google

17 Secundò eandem opinionem impugno: quia vel supponit actus Dei liberos esse totaliter illi intrinsecos, vel partim intrinsecos, partim extrinsecos: si primum, supponunt alij in rebus creatis dari posse formalitates quasdam defectibiles realiter cum illis identificatas, vt relationem prædicamentalem, totaliter identificatam, cum suo fundamento, quæ, pereunte termino, formaliter pereat, licet nil realiter in fundamento corrumpatur. ergo etiam iuxta horum sententiam defendi potest, quod Deus sit ab intellectu creato comprehensibilis, si vera esset comprehensionis explicatio, quam impugnamus.

Hæc autem consequentia, sicuti & præcedens censenda est absurda; quia assertiones, in quibus omnes Catholici conueniunt, non debent peculiaribus quibusdam principijs, quæ negantur ab alijs, suaderi.

18 Sin autem supponat, actus Dei liberos in ratione liberi importare, præter actum necessarium, aliquod extrinsecè connotatum contingens: etiam causa efficiens in ratione actu causantis præter suum actum primum importat influxum in effectum, tanquam aliquid extrinsecè connotatum itidem contingens, quare si ex eo, quod non possit creata cognitio intrinsecè immutata, non cognoscere hos actus Dei liberos, quos defactò cognoscit ex suppositione, quod non essent, & cognoscere alios, quos non cognoscit ex suppositione, quod essent: rectè deduceretur, non posse Deum ab intellectu creato comprehendi: rectè etiam deberet deduci, neque ab eodem intellectu vllam causam creatam comprehendi posse: militat enim eadem ratio; nam etiam implicat, quod creata cognitio ita cognoscat causam secundam actu causantem ex suppositione, quod actu causet, vt intrinsecè immutata cognoscat illam non actu causantem, ex suppositione, quod actu non causaret, & è contra; sed hoc est manifestè falsum, ergo &c.

19 Impugnatur denique tertiò eadem sententia, quia ex ea sequeretur, quod omnis cognitio intuitiua creata obiecti creati esset comprehensiua; nam cognosceret omnia, quæ sunt in obiecto creato eo modo, quo in eo sunt, nam sicuti implicaret, quod obiectum creatum inciperet identificari indiuisibiliter cum aliquo, cum quo prius non identificabatur, & distingui ab eo, cum quo prius identificabatur: ita implicaret, quod illa numero cognitio inciperet cognoscere aliquid in obiecto, quod prius non cognoscebat, & desineret cognoscere in eo id, quod prius cognoscebat.

20 Octaua denique sententia est asserentium, ad perfectam comprehensionem requiri cognitionem, quæ non solum sit cognoscitiua omnium, quæ sunt in obiecto, sed etiam sit proportionata obiecto: secundum quod intelligibile est, quod significauit Augustinus *lib. 83. quæst. q. 14.* Quod comprehenditur, inquiens, finitur à comprehendente, hoc est adæquatur, vt explicat D. T. Vndè infertur: proportionem inter cognitionem, & obiectum cognitum debere esse Arithmeticam, & non Geometricam tantum. Porrò in explicanda huiusmodi proportione, non conueniunt huius sententiæ auctores. Ioseph Augustinus *to. prima in primam partem qu. 12. art. 7. difficul. 2* dicit consistere in claritate commensurata exigentiæ obiecti. Alij, quod obiectum cognoscatur, quantum intrinsecè cognoscibile est. Alij denique, quod cognoscatur, quantum petit cognosci. Displicent hæ omnes explicationes Arriagæ *disp. 13. de Deo scib. 1.* quia, inquit, quælibet creatura est cognoscibilis à Deo, & exigit ab eo cognosci per suam clarissimam cognitionem, quam habet, quascunque ab eo liberè creabilis est. ergo solus Deus posset creaturam comprehendere; & sic incomprehensibilitas ab intellectu creato non esset propria, solius Dei. Vndè ipse concludit dictam proportionem consistere in eo, quod cognitio illa procedat à principio æquè perfecto, ac est obiectum ipsum. quam sententiam nos supra reiecimus.

Quiedus *loco citato* §. 1. *num* 6. negat Arriagæ, creaturas exigere ex se cognosci cognitione infinita; quamuis enim, inquit, diuina cognitio hac perfectione prædita sit, illam tamen ex obiecto minimè desumit, sed à principio cognoscente, quod cum sit actus purus, omnem perfectionem possibilem illi communicat. Sed dicere posse Arriaga: aliud esse obiectum tribuere cognitioni perfectionem infinitam: aliud verò in ea dictam perfectionem exigere. Porrò vt creatura exigat diuina cognitione cognosci, non esse necessarium primum, sed secundum, vt patet ex spiritualitate eiusdem cognitionis. Propterea Quiedus hac responsione minimè contentus addidit aliam: nimirum, quod licet creatura cum Dei infinita cognitione connectatur, non tamen immediatè, sed mediatè tantum connectitur, media videlicet omnipotentia, quæ cum non possit operari nisi liberè, necessariò exigit dirigi à diuina cognitione, & voluntate.

Sed contra est: quia non est maior ratio, cur creatura possit esse immediatè connexa cum omnipotentia, & non possit cum cognitione diuina. Quod autem sic cum ea connecti debeat, probatur, quia intantum immediatè connectitur cum omnipotentia, & mediatè cum cognitione, quia debet immediatè pendere à Deo tanquam à causa efficiente, operante per intellectum, & voluntatem, sed etiam exigit, vt Deus habeat circa se prouidentiam, ad quam habendam est necessaria in Deo omnipotentia: ergo secundum hanc considerabilitatem creatura immediatè connectitur cum diuina sapientia, & mediatè cum omnipotentia; nulla igitur in hoc potest esse disparitas. Linquo obiecta singula cognoscibilia non connecti necessariò cum potentia cognoscitiua.

Melius igitur ad rationem Arriagæ respondendum videtur, supponendo, verbum (exigo) inter cæteras significationes, quod ad rem nostram facit, duas habere, vt videre est apud Calepinum. vna est, rem aliquam iurè mihi debitam, peto: altera, rem aliquam conuenienter postulo: & prior quidem importat ius quoddam in exigente, posterior verò non ius, sed potius indigentiam, & egestatem in postulante, quæ petitionem conuenientem reddit. quo posito, distinguo illud antecedens: creatura exigit cognosci à Deo per suam clarissimam cognitionem.

Digitized by Google

tionem, ita vt habeat ius ad dictam cognitionem, nego; ita vt habeat maximam illius indigentiam, concedo. sed nego ex hoc sequi, solum Deum posse creaturam comprehendere. Ratio negationis est, quia quando dicitur, quod cognitio comprehensiua debet in claritate commensurari exigentiæ obiecti, vel cognoscere obiectum, quantum potest cognosci &c. hæc exigentia, & petitio importat in obiecto ius ad tantam claritatem determinatè acceptam; quod ius non habetur in creatura, vt clarissima Dei cognitione cognoscatur; sed benè habetur indigentia. Pro quæ rè meliùs intelligenda, sciendū: quodlibet ens creatum suam habere intelligibilitatem intrinsecam, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad alias substantias intellectuales. Intelligibilitas in ordine ad Deum fundatur in essentiali imperfectione ipsius creaturæ, quæ tanta est, vt nisi creatorem sicuti infinitè potentem, sic etiam infinitè sapientem haberet, qui posset de ea in quibuscunque circumstantijs occurrentibus prouidentiam gerere, malè se haberet, nec posset subsistere; at verò intelligibilitas in ordine ad reliquas substantias intellectuales creatas fundatur in perfectione ipsius creaturæ: est enim passio entis; nam quodlibet ens secundum perfectiorem rationem entitatis, quam includit, perfectiorem habet intelligibilitatem. Vnde fit, vt quilibet habeat ius tendendi sibi in cognitione, quæ eam comprehendere, & veluti exhaurire intellectualiter debet tantam, vel tantam perfectionem in claritate, quantam nisi habeat in actu secundo cognitio, non erit illius comprehensiua. Quoniam verò creatura, licet indigeat infinita Dei cognitione cognosci, non tamen habet ius ad huiusmodi infinitatem in propria perfectione fundatam, sed solum ad determinatam claritatem correspondentem, & adæquatam perfectionem, quam ipsa habet in se: ideò non sequitur, quod solus Deus possit creaturam comprehendere; neque quod incomprehensibilitatem Deus habeat cum omni creatura communem. Sic igitur hac Arriagæ oppugnatione contra octauam sententiam dissoluta

24 Nostra conclusio est cum dicta sententia. Putamus enim cognitionem comprehensiuam esse eam, quæ non solum cognoscit obiectum secundum vltimam determinationem, quam habet, & secundum omnia, quæ in eo formaliter sunt, sed etiam est eius iuri arithmeticè proportionata, nam videlicet perfecta in ratione cognitionis, quam est ipsum in ratione cognoscibilis. Porrò siuè hæc proportio explicetur per hoc, quod in claritate sit tanta, quanta obiecto debetur, siuè quod cognoscat illud, quantum cognoscibile est secundum claritatem, siuè quantum potis cognosci, posita nostra explicatione exigentiæ, perinde se habet. Non negauerim tamen hanc æqualitatem sumendam esse vt mensuram excludentem defectum in minus: non autem excessum in plus. quare obiectum, quod ratione perfectionis vt octo V. G. habet ius ad cognitionem claram vt octo, si cognitione clara vt decem cognoscatur, non ideò non dicetur comprehendi; quia dicta proportio tantum requiritur ad ostendendum, quod cognitio huius obiecti comprehensiua nequeat esse minus clara, quam vt octo, quidquid sit si clarior sit; tūc enim erit supra comprehensio illius obiecti. Assertio hoc modo explicata

Probatur, quia ex vna parte nulla alia explicatio comprehensionis assignabilis est, quæ rectè procedat: ex alia verò, hæc rectè comprehensionis naturam, atque essentiam declarat. ergo hæc reliquis præferenda est. Prior pars huius argumenti patet ex dictis; posterior verò suadetur ex eo, quia comprehensio debet esse cognitio adæquata obiecti intelligibili, quâ intelligibile est, cum igitur obiectum non solum sit intellegibile quidditatiuè, & secundum omnia, sed etiam, vt videmus, certam quandam claritatem in cognitione exigat, vt perfectè intelligatur: sequitur, quod explicatio comprehensionis à nobis tradita, in qua ista omnia continentur, rectè eius naturam, & essentiam manifestet. 25

Confirmatur, quia ex hac comprehensionis explicatione rectè deducitur implicare contradictionem, Deum comprehendi posse per cognitionem creatam quantumuis supernaturalem, & actu infinitam in perfectione, siuè etiam in intensione. Quod hoc discursu concluditur: Quò obiectum est nobilius in perfectione, & cognoscibilitate sua intrinseca, eò nobiliorem cognitionem in claritate requirit, vt comprehendatur. sed Deus est infinitus in omni genere, & habet perfectionem, & cognoscibilitatem actus puri; implicat autem haberi à creatura tantam perfectionem in claritate, quantumuis sit infinitè perfecta, & in supremo ordine supernaturali possibili constituta: ergo implicat per creatam cognitionem quantumuis supernaturalem, & actu infinitam Deum comprehendi; benè tamen sequitur, quod à se ipso comprehendatur; quidem cognitio, qua se ipsum cognoscit, est eius cognoscibilitati commensurata; nec minorem perfectionem in claritate habet, quam ipse Deus habeat in se. sequitur etiam, quod Deus creaturas omnes super comprehendat; cognitio enim, qua illas cognoscit infinito excellit superat claritatem, qua ipsæ rationes propriæ perfectionis exigunt cognosci, vt de se manifestum est. 26

Quamvis hic tam rectè explicetur proportio inter cognitionem comprehensiuam, & obiectum per hoc, quod debeat esse talis, qualem exposcit obiectum; obiectum autem exposcit cognitionem summè perfectam, quam ipsum specificare, & ad quam vt obiectum mouere potest. 27

Respondeo negatiuè: primò, quia si cognitio comprehensiua esset summè perfecta, quam obiectum specificare, & ad quam mouere potest, sequeretur, quod diuina cognitio non esset comprehensiua Dei; sed hoc non est dicendum; ergo &c. Probo sequelam dupliciter, & primò quidem, quia intellectus diuinus propter summam perfectionem nihil accipere potest ab obiecto suo, sed totum habet ex se; ergo obiectum non specificat eius cognitionem, neque ad illam mouet. Secundò, quia specificatiuum, & motiuum debet distingui ex natura rei ab eo, quod specificatur, 28

Digitized by Google

ficatur, & mouetur; sed Deus non distinguitur ex natura rei à cognitione, qua se ipsum cognoscit; ergo respectu illius neque se habet vt specificatiuum, neque vt motiuum. si igitur comprehensio debet esse summè perfecta inter eas, quas obiectum specificare, & ad quas mouere potest, rectè deducitur, quod diuina cognitio non sit comprehensiua Dei. Linquo, ex eadem sententia rectè etiam deduci posse, quod neque dicta cognitio esset comprehensiua creaturarum; liquidem creaturæ diuinam cognitionem minimè specificant, neque intellectum diuinum ad eam mouent, vt patet.

29 Atque hic obiter aduerto malè Oniedum *puncto quinto citato num. 6.* hanc explicationem tribuere Arrubali *disput. citata, nimirum* 23. *num.* 13. & 14. his enim locis ne verbum quidem Arrubal de ea facit. nam *num.* 13. totus est in probando sententiam Thomistarum esse, quod cognitio comprehensiua non solum debet cognoscere omnia, quæ sunt in obiecto, sed etiam tanta intensione, & claritate, quantam exigit ipsum obiectum; *num. vero sequenti* ex propria sententia docet, cognitionem comprehensiuam esse illam, quæ est quidditatiua obiecti, & attingit omnia, quæ in eo sunt, nec non etiam est tam intensa in claritate, & euidentia, quã postulatur ab intelligibilitate obiecti, quæ est ipsissima nostra sententia.

SECTIO SECVNDA.

Obiectionibus fit satis.

30 OBijcies primo: quando dicitur, quod cognitio comprehensiua debet adæquare perfectionem, & cognoscibilitatem obiecti, vel est sermo de adæquatione in repræsentando, vel in essendo: neutrum dici potest, ergo &c. Minor probatur, non potest dici secundum, alioquin nullum obiectum substantiale esset comprehensibile ab vlla creatura, eo, quod omnis cognitio à creatura procedens est de genere qualitatis. neque primum: alioquin omnis cognitio intuitiua esset comprehensiua, quatenus omnis est expressiua omnium, quæ continentur formaliter in obiecto.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem; & dico: sermonem esse de adæquatione in repræsentando. ad probationem in contrarium, nego assumptum, quod nimirum omnis cognitio intuitiua esset comprehensiua, & ad eius confirmationem dico, vt cognitio sit adæquata obiecto in repræsentando, non sufficere, quod omnia, quæ in eo continentur formaliter, exprimat; sed præterea requiri vt exprimat illa cum tanta claritate, & euidentia, quanta exigunt exprimi, quod cum cognitio intuitiua vt sic non importet: hinc fit, falsum esse ex nostra sententia, sequentem huiusmodi cognitionem esse comprehensiuam.

31 Instabis: ex hac responsione sequi, posse Angelum diuinitus eleuari ad comprehendendum Deum; sed hoc est absurdum; ergo &c. sequelam probo: etiam si Angelus inferior suis viribus non possit elicere cognitionem, quæ adæquet in repræsentando superiorem Angelum adæquatione modo dicto: potest tamen illam elicere eleuatus à Deo; ergo licet creatura non possit suis viribus comprehendere Deum, posset tamen diuinitus ad hoc eleuari. Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. disparitas est, quia claritas atque perfectio, quam exigit in cognitione Angelus superior, vt comprehendatur, est ordinis creati, quam de facto habet cognitio, qua se ipsum comprehendit; at claritas, & perfectio, quam exigit in sui cognitione Deus, vt comprehendatur, est ordinis increati, qualem habet sola cognitio, qua Deus se ipsam comprehendit. eo quod tanta, & non minori claritate eius cognoscibilitas exigit cognosci, vt totaliter adæquetur, & explicetur. Porrò Deus potest sua omnipotentia eleuare causam inferiorem ad producendum effectum æque perfectum, ac producit causa superior non autem potest eleuare creaturam aliquam ad producendam cognitionem æque perfectam, ac est propria cognitio.

Subinstabis: Deus per se ipsum producit 31
cognitionem adæquantem cognoscibilitatem sui ipsius; ergo idem poterit, si per se ipsam eleuet intellectum creatum. Consequentia probatur, non enim minus potest Deus simul cum creatura, quam se solo. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas est, quia cognitio, per quam, Deus se ipsum comprehendit, est actus purus, vnde non est mirum si adæquare valeat cognoscibilitatem essentiæ diuinæ: at cognitio, quam produceret eleuando intellectum creatum, esset potentialis, atque adeo infinitè distans à claritate, quam Dei cognoscibilitas exigit, vt comprehendatur. Ad probationem dico eam habere veritatem tantis paribus, casu quo vtraque cognitio esset potentialis: at in casu nostro, non ita se res habet.

Obijcies secundo: non minus requiritur æqualitas perfectionis ad videndum Deum, quam requiratur ad eundem comprehendendum; sed Deus in ordine ad visionem supplere potest defectũ creaturæ; ergo si comprehensio per æqualitatem perfectionis cum obiecto rectè explicaretur, posset Deus etiam supplere defectum creaturæ, & sic ab ea comprehendi, quod nemo dixerit.

Respondeo, distinguo maiorem: Non minus requiritur æqualitas perfectionis ad videndum Deum, quam ad eum comprehendendum; & eodem modo, nego; & diuerso modo, concedo; & concessa minore, nego consequentiam. diuersitas enim modi consistit in eo, quod visio Dei requirit æqualitatem perfectionis cum obiecto, vt connaturaliter eliciatur, eo quod modus cognoscendi connaturalis sequi debet modum essendi substantiæ creatæ, non autem modus cognoscendi miraculosus. at comprehensio requirit huiusmodi æqualitatem perfectionis cum obiecto, ad hoc vt ipsa secundum suam cognosciuitatem, Dei cognoscibilitatem explicet; atque adeo tanquam aliquid sibi essentiale pertinens ad rationem comprehensionis Dei, & non

conna-

Digitized by Google

connaturale tantum. quoniam verò Deus in connaturali modo operandi dispensare potest: hinc fit, vt etiam si visio Dei sit potentialis, & à principio potentiali procedat, possit diuinitùs attingere Deum per modum actus puri: Contra verò cum Deus in essentialibus prædicatis dispensare non valeat; hinc deducitur, quod non possit per absolutam suam potentiam facere, vt cognitio creata ipsum comprehendat.

34 Obijcies tertiò: si cognitio comprehensiua, in hoc intuitiuam excedit, quod sit tam perfecta in claritate, quam exigit obiectum: ponamus dari duos Angelos æquales quidem in virtute intelligendi, sed in perfectione substantiali inter se inæquales, nulla enim in hoc apparet implicantia. tum sic: inferior Angelus potest elicere naturaliter visionem superioris æque perfectam, ac elicit superior, videndo seipsum. sed visio, quam de se elicit superior, est comprehensiua. ergo si comprehensio in hoc intuitiuam excedit, vt habeat tantam claritatem, & perfectionem, quantam exigit obiectum in ratione intelligibilis, sequeretur, quod Angelus inferior comprehenderet superiorem, & quidem connaturaliter. quod nemo asserit.

Respondeo primò, negando suppositionem. puto enim implicare contradictionem dari duos Angelos in substantiali perfectione inæquales, & æquales in virtute intellectiua; & ratio est, quia substantia Angeli est formalissimè intellectiua; vnde si secundum excessum, quo superior Angelus substantialiter inferiorem excedit, illum in virtute intellectiua minimè superaret: eius substantia secundum illum excessum considerata, esset, & non esset intellectiua, quod manifestam implicantiam inuoluit.

Respondeo secundò permittendo suppositionem, ad argumentum, concessa maiore nego minorem. dico enim facta ea hypotesi, Angelum superiorem se ipsum comprehendere non posse, eo quod nequiret elicere cognitionem adeò perfectam in claritate, vt sui cognoscibilitatem adæquare valeret, quandoquidem in ratione obiecti intelligibilis esset magis perfectus, quam in ratione principij intellectiui, ex quo sequitur, quod neque Angelus inferior illum comprehendere posset; implicat enim quod aliqua substantia intellectualis exigat connaturaliter vim cognoscitiuam habere, excedentem proprim essentiæ perfectionem; cum quo tamen stat, quod sicuti inferior posset in tali casu comprehendere se ipsum, ita etiam posset illum comprehendere superior, quatenus vterque cognitionem adæquantem in claritate cognoscibilitatem obiecti elicere valeret.

35 Obijcies quartò: si ad comprehensionem arithmetica proportio explicata necessaria esset, nō haberet veritatem doctrina, quam Augustinus epist. 112. tradit, dicens, quod tunc obiectum comprehenditur, quando ita videtur, vt nihil eius lateat videntem; sed hoc non est dicendū ergo &c. Respondeo huic rationi dubitandi satis fecisse D. T. 3. q. 12. art. 7. his verbis, quæ nostram sententiam valdè dilucidant: Ad secundum dicendum: quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit, quod non videatur, sed quia non ita perfectè videtur, sicuti visibilis est. vnde Augustinus definiendo comprehensionem dicit, quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat uidentem, aut cuius fines circumspici vel, circumscribi possunt; tunc enim fines alicuius circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem peruenitur. Hæc ille ex quo deducitur dictum Augustini, vt vim definitionis habeat, debere ita explicari, vt nihil obiecti, quod comprehenditur lateat videntem, non solum quo ad rem cognitam, sed etiam quo ad modum cognoscendi, ita vt cognoscatur tanta perfectione in claritate, quanta exigit cognosci.

SECTIO TERTIA.

An implicet Contradictionem per creatam visionem videri in Deo omnia possibilia.

36 QVamuis hæc quæstio propriè Theologica sit, quia tamen occasionem præbet nostram de comprehensione sententiam exactius explicandi, eam ex Theologis mutuam accipimus. Pro cuius decisione.

37 Conclusionem statuimus affirmatiuam, quam docet D. T. bis qu. 12. art. 8. cum Thomistis, præterea Scotus in 3. dist. 14. qu. 2. S. Bonau. qu. 3. art. 2. Riccardus art. 2. qu. 3. & ex nostris Granada in p. p. tract. 8. disput. 1. sect. 1. Suarez in 3. p. tom. 1. disp. 2. sect. 3. Recupitus lib. 6. qu. 37. cum alijs contra Arriagam disp. 13. sect. 1. & 3. & alios Recentiores.

38 Probatur conclusio primò ab Hurtado disp. 10. de anima sect. 3. n. 4. sic: implicat visionem beatam habere se ipsam pro obiecto. ergo implicat cognoscere omnia possibilia. Consequentia patet, quia inter hæc ipsa visio numerari debet: antecedens probatur, quia omnis cognitio causatur a suo obiecto; sed implicat aliquid causare se ipsum. ergo implicat visionem beatam habere se ipsam pro obiecto.

39 Ad hoc respondeo cum Arriaga, negando antecedens, & ad eius probationem dicendo, quod tunc obiectum causat cognitionem sui, quando vel immediatè concurrit ad illam, vel mediante specie à se producta; at si cognoscatur ex vi causæ, vt euenit in casu nostro, falsum est, quod causet cognitionem sui. Neque dicas quando cognoscitur effectus in causa, causam esse substiturum sui effectus in ordine ad dictam cognitionem, in quantum causa continet perfectionem illius; atque adeò etiam in tali casu effectum causare cognitionem sui: Ne id dicas, inquam, quia sic omnis causa dici posset substiturum sui effectus in ordine ad causandum illum pro statu reali, eo quod eius perfectionem contineat. Quod si hoc neges, assignando pro ratione, quod effectus non exigit concurrere ad sui productionem, quia sic exigeret esse causa sui ipsius; sic dicam ego, cognitionem illam, quæ seipsam habet pro ob-

ecto

cto partiali, propter eandem rationem non exigere concurrere efficienter ad productionem sui.

40 Probatur secundò ab aliis apud Arriagam, *disput. 5. subsect. 2.* si huiusmodi visio omnium creaturarum in Deo daretur, sequeretur, quod semel producta, nunquam diuinitùs annihilari posset; sed hoc implicat; ergo &c. Probatur sequela, quia inter omnia possibilia daretur cognitio aliqua supernaturalis, quæ de alia priore cognitione, vidente omnia in Deo, crederet hanc cognitionem esse per totam æternitatem duraturam; sed cognitio supernaturalis non posset esse falsa, eo quod essentialiter illi competat veritas. ergo prior illa cognitio cum veritatem videret, se esse per totam æternitatem duraturam; ergo implicaret eius contrarium.

41 Sed contra hanc rationem facit, quia ex veritate, quæ essentialiter competit actui possibili, non benè infertur existentia actualis obiecti; alioquin de eodem obiecto nunc simul duo contradictoria verificarentur, quia de eodem dantur actus possibiles contradictorij essentialiter veri, quorum unus dicat, hoc obiectum est æterno tempore duraturum; alter verò dicat, non est æterno tempore duraturum. Porrò ex veritate horum actuum solum infertur possibile esse obiectum illud, de quo enunciant verumque habere, hoc est, æterno tempore durare, & non durare æterno tempore: in quo nulla est repugnantia, quòd à cognitione vidente omnia possibilia in Deo, de se cognoscatur. at verò si dicta cognitio videret actum supernaturalem existentem, qui asseveret per totam æternitatem duraturum, constat eam tunc fore de hoc certam, neque deinceps annihilari posse. Verùm qui negant posse dari creaturam ex suis intrinsecis diuinitùs indestruibilem, dicunt hanc cognitionem videntem in Deo omnia possibilia, certificari non posse de existentia dictæ cognitionis supernaturalis, eius æternitatem enuntiantis, vel si certificentur; eam ex suis intrinsecis non fore essentialiter cum dicta cognitione connexam.

Tertia probatio aliorum sic procedit: si daretur 42 cognitio omnium possibilium in Deo, hæc deberet desumere suam perfectionem ab illis; sed hoc implicat; ergo &c. Maior patet, quia cæteris paribus eò perfectior est visio, quò plura possibilia videt in Deo. Minor verò probatur, quia cum in ea collectione non sit creatura omnium perfectissima, vt supponimus, iam non erit in ea determinata perfectio, sed indeterminata. ergo implicat quod illa cognitio sumat ab ea suam perfectionem, quæ nequit esse vaga, sed de necessitate debet esse determinata, non solùm in specie, sed etiam in individuo; quatenus hæc cognitio est individua. ergo &c.

Verùm neque hæc ratio procedit primò, quia 43 si quid probaret, conuinceret Christum Dominum non videre in Verbo futura omnia extitura per totam æternitatem, quæ procul dubio sunt infinita. item quod neque fieri posset vlla propositio, habens pro obiecto omnia possibilia; vtrumque autem est contra communem sensum Doctorum. Secundò, quia responderi potest ad argumentum, data sequela, negando minorem, & ad eius probationem asseri, dupliciter aliquid posse dici indeterminatum; primò, ex eo, quod non habeat terminum. secundò ex eo quod sit vagum quid, & non potius hoc, quam aliud. iam verò perfectionem omnium possibilium habere quidem primam indeterminationem, quia caret termino; sed non habere secundam, quia hæc non est quid reale; sed se tenet ex parte nostri intellectus, imperfectè concipientis non magis hoc, aut duiduum, quam illud; collectionem autem omnium possibilium esse quid designabile vt hoc aliquid determinatum, ex qua si vnam creaturam de nouo ponas, vel tollas, non erit eadem quæ antea. quod autem sit determinatum posse dare determinatam perfectionem cognitioni circa ipsam verum, patet ex Deo, qui licet sit infinitus in omni genere, perfectionem tamen determinatam tribuit visioni beatæ.

Quartò probatur ex Scoto *in 3. dist. 14. quæst.* 44 sic: implicat finitam virtutem adæquari infinitæ; sed hoc eueniret si intellectus creatus omnia possibilia in Deo posset attingere, ergo &c. Maior patet. minor probatur, quia infinitum est obiectum adæquatum solius infinitæ virtutis. ergo si virtus finita, qualis est creata, posset infinitum attingere, iam illi adæquaretur.

Sed neque hoc vrget, nam quando dicitur, 45 quod omnia possibilia in Deo sint obiectum adæquatum solius virtutis visiuæ infinitæ. Respondeti potest quod licet hoc sit verum, agendo de virtute visiua, quæ connaturaliter suum obiectum adæquatum attingit: falsum tamen est de virtute visiua, quæ vt elevata, obedientialiter hoc exequitur; hæc enim, quia agit in virtute elevantis, quantumuis finita, potest visionem efficere, habentem pro obiecto adæquato omnia possibilia in Deo.

Quintò denique probatur a Thomistis, quia, 46 sequeretur quod visio illa esset infinita; sed infinitum implicat in rebus creatis; ergo &c. Probant sequelam, quia quò plures in Deo videntur creaturæ, eò visio est perfectior. ergo si infinitæ, visio erit infinita. Displicet Arriagæ sequela; putat enim per cognitionem finitam posse in Deo omnia possibilia videri, quod probat *disput. 13. sect. 5.* triplici argumento. Primum ponit *subsect. 3.* sic: in sententia Thomistarum Christus Dominus per visionem finitam videt in Verbo omnes creaturas futuras, quæ sunt infinitæ; ergo ex eo quòd visio videat infinita, non sequitur, quod ipsa sit infinita.

Secundam verò ponit *in fine subsect. 4.* sic: hæc 47 visio, licet in Deo omnia possibilia cognoscat, potest tamen excedi in perfectione. ergo hæc non erat infinita. consequentia patet in veritate sententia, negante terminum infinito. antecedens probatur, quia hæc eadem visio potest perfici in claritate per additionem gradus ad gradum; nam supponimus per suam indiuisibilem individuationem ad omnia terminari propter omnimodam homogeneitatem graduum.

Denique Tertium ponit *subsect. 6.* sic: visio 48 Christi Domini de creaturis futuris in Deo magis dicat in mea visione, quam habeo de albe-

dine,

dine, quam visio omnium possibilium à visione illa Christi Domini. sed visio Christi Domini non distat à mea infinitè, vt supponimus. ergo multò minus visio creaturarum omnium in Deo distabit infinitè à visione Christi Domini, sed finitè, atque adeò erit finita, licèt superioris ordinis, seù indiuidualiter heterogenea, indiuisibiliter respiciens omnia possibilia.

48 Sed ego oppositum existimo cum D. T. *hic art. septimo*, & alijs Thomistis. censeo enim cognitionem omnium possibilium in Deo necessariò debere esse infinitam in perfectione siuè intensiua siuè essentiali.

49 Probatur: quia quotiescumque datur aliqua entitas continens formaliter perfectiones maiores, & maiores finitè in infinitum, illa est actu infinita in perfectione; sed huiusmodi esset visio omnium possibilium in Deo; ergo &c. Maior probatur: quia nullum aliud indicium habemus asserendi potentiam Dei esse infinitam, nisi quia videmus, quod cæteris paribus plus est posse, facere duos effectus specie distinctos, quam vnum: & plus tres, quam duos: & sic in infinitum: ex quo deducimus, quod cum possit facere infinitos effectus, sit infinita. Neque putamus huiusmodi vim, perquam formaliter potest omnia, posse saluari per hoc, quod sit finita, sed superioris ordinis. idemque patet de merito Christi Domini, quod putamus infinitum categorematicè, eo quod formaliter plus, & plus in infinitum meruit. Hoc secundum iam probauimus contra Cardinalem de Lugo, cum de infinito. primum verò est contra quempiam dicentem, quod omnipotentia Dei intantum est infinita, in quantum identificat sibi omnes alias perfectiones, quæ sunt formaliter in Deo, quod non videtur probabile, ex eo enim rectè deduceretur Deum non esse infinitè perfectum in omni genere; hoc enim importat, quod tum in genere omnipotentiæ, tum in genere sapientiæ, tum in genere bonitatis sit infinitus, ita vt tot concipi possint in eo infinitates, quot genera perfectionum. esto, quod quatenus diuinæ sunt in vnam formalissimam perfectionem coeant, quæ omnibus distributiuè acceptis præscindentibus ab esse diuino æquiualeat, imò superemineat: in quo sensu si omnipotentia, & omnes aliæ perfectiones distributiuè acceptæ non haberent suam infinitatem, sequeretur, quod neque collectiuè sumptæ essent infinitæ; sed hoc non est dicendum, quia sic neque Deus ipse esset in se infinitus. ergo &c. sequelam probo, quia diuinæ perfectiones coalescunt ex essentia, & attributis, & si placet, relationibus. sed natura est vna, & attributa sunt numero finita, vt probat Suarez *prima parte lib. 2. de attributis cap. 22. num. 15.* Vasquez *ibid. disput. 10. num. 28.* & alij communiter: relationes verò sunt tantùm quatuor. sed rationes numero finitæ non possunt vnum quid infinitum constituere, vt patet; ergo &c. sic probata maiore argumenti, suadetur minor: visio omnium continet formaliter perfectionem visionis duarum creaturarum, & perfectionem visionis trium, & perfectionem visionis quatuor, & sic in infinitum, quæ quidem visiones ita se habent, vt vna sit perfectior altera. ex quo sequitur necessariò, quod ea sit infinita in perfectione. atque hoc siuè omnia possibilia videantur in Deo, siuè in se ipsis. nam pro vtraque visione militat eadem ratio contra Comptonum *disp. 20. sect. 2.* oppositum supponentem.

Dices primò cum eodem Comptono *ibidem* per visionem finitam potest videri Deus. ergo multo magis creaturæ omnes possibiles. Consequentia probatur, quia maior sinè comparatione est cumulus diuinæ perfectionis, quam creatæ; ergo &c. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, & eius distingo probationem. Maior est cumulus diuinæ perfectionis, & sub vna ratione formali indiuisibili indiuisibiliter videtur, concedo; diuisibiliter, nego antecedens; & consequentiam. infinitas enim Dei non potest videri per partes ita, vt vna visio videat vnam partem, alia aliam; si enim sic videretur, vtique visio totius conuinceretur infinita. cum autem necessariò videatur sub vnica ratione formali indiuisibili, de cuius visione probari nequeat continentia formalis plurium visionum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum: hinc fit, vt eius visio non sit infinita; ad eum planè modum quo neque potentia nostra intellectiua respiciens tanquam obiectum suum indiuisibiliter omne cognoscibile est infinita. contra verò infinitas creaturarum possibilium videri potest per partes; dari enim potest cognitio, quæ videat decem, alia verò perfectior, quæ videat vndecim, & sic in infinitum. Vnde benè infertur visionem omnium esse infinitam. 50

Dices secundò: quo obiectum est nobilius, eo visio, & amor versantes circa illud, nobiliores sunt; & tamen non sequitur actum charitatis erga Deum, & eius visionem, esse infinita. ergo neque ex eodem principio sequi debet, quod visio omnium in Deo sit infinita. Respondeo negando consequentiam. disparitas est, quia visio omnium continet formaliter perfectiones visionum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum, quibus plures, & plures creaturæ perfectiores in infinitum in Deo videri possunt; contra verò charitas, & visio Dei non continent formaliter perfectiones actuum, qui ad obiecta Deo inferiora terminari possunt; non enim visio Dei est formaliter visio lapidis, Leonis &c. sed est visio obiecti hæc continentis eminenter, & non formaliter; visio autem omnium est formaliter visio lapidis, Leonis &c. 51

Dices tertiò: voluntas largiendi infinitos aureos non habet meritum infinitum, licèt contineat formaliter meritum voluntatum largiendi plures, & plures aureos in infinitum. ergo neque visio omnium licèt formaliter contineat perfectiones actuum finitorum in infinitum circa omnia possibilia versantium. 52

Respondeo voluntatem largiendi infinitos aureos dupliciter supra infinitatem illam cadere posse: primò distinctè, quod eueniret, si 53

Digitized by Google

intellectus distinctè infinitatem illam ei repræsentaret. Secundò confusè per hoc, quod confusè illi repræsentetur ab intellectu. si primo modo dicta voluntas caderet supra infinitatem, dico quod haberet infinitum meritum, siquidem se haberet, sicuti visio omnium in Deo. at quia cadit supra illam secundo modo, censenda est finita, sicuti finita est cognitio, quæ versatur circa omnia possibilia confusè; eo quod ex vna parte non continet formaliter perfectiones cognitionum distinctarum, quæ haberi possunt de illis possibilibus finitè in infinitum; ex alia verò parte cognitiones confusæ non ita se habent, vt quo plura obiecta respiciant eo, perfectiores sint, quia non exprimunt obiecta secundum proprias rationes, in quibus disconueniunt, sed solum quatenus plura sunt, licet neque hoc aliquando repræsentent.

54 Dices quartò: si visio omnium esset infinita, vel esset infinita essentialiter, vel extensiuè, vel intensiuè: nullum ex his dici potest, ergo &c. Maior patet. Minor probatur: non essentialiter, quia essentialis infinitas soli Deo competit, non extensiuè, quia sic haberet plures partes: vnam, per quam attingeret vnam creaturam, aliam verò, per quam attingeret aliam in infinitum; atqui visio Dei supponitur indiuisibilis quo ad extensionem; ergo &c. neque denique intensiuè, quia per augmentum intensiuum non fit additio noui obiecti: aliter dicam ego, quod visio Petri faciat vnum intensiuè cum visione Pauli, quod nemo dixit. Respondeo concessa maiore, negando minorem, & ad eius probationem dici potest primò, huiusmodi visionem esse infinitam essentialiter, falsum enim est huiusmodi infinitatem soli Deo competere posse, vti nos, cum de infinito, probauimus; non enim quæcumque infinitas essentialis est propria Dei, sed illa, quæ est in omni genere perfectionis simpliciter simplicis. Dici etiam potest secundò infinitatem, quæ huiusmodi visioni competeret fore intensiuam, afferendo gradus visionis, & luminis heterogeneitatem quandam habere, ratione cuius primus ad has, secundus verò ad illas creaturas terminetur; in qua via non sequitur, quod visio Pauli, & Francisci in se ipsis faciant intensionem; quia quando cognoscuntur in se ipsis non attinguntur sub vnica ratione formali numerica, quemadmodum supponuntur attingi omnia possibilia in Deo.

55 Iam verò ad rationes Arriagæ, quas adduximus, responderi etiam facilè potest, & ad primam quidem, nego paritatem, quæ desumitur ex cognitione finita, quam habet Christus de infinitis futuris per totam æternitatem. disparitas est, quia huiusmodi infinita continentur inter cancellos quarundam specierum finitarum V. G. cognitionum, volitionum, motuum localium, & similium; quam continentiam excludere infinitatem à potentia huiusmodi infinita respiciente, patet ex omnibus causis secundis efficientibus, quarum vnaquæque, licet habeat vim producendi plura, & plura indiuidua in infinitum in certis quibusdam speciebus V. G. Ignis, calores, & siccitates: Sol generationes sublunarium finitè in infinitum: nulla tamen est actu infinita; eo quod dicta indiuidua sub vnica ratione formali respiciantur ab illis. contra verò infinita possibilia non solum materialiter, & secundum rationes indiuiduas, sed etiam formaliter secundum specificas habent infinitatem, quæ quidem infinitas sicuti est sufficiens ad infinitandam Dei omnipotentiam, à qua effici potest, ita & ad infinitandam cognitionem circa se versantem. Malè igitur Comptonus *loco citato numero nona* ex eo quod possunt infinita numero tantùm distincta videri visione finita, intulit posse videri infinitas species; quamuis enim supponamus dari inter illa indiuidua inæqualitatem indiuidualem, tamen sicuti ad ea producenda non requiritur infinita virtus, ita neque ad ea cognoscenda. contra verò ad omnia possibilia.

Ad secundam, in qua assumebatur, quod visio omnium in Deo possit excedi in perfectione: ex quo deducebat non esse infinitam, distinguo assumptum: potest excedi in perfectione in eodem genere, nego; in diuerso genere, concedo; & sic nego consequentiam; ad cuius probationem dico, quod posito, quod huiusmodi visio per suam indiuisibilem rationem virtualiter heterogeneam omnia in Deo cognosceret: si cresceret in intensione per additionem gradus ad gradum, non in genere in quo est infinita cresceret, sed in alio, in quo finita esse ponitur, id est in intensione formali. 56

Ad tertiam denique, in qua, ex eo quod magis distaret visio beata Christi à mea de hac albedine, quam à visione omnium possibilium, inferebat hanc visionem esse finitam. Respondeo, distinguendo maiorem: visio beata Christi magis distat à visione, quam habeo de albedine, quam à visione omnium possibilium, per distantiam intra propriam speciem, nego; per distantiam extra propriam speciem, concedo; & ad minorem dico, quod distantia quæ inter visionem Christi, & meam de albedine intercedit, habetur beneficio diuersitatis essentialis, quæ in vtroque extremo finita est; at verò distantia, quæ habetur inter beatam visionem Christi, & visionem omnium possibilium in Deo, non oritur ex diuersitate essentiali vt sic, sed ex infinitate alterius extremi. Vndè non benè infertur ex eo, quod hæ visiones minus distent essentialiter, quod non distent infinitè intra eandem speciem: sicuti ex eo quod duo ligna, quorum vnum est palmare, & alterum infinitè extensum minus distent, quam lignum palmare ab Angelo, non benè deducitur, quod si distantia inter lignum palmare, & Angelum est finita, quod etiam distantia inter lignum palmare, & lignum infinitum finita sit. 57

Atque ex his patet rationem ex infinitate cognitionis desumptã in se spectata tã habere veritatem, quia tamen ego existimo infinitum de potentia Dei non implicare, & etiam si implicaret, quod eodem modo infinitas cognitionis euinceret, non posse omnia possibilia videri 58

in

in Deo, at non posse in se ipsis; cum tamen visio omnium in Deo specialem difficultatem habere videatur. Ideò hæc quoque probatio ex infinitate desumpta insufficiens existimanda est ad concludendum, implicare contraditionem omnes creaturas possibiles in Deo videri posse. Melius igitur his rationibus prætermissis.

60 Probatur à nobis breuiter nostra Cõclusio sic. Si viderẽtur omnia possibilia in Deo: sequeretur Dei comprehensio non quidem formaliter, quasi verò huiusmodi visio sit de essentia comprehensionis Dei; sed tanquam à posteriori, quia est passio inseparabilis illius; atqui Dei comprehensio repugnat creaturæ, vti probauimus. ergo &c, Atque hæc est ratio, quam assignat D. Tho. *hic ar.* 8. his verbis: Ille intellectus potest in causa cognoscere omnes effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit; nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest. nullus igitur intellectus creatus videndo Deum potest cognoscere omnia, quæ Deus facit, vel potest facere; hoc enim esset comprehendere eius virtutem. Hoc idem docet 3. *par. qu.* 10. *art.* 2. vbi negat Christo cognitionem omnium possibilium in Verbo, eo quod hoc, inquit, esset comprehendere diuinam virtutem, & per consequens diuinam essentiam.

61 Quo posito, probatur sequela maioris nostri argumenti; Ratio, ob quam plura vel pauciora ex possibilibus videantur in Deo, est, quia perfectiùs vel imperfectiùs Deus ipse videtur, eo quod ex maiore, vel minore penetratione obiecti primarij; sequitur maior, vel minor cognitio secundarij simpliciter; ergo ratio, ob quam videantur omnia, erit, quia Deus perfectissimè, atque adeò comprehensiuè videatur. sicuti enim visio obiecti secundarij simpliciter prouenit ex visione simpliciter primarij: ita adæquata secundarij, non nisi ex adæquata primarij oriri debet.

62 Dices cum Hericio *pri. par. disput.* 4. *cap.* 4. *num.* 29. D. Tho. *locis citatis* agere de comprehensione extensiua, & imperfecta, quam putauit solùm defactò repugnare, non autem de possibili, quemadmodum repugnare voluit intensiuam consistentem in cognitione adæquante cognoscibilitatem obiecti.

Sed contra est primò, quia de ea comprehensione agit S. D. *art.* 8. *citato ex prima part.* quam *art.* 7. negauerat esse possibilem, sic enim ait ibi: nullus intellectus creatus totaliter Deũ comprehendere potest, vt ostensum est, vtique *art.* 7., sed ibi manifestè loquitur de comprehensione Dei intensiua. ergo & hic; vt constat etiam ex particula illa totaliter, quæ perfectam comprehensionem designat. Contra secundò, quia illam comprehensionem infert cognitio possibilium in Deo, quam negat D. Thom. *tertia parte loco citato* animæ Christi, sed illa, quam negat est intensiua, nam est illa, quæ implicat posse creaturæ concedi, alioqui si non implicaret, male dixisset non esse in Christo, quia possibilis non est; nam respondere potuisset aduersarius: non esse possibilem de lege ordinaria in cæteris Beatis, at defacto dari in Christo ratione vnionis hypostaticæ, quæ est supra omnem legem ordinariam. ergo &c.

SECTIO QVARTA.

Satisfit Argumentis nostræ rationi Contrarijs.

63 OBijcies primò: sicuti se habet amor omnium possibilium in Deo: ita, & cognitio eorumdem in illo; sed amor omnium in Deo non adæquat amabilitatem Dei. ergo neque cognitio omnium in illo eius cognoscibilitatem adæquabit. Respondeo dupliciter intelligi posse, quod omnia possibilia amentur in Deo: primò vt etiam videantur in Deo; secundo, vt non videantur, sed solum propter ipsum amentur. quo posito, distinguo maiorem, & si quidem sermo sit de amore omnium possibilium in Deo primò modo, concedo; sin autem de amore omnium in Deo secundo modo, nego maiorẽ; & ad minorẽ dico amorem omnium possibiliũ in Deo visorum adæquare arguitiuè amabilitatem Dei, sicuti adæquat eius cognoscibilitatem visio omnium, quam amor consequitur, & à qua in perfectione mensuratur. At verò amorem omnium possibilium in Deo, idest propter Deum, non adæquare amabilitatem Dei; eo quod bonitas Dei, quæ est motiuum formale amoris omnium propter Deum indiuisibiliter afficit totum id, quod pertinet ad Deum, neque ex eo quod plures creaturas amor attingat sequitur, quod sit perfectior eo, qui pauciores.

64 Instabis: Idem secundum ea, quæ formaliter, & eminenter continet potest videri clarius, & minus clarè. ergo etiam si Deus secundum omnia, quæ formaliter, & eminenter continet, cognosceretur, adhuc posset clariorem cognitionem exigere. Respondeo transeat antecedens, nego consequentiam, quia posito, quod obiectum secundum omnia, quæ eminenter, & formaliter continet, quis intuetur: iam eius cognoscibilitatem adæquat, illudque comprehendit. Vnde si clarius illud cognoscit, illa maior claritas non exigitur ab obiecto; sed impenditur vltra exigentiam à cognoscente, cuius beneficio dicitur obiectum illud supercomprehendi. Dixi transeat ad antecedens, quia videtur aliquibus, quod semper maior claritas aliquid aliud, vel directè, vel indirectè debeat facere videri, siue hoc sit res, siue modus rei. In qua sententia potest negari antecedens.

65 Obijcies secundò: Visis omnibus possibilibus in Deo quidditatiuè siue etiã intuitiuè, ad hoc possent per alia cognitionẽ videri eadẽ comprehensiuè. ergo hæc & non illa cognitio est cõprehensiua Dei. Respondeo cognitionẽ creaturæ in Deo non posse non esse comprehensiuam dictæ creaturæ, quia videtur ex vi luminis gloriæ; lumen autem, quod est proportionatum ad intuendum obiectum supremi ordinis, posito quod se extendat ad obiectum infimi, satis est ad comprehendẽdum illud. vnde est quod cognitio creaturæ in Deo ab Augustino dicitur matutina, in se verò vespertina, propter excessum perfectionis quem habet. Hæc doctrina potest limitari,

Digitized by Google

vt sit sermo de lege ordinaria propter decentiã status, & luminis, cum quo stat, quod diuinitus posset aliqua non esse comprehensiua, eo quod non attingeret omnes V. G. effectus possibiles; vel modos possibiles, quos habere posset creatura, quæ videtur in Verbo, in quo sensu negandi est consequentia, quia nimirum dum dicimus, quod si omnia possibilia cognoscantur in Deo, Deus comprehenditur, sensus est, quod debeant cognosci secundum omnes effectus, & modos possibiles, quos habere possunt; ita vt nihil penitus cognoscibile relinquatur, atque adeo quod comprehendantur.

66 Objicies tertiò: ad visionem omnium possibilium non requiritur maior infinitas, quam sit in obiecto; sed in obiecto, ideſt in omni possibili est sola infinitas creata; ergo per cognitionem creatam infinitam posset videri omne possibile in Deo; sed hæc non esset comprehensiua Dei, quia, creata; ergo &c.

Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem, in obiecto ideſt in omni possibili cognito in se ipso est sola infinitas creata, concedo: cognito in Deo: nego minorem; & sic nego consequentiam, quæ procedit in sensu negato. Quod si instes; ex eo quod cognitio vltra attingentiam omnis possibilis attingat Deum in se ipso, solum sequitur quod habeat perfectionem creatam super naturalem, quam habet quælibet visio creata Dei: Nego assumptum, quia attingentia Dei, quam habet huiusmodi visio, cum sit perfectissima, & adæquet visibilitatem Dei, diuinam perfectionem sibi vendicat.

67 Instabis: faciamus quod aliqua visio cognoscat omnia possibilia in Deo præter vnam creaturam: hæc non adæquaret cognoscibilitatem Dei, neque esset comprehensiua Dei, vt de se patet. ergo posito, quod non implicat infinitum creatum, huiusmodi visio esset dabilis. Respondent aliqui concedendo totum. Contra, quos facit; quia cognitio comprehensiua Dei debet à non comprehensiua infinitè distare in claritate, & perfectione intra genus cognitionis. Iam verò si horum responsio subsisteret, sequeretur, quod finitè solum distaret per visionem scilicet vnius creaturæ in Deo, quæ distantia cum sit finita; sequitur, quod perfectio, quã requireret cognitio Dei supra cognitionem illam in linea cognitionis, esset finita, atque adeo quod cognitio comprehensiua Dei à non comprehensiua finitè distaret.

68 Probatur ergo: huiusmodi visionem cognoscentem omnia possibilia in Deo, præter vnam creaturam, implicare etiam si infinitum creatum non implicet, eo quod ea admissa argueretur possibilitas cognitionis creatæ comprehensiuæ Dei; licet enim illa non esset comprehensiua, finitè tantum distaret à comprehensiua. ergo per augmentum finitum posset ad perfectionem comprehensiuæ peruenire, quia si creata perfectio sufficit ad intuendum in Deo omnia præter vnã: creata etiam sufficiet ad omnia simul cum illo vno videndum. nam perfectio, quæ requiritur ad hoc vnum, non potest exigere, quod sit in creata in se: ergo neque rationem increati afferre potest illi cognitioni, quam creatam perfectionem habere supponit. Eodem modo respondendum est ad argumentum desumptum ex cognitione possibilium, cum exclusione futurorum: vel ex cognitione dimidiæ, vel quartæ partis possibilium, quæ non essent comprehensiuæ, atque adeo admittendæ. dicendum enim, est huiusmodi cognitiones creatas implicare, eo quod includerent implicitè perfectionem increati, quæ consistit in eo, quod in nulla determinata parte, siue demum sit dimidia, siue quarta, siue vigesima &c. possit à creata perfectione adæquari; alias dicam ego dari posse potentiam creatam, quæ ad omnia factibilia præter vnum, vel ad dimidium, vel ad quartam partem omnium se extendere possit. quo quid absurdius?

Objicies quartò, si per impossibile omnes 69
creaturæ præter Gabrielem implicarent: Gabriel videndo se ipsum in Deo non comprehenderet Deum. ergo ex visione possibilium omnium non sequitur Dei comprehensio.

Respondeo: in sententia eorum, qui dicunt Deum esse essentialiter cum possibilitate creaturarum in particulari connexum, casu quo omnes creaturæ implicarent præter Gabrielem, sicuti esset alius Deus à præsenti, ita eius comprehensio dici posset, quod in cognitione solius Gabrielis in Deo posita esset. Melius tamen dicendum etiam in dicto casu Gabrielem non comprehendere Deum, quia tunc etiam sciret Deus cæteras creaturas implicare, & quantum esset ex se illas posse efficere, si non implicarent. Vnde etiam tunc ad Dei comprehensionem, omnium implicantium cognitio requireretur. Quemadmodum etiam nunc requiritur. Neque hinc deducas. ergo si quis nunc videret omnia possibilia in Deo dumtaxat, absque eo, quod videret hircoceruos, cæteraque, impossibilia Deum non comprehenderet; concessa enim hac conditionali, dico: eius purificationem implicare, quia supponit posse omnia possibilia in Deo cognosci absque cognitione impossibilium, cum enim cognitio illa sit comprehensiua possibilium, necesse est, vt pertingat omnes repugnantias essentiales, & implicantias, quæ ad dicta possibilia pertinent. Per quod patet responsio ad argumentum Comptoni, quod *disputatione citata sectione tertia* adducit ad probandum, quod siquis Deum, & omnia possibilia in eo videret, Deum non comprehenderet, eo quod non cognosceret impossibilia. aio enim, hanc rationem esse de subiecto non supponente, vti notauimus, Quod si viterius vrgeas, ergo qui nunc videt hominem in Deo, videt omnia impossibilia, atq; chymærica ex homine prouenientia: nego tibi consequentiam, cum ad hæc cognoscenda requiri debet cognitio aliorum extremorum realium, cum quibus si homo componeretur, impossibilia illa consurgerent.

Objicies quintò: ex eodem numero. Io- 70
co, quod cognoscantur omnia, quæ formaliter sunt in Deo, & ex vi horum videantur omnia possibilia, solum sequitur, quod extensiuè tantum Deus cognoscatur, quantum cognoscibilis est. sed ad comprehensionem requiritur etiã,

quod

quod cognoscatur, quantùm cognoscibilis est intensiuè, ergo Deus minimè comprehenderetur. Minor patet ex D. Tho. *prima parte quæst. 12. art. 7.* vbi ait, quod licèt omnia, quæ in obiecto sunt cognoscantur, si tamen non tam perfectè cognoscantur, atque obiectum petit, non comprehenditur obiectum illud: sequela verò maioris probatur, quia cognitio illa adhuc posset esse potentialis. atque adeo non esset tàm perfecta in claritate, quàm exigit ipse Deus, qui est actus purus.

Respondeo, negando sequelam maioris, cum sua probatione. dico enim, quod visio omnium possibilium modo dicto in Deo, licet non pertineat intrinsecè in Dei comprehensionem, est tamen signum infrangibile illius, eo quod arguit tanta claritate, ea, quæ in Deo continentur formaliter, cognosci: quantam exigunt, ad hoc vt eorum cognoscibilitas expleatur; atque adeo, quòd cognoscantur per cognitionem, quæ habeat claritatem propriam actus puri excludentem omnem potentialitatem, quæ de se semper cum aliquali obscuritate coniuncta est. Dictum verò D. T. ex prima parte adductum vel intelligendum est de cognitione omnium, quæ sunt formaliter tantum in obiecto; vel si etiam de his, quæ sunt in eo virtualiter: loquitur conditionatè, & ex suppositione, quod non cognoscantur tam perfectè, quàm petit obiectum: tunc enim verum est, quod dicta cognitio non esset comprehensiua obiecti; sed alibi expressè docet huiusmodi hypothesim impossibilem, & implicatoriam esse in subiecta materia, vti vidimus supra.

DISPVTATIO VIGESIMA QVINTA

DE VERITATE, ET FALSITATE Intellectionis.

1 VEritas duplex est. Altera transcendentalis. Altera formalis. Prior pertinet ad metaphysicum, posterior ad animasticum, cuius partes agimus, consistit enim in conformitate cognitionis intellectualis cum obiecto, non quidem secundum esse physicum, sed secundum esse intentionale, ita vt illud exprimat, & repræsentet sicuti est in se; & è contrario falsitas, in difformitate intentionali cognitionis intellectualis ab eodem obiecto. Quamuis enim Logicus de veritate, & falsitate propositionum agat: hoc facit per accidens; vt ostendat logicam esse artem, cuius præceptis quoties intellectus operationes conformantur, veritatem infallibiliter consequitur. Cæterum agere de veritate, & falsitate formali per se ad solum Animasticum pertinet.

SECTIO PRIMA.

An veritas, & falsitas formalis sint relationes.

2 COnclusio est negatiua, & communis. Censetur tamen esse contra Vasquez *prima parte disput. 76. cap. secundo*, vbi asserit veritatem, & falsitatem formalem esse relationem rationis, cuius beneficio vera cognitio concipitur suo obiecto conformis; falsa verò difformis. & licet aliqui hunc auctorem defendant, dicentes in eius sententia nomine relationis rationis, vel intelligi eius proximum fundamentum, vel denominationem extrinsecam; nos tamen recidimus in præsentia verba illius, vti sonant, sicuti plures ex sectatoribus eius fecerunt, est etiam conclusio contra alios citatos à Suarez *disput. 8. metaph. sect. 1.* qui putant veritatem, & idem intellige de falsitate, consistere in relatione reali prædicamentali modaliter à fundamento, & termino distincta, quam dicat cognitio ad obiectum suum.

3 Probatur autem assertio primò vniuersaliter: Antecedenter ad quamcumque relationem siue realem, siue rationis habetur fundamentum cur potius relatio conuenientiæ, quàm disconuenientiæ cum obiecto in cognitione resultet; sed in hoc fundamento consistit veritas formalis; ergo non consistit in dictis relationibus. Maior est certa, non enim temerè in cognitione aliqua apprehendimus relationem conuenientiæ potius, quàm disconuenientiæ cum suo obiecto, sed in re ipsa putamus haberi fundamentum, cur ea cognitio sit potius conueniens obiecto, atque adeo vera, quam disconueniens, & per consequens falsa. Minor verò suadetur, quia hoc fundamentum nequit esse aliud, nisi, quod cognitio illa enunciat de suo obiecto id, quod ei reuera competit, ad differentiam fundamenti relationis, in qua dicitur consistere falsitas, quod importat enunciare de suo obiecto id,

do id, quod ei re vera non competit. Porrò in hoc fundamento formalem veritatem consistere suadetur, tum auctoritate Aristotelis *cap. de substantia*, vbi sic: Eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: tum etiam, quia per hoc præcisè, quod concipiamus cognitionem representare suum obiectum, sicuti est, præscindendo à quacunque alia relatione, habemus eam esse illi intentionaliter conformem: ergo habemus eam esse formaliter veram, quia veritas in intentionali conformitate, vt diximus, posita est. Ex quo discursu rectè quoque colligitur non posse veritatem, & falsitatem esse qualitates realiter superadditas actibus veris, & falsis, quia præciso quocumque alio superaddito, hoc ipso quod actus intelligitur conformis obiecto, aut difformis, habetur, quod sit verus, aut falsus. Non est igitur audiendus Hurtadus qui *subiectione 3. §. 26.* dicit, defendi posse contra nonnullos, veritatem esse in rebus creatis modum quendam similitudinis intentionalis, & falsitatem dissimilitudinis; qui modi imitentur quidem naturam relationis prædicamentalis, quamuis non sint formaliter tales. Gratis enim, & superfluè hosce modos; inuehit hic auctor.

4 Probatur secundò, specialiter contra eos, qui veritatem formalem in relatione rationis constitere tuentur, quia si hoc esset, sequeretur, quod nulla cognitio, non solum creata, sed neque diuina, quam Deus de se, & de reliquis obiectis cognoscibilibus habet, esset formaliter vera, nisi aliquod rationis figmentum ei superaderetur. sed hoc non videtur dicendum, cum enim aut rarò, aut nunquam hæc figmenta in cognoscendis rebus, sicuti sunt, fieri soleant: sequeretur, quod rarò etiam, aut nunquam de aliqua cognitione affirmari posset veritas. Neque dicas per ipsam cognitionem reflexam, qua affirmatur veritas de cognitione directa fieri relationem rationis, cuius beneficio cognitio directa ex fundamentaliter vera euadat vera formaliter: Contra enim est, quia cognitio illa reflexa speculatiuè versatur circa directam, cognoscendo in ea esse conformitatem cum obiecto independenter à suo esse reflexiuo; ad eum planè modum, quo directa enunciat V. G. de Petro, quod sit homo, de Deo, quod sit existens &c. independenter à suo esse, quo intentionaliter circa dicta obiecta versatur. ergo etiam si cognitio reflexa cognoscendo directè veritatem, fingat in ea relationem rationis conformitatis cum obiecto: hæc relatio non ingreditur essentiam veritatis ipsius cognitionis directæ.

5 Probatur denique tertiò, specialiter contra eos, qui constituunt veritatem formalem in relatione prædicamentali: Cognitio circa merè possibilia, & circa non existentia versans, habere potest veritatem. sed hæc non importat relationem prædicamentalem, quia hæc essentialiter respicit terminum existentem. ergo veritas formalis non consistit in relatione prædicamentali. Confirmatur, quia cognitio qua Deus se ipsum cognoscit, eaque omnia, quæ in eo formaliter, & eminenter sunt, est verissima; sed non dicit relationem prædicamentalem modaliter distinctam ad hæc obiecta, vt patet. ergo &c.

6 Obijcies: veritas & falsitas cognitionis non possunt cognosci sine aliqua relatione conformitatis, & difformitatis intentionalis cum obiecto, ergo includunt relationem saltem rationis. Respondeo distinguendo antecedens, non possunt cognosci sine relatione, ita vt hæc teneat ex parte modi cognoscendi, transeat ex parte obiecti, quod cognoscitur, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod quamuis intellectus non possit formalem veritatem, & falsitatem absque aliquo ordine ad obiectum concipere, de quo posset esse quæstio hic tamen ordo non transit in obiectum, quasi verò sit de essentia veritatis, sed intransitiuè se tenet ex parte modi cognoscendi: ad eum planè modum, quo nos quando in hac vita cognoscimus Deum, velamen corporeitatis, sub quo illum cognoscimus, non putamus se tenere ex parte ipsius Dei, sed ex parte modi, quo nos in eius cognitionem venimus.

SECTIO SECVNDA.

An veritas, & falsitas formalis sint adæquatè essentiales actui intellectus.

1 HVrtadus *disput. 9. de anim. sect. 3. subsect. 4. & 5.* quem alij Recentiores sequuntur, docet, veritatem esse totaliter intrinsecam, & essentialem actui, atque adeò quemlibet actum vel esse essentialiter verum, vel essentialiter falsum.

Contra quam est nostra Conclusio, qui sustinemus veritatem, & falsitatem formalem non esse adæquatè essentialem actui intellectus, sed compleri per ipsum obiectum modo infra explicando. Ita Suarez *disput. 8. metaph. sect. 2.* Arriaga *disp. 14. Logic. sect. 1. subsect. 2.* Ouied. *de anima centron. 7. puncto primo à §. 2.* Comptonus *disp. 44. log. sect. 3.* Quiros *in suo cursu disp. 99. sect. 1.* & alij Recentiores. Conclusio duas continet partes; prima est, quod veritas, & falsitas non sint adæquatè essentiales actui verò, & falso. Secunda, quod importent etiam ipsum obiectum tanquam aliquid essentialiter requisitum ad hoc, vt actus intelligatur verus, aut falsus. Et quidem secunda pars videtur necessariò deduci ex prima; posito enim, quod veritas, & falsitas non consistant in relatione, aut qualitate superaddita, neque sint cum entitate *actus* totaliter, & essentialiter identificatæ; nil aliud remanet dicendum, nisi quod prædictæ entitatem actus compleantur per *ipsum obiectum*; tota igitur difficultas in priori parte huius conclusionis probanda, consistit.

2 Ea autem probatur primò ab Ouiedo *loco citato* in hunc fere modum: Actus quo ego dico (Petrus currit) erit idem siue currat Petrus, siue non currat; sed si Petrus currit est verus, si non currit, falsus: ergo veritas, & falsitas non sunt adæquatè essentiales actui verò, & falso. Minor, & consequentia patent. Maior verò suade-

Digitized by Google

suadetur: actus, quo ego dico, Petrus currit, nullam habet connexionem cum obiecto, ergo idem erit siue currat Petrus, siue non; Consequentia videtur euidens. antecedens probat. Hæc connexio vel physica esset, vel moralis: non physica, quia obiectū non influit in actum, neque moralis, quia hęc consisteret in eo, quod actus exigeret præsentiam obiecti. At Deus potest facere contra exigentiam creaturæ. ergo iam non est essentialiter connexus cum suo obiecto, & sic saltem diuinitus potest esse falsus.

Hæc tamen probatio non placet. posset enim respondere aduersarius connexionem, quam habet actus cum obiecto esse physicam; & ad rationem in contrarium asserere: physicam connexionem esse duplicem, vnam in physica causalitate consistentem: alteram in prædicatis quidditatiuis, essentialem ordinem ad connexionis terminum importantibus. Porrò connexionem, quam habet actus cum suo obiecto, esse secundi generis, ad quam non requiri influxum causatiuum patet ex connexione essentiali, quam habet prædicamentalis relatio, modaliter à suo fundamento distincta, cum termino suo, quem certum est non influere physice in illam.

9 Probatur secundò: eadem assertio ab Arriga *loco citato*: supponendo ex doctrina Hurtadi *in statu* possibilitatis haberi de futuro peccato Petri duo genera propositionum affirmatiuarum á me V. G. *factibilium*, essentialiter *inter se* differentium, verarum alterum: si nimirum Petrus peccabit: alterum falsarum si non peccabit: tum sic: proferam ego vnam ex eis, quæ falsa sunt putans esse veram: sequeretur, quod ad eam me determinaret Deus. sed hoc est absurdum. ergo non dantur propositiones, quæ habeant falsitatem sibi adæquatè essentialem. Minorem auctor supponit, & potest probare, quia nequit Deus determinare intellectum ad errorem, alias non haberet summam veracitatem. sequelam probat, quia ad illum actum non ego me determino, ego enim potius vellem producere verum, quā falsum; & de reliquo sum omnino indifferens in actu primo ad producendum vtrumque. ergo Deus me determinat, qui nouit peccatum futurum.

10 Verum neque hæc probatio videtur solida; posset enim responderi dupliciter; primo quidem, negando minorem: cum enim non implicet, quod Deus tanquam causa particularis producat actum erroris in mente hominis, quo intellectus humanus iudicet lucem V. G. esse substantiam, vt tenet Vasquez 1. 2. *disput.* 90. *cap.* 4. Hurtadus *de fide disput.* 28. *sect.* 6. *subsect.* 1. & Lugo ibi *disput.* 4. *sect.* 3. poterit sanè absurdo concedi Deo determinatio ad istum actum erroris; præsertim cum præsupponatur ipse Deus ab intellectu creato determinatus ad affirmatiuum actum potius, quam ad negatiuum. ad probationem verò in contrarium, negarem ex hoc sequi Deum non habere summam veracitatem, ad eum plane modum, quo ex eo quod determinet causam aliquam ad occidendum hominem, non sequitur eum non habere summam vitæ perfectionem. stat enim summa perfectio simpliciter simplex in Deo in aliquo genere cum potentia ad producendum transeunter id, quod oppositam imperfectionem inhibit, quamuis dicta potentia aliquid imperfectionis in eo non arguat. porrò potentia determinandi intellectum creatum ad actum erroris nullā in Deo arguit imperfectionem: sicuti neque potentia determinandi ad mortem, imbecillitatem &c. ergo.

Responderi etiam potest secundò, negando sequelam, & ad eius probationem, concesso antecedente, negari consequentia, ac dici, quod, neque à Deo neque ab intellectu creato habetur proximè determinatio illa ad affirmatiuam falsam, sed habetur à carentia futuritionis peccati Petri, cui est essentialiter connexa propositio illa affirmatiua essentialiter falsa. Hoc enim ipso, quod intellectus creatus se determinat ad affirmandum, quod Petrus cras peccabit, carentiæ futuritionis dicti peccati est determinatiuum essentiale vt ex omnibus affirmatiuis possibilibus vna falsarum potius, quam verarum producatur. neque enim est nouum entia positiua posse esse cum negatiuis essentialiter connexa. sic Vbi Romanum, multi dicunt connecti essentialiter cum illo spatio imaginario, in quo existit Roma, & durationem hodiernam cum tempore imaginario cui hodiernum tempus reale coexistit. ita vt implicet contradictionem vbi Romanum, existere in alio spatio, & durationem, quæ hodie durat Franciscus esse in alio tempore. Contra hæc non habet vim effugium Arriagæ dicentis, huiusmodi connexionem, cum sit valdè difficilis non debere admitti, nisi in casu necessitatis. Respondebunt enim Aduersarij, quod quemadmodum ex suppositione, quod detur vbi distinctum, & distincta duratio, illa connexio est illis necessariò concedenda, vti nos suo loco probauimus: ita ex suppositione, quod dentur isti actus adæquatè essentialiter veri, & falsi, quos ipsi alias probant. His igitur rationibus posthabitis.

Probatur tertiò efficaciter prior illa pars 11
nostræ conclusionis sic: ex duabus propositionibus, quarum altera dicat (Petrus currit) altera (Petrus non currit) circumscripto quocumque alio respectu, atque connexione intrinseca, per hoc præcisè, quod Petrus currat, prima est vera, secunda falsa; contra verò si non currat, vera erit secunda, & falsa prima: ergo veritas, & falsitas non consistunt in aliquo prædicato positiuo, & totaliter intrinseco, & essentiali propositionibus intellectualibus. Consequentia videtur certa. antecedens suadetur, quia veritas consistit in conformitate propositionis cum obiecto, & falsitas in difformitate. sed hoc ipso, quod Petrus à parte rei currat, intellectis illis propositionibus cum sola affirmatione ac negatione, & quocumque alio prædicato, seù respectu intrinseco ab illis circumscripto, prima propositio est conformis obiecto, & secunda difformis, contra verò eo ipso quod non currat; ergo &c.

Ad

Ad hoc argumentum Aduersarij negant antecedens; & ad eius probationem negant minorem; ac dicunt propositionem affirmatiuam cum sola affirmatione remanentem esse indifferentem ad essendum veram, & falsam; atque adeò non habere determinatè conformitatem cum obiecto, nisi vlterius intelligatur aduenire illi prædicatum adæquatè intrinsecum, beneficio cuius ratio illa generica affirmationis in determinata specie, siuè veritatis, siuè falsitatis constituatur; eodem quoq; modo de propositione negatiua discurrunt. Sed contra est, quia ex eo, quod propositio illa affirmatiua remanens cum sola ratione affirmationis de cursu Petri, sit de se indifferens ad essendum veram, vel falsam, non rectè deducitur per hoc præcisé, quod si intelligatur illi coexistere á parte rei cursus Petri, eam non habere determinatam conformitatem cum suo obiecto; non enim omnis indifferentia, quam habet res necessaria, per differentiam intrinsecam tolli debet. multæ enim per positionem alicuius extrinseci auferuntur; quod suadetur ad hominem contra Hurtadum, qui ponit relationem prædicamentalem in coexistentia extremorum consistere: Paries enim hic albus V. G. est indifferens ad essendum similem alteri parieti, qui nunc construitur, vel dissimilem; sed ad hanc indifferentiam tollendam sufficit si, quouis alio circumscripto, intelligatur paries, qui ædificatur esse albus, aut niger; per hoc enim præcisé, quod sit albus, per hunc Auctorem, incipit ille esse ei similis; contra verò dissimilis, si sit niger. Hoc ipsum suadetur in communi sententia, nam idem numero actus V. G. gestatio armorum, est obiectiuè bonus, si sit lege præceptus: contra verò malus, si sit prohibitus; atque adeó ipse de se indifferens est; quam indifferentiam non per aliquod sibi intrinsecum intelligi debet, quod amictat, sed per hoc præcisè, quod lex, vel præcipiens, vel prohibens ponatur á parte rei. Quemadmodum igitur bonitas, & malitia obiectiua respectu gestationis armorum non sunt differentiæ essentiales totaliter intrinsecæ, aliquam rationē genericam coarctantes, eamque conformem, vel difformem legi reddentes: ita neque veritas, & falsitas erunt differentiæ essentiales totaliter intrinsecæ actui intellectiuo, quarum beneficio reddatur similis, vel dissimilis obiecto. 12

Probatur denique quartò ex absurdis, quæ sequerentur, si veritas, & falsitas esset adæquatè essentialis, & intrinseca propositionibus. Quorum primum est, dari multa entia naturalia in mundo, quæ à nullo prorsus intellectu creato quantumuis perfectissimo naturaliter cognosci possent: cuiusmodi essent omnes propositiones ordinis naturalis, quæ de rebus futuris fiunt, præsertim liberis; cum enim constet huiusmodi futura à nullo intellectu creato posse certò naturaliter sciri; alioquin possent penetrari secreta cordis etiam diuini; quatenus omnis eorum existentia à libero Dei concursu dependet: impossibile esset dictas propositiones secundum suam vltimam differentiam naturaliter ab vllo intellectu creato posse cognosci; nam per Aduersarios vltima earum differentia in veritate, vel falsitate consistit; vndè non possent secundum propriam essentiam specificam discerni, quia vel deprehenderetur esse determinatè veræ, vel determinatè falsæ. verumuis autem dicatur, cognoscens, earum obiectum infallibiliter fore, vel non fore, deprehenderet. 13

Ad hoc respondet Hurtadus non esse absurdum nullum intellectum creatum posse naturaliter cognoscere, an iudicium de obiecto futuro libero sit verum, vel falsum; neque discernere inter iudicium verum, & falsum, quia, hoc ipso, quod illi non debetur cognitio secretorum cordis; neque debetur cognitio obiecti, ex quo possit ipsum secretum cordis certò deducere. 14

Hanc responsionem sic impugnat Arriaga: Ex duobus iudicijs possibilibus affirmantibus peccatum Petri futurum, scit Angelus vnum esse intrinsecé verum, alterum falsum, sed quando postea defactó affirmat Petrum peccaturum, nouit ad quod nam ex illis iudicijs se terminauit. ergo certò nouit vtrum Petrus peccauerit, an non. Sed hanc instantiam eludere potest Hurtadus dupliciter; Primò quidem negando maiorem, ac dicendo propter hoc ipsum nō deberi Angelo cognitionem vltimarum differentiarum illorum iudiciorum possibilium affirmatiuorum, quia posteà per hoc, quod alterutrum eligeret certò secretum cordis aliena cognosceret. Secundò verò, data maiore, posset negari minor, ac dici, quod licèt Angelus possit se determinare liberè ad suos actus, etiam in indiuiduo producendos, non posset tamen se determinare ad alterutrum ex illis duobus actibus affirmatiuis, quorum alterum in statu possibilitatis cognoscit esse essentialiter verum, alterum falsum: eo quod huiusmodi determinatio totaliter in ipsum peccatum Petri refundenda est. si enim futurum erit, affirmatiua propositio vera necessariò producetur: contra verò si non erit futurum, necessariò elicietur falsa. quare non est, mirum si posteá quando Angelus enunciat Petrum peccaturum, non cognoscat quam nam ex illis duabus affirmatiuis elicuerit. 15

Melius igitur responsio Hurtadi impugnanda videtur, quia ex ea sequeretur dari in mundo multa entia ordinis naturalis, quæ à nullo prorsus intellectu creato secundum eorum differentiam atomam certo cognosci naturaliter possent. huiusmodi autem essent omnia iudicia, quæ dē rebus futuris præsertim liberis fierent; non enim possent certò cognosci ab Angelis, qui illa faciunt, vel vidimus, & multò minus ab alijs, vt de se patet, & rectè; certa enim cognitio futurorum est soli Deo propria, iuxta illud Isaiæ cap. 41. (Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.) Quod autem sit absurdum dari huiusmodi entia ab omni creato intellectu naturaliter incognoscibilia, hoc suadetur discursu: Intelligibilitas est passio entis ergo eo modo res est intelligibilis, quo modo 16

est

est ens, & si quidem est ens naturale, erit intelligibilis naturaliter; sin autem supernaturale supernaturaliter. sed illa cognitio qua Angelus dicit (Petrus cras peccabit) secundum suam vltimam differentiam specificam, & indiuidualem est ordinis naturalis. ergo debet posse ab aliquo saltem intellectu naturaliter cognosci; quemadmodum secreta cordis, quæ licèt non sint cognoscibilia ab omni, sunt tamen ab intellectu illius, qui ea producit; quandoquidem quisque sibi suorum secretorum conscius esse debet. absurdum est igitur asserere dari in mundo huiusmodi cognitiones ordinis naturalis, quæ non possent naturaliter ab vllo prorsus intellectu creato certò cognosci.

17 Neque dicas sufficere his cognitionibus, si à solo intellectu diuino connaturaliter cognoscantur. Contra enim est primò, quia huiusmodi cognoscibilitas transcendit per omne ens, quatenus quodcumque siuè naturale sit, siuè supernaturale, est connaturaliter ab intellectu diuino cognoscibile. Præter hanc autem datur cognoscibilitas specialis, quæ cum non possit esse per ordinem ad intellectum increatum, debet necessariò esse per ordinem ad creatum, ita vt ens ordinis naturalis sit cognoscibile ab intellectu creato connaturaliter: ordinis verò supernaturalis ab intellectu creato diuinitus eleuato. Contra etiam est secundò, quia licèt quodlibet ens creatum sit connaturaliter ab intellectu diuino cognoscibile; tamen non habet ius, nisi ad virtutem cognoscitiuam limitatam, atque finitam; sed hoc ius in ente ordinis naturalis non potest esse nisi ad virtutem cognoscitiuam item ordinis naturalis; ergo absurdum est asserere dari in mundo huiusmodi propositiones de futuris ordinis naturalis, quæ non possint nisi à Deo connaturaliter secundum suam vltimam differentiam specificam cognosci, & à creatura non nisi diuinitùs eleuata. Atque hoc est primum absurdum quod ex Hurtadi sententiâ sequitur.

18 Secundum verò est, quod daretur cognitio intuitiua alicuius obiecti, quæ quidem non certificaret de omnibus prædicatis, quæ formaliter in illo obiecto continentur; quod supra vidimus implicare contradictionem. sequelam probo, quia hoc ipso, quod Angelus formet hoc iudicium: (Hinc ad mille annos mundus finem suum habebit) non potest esse dubium, quin habeat de hac sua propositione euidentiam, & intuitionem; sed non certificatur num sit vera, vel falsa. ergo si veritas, & falsitas sunt prædicata adæquatè essentialia, & intrinseca propositioni, daretur cognitio intuitiua, quæ non certificaret intellectum de omnibus, quæ formaliter continerentur in obiecto.

19 Tertium denique absurdum, quod ex dicta sententia sequitur, est superfluitas essentialis huiusmodi prædicatorum totaliter, & essentialiter intrinsecè dictis actibus competentium. non enim potest assignari ad quid hæc veritas, & falsitas totaliter essentialis actibus intellectualibus inserviat; quia si ad aliquid inseruire posset, maximè ad cognoscenda in eis obiecta ita esse, vel non esse, sicuti enunciantur; sed hoc est falsum; nam in nulla propositione de futuro potest certò cognosci ab Angelis futurum obiectum, vti vidimus: in nulla etiam de præterito, iuxta illud Isaiæ 41. Accedant, & nuncient nobis quæcumque ventura sunt, priora, quæ fuerunt nunciate. quibus verbis Angelis eodem modo futurorum ac præteritorum scientia, quorum non habuerunt quando existebant notitiam, denegatur. de præsentibus verò videtur militare par ratio, quia non habent vltimarum differentiarum essentialium huiusmodi actuum notitiam. Linquo neminem dicere, quod per hoc præcisè, quod Angeli, vel animę separatæ dicant (Petrus nunc currit) de reali existentia, vel non existentia cursus certiores reddantur; quia sic nunquam circa res existentes errare possent, quod gratis omninò dictum videtur.

Neque dicas huiusmodi prædicata saltem 20
supernaturaliter esse cognoscibilia. Contra enim est, tum quia ad inferendam essentialem superfluitatem entis naturalis satis est, si nunquam possit assignari casus in ordine naturali, in quo suum finem obtinere possit; tum etiam, quia sic, hæc cognoscibilitas, quam haberent cognitiones ad inducendam certam notitiam existentiæ suorum obiectorum, esset obedientialis; respiceret enim cognoscibilitatem potentiæ intellectiuæ auxilio supernaturali eleuabilem. atqui ad potentiam obedientialem constituendam non est necessarium essentiale prædicatum totaliter intrinsecum, & determinatũ, eo quod per omnia entia diuagatur, vti suo loco diximus. ergo &c.

SECTIO TERTIA.

Respondetur obiectis.

PRO sententia Hurtadi, quam præcedente 21
sectione impugnauimus Obijcies primò: Veritas est perfectio actus, falsitas imperfectio. sed esse perfectum, & imperfectum sunt denominationes totaliter intrinsecæ, & essentiales subiecto denominato. ergo veritas, & falsitas sunt rationes totaliter intrinsecæ essentiales actui verò, & falso. Confirmatur: nisi veritas esset perfectio adæquatè intrinseca, & essentialis actui, sequeretur primò, quod diuinus intellectui non repugnaret falsitas: sequeretur secundò, quod neque posset assignari ratio, cur intellectus noster inclinaret naturaliter ad verum, & à falso abhorreret: sequeretur denique tertiò neque posse assignari disparitatem, cur bonitas, & malitia moralis esset totaliter intrinseca actibus voluntatis, cum conficeret ita se habere actus intellectus ad veritatem, & falsitatem, sicuti actus voluntatis ad bonitatem, & malitiam moralem.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; nam actus secundus est perfectio actus pri-

Digitized by Google

primi causæ efficientis, vtpotè completiuus illius, & tamen neque est intrinsecus, neque essentialis ipsi actui primo, quando quidem actio, per se loquendo, non est in agente, sed in passo. Linquo me non negare veritatem, & falsitatem esse totaliter intrinsecas actibus secundum id, quod dicunt in recto, sed solum secundum id, quod important adæquatè.

22 Ad confirmationem, nego omnes tres sequelas. Ratio negationis primæ est, quia licet veritas non sit perfectio adæquatè intrinseca, & essentialis actui vero, neque falsitas adæquatè intrinseca, & essentialis imperfectio falso: arguunt tamen intrinsecam perfectionem, & imperfectionem in principio. Perfectionem quidem veritas, quatenus denotat principia influxiua in actum fuisse, sicuti oportebat ad refundendam in ipsũ actum ratione similitudinis intentionalis cum suo obiecto, pro vt erat in se ipso. Imperfectionem vero falsitas, quatenus arguit dicta principia non fuisse, sicuti oportebat ad refundendam dictam rationem similitudinis; & quia hoc implicat respectu diuini intellectus: hinc fit, vt ei competat veritas, & repugnet falsitas, vt melius infra dicetur. Ratio verò negationis secundæ sequelæ potest esse, quia finis, quem intendit intellectus in suis iudicijs efformandis, est acquirere notitiam rerum, pro vt sunt in se; cum autem finem hunc consequatur per hoc, quod iudicium sit verum, deperdat verò per hoc, quod sit falsum; hinc fit, vt sicuti inclinat naturaliter ad verum, ita aborreat à falso.

23 Ratio denique negationis tertiæ sequelæ est, quia honestas in actu voluntatis habetur per hoc, quod eligat obiectum, quod tanquam honestum ab intellectu proponitur; inhonestas verò per hoc, quod eligat obiectum, quod proponitur vt inhonestum. cum igitur actus voluntatis per se ipsum habeat esse electionem honesti, vel inhonesti obiectiui, per se ipsum habebit esse honestum, vel inhonestum formaliter, ita vt non possit esse indifferens, vel ad vnum, vel ad alterum: at veritas in actu intellectus habetur ex eo, quod sit conformis obiecto sicuti est in se, & non pro vt apparet: & falsitas ex eo, quod sit illi difformis. hinc fit, vt sit indifferens actus intellectus ad essendũ verum, vel falsum: non verò actus voluntatis ad essendum honestum, vel inhonestum.

24 Obijcies secundò: Actus vel per suam essentiam assimilatur obiecto, vel non: si primum, ergo est essentialiter verus. si secundum, est essentialiter falsus. igitur semper veritas, & falsitas sunt adæquatè essentiales actibus.

35 Respondeo cum communi, negando assumptum, ac dicendo: actum per suam essentiam neque assimilari obiecto, neque non assimilari, sed esse indifferentem ad vtrumque; beneficio tamen ipsius obiecti vltimò reddi similem, aut dissimilem illi. Oviedus *controu. 7. puncto primo numero* 36. hanc responsionem improbat, quatenus duo contradictoria eidem actui concedere videtur; asserit enim actum per suam essentiam non assimilari, hoc enim sonat (neque assimilatur) & postea id ipsum negat, dum addit (neque non assimilatur) quia hæc est propositio contradictoria præcedenti. Vndè respondet ipse ad difficultatem concesso assumpto, ac dicendo; actum per suam essentiam non assimilari obiecto. addit præterea aliud esse actum per suam essentiam est indifferens, vt assimiletur, vel non assimiletur per aliquid sibi superadditum. Verum hæc eius responsio offendit non esse à communi recedendum; quod in hunc modum euincerem. Ideo enim communem improbat, quia duo contradictoria actui concedit. sed hoc est falsum. ergo &c. Maior patet. Minor probatur; non sunt per ipsum contradictoria; actus per suam essentiam habet non assimilari, & actus per suam essentiam habet assimilari, quia vtraque est affirmatiua, & vtraque falsa; sed eodem prorsus modo se res habet, quando dicitur; actus, vel per suam essentiam assimulatur obiecto, vel non. sensus enim est; num assimilatio cum obiecto competat illi essentialiter; an verò competat illi essentialiter negatio assimilationis. illa enim restrictio, ac reduplicatio expressa illis particulis (per suam essentiam) ponitur, vt afficienda vel affirmatione, vel negatione, atque adeò ita, vt alterutrum sit de essentia actus, vt patet ex illationibus, quæ ex vtroque membro ab aduersarijs inferuntur. Quare rectè negatur assumptum illud, ac dicitur actum per suam essentiam neutrum habere, quia est indifferens ad vtrumque. Quod si ipsi repliçent à se terminos illos contradictoriè accipi: Respondendum: In hoc sensu, quemadmodum rectè dici potest de pariete albo, quod per suam essentiam non est albus, non obstante, quod habeat albedinem: ita asseri de actu, quod per suam essentiam non assimiletur obiecto, etiam si omnibus pensatis sit illi similis, si ei obiectum correspondeat.

Obijcies tertiò: Veritas consistit in repræsentatione obiecti ea ratione, qua defacto est, sed propositioni affirmatiuæ competit essentialiter repræsentare cursum Petri ea ratione, qua defacto est. ergo veritas competit illi essentialiter intrinsecè. Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem ita, vt dictæ propositioni competat essentialiter connecti cum ea ratione, qua cursus Petri defactò datur; nego: ita vt non competat illi essentialiter connecti cum dicta ratione, concedo minorem; & ad consequentiam dico: veritatem quidem consistere in repræsentatione obiecti, sicuti defactò est. propositioni verò affirmatiuæ, de qua est sermo, competere essentialiter repræsentare cursum Petri ea ratione, qua est. sed non competere illi essentialiter coniungi defactò cum dicta ratione, seù modo, quo est, quia si defactò non exerceretur præsenti tempore à Petro: illi propositioni, quæ nunc dicit (Petrus currit) competeret quidem essentialiter representare cursum Petri exercitum, sed non ea ratione, qua defactò esset, quia defa-

26

dasa Deo non esset exercitus à Petro; & eius essentia haberetur solum in statu possibilitatis, non actualitatis; atque adeò contraria ratione ab affirmativa illa propositione repræsentaretur.

Instabis: de essentia illius propositionis est affirmare cursum verum ac realem ergo veritas est adæquatè essentialis. Antecedens videtur certum, consequentia suadetur, quia solus cursus existens est verus, & realis; non existens enim est fictitius. ergo de eius essentia est affirmare cursum existentem; sed in hoc consistit veritas. ergo veritas est illi essentialis.

Respondent aliqui distinguendo antecedens: De essentia illius propositionis est affirmare cursum verum, & realem, veritate, & realitate essentiæ, concedunt: veritate, & realitate existentiæ, negant antecedens, & consequentiam; ad cuius probationem negant antecedens, ac dicunt quod licèt cursus existens sit verus, & realis veritate, & realitate existentiæ: non existens tamen non est fictitius, sed habet suam veritatem, & realitatem essentialem.

Sed contra hanc responsionem facit primò, quia sicuti non est de essentia propositionis affirmantis existentiam cursus Petri, connexio cum vera, & reali existentia dicti cursus, ita neque erit de essentia eiusdem, connexio cum essentia illius. imò si alterutra debet esse de eius essentia, potius debet esse connexio cum existentia, quam cum essentia; quia loquitur de existentia, à qua specificatur, & non de essentia, nisi consequenter. Contra eandem facit secundò, quia si propositio diceret: (cursus Petri est possibilis) eius veritas non esset illi essentialis adæquatè, vti dicemus, quando quidem si per impossibile cursus Petri euaderet impossibilis, dicta propositio numero, quæ stante eius possibilitate fuisset vera, esset falsa. ergo amittò minus erit adæquatè essentialis propositioni enunciatiæ existentiam cursus veritas de realitate, & veritate essentiæ illius.

Melius igitur respondendum putarem ad instantiam, distinguendo antecedens. De essentia illius propositionis est affirmare cursum verum, & realem, & si quidem sensus est, quod de eius essentia sit ipsa affirmatio, concedo: sin autem quod de eius essentia sit connexio cum termino affirmationis, qui est cursus verus, ac realis, nego antecedens, & consequentiam, ad eius probationem aio, antecedens absolutè loquendo falsum esse, quia de cursu meræ possibilis quando affirmamus, quod sit quid reale possibile, non affirmatur fictiè, sed omnes censemus verè esse huiusmodi affirmationem: at verò permisso hoc antecedente, & distincto eius consequente iuxta distinctionem adhibitam ad subsumptum dicerem, veritatem illius propositionis (Petrus currit) non consistere in affirmatione cursus veri, ac realis dicentem connexionem cum dicto cursu, sed solum cum eo coexistente iuxta inferius dicenda.

Objicies quartò: affirmativa propositio de actuali existentia cursus Petri respicit essentialiter ipsum cursum existentem, ex suppositione quod sit; sed ex suppositione quod est, essentialiter est. ergo respicit essentialiter existentiam cursus.

Respondent aliqui distinguendo maiorem; & si quidem sensus sit, quod dicta propositio respiciat essentialiter cursum Petri existentem in actu signato, concedunt: existentem in actu exercito, negant maiorem; & sic concessa minore, distingunt eodem modo consequens, respicit essentialiter existentiam cursus signatam, concedunt: exercitam, negant consequentiam. Sed contra est, quia, licèt verum sit totum id, quod in solutione affertur, quia tamen obiectio procedit de existentia exercita, loquitur enim de ea ex suppositione quod sit, ideò insolutam eius difficultatem relinquit. Quare melius respondendum videtur negando absolutè maiorem. dico enim propositionem illam respicere quidem ipsum cursum existentè, quatenus ab illo specificatur, sed cum præcisione ab eo quod sit, vel non sit à parte rei: quod vera propositio affirmativa commune habet cum falsa, quèadmodum etiam quod supponat illum existere in apprehensione; quatenus omne iudicium nostrum versans circa aliquod obiectum, essentialiter præsupponit ipsum apprehensum antecedenter per primam operationem intellectus.

SECTIO QVARTA.

Qua ratione obiectum ad veritatem, seu falsitatem formalem essentialiter pertineat.

EX dictis constat veritatem non esse adæquatè intrinsecam, & essentialem actui, quem verum denominat, sed præter ipsum actum importare essentialiter obiectum, cui conformari debeat. Et rectè id quidem: implicat enim iudicium esse verum absque eo, quod iudicet de obiecto eo modo quo est. atqui hoc importat essentialiter duo, nimirum iudicium iudicare tali modo obiectum se habere, & præterea obiectum in rei veritate huiusmodi iudicio se conformare. ergo essentialiter obiectum pertinet ad veritatem; quia neque esse neque intelligi potest sine illo. Pro intelligentia autem præsentis difficultatis supponendum, quod forma denominans subiectum aliquod, seu quasi subiectum, cum quo identificatur, triplicitèr exigere potest essentialiter aliam rem: primò tantùm partem sui, ita vt adæquatè accepta illa forma identificetur partim cum subiecto, & partim cum illa re; sicuti humanitas cum anima rationali, & cum eius corpore. secundò tanquam connotatum extrinsecum impurum: nimirum ita illa forma identificetur totaliter cum subiecto, vt subiectum ipsum sit essentialiter cum re illa connexum; sic relatio prædicamentalis exigit essentialiter terminum existentem, quia ita identificatur cum modo superaddito fundamento, vt modus ipse sit essentialiter cum termino illo connexus; ita vt corrupto termino, implicet modum illum exi-

existere, & eo implicante non implicare: sic etiam relatio transcendentalis, quam dicit creatura ad Deum, essentialiter exigit ipsum Deum, quia nimirum ita est totaliter identificata cum creatura, vt hæc essentialem connexionem ad Deum importet, ita vt neque esse, neque intelligi valeat sine Deo. tertiò denique tanquam connotatum extrinsecum purum, si videlicet ita illa forma identificetur totaliter cum suo subiecto, & essentialiter rem illam importet, vt subiectum ipsum non sit cum dicta re essentialiter connexum; sed siuè sit res illa, siuè non, ad huc subiectum in suo esse permaneat; sic forma denominans entitatem primogenituræ exigit essentialiter secundo genituram, quia licèt totaliter identificetur cum dicta entitate, & essentialiter secundo genituram importet: nihilominus entitas primæ non est essentialiter connexa cum entitate secundæ; quamuis enim entitas secundæ neque existeret, neque posset existere, adhuc entitas primæ haberi posset tum in statu possibilitatis, tum in statu existentiæ; sic etiam vnio, in nostra sententia, est forma denominans materiam, & formam; & ita cum vtrisque totaliter identificatur, vt importet essentialiter intimam vtriusque præsentiam, & negationem impedimentorum tanquam connotata; nihilominus tamen entitas formæ, & materiæ non sunt cum dictis connotatis essentialiter connexæ.

32 Cum igitur ex dictis constet, veritatem formalem propositionis esse formam denominantem actum verum, & ita identificari cum illo, vt essentialiter importet etiam obiectum illius: videndum restat, quo nam ex tribus dictis modis illud essentialiter importet. num tanquam partem sibi intrinsecam, an verò tanquam connotatum impurum; an denique tanquam purum. Pro cuius decisione sit.

33 Prima conclusio: Obiectum non est pars intrinsecè componens veritatem, & falsitatem formalem. Est contra Arriagam *loco citato subsect.* 5. Quiedum *ibi* §. 3. & alios Recentiores existimantes veritatem ex duplici parte sibi intrinseca componi, quarum vna est intrinseca propositioni, imò est ipsa propositio, quatenus affirmat V.G. cursum Petri; altera verò extrinseca propositioni, licèt intrinseca veritati; & est ipsum obiectum eo modo existens, quo per propositionem affirmatur.

34 Iam verò nostra assertio probatur. Primò: quia absque huiusmodi parte intrinsecè componente fiat tota essentia veritatis. ergo non est putandum obiectum pertinere ad veritatem essentialiter, tanquam partem intrinsecè componentem. Consequentia patet, quia sicuti natura abhorret à superfluitate, ita, & à partibus essentialibus superfluis; alias dicere posset aliquis hominem non constare solùm ex anima rationali, & ex materia prima tanquam partibus componentibus, sed ex aliqua alia re. Antecedens verò suadetur, quia hoc ipso, quod intelligamus totam essentiam veritatis totalitate intrinseca consideratam, consistere in actu repræsentante obiectum tali modo, obiectum verò eo modo existens, quo ab illo repræsentatur, se habere, vt essentiale connotatum in ordine ad essentiam veritatis constituendam, absque huiusmodi parte intrinsecè componente, fiat tota essentia veritatis. sed hoc potest fine vllo incommodo rectè intelligi, vt ex solutione argumentorum patebit; ergo &c.

Probatur secundò, hæc propositio: (Chimæra est impossibilis): habet à parte rei nemine cogitante suam veritatem formalem; sed si obiectum esset pars intrinseca veritatis, hoc esset falsum. ergo &c. Maior videtur certa, quia veritas, & falsitas sunt attributa disiunctiua cuiuscumque propositionis; quatenus omnis propositio, vel est vera, vel falsa. Minor verò probatur: implicat haberi à parte rei totum essentiale sine omnibus partibus essentialibus, quibus intrinsecè componitur. ergo si obiectum illius propositionis (Chimæra est impossibilis), est pars essentialis veritatis dictæ propositionis, cum non habetur à parte rei chimæra: ita neque veritas propositionis illius. 35

Responderi potest primò ad hoc argumentum; sufficere quod habeatur chimæra obiectiuè in intellectu ad hoc, vt propositionis veritas habeatur, quia ad habendum totum à parte rei, satis est si habeantur partes eo modo, quo haberi possunt, vt patet ex ente successiuo, cuius partes, licet ita se habeant, vt quando existit vna, non existant aliæ: tamen nemo negat ens successiuum dari à parte rei. 36

Sed contra est primò: si hæc doctrina vera esset, sequeretur, quod in sententia, quam plurium ex aduersarijs, qui sustinent ens rationis includere duo tanquam partes essentiales intrinsecas, nimirum obiectum impossibile, & cognitionem circa illud versantem: sequeretur, inquam, per eos omne ens rationis dari à parte rei; sed hoc nemo ex eis audet concedere. ergo falsum est, si veritas propositionis illius includeret chimæram tanquam partem sibi intrinsecam, sufficere, quod chimæra existeret obiectiuè in intellectu, vt propositionis veritas detur à parte rei. 37

Contra secundò: quia si ad habendum totum à parte rei sufficeret haberi partes eo modo, quo haberi possunt, iam affirmari posset de toto cognoscibili fictitio, quod esset à parte rei: quia omnia entia chimærica, atque fictitia cum actu cognoscantur à Deo, iam habent esse, quo modo illud possunt habere, nempe obiectiuè in intellectu. Item si per impossibile materia prima modò inciperet implicare contradictionem, remanente in mundo sola anima rationali, haberetur homo à parte rei, nam adhuc, facta illa suppositione, materia prima haberet esse, sicuti habere posset, nimirum implicatorium. sed hæc videntur manifestè falsa; & recte id quidem, nam hoc ipso, quod pars essentialis alicuius totius est implicans, refundet necessariò implicantiam in ipsum totum; quandoquidem bonum ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu; cum igitur constet veritatem propositionis, qua dicimus (chimæra implicat) haberi à parte rei, & non esse implicatoriam: aliter deberemus dicere 38

quod

quod non esset possibilis, sicuti dicimus de ipsa chimæra: rectè deducitur obiectum non pertinere essentialiter ad veritatem propositionis tanquam partem sibi intrinsecam.

39 Contra denique tertiò: quia pariter ex ente successiuo desumpta militat contra aduersarios; sicuti enim repugnat, quod ens successiuum constet ex aliqua parte, quæ implicet contradictionem existere: ita repugnabit, quod veritas realis nostræ propositionis constet ex chimæra tanquam ex parte intrinseca sibi essentiali. Cæterum aliud est loqui de ente successiuo, aliud de permanente: ad existentiam enim successiui sufficit, si eius partes in continuo fluxu existant, quia eius essentia consistit in eo, quod nulla sit simul cum alia: contra verò ens permanens, vt intelligatur haberi à parte rei, necesse est vt omnes eius partes essentiales simul existant, & quidem à parte rei. Atqui veritas nostræ propositionis est permanens. Non sufficit igitur ad assercendum, quod detur à parte rei, si altera tantum eius pars existat à parte rei, altera verò in intellectu tantùm.

40 Respondet secundò Arriaga, quod sicuti domus, & familia hodiè dicitur antiqua per denominationem extrinsecam à duratione præterita; & sicuti ego dicor nunc prior Antichristo, & posterior Adamo, etiam si neque Antichristus existat, neque Adam; quantumuis hæ sint denominationes partim intrinsecæ, & partim extrinsecæ: ita licèt propositio constituatur extrinsecè vera ex obiecto, quod vel non existit, vel nunquam potest existere: poterit de præsenti dici absolutè vera. Rationem huius rei à priori assignat: quia, inquit, per multa nomina concreta solùm intendimus significare de præsenti dari ipsum rectum concreti, siuè obliquum detur de præsenti, siuè non, inter quæ concreta numerandum hoc concretum, Verum. Vnde non est mirum, si etiam si chimæra sit impossibilis, dicamus verum esse propositionem, quæ eam esse impossibilem affirmat. Quatuor verò alia concreta sunt imposita ad significandum dari de præsenti rectum, & obliquum, qualia sunt Album, Dulce &c. Eapropter non possunt affirmari de præsenti, nisi habeatur de præsenti vtraque pars, quæ illa intrinsecè componat.

41 Verùm hæc etiam responsio facilè impugnatur. Primò, quia falsò supponit esse antiquum, esse prius, & posterius alios, & similia, componi intrinsecè ex duplici enitato, quorum alterum existat de præsenti, alterum verò non existat. Ajo enim huiusmodi concreta esse tacita connotativa aliquarum, quæ dicunt in obliquo non vt partes intrinsecè componentes, sed vt mere extrinseca connexa essentialiter requisita, importent, si hinc hesi, vt ad habendam existentiam dictorum concretorum non requiratur de præsenti existentia obliquorum, eo quod meri termini quantumuis essentialiter, dummodò extrinsecè importentur, si aliud non obstet, possint suo modo fungi, licèt non existant; vt videre est in scibili, quod cum sit terminus relationis transcendentalis, quam dicit scientia, quæ de illo est, non requirit existentiam ad eam terminandam; atque adeò potest dari scientia de obiecto minimè existente. Quod si dicat Auctor posse ab intellectu formari huiusmodi concreta non solum denominatiuè, sed etiam terminatiuè, quatenus scilicèt sunt composita quædam ex materia, & forma respondendum, dicta concreta sic accepta non posse haberi à parte rei sine existentia vtriusque partis, ad eumdem modum quo nequit dari numerus binarius hominum absque eo, quod dentur simul in rerum natura duo homines; quod enim binarius dicat ambos in recto, at verò veritas, actum importet in recto, & obiectum in obliquo, parum refert, tum quia in ordine ad essendum non est rectum, & obliquum: tum etiam, quia ratio obliqui non tollit rationem partis intrinsecè componentis. atque hæc quantum ad exempla ab Arriaga adducta.

Quod verò attinet ad rationem à priori, 42
quam ad suam doctrinam confirmandam adducit, dicendum: verum quidem esse plura nomina concreta significare dari de præsenti solum rectum, siuè demum detur de præsenti obliquum siuè non: vt patet in his propositionibus, Petrus est homicida, Aqua est benedicta, Paries est cognitus &c. at nos in nostro principali argumento non loquti sumus de propositione illa (chimæra est impossibilis) quatenus de ea affirmamus, quod à parte rei sit vera; sed quatenus affirmamus, quod illi à parte rei competit suus veritas formalis. Atqui hoc falsum esset, si eius veritas includeret ipsam chimæram tanquam sui partem essentialem. ergo doctrina de diuersa statu significationis concretorum adducta non solvit difficultatem. Maior patet. Minor verò probatur, quia licèt vera sit hæc propositio de præsenti (hæc aqua est benedicta) quatenus supponatur externa die à Sacerdote benedicta fuisse; falsa tamen est hæc alia (de præsenti habet benedictionem) quia verè non habet illam hodie, sed habuit heri. multò magis igitur falsa erit: hæc alia hæc propositio, qua nunc dico (chimæra est impossibilis) illam habet veritatem formalem à parte rei, quia hæc veritas formalis coalesceret ex ipsa chimæra, quam supponimus implicare.

Respondebit ad hoc fortasse auctor: vocem 43
hanc (veritas formalis) assimilari concretis illis, quæ significant dari de præsenti ipsum rectum, quidquid sit de obliquo. Sed contra est primò: quia quando ab eo asseritur veritatem formalem ex actu, & obiecto componi, vel certe est de ipsa veritate formali secundum se, prælcindendo ab eo, quod hoc, vel illo nomine appelletur, vel quatenus hoc determinato nomine significatur; at neutro modo accepta componitur ex obiecto. Non primò, quia verè à parte rei datur veritas illius propositionis, & non datur obiectum. Neque secundò, quia eius doctrina est, quod ad habendam veritatem hoc nomine significatam non requiratur existentia obiecti; ex hoc enim videtur rectè deduci veritatem hoc nomine significatam non constare ex obiecto tanquam parte sibi intrinseca, & essentiali. Contra etiam est secundò: quia si hæc significatio veritatis ex libera hominum voluntate dependet, quatenus hoc nomen imposuerunt ad

signifi-

significandum dari de præsenti rectum, nihil de obliquo curando: sequeretur, quod veritas, & falsitas in rei veritate non essent attributa disiunctiuè cuicunque propositioni intellectus conuenientia. sed hoc est contra omnes, qui Aristotelem sequuti, propositionem hoc modo definiunt: (Est oratio verũ, vel falsum significans.) quam quidem definitionem dicèt ipse Arriaga non approbet, quia dicit veritatem, & falsitatem esse proprietates ipsius propositionis, & non essentiam: hoc ipso efferit absurdum esse consequens, quod à nobis infertur. Illud autem sequi, probo sic: quia ab impositione nominis præscindendo, & rem ipsam tantummodò considerando, tuno tantùm haberetur veritas propositionis, quando haberetur existentia actus, & obiecti. sed maxima pars propositionum, præsertim scientificarum, non habent obiectum existens. ergo maior earum pars non haberet veritatem secundum se consideratam; sed neque falsitatem, quia militaret eadem ratio. ergo &c.

44 Scio alia absurda ex hac sententia, quam hucusque impugnauimus coram Aduersario illa sustinentes posse deduci: Nimirum ex ea sequi veritatem formalem esse propositionis, qua enuncio: Deum esse Trinum in Personis, componi ex ipsa Trinitate explicitè cognita; quod non videtur concedendum, eo quia veritas hæc adæquatè accepta, est ordinis naturalis, & quid creatum, sicuti supponitur esse ipsa propositio, cui competit. Item falsitatem formalem propositionis, qua impius dixit in corde suo: Non est Deus, componi ex ipso Deo existente tanquam parte sibi intrinseca, quod non videtur minus absurdum, quam præcedens; quia cum falsitas sit dictæ propositionis proprietas, inde deduceretur, quod ipsa propositio sibi virtualiter contradiceret; dum ex vna parte negaret Deum esse, & ex alia exigeret pro attributo aliquid, quod includeret essentialiter ipsum Deum. Verùm sufficiant ad nostram conclusionem confirmandam probationes, quas adduximus.

45 Secunda Conclusio: Obiectum ad veritatem, & falsitatem formalem non pertinet essentialiter tanquam connotatum impurum. Hæc conclusio patet ex dictis sectione secunda, vbi probauimus contra Hurtadum veritatem, & falsitatem non esse totaliter intrinsecas, & essentiales actibus intellectus; nam hoc ipso, secundum propriam entitatem essent essentialiter connexæ cum dictis obiectis, & sic iam resultarent ipsa obiecta tanquam connotata impura; quatenus implicaret existere cognitio, qua ego verè dicerem: (Petrus currit.) Petro minimè currente, & è contra cognitio qua falsè dicerem: (Petrus non currit) verè illo currente. Neque obstat quod Hurtadus sustinet, veritatem esse terminum intrinsecum actui, hæc autem sententia dicens actum ad eam essentialiter pertinere, quia aliud est constituere obiectum tanquam partem essentialem: aliud verò ponere illud, ut terminum extrinsecum essentialiter connotatum. primum negat Hurtadus, & ita negat, vt ex eius sententia rectè deducatur secundum, quatenus eundem actum dicere ordinem essentialem ad obiectum & ratione huius ordinis constitui in ratione veri, vel falsi.

Tertia Conclusio: Obiectum ad veritatem, & falsitatem formalem pertinet essentialiter tanquam connotatum purum. Atque hæc est sententia media inter eam, quam tenet Hurtadus, & eam, quam Arriaga defendit; Hurtadus enim vult veritatem, & falsitatem totaliter totalitate intrinseca esse in actu essentialiter. Arriaga verò putat eam esse in actu partialiter quidem, sed accidentaliter. Nos verò dicimus eam totaliter totalitate intrinseca esse in actu, sed accidentaliter. Præterea vterque putabat obiectum essentialiter imponi, primus quidem tanquam connotatum impurum: secundus verò tanquam compartem: nos verò dicimus pertinere quidem essentialiter, sed tanquam purum connotatum. Atque hæc est ipsissima sententia Suarij, quam docet *disput. 8. metaph. sect. 2.* cuius verba libet afferre, quia non desunt, qui dicunt eum velle veritatem componi intrinsecè ex actu, & obiecto. sic igitur habet *num. 9.* Quare dicendum est, veritatem cognitionis vltra ipsum actum nihil addere reale, & intrinsecum ipsi actui, sed connotare solum obiectum, ita se habens sicuti per actum representatur, & *num. 19.* Concedo, inquit generatim loquendo, veritatem, de qua agimus secundum id totum, quod includit, non esse de essentia actus cognitionis, non tamen inde fit, esse aliquod accidens intrinsecum, & inhærens ipsi actui, sed solum præter entitatem, & intrinsecam perfectionem actus connotare aliquid aliud extrinsecum, sine quo veritatis ratio non subsistit. Quod autem non loquatur de connotato impuro, sed de puro, patet ex *num. 13.* vbi respondens ad argumentum si per absolutam, inquit, intelligas aduersarius solam entitatem actus cum reali, & transcendentali habitudine ad obiectum, quam habet omnino inseparabiliter, & immutabiliter, sic falsum est, veritatem consistere in hoc solo absoluto, quia alias esset omninò immutabilis, manente eodem actu, hæc ille; sed si obiectum esset connotatum impurum hoc sequeretur, quod ipse putat absurdum, ergo &c. In eadem sententia est Comptonus *disput. 44. Logicæ sect. 3. numero 6.* vbi hoc Conclusio: veritas aut falsitas non est actui vero, aut falso intrinseca tanquam essentialis, sed est actus connotans obiectum ita esse, sicut actus illud enunciat; & quamuis postea in progressu videatur hanc sententiam confundere cum illa Arriagæ, quam proximè dicturi sumus, tamen ille concludit, quo ad modum loquendi congruentius dici actum intrinsecè veri connotare obiectum, quam illud includere tanquam partem, tum quia obiectum sæpè non est, cum quia malè sonat, Deum esse partem erroris aut hæresis. Quamuis autem ego non putem meam sententiam ab Arriaga sententia in modo tantum loquendi discrepare, eo quod quæstiones, in quibus de rerum essentijs disputatur, non sunt de nomine, sed de re. Ceterùm ea mens Comptoni præsertim sententia adducenda non esset, quod loquatur de connotato puro, quatenus contendit eundem numero actum posse elici sine obiecto

sit

ſe ſcuti ipſe dicit, ſiuè non.

47 Aſſerto verò noſtra ſic explicata probatur breuiter: quia obiectum pertinet eſſentialiter ad veritatem formalem intellectionis habendam, vti vidimus; ſed non tanquam partem intrinſecè componentem, neque tanquam connotatum impurum, vti probatum eſt. ergo pertinet eſſentialiter tanquam purum connotatum.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiectiones in contrarium.

48 OBijcies primò ex Arriaga *ſect. 1. num. 4.* Ponere in propoſitionibus de futuro, & de præterito denominationem quandam actu intrinſecam, & ratione illius differentiam etiam intrinſecam inter propoſitionem veram, & falſam; cum tamen connotatum illud actu nihil ſit, eſt omnino chimæricum. ſed hæc ponunt, qui dicunt veritatē, & falſitatē conſiſtere adæquatè in ſolo actu intellectus connotante obiectum, tanquam terminum extrinſecum. ergo &c. Minor eſt certa, in ea ſententia, & conſequentia patet. Maior verò explicatur, & confirmatur. Propoſitio naturalis, quæ dicit Antichriſtus erit, habet denominationem intrinſecam veræ, quam non haberet caſu, quo Antichriſtus non eſſet futurus. Tum ſic: illa denominatio intrinſeca non prouenit ab entitate eius propoſitionis vt ſic: quia hæc eſt indifferens ad eſſendum veram, vel falſam, ſed neque ab Antichriſto futuro; quod probo, quia hic tam nihil eſt, quam ſi non eſſet futurus. ergo defactò non magis ab ipſo poteſt prouenire hæc denominatio, quam contradictoria. ergo ponere in dicta propoſitione denominationem veræ actu intrinſecam, & ratione illius differentiam actu intrinſecam à falſa, eſt omnino Chimæricum. Confirmatur. minus abſurdum eſt aſſerere, quod relationes ſint denominationes intrinſecè connotantes terminum, quam quod veritas, & falſitas; quia terminus relationis debet actu exiſtere. at terminus veræ propoſitionis nullus habetur, vndè denominatio illa intrinſeca prouenire; non enim ab Antichriſto prouenit formaliter, quia forma non dat ſuum effectum, niſi ipſa exiſtat; neque efficienter, quia nihil non exiſtens operatur. ergo nullo modo.

49 Reſpondeo primò, retorquendo argumentum contra auctorem. nam eius ſententia eſt veritatem huius propoſitionis (Antichriſtus erit) eſſe compoſitam ex actu, & obiecto. Item aſſumit Antichriſtum tam nihil eſſe defactò, quam ſi non eſſet futurus. tum ſic: hæc ſententia ponit in conſtato ex actu, & obiecto denominationem quandam illi intrinſecam, & ratione illius differentiam etiam intrinſecam inter propoſitionem veram, & falſam; cum tamen Antichriſtus actu nihil ſit. ſed hoc non minus videtur Chimæricum, quam ſi denominatio eſſet tota intrinſeca actui, & ſolum importaret Antichriſtum tanquam purum connotatum. ergo argumentum factum vertitur contra eius auctorem. Maior huius patet, quia conſtatum ex actu illo, & Antichriſto futuro habet in ſententia Auctoris denominationem intrinſecam veritatis, quā non habet, ſi Antichriſtus non eſſet futurus, & ratione huius denominationis differentiam intrinſecam, per quam differt à denominatione falſitatis propoſitionis vt ſic; ſed neque ab Antichriſto futuro, quia hic tam nihil eſt defactò, quā ſi non eſſet futurus: neque dici poteſt, quod prouenial à toto conſtato, quia in eo nihil ſpeciale reperitur, quam in conſtato ex eodem actu, & ex Antichriſto non futuro, quia hic tam nihil eſt, quam ſi non eſſet futurus. ergo hæc etiam ſententia ponit in conſtato ex actu, & obiecto denominationem actu intrinſecam, & ratione illius differentiam etiam intrinſecam inter propoſitionem veram, & falſam, cum tamen vna pars illius actu nihil ſit. Minor verò noſtri argumenti ſic euincitur: tam debet propoſitionem illam de ſe indifferentem determinare ad veritatem potius, quam ad falſitatem habendam, Antichriſtus futurus, ſi eſt compars dictæ propoſitionis veræ; quam ſi eſt extrinſecum connotatum purum. ergo ſi eſt abſurdum, quod Antichriſtus, cum nihil defactò ſit, determinet propoſitionem tanquam terminus extrinſecus ad veritatem habendam: erit non minus abſurdum, quod determinet tanquam pars intrinſeca; imo maius, quatenus ponit Antichriſtum futurum vt partem intrinſecam veritatis, quam docet dari à parte rei, quod idem eſt, ac dicere dari hominē ſine anima rationali exiſtente. quo quid abſurdius? Per quod retorquetur, etiā confirmatio, qua auctor nos impugnat; quia minus abſurdum eſt ponere, quod relatio ſit conſtatum ex entitate fundamenti, & termini, quia terminus debet actu exiſtere, at in conſtato ex actu, & Antichriſto non eſt pars, vnde prouenial intrinſeca denominatio veritatis. Non enim formaliter prouenit ab Antichriſto, quia forma non dat ſuum effectum formalem niſi exiſtat; neque efficienter, quia nihil non exiſtens operatur; neque vt pars, quia pars non exiſtens non poteſt totum permanens conſtituere. ergo &c.

Reſpondeo ſecundò directè ad argumentum, negando maiorem. ad cuius probationem ſuppono, denominationem illam veritatis, quam habet hæc propoſitio: Antichriſtus eſt futurus, eſſe quidem totaliter illi intrinſecam, non tamen eſſe abſolutam, ſed connotatiuam. quo poſito concedo dictam denominationem non prouenire ab entitate propoſitionis vt ſic. ſed nego non prouenire ab Antichriſto futuro tanquam à connotato; & ad illam propoſitionem, qua dicitur, Antichriſtus tam nihil eſſe nunc, quam ſi non eſſet futurus; dico verum quidem eſſe carentiam Antichriſti nunc, quo ad intrinſeca ſua eodem modo ſe habere, ac ſi Antichriſtus non eſſet futurus; ac non quo ad extrinſeca, quia per hoc, quod ſit futurus, ita dicta exiſtentia nunc exiſtit, vt connotet ſe non ſemper exiturum, ſed exiturum eſſe aliquando Antichriſtum, ad cuius aduentum ipſa ceſſabit: at ſi non eſſet futurus, de illa verificaretur, quod ita exiſteret nunc, vt nunquam per totam æternitatem connotaret in aliquo determinato tempore Antichriſtum exi-

Digitized by Google

extiturum, & se non fore; sufficere autem hanc diuersitatem in termino connotato ad tribuendam propositioni denominationem veræ potius, quam falsæ, constat tum ad hominem, quia sufficit in parte: tum etiam, quia non est assignabilis disparitas, cur sufficiat ad denominandum potius Antichristum futurum, quam merè possibilem; & non ad denominandam propositionem illam veram potius, quam falsam. Per quæ patet responsio ad confirmationem: dico enim in sententia ponentium relationem consistere in entitate duorum absolutorum, paritatem ex ea desumptam, esse contra Auctorem; nam quemadmodum per ipsum implicat haberi relationem non existente alterutro ex absolutis, quæ illam componunt, ita implicare deberet haberi veritatem formalem huius propositionis (Antichristus erit), non existente Antichristo: at in mea sententia facilè assignatur disparitas, quia nimirum terminus in ea sententia est pars relationi intrinsecæ: at Antichristus in mea est connotatum extrinsecum veritatis; posse autem rem non existentem extrinsecè connotari, iam est supra probatum, & de se manifestum.

50 Obijcies secundò ex Hurtado *disput. 9. de anima sect. 3. subsect. 2* sententia hæc de connotatis non distinguit veritatem, à falsitate; sed hoc tam absurdum est, quam non distinguere bonitatem à malitia; & vniuersim non distinguere opposita. ergo hæc sententia non est admittenda. Probatur maior, quæ sola probatione eget: eadem entitas actus, posito obiecto, est veritas, & eo ablato, est falsitas. si enim dico (Petrus currit) eo currente, actus est verus sola sua entitate, quin Petri cursus spectet ad eius veritatem etiam partialiter; Petro verò non currente, idem actus erit sola sua entitate falsus, ergo sententia de connotatis non distinguit veritatem à falsitate.

Respondeo, negando maiorem; ad cuius probationem distinguo antecedens: eadem entitas actus, posito obiecto, est veritas, & eo ablato, est falsitas: ita vt obiectum pertineat essentialiter tanquam connotatum extrinsecum ad denominationem actus considerati in ratione veri, & falsi, concedo: ita vt nullo modo ad dictam denominationem pertineat, nego antecedens; & ad eius confirmationem eodem modo distinguo, quando dico: (Petrus currit) eo currente, actus est verus, sola sua entitate; si per particulam illam (sola) excludatur Petri cursus à ratione partis extrinsecæ, concedo: si excludatur etiam à ratione connotati extrinseci essentialis, nego antecedens, & consequentiam; Et dico, sicuti sæpius dixi, actum sola sua entitate absolutè consideratum, neque verum esse, neque falsum, quod si connotet extrinsecè obiectum esse sicuti repræsentatur ab ipso, sola sua entitate per solitudinem essentialem intrinsecam, erit verus, sed non sola sua entitate, per solitudinem essentialem tum intrinsecam tum extrinsecam. Hoc ipsum tenetur dicere hic auctor, si ponamus per impossibile, quod actus in sua sententia essentialiter verus existeret à parte rei diffor-mis ab obiecto, si V. G. dicat (Petrus currit), Petro non currente. In tali casu licet impossibili, ad hoc vt distinguatur veritas formalis à falsitate opposita, debet necessariò fieri recursus ad obiectum, ac dici, quod quamuis actus verus essentialiter sit cum suo obiecto connexus, si tamen intelligatur per impossibile existere, non existente obiecto, non esset verus. sed sic in ratione veri iam constituitur per obiectum extrinsecè importatum. ergo &c.

Obijcies tertiò ex eodem *ibid.* §. 23. si tradita doctrina de connotatis esset vera, eadem ratione possemus dicere actum vitalem esse per suam entitatem vitalem, posseque ex natura sua produci adæquatè ab extrinseco principio, & si sic produceretur, esset vitalis quò ad entitatem, & transiens quò ad denominationem; sed hoc videtur absurdum. ergo &c. 51

Respondeo multos concedere actum vitalem V. G. Intellectionem posse à solo Deo produci in meo intellectu; cum quibus concessa sequela nego minorem, vt suo loco probauimus.

SECTIO SEXTA.

Soluitur obiectio de actibus euidentibus, & fidei Diuinæ.

OBijcies quartò: Actus euidens, & fidei Diuinæ sunt ex se essentialiter veri. ergo, & reliqui omnes. Consequentia patet, quia argumenta nostra, si quid probant, de omni veritate probare debent. Antecedens verò suadetur, quia cognitiones euidentes, & intuitiuæ, quas V. G. Deus habet de obiectis, quæ cognoscit, nec non etiam actus fidei Diuinæ, quos formamus, nè per absolutam quidem Dei potentiam possunt non esse conformes obiectis suis, alioquin esse possent falsi. ergo sunt ex se essentialiter veri. 52

Respondet Arriaga ad hoc argumentum *subsect. octaua* duplici via. Primâ tradit à *num.* 42. negando antecedens; ad cuius probationem, concesso antecedente, negat consequentiam; aitque: malum esse hunc argumentandi modum: Hoc non potest ab illo separari. ergo illud est intrinsecum, & essentiale huic. nam actui euidenti, & intuitiuo nè diuinitùs quidem potest abesse obiectum, & tamen obiectum non est intrinsecum, & essentiale illi. ergo quamuis veritas non possit separari ab eodem actu, & ab actu fidei, non sequitur eam esse totaliter illis essentialem intrinsecam. Porrò hoc directè probat *num.* 34. Ex eo quia absque eo quod intelligatur respectus aliquis in dictis propositionibus, hoc ipso, quod intelligantur trahere obiectũ necessariò, sicuti per eas asseritur, sunt necessariò veræ, quod confirmat primò, quia non minus dictæ propositiones dicuntur veræ, quam reliquæ; ergo non minus in illis denominatio veritatis est partialiter extrinseca. Confirmat secundò, quia licet creaturæ competat essentialiter aliqualis assimilatio cum Deo, tamen ea similitudo est partim intrinseca, & partim extrinseca creaturæ. Quod si quis vrgeat: actus fidei, & euidentes saltem habere exigentiam essentialem, vt obiectum existat, sicuti per ipsos affirmatur; sed in hac exigentia potest

Digitized by Google

consistere veritas. ergo est totaliter his actibus intrinseca. Negat auctor minorem, eo quod veritas, inquit, non definitur: connexio seu exigentia vt sit obiectum, sicuti per actum asseritur, sed quod ita existat obiectum, sicuti asseritur. hoc autem non habetur in ea exigentia, sed in ipsa existentia obiecti, quæ est extrinseca actui.

Verum hæc responsio non procedit; nam ex eo, quod actus illi sint essentialiter connexi cum obiectis sibi cõformibus, & sinõ deducitur obiecta esse illis intrinseca, at rectè colligitur intrinsecam illis esse connexionem cum dictis obiectis. sed in ea potest consistere veritas, eo quod quouis alio circumscripto, haberetur tota intrinseca ratio conformitatis cum obiecto; ergo licèt ille modus argumentandi: Hoc non potest ab illo separari; ergo est intrinsecum, & essentiale huic, absolutè non valet: in casu tamen nostro, posito eo adminiculo, efficax est. Quare ad argumentum positum *num.* 43. possunt respondere Aduersarij implicare contradictionem: dictas propositiones sine vllo respectu ad obiecta sua posse intelligi, illa trahere necessariò; siquidem hæc tractio importat essentialem connexionem cum illis, quæ est formaliter species quædam transcendentalis relationis, vti suo loco probauimus. Ad primam verò confirmationem, negabũt alias propositiones veras similem connexionem cum suis obiectis non habere, & sic dicent omnes in hoc conuenire. Ad secundam verò negabunt antecedens: nimirum assimilationem, quam habent creaturæ cum Deo esse illis partim intrinsecam, & partim extrinsecam; hoc enim ipso quod creatura in ratione entis creati, vel substantiæ dicit relationem transcendentalem ad Deum tanquam ad primũ ens: rectè deducitur assimilationem esse illi totaliter intrinsecam totalitate partium, ad eum planè modum, quo similitudo, quam diceret paries albus A. ad parietem album B. esset illi totaliter intrinseca, hoc ipso, quod similitudo non consisteret in absolutis, sed esset modus intrinsecus fundamento. Denique responsionem ad argumentum ex exigentia essentiali deductum, impugnare poterunt Aduersarij, si dicant; hoc ipso, quod actus euidens, vel fidei est essentialiter connexus cum existentia obiecti, sicuti per Arriagam asseritur, ipsa connexio erit simul exigentia, vt existat obiectum, nec non etiam intensionalis conformitas cum eodem obiecto: ad eum planè modum quo si relatio similitudinis esset modus intrinsecus fundamento, ita esset exactius termini similis, vt simul esset ipsa formalis similitudo cum dicto termino.

53 Secundam vero viam soluendi argumentum principale idem auctor breuiter proponit *sub num.* 45. concedendo antecedens: nimirũ actus euidentes, & fidei esse ex se essentialiter veros; & negando consequentiam, videlicet, alios etiam actus veros esse huiusmodi: disparitatem assignat, quia, inquit, in illis actibus propter speciales rationes tenemur addere prædicatum illud veritatis intrinsecum, quæ non militant in reliquis; & idcirco non est timenda in hoc inconsequentiæ nota, quia diuersa ratio militat pro vtrisque.

54 Sed neque hæc secunda responsio satisfacit; cum enim vniuersaliter hic Auctor *supra subsect. quinta* probauerit veritatem intrinsecè ex actu, & obiecto tanquam partibus essentialibus esse compositam; quo modo nunc concedere potest eam in aliquibus actibus consistere in denominatione totaliter ipsis intrinseca, absque eo, quod à propria sententia saltem ex parte discedere videatur? quamuis enim, qui eam in solo actu adæquatè, intrinseca adæquatione, constituunt, velintque obiectum ad eam solum vt connotatum essentiale extrinsecum pertinere, dicant cognitionem, qua Deus se ipsum cognoscit, & si qua alia est, quæ supra se ipsam adæquatè reflectit, habere veritatem intrinsecè includentem obiectum, eo quod obiectum, & actus sunt vna indiuisibilis entitas: nihilominus tamen hoc non contradicere suæ vniuersali conclusioni rectè defendere possunt, si nimirum addant, quod hoc sit intelligendum de veritate materialiter consideratã: Cæterum formaliter etiam in his cognitionibus respicere obiectum tanquam quid extrinsecum, hoc est non pertinens ad intrinsecam sui rationem, ad eum planè modum, quo, licet animalitas in homine sit eadem indiuisibiliter cum rationalitate: ea tamen formaliter accepta, non importat illam vt partem constitutiuam sui, sed solum vt connotatum, cum quo tanquam cum comparte constituit essentiam hominis ex animalitate, & rationalitate constantem. At vero Arriaga in casu de actibus euidentibus, & fidei Diuinæ non potest se simili distinctione tueri, sed debet absolutè concedere in hac secunda via suam vniuersalem doctrinam de veritate in dictis actibus veritate carere; quod non videtur sine vrgenti ratione concedendum.

55 Tertia responsio ad principale argumentum potest desumi ex Suario *disput. citata de verit. num.* 14. vbi docet denominationem veri dupliciter alicui cognitioni tribui posse. Primò radicaliter: Secundò formaliter. Formalem denominationem dicit consistere in actuali conformitate cognitionis cum obiecto. Radicalem verò in perfectione quadam cognitionis, ex qua oritur ei dicta conformitas, qua posita doctrina, respondetur ad argumentum primum, distinguendo antecedens: actus euidentes, & fidei diuinæ sunt ex se essentialiter veri, veritate radicali, concedo; formali, nego antecedens, & consequentiam; & ad probationem antecedentis dici potest: ex eo quod cognitio euidens, & actus fidei non possunt per absolutam Dei potentiam cum falsitate coniungi, solum sequi radicalem veritatem esse illis adæquate essentialem, quæ in actu euidenti est perfectio euidentiæ, in actu verò fidei perfectio certitudinis; quam perfectionem cum non habeant reliqui actus veri, hinc fieri, vt non exigant ex suis intrinsecis cum formali veritate indispensabiliter esse coniuncti. Hanc responsionem post varios an fractus amplectitur Oviedus *controu. 7. de anima puncto primo* §. 4. *in fine num.* 3. & eam etiam amplectitur Quiros *num.* 16.

56 Sed neque hæc soluit difficultatem; Primò,

quia euidentia, & certitudo includunt tanquam partem sui veritatem, de qua loquimur. ergo non possunt ad eam comparari vt radices illius. Consequentia patet, nemo enim dixit hominem esse radicaliter rationalem, sic enim rationalitatem dicit, vt sit formaliter talis. Antecedens verò probatur, & quidem de certitudine patet ex his, quæ docet Cardinalis de Lugo *disput. 6. deinde sect. prima* vbi, confutatis alijs sententijs, probat ad certitudinem formalem, de qua loquimur, requiri essentialiter connexionem necessariam cum veritate obiecti, & firmam adhæsionem excludentem actualem formidinem, vt concludit *num.* 18. sed seclusa quacumque alia re, ipsa connexio necessaria cum veritate obiecti est formalis veritas, vti probauimus. ergo &c. De euidentia autem Probatur etiam: quia ea, siue moralis sit; siue physica, cum, absolutè loquendo, stare possit cum falsitate obiecti, non est veritas radicalis; at si metaphysica est, quam habet cognitio euidens, de qua loquimur: ea essentialiter consistit in clara cognitione, quod res nullo alio modo se habere possit, nisi eo modo, quo repræsentatur ab ipsa. Importat igitur essentialiter conformitatem sui cum obiecto: si non intrinsecè, at saltem præsuppositiuè, quatenus supra se ipsam in modo tendendi reflectit; & sic etiam repugnat eam importere perfectionem, ex qua tanquam ex radice veritas formalis procedat. Quoniam verò dici potest cum Comptono *disput. 44. log. sect. 5.* radicalem hanc veritatem consistere in perfectione quadam intrinseca, & essentiali actui exigitiua obiecti sibi conformis, quæcumque tandem sit,

57 Contra hoc arguo secundò: quia dato, quod in actu euidenti præter perfectionem euidentiæ, & in actu fidei præter perfectionem certitudinis, detur quædam alia perfectio exactiua veritatis formalis: non potest tamen negari quin dicta veritas formalis sit illis totaliter intrinseca totalitate partium seu entitatis, ratione transcendentalis ordinis, quem dicunt ad sua obiecta, sicuti repræsentantur ab ipsis; ad eum plane modũ, quo similitudo esset totaliter in fundamento, si relatio prædicamentalis esset modus ipsi fundamento inhærens, licet ab eo exacta; ergo non obstante hac radicali veritate recurrit argumentum de formali.

58 His igitur responsionibus posthabitis: Respondeo ego facilè iuxta mea principia, distinguendo antecedens principalis argumenti: actus euidentes, & fidei Diuinæ sunt ex se essentialiter veri, ita vt eorum veritas sit denominatio connotatiua, importans etiam obiectum tanquam essentiale connotatum, concedo: ita vt sit omninò absoluta, & adæquatè intrinseca dictis actibus nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis dico, actus euidentes, & fidei Diuinæ esse quidem essentialiter veros; sed eorum veritatem non esse formam omninò absolutam sed connotatiuam. dicit enim in recto ipsos actus, & connotat essentialiter in obliquo obiecta, quibus illi habent essentialiter esse conformes. Ad probationem verò consequentiæ alo, etiam reliquos actus veros conuenire cum euidentibus, & fidei in eo, quod eorũ veritas non sit denominatio omninò absoluta consistens vel in solo actu, vel in conflato ex illo, & obiecto; sed connotatiua, dicens in recto actum cum hac determinata representatione obiecti, & in obliquo obiectum eo modo existens, sicuti representatur ab actu, sed extrinsecè. Ex quo sequitur nullam veritatem formalem esse omninò absolutam, sed omnem esse connotatiuam; differre autem veritatem actuum euidentium, & fidei, à veritate cæterorum per hoc, quod illa sit dictis actibus essentialis, hæc verò accidentalis cæteris; eo quod actus illi sunt essentialiter connexi cum suis obiectis; reliqui verò nullam habent huiusmodi connexionem, sed contingenter competit illis, quod eorum obiecta sint defacto, sicuti repræsentantur ab eis, & non aliter.

Instabis: nos supra docuisse obiectum pertinere ad veritatem essentialiter extrinsecè non tanquam connotatum impurum, sed tanquam purum; sed nunc fatemur ad veritatem actuum euidentium, & fidei diuinæ pertinere tanquam connotatum impurum; ergo iam concedimus, quod supra negabamus. Respondeo, aliud esse loqui de veritate in sensu reali, aliud verò in sensu formali. Iam quando nos supra docuimus obiectum pertinere ad veritatem tanquam connotatum purum, loquuti sumus de veritate formaliter, & secundum se consideratæ, spectando ea, quæ præcisè ad eius rationem habendam in actibus necessaria sunt; at verò dum fatemur ad veritatem actuum euidentium, & fidei pertinere obiecta tanquam connotata, impura agimus de eorum veritate, prout omnibus pensatis à parte rei se habet, & putamus dictam imparitatem procedentem à connexione, quam huiusmodi actus cum illis habent per accidens ad rationem veritatis, ut sic, se habere; eo quod si præscindamus ab eo, quod dicti actus sint cũ suis obiectis essentialiter connexi, per hoc præcisè, quod conformentur illis intentionaliter; quatenus, quod ipsi dicunt, reperiatur in illis, adhuc habebimus illos formalissimè veros. sic distincta maiore, & minore, argumenti, negamus consequentiam. 59

Quæri posset hic cum Recentioribus: num actus, qui versantur circa materiam necessariam habeant essentialem connexionem cum suis obiectis V. G. actus, quo ego dico: Antichristus est possibilis; an sit essentialiter connexus cum possibilitate Antichristi, ita vt si per impossibile Antichristus ex possibili euaderet impossibilis, dictus actus etiam impossibilitaretur. 60

Arriaga *loco citato num.* 46. negatiuè respondet, quod probat ex eo, quia non minus actus affirmans: Antichristum existere, respicit actualem eius existentiam, quam affirmans posse existere: existentiam possibilem. atqui actus dicens, Antichristus existit, non habet essentialem connexionem cum eius existentia. ergo neque actus, qui dicit: Antichristus est possibilis, erit cum eius possibilitate habebit. 61

Contra verò Comptonus *loco citato* respondet affirmatiuè. Rationem assignat contra Arriagam, quia, inquit, actus, qui affirmat existentiam 62

Digitized by Google

Antichristi, etiam si ea non habeatur à parte rei, retinet obiectum suum; at ille qui affirmat Antichristum esse possibilem, ex hypotesi quod Antichristus euaderet impossibilis, mutaret obiectum. undè sic argumentatur ad hominem contra Arriagam: non potest per ipsum eadem propositio nunc determinatè significare solum instans A. & postea solum instans B. ut fatetur *num.* 54. ergo multò minus poterit idem actus modò habere pro obiecto Antichristum possibilem, modò verò impossibilem. plus enim hæc duo obiecta inter se differunt, quam duo illa instantia.

63 Verùm ego existimarem Arriagæ sententiam sustinendam esse; & ad rationem Comptoni in contrarium, dicendum: dupliciter intelligi posse actum mutare obiectum suum: primò quo ad repræsentationem, & expressionem, quam habet illius: secundò quo ad ipsum esse obiecti ab ea expressum, ac repræsentatum. primo modo actus mutaretur intrinsecè, secundo verò modo extrinsecè tantum, si non esset essentialiter cum illo connexus; quod si connexus esset, etiam intrinsecè mutandus esset. Iam verò cum actus, qui dicit, Antichristus est, cum qui dicit, Antichristus est possibilis, impossibile est quod mutent obiectum suum primo modo; siquidem repræsentatio est illis æquè essentialis: at verò quæstio nostra non procedit de hac mutatione, sed de mutatione secundo modo; de qua nego priorem partem assumpti, in quo dicitur: quod actus qui affirmat existentiam Antichristi, etiam si postea hæc non habeatur à parte rei, retinet obiectum suum; aio enim, quod huiusmodi actus non minus mutaret obiectum, quam ille alius, qui affirmat possibilitatem Antichristi ex hypotesi, quod hic euaderet postea impossibilis. quamvis enim obiectum prioris actus retineret possibilitatem, actus tamen illam non affirmat de Antichristo, sed actualem existentiam, & sic variationem patitur in obiecto. Quare ad argumentum, quod adducit Comptonus ad hominem contra Arriagam: concesso antecedente, nego consequentiam; disparitas lata est, quia significatio est eadem cum repræsentatione; vndè si posset eadem propositio modò significare instans A. modò instans B. suam essentiam intrinsecam variare posset: at per hoc, quod idem actus, modò habeat pro obiecto extrinseco Antichristum possibilem, modò impossibilem, non mutatur nisi extrinsecè.

64 Instabis cum Comptono *ex num.* 11. Antichristus possibilis est verum ens, impossibilis est Chymæra; sed idem actus, licèt possit simul repræsentare ens verum, & ens Chymæricum tanquam duo obiecta partialia, non potest tamen prius repræsentare vnum, & postea alterum, ita vt quodlibet eorum, vt obiectum totale respiciat. ergo actus, qui versatur circa materiam necessariam, est essentialiter cum suo obiecto connexus. Respondeo concessa maiore distinguendo minorem: non potest idem actus prius repræsentare ens verum, & postea ens chymæricum, tanquam duo obiecta totalia, si sit certus, & euidens, concedo; si non sit euidens neque certus, subdistingo, nulla facta suppositione impossibili, concedo: posito per impossibile, quod obiectum reale euaderet Chymæricum, nego minorem; & distinguo eodem modo consequens: actus, qui versatur circa materiam necessariam certò, & euidenter, est essentialiter connexus cum suo obiecto, concedo: si non versatur certò, & enidenter, sicuti supponimus in hac controuersia, nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia quandiù non habetur certitudo, & euidentia, potest intellectus non aduertere transitum Antichristi ex ente vero in Chymericum, & sic potest eodem modo quo ad intrinseca sua repræsentare illum sicuti prius. Contra hanc doctrinam frigida est illa instantia quam adducit idem Comptonus *sub num.* 12. Si obiectum, inquiens, re ipsa mutatur, & de possibili redditur impossibile: actus prædicata illa repræsentare amplius non potest, cum mutata sint in alia; ad eum planè modum, quo si Deus, annichilato Petro, eius loco sufficeret Paulum: visio materialis, quæ prius terminabatur ad Petrum, non posset postea terminari ad Paulum. Negarem enim facilè assumptum, & ad probationem ex visione materiali desumptam, dicerem: visionem alicuius obiecti durare quandiù obiectum medijs speciebus à se actu dependentibus influit in illum; & ideò in eo casu debere connaturaliter mutari visionem, eo quod species mutarentur: quod si Deus suppleret influxum, adhuc conseruando species Petri, quem annihilauit; dicerem, quod adhuc visio illa repræsentaret Petrum, & ex hoc retorquerem argumentum, quia non obstante mutatione obiecti de existente in non existens, idem actus visionis inuariatus quo ad intrinseca permaneret. Denique si dicamus Paulum suas species immittere in oculum prioribus speciebus iam corruptis, quid mirum si mutetur visio quo ad entitatem? at non præcisè per mutationem obiecti, vt patet; sed per mutationem principij effectiui, vt supponitur.

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA SEXTA

AN IDEM NVMERO ACTVS POSSIT Transire de vero in falsum.

1 HAEC quæstio non procedit iuxta sententiam ponentium veritatem, & falsitatem essentialiter competere actibus, vt de se patet; quia implicat rerum essentias mutari posse; sed habet locum in sententia eorum, qui dicunt competere actibus accidentaliter, quatenus præter intrinsecam entitatem sui ipsorum, sustinent importare entitatem obiecti siuè tanquam partem, siuè tanquam connotatum. hi enim quamuis doceant actum, qui nunc est verus, & conformis obiecto potuisse esse ab initio suæ productionis difformem, & falsum: dubitant tamen num, si semel existens fuit verus, possit defactò procedente tempore incipere esse falsus. Pro decisione huius difficultatis sit

SECTIO PRIMA.

Communis sententia in ordine ad quosdam actus defenditur.

2 PRima Conclusio: Actus qui significant determinatè aliquod instans, vel tempus, siuè hoc præsens sit, siuè præteritum, siuè futurum, implicat contradictionem, quod de veris mutentur in falsos, vel è contra. Est ferè certa teste Arriaga *disput. 14. Log sect. 2. sub. num. 49.*

3 Probatur, quia nulla alia ratione actus intellectus mutari potest de vero in falsum, nisi ratione mutationis obiecti; sed implicat mutari obiectum illius actus, qui significat determinatè aliquod tempus, vel instans, siuè præsens sit, siuè præteritum, siuè futurum. ergo &c. Maior huius patet, quia ex eo, quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa. ergo vt mutetur propositio de vera in falsa, requirit necessariò mutationem in obiecto. Minor verò suadetur, quia implicat obiectum, quod pro aliquo determinato tempore, vel instanti existit pro eodem tempore, vel instanti mutari in non existens. ergo implicat mutari obiectum illius actus, qui significat determinatè aliquod tempus vel instans. Confirmatur, & explicatur. sit propositio, quæ dicat, Petrus in hoc instanti A. V. G. peccat. hæc si vera est, supponit existere peccatum Petri in instanti A. ergo adhoc vt postea transeat in falsam, debet supponere, quod dictum peccatum in illo instanti non existat. sed implicat, quod eadem res existat simul, & non existat in eodem instanti. ergo implicat, quod actus, qui significat determinatè aliquod instãs, vel tempus siuè præsens, siuè præteritum, siuè futurum, mutetur de vero in falsum. nam in hoc videtur esse par ratio de omnibus, quia sicuti implicat, quod res sit, & non sit ita, quod fuerit, & non fuerit, seù quod futura, & non futura sit.

4 Secunda conclusio. Actus, qui significant aliquod instans, vel tempus indeterminatè, nimirum, vel hoc vel illud, neque possunt mutari de veris in falsos. ita Arriaga *loco citato sub num. 51:* Oviedus *de anim. contro. 7. puncto 4.* & alij.

5 Probatur: quia sit actus, qui dicat: Petrus hodie peccat, significans aliquod instans hodiernum indeterminatum, siuè matutinum siuè meridianum, siuè vespertinum, ad hoc vt sit verus, sufficit si in aliquo ex his instantibus Petrus peccatum committat, vt verò sit falsus, necesse est, quod in nullo. at implicat, quod in aliquo ex dictis instantibus Petrus committat peccatum, & quod in nullo ex eis illud committat, quia verificarentur duo contradictoria, vt peccatum Petri esset simul, & non esset. ergo si huiusmodi actus est verus, implicat, quod mutetur in falsum; si falsus quod mutetur in verum.

6 Tertia Conclusio: Actus qui significat plura instantia, vel tempora collectiuè, non potest mutari de verò in falsum. Ita Oviedus *loco cit. numero 5.* Probatur facile ex dictis: quia actus, qui dicit, Petrus vixit centum annos, ad sui veritatem requirit, vt non solum in nulla temporis particula, sed etiam in nullo instanti contento intra spatium centum annorum, anima Petri non fuerit eius corpori vnita. sed ad hoc, vt sit falsus, requirit, vt saltem in aliquo instanti contento non fuerit vnita: ergo si ex vera mutari posset in falsum, posset eadem anima in eodem instanti contento intra illud spatium, esse, & non esse vnita corpori; quod implicat. actus igitur, qui significat plura instantia, vel tempora collectiuè, non potest de verò mutari in falsum.

7 Obijcies primò: actus, qui verè *hodie* dicit: Petrus cras curret. si conseruetur vsque ad crastinum erit falsus. ergo potest *idem* actus transire de vero in falsum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Conseruatus vsque ad crastinum, vel significat idem tempus, quod significauit prius, vel non: si primum, erit falsus, quia illo tempore Petrus non curret de futuro, sed currit de præsenti: si non significat idem tempus, sed tertium consequentem diem, in eo potest Petrus non currere; ergo poterit etiam esse falsus.

Res-

Digitized by Google

Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem dico, illum actum conseruatū cras significare idem tempus, quod prius, nimirum crastinum, & hoc non obstante esse verum ad rationem verò in contrariū aio, dupliciter tempus illud crastinum considerari posse, primò in se, & sic habet rationem præsentis, & non futuri, secundò respectu diei præcedentis, in quo primo formatus fuit ille actus, & sic dico crastinum illud non solum quando existit, sed per totam æternitatem à parte post habere rationem futuri. sic Imago Regis nostri Catholici Caroli Secundi, quæ eum exprimit puberem, hinc ad octoginta annos, vel etiam plures, Deo fauente, erit vera eius Imago, non quidem, si Rex tunc secundum se spectetur, quia tunc temporis erit senex, sed si spectetur pro vt est hoc tempore, quo depictis coloribus expressus est. Non negauerim tamen illum actum interum durantem cras non significandum tunc ijsdem verbis cras, quibus significabatur hodie. dicendum enim est, Petrus currit, non curret; ratio est, quia cum verba ex libera hominum impositione significent, diuersas habent significationes pro vt in diuersis circumstantijs proferuntur; quia primi linguarum auctores ita voluerunt, quibus placuit actionem currendi expressam per tempus præsens significare cursum tunc temporis exercitum per tempus verò futurum, exercendum tempore sequenti &c. Hoc autem non contingit actui interno, quo dico, Petrus curret cras, quia cum ille natura sua significet, *si crastinus* erit dies Ascensionis Christi Domini anni 1673. V. G. hinc ad mille annos exprimet huiusmodi diem vt futurum per relationem ad præcedentem, in quo formatus fuit. Atque ex his patet responsio ad illam aliam obiectionem ductam ex Iudeo, qui paulo ante Natiuitatem Christi dixit: Messias nascetur, & actum hunc post Natiuitatem continuauit: dicendum enim huiusmodi actum, etiam post Natiuitatem, suam retinere veritatem; quia solum affirmauit, quod pro eo instanti, pro quo primò productus fuit, Christus non dum natus erat, sed quod nasceretur post illud instans, quod semper est verissimum etiam nunc.

8 Instabis: faciamus quod actus internus, quo hodie dico, Petrus curret, eodem modo significet, sicuti propositio externa. sed hæc si perseueraret cras, esset falsa. ergo, & ille. Respondeo negando maiorem, quia, vt modo dicebam, propositio mentalis ex sua essentia habet significare suum obiectum; quare sicuti non potest procedente tempore mutare essentiam, ita neque significationem: contra verò externa habet significare ex impositione hominum, qui possunt ex mutatione circumstantiarum facere, vt significatio varietur.

9 Objicies secundo: hic actus, quo dico: (modo incipio loqui), est verus pro primo instanti, pro sequentibus verò falsus; sed hic actus significat determinatè aliquod instans; ergo actus significans determinatè instans, potest mutari de vero in falsum. Respondeo, negando maiorem, quo ad secundam partem, dico enim dictum actum non solum pro primo instanti esse verū, sed etiam pro frequentibus; quia posito, quod ego in primo instanti loqui cæpi, pro quocumque instanti sequenti etiam per totam æternitatem vera erit expressio, quæ meæ loquutionis initium cum illo primo instanti coniungit.

Objicies tertiò: ponamus actum, quo dico: (Petrus nunc dormit) esse verū. tum sic: hic actus si continuetur per horam, vel post illam à Deo reproducatur, potest defactò esse falsus; ergo idem numero actus ex vero potest transire in falsum. Antecedens probatur, quia potest Petrus post illud instans, vel etiam post horam, euigilare. ergo potest defactò actus ille esse suo dictorme obiecto, quia etiam tunc dicit: nunc Petrus dormit. 10

Respondeo, admisso casu: nego antecedens: ad cuius probationem dico, quod cum actus ille determinatè expresserit Petrum habere coniunctionem cum somno pro eo primo instanti, pro quo primò extitit, quando Petrus verè dormiebat; siue postea duret per horam, siue reproducatur à Deo, semper representabit dictam coniunctionem pro eo primo instanti exercitam; & sic quamuis Petrus post illud instans euigilauerit, non idcircò actus amittet suam veritatem, quam prius habuit. Id verò, quod vltimo loco addebatur, videlicet actum illum etiam tunc dicere (nunc Petrus dormit) distinctione eget; & siquidem particula, nunc, referatur ad particulam tunc, falsum erit assumptum, quia sensus esset, quod actus post illud instans existens, affirmet Petrum etiam tunc temporis dormire, quod est impossibile. sic enim actus mutaret obiectum suum determinatum, quatenus in primo instanti repræsentabat solum primum instans, postea verò tempus consequens; non enim dici potest, quod ab initio repræsentasset verumque; nam sic ab initio veritate caruisset, cum supponamus Petrum post illud primum instans euigilare. Quod si particula, tunc, non referatur ad tempus, in quo propositio conseruatur, aut reproducitur, sed ad illud solum primum instans, ad quod significandum ab initio prolata fuit, verissimum erit assumptum; quia sic sensus illius est quod illa, etiam post primum instans, imò, & per totam æternitatem, si duret, semper dicit Petrum dormire in eo determinato instanti, in quo primo prolata fuit. Quare notandū aliud esse dicere nunc: (Petrum dormire nunc) aliud verò dicere nunc: Petrum dormire tunc: Porrò de illa propositione in primo suæ prolationis instanti verificatur primum, non secundum; tempore verò consequenti verificatur de ea secundum, & non primum. ratio huius diuersitatis est, quia huiusmodi propositiones, licet sint indifferentes in essendo pro quocumque instanti determinato: non sunt tamen indifferentes in representando quodcumque determinatum instans, sed maximè determinatæ; vnde non debet ab vna indifferentia ad aliam fieri transitus.

Objicies quartò: idem actus potest esse simul verus, & falsus. ergo multò magis poterit mutari de vero in falsum. Consequentia videtur solida. Antecedens probatur. sit actus, quo dicit: Petrus dormit: Berta filia: po- 11

ter

Digitized by Google

test hic actus esse conformis vni obiecto, & difformis alteri ex suppositione, quod Petrus currat, & Berta non filet. sed nihil vetat hanc suppositionem purificari, ergo nil vetat actum illum esse simul verum, & falsum.

Respondeo, negando antecedens: ad cuius probationem, concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia, vt fert commune proloquium, Bonum ex integra causa, Malum verò ex quocumque defectu. cum igitur veritas sit bonum cognitionis, falsitas verò malum; hinc fit, vt cognitio non possit censeri simpliciter vera, nisi nulla penitùs falsitate laboret; quod si respectu vnius tantum obiecti falsa est, licèt habeat plura alia, quibus conformetur, dicenda est simpliciter falsa; vera autem non, nisi secundum quid. Atque hoc, loquendo de cognitione, quæ disparatè fertur in plura obiecta. nam ea, quæ in illa coniunctim fertur, sicuti est hæc. Omnis homo currit; nè quidem secundùm quid potest dici vera, si currentibus cæteris hominibus, vnus tantum non curreret. quia hæc ex modo tendendi in omnes homines fertur indiuisibiliter omninò, ac si essent vnum, & idem obiectum.

12 Obijcies quintò: idem actus respectu eiusdem omnino obiecti potest esse simul verus, & falsus; ergo multo magis de vero mutari in falsum. Antecedens probatur: ponamus, quod Petrus videns Paulum cogitabundum dicat, intra se: Paulus nunc affirmat verum: contra verò Paulus secum ipse dicat: Petrus nunc affirmat falsum. in hoc enim nulla apparet repugnantia. tum sic; hæc duo iudicia circa idem omninò obiectum sunt vera simul, & falsa. ergo &c. Consequentia patet, antecedens probatur, quia si iudicium Petri est verum; ergo conformatur suo obiecto; sed hoc ipso quod conformatur suo obiecto, est falsum, quia obiectum eius est iudicium Pauli, quod dicit iudicium Petri esse falsum. ergo est simul verum, & falsum.

Idem dicendum si dicas, iudicium illud Petri esse falsum, quia iam esset suo obiecto difforme; sed hoc posito, esset verum, quia iudicium Pauli, quod est eius obiectum, dicit, illud esse falsum. ergo esset simul verum, & falsum. Simile argumentum fieri potest de iudicio Pauli.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem; admitto casu, dico vtrumque iudicium ita esse falsum, vt neutrum sit verum. Ratio est, quia iudicium, ad hoc vt sit verum, debet affirmare aliquam veritatem obiectiuam fundamentalem distinctam ab ipso iudicio, alioquin non posset esse falsum. ergo sensus illius propositionis, qua Petrus dicit: Paulus nunc affirmat verum, est, quod cognitio Pauli habeat pro obiecto aliquam veritatem fundamentalem distinctam ab ipsa propositione Petri; sed hoc est falsum; ergo ipsa falsa est, & nullo modo vera, quia non habet fundamentalem veritatem à se distinctam. Hoc ipsum dicendum de cognitione Pauli, qua dicit: Petrus nunc affirmat falsum; imò si diceret, quod affirmaret verum, sicuti cognitio Petri, adhuc veraque esset falsa propter eandem rationem; quia vtraque affirmaret dari veritatem fundamentalem à se distinctam quod falsum est. Atque ex his remanet soluta illa difficultas, quam adducit Tullius in Lucullo, sic Academicos discurrentes inducens: Dicat aliquis; Ego nunc dico falsum; per hanc eandem cognitionem: tum sic. hæc cognitio respectu eiusdem obiecti esset vera simul, & falsa; nam si vera, verum esset, quod affirmat, sed affirmat se esse falsam. ergo esset simul falsa. Quod si falsa: falsum esset, quod affirmat; sed affirmat se esse falsam, vera igitur esset etiam, & falsa. Respondendum enim, quod eum dicta cognitio non haberet veritatem obiectiuam fundamentalem à se distinctam, si aliundè non repugnaret, esset tantùm falsa, & non vera. Quod si volebant Aduersarij, eam habere aliud obiectum, quod directè cognosceret: Respondendum, implicare contradictionem intellectum ferre iudicium de aliquo obiecto, & simul indicare iudicium illud esse falsum, quia tenderet in sibi malum cognitum vt malum; nam falsitas est malum intellectus, vt patet.

SECTIO SECVNDA.

An dari possit aliquis alius actus à prædictis distinctus, qui de vero in falsum mutari possit.

13 Conclusio est affirmatiua, & communis inter antiquos tam Philosophos, quã Theologos, quos sequitur Suarez *disput. 8. metaph. sect. 2. num. 19.* Quiros *in suo cursu disput. 92. sect. 2.* Contra quam plures Recentiores, inter quos est Hurtadus *disput. 9. de anim. sect. 4.* Arriaga *disput. 14. Log. sect. 2. subsect. prima.* Ouiedus *controu. 7. de ani. puncto. 2. §. 1.* Comptonus *disput. 45. Log. sect. prima, & secunda*, & alij. Item Izquierdo, Alphonsus a Spinola, & alij *loci citati* à Quiros.

14 Probatur primò Conclusio auctoritate: Aristoteles enim in Prædicamentis *cap. de substantia*, postquam probauit maximè proprium substantiæ esse cum vnum, & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse, sic subdit: (in alijs autem nullis aliquod tale videtur, nisi quis forsan instet dicens, orationem, & opinionem contrariorum esse susceptibilia. eadem enim oratio vera, & falsa videtur esse: veluti si vera sit oratio, sedere quempiam, eo surgente, ipsa eadem falsa erit. similiter autem, & de opinione. si quis enim verum putet: aliquem sedere, surgente eo, falso putabit, eandem de ipso opinionem habens): sic ille: Porrò cum hæc sit obiectio, quam sibi ex sententia aduersariorum proponit, atque adeò non possit ex ea colligi à nobis illius mens: rectè tamen colligitur ex responsione, quam adducit, quæ duplex est: Et in priori quidem concedit orationem, & opinionem de vera in falsam mutari posse, atque adeò esse contrariorum susceptibilia; sed negat consequentiam disparitatẽ adducendo, eo quod oratio, & opinio licèt suscipiant contraria, non tamen per mutationem sui, sed obiectorum tantum id præstant: contra verò substantia cum ex calida V. G. fit frigida &c. Verba eius sunt (nam ea, quæ in substantijs sunt, ipsa quidem

mutata

Digitized by Google

mutari susceptibilia sunt contrariorum. Oratio autem, & opinio ipsa quidem immobilia omninò perseverant; cum verò res mouetur, contraria circa ipsa fiunt. Oratio namque eius, quod sedeat aliquis, permanet eadem: cum verò res mota sit, aliquando vera, aliquando falsa dicitur; similiter autem est in opinione, quapropter saltem modò proprium substantiæ est, vt secundum mutationem sui ipsius susceptibilis sit contrariorum) in secunda verò responsione negat quidem Philosophus, absolutè orationem, & opinionem suscipere posse contraria, etiam si ex veris possint fieri falsa, & ex falsis veræ, eo quod nihil dicitur recipere vnum contrarium, & abijcere alterum, nisi aliquam mutationem in se ipso subeat: sic enim habet (si quis autem recipiat etiam hanc orationem, & opinionem susceptibilia esse contrariorum, non est hoc verum. Oratio namque, & opinio non eo, quod ipsa aliquid recipiant, contrariorum susceptibilia esse dicuntur, sed eo quod circa alterum aliqua passio facta sit; nam eo, quod res est, aut non est, eo etiam oratio vera, vel falsa esse dicitur. Non ea quod ipsa susceptibilis sit contrariorum, simpliciter enim à nullo, neque oratio neque opinio mouetur. Verum substantia eo, quod ipsa contraria recipiat: hoc susceptibilis esse contrariorum dicitur) Hæc Philosophus, quem videt in vtraque responsione ex propria sententia admittere eadē numero orationem, & opinionem posse mutari de vera in falsam, & è conuerso.

15 Ad hanc euidentissimam Aristotelis auctoritatem respondent primò Nominales: eum non fuisse iuxta propriam sententiam locutum. Sed contra hanc responsionem facit primò auctoritas D. T. qui *prima parte quæstione 14. art. 13. ad tertium* arguens contra Nominales, qui dicebant idem esse enumerabile: Christum nasci, & esse nasciturum, & esse natum: ex hoc, inquit, sequeretur, quod propositio, quæ semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio (Socrates sedet) vera est, eo sedente, & eadem falsa est eo surgente. ergo S. T. putauit Philosophum in hoc ex propria sententia loquutum fuisse, & quod malus est existimauit dictam sententiam esse veram, aliter non argumentatus esset ex eà contra Nominales. Contra etiam est secundo, quia si existimasset Aristoteles non posse eandem orationem de vera fieri falsam, & è contra, facilè potuisset negare aduersarijs assumentibus, quod posset, & non tanta prolixitate verborum duas responsiones eis daret, & in vtraque concederet quod assumebant, ne verbum quidem de probabilitate contrariæ sententiæ faciendo.

16 Ad vtriusque auctoritatem respondet secundò Arriaga *loco citato sect. num. 63.* D. T. posse ibi explicari non de eadem numero propositione, sed de alia omninò ei simili. Aristotelem verò loquutum de propositione externa, non de mentali.

17 Sed, contra explicatio procedit. Non primò primò, quia sic de diuersa propositione loqueretur D. T. ac loquutus esset Philosophus; nam vnus ageret de mentali non eadē numero phy-

sicè, sed moraliter, vt alij loquuntur. Contra verò Aristoteles de eadem numero physicè externa. sed si hoc esset, malè D. T. adduceret ad suam sententiam confirmandam auctoritatem Physiosophi, eo quod de alia omninò propositione ageret, & non de eadem; ergo &c. 18

Deinde sic arguo; hæc explicatio, quod D. T. non loquatur de eadem numero propositione, sed de alia omninò ei simili, non fauet Arriagæ. ergo ad nihil inseruit. Probo antecedens: sit propositio vera (Petrus loquitur in instanti A.) hæc non habet alias omninò similes nisi illas, quæ dicunt, Petrus loquitur in instanti A. nam illæ, quæ affirmant, cum loqui in instanti B. vel C. vel D. cum exprimant diuersa tempora diuersificantur inter se. sed posito quod vna ex illis, quæ dicunt: Petrus loquitur in instanti A. est vera, implicat alias, quæ idem affirmant esse falsas, & è contra ex suppositione, quod vna sit falsa, alias quoque falsas esse necesse est. ergo dicere, quod D. T. quando asserit, quod eadem propositio mutari possit de vera in falsam, non loquatur de eadem numero, sed de alia omnino ei simili, non fauet Arriagæ; & rectè id quidem, si enim faueret maximè quia ratione illius alterius similis sibi, posset dici falsa, quæ ratione sui prius erat vera, sed si est omnino similis illi, id repugnat. ergo &c.

Quod verò neque explicatio, quam tribuit 19
auctor auctoritati Aristotelis sit probabilis. Patet primò, quia etiam si verum esset, quod de sola propopositione externa affirmaret Physiosophus posse eam mutari de vera in falsam: hæc sicuti non est propositio, nisi denominatiuè quatenus videlicet informatur interna, ita non est vera neque falsa nisi per denominationem extrinsecam desumptam ex veritate, & falsitate propositionis mentalis; ergo si vocalis de vera in falsam mutari potest, per prius necesse est vt possit ipsa mentalis cui per se competit veritas, & falsitas, & ex quia vtraque affectio in vocalem deriuatur. Deinde Aristoteles non solum loquitur de oratione, quo nomine appellari potest etiam externa propositio; sed etiam de opinione, quæ per se loquendo importat solum actum intellectualem, dum ait: tum orationem tum opinionem de veris in falsas posse mutari, & semper de vtraque coniunctim, & expressè mentionem facit, quod non obiter ut sic mihi videtur facere, quam vt noter non solum propositionem interdum cum externa coniunctam, sed etiam solam internam posse mutari de vera in falsa. ergo nequit Philosophus exponi, quod loquatur de propositione vocali tantum, & non de mentali.

Atque hæc quantum ad auctoritatem. quan- 20
tum verò ad rationem attinet, duo mihi actum genera assignari posse videntur, qui de veris in falsos mutari possint. primum eorum, qui à temporis significatione absoluuntur. Secundum verò eorum, qui confusè tempus præsens, quod repræsentant, exprimunt.

Quo ad primum sic procedit: in hac pro- 21
positione: Petrus est iustus, si posset verbum (est) absolui à significatione temporis, vtique hæc propositio posset mutari de vera in falsam; sed verbum

bum (est) in ea, à temporis significatione absolui potest, ergo potest illa propositio mutari de vera in falsam. Consequentia est legitima; sed utraque præmissa videtur probatione egere. Probo igitur maiorem dupliciter: primò ad hominem contra aduersarios, qui nulla alia ratione suam sententiam defendunt, nisi quia propositio significat tempus, in quo vel obiectum supponitur esse illi conforme, vel non; si primum erit semper vera, si secundum semper falsa. ergo si verbum (est) absolueretur à tempore, iam hæc ratio cessaret; & sic mutari posset de vera in falsam. Secundò absolutè, quia veritas consistit in conformitate cognitionis cum obiecto; falsitas verò indifformitate; sed si propositio absoluatur à significatione temporis, potest modò esse conformis obiecto, modò difformis. ergo si absoluatur à significatione temporis potest modò esse vera, modò falsa. huius syllogismi sola minor probanda est. probatur autem sic: constat Parietem Album A, absque vlla sui mutatione posse modò, similem esse Parieti B. modò dissimilem, similem quidem, si Paries B. fiat albus, dissimilem verò si ex albo fiat niger; sed hoc non nisi, quia Paries A. in ratione similis & dissimilis absoluitur a significatione temporis. ergo si hæc propositio: Petrus est iustus, à significatione temporis absoluitur potest modò esse conformis obiecto suo, modò difformis, per hoc præcisè, quod Petrus ex iusto euadit iniustus. Quod Paries albus A. absque sui mutatione possit modo esse similis Parieti B. modò dissimilis per solam mutationem Parietis B. ex albo in nigrum, verissimum est in quacumque sententia, identificante huiusmodi denominationes cum subiecto, siue dicatur, quod similitudo, & dissimilitudo sint relationes totaliter intrinsecæ fundamento, siue quod sint partim extrinsecæ partim intrinsecæ ex meris absolutis compositæ. Quod verò paries Albus A. possit sic mutari eo, quod in ratione similis, & dissimilis absoluitur à significatione temporis, videtur plus quam certum, si enim ad essendum similem, vel dissimilem significatio temporis importaretur, vel semper esset similis, vel semper dissimilis; sicuti diximus de propositione illa (Petrus est iustus) quod semper sit vera, vel semper falsa; eo quod verbum (est) significat cum tempore. Quod denique ex his sequatur, quod si propositio (Petrus est iustus), absoluatur à significatione temporis, potuerit modò esse conformis obiecto suo modò difformis, suadetur ex eo, quia conformitas, & difformitas, de quibus loquimur, habent summam cum similitudine, & dissimilitudine affinitatem. Amba enim dicunt vnum in recto, & alterum in obliquo, & conformitas quidem sicuti similitudo importat rectum habere conuenientiam cum obliquo, difformitas verò, & dissimilitudo disconuenientiam; & differunt solum, quod conformitas, & difformitas cum obiecto vtpotè intentionales possint esse ad obiectum non existens, imò etiam ad impossibile. Contra verò similitudo, & dissimilitudo cum sint denominationes reales requirunt necessariò terminum existentem. quod diximus intentioni nostræ non obstat, quæ solum erat assignare rationem cur Paries Albus A. absque vlla sui mutatione possit, ex eo quod erat similis Parieti Albo B., transire in dissimilem per hoc, quod Paries B. de Albo euadat niger; & non posset in sententia aduersariorum propositio quæ dicit: Petrus est iustus, transire de vera in falsam per hoc, quod Petrus de iusto fiat iniustus. Quam rationem diximus nullam aliam esse, nisi quia in propositione: (Petrus est iustus) particula est non absoluitur a tempore. at verò Paries A. in ratione similis absoluitur. Hoc idem suaderi posse videtur Paritate ex imagine desumpta. Depingat quis modò casu simulacrum Caroli Secundi Regis Hispaniarum, quod non repræsentet illum puberem, sicuti est, sed maturæ ac præ senescentis ætatis; profectò hæc pictura in præsentia esset difformis Regi puberi, sed quando hic annuente Numine erit ætate longæuus absque vlla sui mutatione euadet illi conformis; sed hoc, non nisi quia absoluitur a tempore, alioquin etiam nunc putanda esset eius imago, ergo &c. Quoniam verò dicere possunt aduersarij: etiam hoc tempore dictum simulacrum esse conforme Regi non quidem, hoc tempore existenti, sed illo, in quo erit maturus ætate: ideo sufficiat paritas ex pariete desumpta. Atque hæc pro probatione maioris principalis Syllogismi.

Probemus nunc, si placet, eius minorem, in qua subsumebamus in hac propositione (Petrus est iustus) verbum (est) posse absolui ab omni tempore: id duplici etiam argumento suadeo; & primo quidem sic: propositiones in materia necessaria absoluuntur à tempore, vt homo est substantia, Leo est animal &c. ergo & propositiones in materia contingenti possunt vsurpari præscindendo à significatione temporis. 22

Respondet ad hoc Compronus, negando consequentiam; & disparitatem assignando, dicit, propositiones illas in materia necessaria, esse conditionatas, & earum sensum esse. Homo quando dumque existit est substantia, Leo si existat, est animal &c. Et sic significare omne tempus indeterminatè. Sed contra est primo, quia falsum est dictas propositiones esse cõditionatas, vt suo loco probabimus. Contra etiã est secũdo: quia dato, quod sint cõditionatæ, ideo sint tales, quia nullã neque de præsẽti, neque de præterito, neque de futuro existentiam important ex parte subiecti; quod dici nequit de propositionibus accidentalibus, cuiusmodi est nostra; supponunt enim subiectum, de quo enunciantur, existere; sed non obstante, quod rationalitas supponat animalitatem, præscindere potest ab illa; ergo &c. Contra denique tertio quia, si ideò dicantur absolui à tempore illa, quia verum est in illis omnia tempora indeterminatè significari: ratio vlterior huius rei est, vt docet Arriaga *disput. 13. sect. 3. num. 45.* quia solum significant connexionem inter prædicatum, & subiectum, quatenus non potest intelligi perfectè subiectum, quia intelligatur 23

gatur etiam prædicatum. sed hoc non reperitur in nostra propositione accidentali. ergo si in ea verbum (est) absoluatur à tempore, non sequitur quod debet significare omne tempus indeterminatè.

24 Secundum argumentum ad eamdem minorē principalem probandam sumitur ex sententia, quæ docet posse diuinitùs entitatem creatam ab omni duratione absolui, quamque Oüedus *in phys. contr. 16. sect. 2.* probat teneri defendere omnes, qui durationem esse modum rebus durantibus superadditum docent. Porrò hanc sententiam licèt ego in physicis confutauerim: sic tamen ex ea argumentum desumo: Etiam si creatura existens non possit à parte rei ab omni tempore absolui: non est cur non possit absolui per intellectum; sed hoc sufficit vt verbum (est) in hac propositione (Petrus est iustus,) absolui ab omni tempore possit. ergo verbum (est) in dicta propositione potest de facto à significatione temporis liberari. Maior mihi videtur certa; quid enim repugnat, quo minus ego hodie concipiam constatum accidentale ex Petro, & iustitia, & illum affirmem absque eo, quod de eius duratione cogitem ad eum plene modum, quo possum illud affirmare absque eo, quod cogitem quod sit in loco; & rectè id quidem; cum enim vtrumq; sit quid consequens ad esse rei, non est cur res præcisiuè sine vtroque concipi nequeat. Minor verò suadetur, quia constatum illud accidentale ex Petro, & iustitia potest concipi cum præcisione à tempore, quanetumuis à parte rei non possit ab eo præscindere. ergo licet verbum (est) stante sua adæquata significatione non possit à significatione temporis liberari: poterit tamen vsurpari pro vt præcisè conclusionem extremorum importat; Confirmatur quia cum agamus de propositione merè mentali, hoc ipso quod constat intellectum posse affirmare de Petro iustitiam cum præcisione à tempore, iam habemus actum eius à tempore absolutum, non quidem in ordine ad essendum; quia iam supponitur à parte rei, sed in ordine ad representandum; de quo quæstio nostra procedit. ergo &c.

25 Quòd ad secundum verò genus actuum de veris in falsos conuertibilium, hic conclusionem probarem: quotiescumque aliqua intellectio attingit aliquod obiectum singulare ita confusè, & obscurè, vt illud non valeat discernere ab alijs similibus, tunc etiam si loco illius aliud simile substituatur, potest per se loquendo eadem numero perseuerare. sed quando quis dicit (Petrus nūc peccat) potest cognoscere hoc instans ita obscurè, & confusè, vt illud non discernat ab alijs. ergo potest per se loquendo etiam si varientur instantia dicta cognitio eadem numero perseuerare. non est igitur cur huiusmodi cognitio non possit mutari de vera in falsam. Hæc posterior consequentia est manifesta, quia stante eadem cognitione, & mutatis instantibus, Petrus in primo potest peccare, & in secundo potest non peccare. ergo si ponamus quod ita sit de facto, sicuti sine vllo absurdo poni potest; cognitio illa, quæ dicit (Petrus nunc peccat,) in primo instanti erit vera, & in secundo falsa. prior verò consequentia legitimè ex præmissis deducetur. Quare tota difficultas est in probatione præmissarum. proba ergo primo minorem sic: ponamus quod Paulus in hoc instanti é somno euigelans dicat (nunc Petrus peccat) absque eo quod certificetur de illo instanti num ad primam vigiliam noctis pertineat, vel ad secundam, vel ad tertiam, quid enim repugnat? sed in hoc casu Paulus cognoscit hoc instans ita obscurè, & confusè, vt illud minimè discernat ab alijs. ergo potest poni huiusmodi cognitio.

Ad probationem vero maioris suppono dub; alterum est, in ea me loqui de eo, quod per se accidit, quidquid sit num per accidens aliter contingat, vt videbimus: alterum vero in ea 26
agi de perseuerantia cognitionis non quò ad existentiam realem sui, nam quod possit sic perseuerare, etiam si mutetur obiectum, clarè, & distinctè à se cognitum certum est: agitur ergo de perseuerantia cognitionis quò ad repræsentationem; ita vt sensus sit, quod quoties aliqua intellectio cognoscit aliquod obiectum singulare ita confusè, & obscurè, vt non valeat illud discernere ab alijs similibus, tunc etiam si loco illius aliud simile obiectum substituatur, possit per se loquendo eadem numero perseuerare eodem modo representando posterius, sicuti representabat prius; in quo sēsu probatur maior Primò, quia quoties habetur eadem ratio representabilis, non est cur eadem ratio representatiua variari debeat; sed quoties cognitio attingit aliquod obiectum singulare confusè, etiam si loco illius aliud substituitur, dummodo non appareat vllum discrimen, per quod differt ab illo, habetur eadem ratio representabilitatis in vtrisque. ergo non est cur variari debeat cognitio, in qua eadem ratio representatiua illorum reperitur.

Dices forte: quod quemadmodum posita, 27
quadis confusione ex parte duorum obiectorum, semper tamen duplex numero representabilitas habetur, ita duplex ratio representatiua ex parte cognitionis haberi debet. Sed contra est; tum quia non est notum, quod vna pictura sit representatiua duorum hominum, qui in membrorum proportione, colore, quantitate, & reliquis accidentibus sunt inter se similes: tum etiam quia posito, quod respectu illorum obiectorum confusè cognitorum dictæ cognitiones darentur, hæ essent omninò similes in representando illis, hoc ipso quod nulla eorum diuersitatem representarent. ergo iam alterutra earum posset modo vnum, modo alterum habere pro obiecto, licèt vtrumque simul habere non posset, eò quod vnum numero omnimodis ab ea representari.

Secundò eadem maior suadetur, explicando 28
rem in casu nostro, in quo ponimus Paulum experrectum é somno dicere (nunc Petrus peccat) absque eo quod hoc nunc, ab alijs illius noctis discernat sē. siue Paulus euigilasset in prima noctis vigilia, siue in secunda, siue in tertia, eandem cognitionem elicuisset. ergo

Digitized by Google

ergo si loco vnius instantis nocturni substituatur alterum, eadem numero cognitio in repræsentando perseuerabit. Consequentia videtur solida; nam tota ratio mutationis in sententia Aduersariorum oritur ex eo, quia variatur obiectum; sed eodem modo variaretur obiectum in prima productione hoc ipso, quod elicita fuisset in diuersis instãtibus dicta cognitio. ergo &c. Pro antecedentis autem probatione aduerto me non curare in præsenti, num cognitio illa esset eadem numero in essendo, nec ne? in mea enim sententia, qua defendo determinationem effectuum quo ad individuationem habere causas ex circumstantijs, videtur dicendum, quod non. sed sufficit, quod sit eadem in repræsentando, quatenus vna nullo modo diuersificaretur quo ad formalem repræsentationem ab alia, ad eum planè modum, quo duplex cognitio, quæ eodem claritatis gradu cognosceret Petrum. quo posito sic antecedens illud euincerem: si Paulus experrectus esset in secũda vigilia noctis, sicuti experrectus est in tertia V. G. non posset assignari vnde proueniret illa diuersitas cognitionum in repræsentando. ergo dicendum est quod eandem in repræsentando elicuisset. Antecedens probatur. quia supponimus, quod ipse ignoret quota hora noctis sit, atque adeò quod quantum est de se eodem modo se haberet in secunda, ac in tertia vigilia. ergo si qua diuersitas assignabilis esset, ea proueniret ex diuersitate obiectorum, quia nimirum diuersum esset instans secundæ vigiliæ, ac tertiæ. sed hoc non potest dici, quia diuersitas obiectorũ ad hoc vt cognitiones diuersas faciat, necesse est vt intellectui repræsentetur, in nostro autẽ casu non repræsentatur intellectui Pauli huiusmodi diuersitas, vt patet. ergo &c. Maior huius probatur, quia si non requireretur, vt diuersitas obiectorum proponeretur intellectui, sed sufficeret vt ipsa obiecta à parte rei essent diuersa ad hoc, vt diuersitas in cognitionibus resultaret: faciamus quod cæco cuidam approximetur Petrus, ipse verò existimet esse Paulum, tum fiet diuersam cognitionem in repræsentando Paulum elicuisset hic cæcus, si verè illi appropinquasset Paulus, ac elicuit per hoc, quod oi appropinquauit Petrus; sed hoc est manifestè contra experientiam. ergo non sufficit sola obiectorum diuersitas, vt diuersitas incognitionibus resultet, sed præterea requiritur vt hæc diuersitas proponatur, & appareat intellectui. quod erat probandum.

Iam verò transitum huius secundi generis actuum de veris in falsos suadere videtur ratio qua vtitur Quiros *à nu.* 18. ad nostram sententiam suadendam, assumendo, quod propositio, quæ in instanti A. supponit pro ipso instanti A. & est vera, existens in B. supponere valeat pro instanti B. & est falsa, eo quod cognitio licet cætera obiecta variare non possit, determinationem tamen instantis valeat variare per denominationem extrinsecam sibi ab ipsis met instantibus prouenientem.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones contra præcedentem doctrinam

OBijcies primò contra primam rationem, qua nostram Conclusionem probamus, desumptam ex auctoritate, sic: D. T. vtitur auctoritate Aristotelis ad impugnandam sententiam Nominalium, qui dicebant idem esse enunciabile Christum nasci, & esse nasciturũ, & esse natum, eo quod eadem Natiuitas Christi per hæc tria significetur; sed hæc sententia est formalissimè eadem cum nostra, quam tradidimus sectione prima conclusione prima. ergo malè adducitur pro nobis Aristoteles, & D. T. Minor, quæ sola probatione eget, suadetur, quia nos ibi docuimus eandem propositionem cadentem supra determinatum tempus semel veram, esse semper veram, & sic nunc enunciem: Petrus currit, siue curret, siue cucurrit: si cursus est coniunctus cum Petro in ordine ad idẽ numero instans, omnes esse veras, & contra verò falsas. ergo &c. 29

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico inter meã & Nominalium sententiã latum esse discrimẽ; illi enim volebant idem enunciabile esse Christum nasciturum, nasci, & esse natum, etiam in ordine ad idem determinatissimum instans, eo quod eadem Christi Natiuitas ab omnibus importatur; quod esse falsum, suadetur sumendo determinatum instans, in quo propositiones illæ proferuntur, & sic postea discurrendo: vel in eo existit Natiuitas Christi, vel non: si primum, est solum verum enunciabile Christus nascitur; si secundum est falsum; & de reliquis duobus arguo sic: si in eo instanti non existit; vel existet in futurum, vel extitit iam; si primum, erit verum, quod sit nasciturus; si secundum, quod sit natus. quare sicuti implicat simul esse, & non esse; fuisse, & non fuisse &c. ita implicat idem esse enunciabile Christũ nasci, esse nasciturũ & esse natũ nos verò dicimus, quod illa propositio, quæ verè dixit ante natiuitatem (Christus nascetur) excludendo ab illo instanti, in quo primò prolata est ipsam Natiuitatem, & includendo illam pro tempore sequenti, etiam si duraret per totam æternitatem á parte post, semper esset vera, quia eius veritas sumitur per ordinem ad illud determinatum instans, pro quo Natiuitas non erat, sed futura erat; addidimus tamen, quod dicta propositio cum natiuitate coexistens non debebat explicari amplius per verbum (erit) sed per verbum (est). si verò duret adhuc, postquam natus est, neque per verbum (est) neque per verbum (erit) sed per verbum (fuit) hoc autem est plus quam verum; quia sicuti idem numero instans A. V. G. ante quam sit, dicitur futurum, & quando est, dicitur præsens, & quando transijt, dicitur præteritum: ita & propositio, quæ enunciat natiuitatem Christi coexistere dicto instanti determinato, existens ante ipsum instans debet

Digitized by Google

bet exponi per enunciationem, quæ significet Natiuitatem futuram; existens verò in ipso instanti per enunciationem, quæ significet Natiuitatem præsentem; existens denique post ipsum instans, per enunciationem, quæ significet Natiuitatem præteritam. ex qua doctrina nullo modo sequitur pro eodem instanti esse simul, & non esse: fuisse, & non fuisse: futuram esse, & non futuram esse Natiuitatem, sicuti ex Nominalium sententia rectè deducitur.

30 Contra verò primum genus actuum, quos diximus transire posse de veris in falsos, & è contra per hoc quod præscindant à tempore.

31 Obijcies secundò ex Comptono *disput. citata sect. secunda*: Secundùm Dialecticos omnes fundatos in Aristotele, omne iudicium absolutum includit essentialiter verbum; sed verbum significat essentialiter tempus; definitur enim vox significatiua cum tempore. ergo sicuti repugnat dari iudicium præscindens à tempore: ita & genus actuum, qui ratione huius præcisionis de veris transire possint in falsos.

Respondeo distinguendo maiorem, omne iudicium absolutum interius consummatum includit essentialiter verbum, nego: omne iudicium absolutum exterius prolatum per propositionem vocalem, concedo maiorem; & concessa minore, ad consequentiam dico, quod sicuti non repugnat dari iudicium interius consummatum præscindens à tempore, vti supra probauimus, ita neque genus actuum, qui beneficio huius præcisionis de veris transire possint in falsos. cum quo tamen stat, quodlibet iudicium exterius prolatum necessariò explicandum esse per verbum tempus ad significans, à quo essentialiter præscindat internum, licèt regulariter loquendo non præscindat. quare nihil aliud concludit obiectio, quam non posse dari propositionem externam, quæ præscindat à tempore, quod vltrò conceditur. sed non est contra nos.

32 Obijcies tertiò contra hoc idem genus actuum ex Arriaga *loco citato num.* 62. vel supponimus non dari nisi solam abstractionem formalem, vel admittimus obiectiuam. in neutra sententia sequitur, quod propositio illa (Petrus currit) possit mutari de vera in falsam. ergo &c. Probatur minor, quo ad priorem partem: Admissa sola abstractione formali, quando, dico (Petrus currit) ex parte obiecti veniunt omnia instantia: vel igitur sumuntur copulatiuè omnia simul: vel disiunctiuè, hoc, aut illud: vel copulatè, hoc, & illud, quodcumque dicatur, cognitio sicuti fuit ab initio, semper erit, siuè vera, siuè falsa; ergo &c. Probatur etiam eadem minor quo ad posteriorem, quia admissa abstractione ex parte obiecti, huic actui (Petrus currit) correspondet ex parte obiecti ratio instantis ab hoc, vel illo instanti præscindens, cum sit abstracta à multis. ergo ad huius actus veritatem sufficit si in vno instanti verificetur, quod Petrus currat. sicuti ad veritatem huius alterius (Homo currit) sufficit si currat vnus homo. sed hæc veritas, quantumuis duret actus ille, mutari non potest. ergo &c.

Respondeo; concessa maiore, negando minorem; & dico, quod siuè admittatur sola abstractio formalis, siuè etiam obiectiua, semper propositio (Petrus currit) abstrahens à tempore, potest mutari de vera in falsam. Ratio vniuersalis huius rei est, quia dictæ abstractiones sunt in ordine ad ea prædicata, quæ nemine cogitante identificantur inter se; cum autem cursus Petri distinguatur realiter à tempore, in quo exercetur: hinc fit, vt hæc quæstio de abstractione formali, & obiectiua nihil faciat ad casum nostrum, neque probationes vtriusque partis minoris nos impetant. Verum dato, quod quando intellectus dicit (Petrus currit) abstrahendo à tempore, vel ex parte actus, vel ex parte obiecti abstrahere debeat; nego in neutra sententia dictam propositionem mutari posse de vera in falsam. Et ad priorem minoris probationem in contrarium, concesso antecedente, quod nimirum ex parte obiecti dictæ propositionis veniant omnia instantia; nego consequentiam, videlicet ea venire, vel copulatiuè, vel disiunctiuè, vel copulatè; Ratio negationis est in promptu; hæc enim diuersitas se tenet ex parte cognitionis exprimentis instantia; at nos in hac via supponimus cognitionem nullo modo exprimere illa, atque de eis nullatenus intellectum certificare posse; ergo quāuis illa habeat ex parte obiecti, nullo ex dictis modis ea exprimit; & sic quantum est de se indifferenter se habet ad vnumquodque illorum. Ad posteriorem verò eiusdem minoris probationem, in qua supponitur actus ille abstrahere ex parte obiecti ab omni instanti, nego absolutè antecedens. nam hic actus (Petrus currit) dupliciter concipi potest abstrahere à tempore: primò à tempore in specie tantum hoc, vel illo, secundò etiam in genere ita, vt nullo modo attingat rationem temporis; quamuis autem actus primo modo abstrahens importet rationem instantis ab hoc, vel illo abstractam: at non actus abstrahens secundo modo. Porrò primum genus actuum, qui per nos de veris transire possunt in falsos, non primo; sed secundo modo abstrahere ponuntur à tempore.

33 Obijcies quartò contra idem genus ex Comptono *loco citato num.* 4. si hæc propositio (Petrus dormit) nullum tempus significat, in quo somnus exerceatur, quocumque tempore ponatur somnus, propositio erit vera. ergo nunquam poterit mutari in falsam; Consequentia patet. Antecedens probatur. propositio illa nullum tempus significans solum repræsentat somnum secundum se; sed quocumque tempore somnus detur, datur secundum se. ergo quocumque tempore ponatur somnus, semper erit vera propositio, quia semper erit suo obiecto conformis.

Respondeo negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo maiorem: Propositio illa solum repræsentat somnum secundum se; & si quidem particula, secundum se, excludat repræsentationem inhæsionis ipsius somni in subiecto, nego; sin autem includat, concedo maiorem; & sic distincta eodem modo minore, nego consequentiam. dico enim ex eo quod

Digitized by Google

propositio de quia loquimur repræsentet somnum afficientem Petrum, & ex eo quod quocumque tempore existat talis somnus inhæreat in ipso Petro, solum sequi, quod pro eo tempore, pro quo ponitur somnus afficere Petrum, sit vera propositio, quia est suo obiecto conformis. cum quo stat quod pro eo tempore, pro quo nõ ponitur illũ afficere, sit falsa, vtpotè difformis obiecto suo; alioquin esset æternæ veritatis, sicuti propositiones in materia necessaria. quare sic Comptonum redarguo: ideo hæc propositio: (Homo est animal) est semper vera, quia in quacumque suppositione habetur homo, habetur quod sit animal: sed non in quacumque suppositione habetur Petrus, habetur, quod dormiat. ergo propositio illa, quæ affirmat de eo somnum, non erit semper vera, sed solum per ordinem ad illud spatium temporis, pro quo somnus exercebitur à Petro.

34 Contra secundum verò genus actuum, qui ratione obscuritatis de veris mutari possunt in falsos, ex eodem Compteno obijcies quintò ex his, quæ habet *num. 6.* Si hoc esset, sequeretur, quod actus mutare posset obiectum suum; sed hoc est falsum; ergo &c. sequela patet, quia per nos actus, quo Paulus experrectus dicit, (nunc Petrus peccat) non discernendo illud instans ab alijs, potest habere pro obiecto modò vnum, modò aliud instans. ergo in nostra sententia idem actus iam mutare posset obiectum; Minor verò suadetur, quia si Ouum A. quod cernitur à Petro, imperceptibiliter amoueatur, & ouum. B. illi omninò simile substituatur, absurdum est asserere, quod eadem numero visio Petri perseueret; sed hoc, non nisi, quia eadem visio mutaret obiectum; ergo &c. Maior huius, quæ sola probatione eget probatur, quia hæc numero visio ab his numero speciebus dependet. sed hæ numero species visibiles cum sint semen obiecti, non nisi ab hoc numero obiecto procedere possunt. ergo absurdum est asserere, quod visio, qua Petrus intuebatur Ouum A. remaneat eadem numero, si loco huius substituatur imperceptibiliter ouum B.

Respondeo, distinguendo sequelam: actus mutare posset obiectum suum, si illud exprimat vt discretum ab alijs, nego: si illud exprimat non discernendo ipsum ab alijs, subdistinguo sequelam, & si quidem sensus sit, quod mutare posset obiectum secundum eam rationem secundum quam illud exprimit, nego: secundum quam illud non exprimit, concedo sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam, & dico: quando quis experrectus enunciat (nunc Petrus peccat &c) licèt non discernat illud determinatum instans, in quo est, ab alijs instantibus; discernit tamen instans ab omni eo, quod non est instans. vndè fit vt ab instanti hoc modo considerato specificetur actus, & ad illud dicat essentialem ordinem, & hoc solum sit obiectum, quod mutare non possit; cum quo stat, quod idem actus possit durare, quantumuis vnum instans mutetur in alium; quia in vtroque perseuerat ratio instantis, à quo suam essentiam, & specificationem desumit. Ad probationem minoris concedo, absurdum esse in casu illo de Ouis inter se omnino similibus, asserere eandem numero visionem in Petro remanere; sed nego hoc absurdũ prouenire ex eo præcisè, quod visio illa suum mutaret obiectum indeterminatum, quod nõ distingueret ab alio, sed ex eo, quod sit specialiter connexa cum speciebus, quæ in fieri, & conseruari ab obiectis numericè determinatis emanent; vt enim benè in probatione maioris assumitur, hæc numero visio, ab his speciebus numero pendet; cum igitur hæ numero species ab hoc numero obiecto, & non ab alio procedere valeant: hinc fit, vt eadem numero visio transeundo ex vno in aliud obiectum perseuerare non valeat. At verò actus intellectuales, de quibus loquimur, procedunt à speciebus intelligibilibus, quæ neque in fieri, neque in conseruari pendent à suis obiectis; vndè non est mirum si intellectus aliquam huiusmodi speciem sibi contraxerit ita confusam, vt æquè plura obiecta similia diuisim sumpta repræsentare valeat.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO VIGESIMA SEPTIMA

DE INTENSIONE VERITATIS, ET Falsitatis, deque earum subiecto.

1 DVO remanèt ad tractationem veritatis, & falsitatis in communi expedienda: alterum est, vt videamus, num sint ex numero earum formarum, seù quasi formarum, quæ sunt intensibiles, & remissibiles, sicuti sunt in physicis calor, & frigus: in moralibus bonitas, & malitia: & in materia de qua loquimur probabilitas, certitudo, & similes, quæ possunt esse magis, & minus intensæ, siuè formaliter, siuè æquiualenter; alterum verò vtrum, in omnibus prorsus actibus intellectus veritas, vel falsitas debeat necessariò, an solum in aliquibus reperiri.

SECTIO PRIMA.

Vtrum veritas formalis suscipiat magis, & minus.

2 PRo decisione supponendum veritatem formalem, quam probauimus consistere in conformitate cognitionis cum obiecto in repræsentando, dupliciter spectari posse: primò quo ad correspondentiam cum illo in affirmatione, vel negatione per hoc, quod cognitio affirmet de obiecto id, quod illi competit, & neget id, quod illi non competit. Secundò quo ad correspondentiam in expressione, & repræsentatione illius; cum enim cognitio vera, ratione veritatis, quam habet, semper faciat nobis aliquid innotescere de obiecto suo incomplexo, quod prius non innotescebat; cumque hoc non aliter præstet, quam exprimendo, & explicando per prædicatum id, quod obscurè continebat ipsum obiectum incomplexum: hinc fit, vt veritas formalis etiam secundum hanc correspondentiam cum suo obiecto considerari possit; non quasi verò præscindere valeat à prima, siquidem essentialiter, & impræscindibiliter in casu nostro illam includit; sed quia prima sinè hac considerari potest. His autem prænotatis.

3 Sit prima Cõclusio: Veritas formalis quo ad correspondentiam in affirmatione, & negatione cum obiecto non suscipit magis, & minus. Est communis, & eam docent Suarez, Hurtadus, Arriaga, quos citat, & sequitur Competonus *disput. 45. log. sect. 6. num. 4.*

4 Probatur, quia affirmatio, vel negatio non suscipiunt magis, & minus, sed consistunt in indiuisibili: ergo veritas formalis pro vt importat correspondentiam cum suo obiecto in affirmando id, quod illi competit, & negando id, quod non competit, non suscipit magis & minus. Consequentia patet; antecedens euincitur, quia affirmatio dicit obiectum esse, negatio dicit non esse. sed esse, & non esse non suscipiunt magis, & minus, sed consistunt in indiuisibili, vt patet ex illo pronunciato: Quodlibet aut est, aut non est. ergo, & affirmatio, quæ respicit esse, & negatio, quæ respicit non esse consistunt in indiuisibili. 5

Obijcies primò: propositio, cui magis repugnat falsitas, est magis vera, sed propositionibus veris in materia necessaria, & impossibili quo ad affirmationem, & negationem consideratis magis repugnat falsitas, quam illis, quæ sunt veræ in materia contingenti; ergo illæ sunt magis veræ. Maior videtur certa. Minor probatur, quia propositio, qua affirmo de Petro quod sit homo, est in materia necessaria; illa verò qua nego de eodem, quod sit lignum, est in materia impossibili; sed neque affirmatio prioris, neque negatio posterioris possunt etiam per absolutam Dei potentiam falsificari: contra verò propositio, qua affirmo de Petro quod sit frigidus, eius affirmatio potuisset esse falsa, sicuti Petrus qui defactò est frigidus, potuisset non esse frigidus. ergo &c.

Respondeo, negando maiorem. propositio enim cui magis repugnat falsitas non est magis vera, quam illa cui minus repugnat, sed est magis necessaria, & infallibilis; aliud enim est veritatem quo ad affirmationem, & negationem consideratam esse maiorem, aliud verò esse magis necessariam. primum est falsum, loquendo de propositionibus in materia necessaria, & impossibili, secundum verum. Ratio est, quia licèt æqualem habeant veritatem cum propositionibus in materia contingenti, propter rationem modo dictam: affirmant tamen, & negant aliquid de aliquo, quod nè per absolutam quidem Dei potentiam potest aliter se habere. Contra verò propositiones in materia contingenti. 6

Obijcies secundò: veritas scientiæ, qua Deus affirmat, vel negat aliquid de aliquo, est maior, quam veritas scientiæ, qua id faciat

diuina

creatura. ergo falsa conclusio. Consequentia patet. Antecedens probatur; veritas scientiæ diuinæ est perfectior. ergo major. Respondeo distinguendo antecedens: veritas scientiæ, qua Deus affirmat, vel negat aliquid de aliquo, est maior quo ad perfectionem, concedo; quo ad veritatem, nego antecedens; & consequentiam; Ad probationem antecedentis dico: aliud esse vnam veritatem esse maiorem quò ad perfectionem, & nobilitatem, adde etiam quò ad euidentiam, & certitudinem, quam alia sit: aliud esse maiorem quò ad rationem veritatis, in primo sensu concedo veritatem scientiæ diuinæ esse maiorem veritate scientiæ humanæ; at non in secundo sensu, de quo est controuersia. Ratio est, quia hæ aliæ rationes possunt suscipere magis, & minus: at conformitas cognitionis cum obiecto cognito quantum ad affirmationem, vel negationem consistit in indiuisibili. Eodem modo respondendum est, si quis dicat: Veritas formalis non distinguitur à parte rei à iudicio intellectus, sed vnum iudicium potest esse intensius alio. ergo, & veritas. Argumentum enim hoc solum euincit veritatem formalem entitatiuè, & materialiter acceptam magis, & minus suscipere posse, non verò formaliter in sensu intento.

7 Secunda Conclusio: Veritas formalis, pro vt dicit conformitatem cognitionis cum obiecto quò ad exprimendum illud per prædicatum, potest suscipere magis, & minus. Est contra communem.

8 Probatur primò. Inter veritates datur vna maior alia; sed hoc dici nequit de veritatibus trascendentalibus. ergo de formalibus. atqui non quantum ad conformitatem cum obiecto quò ad affirmationem, & negationem. ergo quantum ad conformitatem quò ad exprimendum illud per prædicatum. Maior probatur, quia nomen (verus, vera, verum) est positiuum, habens suum comparatiuum, & superlatiuum, quod non fecissent primi linguarum inuentores, nisi putassent inter veritates vnam esse maiorem alia; neque nos dictis vocibus vteremur nisi in eadem essemus sententia. Minor verò probatur, quia veritas transcendentalis consistit in conformitate rei cum intellectu perfectè illam cognoscente. Vndè vel consistit in indiuisibili, vel tota quanta est, refundi debet in maiorem, vel minorem veritatem formalem, in ordine ad quam res magis, vel minus vera denominari possit. Consequentia videtur legitima. subsumptum patet ex prima conclusione, vbi probauimus veritatem formalem quò ad conformitatem cum obiecto secundum affirmationem, & negationem consistere in indiuisibili. vltima verò consequentia est manifesta, siquidem eius bonitas fundatur in communi hominum existimatione, qui passim dicunt (hoc est verius illo), (hoc est verissimum omnium), quod non facerent, nisi putarent veritatem posse suscipere magis, & minus.

9 Dices: rectitudinem consistere in indiuisibili, & tamen omnes dicere vnam lineam esse rectiorem alia, & aliam esse omnium rectissimam, ergo &c. Respondeo idcirco nos dictis vocibus vti, loquendo de rectitudine, quia cum constet non posse dari naturaliter perfectè rectum, sicuti neque perfectè planum, neque perfectè sphœricum; lineam rectiorem dicimus eã, quæ comparata cum alia habet minus de curuitate, rectissimam verò, quæ est minus curua, quam omnes aliæ, quas nouimus. At hoc dici nequit, loquendo de veritate. Omnes enim in eo conuenimus, quod aliquæ propositiones sint absolutè veræ; quare dum dicimus vnam esse alia veriorem, non possumus id saluare per hoc, quod minus de falsitate contineant.

Probatur secundò propositio, quæ dicit (Homo est animal rationale), magis conformatur, cum obiecto suo incomplexo quò ad exprimendum illud per prædicatum, quam propositio, quæ dicit (Homo est animal). ergo veritas formalis, pro vt dicit conformitatem cum obiecto, quò ad exprimendum illud per prædicatum, quod illi tribuit cognitio, potest suscipere magis, & minus. Consequentia est certa. Antecedens probatur, obiectum incomplexum propositionis, in qua prædicatur de homine sua definitio, est ipse Homo, ad differentiam obiecti complexi, quod est integra propositio. Iam verò, quod dicta propositio magis conformetur cum homine quò ad exprimendum illum, dum dicit esse animal rationale, quam illa alia; quæ dicit eum esse animal, constat ex eo, quia, licèt tum animal rationale in prima propositione, tum animal in secunda quò ad modum significandi dicat totum id, quod dicit Homo, at quo ad rem explicitè significatam valdè differunt inter se. Prior enim exprimit totam essentiam, at posterior solum partem. 10

Ad hoc argumentum respondet Ouiedus *contro. 7. de anim. puncto tertio num. 3.* negando maiorem, ait enim veritatem non consistere in conformitate actus cum toto illo, quod existit à parte rei, sed in conformatione repræsentationis cum re repræsentata; & hinc fieri æqualem conformitatem habere cum obiecto hos duos actus (Homo est animal rationale), & (Homo est animal) quia secundus est tantum repræsentatio animalis, seù quod (Homo sit animal), atque adeò summa illius adæquatio consistit in eo, quod Homo verè talis sit. Neque ex eo, quod non adæquetur cum rationali, minor est eius adæquatio; quia actus non habet minorem adæquationem ex eo, quod non adæquatur cum obiecto, quod non affirmat. 11

Sed contra est: quia licèt veritas pro vt importat conformationem actus cum obiecto quantum ad esse, vel non esse obiectum, sicuti affirmatur, vel negatur ab illo, non consistat in conformitate actus cum toto obiecto: consistit tamen pro vt importat conformationem quantum ad expressionem, & notitiam, quam per prædicatum intellectui affert. non quasi verò, nisi actus haberet conformitatem cum toto obiecto, esset falsus; sed quatenus est minus verus, quam ille, qui totum per prædicatum exponit. Ex quo patet responsio ad argumentum, distinguo enim maiorem, quæ erat huiusmodi: 12

Veri-

Digitized by Google

veritas consistit in conformatione repræsentationis cum re repræsentata: & si quidem sermo sit de veritate vt sic, secundum suam essentiam considerata, concedo: spectata secundum magis, & minus, nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam; sic licèt albedo essentialiter consistat in eo, quod sit disgregatiua visus, & licèt album vt duo, & album vt sex in hoc conueniant, non rectè deducitur albedinem non suscipere magis, & minus.

13 Vrges: enunciem ego (Petrus est Beatus) tu verò (Petrus, & Paulus sunt Beati) vterque actus est æque conformis suo obiecto; sed hoc non nisi, quia secundus plus affirmat, quam primus; & ideò debet conformari pluri obiecto, vt illius adæquatio sit æqualis cum adæquatione, quam habet primus. ergo propter eandem rationem actus, qui dicit (homo est animal rationale) erit æquè conformis cum suo obiecto, ac ille qui dicit (homo est animal) Confirmatur quia æqualitas inter duas quantitates consistit in indiuisibili; sed hoc non nisi, quia quantitas maior V. G. vlnaris cum maiori quantitate adæquari debet, quam minor nempe palmaris cum palmari. ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, distinguendo minorem: ideò duo illi actus sunt æquè conformes cum suis obiectis quia secundus plus affirmat, quam primus de diuersis obiectis, concedo: de eodem, nego minorem; & ad consequentiam dico disparitatem inter actus à nobis propositos, & actus propositos ab Oniedo consistere in eo, quod actus nostri versantur circa idem obiectum, nimirum circa hominẽ; & alter conformatur magis illi per hoc, quod totam eius essentiam exponit; alter verò minus, quatenus facit venire in cognitionem solius partis essentialis illius; & ideò primus est magis conformis obiecto suo quam secundus, & consequenter verior. at verò actus, quorũ vnus dicit (Petrus est Beatus) alter verò (Petrus, & Paulus sunt Beati) sunt æquè conformes, quia licet secundus plus affirmet, quam primus, nempe duas beatitudines: illas tamẽ affirmat de duplici obiecto, nempè de Petro, & Paulo; vndè est, quod non possit dici verior primo, sed quod duplicem veritatem importet non valentem vnam veritatem intensiorẽ constituere, pro vt veritas dicit conformitatem cognitionis cum obiecto, quo ad exprimendum illud per prædicatum, quod de eo prædicat. Per quæ patet responsio ad confirmationem ex æqualitate deductam, concessa enim maiore, & minore, nego consequentiam. disparitas est quia quantitas vlnaris, & palmaris non respectu eiusdem quantitatis sumunt denominationem æqualis; nam vlnaris respectu alterius vlnæ dicitur æqualis, & palmaris respectu alterius palmi. at illæ duæ propositiones, quarum vna prædicat de homine, quod sit animal rationale, altera verò, quod sit animal, respectu eiusdem hominis denominationẽ veritatis desumunt; & ideò potest intelligi prior fieri malor in ordine ad maiorem hominis notitiam nobis ingenerandam.

Obijcies primò ex Comptono *loc. cit.* essentia veritatis consistit in hoc, vt repræsentet obiectum, sicuti est. sed vnus actus verus non magis repræsentat obiectum, sicuti est, quam alius; ergo non est verior alio. Maior patet; minor probatur; quia repræsentare rem, sicuti est, consistit in indiuisibili, sicuti rectitudo in linea. quemadmodum igitur vna linea non potest esse magis recta, quam alia, ita neque vnus actus verior altero.

Respondeo Argumentum hoc rectè concludere veritatem formalem præcisè quò ad affirmationem, & negationem consideratam consistere in indiuisibili; non autem quatenus importat expressionem obiecti, de qua conclusio nostra procedit. Pro cuius maiore intelligentia expendo prius maiorem obiectionis, in qua assumitur essentiam veritatis, in eo consistere, vt repræsentet obiectum sicuti est. dico enim quod licet res ita se habeat, quia tamen multipliciter potest actus repræsentare obiectum, sicuti est: primò partialiter, non exprimendo nisi aliquid illius plus, minusue: vt quando dico Homo est eus, Homo est substantia &c. secundò totaliter; vt si dicam, Homo est animal rationale; hinc fit, vt sicuti vnus repræsentat magis obiectum, sicuti est, quam alius, sic vnus sit verior alio. Ex maiore sic explicata patet falsitas minoris; in qua subsumitur vnũ actum verum non repręsentare magis obiectũ, sicuti est, quam alium; patet etiam falsitas probationis eius, in qua dicebatur repræsentare rem, sicuti est, consistere in indiuisibili; quemadmodum rectitudinem in linea. nam rectitudo non habet vnde possit intensionem, aut remissionem accipere, sicuti habet veritas, de qua nobis in præsenti sermo est.

Obijcies secundo: id circo veritas per nos 14
potest suscipere magis, & minus, quia supponimus obiectum actus veri esse solum subiectum propositionis obiectiuæ, & non totam propositionem obiectiuam; volumus enim obiectum harum propositionum, Homo est animal; Homo est animal rationale, esse solum hominem; sed hoc est falsum, nam obiectum propositionis formalis est integra propositio obiectiua, ergo &c. Minor videtur certa, quia totum complexum obijcitur intellectui, vt ferat de eo iudicium. Maior verò probatur, quia si dicamus obiectum esse integram propositionem obiectiuam, non habet actus vnde suscipiat magis, & minus in ratione veri, nam vel illi conformatur, & sic est verus, vel disformatur, & sic est falsus.

Respondeo obiectum propositionis formalis esse duplex: incomplexum, & complexum; primum est subiectum propositionis obiectiuæ secundum tota obiectiua propositio, & quidẽ hæc doctrina communis est; omnes enim quãdo agunt de obiecto scientiæ, dum asserunt esse illud, de quo probatur prima passio in illa scientia, profitentur se agere de subiecto propositionis scientificæ. in quo sensu concessa maiore, nego minorem, & ad eius probationem dico, quod licet totum complexum ex subiecto, & prædicato obijciatur intellectui, vt

ferat

ferat de eo iudicium : tamen præcipuus finis, quem habet intellectus inferendo iudicium de illo complexo est venire in notitiam subiecti, exprimendo sibi ea prædicata, quæ implicitè continet; atque adeo prima regula veritatis formalis censetur esse ipsum subiectum, à quo regulari debet intellectus in iudicio ferendo de toto complexo. intantùm enim hæc propositio est vera V.G. Homo est rationalis, quia subiectum est tale; hæc verò falsa, Homo est lignum, quia subiectum non est tale; & hinc fit, vt ratione huius maioris, vel minoris expressionis subiecti propositio sit magis, vel minus vera, veritate expressionis; ratione verò conformitatis cũ tota propositione obiectiua sit vera veritate cõsistente in conformitate, quò ad affirmationem, & negationem.

15 Obijcies tertiò ex eodem *num.* 5. Qui dicit: (Aquila volat) Aquila volante tam affirmat verum formaliter, quam qui dicit: (Homo est animal rationale) ergo vna veritas non est maior alia. consequentia videtur procedere. antecedens suadetur, quia veritas est adæquatio actus cum obiecto; sed æquè adæquatur cum aquila volante primus actus, ac cum homine secundus. ergo &c. Respondeo etiam argumentum hoc procedere de veritate sumpta quò ad affirmationem &c. in quo sensu nos non impetit. Quod si non fiat in antecedente vis in affirmatione, distinguerem illud: Qui dicit (Aquila volat) ea volante tam affirmat verum formaliter, quam qui dicit (Homo est animal rationale) & si quidem particulæ, tam, &, quam, appellant essentiam veritatis, concedo; sin autem gradum, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim quod licèt duæ illæ propositiones conueniant in eo, quod ambæ sint veræ: in gradu tamen veritatis, de qua loquimur, inter se differunt; quia prima parum nobis de aquila manifestat, multum verò secunda de homine. Ad probationem antecedentis dico eius maiorem proprié continere definitionem veritatis in primò sensu acceptæ, quam diximus consistere in eo, quod enunciet de eo, quod est, esse: & de eo, quod non est, non esse: ideoque consistere in indiuisibili. quod si velimus illam exponere de veritate sumpta in secũdo sensu, non videtur posse absolutè intelligi, sed cum aliqua restrictione, ita vt sensus sit eã consistere in adæquatione actus cum obiecto incomplexo, si non quantum ad rem explicitè importatam per prædicatum, saltem quantum ad modum prædicandi; in quo sensu distincta minore, nego consequentiam.

16 Obijcies Quartò ex Ouiedo *loc. cit.* vt actus sit verus, debet ex parte obiecti haberi quidquid repræsentatur per ipsum. vel igitur habetur, vel non habetur: si primum, actus est verus; si secundum, falsus. cum igitur non detur medium inter hæc duo, non apparet quo modò vnus actus possit esse magis verus, quam alius. probatur hæc consequentia. quia nihil quod nõ repræsentatur per actum potest conducere ad cõformitatem actus cum obiecto. Respondeo cõcesso antecedente, & prima consequentia; dico enim haberi ex parte obiecti id, quod repræsentatur per actũ verum; nego tamen vltimam cõsequentiam, qua inferebatur, ex eo quod non detur medium inter illa duo, non posse vnum actum esse magis verum, quam alium; in ea enim fit transitus ex contradictorijs in ordine ad veritatem spectatam quò ad essentiam ad eius intensionem. Quemadmodum igitur non valet hic modus argumentandi: Lignum, vel habet calorem, vel non habet; si habet, est calidus, contra verò si non habet, ergo vnum lignum non potest esse, calidius alio; ita neque ille alius. Ad probationem cõsequentiæ distinguo assumptũ, nihil quod non repræsentatur per actum, potest conducere ad conformitatẽ actus cum obiecto, & si quidem sermo sit de cõformitate essentiali, concedo; sin autem de intensiua, nego; vt patet ex hoc actu, in quo prædicatur de homine, quod sit animal; ad eius enim veritatem essentialiter consideratam habendam nihil conduceret repræsentatio rationalis, quia sine illa verus est. at conduceret ad habendam maiorem veritatẽ, eo quod maiorem correspondentiam cum homine importaret.

17 Instabis ex eodem: conformitas actus cum suo obiecto consistit in eo, quod existat totum, quod ex vi actus affirmatur, eo modo quo affirmatur. ergo eo ipso quod existat totum, quod repræsentatur per actum eo modo, quo repræsentatur, habetur summa conformitas; ergo & summa veritas.

Respondeo: concesso antecedente, distinguo primum consequens: si loquamur de conformitate in ordine ad affirmationem, & negationem, concedo: sin autem in ordine ad correspondentiam, quò ad adæquationem, de qua nobis in præsentia sermo est, nego primam, & secundã consequentiam, vt patet ex dictis.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum falsitas formalis suscipiat magis, & minus.

18 QVemadmodum supra diximus veritatem formalem dupliciter considerari posse, ita dicimus de falsitate: dupliciter enim concipi potest cognitionem aliquam esse difformem, & disconuenientem obiecto. primò quò ad affirmationem, & negationem, quatenus dicit esse, quod non est, vel non esse, quod est; secundò quò ad eius expressionem per prædicatum, quod illi tribuit. Hoc posito.

19 Sit prima conclusio: Falsitas formalis sumpta pro difformitate cum obiecto, quò ad affirmationem, & negationem consistit in indiuisibili. Hæc conclusio videtur esse contra *Arriagam*, Ouiedum locis supra citatis, & alios, qui distinguunt de obiectis falsitatis: quædam enim dicunt esse indiuisibilia, vt Deus non existit: Michael non existit &c. alia verò diuisibilia: vt Decem homines tantum sunt in templo: Viginti tantùm currunt &c. & quidem falsitates formales actuũ, qui circa obiecta indiuisibilia versantur, concedunt non posse suscipere magis, & minus; contra verò falsitates actuum, qui circa obiecta diuisibilia versantur, absolutè negant.

Probatur autẽ assertio nostra vnica ratione, 20 quæ

Digitized by Google

quæ æque militant pro vtraque æquali. Sicut supra dicebamus loquendo de veritate simpliciter considerata; affirmatio, & negatio eorum sese habent magis, & minus, sed constituunt in indiuisibili; ergo inter falsitates formales quo ad affirmationem, & negationem consideratas nõ datur vna maior alia. Consequentia patet: antecedens verò supra probatum est; & vlterius confirmatur ex eo, quia licèt vnus actus affirmans possit esse intensior, quo ad entitatem suam alio affirmante, semi vnus negante, alio negante, non tamen quo ad affirmationem, vel negationem formaliter, nam affirmans, vel negans in subiecto propositionis id, quod de illo affirmat, nec non; si primum est verum, secundum falsissimum de negante dicendum. ergo affirmatio, & negatio non habent plus, magis, & minus; & sic tam falsa erit hæc propositio affirmatiua: Petrus est homo, quam hæc alia: Petrus currit, eo quod vterque, & tam falsa hæc negatiua: Petrus non est homo, quæ Petrus non currit illo currente; & sic de aliis adductis ab Aduersarius.

21 Obiicies ex Arriaga *loc. cit. num. 67.* probando, quod quando propositio habet plura obiecta, vt cum dico: Decem homines sunt in hoc cubiculo: possit vna falsitas esse maior altera sic: Ad falsitatem totius propositionis sufficit vt aliquod ex eius obiectis non sit, sicuti enũciatur. sed in hoc vna potest superare aliam in falsitate. ergo &c. Maior, & consequentia patent: minor verò probatur, si plura, vel omnia obiecta nõ existerent, vt per propositionem affirmatiuam, tunc magis falsa erit propositio, quam si vnum tantum. si enim nouem sunt in cubiculo, in vno tantum deficit propositio affirmans esse decem; quod si vnus, vel duo tantum, deficit in pluribus; & sic magis in veritate distat: ergo &c.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem nego assumptum; quamuis enim minus distet numero denario numerus nouenarius, quam binarius, tamen propositio falsò affirmans numerum denarium hominum esse domi, æque falsa erit, siue nouem tantum, siue vnus, siue etiam nullus domi existat. Et ratio huius est, quia propositio illa non affirmat existentiam domi de singulis diuisim, & separatim sumptis, sed de omnibus per modum vnius complexi, ac si dicat: Decem homines conueniunt in eo, quod sint domi: sed sic dicta propositio respicit illos decem indiuisibiliter, quia complexum ex decem sic cõsistit in indiuisibili, cum non detur numerus denarius maior, vel minor alio numero denario. ergo æque falsa erit propositio, siue desit vnus, siue nouem.

22 Instabis ex eodem *num. 70.* quod licèt illa propositio in prædicto sensu accipi possit, vt enunciet de omnibus decẽ indiuisibiliter sumptis, & per modum vnius; at in communi modo affirmandi non solet ita fieri, sed sine complexione ex parte obiecti, ita vt licèt vnicus sit actus, dicat tamen hic est domi, siue alius adsit, siue non, & ille est domi, & ille &c. independenter ab inuicem. sed sic vna falsitas

est maior alia, magisque abeat ab obiecto suo. ergo &c. Maior, quam sola probationis egens fuerat, quando ego affirmo decem esse in cubiculo, non existimo præsentiam vnius habere connexionem cum præsentia alterius, aut ab illa pendere, neque &c. Confirmatur: quando superior mandat decem conuenire in cubiculum, non semper ita mandat vt vnus non possit, nisi omnes obligarentur conuenire. ergo à pari.

Respondeo negando maiorem. dico enim: enunciationem illam quæ hoc: Decem sunt in cubiculo, æquiualere propositioni vniuersali, qua quis diceret: Omnis homo est in hoc cubiculo, Omnis leo est quadrupes, &c. sed propositiones vniuersales respectu sui obiecti indiuisibiliter, vt dicitur in communi sermone, & illa enunciatio, & quælibet alia, quæ verificatur circa obiectum indiuisibile. Ad maioris probationem concedo antecedens: nemo enim est ita stultus, vt quando enunciat: Decem homines esse in cubiculo, existimet præsentiam vnius habere connexionem cum præsentia alterius, ac ab illa pendere. at nego in hoc cõsistere affirmationem illorum omnium per modum vnius complexi; sed potius in eo, quod intellectus in illos decem conianctim feratur, sicuti fertur, quando colligit plures vnitates in ratione numeri: ita vt connexio, & dependentia, quam habent adinuicem sit solum extrinseca, & teneat se ex parte intellectus illos colligentis, & de illis esse domi enunciantis; alioquin semper esset falsa propositio, quæ de obiecto diuisibili indiuisibiliter accepto affirmat aliquod, vt cum dicimus: Decem homines currunt, Viginti dormiunt &c. quia cursus aut somnus vnius nunquam est connexus est cursui aut somno aliorum, neque ab illo dependet. atqui sequelam non audet concedere Arriaga. ergo &c. Ad confirmationem responderem: concesso antecedente, negando consequentiam: disparitas esse posset, quia superioris voluntas potest dirigere decẽ illos subditos siuè in vnum, siue in plures fines diuisibiliter, at intellectus quando dicit: Decem homines currunt, non potest illos prædicato currendi nisi indiuisibiliter subiicere ratione collectionis numeralis, quam fecit; constat enim species numerorum adeo stricte consistere in indiuisibili, vt sint exemplum specierum cæterarum rerum, quæ dicuntur in indiuisibilitate se habere sicuti numeri. Porrò hanc impotentiam, quam habet intellectus dictam propositionem diuisibiliter informandi, probo quia: alioquin sequeretur, quod neque indiuisibiliter de necessitate se haberet respectu omnium; quando de illis affirmat aliquid cum veritate; sed hoc non potest concedere auctoritam inde oriretur vnam propositionem fore magis veram quam aliam. fac enim vt ego verè dicam: Petrus, & Paulus currunt; tu verò etiam cum veritate enũcies: Petrus currit. si ergo diuisibiliter ego Petrum, & Paulum respicere possem, iam mea propositio esset veridica tua; nam in tantum tu dicis meam propositionem: Decem currunt, currentibus duobus

tantum, esse magis falsam, quam tuam, currentibus octo tantum, quia diuisibiliter vtraque fertur circa singulos; ergo propter eandē rationem illa alia mea erit verior; non enim in hoc videtur assignabilis vlla disparitas. Nec igitur intellectum nostrum, quando iudicat, nō solum indiuisibiliter semper ferri circa obiectum indiuisibile, sed etiam circa diuisibile.

23 Instabis: magis distat á vero ille actus, qui dicit decem currunt, currentibus duobus tantum, quam ille qui idem enunciat currentibus nouem, ergo est ille magis falsus. Respondeo distinguendo antecedens, & si quidem particula magis sumatur extensiuè, & materialiter, concedo: sin autem intensiuè, & formaliter, nego antecedens, & consequentiam in eodem sensu. Ratio est quia affirmatio, & negatio intensiuè consistit in indiuisibili, vt sepe diximus; cum quo stat, quod extensiuè, & materialiter possit vna esse maior alia, in quo sensu non potest negari ab Arriaga veriorem esse illam propositionem, qua dico: Petrus, & Paulus currit, verisque currentibus ea, qua dico: Petrus currit, illo tantum currente.

24 Sedūda conclusio: Si formalis falsitas sumatur pro difformitate cum obiecto suo incomplexo quantum ad expressionem, & manifestationem illius per prædicatum; vna falsitas potest esse maior alia. Sequitur ex dictis in sectione præcedente loquendo de veritate.

25 Probatur autem: quia potest vna propositio esse magis difformis, quo ad expressionem subiecti per prædicatum, quam alia. ex his enim duabus propositionibus, quarum vna dicit (Homo non est animal rationale) altera verò ait (Homo non est rationalis) disconformior est ab homine prima, quam secunda; quia illa aufert ab homine totam essentiam, quæ in animalitate, & rationalitate consistit; hæc verò partem tantum, nimirum rationalitatem. ergo &c.

26 Et quidem iuxta hanc acceptionem falsitatis concedi debet, quod quando obiectum propositionis falsæ est diuisibile, potest vna falsitas formalis esse maior alia; quod non facet aduersarijs, qui neque in veritate, neq; in falsitate duplicem illam considerabilitatem agnouerunt; sed quidquid sit de hoc. Quod enim in hoc sensu falsitas propositionis de obiecto diuisibili possit esse maior, & minor. probo, quia propositio qua dicit; (decē currūt) currentibus tantum tribus, est magis disconformis obiecto suo, quo ad expressionem subiecti per prædicatum, quam alia, quæ dicit (decē currunt) currentibus nouem. ergo in hoc sensu magis est illa falsa, quam hæc. verum autem in ordine ad obiecta indiuisibilia ex falsitatibus in hac acceptione consideratis vna possit esse maior alia. Respondeo etiam affirmatiuè, vt patet ex his duabus propositionibus, quarum vna dicit (Petrus nō est substantia) altera vera (Petrus nō est homo) prior enim magis disconformatur Petro, quia per prædicatū aufert ab eo omnia prædicata essentialia. nam eo ipso quod nō est substantia, neq; corpus est, neq; viuens, neque animal, neque homo. at posterior est minus difformis, nam per hoc, quod negatur de Petro quod sit homo, non cēsetur negari de illo, quod sit substantia, corpus viuens, animal.

SECTIO TERTIA.

In quibusnam actibus intellectus veritas, & falsitas formalis reperiatur.

PRima conclusio: si loquamur de veritate, & falsitate formali propriè, & rigorosè accepta in solo iudicio reperitur est communis. 27

Et probatur quia veritas, & falsitas formalis propriè, & rigorosè accepta præter conformitatem, vel difformitatem cum obiecto per expressionem prædicati, importat affirmationem & negationem ipsius prædicati de subiecto. at qui hoc in solo iudicio reperitur, vode definitur communiter affirmatio, aut negatio identitatis subiecti cum prædicato; neque ob aliud dicitur ab Aristotele, & D. T. compositio ac diuisio, nisi quia vt docet Vasquez *p. 1. disput. 223. cap. 1. & 2.* vel per affirmationem coniungit, & veluti componit prædicatum cum subiecto, vt cum dicit (Petrus est homo) vel per negationē prædicatum à subiecto separat, & quodammodo diuidit, vt cum ait (Angelus non est corpus) ergo veritas formalis propriè, & rigorosè accepta in solo iudicio reperitur. Atq; hic obiter nota nomine iudicij non venire solam secundā intellectus operationem, sed etiā tertiā; vtraq; enim habet affirmare, vel negare aliquid de aliquo; & solū differunt in eo, quod secunda operatio de se est immediata compositio, vel diuisio, tertia verò mediata, hoc est dependenter ab aliis compositionibus, & diuisionibus, quæ in præmissis habentur. Ex quo sequitur, quod in sola prima operatione non habetur veritas formalis propria, & rigorosa. dubium tamen est verum saltem impropria, & minus rigorosa in ea habeatur. Pro cuius decisione suppono duo: alterum est, veritatem minus propriè, & minus rigorosam consistere in sola conformitate, vel difformitate actus cum obiecto secluſa affirmatione, & negatione: alterum verò apprehensionem esse dupliciter, vnā simplicē, seu incōplexā, quę est vnius dūtaxat terminī siuè hic subiectū sit, siuè prædicatū: aliā cōpositam, seù complexā, cuiusmodi est aprehensio totius alicuius propositionis, vt cū apprehendit astra esse paria, absq; eo quod illud affirmet aut neget. Quo posito sit.

Secūda cōclusio. Omnis apprehensio complexa habet veritatē, & falsitatē impropriam. Est communis. 29

Probatur autē facile ex dictis, quia huiusmodi veritas cōsistit in repræsentatione obiecti eo modo quo est; falsitas autē in repræsentatione obiecti aliter hæ est, absq; eo quod affirmetur, vel negetur; sed totū hoc habet apprehensio cōplexa, si quidē quādo ego apprehendo hanc propositionē obiectiuā Petrus est albus, vel vere Petrus est coniunctus cū albedine, vel non: si primū, huiusmodi apprehensio repræsentat Petrū sicuti est, si secundū, aliter ac est, neque affirmando, neq; negando albedinē de illo. ergo in apprehensione cōplexa reperitur veritas, & falsitas formalis impropria, & minus rigorosa. 30

Ter-

Digitized by Google

31 Tertia Conclusio: Idem dicendū est de omni apprehensione incomplexa, quod nimirum in ea veritas, vel falsitas impropriè dicta reperiatur. Hæc assertio, quantum attinet ad veritatem, est communis; fere enim omnes Recentiores fatentur in simplici apprehensione incomplexa subiecti, vel prædicati dari aliquam veritatem: quantum verò ad falsitatem attinet, communiter negant Recentes in apprehensione incomplexa falsitatem, quantumuis imperfectam, & minus rigorosam, reperiri vnquam posse.

32 Nostra verò Conclusio probatur primò quoad veritatem: quia veritas consistit in conformitate cognitionis cum obiecto; sed hæc reperiri potest in apprehensione incomplexa, vt patet casu, quo obiectum, quod mihi apprehendendum proponitur, est homo, ego verò hominem apprehendam. ergo in apprehensione incomplexa potest esse veritas minus rigorosa. Oviedus *contra. 7. de anim. puncto quarto numero secundo* non id absolutè concedit; sed distinguit inter apprehensionem incomplexam, quæ est circa obiectum reale, & eam, quæ est circa fictitium, atque chimæricum: atque, quod licèt apprehensio incomplexa de obiecto reali possit esse vera, non tamen illa, quæ est de obiecto fictitio. Ratio, quam assignat, est, quia obiectum fictitium nullum esse habet extra apprehensionem simplicem, per quam apprehenditur. ergo nullam potest habere veritatem. *Antecedens patet.* Consequentiam probat, quia veritas consistit in conformitate obiecti, vt existentis in intellectu cum ipso, vt existente extra intellectum. ergo ens fictum cum non sit extra intellectum, non potest habere conformitatem requisitam ad veritatem.

33 Verum non puto propter hoc argumentum à communi sententia discedendum esse. facile enim soluitur, distinguendo antecedens, sic: Obiectum fictum nullum esse habet extra simplicem apprehensionem, si loquamur de esse existentiæ, concedo: sin autem de esse essentiæ, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem consequantiæ distinguo assumptum: veritas consistit in conformitate obiecti, vt existentis in intellectu cum ipso obiecto, vt existente extra intellectum, vt existente, hoc est, vt habente aliquod esse, siue essentiale, siue existentiale, concedo, existentiale tantum, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim ad veritatem formalem non requiri, vt obiectum illius habeat aliquod esse existentiale extra cognitionem, per quam cognoscitur, alioquin cognitio, quam habet Deus de creaturis merè possibilibus non esset vera, sed sufficere, vt habeat aliquod esse essentiale, cui cognitio conformetur. Hoc autem esse habere chimæram quando per incomplexam cognitionem cognoscitur, suadetur ex eo, quia, licèt ipsa non possit existere extra intellectum eam actu cognoscentem, est tamen possibilis cognosci absque eo, quod intellectus illam actu cognoscat, atque adeò extra illum actualiter de ea cogitantem, habet aliquod esse. quamuis enim hoc idem esse pendeat à possibili intellectione sui ratione; sufficit enim ad veritatem, de qua loquimur, si intellectio actu conformetur obiecto, in eo repræsentando; siue illud habeat essentiam ab eius essentia dependentem, siue non; hoc patet ex his, quæ habet Auctor *num.* 4 vbi docet iudicium hoc: Chimæra est ens rationis esse verum; quia, inquit, est quædam cognitio reflexa, quæ supponit chimæram actualem, vel possibilem habentem esse extra illam. Nec non etiam ex his, quæ habet *num.* 6. vbi propter eandem rationem docet, apprehensionem complexam entis rationis, per quam apprehendo V. G. ens rationis posse fieri ab intellectu, suam habere veritatem; Ex quibus sic licèt argumentari; intantum in iudicio, & apprehensione complexa de ente rationis reperitur veritas, in quantum vterque actus supponit ipsum habere esse possibile in ordine ad cognosci; sed hoc verificatur etiam de apprehensione incomplexa eiusdem entis rationis. ergo etiam in ea admittenda est similis veritas.

Maior difficultas est in probando, posse in 34
apprehensione incomplexa falsitatem aliquam reperiri. Hoc autem probatur ex eo, quia potest euenire casus, in quo proponatur intellectui cognoscendus V. G. Lupus, ipse verò apprehendat Canem; sed in hoc casu apprehensio est incomplexa, & falsa; ergo &c. Maior patet. Minor probatur, & quidem, quod sit incomplexa supponitur: quod verò sit falsa suadetur ex eo, quia est suo obiecto difformis; nam obiectum eius est Lupus, ipsa verò repræsentat Canem. ergo &c.

Dices: obiectum illius apprehensionis non 35
esse Lupum, sed Canem; atqui conformaretur Cani; ergo non est falsa.

Sed contra, illud est obiectum dictæ apprehensionis, quod ei à parte rei obijcitur cognoscendum; sed obijcitur Lupus, & non Canis; ergo eius obiectum non est Canis, sed Lupus. Maior huius, quæ sola probatione eget, suadetur, quia nisi dicamus obiectum illius cognitionis esse illud, quod à parte rei ipsi cognoscendum obijcitur, sed esse illud, quod repræsentat omnem falsitatem à mundo tollimus, cum ex apprehensionibus complexis, tum etiam ex actibus iudicij. nam quando quis apprehenderet hominem esse himnibilem, dici posset obiectum illius non esse hominem, qui est à parte rei, sed hominem equum, & qui assereret Petrum currere, illo sedente, eius obiectum non esse Petrum cum sessione coniunctum, sed cum cursu; sed hæc sunt manifestè absurda. ergo dicendum est, obiectum dictæ cognitionis esse id, quod à parte rei cognoscendum obijcitur.

Vrgebis cum eodem: apprehensio incom- 36
plexa Canis non apprehendit Canem existere à parte rei, siue esse illud animal, quod à parte rei sibi cognoscendū proponitur: alias non esset simplex, sed composita, atque complexa. ergo nulla responsio.

Respondeo, distinguendo antecedens: non apprehendit Canem existere à parte rei & explicitè concedo; non apprehendit implicitè, nego antecedens, & consequentiam; & ad probationem in contrarium dico: complexionem,

Digitized by Google

vel incomplexionem apprehensionis sumendam esse ex his, quæ explicitè representat, non verò ex his, quæ implicitè; alioquin nulla penitus daretur apprehensio incomplexa, quando quidem omne obiectum quantumuis vnico verbo explicatum, vt Homo, Leo &c. implicitè plura continet prædicata, quæ si explicitè ab apprehensione attingerentur, non esset censenda incomplexa, sed complexa; sic quando intellectui à parte rei proponitur Lupus, ipse verò apprehendit Canem, licèt explicitè non nisi Canem repræsentet, implicitè tamen illud obiectum, quod sibi cognoscendum à parte rei proponitur, cum Cane confundit; per quod non tollitur, quin per apprehensionem incomplexam feratur in Lupum.

DISPVTATIO VIGESIMA OCTAVA

DE VERITATE, ET FALSITATE PROPOSITIONVM

De futuro contingenti absoluto.

1 SVPPONO rem esse absolutè futuram, non importare de præsenti aliquod esse reale, in quo ejus futuritio consistat; sed nunc dicere carentiam sui, & connotare pro aliquo instanti subsequenti suppositionem, & existentiam in rerum natura; non quidem conditionatè, hoc est facta aliqua suppositione, quæ nunquam purificabitur, sed absolutè; quatenus omnibus pensatis res illa habitura erit existentiam. Iam verò omne, quod est hoc modo futurum, vel necessarium est, vel contingens futurum necessarium respicit adæquatam sui causam ad vnum naturaliter determinatam, & non proximè indifferentem ad se ponendum, & non ponendum; contra verò contingens est illud, quod respicit adæquatam sui causam proximè indifferentem ad utramque partem contradictionis, pro vt libuerit. Primi generis est ortus solis crastinus; ex suppositione enim quod Deus fecerit decretum de concurrendo cras cum causis creatis secundum earum exigentiam, implicat quod sol non oriatur cras in nostro emisphærio, quia regulati cælorum motus necessariò hunc effectum inducent. Posterioris verò generis est crastinum Peccatum Petri V. Gnex suppositione, quod cras peccabit, quia respicit tanquam causam sui voluntatem Petri ultimò completam per decretum Dei indifferens, nullam habentem antecedenter determinationem ad ponendum, vel non ponendum ipsum. Porrò, quod propositionibus de futuro absoluto necessariò veritas, vel falsitas determinatè conueniat, non est dubium; quia futurum hoc determinationem, quam habet in suis causis, in ipsas propositiones sufficienter transfundit; at verò futura contingentia huiusmodi determinationem in suis causis, utpotè indifferentibus non habent. Vnde oritur difficultas num propositiones, quæ de ipsis sunt, determinatam habeant veritatem, aut falsitatem. Thomistæ dicunt illam habere, eo quod sint præsentia æternitati. Veritatem huius dicti quamuis ad Theologos spectantem, placet nunc, cum Recentioribus Philosophis examinare, priusquam de propositionum determinata veritate, & falsitate disputemus, sit igitur.

SECTIO PRIMA.

An futura contingentia sint realiter præsentia æternitati.

2 PRæsens quæstio æquè procedit de futuris contingentibus, ac de necessarijs, imò etiam de rebus omnibus, quæ in aliqua differentia temporis existunt. Agitatur verò specialiter de futuris contingentibus propter rationem superius assignatam, quoniam verò fide constat, nihil à Deo creatum fuisse ab æterno, & lumine naturæ patet huiusmodi futura non esse, antequam pro sua differentia temporis existant: hinc fit controuersiam, quam agitamus tandem reduci ad quæstionem ad nomine, eo quod tum illi, qui affirmant, tum illi qui negant in his, quæ pertinent ad quæstionem de re, utpotè Catholici, inter se discrepare non possunt; sed solito in modo loquendi, vt adverterit Recupitus [illegible] primam partem libri primi quæst. [illegible] Pro quarta sit.

Vnica Conclusio. Rectè sustineri potest futura contingentia esse realiter præsentia æternitati. Est iuxta Thomistarum sensum Sanctorum Patrum, qui negant [illegible] Dei eiusque scientiæ aliquid [illegible] inter quos Augustinus [illegible] Nec est audiendus [illegible] Arriaga in log. [illegible] 78 [illegible] Patres solum loqui more Nostro quibus futura incerta sunt, & obscura; Deus autem, quia clarissimè omnia intuetur, nihil videtur fiabere futurum. Tum quia hæc expositio vim facit vtchis Patrum, qui absolutè, & non respectiuè ad nostrum intellectum loquuntur: tum etiam, quia Augustinus loco citato non solum negat aliquid futurum esse respectu scientiæ Dei; sed etiam respectu ipsius Dei [illegible]

Quid

Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora. In eadem sententia est S. F. *loco citato* à Iosepho Augustino *tom. 2. in primam partem quæst. 14 art. 12. difficult. 2. num. 16.* optimus est locus *ex primo contra gen. cap. 66. num. 6.* vbi sic. Quidquid in quacumque parte temporis est, coexistit æterno, quasi præsens eidem; & si respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum, æterno autem non potest aliquid coexistere essentialiter, nisi toti, quia successionis durationem non habet. Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, diuinus intellectus in tota sua æternitate intuetur quasi præsens. Suum præceptorem communiter Thomistæ sequuntur quorum dux est Caietanus *in primam partem quæst. 14 art. 13.* qui Angelici Doctoris mentem in hoc assecutus est. Idem sentiunt quamplures ex Societate, inter quos præter Gilbum, & Fonsecam est Eminentissimus Pallauicinus *assertionum Theologicarum lib. 8. de Deo cap. 34.* Maurus *lib. 1. quæst. 6.* Granados. *tract. 4. disput. 3. sect. prima* Augustinus *difficultate cita: à num. 27.* Ruiz *tom. de scientia disput. 18. sect. 3. 4. & 5.* Molina *in primam partem quæst. 14. art. 13. disput. 13.* & alij. Porrò quamuis hi duo postremi postea ita se explicent, vt videantur contrariam sententiam amplecti, vt notat Quiedus *de anima contra. 7. puncto quinto num. quinto*; non est quia repente euaserint transfugæ, vt ipse existimat; sed quia cum in quæstione de re vtraque sententia conueniat: non potest vna explicari, quin cum alterius explicatione coincidat. Contra nostram verò conclusionem sunt Valentia, Vasquez, Suarez, Hericius, & alij *locis citatis* ibi ab eodem Quiedo, & ab Aldrete *tom. primo in primam partem disp. 23. sect. prima.*

3 Probatur autem assertio vnica ratione: Illa propositio vera est, cuius copula vnit prædicatum subiecto pro ea mensura durationis, qua verè vnitum est illi. sed in hac propositione futurum contingens (Vt Petrum crastinum Petrus est realiter præsens æternitati), eius copula vnit prædicatum subiecto pro ea mensura durationis, qua verè vnitum est illi: ergo recte dissimulare potest rerum esse futura contingentia esse realiter præsentia æternitati. Maior & consequentia videntur certæ, & minor probatur, quia verbum (est) non minus significat præsens, nunc creatum, quàm nunc increatum: sed si verbum (est) in illa propositione tantum significat præsens nunc creatum, vnit prædicatum subiecto pro ea mensura
11 durationis, qua verè vnitum est illi: ergo &c. Maior huius videtur certa. Minor verò suadetur, quia præsens æternitati Dei, quæ definitur à Theologis interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, quæ tempus, est duratio quædam sine vllo successionis principio, medio indiuisibilis, atque adeò omnem partium successionem à se excludens: inde fit, vt quidquid est, vel fuit, vel futurum est in quacumque differentia temporis comprehendatur, & concludatur ab illa, ergo si verum (est) in illa propositione sumitur pro vt significat nunc æternitatis, vnit prædicatum subiecto pro ea mensura durationis, pro qua verè vnitum est.

Confirmatur id, quod dicimus: Respectu 4
nunc increati nihil est præteritum aut futurum, sed solum præsens. ergo futura contingentia dici possunt esse nunc realiter præsentia æternitati. Consequentia patet, quia per aduersarios dicta futura cum habitura sint in aliqua differentia temporis existentiam, iam erunt realiter æternitati præsentia. Antecedens verò probatur, quia nunc increatum continet in se, & superexcedit omne præteritum, & futurum. Quare quemadmodum nihil ex his, quæ fiunt in toto anno siue permanens sit, vt ignis, Homo, &c. siue successiuum vt dies, hora &c. potest dici cũ veritate respectu illius anni præteritum aut futurum, quia comprehenditur ab illo; ita etiam propter eandem rationem nihil prorsus respectu nunc Diuini poterit aut præteriti, aut futuri rationem habere.

Dices: si semel admittimus veram esse hanc 5
propositionem: Futura contingenta sunt realiter præsentia æternitati, debemus admittere veras etiam esse has quatuor alias; quarum prima est: Futura cõtingentia nunc coexistunt æternitati. Secunda, Futura contingentia nunquam incipiunt esse præsentia æternitati, & nunquam desinent. Tertia, Omnia Futura contingentia simul coexistunt æternitati. Quarta denique: Futura contingentia non solum fuerunt ab æterno obiectiuè in mente Dei, sed etiam in se ipsis physicè, & realiter existentia. Sed hæ propositiones videntur falsitatem manifestam continere, ergo, & illa. Maior, quæ sola probatione eget, suaderur, tum quia auctores, qui nostram propositionem sustinent, etiam has aliàs concedere non dedignantur; tum etiam quia eadem ratio ab indiuisibilitate æternitatis petita æquè militat pro omnibus.

Respondeo dicendum; aliud esse propositionem aliquam habere aliquem bonum sensum in quo si accipiatur, sit vera, & nihil continuat falsitatis; aliud verò absolutè prolatam sensum illum communiter reddere. Ad primum sufficit si aliquam habeant significationem, secundùm quam sine conuentione obiecto. Ad secundum verò vlterius requirimus, vt inxta eam significationem communiter, sumpta ab intelligentibus illam. Porrò propositiones in paritate allatæ, hoc secundo carent, quia licet verbum (est) quantũ est de se non magis significet nunc fluxam durationis veram, quam increatam, & permanentem, non magis indiuisibile durationis successiuæ, quæ est nostrum instans, quam indiuisibile durationis omnino permanentis, quod est æternitas; tamen communiter nomen (est) præsertim quando loquimur de existentia creaturarum, sumitur pro mensura durationis vnius, & partialis, nunc, pro instanti temporis, siue reali, siue imaginario. Quare non sunt audiendi doctores aliqui, qui dictas propositiones sine vlla explicatione, aut restrictione, tanquam veras ab omnibus accipiendas, & contrarias tanquam falsas repudiandas esse affirmat. Quod nos non faciamus; sed

solum

solum asserimus, eas in aliquo bono sensu, quę habere possunt, intellectas nihil falsitatis, aut erroris continere. Cauendum verò esse nè sinè debita protestatione, & declaratione vsurpentur, alioquin erroris occasio audientibus sinè dubio dabitur.

4 Placet autem, vt melius nostra conclusio intelligatur, singularum propositionum obiectarum intelligentiam explicare, incipiendo à prima, quæ erat huiusmodi. Futura contingentia nunc coexistunt æternitati; si enim accipiatur coexistere in eo sensu, in quo supra accepimus, esse præsens; sicuti supra probauimus futurum contingens verè dici esse præsens æternitati, ita; & illi coexistere, quia nequit aliquid esse alicui præsens, quin illi coexistat pro ea mensura durationis, pro qua est præsens, neque particula, nunc, facessit negotium, quia ea vsurpatur, quatenus nunc æternitatis importat. Quod si sumatur quatenus significat nunc temporis, non illico condemnanda est propositio falsitatis; sed distinguenda, & siquidem dicta particula accipiatur, vt mensurans existentiam rerum futurarum, falsa est; quia verè in hoc nunc temporis Antichristus V. G. non coexistit æternitati Dei; sin autem sumatur, vt mensurans veritatem propositionis, est vera. nam posita veritate coexistentiæ creaturæ cum æternitate sequitur, quod propositio, quæ id affirmat, pro omni nostro tempore vera sit.

7 Secunda erat huiusmodi: Futura contingentia nunquam incipiunt esse æternitati præsentia, & nunquam desinent: & hæc etiam veritatem habere potest. Hoc enim ipso, quod æternitas est indiuisibilis, & indiuisibiliter totum tempus siuè reale, siuè imaginariũ complectitur; quod semel est in illa, semper sit necesse est, sempereitate, vt ita dicam, se tenente ex parte ipsius æternitatis; & sic nunquam verificari potest, quod aliquid incipiat esse illi præsens, aut desinat; quia verò antea non fuerit præsens, vel postea non sit futurum huiusmodi; contra verò si consideremus futura in propria durationis mensura, sicuti incipiunt coexistere æternitati, ita desinent; & sic propositio falsa est.

8 Tertia: Omnia futura contingẽtia simul coexistunt æternitati. hæc quoque propositio licèt si particula (simul) intelligatur de simultate se tenente ex parte ipsorum futurorũ contingentium, sicuti communiter intelligi solet, sit falsa; tamen si exponatur de simultate se tenente ex parte æternitatis, est verissima. alioquin verum esset dicere, quod vnum futurum in vna parte æternitatis existeret, aliud verò in alia; & sic successiuitatem in æternitate poneremus quemadmodum igitur omnia, quæ in mundo sunt, simul coexistunt immensitati diuinæ, simultate se tenente ex parte immensitatis, quamuis nõ coexistãt simul inter se; & in nostro casu hinc Augustin. *lib. 15. Trinit. cap. 7.* sic habet (ista quæ dicuntur præterita, ibi non præterierunt, neque illa, quæ dicuntur futura expectantur, sed omnia præsentia cogitantur.)

9 Quarta denique erat hæc: Futura contingentia non solum fuerunt ab æterno obiectiuè in mente Dei, sed etiam in seipsis Physicè, & realiter existentia. cuius veritas probatur ex eo, quia licèt Antichristus V. G. si comparetur ad tempus antecedens durationem suam, & ad tempus illam subsequens, non sit nisi obiectiuè in mente Dei ab æterno, eo quod in ordine ad dicta tempora non existit in se, sed solum in Dei scientia obiectiuè: tamen si comparetur ad tempus, in quo existit, non potest dici, quod sit obiectiuè tantum in mente Dei; quia in ordine ad dictũ tempus videtur à Deo vt in se ipso existens, & extra suas causas in propria præsentialitate; quia verò hæc rursus comparata ad nunc æternitatis, iam est illi semper præsens, atque adeò ab æterno ipsi coexistens: hinc sequitur, quod neque in ordine ad diuinam cognitionẽ Antichristus absolutè debeat dici, quod sit futurus; quia physicè, & realiter secundum propriam existentiam est ab æterno illi præsens; & rectè. nam ordo præsentis ad futuram inter cognitionem, & obiectum importat, quod quando est cognitio non sit obiectum, & quando est obiectum possit non esse cognitio; neutrum autem habet locum in casu nostro, quia in eodem nunc æternitatis est obiectum, & cognitio, & quando obiectum est in propria duratione, non potest cognitio diuina non esse.

Quiedus *loco citato num. 7.* conatur soluere 10
nostram fundamentalem rationem, quam rectè sic summatim proponit: Omnia Futura correspondent æternitati: sed æternitas est totæ simul; ergo correspondent toti æternitati. Pro eius autem solutione supponit æternitatem Dei esse duplicem, quandam intrinsecam Deo, quæ est indiuisibilis semper, & tota simul durans; aliã extrinsecam, quam præter suam entitatem dicit correspondentiam ad tempus extrinsecum, & coexistentiam cum illo, atque successiuitatem se tenentem ex parte dicti temporis. Quo posito respondet ad argumentum distinguendo maiorem: Creatura coexistit æternitati intrinsecæ Dei, concedit: æternitati extrinsecæ, subdistinguit: toti extrinsecæ, negat; tempori determinato in ea incluso, concedit. Eodem modo distinguit minorem, & sic distinguit etiam consequens. ergo creatura coexistit toti æternitati extrinsecæ, negat; intrinsecæ subdistinguit: sumpta creatura in sua differentia temporis in qua existit, concedit: toti æternitati intrinsecæ ab æterno, negat consequentiam; & ait, quod licèt ego modò existens, coexistam toti æternitati intrinsecæ Dei: tamen antequam essem productus non coexistebam, non ex defectu existentiæ Dei, sed propriæ.

Porrò contra hanc distinctionem faciunt 11
duo: Vnum contra primum eius membrum. Non benè enim de æternitate extrinseca Deo sentit, dum dicit eam constare ex æternitate intrinseca, & ex tempore imaginario. Melius fecit Arriaga, qui *loco citato num. 79.* dixit æternitatem Deo extrinsecam esse ipsum tempus verum, vel imaginarium perpetuò fluens, & rectè. nam tempus nobis extrinsecum non constat ex nostra duratione, & ex duratione motus primi mobilis; porrò idem videtur dicendum de æternitate Deo extrinseca non

enim

Digitized by Google

enim videtur disparitas assignabilis; verum quidquid sit de hoc, veniamus ad solutionem ipsam, quæ in secundo distinctionis membro consistit; in quo concedit creaturam in sua durationis mensura coexistere toti æternitati intrinsecæ Dei; negant verò illi coexistere ab æterno eo quod non est ab æterno. Contra quod sic arguo: licèt falsum sit quod creatura vt in propria duratione considerata coexistat toti æternitati ab æterno; nam sensus esset, quod propria differentia temporis ipsi æternitati coextensa fuisset: nos tamen hoc nō sustinemus, sed solum contendimus de creatura, quamuis non dum existente, posse verificari quod est coexistens æternitati Dei ab æterno, eo quod verbum (*est*) sumi potest pro vt solùm significat mensuram durationis æternæ, & importat præsens, nunc, æternitatis; quod sic suadeo: verbum (est) hoc modo acceptum repræsentat durationem Dei totam simul sine vllo respectu ad partes temporis, per ordinem ad quas est virtualiter distinguibilis in partes successiuas priores, & posteriores. ergo non habet respectum ad præteritum, & futurum. ergo hoc ipso quod facit veram propositionem hanc (res futura coexistit æternitati) faciet etiā veram hanc aliam, (res futura coexistit æternitati ab æterno,) si quidem æternitas sic accepta non habet quando, & quando, vt admittat distinctionem illam, quod videlicet creatura quando existit in se, coexistat æternitati, non verò quando non existit in se, vt dicebat Aduersarius.

12 Vrgebis de creatura in sua differentia temporis considerata non potest dici, quod coexistat toti æternitati ab æterno, vt nos concedimus; ergo multo minus potest hoc verificari de ea quando est futura. Consequentia probatur, quia per differentiam temporis propriam creaturæ intelligimus illud tempus, in quo existit. ergo si tunc non coexistit ab æterno, multo minus quando est futura. Respondeo, concessa antecedente, negando consequentiam, ratio negationis est, quia aliud est loqui de creatura considerata in aliqua differentia temporis, & aliud loqui de creatura, quando est in aliqua differentia temporis. primum significat quod accipiatur in illa differentia formaliter, ita vt hæc sit proxima ratio eam cognoscendi, eique assentiendi. secundum verò quod in ea differentia materialiter tantum accipiatur, vnde fit vt negemus aduersarijs de creatura considerata pro tempore, quo existit, quod coexistat Deo ab æterno: concedamus verò id de creatura quando non existit; quia in primo casu venit creatura cum propria mensura formaliter, quæ ponit distinctionem in æternitate; in secundo verò quamuis materialiter habeat propriam mensuram sui non esse, tamen formaliter consideratur cum existentia secundū mensuram durationis diuinæ indiuisibilis, & per hoc resolutū manet totum huiusmodi propositionum enigma. futurum enim, quod non est adhuc in propria mensura, potest considerari cum esse, quod aliquando habebit, & rursum ab huiusmodi aliquando formaliter abstrahi, ita vt non sit ratio ipsa cognoscendi, sed referatur tantummodo ad æternam Dei durationem tanquam ad rationem, propter quam cognoscatur, quæ cum indiuisibiliter, & sine vlla successiuitate accipi possit, rectè deducitur, dictum futurum quando est futurum, esse illi physicè præsens.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta contra præsentem Conclusionem.

OBijcies primò ex Ouiedo *num.* 5. quod non est in tempore præsenti, absolutè non est secundum suam entitatem, neque habet esse physicum. ergo implicat aliquid non esse in tempore præsenti, & esse præsens æternitati. probatur consequentia: quòd non est in tempore præsenti, non est formaliter secundum suam entitatem; sed quod non est formaliter secundum suam entitatem, non potest esse præsens in tempore. ergo non potest esse præsens æternitati. Respondeo argumentum committere æquiuocationem in verbo (*est*), quod cum possit sumi pro vt significat mensuram durationis temporaneæ, & æternæ, vtramque pro eodem vsurpat. Quare distinguo maiorem: quod non est in tempore præsenti, absolutè non est secundum suam entitatem: absolutè non est, si verbū (est) sumitur pro vt significat mensuram durationis temporaneæ; concedo: æternæ, nego antecedens, & consequentiam. Ad cuius probationem distinguo item maiorem: quod non est in tempore præsenti, non est formaliter secundum suam entitatem: non est formaliter, si verbum (est) importet mensuram durationis temporaneæ, concedo; æternæ, nego. & concessa minore, distinguo consequens, quod non est formaliter secundum suam entitatem, non potest esse præsens æternitati, si esse præsens mensuram propriæ durationis includat, concedo. si ab ea præscindat, & significet solum mensuram durationis diuinæ, nego consequentiam. Ad hoc facit, quod ait D. Augustinus *lib. 5. de Trinit. cap. 16.* apud Deum nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt. 13

Obijcies secundò ex eodem *num. 4.* si omnia essent præsentia æternitati, iam essent simul vera hæc duo contradictoria: Antichristus existit Antichristus nō existit sed hoc est absurdum. ergo &c. sequela probatur, quia Antichristus, & eius negatio essent simul existentia in actu æternitati. Respondeo negando maiorē. ad cuius probationem dico, quod sicuti ex eo, quod Panormus, & Roma sunt simul præsentes immensitati diuinæ, non benè deducitur, quod sint inuicem sibi præsentes: ita ex eo quod tum negatio tum existentia Antichristi simul existant simulatæ se tenente ex parte æternitatis, malè deducitur, quod simul existant simultate se tenente ex parte sui. si enim coexisterent æternitati per mutuam adæquationem ad ipsam & per æternitatem sibi intrinsecam, conuinceret argumentum; sed quia coexistunt æternitati 14

Digitized by Google

nitati per extensionem æternitatis ad ipsam seu per excessum; ideo non habet vim; vnde illud antecedens sic distingui potest: omnia sunt præsentia æternitati præsentialitate se tenente ex parte Dei, concedo: ex parte sui, nego; cuius distinctionis sensus est, quod æternitas per hoc ipsum nunc omnibus prorsus rebus, quæ fuerunt, sunt, vel erunt correspondet, sumendo correspondentiam de præsenti in ordine ad ipsã æternitatem, & relinquendo successionem in ipsis rebus in propria mensura consideratis.

18 Obijcies tertiò ex Arriaga *tom. 1. in primam partem disput. 20. sect. 3. & in log. disput. 14. num.* 84. duratio Angelica, quæ dicitur æuum, per multos est indiuisibilis, & tamen non sequitur, quod si cursus Petri æuo Angelio coexistat, coexiterit etiam illi initio creationis Angeli: ergo neque dici potest, quod coexiterit Deo ab æterno. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas sumitur ex eo, quia æuum Angeli, quamuis sit indiuisibile materialiter, habet tamen quandam formalem diuisibilitatem consideratum in se, eo quod Angelus non durat hodie per illam ipsam durationem, quam durauit heri; alioquin hodie non posset annihilari à Deo: contra verò Deus per illam formalissimam durationem, per quam ab æterno durauit, est in æternum duraturus. ex hoc autem sequitur, quod si cursus Petri coexistit hodiernæ durationi Angeli, non debeat dici quod etiam coexiterit heri, quia verè duratio Angelica hodierna non est formaliter eadem cum externa. contra verò si sermo sit de eodem cursu Petri, comparato cũ æternitate Dei.

19 Obijcies quartò ex Recupito *in primam par. tom. 2. lib. 1. qu.* 18. omne quod est præsens realiter, debet existere realiter; sed nullum futurum existit realiter ab æterno. ergo nullum futurum est præsens realiter ab æterno. Maior patet, quia præsentia supponit existentiam. minor videtur de fide. Confirmatur quia res creata tunc coexistit ipsi nunc æternitatis, cum existit ipsi nunc temporis. sed nulla res in suo nunc temporis fuit ab æterno. ergo nulla coexistit ipsi nunc æternitatis ab æterno. Maior quæ sola indiget probatione declaratur, quia coexistentia est simultanea existentia.

Respondeo ad argumentum, concedendo totum; aliud enim est dicere futurum est præsens realiter ab æterno. aliud verò futurum est præsens Deo realiter ab æterno. primum enim dictum importat solum præsentiam absolutam, hoc est existentiam actualem ipsius futuri, & ly ab æterno, quod additur nõ potest significare aliud quam durationem æternam eidem futuro intrinsecam; & ideo falsum est, & à nobis negatur. secundum verò quod asseritur, importat præsentiam respectiuam ad Deum. vnde ly ab æterno rectè potest se tenere ex parte Dei, & significare eiusdem inuariatam durationem æternam sibi intrinsecam, quæ vocã correspondeat ipsi futuro pro ea differentia temporis, prout existit. Per quæ patet responsio ad confirmationem; concessa enim maiore, & minore, iuxta sensu supra explicato, distinguo consequens: ergo nulla res coexistit ipsi nunc æternitatis ab æterno, si enim ly ab æterno denotet durationem intrinsecam ipsius rei creatæ, concedo, sed hoc nos non dicimus. Si autem ly ab æterno significet durationem intrinsecam ipsius æternitatis, quæ est tota simul, nego consequentiam. rem enim creatam coexistere Deo ab æterno importat, quod coexistat mensuræ alienæ durationis diuinæ, quæ per illud ipsum nunc fuit ab æterno, per quod est hodie. 20

Quiejus *num.* 3. ait se in hoc auctus verba rem tamen minimè percipere. quare sic instando quod in se secundum suam entitatem physicè non existit, neque physicè productum est non potest esse sub mensura propria, neque aliena, sed futurum non est ab æterno physicè productum neque in se ab æterno est aliquid, sed tantum erit. ergo non potest esse ab æterno, neque sub mensura propria, neque aliena.

Miror ingeniosissimum virum in hoc hæbetari, & non aduertere longè esse discrimen inter æternitatem increatam, & creatam; quare ad instantiam facile respondeo ex dictis distinguendo maiorem: quod in se secundũ suam entitatem physicè non existit, neque physicè productum est; si ly non existit, & non est productum excludunt præsens nunc, tum temporis, tum æternitatis, concedo, quod non potest esse sub mensura propria, neque aliena: si tantum excludant præsens nunc temporis, nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia esse ab æterno sub mensura aliena importat solum coexistere durationi indiuisibili, per quam Deus est ab æterno, non verò existere per durationem creatam, quæ fuerit æterna, vt putat auctor. 21 22

Obijcies quintò ex Arriaga *loc. cit.* Creaturæ cœperunt esse in compore realiter præsentes æternitati Dei. ergo non sunt ab æterno præsentes eidem æternitati. Consequentia patet, quia quod habet principium suæ præsentiæ non est ex æternitate præsens. Respondeo concesso antecedente iuxta explicationem secundæ propositionis obiectæ in sectione præcedente: distinguo consequens: si illud (ab æterno) accipitur pro æternitate Dei, & illud (fuit) pro eius duratione, nego: si autem pro æterna duratione ipsarum creaturarum, concedo consequentiam. Per quæ patet ad eius probationem; sicèt enim res coexistat æternitati, quando existit in propria mensura; quia tamen considerari potest vt existens, quatenus præcisè correspondet æternitati, hinc fit vt possit dici Deo coexistere ab æterno. 23

Obijcies sextò ex Recupito *ibid.* Ita se habet diuina immensitas in ordine ad res existentes in loco, sicuti æternitas in ordine ad res existentes in tempore; vtraque enim est infinita. sed res quæ nunc non existunt non sunt præsentes immensitati quò ad locum; ergo res quæ nunc non existunt, non sunt præsentes æternitati quò ad tempus. Respondeo, concessa maiore, distinguendo minorem: quò ad illas particulas (nunc, & sunt); & siquidem significant propriam, & veram creaturæ durationem concedo. si autem (nunc) significat mensuram durationis creatæ: (sunt) autem increa-

Digitized by Google

tæ, nego minorem, & consequentiam in sensu intento ab aduersarijs; dico enim, quod cum æternitas ambiat omne tempus, sicuti verum est, quod in aliqua temporis parte Antichristus erit: ita & quod sit modò præsens æternitati. nam æternitas tota quanta est præsens est, & non dividitur in præsens, præteritum, & futurum, sicuti nostrum tempus. Non negauerim tamen, quod quando agitur de coexistentia creaturarum cum immensitate diuina particulæ illæ (Nunc, & Sunt) denotant propriè rei creatæ durationem, quia immensitas non est duratio, & ideò paritas non est ad rem. Per hæc autem remanet solutum argumentum Bernardi Aldrete *tom. primo in primam partem disput. 22. sect. prima num. 7.* vbi sic: Deus per suam immensitatem non continet omnes differentias loci futuras; ergo neque per suam æternitatem differentias futuras temporis. nam, licèt, si nunc præsens, quod significat verbum (continet) ad nostri temporis mensuram referatur, concedendum est antecedens, & consequentia; attamen si referatur ad mensuram æternitatis, vtraque propositio falsa est. Vbi nota etiam nunc nostrum si consideratur, vt æternitati coexistens posse de eo verificari, quod sit præsens ab æterno physicè Deo, & in æternum per præsentiam ab extrinseca mensura æternitatis mensuratâ, per quod non amittit in propria mensura excludere à se essentialiter permanentiam.

20 Obijcies septimò: quoties plura coexistunt vni tertio, toties coexistunt inter se. ergo si omnia coexistunt realiter æternitati, simul coexistunt inter se; sed hoc est absurdum, tum in permanentibus, quia simul essent, & non essent: tum in successiuis, quia haberemus omnes partes simul, vt arguit idem Recupitus *ibidem*. ergo &c.

Respondeo, distinguendo antecedens: Quoties plura coexistunt vni tertio secundum suam durationem adæquatè sumpto, concedo: sumpto inadæquatè, nego antecedens, & consequentiam. Quia res non coexistunt realiter æternitati nisi in sua differentia temporis, in qua sunt; quoniam verò tunc toti coexistunt, ideò dicuntur coexistere illi ab æterno. Ex hoc autem non sequitur res permanentes simul esse, & non esse; nàm si verbum (esse) significat propriam durationem, hæc excludit earum futuritionem. sin autem denotat æternitatem absolutè verum est eas esse: falsum verò non esse; quia negatio est malignantis naturæ. Neque sequitur res successiuas habere omnes partes simul, ita vt simultas cadat supra durationem propriam; sed ita vt cadat supra durationem æternitatis, quod nullo modo successiuitati rerũ repugnat, sed solum arguit permanentiam in ipsa æternitate.

21 Obijcies octauò: quod in se nihil est, adhuc non potest alteri coexistere, sed Antichristus ab æterno nihil fuit; ergo nõ fuit realiter coexistens Deo ab æterno.

Respondeo, concedendo totum: quia ly fuit sumitur per ordinem ad nostrum tempus, non verò ad æternitatem, quæ est præsens quid. quod si minor sic formetur; sed Antichristus nihil est in æternitate: tunc neganda est, vt patet ex dictis, eo quod negatio est malignantis naturæ, atque adeò, vt de aliqua re verificetur, quod nihil est in æternitate; in mensura æternitatis sub nulla differentia temporis habeat existentiam necesse est.

Instabis: Quod heri fuit præsens, hodie est 22
præteritum; sed heri verum fuit dicere, Antichristus est realiter præsens æternitati. ergo hodie verum est dicere: heri fuit præsens æternitati. Respondeo, distinguendo maiorem: & si quidem heri fuit præsens ratione temporis fluentis, concedo, quia tempus quò ad illam partem non permansit. quod heri fuit præsens ratione æternitatis, nego maiorem, quia hæc nihil præteriti habere potest. Quoniam verò in minori agitur de præsentia Antichristi ratione æternitatis: hinc nego consequentiam. Vbi notanda ideò respectu nunc æternitatis nihil posse dici præteritum, aut futurum, quia tum præteritum, tum futurum important, vt id, quod his denominationibus subijcitur nunc non existat. sed quod Adam quidem V. G. qui dicitur nostro nunc præteritus, antea extiterit: Antichristus verò, qui dicitur futurus, postea extiturus sit. sed respectu nunc æternitatis falsum est eos nunc non existere. ergo &c.

Obijcies nonò ex Oniedo *loco citato num. 6.* 23
si res ab æterno existit in æternitate: ergo non incipit in tempore eius existentia. Probo consequentiam: quod incipit in tempore non fuit ante illud. sed ante quodlibet tempus res fuit in æternitate. ergo in nullo tempore incipit esse seù existere. Quod si dicamus ante quodlibet tempus fuisse rem in mensura aliena, non in propria, sic insurgit. Quod existit ab æterno sub aliena mensura, ab æterno existit. ergo existentia, quæ fuit ab æterno sub aliena mensura, ab æterno fuit; ergo licèt in tempore incipiat esse sub propria mensura, non incipit esse in tempore; neque eius existentia esse incipit, sed noua illius mensura, quæ antea non erat. Probat hanc vltimam consequentiam sic: si lapis ab æterno extra proprium centrum extitisset, & in tempore inciperet esse in centro proprio, non esset verum dicere, lapis in tempore incipit existere: sed incipit existere in centro; ergo à pari.

Respondeo: rectè dictum esse, argumentum nihil concludere, quia facit transitum ab aliena durationis mensura ad propriam. Ad probationem in contrarium, nego antecedens, in quo assumitur: id, quod existit ab æterno sub aliena mensura, ab æterno existere. Ratio negationis est, quia existere ab æterno absolutè prolatum significat existere in propria mensura durationis, quæ sit æterna; quia non assignatur aliud, quod sibi dictam mensuram appropriet, vti supra innuimus. quare, vt illud antecedens sit verum debet ita formari: Quod existit ab æterno sub aliena mensura, coexistit ab æterno illi, sub cuius mensura existit. Quod verum est, sed non fauet aduersario. Ad paritatem verò ex lapide desumptam, latam assigno disparitatem, quæ consistit in eo, quod ver-

Digitized by Google

bum (est) & verbum (existit) non significant esse in centro, & extra centrum, sicuti significant nunc temporis, & nunc æternitatis. Vnde non valet argumentari ab vno ad aliud.

SECTIO TERTIA.

An Deus verò futura omnia contingentia absolutè ab æterno cognouerit.

24 Conclusio est affirmativa, & de fide. *Psal.* 138. Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuidisti, & *Ioann.* 18. Iesus itaque sciens omnia, quæ uentura erant super eum; vnde Augustinus *de fide ad Petrum cap.* 33. firmissime tene, & nullatenus dubita Deo non tolum præterita, & præsentia, sed etiam futura omnia esse notissima. Dubium tamen est vtrum ratione naturali huiusmodi scientia in Deo probari possit. Aliqui negatiuè respondent, & pro se citant Aristotelē *lib. primo Perihermenias cap. ultimo*: vbi docet propositiones singulares de futuro contingenti à Deo cognosci non posse; & *Tullium secundo de Diuinat.* vbi: Mihi, inquit, ne in Deum quidē cadere videtur, vt sciat quid casu, & fortuitò futurum sit. Sed certissimè tenendum est, si non demonstratiuè, at saltem efficaciter ratione naturali probari posse Deū de huiusmodi futuris, antequā sint, habere scientiam.

25 Probatur primò: futura contingentia fuerunt ab æterno determinatè cognoscibilia. ergo fuerunt ab æterno cognita à Deo. Consequentia patet, quia cum Diuinus intellectus ponatur ab æterno infinitè perfectus, ea infinitate, quā maior, seù perfectior in genere intellectiui excogitari non potest; ad omne cognoscibile ab æterno se extendere necesse est concedere, aliquin posset excogitari alius perfectior illo. Antecedens verò probatur, quia cognoscibilitas est passio veri. sed futura contingentia habuerunt ab æterno rationem veri. ergo &c. Maior, & consequentia patent. Minor verò suadetur, quia ratio veri transcendentalis, de qua loquimur se tenentis ex parte obiecti, consistit in eo, quod habeat capacitatem ad habendam conformitatem passiuam cum intellectu ipsum cognoscente. huius autem conformitatis habendæ futurū contingens ab æterno capax esse constat ex eo, quia verè ab æterno est huiusmodi; non quasi verò habeat aliquod esse positiuum ab æterno, sed quia habet totū id, quod ad eius futuritionem contingentem requiritur, nimirum carentiam sui pro aliqua differentia temporis existentem in rerum natura, & connotationem pro alia differentia temporis suæ existentiæ ponendæ. ergo habet capacitatem conformandi se cum intellectu cognoscente illud; non minus enim futurum contingens verè tale est, quando futurum est, quam sit existens, vel præteritum, quando postea exiftit, vel cessauit existere.

26 Dices cum Aristotele *loco citato*, quod licèt hoc coniunctum (Peccatum Antichristi vel est futurum, vel non:) necessariò verum sit: non tamen alterutra pars illius veritatem habet determinatam. Sed contra est, quia adeò totum illud coniunctum disiunctiuum verum est, quia alterutra pars illius necessariò vera est. Neque dicas veram quidem esse, sed indeterminatè, & vagè: quia licèt id ita sit in ordine ad nos, qui non habemus vndè determinemur; non tamen loquendo de obiecto secundum se consideratо; quia sicuti alterutrum determinatè erit inimicum, vel peccatum, vel eius negatio: ita, & alterutra ex ipsis contradictorijs determinatam habet veritatem.

Probatur secundò: lumine naturæ constat res contingentes præteritas à Deo cognosci, aliquin Deus esset minus cognoscitiuus, quam nos, qui rerum præteritarum recordamur. ergo cognoscuntur etiam res contingentes futuræ. Consequentia patet, quia in tantum nos præteritorum recordamur, & non extendimur ad futura, in quantum species ab obiectis præsentibus accipimus easque semel habitas conseruare possumus. sed Deus non accipit species à creaturis, sed ratione suæ infinitæ perfectionis in genere intellectiui habet quidquid requiritur ad quamlibet veritatem cognoscendam. ergo quemadmodū quando res contingens existit, & quando est præterita, potest illā cognoscere, ita, & quando futura est. 27

Dices: præter species in potentia, apta nequiri ex parte obiecti determinationem. sed hanc non habet futurum contingens, antequam existat; ergo &c. Respondeo concessa maiore; distinguendo minorem: Futurum contingens antequam existat, non habet determinationem actualem, concedo. futuram nego. Porrò hanc determinationem ad determinandam certam cognitionem sufficere patet; primò ex possibilibus, quæ eo præcisè, quod possint habere determinationem ad existentiam, sunt apta in statu merè possibilitatis actu diuinam scientiā terminare. Secundò ex præteritis, quæ sicuti non habent esse, sed habuerunt, ita non habent, sed habuerunt determinationem. Tertiò ex ipsis rebus futuris, quæ licèt non possint à nobis determinatè iudicatiuè cognosci, possunt tamen apprehensiuè. 28

Probatur denique tertiò ratione D. T. *prima parte quæst.* 14. *art.* 13. Quidquid aliquando est, cognoscitur à Deo ab æterno. sed futura contingentia aliquando sunt. ergo &c. Maior, quæ sola probatione eget, suadetur quia Dei cognitio mensuratur æternitate, sicuti & sua esse. Non autem mensuraretur æternitate, nisi ferretur ab æterno super omnia. nam æternitas tota simul existit, & ambit totum tempus. Vnde omnia, quæ sunt in tempore sunt ei ab æterno præsentia, & sic eius intuitus fertur ab æterno super omnia, pro vt sunt in se, & in sua præsentialitate. Atque adeò certò, & infallibiliter, vt de se patet. 29

Obijcies primo: si in Deo esset scientia futurorum contingentium, tolleretur in futuris contingentia. sed hoc est inconueniens. ergo &c. sequela maioris probatur, quia contin- 30

gentia

gentia in futuris importat indeterminationem ad esse, & non esse. sed scientia Dei est infallibilis. ergo si esset de futuris contingentibus tolleret ab eis contingentiam. Hoc autem esse absurdum est cuidens, quia non stat libertas sinè contingentia; quare tolleretur è mundo omnis libertas.

Respondeo, negando sequelam maioris; ad cuius probationem distinguo maiorem: contingentia in futuris importat indeterminationem antecedentem, concedo: consequentem, nego maiorem. distinguo postea minorem: scientia Dei est infallibilis, ita vt necessariò excludat à suo obiecto indeterminationem tum antecedentem, tum consequentem, nego: consequentem tantùm, concedo; & nego consequentiam. Indeterminatio antecedens est illa; quæ habetur ratione causæ indifferētis ad vtrūlibet, quæ potest stare cum determinatione consequenti, quæ habetur ex suppositione actus; quatenus hic, licèt potuerit à sua causa non poni, posito tamen quod ponendus est, determinatur ad esse potius, quam ad non esse. sufficere autem hanc determinationem ad reddendam infallibilem scientiam Dei, patet ex eo, quia hoc ipso, quod attingit actum in se determinatum, implicat quod fallatur.

31 Obijcies secundò: omnis necessitas antecedens actum, tollit ab eo libertatem; sed si daretur scientia Dei de futuro contingenti afferret illi antecedentem necessitatem. ergo &c. Maior supponitur, & minor probatur, quia scientia Dei de crastino peccato Petri V. G. fuit ab æterno, ipsum verò peccatum erit cras, & sic est antecedens. Aliundè verò implicat non esse peccatum cras, posito quod Deus illud futurum cognouerit. ergo iam afferret illi antecedentem necessitatem.

Respondeo distinguendo maiorem: omnis necessitas antecedens natura actum, tollit libertatem, concedo: antecedens solùm tempore, & non natura, nego; & sic distinguo minorem, scientia Dei afferret futuro contingenti necessitatem antecedentem tempore, concedo. natura, nego minorem, & consequentiam. Necessitas antecedens natura habetur per hoc, quod aliquid, quod se tenet ex parte actus primi, & in priori naturæ ad actum, determinet voluntatem ad vnum; necessitas verò antecedens tantùm tempore, si non se tenet ex parte actus primi est potius consequens naturæ, quia est ex suppositione actus. Porrò hanc posteriorem necessitatem affert futuro contingenti scientia Dei, non verò priorem. Non enim ideò Petrus cras peccabit, quia Deus id cognouit; sed potius è contra, ideò Deus cognouit Petrum cras peccaturum, quia verò peccabit. Atque adeò est ex suppositione peccati ipsius Petri.

32 Obijcies tertiò: futurum contingens modò nō est determinatum, sed suo tempore determinandū. ergo modò non potest sciri à Deo. Consequentia probatur, quia scientia Dei cum sit infallibilis debet esse de obiecto iā determinato. Respondeo hoc argumentum facile solui ex reali præsentia, quam habent futura in æternitate respectu Dei, quia omnia sicut in nūc æternitatis existūt, ita sunt in se determinata. Quoniam verò hanc præsentiam non puto necessariam ad propugnandā Dei scientiam de futuris contingentibus: ideò concesso antecedente, nego consequentiam; ad cuius probationem, nego assumptum; & dico scientiam infallibilem, quam modò Deus habet de futuris contingentibus, nō requirere ipsa futura determinata iā, sed determinānda quò ad existētiā ad cum planè modum, quò scientia, quam habet Deus de præteritis, quātūs nunc sit determinatissima in se: tamē præterita ipsa nō habēt modò determinationē, sed habuerunt. Ratio verò quæ est, quia scientia determinatio quò ad veritatem consistit in eo, quod conformetur obiecto. Iam verò scientia siuè de futuris sit, siuè de præteritis non affirmat obiectū suum habere determinationem pro eo tempore, quò ipsa est, sed vel habiturum si est de futuris, vel habuisse si est de præteritis.

Obijcies quartò: stante Dei scientia de futuro Petri peccato, vel potest Petrus peccare, vel non potest. Non secundum, quia non esset liber. ergo primum; iam, possibili posito in actu nullum sequitur absurdū; sed si ponamus, quod defactò nō peccet Deus falletur. ergo Deus non habet de futuris contingentibus scientiam. Respondeo: stante Dei scientia de futuro Petri peccato, Petrum posse peccare potestate antecedenti, quatenus habet ex vi causæ indifferētiā ad vtrūlibet, & non posse potestate cōsequenti, quia supponimus eū peccaturū qua suppositione facta, dicimus Deum de eius peccato futuro habere scientiam. hæc enim huiusmodi suppositionē necessariò involuit; ex eo autem quod non possit Petrus non peccare potestate cōsequenti, non sequitur quod non sit liber. Defactò enim quando actu peccat liber est, & tamen ex suppositione quod peccat non potest non peccare. Rursus neque ex eo, quod possit potestate antecedēti non peccare, benè deducitur nullum sequi absurdū, si ponamus, quod defactò non peccet. absurdum enim esset, quod peccaret, & non peccaret. eū enim supposuerimus illū peccaturū, supponendo nunc non peccaturū, absque eo quod priorem suppositionē destruimus, vtrūque contradictoriū sequeretur. Illud igitur Axioma (possibili posito in actu nullū sequitur absurdū) intelligendū est nulla facta suppositione quod possibile tali illius repugnet, quod non habetur in nostro casu.

33 Instabis: ex dictis videtur sequi, quod si Deus haberet scientiam de futuris, possem ego saltem potestate antecedente reddere fallibilē Dei scientiam: sed hoc repugnat. ergo &c. Sequela probatur, quia quādo ego sū peccaturus habeo potentiā non peccādi. ergo habeo potentiā reddēdi fallibilē Dei scientiā; quæ cognoscebat me esse peccaturū. Respōdeo negādo sequelā; ad eius autē probationē, cōcesso antecedente, nego consequētiā. Ratio negationis est, quia licèt, quando ego sum peccaturus, habeā potentiam non peccandi, posito tamen, quod sim peccaturus, nō habeo potentiā huiusmodi suppositionē destruēdi; nam quemadmodū posito, quod pecco, necessariò pecco: ita posito quod sim peccaturus, necessariò peccaturus sū; sed scientia Dei de meo peccato, futuro hāc suppositionē involuit. ergo nō habeo ego potētiā antecedentē reddendi fallibilē huiusmodi Dei scientiā; alioquin haberē potentiam ante-

Digitized by Google

antecedentè ponendi simul duo cõtradictoria mi-
micũ peccatũ, & eius carentiã, quã potentiã, im-
plicantiã inuoluere, omnes fatentur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum propositiones de futuro contingenti absolutè sint determinatè veræ vel falsæ.

35 CONclusio est affirmatiua, & communis; quam docent Suarez, Vasquez, Valentia, Herice, Hurtadus. Arriaga, Oniedus, & ex aliis scholis Alensis, Bonauentura, Scotus, Ochamus, Gabriel, & alij, quos citat & sequitur Comptonus *disput. 46. log. sect. 1. num. 4.* Contra quam plures Thomistas docentes propositiones singulares de futuro contingente absoluto determinatè nec veras esse nec falsas; sed conformari obiecto suo, quod quandiù non est, de se indifferens est ad esse, & non esse. dixi propositiones singulares, quia ex contradictorijs in materia contingenti, quarum vna est vniuersalis, altera particularis, dicunt dari in eis determinatam veritatem, & falsitatem.

36

Probatur primò Conclusio destruendo fundamentum ab Aduersarijs modo adductum; quamuis Petrus hodie sit indifferens ad cras peccandum, vel non peccandum; ad alterutrum se determinabit cras; implicat enim, quod remaneat cras suspensus, ita vt neque peccet, neque non peccet; ponamus ergo quod peccet. Hæc propositio (Petrus cras peccabit) hodie prolata, conformatur hodie obiecto suo, quia affirmat de Petro peccatum cras coniungendum cum Petro, quando verè coniungendum est. ergo est determinatè vera, & eius contradictoria determinatè falsa. sed hæ propositiones sunt de futuro contingenti. ergo cum eadem sit ratio de omnibus alijs, omnis propositio de futuro con-

37 tingenti est determinatè vel vera, vel falsa.

Dices; facta illa suppositione iam Peccatum Petri determinatum esse; vnde non est mirum, si propositio illa vera sit. sed non habemus fundamentum faciendi dictam suppositionem; quare peccatum Petri remanet indeterminatum; & consequenter veritas propositionis illius suspensa. Sed contra, quia licèt non habeamus fundamentum positiuum supponendi, quod Petrus cras peccabit, quam quod non peccabit: habemus tamen fundamentum, quod alterutrum erit; sed hoc sufficit ad determinatam veritatem propositionis; nam si peccabit, ex nunc est vera affirmatiua, & falsa negatiua; è contrario si non peccabit; & ratio à priori est quia determinatio veritatis aut falsitatis propositionis debet sumi à determinatione, quam habet obiectum pro eo tempore, pro quo enunciatur ab ipsa propositione, quod in casu nostro est statim vel melius ex dicendis paulo post constabit.

38

Probatur secundò principaliter assertum de fide est cognitiones, quas habet Deus de futuris contingentibus esse determinatè veras. ergo & propositiones omnes, quas nos de eisdem futuris contingentibus formamus, sunt vel determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Consequentia probatur, quia rationes, quæ afferuntur ab Aduersarijs ad probandum nostras propositiones de dictis futuris non habere determinatam veritatem, aut falsitatem militant contra scientiam, quam habet Deus de futuris ipsis. sed his non obstantibus datur de illis diuina scientia determinatè vera. ergo &c. 39

Ad hoc Argumentum respondent Aduersarij concesso antecedente, negando consequentiam. ad eius verò probationem negant maiorem; & assignant disparitatem, quia nimirum Deus cognoscit futura contingentia vt sibi præsentia in æternitate; atque adeo eius cognitio supponit illa vt determinata iam, & in se ipsis extra causas suas existentia; quod dici nequit de propositionibus, quas de futuris contingentibus nos formamus, quarum obiecta nobis minimè coexistunt. falsum igitur est quod eædem rationes, quæ militant contra veritatem nostrarum propositionum de futuris contingentibus, militent contra Dei præscientiam de eisdem. Quod si dicas reuelationes, quas ex Prophetis de dictis futuris contingentibus habuimus, fuisse etiam determinatè veras, & tamen dicta futura non existebant Prophetarũ reuelationibus. Respõdebunt illas reuelationes habuisse determinatã veritatem, pro vt substituebantur loco diuinæ scientiæ, quam Deus de futuris illis habebat, & pro vt erant eius signa, à quibus conditionibus si præscindamus, negabunt illas determinatam veritatem habuisse. Sed contra hanc responsionem facit supponendo, quod Deus ab æterno cognouerit peccatum, quod cras Petrus cõmittet, & ego hodie dicam (cras Petrus peccabit) ignorando Deum de hoc scientiam habere; sed vel temerè, vel probabiliter id mihi persuadendo. tum sic; idem prorsus peccatum affirmat in hoc casu mea cognitio temporis commensurata ac diuina, quæ mensuratur æternitate: cum hac tamen differentia, quod diuina ferrur in peccatum Petri sibi præsens, atque adeò determinatum in se; mea verò in sibi futurum atque adeo determinandum. sed hæc diuersitas non collit quin mea cognitio determinatè vera sit. ergo &c. Maior videtur certa; quamuis enim peccatum Petri futurum quoad se sit indifferens ad esse, & non esse: hoc ipso, quod futurum est, iam respectu mei determinationem habebit ad esse, quidquid sit de illam. ego nescio, quæ ad veritatem propositionis hoc non requiratur, sed solum ad eius certitudinem, vt constat. Minor ergo probatur, quia illa propositio est determinatè vera, qua vnit prædicatum subiecto pro ea mensura temporis, pro qua verè illi vnitum est. sed mea cognitio, qua dico (Petrus cras peccabit) quamuis sit de obiecto sibi futuro, atque adeo determinando, vnit tamen prædicatum subiecto pro ea differentia temporis, pro qua verè illi vnitum est. ergo quamuis sit de obiecto sibi futuro, & determinando, est determinatè vera, non minus quam diuina cognitio. Maior patet ex dictis supra, quia veritas formalis consistit in conformitate intentionali cognitionis cum obiecto. Minor verò est manifesta, quia propositio illa conuenit de Petro, quod peccabit cras, quando verè peccabit.

Duo video ad hoc posse respondere Aduersarios; vnum est: ad veritatem formalem etiam 40
requiri, vt prædicatum sit vnitum subiecto pro

ea

Digitized by Google

et mensura temporis, pro qua profertur propositio; alterum est, quod dicta mea propositio verè non vnit prædicatum subiecto pro ea mensura temporis, pro qua verè vnitum est, sed pro qua vnietur, seu vniendum est; vndè in rigore. Minor argumenti est falsa.

41 Neutra tamen solutio satisfacit, non prior; quia impertinens est ad veritatem formalem, vt pro ea mensura temporis, pro qua profertur propositio, prædicatum sit vnitum subiecto, vt constat ex propositionibus de præterito contingente; posito enim quod Petrus heri peccaverit propositio, quæ id hodie affirmat, dicendo: Petrus heri peccavit, est verissima, & tamen hodie peccatum non vnitur Petro, ergo &c. Quod si propositiones de præsenti id habent: hoc connaturale illis est, non verò essentiale. quod sic suaderem ponamus, quod Deus hodie producat in meo intellectu miraculosè speciem intuitivam carnis Christi, necnon etiam instantis illius, in quo contigit; & auferat species huius temporis, in quo existo, & cuiuslibet alterius rei; tunc si ego vterer dictis speciebus, & dicerem Christus nunc moritur: propositio hæc haberet veritatem quia vniret mortem cum Christo pro eo instanti, pro quo verè vnita est; sed in hoc casu propositio profertur pro alia mensura temporis, pro qua prædicatum vnitum est subiecto. ergo neque propositionibus de præsenti id essentialiter conuenit, sed connaturaliter tantum, quatenus nunc fiunt. Quod vlterius confirmatur, quia si ego pro eo instanti, pro quo Petrus peccat, dicam: Nunc Petrus peccat, propositio est vera. ergo si post decem annos eadem propositio reproducatur, erit adhuc vera, quia etiam tunc coniunget peccatum cum Petro pro eo instanti, pro quo re vera coniunctum fuit.

42 Neque satis facit posterior solutio, quia quãdo ego hodie dico, Petrus cras peccabit, duplex mensura temporis considerari potest; vna est illa, in qua formatur propositio, & hæc est hodierna; altera pro qua affirmatur obiectiue coniunctio peccati cum Petro, & hæc est crastina. Hoc posito: concedo huiusmodi propositionem in ordine ad priorem temporis mensuram non vnire peccatum cum Petro pro ea mensura temporis, pro qua vnitum est, sed pro qua vnietur, vel vniendum est; verùm hoc non solum non officere veritati propositionis, sed necessario ad illam requiri patet, ex eo quia aliquin propositio esset falsa. nam hodie verè inter Petrum, & eius peccatum non habetur vnio, vt supponitur. nego tamen in ordine ad posteriorem mensuram non vnire prædicatum subiecto pro ea mensura, pro qua vnitum est; sed pro qua vnietur, quod probo sic: dicta propositio vnit peccatum cum Petro pro die crastina, sed pro ea mensura temporis non est verum dicere, quod Petrus peccabit, sed quod peccat. ergo iam illa propositio vnit prædicatum subiecto pro ea temporis mensura, pro qua verè est vnitũ & non pro qua vnietur, seu vniendum erit. quãuis igitur verum sit, quod pro eo instanti, in quo profertur propositio hæc: Petrus peccabit, peccatum Petri non sit determinatum, sed determinandum; falsum tamen si loquamur de eo instanti, pro quo propositio affirmat coniunctum peccati cum Petro, quia tunc supponimus iam determinatum, & ex hoc inducit propositio illa veritatem. Quoniam verò aliquid datur, aequidistans potest propositio de futuro contingenti, cui in diuino intellectu alia, vel finalis cognitio, vel contradictoriè opposita determinatè non correspondeat: hinc fit, vt omnis nostra propositio de futuro contingenti sit vel determinatè vera, vel determinatè falsa. vera quidem si in diuino intellectu similis correspondet: falsa verò si correspondeat illi, alia contradictoriè opposita.

43 Obijcies primò: determinata veritas formalis propositionis de futuro contingenti pendet à determinata veritate obiectiua ipsius futuri; sed futurum contingens non habet veritatem obiectiuam determinatam, quando profertur propositio. ergo neque propositio de dicto futuro habet determinatam veritatem formalem. maior patet, quia ex eo quod res est, propositio est vera: sed esse rei importat veritatem obiectiuã determinatam; veritas autem propositionis determinatam veritatem formalem eiusdem. ergo &c. Minor verò probatur, determinata veritas obiectiua futuri contingentis non distinguitur ab ipso obiecto. sed obiectum quod est futurum contingens non habet hodie esse determinatum. ergo non habet veritatem obiectiuam determinatam.

Respondeo, concessa maiore; negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: veritas obiectiua determinata futuri contingentis spectata in ordine ad se non distinguitur ab ipso obiecto, concedo. sumpta in ordine ad intellectum, subdistinguo: non distinguitur ab ipso obiecto existente tantum, nego. siue existente, siue præterito, siue futuro, concedo maiorem. & sic distinguo etiam minorem, futurum contingens non habet esse determinatum existens, concedo. futurum, nego minorem, & consequentiam. Explico distinctionem dicendo: ad verificãdã determinatã veritatẽ propositionis de futuro contingenti nõ requiri veritatẽ determinatam obiectiuam ipsius futuri, sumptam in ordine ad se, quia hæc dicit existentiam obiecti, quæ sicuti non requiritur ad veritatem determinatam aliarum propositionum, siue sint de obiectis possibilibus siue de impossibilibus. ita neque ad hanc de futuris contingentibus. solũ igitur necessaria est veritas obiectiua determinata illius, sumpta in ordine ad intellectum, quæ consistit in aptitudine terminandi cognitionem, quæ sit illi conformis, quam aptitudinẽ actu habet obiectum, siue sit existens, siue non. Ex quibus constat futurum contingens etiam quando non existit, & est in statu futuritionis habere actu determinatam veritatem obiectiuã sufficientem vt propositio, quæ circa ipsum versatur, habeat determinatam veritatem formalẽ.

44 Objicies secundo ex Alamannio *prima part. summ. philos. qu. 18. art. 8. corp.* veritas enunciationis est veritas intellectus. ergo si propositio de futuro contingenti est determinatè vera, necesse est vt intellectus cognoscat rem significatam per illam; sed hoc repugnat; ergo in propo-

Digitized by Google

positionibus de futuro contingenti non datur determinata veritas, aut falsitas. Primum enthymema videtur certum: subsumptum probatur, quia si intellectus rem futuram cognoscit, vel in se, vel in alio: non in se, quia non adhuc illi præsens est, in tantum enim Deus ab æterno futura omnia contingentia in se ipsis cognouit, quia æternus eius intuitus mensuratur æternitate, & sic omnia sunt illi realiter præsentia; neque in alio, quia hoc aliud non potest esse nisi eius causa; sed hæc est indifferens ad vtrumlibet; ergo &c.

Respondeo, concesso antecedente, distinguendo consequens: si propositio de futuro contingenti est determinatè vera, necesse est vt intellectus cognoscat rem significatam per illam, non cognoscendo determinationem, quam ipsa habitura est in futurum, concedo: cognoscendo eius determinationem, nego & sic distincto subsumpto, nego consequentiam. Ad probationem autem subsumpti dico, quod si intellectus cognoscere deberet rem futuram cum sua determinatione, quam habitura est ad esse, vel ad non esse, deberet illam sic cognoscere vel in se, vel in causa: sed nego quod hoc modo debeat illam cognoscere, potest enim eius cognitio esse determinatè vera, absque eo quod refundat suam determinatam veritatem in intellectum, vt patet ex cognitione, qua dico: Petrus, qui est in India, in hoc instanti peccat, quæ sæpe contingit. Aduersarij non est indifferens ad veritatem, & falsitatem habendam, sed est determinate vel vera, vel falsa: & tamen non transfundit huiusmodi determinationem in intellectum, si quidem intellectus eam proferens, eius veritatem, vel falsitatem minimè cognoscit.

Obijcies secundò ex eodem: si vna pars propositionum contradictoriarum de futuro contingenti posset esse determinatè vera, tolleretur futuri contingentia; sed hoc repugnat; ergo &c. Sequela probatur, quia ad vtrumlibet indifferentis proprium est, neutri non esse determinatum ad esse, vel ad non esse: ita neq; posse de eo determinate dici, quod erit, vel non erit. Respondeo negando sequelam maioris; ad cuius probationem distinguo secundam partem assumpti, ita neque posse de eo determinate dici, quod erit, vel non erit, determinatione se tenente ex parte dicentis, quasi verò ipse determinate cognoscat rem fore, vel non fore, concedo, determinatione se tenente ex parte dicti tantùm, nego. Ratio negationis est, quia hæc determinatio importat solum, quod cognitio in re veritate conformetur obiecto, quando prædicatum subiecto pro ea mensura temporis, pro qua vnitum est, quam conformitatem non possumus negare de vtri ex propositionibus contradictorijs de futuro contingenti, vti supra satis superque probatum est.

DISPVTATIO VIGESIMA NONA

DE VERITATE, ET FALSITATE PROPOsitionum de futuro contingenti conditionato.



Vtrum contingens conditionatum absolutè non est futurum, sed additio minuens, sicut est (Ethiops albus secundum dentes) quia id, quod conditionatè futurum est, quatenus tale, absolutè loquendo, non est futurum, sed esset, si conditio purificaretur. Idixi, quatenus tale, quia omnibus pensatis de quolibet verificari debet alterutrum ex his, quod nimirum vel habet, vel non habet esse; sed futurus pro vt sub conditione considerato nunquam vtroque possit non esse, etiam si in se liberum sit, vt si Petrus currere, non necessario, quod necessarium purificare conditionatè est, vt non currat, ipsum tamen liberè ab illo procedat, potest hæc conditionata licèt ex parte conditionis vim causatiuam ipsius futuri importet, quia tamen hæc vis non debet poni existens actu, sed dependenter à libertate voluntatis, hinc fit vt ipse futurus quamvis sine purificatione conditionis existere negetur, possit tamen etiam purificata conditione non existere; licèt de facto existet, atque ex his facile deprehendi potest propositiones de futuro contingenti conditionatè esse

esse posse in duplici differentia. quædam enim sunt purè conditionatæ, quæ nihil absolutè ponunt in esse, vt hæc: (si cras petes librum à Petro, obtinebis) quæ solum affirmat futurum euentum, si conditio purificetur; quædam verò præter futurum conditionatum, absolutè enunciant negationem euentus propter existentiam negationis conditionatæ habendæ, cuiusmodi est hæc alia (Hieras petiturus esses à Petro librum, obtinueres) hæc enim dicendi modus implicitè significat te eras non habiturum librum, eo quod non petes illum à Petro. Porrò quæstio de huiusmodi propositionum determinata veritate, vel falsitate præcedit solum in ordine ad obiectum conditionatum expressè significatum, siue habeant, siue non habeant obiectum absolutum implicitè affirmatum. Quâ quæstione, vt nobis resoluamus placet aliquid ad Theologos pertinens de diuina scientia futurorum conditionatorum summatim disputare Scriptura.

SECTIO PRIMA.

An Deus habuerit ab æterno scientiam certam futurorum contingentium conditionatorum.

1 CONclusio est affirmatiua, & communis in Societate, eamque docent omnes ferè recentiores Thomistæ, & Scotistæ, cum non nullis innominatis apud Suarez in opusculis hb. 2. de scientia cap. 2. inter quos nominantur Cabrera, Ledesma, Zumel, & alij: ac recte probat Aldrete tom. 1. in 1. disp. 27. sect. 1. qui videntur velle huiusmodi futura cognosci quidem à Deo non certitudine Logicæ, & Metaphysica; sed solum morali, & coniecturali.

2 Probatur primò Conclusio ex scripturis, in quibus quamplures reuelationes de futuris conditionatis ab humana libertate pendentibus habentur. sed duæ celebriores censentur aliæ ex primo Regum 23. vbi habetur, quod cum Dauid Deum interrogasset, an si contineret Ceilæ, venturus esset Saul ad se capiendum: & num si venisset, Ceilitæ Sauli ipsum tradituri essent; Deus vtrique interrogationi affirmatiuè respondit, hic (descendet, & tradent) sed hæc non erant absolutè futura, nam de facto, cum hoc audisset Dauid à Deo, non manet Ceilæ, & sic neutrum contigit: ergo futura hæc conditionata, & quidem contingentia, quia pendebant à libertate Saulis, & ciuium Ceilæ certò sciebantur à Deo: ergo & reliqua omnia, quia non est maior ratio assignabilis. alterâ verò auctoritas desumitur ex Matth. 11. vbi Christus increpans obstinationem Iudeorum & Sarisæorum in Corozaim habitantium, Væ tibi, inquit, Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilitio, & cinere pœnitentiam egissent. Quamuis autem propositio sit de præterito, contingenti, conditionato, est eadem prorsus ratio, ac si esset de futuro. neque poterat hoc præteritum certò sciri à Christo, nisi antecedenter ad positionem miraculorum, quæ facta fuerant apud Iudeos: futuram Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentiam sub conditione illa esse præuidere: ergo &c.

3 Dices primò Deum in huiusmodi reuelationibus non loqui propheticè, & assertiuè; sed per exaggerationem quamdam, vt homines sibi prospiciant. Sed hoc est expressè contra Patres inter quos Augustinus lib. de perfect. iustitiæ obijc. Numquid inquit, possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis etiam pœnitentiam egisse, si eas fecisse Dominum non nouissent, quæ tamen ideò non fuisse, quia futuri erant, Deum præscisse? quod ecturi essent pœnitentiam. Itaque ex hac responsione nequit posse à quam dicere, quod ea, quæ Deus de pœnis infernis, & de Gloria æterna reuelauit, non essent futura, sed per exaggerationem quandam dixerit, quæ nihil est absurdius.

4 Dices secundò eum aliqui huiusmodi futura non cognosci à Deo certò, & infallibiliter, sed solum probabiliter, & coniecturaliter.

5 Sed contra est primò quia reuelationi diuinæ non potest subesse falsum; alioquin nostræ fidei certitudo naturæ. sed si hæc futura conditionata probabiliter tantum, & coniecturaliter fuissent à Deo cognita, iam diuinæ reuelationi potuisset subesse falsum. ergo &c.

6 Verumuerò huius argumenti negarent Aduersarij, variis tentatum viis. Prima est dicentium, quòd dicta futura Deus cum aliqua dubietate reuelauit. Sed hoc est falsum. nam absolutè loquutus est, etiam quando non fuit de certitudine mentionem facit, vt patet ex libris 3. Reg. cap. 11. vbi de Rege autem Salomone admonuit mulieres alienigenas, de quibus dixit Dominus filijs Israel: ne ingrediamini ad eas, certissimè enim auertent corda vestra; & tamen neque Exodi 34. neque Deuteron. 7. vbi hoc à Deo prædicitur adest particula illa, certissimè: vnde sic argumentari licebit: Assertio hæc à Deo erat futurum conditionatum contingens sub conditione ingressus Hæbreorum ad mulieres alienigenas; sed hoc fuit Deum certitudine cognitum esse à Deo, & sic reuelatum, quamuis particula illa non fuerit apposita; siquidem pro eodem accipitur. ergo &c. Secunda dari potest quod nemo mentitur, affirmans aliquid, quod ipse probabiliter verum existimat: sic autem se habet Deus in huiusmodi reuelationibus à se factis? Sed neque hoc dari potest, quia licèt reuelatio de re probabiliter cognita non sit mendacium formale, eo quod non est contra mentem reuelantis: potest tamen esse mendacium obiectiuum, quatenus potest esse ultimus obiecto, quod re vera aliter se habeat: porrò absurdissimum est Deo huiusmodi mendacium obiectiuum attribuere patet ex eo, quia inde se quæreret non posse summa certitudine credere tanquam vera ea, quæ nobis ipse reuelauit. Tertia est dicentium auctoritates de huiusmodi reuelationibus non cadere immediatè supra futurum conditionatum, sed supra eius probabilitatem, quæ metaphysicam habet certitudinem. Sed contra hoc facit tum quia Deus non reuelabat huiusmodi futura quasi reflexè essé probabi-

babilia, sed directè futura esse, vel non futura, conditione posita. tum etiam quia idè dici posset de revelationibus diuinis futurorũ absolutorum, quod scilicet non supra illa immediatè, sed supra eorum possibilitatem cadant, & sic penitus Catholica fides everteretur. Quarta denique est asserentium, quod diuina auctoritas in huiusmodi revelationibus cadat supra præsentem dispositionem, quam in illis circumstantiis habebant causæ liberæ in ordine ad effectus, qui sub conditione futuri prædicebantur, quam responsionem colligunt ex Caldeo, qui illud primi Regum non vertit (descendet & credent, sed cogitat descendere: cogitant, madere:) Sed neque hæc quasio procedit. Primò quia diuina revelatio erat absolutè de futuro conditionato, & non de dispositione causarum liberarum. Secundò quia huiusmodi revelatio de dispositione præsenti fieri poterat á Dæmone. Tertiò denique quia præsentes dispositiones mutari poterant, & res aliter se habere, quam revelata fuisset à Deo. Ad illud verò quod ad Praphrastem Caldeum attinet, dico eum aut malè vertisse verba illa scripturæ, aut malè in latinam linguam conuersum esse: quod patet ex eo quia de voluntate Saulis Dauid erat certus, dicitur enim ibi [præcepit Saul omni populo vt descenderet in Ceilam, quod cum Dauid resciuisset &c.] quare malè recedunt Aduersarii á vulgata in illa responsione Dei. Verùm relictis hisce auctoritatibus scripturæ Theologis penitùs examinandis, sicuti etiam dicta Sanctorum Patrum, qui luculenter veritatem assertionis nostræ confirmant.

5 Probo eam secundò ratione: Diuinus intellectus debet certò, & determinatè cognoscere omne id, quod determinatam habet rationem veri; sed futura contingentia conditionata habent determinatam rationem veri. ergo debet intellectus diuinus illa certò, & determinatè cognoscere. Consequentia huius argumenti est euidens, sicuti etiam maior, cuius veritas fundatur in summa perfectione, quam Deus habet in ratione intellectus; ea enim est talis, vt illa maior excogitari non possit: quare debet necessario se extendere certitudinaliter, & determinatè ad omne id, quod est determinatè cognoscibile. Minor verò, in qua est difficultas, suadetur tripliciter: primò quidem quia futurum conditionatum, vt tale habet determinatam rationẽ entis; res enim sub determinato modo essendi conditionatè futura non extrahitur à ratione entis, sed solum modificatur. atqui determinata ratio veri consequitur ad determinatam rationem entis. ergo futurum contingens habet determinatam rationem veri. Secundò quia in tantum futurum absolutum contingens habet absolutam rationem veri, quia positis ijs omnibus, quæ ex parte sui actus primi necessaria sunt, altera pars contradictionis debet determinatè existere. sed non minus stante conditione hoc verificatur de futuro conditionato, eiusque negatione; sicut enim voluntas non potest manere suspensa ab operari, & non operari absolutè, ita æquè sub conditione posita præscindere potest ab operari, & non operari conditionatè. ergo à pari. Tertio denique, quia in mortalium mõribus insitum est á natura lumen hoc, posse nimirum veritatem horum futurorum attingi à Deo. interrogati enim de conditionate futuris: quid nimirum faceret á Petro V. G. si hæc vel illa conditio poneretur? respondere idem tidem solemus: solum à Deo id certò sciri posse. ergo &c.

Obijcies primò: in scripturis Deus sæpe huiusmodi futura conditionata cum particula dubitatiua enunciat. vt *Ioann.* 14. [si scires donum Dei, forte petijsses ab eo &c.] cum autem non sit maior ratio de his, ac de aliis: dicendum est huiusmodi futura coniecturaliter tantum á Deo sciri, non verò certò, & infallibiliter. 6

Respondeo ex *D. August. tract.* 37. *in Ioann. cap.* 8. vbi sic habet. [qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia nescicnte. cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil vtique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur diuinitas.] Sic explicato antecedente, nego consequentiã. 1

Obijcies secundò: Patres multis in locis videntur negare Deo præscientiam, & prænotionem huiusmodi futurorum, vnde August. *lib.* 1. *de orig. anim. cap.* 12. [Quomodo, inquit, dicitur præsciri futurum, quod non est futurũ?] 7

Respondeo Patres negare Deo præscientiã, & prænotionem futurorum conditionatorum in ratione meriti, vel demeriti absolutè sumpti: agebant enim contra Semipelagianos, qui volebant operationes bonas, vel malas sub conditione præuisas, esse causam meritoriam gloriæ, vel damnationis respectu infantium. vnde inferebant baptizatos saluari ex præuisione bonorum, quæ fecissent, si permansissent in vita: non baptizatos verò damnari ex præuisione peccatorum, quæ si superuixissent, operati essent. vnde volebant horum bona, vel mala opera esse quidem conditionata in ratione rei, sed absoluta in ratione meriti, vel demeriti. Quare dum negant Patres Deum præscire opera infantium vt futura, loquuntur de eorum futuritione in ratione meriti, & demeriti, qualis non potest esse nisi absoluta. Sic explicato antecedente, nego consequentiam; Adde quod nomine prænotionis, quam negabant Patres habere Deum de futuris conditionatis, intelligebant scientiam futurorum absolutorum, sicut Damascenus *in dial. contra Manichæos* vbi: [prænotio, inquit, est ea quæ futura sunt, antequam in ortum prodeant, nosse.] 8

Obijcies tertiò: si Deus huiusmodi futura determinatè cognosceret, sequeretur, quod haberent determinatam veritatem in se ipsis, ratione cuius cognosci possent; sed hoc est falsum; ergo &c. *Maior* patet nam in causa nullam habent determinationem; *minor* verò probatur: futura conditionata in se ipsis spectata non sunt pro aliqua differentia temporis, sed

sed assentiendo non habebit determinatã veritatẽ, sed haberent. Respondeo, concessa sequela maioris, negando minorem, ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam; & dico, argumentum supponere veritatem transcẽdentalem, scil. obiectiuam esse passionem existentiæ, quod falsissimũ est; consequitur enim quodcumque esse, siue essentiæ, siue existentiæ, siue primum hoc esse existentiæ sit præsens, siue præteritum, siue futurum, & hoc siue absolutè siue conditionatè.

9 Instabis: futuritio conditionata non est sufficiens ad fundandam absolutam rationem meriti, & demeriti, vti diximus. ergo neque ad fundandam determinatam rationem veri. Respondeo negando consequentiã. Disparitas est quia ratio meriti, vel demeriti se habet vt causa efficiens in genere moris respectu præmij, vel pœnæ. Ad habendam autem absolutam causam efficientem requiritur absoluta illius existentia; at determinata ratio veri, seu cognoscibilis importat capacitatem terminandi cognitionem sibi conformem; quam potest habere etiam id, quod nunquã extiturum est.

10 Obijcies quartò: Deus nõ cognouit certo sua decreta libera conditionata. ergo neque nostra futura contingentia conditionata. Consequentia patet paritate. Antecedens verò probatur, tum quia si ea certo cognouisset, non potuisset conari ad oppositum, & sic non elicuisset illa liberè; tũ etiam, quia scientia conditionatorum est solum de futuris conditionatis: decreta autem Dei respectu scientiæ diuinæ nequeunt habere rationẽ futuri, eo quod vtraque exiterant ab æterno.

Respondeo potest primò concesso antecedẽte negando consequentiã, & pro disparitate adducendo cessationem illorũ incommodorũ, quæ adducuntur in probatione antecedentis pro negatione præscientiæ diuinorũ decretorum, quæ non militant contra scientiam nostrorũ conditionatorum, vt patet considerãti. Pro veritate autem respondetur secundò, negãdo antecedens, dico enim, non minus Deum certo cognouisse, si creasset alios Angelos nobiliores istis, num illos ad finem supernaturalem ordinasset; si Dinus Ioannes habuisset filios, num eis dedisset gratiam efficacem, &c. quam cognouerit futura omnia contingentia cõditionata à nostra libertate pendẽtia. Ad priorem probationẽ antecedentis dico scientiam illam conditionatã pendere ab exercitio libertatis diuinæ, atque adeò non præiudicare illi. Ad posteriorẽ verò aio, quod quemadmodum scientia futurorũ conditionatorũ potest se extendere ad conditionata præteria, & præsentia, vt (Si Petrus alloquutus esset Paulum, eũ amauisset) Si alloquitur, amat: ita, & ad ea decreta Dei, quæ futuritionem propriam minimè importassent.

11 Obijcies quintò: si Deus haberet scientiam futurorum conditionatorum contingentiũ: hæc vna cum purificatione conditionis esset ante futuritionem absolutam consensus conditionatè præuisi, sed ijs positis non potest non esse absolutè futurus consensus. ergo consensus contingens absolutè futurus non procederet liberè à voluntate.

Respondeo, distinguendo sequelam maioris: esset ante futuritionem absolutam, ita vt quando postea purificatur conditio, sit in potestate hominis facere, vt non fuerit in Deo illa scientia conditionata, sed opposita, concedo. ita vt non sit in potestate hominis tunc illud efficere, nego maiorem. Dico enim, quod licèt antequam purificetur condatio, scientia conditionatorum in Deo ita præcedit consensum absolutè futurũ, vt non possit homo proximè illam impedire, etiã tunc non est in statu capaci libertatis in ordine ad consensum præuisum: at quando purificatur conditio, potest efficere, ne scientia illa præcesserit, quia potest non elicere conditionatum illũ, sed oppositum: quare quod dicta scientia exiterit, pendet à consensu libero, quem tali tempore elicit homo. Ex quibus patet distinctio minoris sic: posita scientia vna cum purificatione conditionis, non potest consensus non esse absolutè futurus, impotentia consequenti, orta, scilicet, ex ipsa positione cõsensus, concedo: non potest impotentia antecedenti, nego minorem, & consequentiam. Vbi nota eandem difficultatem posse fieri contra scientiam visionis, quam habet Deus de futuris cõtingentibus absolutis, eademque responsione dissolui.

Obijcies sextò: si Deus haberet scientiam futurorum conditionatorum contingentium: haberet etiam scientiam futurorum conditionaliũ disparatorum, vt (si Berta ridebit, Petrus studebit.) sed hoc videtur absurdum. ergo &c. sequela constat paritate. Minor verò probatur, quia sic, omnia quæ possent cõmitanter simul existere, essent obiecta scientiæ conditionatorũ. 12

Respondeo distinguendo sequelã maioris: & siquidem nomine scientiæ intelligimus quamcũque cognitionem euidentẽ, siue de veritate, siue de falsitate obiecti, concedo: si autẽ cognitionem euidentem de sola veritate, sicuti propriè intelligi solet, nego sequelã; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia huiusmodi futura contingentia disparata semper falsitatem important, eo quod ad veritatem conditionalium contingentium essentialiter requiritur connexio inter cõsequens, & antecedens, significata per particulam (si) ita vt antecedens aliqualiter conducat ad positionem consequentis; quatenus consequens licèt posito antecedente possit non poni, non possit tamen poni illo non posito; sed hanc connexionem non habent conditionalia disparata. ergo &c. Minor huius patet. Si enim vel ex se, vel saltem ex decreto libero Dei huiusmodi conditionalia cõnexionem haberent, disparata non essent. Maior verò suadetur, quia veritas propositionum conditionatarum, vt dicũt logici, in connexione consequentis cum antecedente formaliter consistit, & ideò potest vtraque pars illius esse vera, & tamen ipsa esse falsa; & è contra vtraque falsa, & propositio nihilominus vera. sed hoc non nisi, quia eius veritas in connexione consistit; ergo &c.

Instabis: si huiusmodi propositiones sumantur in sẽsu quasi copulatiuo, suã determinatã veritatẽ habere possũt; ita vt sẽsus sit quod quãdo existit vnum existat alterum. ergo &c. 13

Respondeo, distinguendo antecedens: ita vt habeant rationem conditionalium, nego. ita vt habeant rationem absolutarum copulatiuarum, concedo antecedens; & nego consequentiam. Dico enim, quod quando inter antecedens, & consequens nulla habetur connexio, sed pura concomitantia, & coexistentia, propositio non est conditionalis physicè, sed grammaticaliter solum. æquiualet enim huic (risus Bertæ erit finul cum fletu Petri) de qua non disputamus.

14 Obijcies septimò: admissa in Deo scientia futurorum conditionalium contingentium: non posset negari dari in illo scientiam conditionatorum impossibilium contingentem connexionem habentium, cuiusmodi est V. G. Si Adam fuisset Angelus, non peccasset. si Chymæra esset homo, & vocaretur à Deo: conuerteretur &c. sed hoc est inconueniens. ergo &c. Sequela patet quia iam inter antecedens, & consequens habetur connexio. Minor verò probatur quia huiusmodi scientia ad nihil Deo inseruiret, & superesset ei penitus inutilis. ergo &c. Respondeo probationem minoris assignare disparitatem, cur etiam si non detur in Deo scientia conditionatorum impossibilium, admittenda sit scientia conditionatorum possibilium; quia nimirum illa ad nihil inseruiret: contra verò hæc est necessaria ad prouidentiam, & gubernationem hominum. sine illa enim non posset Deus præuidere quid facturi essent homines, si in his vel illis circumstantijs ponerentur.

15 Atque hæc pro solutione argumenti. pro veritate verò concederem maiorem illius; tum quia si Adam fuisset Angelus, non minus verum esset quod, tũ vel peccasset, vel non peccasset: etiã, quia nos quoque in huiusmodi suppositionibus impossibilibus putamus aliquando veritatem attingere. Quare nego minorem, & ad eius probationem dico: quod licèt scientia de huiusmodi impossibilibus ad nihil Deo inseruiat in ordine ad praxim; quia tamen si illa careret, non esset omniscius, eo quod veritates illorum, quantumuis inordinabiles ad praxim, illum laterent: ob hoc pure horum scientiã Deo concedendam contra Arriagam *in primam partem disput. 22. numero 44. & 45.* vbi his ferè vtitur argumentis ad illam Deo negandam primò, quia nihil Deo inseruiret. Secundò, quia sic deberent poni in Deo scientiæ de his impossibilibus infinities plures, quam de possibilibus, eo quod omne possibile potest in infinitum ex aliqua hypotesi impossibile reddi.

Tertiò denique: ne reddatur magis odiosa altera scientia conditionalium possibilium. Verum nullum ex his habet vim; non primum, vti vidimus. Neque secundum, quia Dei scientia est talis, qua maior excogitari non potest. Vndè licèt multò maior sit scientia, quæ circa huiusmodi impossibilia versatur, quam ea, quæ circa possibilia, non idcirco illa neganda est Deo, sed multò magis hoc solo nomine potius
17 concedenda: Neque denique tertium, eo quod non minus timendum est ne scientia conditionatorũ possibilium reddatur aduersarijs odiosa, si negemus Deo scientiam conditionatorum impossibilium, quam si illam concedamus. sicuti enim ex concessione verentur Arriaga ne illi detestentur vtramque: ita ego ex negatione: cum hac tamen diuersitate, quod in detestationem ex concessione prouenientem, suopteferantur ingenio; in detestationem verò ex negatione ortam, arrepta occasione ex nostra inconsequentia, atque dissentione. Aliter instat Quiros *in suo cursu disput. 99. sect. 4. num. 34.* sic: Obiecta harum propositionũ sunt impossibilia, atque adeò nunquam affirmatiuè à Deo cognoscibilia, vtpotè cognoscibilitate carentia atque falsa. ergo Deus illa minimè cognoscit. Sed contra, quia licèt huiusmodi futura in se impossibilia, absolutè non possint à Deo cognosci, nisi vt falsa: attamen ex suppositione possibilitatis, sicuti aliqualem habent cognoscibilitatem ex suppositione, ita & veritatem; non minus quam ex suppositione, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, haberet, quod non distingueretur ab illo. Nego igitur consequentiam.

SECTIO SECVNDA.

Num Deus cognoscat futura contingentia conditionata primò in aliquo suo decreto antecedenti, & efficaci: an verò in se ipsis.

16 Recentiores Thomistæ non audentes negare Deo futurorum conditionatorum contingentium scientiam, dicunt illum ea non cognoscere primò in se ipsis, sed in quodam suo decreto antecedenti, & efficaci; antecedenti quidem ad omnem vsum nostræ libertatis, efficaci verò, quia determinatè tendit ad rei existentiam, defactò ponendam; per quod efficaciter decernat quid faciendum sit si ponatur conditio, & dicat V. G. (si Petrus in his circumstantijs à me vocabitur, volo vel volam vt conuertatur) in qua volitione sua putant hi auctores Deum cognoscere primò conuersionem liberam Petri conditionate futuram. Non verò in se ipsa, dixi (volo, vel volam]) quia in positione huiusmodi decretorum antecedentium eorum assertores minimè inter se conueniunt. Nam quidam eorum illa ponunt actu existentia in Deo pro singulis futuris conditionatis, quæ in hoc, & quouis alio ordine rerum darentur; cum enim Deus defactò omnia huiusmodi futura cognoscat, eo ipso quod ea non, nisi in suo decreto absoluto cognoscere potest, necessariò deducitur omnia huiusmodi decreta defactò existere in Deo. Alij verò putant dicta decreta non actu realiter in Deo existere; neque esse absoluta ex parte actus ante decretum de purificanda conditione, sed solum obiectiuè; atque adeò non solum esse conditionata ex parte obiecti ficuti priora, sed etiam ex parte sui ipsorum. Ex quo deducitur secundum priorum sententiam Deum sic dicere (si Petrus à me in his circumstantijs vocabitur, volo vt conuertatur) & in hoc decreto antecedenti, & efficaci existente realiter in Deo, videre conuersionem Petri sub conditione futuram. Secundum verò po-

ſeriorē, hoc alio modò (ſi Petrus à me vocabitur, eius conuerſionem certo decernam), & in hoc decreto exiſtente ſolum obiectiuè in Deo, & conditionatè futuro, eam videre conuerſionē Petri item conditionatè futurā. Contra vtrumque modum explicandi ſit.

17 Noſtra Concluſio; Deus non cognouit futura contingentia cōditionata in aliquo decreto antecedenti, & efficaci ſiuè realiter, ſiuè obiectiuè tantū exiſtente in ipſo Deo, ſed in ſeipſis. Eſt omnium ferè ſcriptorū noſtræ Societatis, vt videre eſt apud Aldrete *tom. primo in primā partem diſput.* 30. dixi, omnium ferè, quia nonnulli quandam tertiā viam excogitarunt, dicentes huiuſmodi futura neque in ſuo decreto, neque in ſe ipſis, ſed in ſuis cauſis liberis primò cognoſci à Deo. Quorum ſententia ab omnibus quamimprobabilis reijcitur; eo quod cauſæ liberæ antecedenter ad actum ſecundum ſunt indifferentes ad vtrūlibet; quare non poſſunt eſſe datio, cur in eis alterutrū futurum determinatè cognoſcatur V. G. Conuerſio potius, quam conuerſionis negatio. Quare vt euincamus Deum futura conditionata in ſe ipſis cognoſcere ſolū nobis incumbit onus probādi ea nō cognoſci in ſuis decretis modò explicatis.

18 Probatur autem id primò à Recupito *to. 2. in primam partem libro primo quæſt. 28. cap. tertio* auctoritate Scripturarum, & Patrum ſupponendum decreta Dei circa contingentia pendere, & regulari à ſcientia conditionatorum, ſed oppoſitum eueniret ſi futura cōditionata cognoſcerētur in decretis. nam ſcientia eorū potius ab huiuſmodi decretis regularetur, quatenus omnis actus humanus liber nō niſi dependenter ab illis eſſet, vel nō eſſet cōditionatè futurus. ergo &c. Maior, quæ ſola probatione eget, ſuadetur: nam *Sap.* 4. habetur [Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectū eius] in quē locū Cyrillus: Deus, inquit ſciens futurū, ſæpè præuenit: ideò ergo decreuit rapere, quia præſciuit. *Matt.* 24. [Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur] ergo decreuit breuiare, quia præſciuit, aliter omnes fere damnandos. *Ad Rom.* 8 [quos præſciuit, & prædeſtinauit, hos & vocauit &c.] Vbi Ambros. Hi ſecundum propoſitū vocātur, quos præſciuit Deus futuros ſibi idoneos. ergo decretū prædeſtinationis ſubſequutus eſt præſcientiam.

19 Verum hæc, & ſimilia teſtimonia, meo iudicio, non conuincunt intentū. Poſſunt enim ad ea reſpondere aduerſarij, dari in Deo duplex decretorū genus circa futura conditionata cōtingentia; vnū eorū, quæ nō extrahūt ipſa ad ſtatū abſolutū, ſed ſub cōditione relinquāt, cuiuſmodi eſt hoc: (volo vt ſi Petrus à me in his circūſtātijs vocabitur, conuertatur.) alterū eorū, quæ illa à conditione abſolutè extrahunt, & in ſtatu abſoluto reponunt ſic (volo vt Petrus meæ vocationi, qua eum abſolutè vocabo, conſentiat) Quo poſito, dicent aduerſarij diſcrimen inter huiuſmodi decreta eſſe, quod priora proximè nō ordinantur ad praxim, ſed ad hoc vt intellectus diuinus ipſa futura conditionata determinatè cognoſcat; poſteriora verò proximè poſitionem à parte rei ipſorū futurorum abſolutè decernāt. Porrò Scripturas, & Patres, quoties dicāt decreta Dei de contingentibus pendere, & regulari à ſcientia conditionatorū, non loqui de prioribus, ſed de poſterioribus, quæ verè regulātur à ſcientia conditionatorū habita per priora decreta, in quantū Deus non decreueret abſolutā Petri cōuerſionē, niſi ea per ſcientiā conditionatorū futuram præuidiſſet.

20 Melius ergo probatur primò noſtra Concluſio auctoritate *Matt.* 11. Vbi Chriſtus dicit [ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes &c.] ſi enim ex decreto Dei ſiuè abſolutè ſiuè conditionatè exiſtente proueniſſet, quod illorū Gentiliū conuerſio ſequutura fuiſſet, ſi Chriſti ſigna vidiſſēt, irrationabiliter Chriſtus Dominus infidelitatē exprobraſſet Hebræis; poterāt enim hi facile reſpondere dicendo: Intantū ſe in ſua infidelitatē perſeuerare, inquantū non fuerit à Deo eorum conuerſio decreta, ſicuti fuit illa Tyrorū, & Sidoniorū, caſu quò ipſi eius miracula conſpexiſſent. quæ reſponſio non habet locū in noſtra ſententia, qua volumus, determinationem futurorū conditionatorū non ab aliquo Dei decreto, ſed à noſtra libertate primario procedere, & in ſe ipſa videri.

21 Probatur ſecundò ratione. Huiuſmodi decretū ſiuè abſolutū ſit, ſiuè conditionatum ex parte ſui, non poteſt admitti ſalua libertate futurorū conditionatorum. ergo non poſſunt in eo futura conditionata certo ſciri à Deo. Cōſequentia eſt euidens, quia futura conditionata ſicuti in ſtatu abſoluto debēt libere à volūtate procedere: ita, & in ſtatu conditionato. Antecedēs verò probatur, quia decretum hoc ex vna parte ponitur ab aduerſarijs antecedere omnem vſū noſtri liberi arbitrij, alioquin non poſſet eſſe medium, in quo dicti vſus determinatè cognoſcerentur; ex alia verò parte dicunt, quod eo poſito, & purificata conditione, non poſſit voluntas facere oppoſitū ei, quod per ipſum à Deo decretum fuit; ſi enim ad oppoſitū conari poſſet, non eſſet mediū certo, & infallibiliter illud cognoſcendi. Ex hoc autē euidēter ſequi huiuſmodi decretū tollere libertatem ſuadetur, quia de ratione libertatis eſt, vt poſito quocūque ātecedente vſu liberi arbitrij, voluntas poſſit facere vtrūlibet; ſed poſitio huius decreti antecedit omnē vſū liberi arbitrij, & ea habita voluntas non poteſt facere oppoſitū. ergo huiuſmodi decretum tollit libertatem.

22 Ad hoc argumentū reſpondēt aliqui primo: ad ſaluandā voluntatis libertatem ſufficere ſi ea in ſenſu diuiſo ab ipſo decreto poſſit facere oppoſitum, quidquid ſit ſi in ſenſu compoſito non poſſit. Quoniam verò voluntas hoc modo ſe habet, hinc fieri vt huiuſmodi decretum libertati eius minimè præiudicet.

Sed contra eſt: quia ſi ſufficeret ad libertatē, quod in ſenſu diuiſo à decreto poſſemus facere oppoſitū, nunquā poſſemus non operari libere, quia quacumque inaduertentia ex parte intellectus poſita, in ſenſu diuiſo ab ea, iam oppoſitum ei, quod facimus, efficere poſſemus. Imò nec Deus ipſe per abſolutā ſuā potentiam nos neceſſitare poſſet ad aliquid proſequendum, vel fugiendum, quantūuis enim noſtram voluntatem intrinſecè prædeterminet, ea tamen eſſet talis, vt ab ea de-

Digitized by Google

determinatione diuisa, posset facere oppositum: te nondum igitur est, quod omne illud, quod ita se tenet ex parte actus primi vt voluntas coniuncta cum illo non possit facere oppositum, tollat libertatem, saltem quando non est in potestate ipsius voluntatis illud habere, & non habere, vti dicunt Aduersarij de hoc decreto.

Respondent alij secundò huiusmodi decretũ esse voluntati extrinsecum, & ideo eius libertati minimè præiudicare. in tantũ enim prædeterminatio physica, si daretur, tolleret libertatẽ 23 inquantum esset intrinsecè voluntati inhærens.

Sed contra est: quia de ratione libertatis est vt posito quocumque antecedenti vsum liberi arbitrij, voluntas remaneat indifferens ad vtrũlibet. sed æque huiusmodi indifferentia tollitur siuè id, quod antecedenter ponitur, sit prædeterminatio physica, siuè decretum ab Aduersarijs confictum; ergo nil prodest, quod huiusmodi decretum sit extrinsecum voluntati. Maior patet, quia de ratione voluntatis liberæ est habere prædominium suorum actuum, vt per se vltimò stet ponere alterutrum ex oppositis. minor verò probatur, quia eodem modo voluntas non potest facere oppositum, stans sub prædeterminatione physica, ac stans sub decreto illo antecedente. alioquin non posset in eo certò sciri à Deo futurum conditionatũ. ergo &c. 24 Respondent denique alij tertiò: decretum illud esse antecedens ad determinationem voluntatis in ordine ad cognoscendum illam; concomitans verò in ordine ad essendum, seu ponendum eam à parte rei.

Sed hæc distinctio totam Aduersariorum doctrinam, quã de hoc suo decreto tradunt, funditus euertit: tum quia nulla alia ratione hoc decretum potest esse medium cognoscendi determinationem voluntatis, nisi quia illam respicit tanquam effectum suum; & hæc est vera intelligentia huius opinionis; tum etiam quia si in ordine ad ponendam illam à parte rei, decretum concomitanter se habet: vel trahit in actu secundo voluntatem nostram ad id, quod Deus vult, vel trahitur à voluntate nostra ad id, quod vult ipsa. si primum tollit modum operandi cum indifferentia, qui est proprius causæ liberæ; si secundum non potest esse ratio, vt cognoscatur primò in ipso decreto futurum conditionatum, vt patet. ergo &c. 25

Probatur denique tertiò assertio nostra, quia ex futuris conditionatis quædam sunt peccata, sed in ordine ad hæc non potest admitti decretum omnino antecedens prædeterminatiuum extrinsecè, sicuti ponitur ab Aduersarijs, salua Dei sanctitate, & bonitate. quia nos ad peccatũ induceret. ergo saltẽ hæc futura non præuidetur à Deo in decreto suo, sed in aliquo alio; quod cũ æq; reperiatur in cæteris cõditionatis, neq; hæc in decretis primò præuidebũtur, sed in alio.

26 Ad hoc etiam argumentum. Respondent aliqui primò; etiam in ordine ad peccata dari in Deo decretum illud antecedens, non quidem ex intentione malitiæ ipsorum, sed ex intentione solius physicæ entitatis, quam habent.

27 Sed contra est quia decretum illud prædeterminaret voluntatem ad physicam peccati entitatem in circumstantijs, in quibus esset ei adnexa inseparabiliter malitia. ergo iam esset causa illius malitiæ formalis. Antecedens patet, aliàs non posset Deus habere scientiam peccati conditionatè futuri, vt peccatum est. Consequentia verò probatur, quia malitia nullo alio modo causatur, quam eligendo illum actum, cũ quo ipsa est inseparabiliter adnexa, vt constat ex nobis, qui non aliter peccamus, quam eligendo bonum delectabile, cui videmus esse adnexam malitiam, quæ ideo nobis displicet, vt si possemus eam excluderemus ab actu, atque ideò excusamur à culpa. Confirmatur id, quod dicimus, quia si Deus præciperet mihi eligere actus Blasphemiæ in ijs circumstantijs in quibus præuide habere malitiam: vtique peccarem. multo magis igitur si decreto suo efficaci dictum actum decerneret, quia posito præcepto, possem facere oppositum, at in sensu composito cum decreto non possum.

Respondent alij secundò pro peccatis sub cõditione futuris non dari in Deo decretum prædeterminans extrinsecè voluntatem, sed permissiuum tantum; & in eo videri dicta peccata. Sed contra est, quia cum hoc decreto permissiuo peccati vel potest stare actus oppositus, vel non: si primum, non potest esse ratio videndi peccatum potius, quam eius carentiam. Si secundum, hæc impotentia non est consequens, aliàs decretum illud supponeret peccatum sub conditione futurum, & sic non constitueret illud qua tale: neque esset ratio illud primò cognoscendi, quia fieret ex suppositione illius. ergo est impotentia antecedens, atque adeo tollit libertatem; quod nos intendimus.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiectiones contra præcedentem Conclusionem.

28 Obijcies primò: admissa veritate futurorum conditionalium independenter à decreto Dei antecedente: sequeretur, quod homo se discerneret. sed hoc est contra id, quod habetur *prima ad Corinth. 4.* [quis est qui te discernit quid habes quod non accepisti?] ergo &c. sequela probatur. quia aliquis accipiens æquale auxilium, ac alius, per suam liberam determinationem consentiret, sicuti alius dissentiret. nã hoc quod est auxilio consentire, non acciperet à Deo.

Respondeo, negando sequelam maioris. Ad cuius probationem dico: posse duos vocari à Deo cum æquali auxilio ita, vt vnus consentiat, & aliter dissentiat; sed illa æqualitas consistit in sola entitate physica auxiliorum, non autem in ipsis auxilijs moraliter consideratis; quia auxilium, quod datur ei, qui consentit, cum præuideatur à Deo coniungendum cum effectu, in ratione beneficij censetur maius; vnde est, quod licèt ille per suam liberam cooperationẽ consentiat; non quidem viribus proprijs id præstabit, sed viribus gratiæ traditæ à Deo in hunc finem efficaciter à se intentum. atque hinc deducitur, quod non se discernat homo ille, sed

Deus

Deus ipsum adeo, qui non consentit discernat, per hoc, quod det ei auxilium, cum quo ipsum consensurum esse prævidebat. quamob rem non solum auxilium, sed etiam consensum ipsum à Deo accipit homo, qui consentit.

29 Instabis: ergo ideo Deus decernit dare huic hoc auxilium, quia prævidet secuturum consensum. sed hoc sapit errorem Semipelagianorum, volentium quod consensus sub conditione futurus se haberet ut meritum respectu Dei in ordine ad hominem vocandum. ergo &c. Respondeo, distinguendo primum consequens: ideo Deus decernit, quia prævidet, si assignetur causa veluti finalis, concedo: assignando causam meritoriam, nego consequentiam; & ad subsumptum aio, Semipelagianos voluisse, quod consensus sub conditione prævisus se haberet respectu Dei ut meritum per modum meriti, non autem per modum finis, sicuti nos volumus. Porrò *Augustinus de prædest. Sanctor. cap.* 17. quando negat præscientiam præcedere decretum electionis, loquitur de præcedentia in ratione causæ meritoriæ, sicuti volebant Hæretici.

30 Objicies secundò supponendo eam communi in futuro conditionato ex parte conditionis verè debere implicitè poni totum id, quod ex parte principii requiritur, ut sit effectus conditionatus; hoc enim ipso, quod effectus in statu absoluto nequit esse sine aliqua causa, neque potest sine illa esse in statu conditionato. & sic falsum esset, quod purificata illa conditione effectus conditionatus existeret. Iam verò, hoc supposito, est argumentum: Ad constituendum futurum conditionatum multa Dei decreta requirentur. sed in his ut potè efficacibus potest videri effectus conditionatè futurus. ergo &c.

Respondeo, admissa suppositione propter rationem, quæ in ea tangitur, ad argumentum, concedo majorem; defacto enim requiritur ex parte conditionis decretum de concurrendo ad verumlibet, quod est completivum causæ liberæ in actu primo completæ ad eventum futurum ponendum à parte rei. sed nego in hoc videri primò posse futurum conditionatum, quia est indifferens uti supponimus, quandoquidem per ipsum divina omnipotentia veluti subordinatur voluntati creatæ, ut ad eum actum concurrat, ad quem ipsa se determinaverit.

31 Instabis: in hac conditionali: (si dedero Petro gratiam efficacem, convertetur) ex parte conditionis includitur decretum, ex vi cuius potest videri conversio futura Petri. implicat enim Petrum habere gratiam efficacem, & non converti. ergo saltem in aliquo Dei decreto antecedenti, futura conditionata videri possunt. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: in aliquo decreto antecedente videri primò possunt futura conditionata, nego: possunt videri non primò, concedo. Deo enim decretum de dando auxilio efficaci supponere conversionem antecedentèm prævisam, quatenus pertinet ad constituendum auxilium in ratione efficacis, & sic decretum hoc non est aptum medium ad videndum primò conversionem conditionatè futuram. Unquam conversionem habere necessariam imò, formalem connexionem cum gratia ut efficaci, atque adeo respectu illius non habere rationem futuri conditionati contingentis, sed necessarii: ex quo sequitur objectum scientiæ conditionatorum, quam habet Deus de conversione Petri conditionatè futura V. G. non rectè explicari per hunc actum, (si dedero Petro hoc auxilium, quod est efficax, convertetur) sed per hunc alium (si dedero Petro hoc auxilium convertetur) ex quo sequitur quod hoc auxilium sit efficax. Ratio huius est, quia auxilium efficax duo includit: posse operari opus salutare, & infallibiliter illud operari; quatenus dat posse, debet præcedere opus salutare pro omni statu, eo quod ut sic est essentialiter virtus operativa, & illud respicit ut effectum suum; quatenus verò dat infallibiliter operari, per quod in ratione efficacis ultimò constituitur: cum id non habeat ex suis intrinsecis, sed ex opere salutari conditionatè futuro, quod connotat. hinc fit ut sub hac ratione non præcedat ipsum opus pro omni statu sed solum pro statu absoluto, eo modo quo hunc statum præcedit status conditionatus, & purificatio conditionis.

Objicies tertiò: in statu absoluto antecedenter ad opus debet necessariò dari volitio Dei determinata de concurrendo ad assensum potius V. G. quam ad dissensum. ergo in statu conditionato hujusmodi volitio cognosci debet, se enim habet ut causa. sed in ea non potest non cognosci in se actus, siquidem est terminus ab ea volitus. ergo futurum conditionatum cognoscitur in decreto. 32

Respondeo, negando antecedens, ad concursum enim determinatum præstandum sufficit, quod præcedat in Deo decretum indifferens de concurrendo ad verumlibet, uti dicebam; quod quidem decretum venit quidem ex parte conditionis etiam in statu conditionato, quatenus in eo videt Deus, quod si Petrus V. G. in his circumstantijs hac vocatione vocabitur, & suum concursum ad verumlibet paratum habebit, vocationi consentiet; in hoc tamen decreto non posse cognosci consensum determinatum videtur certo certius. Non negaverim tamen quod libertas nostra sicuti concomitanter admittit concursum Dei determinatum ad unam potius partem, quam ad alteram; ita & determinatum decretum concomitans de dando hujusmodi concursu. Verum hoc decretum sic acceptum non tenet se ex parte conditionis, sicuti primum, sed ex parte ipsius futuri conditionati, & ab eo determinatur, unde supponit ipsum prius conditionatè prævisum: atque adeo nequit esse aptum medium, in quo videatur primò ipsum futurum. Pro majori verò huius determinati decreti concomitantis intelligentia adverterem: ipsum esse illud idem, quod erat indifferens ex objecto; quamvis enim illud antecedenter fuerit tale, hoc est indifferens: tamen

postea

poſtea ſit concomitanter determinatum, per actualem operationem voluntatis importatam; eo quod indifferentia illa reſpiciebat vtrumlibet cum ſua determinatione ponendum; erat enim decretum de concurrendo ad determinatum actum per determinatum concurſum, non quidem à ſe, ſed à voluntate creata determinandum.

33 Obijcies quartò: ſi ex vi antecedentium in ſtatu conditionato non daretur decretum, in quo conſenſus ſalutaris præuideretur futurus; ſequeretur, quod homo cum ſolis communibus auxilijs ſaluari poſſet; ſed hoc nequit ſuſtineri, vt ſuppono, ergo &c. Sequela probatur, quia in ſtatu conditionato, ſicuti ſine vllo ſpeciali decreto, ita & ſine vllo ſpeciali auxilio præuideretur conſenſurus. Reſpondeo negãdo ſequelam maioris; ad cuius probationem dico, quod hoc ipſo, quod auxilium commune pro ſtatu conditionato connotat conſenſum futurum, iam incipit habere rationem auxilij ſpecialis, quod dum in ſtatu abſoluto poſtea datur, ſicuti efficax datur, ita & ſpeciale; Ex quo deducitur hominem poteſtate ſolum antecedenti cum ſolis communibus auxilijs poſſe ſaluari; non autem poteſtate conſequenti. quia ex ſuppoſitione conſenſus ſub conditione præuiſi, auxilium illud ſpeciale eſt, & habetur ab homine dependenter à ſpeciali prouidentia, & benevolentia Dei; non quod hæc ſpecialis prouidentia ſit neceſſaria ad efficaciam auxilij conſtituendam, quia etiam ſi auxilium illud daretur à Deo, ex hypotheſi impoſſibili, quod neſciret effectum futurum, adhuc tamen ſequeretur conuerſio; vnde fit vt ſpecialis prouidentia, & amor requirantur ſolum ex parte Dei, ad hoc vt operetur cum perfectiſſima intelligentia, & prouidentia, ſicuti ipſum decet. In ijs autem non poſſe primò cognoſci effectum conditionatè futurum patet, quia iam ſupponitur pro ſtatu conditionato cognitum, in quantum eius cognitio eſt regulatiua diuinæ prouidentiæ, & benevolentiæ, quam exercet erga illum hominem, quem vult ſaluare.

34 Obijcies quintò: determinatio libera voluntatis eſt eius actio, pro vt primò eius indifferentiam tollens; ſed quæcumque actio creata quantumvis libera pendet indiuiſibiliter non ſolum à creatura, ſed etiam à Deo. ergo etiã Deus determinat voluntatem creatam per decretum omnino antecedens, & determinatum de concurrendo, in quo ipſe actus præuideri poteſt.

Reſpondeo conceſſa maiore, diſtinguendo minorem: quæcumque actio quantumuis libera pendet indiuiſibiliter non ſolum á creatura, ſed etiam à Deo in genere cauſæ efficacis, concedo. in genere determinatiui, nego minorem, & conſequentiam. & aio determinare voluntatem non eſſe quomodocumque in eius actionem formaliter determinatiuam cõcurrere, vt patet ex habitibus ipſius voluntatis, qui cum ea concurrunt ita, vt potiùs determinentur ab illa ad concurrendum, quam illam determinent; ſed eſt concurrere ad illã vt primum determinatiuum reliquorum comprincipiorum actus, ex quo fit vt Deus non concurrat ad determinationem liberam voluntatis vt primum determinatiuum illius neque totaliter, neque partialiter, ſed ſola voluntas, quia ipſa ſola trahit ſecum cætera comprincipia, eoque determinat ad ponendum actum, quem ipſa velit.

Vives *lib. 1. de primato diuinæ libert. diſput. 1. diſt. 4.* vt probet Deum futura contingentia in ſuo decreto prædeterminante primò cognoſcere, totus eſt in probando antecedenter ad huiuſmodi decretum nullam dari cognoſcibilitatem, ac veritatem determinatam de dictis futuris. Quod veriſſimum eſt loquendo de præſenti, quia nunc neque in ſe ipſis, neque in cauſis ſuis determinationem vllam habent; falſum tamen ſi de futuro loquamur, vt de ſe patet; ſufficit autem quod hanc cognoſcibilitatẽ, ac veritatem determinatam habeant, vt diuinus intellectus ſua efficacitate in illa certò feratur. Neque dicat Vives neceſſariam eſſe determinationem de præſenti, vt res dicatur futuræ cras: tum quia de præſenti, de non futura debet tranſire in futuram, & habere nunc quandam veluti ſecuritatem de exiſtentia poſtea habenda. tum etiam quia nunc á re merè poſſibili debet eſſe diſtincta: neutrum autem ſine Dei decreto prædeterminatiuo, ſiuè abſoluto, ſiuè conditionato haberi poſſe. Contra enim eſt, quia quolibet alio circumſcripto per hoc præciſè, quod peccatum Petri V. G. hodie non ſit, & cras exiſtentiam habebit, iam eſt completè futurum. ergo non indiget ad hoc decreto Dei de præſenti, à quo determinetur; neque enim tranſit de non futuro in futurum per tranſitum, quod hodie fiat, ſed per faciendum cras, quando exiſtentiam habebit, ratione cuius in ſtatu futuritionis ſiuè abſoluto, ſiuè conditionato firmatur nunc; neque enim futuritio addit de præſenti aliquid ſupra meram poſſibilitatem, ſed ſolam denominationem prouenientem ab exiſtentia, quam res futura pro ſua temporis differentia habebit, vt patet in ſimili de domo antiqua, & de re præterita reſpectu exiſtentiæ habitæ. 35

SECTIO QVARTA.

Vtrum propoſitiones de futuro contingenti conditionato ſint determinatè veræ aut falſæ.

36 CONcluſio eſt affirmatiua, & communis in Societate. Probatur autem primò ea ratione, qua probauimus propoſitiones de futuro contingenti abſoluto *determinatam habere veritatem, vel falſitatem, ſupponendo* contradictorias de conditionato eſſe has: Si Titius eras Bertam alloquatur, peccabit: non ſi Titius eras Bertam alloquatur, peccabit. tum ſic: quamuis Titius hodie ſit indifferens, ſi eras loquatur cum Berta, ad peccandum, vel non peccandum: eras tamen ad alterutrum purificata conditione ſe determinabit; non enim poteſt inter contradictoria remanere ſuſpenſus.

ponã-

ponamus ergo quod cras peccet, iam propoſitio, quæ hodie affirmat peccatum Titij ſub conditione futurum, eſt determinatè vera, & eius contradictoria determinatè falſa. contra verò ſi ſupponamus quod Titius tentationi ortæ ex loquutione cum *Berta* reſiſtet: erit hæc determinatè vera, illa verò, quæ affirmabat eum peccaturum, determinatè falſa. Idem dicendum de quibuſcumque alijs ſimilibus propoſitionibus, quæ ſunt de futuro contingenti conditionato. ergò huiuſmodi propoſitiones omnes determinatam habent veritatem, vel falſitatem.

36 Confirmatur. hodie Titius Bertam alloquutus, defacto peccauit V. G. eam deſiderando. ergo *heri* verum fuit dicere: ſi cum ea alloquutus cras fuerit, peccabit. antecedens ſupponitur. conſequentia verò probatur quia determinata veritas formalis conſiſtit in conformitate propoſitionis cum obiecto; ſed hæc propoſitio iam cum ſuo conformatur obiecto, ergo eſt determinatè vera. Maior huius, & conſequentia patent. minor verò ſuadetur; quia ſi quando profertur, actu non conformaretur obiecto ſuo, maximè quia tunc non exiſtit; ſed id non modo ad eius veritatem non requiritur, ſed illam deſtrueret, ſi adeſſet; nam propoſitio de futuro implicitè enunciat, quod de preſenti quidem obiectum non eſt, ſicuti per eam enunciatur, ſed erit; quare ſi Titius peccaret alloquendo *Bertam* quando ego dico: ſi Titius cras cum ea loquetur peccabit, propoſitio eſſet falſa: poſito quod eſt de eodem numero obiecto, & enunciet idem numero peccatum de Titio. per hoc igitur quod non ſit obiectum, quando propoſitio illa profertur, tantum abeſt, quod non conformetur cum ſuo obiecto, vt potius eſſet illi difformis, ſi eſſet.

37 Dices: non ideo illa propoſitio non conformatur, quia quando profertur non exiſtit obiectum, ſed quia expectat, vt obiectum cras ſit in ſe determinatum; & ideo non hodie, quando profertur, ſed cras ſuam determinatam veritatem habebit. Sed contra: vel ſupponis illam exiſtere cras quando Titij peccatum exiſtit, vel non: ſi ſecundum, falſum eſt, quod tunc ſit determinatè vera, quia propoſitio ad hoc vt ſit determinatè vera, non minus requirit determinationem, quantum ad exiſtentiam, quam determinationem obiecti: ſin autem eligas primum, ſic arguo: in tantum hæc propoſitio, ſi Titius cras Bertam alloquitur, peccabit, eſt determinatè vera cras: in quantum negat Titium peccare hodie, quando verè non peccat: & affirmat eum peccare cras, quando peccat; ſed totum hoc habet hodie, hoc ipſo quod Titius non peccat hodie, & peccet cras. ergo &c.

38 Probatur ſecundò Concluſio ex his, quæ *in prima ſect.* diximus: Deum habere ſcientiam horum futurorum conditionatorum contingentium. Ponamus ergo quod ſciat Titium peccaturum cras, ſi Bertam alloquatur, & ego hodie id enunciem. Iam Deus cognoſcit hodie meam propoſitionem eſſe veram, quia conformatur obiecto, non ſolum ſecundum menſuram durationis æternæ, ſed ſecundum menſuram durationis temporaneæ ipſi propoſitioni, & eius obiecto propriam. ergo dicendum eſt quod hæc propoſitio non ſolum cras, ſed etiam hodie ſit determinatè vera.

Obijcies primò. Ariſtoteles *lib. 1. periherm.* 39 expreſſè docet neutram ex propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti habere determinatam veritatem, aut falſitatem. ergo multo minus in eius ſententia hanc habebunt propoſitiones de futuro contingenti conditionata.

Reſpondeo: nonnullos concedere abſolutè antecedens, dicunt enim Philoſophum in hoc erraſſe. quare ſicuti non obſtante eius auctoritate, propoſitiones de futuris abſolutis contingentibus ſunt determinatè veræ: ita & propoſitiones de conditionatis. Sed melius videtur reſpondendum ad antecedens, quod, quando Ariſtoteles negat propoſitionibus ſingularibus de futuro contingenti determinatam veritatem, vel falſitatem, loquitur de determinatione, quæ proueniat, vel á cauſa neceſſaria, vel ab actuali exiſtentia ipſius obiecti, non autem de ea, quam habet propoſitio, pro vt enunciat aliquid de re contingenti, & futura ſecundum illud eſſe, quod eſt habitura pro ea differentia temporis, quam intendit, quod verißimum eſt, ſiue propoſitiones ſint de futuro contingenti abſoluto, ſiue de conditionato. ſed non eſt contra nos, qui quando dictis propoſitionibus determinatam veritatem, vel falſitatem concedimus non loquimur de determinatione, quæ vel à cauſa, vel ab actuali exiſtentia ret proueniat; in hoc enim ſenſu concedimus dictas propoſitiones veritate, vel falſitate determinata carere, ſed de determinatione, quam actu quidem habeant, ſed ab exiſtentia futura, vel non futura obiecti proueniente.

Obijcies ſecundò: regula logicorum, quam 40 tradit Fonſeca *inſtitut. dialect. lib. 3. cap. 15.* eſt, proprium propoſitionum conditionalium eſſe, vt earum veritas in ſola bonitate illationis conſequentis ex antecedente conſiſtat, etiam ſi tum antecedens, tum conſequens falſitatem contineant. ſed bonitas illationis ſeu conſequentiæ tunc habetur, quando conſequens neceſſariò ſequitur ex antecedente. vnde iidem logici docent conſequentiam, quæ ſemel eſt bona, ſemper eſſe bonam. ergo repugnat propoſitionibus de futuro contingenti conditionato determinata veritas. Conſequentia patet, quia ſunt in materia contingenti, atque adeo non ſemper ex antecedente ſequitur conſequentia.

Reſpondeo: Axiomata illa logicorum intelligenda eſſe de propoſitionibus conditionalibus ſibi proprijs, hoc eſt illatiuis, quæ argumentationibus inſeruiunt; non autem de phyſicis ſeu moralibus, quæ licèt illatiuæ formaliter non ſint; quatenus tamen conditionaliter explicant contingentem connexionem, quæ inter cauſam liberam ſub conditione poſita, & effectum purificata conditione reperitur, habent determinatam veritatem, vt patet ex illa conditionali Chriſti Domini, Si in Tyro, & Sidone, &c. concedo igitur has conditionales de futuris liberis non eſſe veras ex vi conſequentiæ, ſed ratione

Digitized by Google

ne formæ. sed solum ratione consequentis, & materiæ; quare hæc propositio si Cras Titius alloquetur Bertam, peccabit, quatenus æquivalet huic Titius alloquetur Bertam, ergo peccabit erit formaliter semper falsa, etiam si de facto Titij Peccatum existeret solum igitur vera erit si vsurpetur pro, vt contingentem, explicat connexionem, quæ inter antecedens, & consequens intercedit, & in hoc solo sensu asserimus huiusmodi propositiones determinatâ veritatem, vel falsitatem habere.

41 Objcies tertiò: non potest explicari in quò consistat aliquid esse conditionatè futurum. ergo propositiones de futuro conditionato non possunt esse determinatè veræ, vel falsæ. Consequentia patet, quia veritas propositionis est veritas formalis, quæ supponit obiectiuam; ergo si non potest assignari, quid sit aliquid esse conditionatè futurum, non poterit veritas propositionis, quæ respicit illud tanquam obiectū, vllo modò consistere. Antecedens verò suadetur. Non enim potest dici primò, quod ratio obiecti conditionatè futuri consistat in absoluta futuritione conditionis, & ipsius obiecti sub conditione positi; alioquin quando hæc non essent absolutè futura, falsa esset conditionalis: hoc autem sustineri non posse, patet ex verbis Christi Domini (si in Tyro, & Sidone facta fuissent signa &c. Vtique pœnitentiam egissent) quæ sunt verissima, etiam si gentiles illi neque signa Christi viderint, neque pœnitentiam egerint. Neq; dici secundò potest, quod consistat in possibilitate futuri conditionati purificata iam conditione; nam sic possibilitas eius verificaret propositionem conditionatam, quod impossibile esse probatur, supponendo propositionem conditionatam esse hanc: (si cras petieris librum à Petro, impetrabis) tum sic: si propter possibilitatem impetrationis vera esset hæc propositio: cum etiam sit possibilis non impetratio, quandoquidem Petrus in dando librum ponitur posse verumlibet: sequeretur quod esset vera hæc alia: (Non, si cras petieris librum à Petro, obtinebis) sed hoc implicat, quia ex duabus propositionibus contradictorijs, sicuti sunt hæ, vna necessariò debet esse vera, altera falsa. ergo &c. Neque denique aliquid aliud assignari potest, in quo consistat rem esse conditionatè futuram. ergo &c.

Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem concesso antecedente quò ad duplicem explicationem positam, nego non posse aliter explicari. Dico enim rationem futuri conditionati præter carentiam realem de præsenti, tum conditionis, tum ipsius rei conditionatæ, importare quod res existeret à parte rei, si talis conditio poneretur. Quid autem importent hæ tres voces, (existeret, si, & poneretur) Respondent communiter auctores, hoc esse per se notum, & ita patere ex ipsis terminis, vt vlterius explicari nequeat; atque adeò importare conceptum irresolubilem, sicuti important conceptus irresolubiles istæ voces. Ego; Tu; Esse, Non esse, & similes. Dilucidius respondendum existimarem, eas importare mutuam connexionem in ordine ad existentiam inter antecedens, & consequens, non quidem necessariam, sed contingentem. Probatur ex his, quæ dicunt Dialectici: veritatem nimirum harum propositionum conditionalium in sola consequutione consistere, nihil curando de veritate antecedentis, aut consequentis. ergo illæ voces rectè explicantur per dictam connexionem, & ad eam tantummodo significandam adhibentur. Confirmatur id quod dicimus, nam cōditionales dici solent nihil ponere in esse. ergo earum formalis veritas tota refunditur in meram connexionem antecedentis, & consequentis; quæ quidē connexio rectè explicatur per hoc, quod simul, vel realiter, vel saltem moraliter coexistere debent cum aliqua conducentia, seu causalitate antecedentis respectu consequentis. Nec vlterius in hoc procedere debet arguens, ne det occasionem auditoribus suspicandi in disputando non veritatē, sed Nodum in Scirpo quærere; sicuti facere cōsueuerunt nonnulli arguentes, qui vt disputationem in longum protrahant, cum videant propositum á se argumentum iam solutum, explicationem verborum, quibus solutio data est, petunt; qua habita, explicationem dictæ explicationis exposcunt, & vlterius insurgūt secundam hanc explicationem non posse bene explicari quid sibi velit; putantque se hac ratione palmam obtinere, non aduertentes sic in infinitum quemlibet imperitum arguendo procedere posse, absque eo quod ei enthymemata aliquādo deficiant.

DIS-

DISPVTATIO TRIGESIMA

DE PRIMO COGNITO.

1  Elebris fuit inter antiquos Thomistas, & Scotistas Controuersia de obiecto, quod primo cognoscitur ab intellectu nostro. Occasionem hoc controuertendi præbuit illis Aristoteles *primis quinque textibus primi Physicorum*: in quibus agit de methodo, quam in tradenda rerum naturalium scientia, tenere debet. ait enim *tex. 2. & 3.* in inuestigandis earum principijs ex magis confusis esse incipiendum; quod hoc ferè modo suadet; natura nobis insitum est, vt ex his, quæ nobis notiora sunt ad ignotoria cognoscenda procedamus. sed confusa sunt nobis magis nota. ergo à confusis procedendum nobis est. Porrò confusa esse per Philosophum vniuersaliora probat Picolomineus ex eo, quod *tex: sequenti* ille statim infert sic: quapropter ex vniuersalioribus ad singularia, ideſt ad minus vniuersalia, vt S. T. exponit, procedere oportet. Huius argumenti maiorem, supponit Aristoteles; minorem verò tripliciter probat: Primò ex toto sensibili, quod cum confusum sit, notius est secundum sensum suis partibus. Secundò ex toto definibili, facilius enim cognoscitur à nobis homo, qui est definitum, quam eius definitio. Tertiò denique puerorum exemplo; hi enim prius apprehendunt magis, quam minus communia. Vndè initio omnes viros Patres, & omnes Fœminas Matres appellant, postea verò determinatè suos genitores agnoscunt, eosque ab alijs condistinguunt. Ex his omnibus duo nobis examinanda videntur, quæ faciunt ad nostrum institutum: vnum pertinet ad maiorem graduum vniuersaliorum notitiam. Alterum ad id, quod primò cognoscitur à nobis.

SECTIO PRIMA.

An, & quomodo vniuersaliora sint minus vniuersalibus notiora.

2 VTea, quæ ab antiquioribus in hac quæstione congeruntur, quibus valdè implexam illam reddiderunt, facili negotio intelligantur: supponerem primò vniuersale tripliciter accipi apud Aristotelem. Primò pro vniuersali in causando, qualis est Deus. Secundò pro complexo, hoc est pro quibusdam propositionibus, principia aliqua vniuersalissima continentibus, vt: Omne Totum est maius sua parte; Quodlibet est, vel non est &c. Tertiò pro incomplexo, quod est prædicabile de pluribus, vt Substantia, Corpus &c. non quidem reduplicatiuè, videlicet quatenus est vnum aptum esse in pluribus, & de illis prædicari; sed specificatiuè seù subiectiuè, hoc est pro illa ratione, 2 quæ est, vel potest esse vniuersalitatis subiectū. Iam in præsenti quæstione magis, & minus vniuersalia in hac tertia acceptione sumuntur, quatenus correspondent pluribus conceptibus inadæquatis, quos de eodem obiecto formamus, V. G. de homine, de quo formamus conceptum substantiæ, Corporis, viuentis &c. Qui adinuicem comparati ita se habent, vt vnus sit magis vniuersalis, alius verò minus.

3 Supponerem secundò: Hic agi de prædicatis magis, & minus vniuersalibus non cuiuscumque rei, sed entis sensibilis, & quidem substantialis, & indiuidui V. G. Petri, Bucephali &c. Quia horum comparatio inseruit ad enodandā controuersiam de primo cognito proposita.

4 Supponerem tertiò dupliciter vnum posse esse notius alio: natura: & quo ad nos. Illud est alio notius quo ad nos, quod attento nostro modo imperfectè cognoscendi, nimirum per sensus, facilius à nobis, & citius alio cognoscitur. Illud verò est natura notius, quod secundum se spectatū maiorem habet aptitudinem vt cognoscatur; quod bifariam contingere potest Primò ratione maioris actualitatis, ac perfectionis, secundum quam excedit aliud; cum enim cognoscibilitas sequatur esse, ex perfectiori esse maior cognoscibilitas prouenire necesse est. Secundò ratione maioris independentiæ; quod enim est prius ens, prius etiam cognoscibile est. Vndè Philosophus *primo poster. cap. 2. Et 3.* distinguendo priora, distinguit etiam notiora.

5 Denique supponerem quartò duplicem cognitionem nos circa rem aliquā exercere posse: confusam vnam, alterā distinctam. Confusa nos attingit illam explicitè secundum partes essentiales quas continet, sed imperfectiori modo. Contra verò distincta, ita totam rem cognoscit, vt etiam singulas eius partes essentiales distinctè pertingat. Quoniā verò confusa cognitio semper solet esse prior distincta: hinc fit vt cognoscibilitas, quam habet obiectum respectu nostri, vt confusè cognoscatur, censeatur esse prior ea, quam habet vt cognoscatur à nobis distinctè. His autem prænotatis.

6 Sit prima Conclusio: Minus vniuersalia ratione maioris actualitatis sunt notiora secundū naturam magis vniuersalibus: contra verò ratione minoris independentiæ sunt illis natura minus nota.

Digitized by Google

7 Prior pars huius assertionis probatur: quia magis vniuersalia respectu minus vniuersalium se habent, vt quid perfectibile, atque determinabile respectu sui perfectiui, atque determinatiui; ab illis enim perfectionem, & determinationem expectant, vt patet ex gradu substantiæ cõparato cum reliquis sibi inferioribus; & ex gradu animalis cõparato cũ gradu hominis. ergo minus vniuersalia ratione maioris actualitatis sunt magis vniuersalibus natura notiora.

8 Posterior verò pars eiusdẽ assertionis suadetur: quia magis vniuersalia sunt priora in subsistendi consequentia minus vniuersalibus, & in cognoscendo non dependent ab illis; immò neque in essendo, dummodò minus vniuersalia distributiuè sumantur, vt certè sumi debẽt. ergo magis vniuersalia sunt magis indepẽdẽtia minus vniuersalibus, & cõsequẽter natura illis notiora.

9 Contra hanc posteriorẽ partem arguens primò: minus vniuersalia habent rationem causæ finalis respectu magis vniuersalium, ergo habẽt maiorem independentiã, quam illa, & sic etiã ratione maioris independentiæ censeri debent natura notiora vniuersalioribus.

Respondeo, negando antecedens: Causa enim finalis debet distingui realiter à suo effectu, quod si loquamur impropriè, & abusiuè, dato antecedente, distinguo consequens: ergo habent maiorem independentiam quam vniuersaliora, quantũ est ex hoc capite, transeat: quantum attinet ad esse, & ad cognosci, nego consequentiã. Ratio negationis est, quia illa maior independentia est secundũ quid, quatenus fundatur in abusiua ratione causæ finalis: hæc autem est absoluta, si non pensatis omnibus, at saltem in subiecta materia, vt patet ex tertio supposito.

10 Argues secundò: licèt gradus superior sinè inferiori cognosci possit per distinctam cognitionem: non tamen per illam, qua vterque gradus cognoscitur: ergo per eam non sunt vniuersaliora minus vniuersalibus notiora natura, ratione maioris independentiæ in cognoscendo.

Respondeo, concesso antecedente: negando consequentiam. Ratio negationis est, quia cognitio, qua vterque gradus cognoscitur, prius saltem ratione tendit in vniuersaliorem, quam in minus vniuersalem V. G. in animal, quam in hominem, eo quod æquè intelligi tendere in hominem, quia intelligatur tendere in animal: contra verò potest intelligi tendere in animal, absq; eo quod intelligatur tendere in hominẽ; & sic est notior natura gradus superioris inferiore quo ad independentiam in cognoscendo.

11 Argues tertiò: magis vniuersale non potest cognosci, nisi prius minus vniuersalia, à quibus debet abstrahi, cognoscantur. ergo falsum est illud esse notius natura minus vniuersalibus in cognoscendo. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam. Ratio negationis est, quia ad constituendum aliquid natura notius alio ratione maioris independentiæ in cognoscendo, non debent attendi ea, quæ ad obtinendam eius cognitionem antecedenter necessaria sunt; sed ea solum, quæ in ipsa eius cognitione requiruntur. Quoties enim duo ita se habent vt ad formalem cognitionem vnius non æquiratur cognosci aliud; benè tamen ad cognitionem alius necesse est cognosci vnum illorum: toties vnum hoc censendũ est illo alio notius natura, ratione maioris independentiæ in cognoscendo, vt patet ex Deo, qui licèt non possit à nobis cognosci nisi dependenter à cognitione creaturarum, est tamen hoc notionis genere, natura notior illis.

Secunda Cõclusio: Quò ad nos vniuersaliora sunt notiora minus vniuersalibus, siuè loquamur de cognitione distincta siuè de confusa. 12

Probatur assertiò, & quidem quod sint notiora nobis distincta cognitione suadetur ex eo, quia illud est notius distinctè quo ad nos, quod ẽtius, & facilius cognosci potest à nobis; sed nos cæteris paribus facilius cognoscimus distinctè ea, quæ pauciora continent prædicata, quã ea, quæ plura; siquidem intellectus noster ob limitatam perfectionem, quam in intelligendo habet, pluribus intentus minor est ad singula semper. cum igitur vniuersaliora pauciora prædicata contineant, quam minus vniuersalia: hinc fit vt vniuersaliora quo ad nos per distinctam cognitionem sint minus vniuersalibus notiora. 13

Quod verò eadem vniuersaliora cognitione confusa sint etiã notiora quo ad nos minus vniuersalibus, suadetur sic: Illi gradus sunt nobis cognitione confusa notiores, qui habent accidentia magis sensibilia; quia huiusmodi accidentia prius, & fortius sensum nostrum mouendo, citius nostrum intellectum ad sui cognitionem excitant. sed gradus vniuersaliores habent accidentia magis sensibilia, quam gradus minus vniuersales. ergo gradus vniuersaliores sunt nobis cognitione confusa notiores. Maior huius probatur, quia nostra cognitio intellectiua in hac vita pendet à sensibus. sed illi gradus, qui habent accidentia sensibiliora prius, & efficacius per illa sensus nostros determinant. ergo dicti gradus erunt nobis cognitione confusa notiores. Minor verò explicatiua inductiuè, nam gradus corporis sensibilioris habet accidentia, quam gradus animalis, & gradus animalis, quã gradus hominis, & denique gradus hominis quã determinatus homo V. G. Petrus. experientia enim constat, quando aliquid è longinquo videmus, primum quod de eo cognoscimus, est esse corporis. deinde magis approximemur, quod sit animal: tum si propius accedat, quod sit homo: & tandem quando est nobis vicinũ, cognoscimus, quod sit Petrus V. G. ergo &c. 14

Atque hic notarem ex duplici capite prouenire posse, vt obiectum distans secundum gradum vniuersaliorem cognoscatur, non autem secundũ minus vniuersalem. Primò ex eo, quod species sensibilis, quæ è remotiori loco sensui imprimitur, licèt sit de se repræsentiua vniuersique gradus: tamen in tanta distantia non valet certificare potentiã de gradu minus vniuersali, eo quod hic gradus, vtpotè vniuersaliore perfectior, perfectionem imaginem ad sui expressionem exposcit; qua perfectione caret species quandiu, è longinquo procedit, quemadmodum est illa, quæ producitur ab obiecto in remotiori loco constituto. Vnde est, vt dicta species repræsentet potentiæ solum gradum vni- 15

Digitized by Google

nersaliorem, quo cum sit imperfectior non tam perfectâ imaginem ad sui expressionem requirit. Secundum caput, ex quo obiectum distans habere potest, vt secundum gradum vniuersaliorem non verò secundum minus vniuersalem cognoscatur, prouenit ex diuersitate accidentiũ, quæ huiusmodi gradus sibi vendicant tamquam propria. Quorum aliqua, nimirum ea, quæ sunt propria gradus vniuersalioris, sunt sensibiliora, & efficaciora ijs, quæ sunt propria gradus minus vniuersalis ex primo capite oritur vt album longe distans non percipiatur, vt album, sed vt coloratum tantùm. ex secundo verò quod Petrus distans cognoscatur solum vt corpus, & si magis appropinquet, vt animal &c. Quamuis autem vtrumque caput vniolvat distantiam tamquam impedimentum, ne gradus minus vniuersalis attingatur, quando vniuersalior percipitur. Secundum tamen caput efficit gradus vniuersaliores habere accidentia sensibiliora quam minus vniuersales, quod patet ex eo, quia accidentia propria Petri vt talis individui sunt distincta ab ijs, quæ sunt propria illius vt hominis, & hæc distincta ab illis, quæ sibi vendicat vt animal &c. Quod Conimbricenses negare non audent, quamuis sint in contraria sententia. Vndè in fine *art. 4. quæst. 3. sit*, sic habent: Intelligibilis imago, hoc est species impressa propria hominis specie differt ab ea, quæ propria est animalis; ex distinctione autem specierum rectè colligitur distinctio accidentium propriorum.

16 Contra priorem partem huius assertionis sic argues: Gradus vniuersalior respectu inferiorum suorum assimilatur toti integrali respectu suarum partium. Vndè respectu earum dicitur totum potestatiuum. sed totum integrale, loquendo de cognitione distincta, est ignotius suis partibus; citius enim, & facilius vnum hominẽ, quam decem distinctè cognoscimus, ergo &c.

Respondeo, distinguendo maiorem: Gradus vniuersalior secundum ea, quæ actu in se continet, in ordine ad inferiora, assimilatur toti integrali in ordine ad suas partes, nego; secundũ ea, quæ continet potestate, concedo; & dico, quod gradus vniuersalior consideratus secundum sua prædicata quidditatiua in ordine ad sua inferiora, habet potius rationem partis integralis, quã totius. Quoniam verò magis vniuersalia nos sic accipimus, & non formaliter, quatenus vniuersalia, & tota potentialia: hinc fit, vt licèt vera sit minor argumenti, consequentia tamen negãda est. Porrò occasione huius argumenti notarem, quod sentiendũ sit de toto siue integrali, hoc physice cũ suis partibus cõparato. Dico enim quod ratione maioris actualitatis sit natura notius illis, ratione verò maioris independentiæ sit eisdẽ ignotius natura. At verò quo ad nos, cognitione quidem distincta sit ignotius, sed confusa notius ijsdem partibus, vt patet ex dictis.

17 Contra verò posteriorem eiusdem assertionis partem argues secundò: Etiam si loquamur de cognitione confusa minus notus est nobis in Petro Vt. G. gradus substantiæ, quam gradus corporis; & gradus intellectiui, quam gradus hominis: ergo falsũ est quod cognitione confusa sint nobis vniuersaliora minus vniuersalibus notiora. Respondeo concesso antecedente, distinguẽdo consequens: si fiat cõparatio inter magis, & minus vniuersalia, quorum vnum non est sensibile, alterũ verò sensibile, concedo; sin autem fiat cõparatio inter magis, & minus vniuersalia, quæ sunt ambo sensibilia, nego consequentiam. Quoniã verò præsens quæstio procedit de gradibus sensibilibus, quorum nouem magis, aliàs verò animus valuersalis, hinc sic argumentum nihil concludere.

18 Argues denique tertiò contra vtrumque: conclusionem: Gradus enim vniuersales non semper vniuersaliores includunt, quoniam enim gradus specificus V. G. hominis includat gradum animalis: rationalitas tamen neque ipsum animal, neque animalitatem includit; sed in veraque conclusione supponuntur oppositum; ergo neutra procedit.

Respondeo: Concessa maiore, & minore; negando consequentiam. Ratio negationis est, quia quæstio procedit de gradibus vniuersalioribus, & minus vniuersalibus, qui in recta linea prædicamentali collocantur, non verò de collateralibus, qui ad latera prædicamenti pertinent, quales sunt differentiæ essentiales. Quod si quæras vlteriorè huius rei rationem, dico eam esse, quia nos ex cognitionibus, quas per sensus exercere solemus, primò venimus in cognitionem dictorũ gradũ, nimirũ corporis, viuentis, animalis &c. at verò differentiarũ, quibus dicti gradus essentialiter constituuntur, non nisi post cognitionẽ illorum, & veluti consequenter; vndè fit vt de dictis gradibus debuerimus instituere quæstionẽ, cuius decisio sterneret nobis viam ad primũ cognitũ statuendũ. Cæterũ vt aliquid obiter de hac etiã quæstione dicamus, nimirũ an vniuersaliora sint notiora minus vniuersalibus non ingredientibus illa? Assero primo primã cõclusionem recte de illis procedere, siquidẽ hæc minus vniuersalia ex vna parte sint perfectiua, hoc est determinatiua magis vniuersaliũ, & sic sunt hac ratione notiora illis natura ex alia verò in existendo pendent ab illis: quare sub hac ratione sunt illis ignotiora. Assero secundò etiã secundã conclusionem verificari posse de illis; & quidem quo ad posteriorem partem, absolutè; quatenus gradus vniuersaliores cum sensibiliora habeant accidentia cognitione cõfusa, quo ad nos notiores existunt: quo ad verò priorem partem cum aliqua restrictione: nimirum si comparemus cũ gradibus minus vniuersalib* collateralibus gradus vniuersaliores item collaterales, nã sic vniuersaliores sunt manifestiores vt vidimus, & aliunde in cæteris pares sunt; at si comparentur cũ minus vniuersalibus collateralib*, vniuersaliores positi in recta linea prædicamentali non est ita, quia vniuersaliores sic accepti plura continent prædicata, quam minus vniuersales V. G. animal, quam rationale, ergo cognitione distincta notior est quo ad nos gradus minus vniuersalis collateralis, quã vniuersalior directus. Notarem tamen hanc regulã exceptionem pati in generibus generalissimis, quæ non videtur plura prædicata continere quam differentiæ diuisiuæ illorum.

SECTIO SECVNDA.

Quod nam sit primum cognitum à nobis.

28 IN præsenti quæstione agitur de nobis intelligentibus modo connaturali dependentur è sensibus; & quidem, vel absque eo quod prius aliquid intellexerimus, vel ita in ea cognitione nos gerentibus, ac si nihil intellexerimus antea. Quoniam verò prima nostra cognitio est confusa, & apprehensiua, quatenus omnis intellectio distincta, confusam, & omne iudicium apprehensionem in nobis præsupponere solet; ideo de primo cognito à nobis per intellectionem apprehensiuam, atque confusam in præsenti controuersia disputatur: non quod hic remaneat dubium, quod nam obiectum realiter consideratum primò cognoscatur à nobis, homo ne, an Cælum, an &c. Equus huiusmodi; per accidens enim se habet, quod puero V. G. intelligere incipienti hoc potius, quam illud obiectum primò occurrat; atque adeo hoc non potest sub certam scientiam cadere. Sed sensus quæstionis est, cum in vno, eodemque obiecto sint plures gradus cognoscibiles V. G. in Petro, Gradus, Corporis, Animalis, Hominis, & Petri: qui nam ex his gradibus primò ab intellectu nostro cognoscatur quando Petrus puero V. G. vel mihi dum in ea cognitione me habeo ac si nihil antea cognouerim, intelligendus obijcitur. primò inquam non prioritate temporis, sæpe enim simul tempore obiectum secundum omnes suos gradus primo cognoscitur; sed prioritate vetusti naturæ, & rationis, & quidem ordine exequutionis seu vt loquitur *Q. T. in via generationis*, Pro qua re sit.

29 Vnica conclusio: Primum à nobis cognitum est gradus vniuersalissimus entis sensibilis. Porrò nomine entis sensibilis intelligimus aggregatum ex substantia, & accidente quod confusè dicimus vt vnum quid cognosci à nobis, quatenus est ens sensibus subiectum. Est *D. T. in expositione tex. prooem. physica*, nec non etiam *p. p. qu. 85. art. 8. & in opuscolo de ente, & essentia cap. 1.* vbi ait vniuersaliora esse nobis semper notiora, quam minus vniuersalia, & omnium notissimum nobis esse ens; ex quo infert ens esse primò cognitum. Quod non potest intelligi de ente, vt sic, abstrahente à creato, & increato, quia huius non habemus species proprias, & immediatas, ad primam nostram intellectionem inseruientes, sed de ente sensibili, ac corporeo, quod aliqui ex Thomistis apellant ens concretum quidditate sensibili. Est tamen contra Scotum existimantem primò cognitum esse speciem infimam, quem sequuntur Scotistæ, & ex nostris Fonseca *primo metaph. cap. 2. qu. 2. & 3. Conimbr. 1. phys. qu. 3. Quicchet contr. 5. de anim. quæst. 5.* & alij.

30 Probatur autem assertio nostra: Ex gradibus sensibilibus vniuersaliores sunt nobis minus vniuersalibus notiores; ergo gradus vniuersalissimus, cuiusmodi est ens sensibile, erit nobis notissimus, atqui ex gradibus, qui sunt in individuo substantiali, quod obijcitur sensibus, ille primò intelligitur à nobis, qui est notissimus, gradus igitur entis sensibilis erit à nobis primò cognitum, primum antecedens patet ex dictis *sect. præced.* & consequentia est euidens, quia sistendo in ratione sensibilitatis, non potest assignari gradus vniuersalior ente sensibili, ad cum planè modum, quo si à sensibilitate præscindas non est assignabile prædicatum magis vniuersale, quam ens. Sumptum autem facile suadetur, quia non potest intellectus in prima apprehensione, quam exercere debet circa gradus obiecti, quod sibi cognoscendum proponitur optionè habere, vt vnum potius gradum, quam aliũ ad libitum suum apprehendat, sed ab ipsis gradibus expectat determinari. ergo illum gradum primo apprehendet, qui superat in cognoscibilitate reliquos; sed hic est omnium notissimus, ergo primo cognoscit notissimum, quem, cum probauerimus esse ens sensibile, patet vltimâ consequentia, gradum scilicèt entis sensibilis esse nobis primò cognitum, non quidem ratione impedimenti ex distantia obiecti prouenientis, vt contendunt Scotistæ, sed ratione maximæ sensibilitatis, quam sibi vendicat.

Obijcies primò ex Aristot. *primo metaph. cap. 2. & alibi.* Nobis notius, quod propinquius est sensibus. sed gradus infimus est sensui propinquior, quam supremus. ergo primò cognitũ erit gradus specificus. Minor probatur, quia intellectus abstrahendo, ab inferioribus ad superiores gradus progreditur, donec perueniat ad vniuersalissimum, qui in partes vlteriores diuidi nequit. 31

Respondeo, explicando Philosophum: dupliciter enim aliquis gradus potest esse sensibus propinquior, aut primò quia habet species sensibiles validiores, quibus sensus nostri facilius excitari possunt: secundò quia est potentijs sensitiuis magis proximus atque vicinior. Porrò Aristoteles explicandus est de propinquitate primò modo accepta; in quo sensu neganda est minor; & ad eius probationem dicendum, quod in prima cognitione, quam elicit intellectus, non abstrahit rationem vniuersalissimam entis sensibilis ab inferioribus, vt paulo post dicetur; quia ad hoc requiritur cognitio inferiorum inter se cum deprehensione rationum, in quibus conueniunt, & in quibus differunt; ad quod præstandum supponuntur aliæ, atque aliæ cognitiones præcedere; præsertim de ipsis inferioribus, quod non habet locum in nostro casu. Cæterum id circo intellectus in abstrahendo rerum individualiũ prædicata ab inferioribus ad superiora progredi solet, quia quo maior est conuenientia, quam individua habent ad inuicem, eo facilius deprehenditur ab intellectu. cum igitur intellectus à facilioribus ad difficiliora progrediatur, rectè prius abstrahit rationem specificam atomam, postea subalternam, illi proximam, & sic procedit vsque ad genus vltimum: & quidem in hoc sensu dixit etiam Aristoteles loco citato vniuersalissima esse cogni-

in difficillima, vtpote à sensu remotissima.

32 Objicies secundò ex Oniedo *loc. cit.* intellectus vniuersalia intelligendo abstrahit illa à singularibus. ergo prius singularia, quam vniuersalia cognoscit: falsum igitur est, quod ratio vniuersalissima entis sensibilis sit primo cognita à nobis. Respondeo concesso antecedente, & prima consequentia, nego secundam. ratio negationis est, quia quando nos dicimus, quod primum cognitum sit ratio vniuersalissima entis sensibilis; non loquimur de hac ratione abstracta à singularitate, sed cum illa coniuncta, atque adeò apta mouere sensus nostros, & sui notitiam ingenerare, quod non habent vniuersalia à singularitatibus abstracta, vt patet. Porrò nos nostram sententiã de ratione entis sensibilis accepta veram puramque, sine intellectus directè feratur circa individuationem, vt doctores communiter censent, siue indirectè, vt nonnulli minus probaliter malunt; si enim directè, primum cognitum erit gradus entis sensibilis singularizatus, ita vt intellectus eiusmodi singularitatem attingat vt obiectum: sin autem indirectè, erit idem gradus itidem singularizatus, ita vt intellectus singularitatem eius attingat, vt subiectum attingi autem vt subiectum dicitur res, quæ habet rationem formalem, ob quam cognoscitur. attingi vt obiectum dicitur ipsa ratio formalis, quæ immediatè cognoscitur.

33 Objicies tertiò: gradus vniuersalissimus entis sensibilis primò cognoscitur vt individuatus: sed individuatio est infima inter omnes gradus. ergo vera est eorum sententia, quæ affirmat infimum gradum esse primũ cognitũ. Respondeo, distinguendo maiorem: gradus vniuersalissimus primò cognoscitur vt individuatus individuatione sibi proportionata, concedo: improportionata, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem: individuatio proportionata speciei infimæ est infima inter omnes gradus: concedo, individuatio proportionata gradui vniuersalissimo, nego minorem, & consequentiam. Explico distinctionem individuatio V. G. Petreitas etiam si sit vna formalitas ex parte obiecti potest diuersimodè ab intellectu attingi, pro vt nimirum est determinatiua huius, vel illius gradus, quem individuatum cognoscit. idcirco nunquam sumitur vt infima inter omnes gradus, nisi pro vt attingitur vt determinatiua speciei atomæ, nimirum hominis. nil mirum igitur si quantùis gradus vniuersalissimus entis sensibilis primò cognoscatur vt individuatus, primùm tamen cognitum non sit infimus gradus. siquidem individuatio vt illi correspondens, & proportionata non habet rationem infimi gradus, sed est complectiua supremi tantùm.

34 Objicies quartò: facilius, & citius cognoscitur totum cognitione confusa, quam pars, vt patet in exercitu, qui facilius cognoscitur quam vnus miles illius; sed gradus vniuersalissimus est pars, gradus minus vniuersalis est totum, vt patet in animali respectu hominis; ergo gradus infimus vtpote cognitu facillimus erit primò cognitus.

Respondeo, distinguendo maiorem: facilius cognoscitur totum, quam pars, si cætera sint paria, concedo: si præter disparitatem totius, & partis, adhuc non sint cætera paria, nego maiorem, & distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Dico enim, quod quando pars habet accidentia magis sensibilia, quam totum, facilius, & citius cognoscitur, quam ipsum totum, vt patet in simphonia ex organo, Cythara, & lyra constante, cuius pars, scilicet organum, quia maximè sonora est, facilius, & citius, ac ad maiorem distantiam, quam tota ipsa simphonia auditur. huius generis pars est gradus vniuersalissimus entis, qui licèt sit pars infimi gradus, quia tamen sensibiliora habet accidentia, facilius illo cognoscitur, quod quia non habet miles cum suo exercitu comparatus; hinc fit, vt confusa cognitione difficilius, quam totus exercitus cognoscatur.

Instabis: infimus gradus habet omnem sensibilitatem graduum superiorum, quos in se continet tanquam partes, & præterea habet sibi propriam; ergo est sensibilior omni superiori gradu. 35

Respondeo, distinguendo antecedens: infimus gradus habet omnem superiorem sensibilitatem, quæ sit primò per se, & immediatè ordinata ad manifestandum ipsos gradus superiores; secundariò verò per aliud, & mediatè ad manifestandum gradum infimum, concedo: quæ sit primo per se, & immediatè ordinata ad manifestandum ipsum infimum, nego antecedens, & consequentiam. dico enim quod quemadmodum accidentia sensibilia propria graduum superiorum sunt ordinata primò per se, & immediate ad ipsos manifestandos ibita & notitiam illorum primario ingerunt.

Objicies: quintò gradus viuentis est gradus animalis vniuersalior, & tamen est ignotior illo, ergo gradus vniuersalissimus non est notissimus. Consequentia patet antecedens probatur: accidentia repræsentatiua gradus viuentis sunt nutritio, & vegetatio, at animalis est motus, qui est nutritione, & vegetatione sensibilior. Respondeo, nego antecedens quo ad secundam partem. ad cuius probationem nego solam nutritionem, & vegetationem viuentis gradum repræsentare. dico enim huiusmodi gradum maximè repræsentari à figura ab illis duobus actibus vitalibus procedente, nego item motum localem, quantum est de se, repræsentare animam, vt patet ex cælo, nubibus, & reliquis corporibus naturalibus; sed hoc habet solũ per accidens, in quantum ducit nos in cognitionem sensuum animalis. Accidentia igitur per se repræsentatiua gradus animalis sunt formæ sensuum, quas cæteris paribus minus sensibiles esse ipsa figura heterogenea, quæ est repræsentatiua viuentis, nulli dubium esse potest. Verum hic obiter notare: Aduersarios per hoc præcisè, quod offendunt vnum aut alterum gradum inferiorem esse suo superiore sensibiliorem, non idcirco contra nos victoriam reportare; quia nos loquuti sumus regulariter, & attentis ijs, quæ vt plurimum experimur, præsertim in præsenti controuersia. 36

uersia de primo cognito, quod dicimus esse gradum vniuersalissimum entis sensibilis.

37 Obijcies sextò ex Pontio *disput. 6. de anima qu. 2.* causa naturalis debitè applicata, & non impedita necessariò producit perfectissimum effectum, quem potest. sed individuum sensibile V.G. Petrus est causa naturalis debitè applicata intellectui medijs sensibus, & non impedita. ergo producit effectum perfectissimum, qui est cognitio talis hominis in particulari.

Respondeo, distinguendo maiorem: causa &c. producit perfectissimum effectum, quem potest ordine intentionis, concedo. ordine exequtionis, nego maiorem; & concessa minore; ad consequentiam dico causas naturales, cuiusmodi sunt obiecta sensibilia debitè applicata intellectui, semper ordine intentionis producere effectum perfectissimum, quem possunt, non tamen ordine exequtionis, hoc enim ordine, qui dicitur via generationis, ab imperfectiori effectu ad perfectissimum progrediuntur, vt patet ex sole, qui licèt in eodem instanti producat in parte cæli sibi propinqua septem gradus luminis V.G. prius tamen natura intelligitur producere primum gradum, quam secundum, & prius secundum, quam tertium, & sic deinceps vsque ad septimum.

38 Instabis ex eodem: ideirco id contingit in lumine, quia primus gradus necessariò prærequiritur ad productionem secundi, & secundus ad productionem tertij, & sic de reliquis: sed cognitio confusa entis sensibilis non necessariò prærequiritur ad confusam cognitionem Petri V.G. ergo &c.

Respondeo, Concessa maiore distinguendo minorem, cognitio confusa entis sensibilis non necessariò prærequiritur ad confusam cognitionem Petri, secundum se consideratam, concedo: habitam per sensus externos, nego minorem, & consequentiam; dico enim quod quando Petrus V.G. est debitè applicatus potentiæ vitiuæ, & hæc illum videndo immittit species in phantasiam, à qua postea determinatus intellectus Petrum intelligit; tunc potest intellectus in huiusmodi intellectione eliciendo dupliciter se habere: primò vt non intelligat Petrum, nisi in ratione entis sensibilis: secundò vt intelligat illum etiam sub ratione talis hominis. primo modo se habet si organa sensuum internorum sunt valdè obtusa, & indisposita, vt ferè contingit in pueris, qui ob hoc omnes viros cum proprio Patre, & omnes fœminas cum propria matre confundunt. secundo verò modo se habet, si omnia organa sint bene disposita, & Petrus est debitè applicatus sinè vllo impedimento; vtrouis autem modo se habeat intellectus, semper id, quod primò cognoscit puto esse rationem vniuersalissimam entis sensibilis; & quidem si primo modo, res est euidens; sin autem secundo, sic id probo: Petrus ex vna parte in tali casu per eandem applicationem realiter loquendo applicatur ad ingerendam cognitionem gradus entis sensibilis, ac gradus infimi. ergo non est cur potius dicatur primum cognitum esse gradus infimus, quam supremus: ex alia verò parte accidentia sensibilia manifestatiua gradus supremi sunt validiora, quam ea, quæ sunt manifestatiua gradus infimi, quod patet, tum quia ad maiorem distantiam determinant potentiam ad cognitionem sui gradus, tum etiam quia quamuis illa sit indisposita vel propter hebetudinem, vel propter applicationem ad alia; nihilominus agunt in illam, cum in neutro casu accidentia inseruientia gradui infimo id præstare valeant. ergo prius volyti natura, & ratione dicendum est, quod gradus supremus, quam infimus in tali casu primò cognoscatur.

Ad hæc ex Pontio dupliciter responderi potest. primò sententiam Scoti esse gradum infimum non esse primo cognitum, posteà quasi verò excludat in eadem prioritate cognosci gradu supremo, sed negatiuè tamen, quatenus neq; supremus neq; vllus alius cognoscendus sit prior illo. Secunda responsio est gradum supremum applicari quidem per eandem applicationem cum gradu infimo, sed eam applicationem inseruire ad ingenerandum conceptum solius infimi, non autem etiam supremi; & ideo in hac via gradus infimus erit primum cognitum etiam positiuè. Quod si quæras cur gradus supremus in maiori distantia applicatus potest causare conceptum sui, non tamen in minori, sed solius infimi gradus? Respondeo quod sicuti infimus natura sua est limitatus ad causandam speciem sui in tanta distantia, & non in maiore: ita supremus potuit esse limitatus, ita vt non nisi in tali distantia sui speciem producere posset, ad quam non posset se extendere infimus.

39

40

Verum neutra responsio satisfacit. Nō prior quia Scotus cum suis in eodem sensu loquitur, cum affirmat primum cognitum esse infimum gradum, ac dum negat esse supremum. atqui si de negatiua primitate, vt ita dicam, loqueretur, licèt pars affirmatiua huius dicti esset vera: negatiua tamen esset falsa, quia de vtroque gradu fuisset æque affirmandum, quod esset primò cognitum negatiuè. ergo &c. Inquo iam nos supra probasse supremum gradum prius, quam infimum debere cognosci, ex quo sequitur infimum neque esse primum negatiuè, neq; positiuè, vt à nobis probatum est.

41

Posterior verò responsio impugnatur ex eo, quia in hac quæstione supponitur gradum infimum, & supremum in ordine ad statum obiectiuum distinctionem aliquam habere, siue ex parte obiecti, siue ex parte actus, ratione cuius possit vnus gradus, & non alius refulgere in intellectu. ergo impossibile est, vt gradus supremus quando applicatur cum infimo, eius applicatio inseruiat ad ingenerandam cognitionem solius infimi. Probatur consequentia, quia licèt realiter loquendo eadem sit applicatio vtriusque gradus, eo quod non distinguntur inter se realiter: accidentia tamen sensibilia, quæ producunt species ad eorum cognitionem producendam inseruientia, differunt inter se; alia enim sunt accidentia repræsentatiua Petri, vt Petri; alia vt hominis: alia vt animalis &c. ergo repugnat, quod applicatio gradus supremi inseruiat ad solius gradus infimi cognitionem ingenerandam, sed summum, ad vtriusque, ita vt primariò ad proprium, hoc est supremum; se-

secundariò verò ad illum, qui proprium includit, hoc est infimum manifestandum ordinetur. Neque paritas, quam vltimo loco affert Pontius procedit; ideo enim gradus infimus non se extendit ad producendam speciem sui in ea distantia, in quà producit sui speciem supremus, quia licèt sit actualior illo, quo ad perfectionem, est tamen minus actualis, quam ille, loquendo de actualitate sensibilitatis, eo quod supremus, vti vidimus, est maximè sensibilis: at ex hoc sequitur, oppositum eo quod infertur ab illo, nimirum quod quoties gradus infimus est in ea distantia, in qua sui speciem producere potest: multo magis pollet ex eadem distantia supremus species sibi proprias producere. Agens enim naturale, quod potest agere in maiori distantia, multo magis poterit in minori, etiam si id quod potest in minori, non possit in maiore, vt de se patet. quare illa paritas nulla est.

DISPVTATIO TRIGESIMA PRIMA

DE VOLVNTATE.

VOluntatis nomine venit potentia quædam appetitiua spiritualis, quæ ductum intellectus in operando requirit. Dicitur primò appetitiua, per quod differt quidem ab intellectu, conuenit autem cum omnibus potentijs appetitiuis, siuè sint purè naturales, cuiusmodi sunt illæ, quibus res inanimes in suum bonum inclinant, vt aqua in frigiditatem, lapis ad centrũ, ignis ad calorem &c. siuè sint sensitiuæ, quæ consequuntur gradum animalis, qualis est illa, qua equus inclinat ad herbam, Leo ad carnes, &c. Dicitur secundò spiritualis; per quod conuenit quidem cum intellectu, differt autem à dictis potentijs appetitiuis, quæ materiales sunt, & substantijs materialibus conueniunt. Dicitur denique, quæ ductum intellectus in operando requirit; quia cum sit potentia cæca, nisi intellectus cognoscendo obiectum præferat illi facem, in actum secundum exire nequit. Vnde est quod rectè post disputationes de intellectu incipiamus cum reliquis de voluntate habere sermonem.

SECTIO PRIMA.

Quod nam sit obiectum formale, & materiale Voluntatis.

1 SVpponerem voluntatem duo actuum genera exercere posse, quidam enim sunt per modum prosequutionis, vt amor, spes, delectatio; quidam verò per modum auersionis, vt odium, timor, mœstitia. quamuis enim si ad nomen ipsum voluntatis attendamus, qui deriuatur à volendo, omnis eius actus tendere debeat in obiectum per modum inclinationis: quia tamen hanc denominationem ab actibus præcipuis sibi vendicat: hinc fit vt præter hos, habeat etiam alios minus præcipuos, qui sunt per modum fugæ, & detestationis. quod non solum experientia ipsa comprobatur, sed etiam ratione; quia sicuti intellectus ex obiectis, quæ cognoscit, quædam proponit voluntati vt amplectenda, alia verò vt fugienda: ita voluntas debuit posse operari vtrumque genus actuum; alioquin non esset recte constituta, nec sufficeret ad rectam gubernationem individui humani. His suppositis sit

2 Prima cõclusio: Obiectum formale voluntatis in ordine ad actus prosequationis est bonum vt bonum: dico, vt bonum, quia quantumuis appareat in obiecto, aliqua ratio mali, sufficit ad mouendam voluntatem, quod appareat etiam ratio boni, siuè demum verè sit in obiecto, siuè tantùm putatiuè. Patet ex Aristotele *primò, ethicis*, vbi ait: Bonum est, quod omnia appetunt.

3 Probatur primò paritate: quia obiectum formale, in quod tendit intellectus per modum assensus, est verum, vt verum, siuè reale siuè putatum. ergo obiectum formale, in quo tendit voluntas per modum prosequutionis, est bonum, vt bonum.

4 Probatur secundò: singula bonorum genera considerando. bonum enim in communi est vel absolutum, vel respectiuum. absolutum est, quod in se integrum, & perfectum est sine ordine ad aliud; respectiuum verò diuiditur in honestum, vtile, & delectabile. sed quoties voluntas aliquem actum prosequutionis exercet circa aliquod obiectum, semper aliquod ex his bonis formaliter respicit. ergo obiectum eius formale in ordine ad huiusmodi actus est bonum, vt bonum. Maior huius supponitur: minor verò probatur: quia voluntas actu prosequutionis vel afficitur erga obiectum propter se, vt quando actu charitatis amo Deum propter se ipsum: vel ordinando illud ad aliud: vt quando mihi amo vinum

aut diuitias, aut cænam opiparã & cætera huiusmodi; sed primum genus horum actuum habet pro obiecto bonum absolutum, quia voluntas sola obiecti perfectione, & integritate mouetur ad illud amore prosequendum. Secundum verò genus habet pro obiecto bonum respectiuum, & siquidem prosequitur virtutem, habet pro motiuo bonum honestum, quod est rectæ rationi consentaneum; si verò diuitias, bonum vtile, quatenus sunt causa boni, si denique Cænam opiparam, bonum delectabile, quod est conueniens appetui sensitiuo. Neque aliquis aliùs actus prosequutionis voluntatis assignabilis est, qui aliquod ex dictis bonis formaliter non attingat; ergo bonum, vt bonum vniuersalissimum, quod hæc omnia sub se continet, rectè pro obiecto formali voluntatis in ordine ad actus prosequutionis assignatur.

5 Obijcies: voluntas nõ potest ferri per modũ prosequutionis in bonum absolutum; ergo male assignatur pro eius obiecto formali bonum vt sic. Antecedens probatur, quia quando ego amo Deum propter se, habeo pro motiuo bonitatem, quatenus est ipsi Deo propria. Idemque dicendum quoties amore amicitiæ amo bonum amici. ergo voluntas nunquã fertur amore prosequutionis in bonum absolutum.

Respondeo negando antecedens; & ad eius probationem dici potest primò, quod licèt bonitas, quæ se habet pro motiuo illius actus prosequutionis cõcipiatur vt propria subiecti quod amore prosequimur: quia tamen non distinguitur realiter ab illo, hinc fit vt censenda sit absoluta, & non respectiua. bonitas enim respectiua dicitur illa, quæ est conformis alteri realiter distincto ab ea re, quæ dicitur bona formaliter, vt patet ex virtute, diuitijs, honoribus, & similibus. Sed melius dicendum videtur secundò, quod sicuti ego amo Deũ propter bonitatem, quam apprehendo in se habere; ita possim apprehendere ipsam bonitatem citra illam absque eo, quod ordinem illam ad ipsum Deum, & consequenter illam sic apprehensam amare. sed sic hæc bonitas est absoluta, & non respectiua. ergo non solum bonum respectiuum, sed etiam absolutum potest esse obiectum formale voluntatis in ordine ad actus prosequutionis.

6 Secunda Conclusio: Obiectũ formale voluntatis in ordine ad actus fugæ est malum, vt malum.

7 Probatur primò paritate quia motiuum formale, in quod tendit intellectus in suum obiectũ permodum dissensus, est falsum, ut tale existimatum. ergo à pari.

8 Secundò singula malorum genera considerãdo; sicuti enim datur duplex bonum, absolutum, & respectiuum; ita & duplex malum illi oppositum, vnum quod est malum in se, vt carentia alicuius rei integrè atque perfectè. Alterum quod est malum alteri, vel ex eo, quod sit contra rectam rationem, vt peccatum; vel ex eo, quod afferat illi molestiam, vt dolor; vel ex eo, quod impediat illi aliquod bonum, vt fortuitus. sed quoties voluntas aliquem actum fugæ exercet, semper aliquod ex his malis formaliter respicit, vt considerãti patet. ergo malum, qua malum, est obiectum formale voluntatis in ordine ad actus fugæ.

Tertia Conclusio: Obiectũ materiale voluntatis est ens vniuersalissimè acceptum, & in amplissima significatione vsurpatum, pro vt cõtinet sub se non solum ens increatum, & omne creatum, sed etiam omne ens abusiuum; siuè reale, cuiusmodi sunt carentiæ suo modo existentes; siuè chimæricum, cuiusmodi sunt ea, quæ obiectiuè tantum in intellectu existere possunt. 9

Probatur: quia omnia, & singula hæc potest attingere voluntas actibus suis, siuè ea appetendo, siuè fugiendo. Vt autem id planiùs intelligatur suppono doctrinã, quam tradit D. T. *primæ secundæ quæst* 8. *art. primo in corp.* vbi sic habet: Cũ omnis inclinatio consequatur aliquã formam: appetitus naturalis consequitur formam in natura existentem; appetitus autem sensitiuus, uel etiam rationalis, qui dicitur voluntas, sequitur formam apprehensam. sicuti igitur id, in quod tendit appetitus naturalis, est bonum existens in re; ita id, in quod tendit appetitus animalis uel voluntas, est bonum apprehensum. Ad hoc igitur, quod voluntas in aliquid tendat, non requiritur, quod sit bonum in rei veritate, sed quod apprehendatur in ratione boni. Hæc S. D. Tum sic: omne illud est obiectum materiale voluntatis, quod potest siuè cum veritate, siuè cum falsitate apprehendi in ratione boni, vel mali. Sed nihil est assignabile sub ratione entis vniuersalissimè accepti, quod non possit sic apprehendi. ergo &c. Minor, & consequentia patent. Maior probatur quia hoc ipso, quod aliquid sub ratione boni, vel mali apprehenditur, iã habet sufficiens motiuum formale respectu voluntatis, per quod terminare valeat suos actus, siuè prosequutionis, siuè auersionis. sed obiectum materiale est id, quod stat sub obiecto formali. ergo &c. Solutio difficultatum, quæ contra ea, quæ à nobis in hac sectione dicta sunt, occurrere possunt, ex ijs, quæ in duabus sequentibus sectionibus dicentur, facile apparebit. 10

SECTIO SECVNDA.

An voluntas possit amare malum qua malum, & odisse bonum vt bonum.

11 CONclusio est negatiua contra Nominales, & nonnullos alios, qui affirmatiuam sententiam sustinent. Oppositũ tamen docent communiter doctores, qui pro se citant *illud D. Dionysij lib. de diuinis nominibus*: *nemo intendens in malum operatur*. *intentio enim importat desiderium efficax voluntatis*, atque adeò inclinationem, & amorem erga obiectum.

12 Probatur autem primò ex fine, quem habuit natura in dando, substantiæ intellectiuæ potentiam volitiuam, qui fuit vt se conseruaret, & eam perficeret per hoc, quod inclinaret ad ea, quæ sibi conuenientia erant, & auerteretur ab ijs, quæ sibi erãt nociua. Vnde potentiæ exequtiuæ

ad

ad conſequutionem obiecti, ad quod eſſet inclinata, & ad fugam obiecti, à quo eſſet morſo ſe accingeret. Sed ſi voluntas poſſet amare malum, qua malum, & odiſſe bonum qua bonum: fruſtrarentur dicta fine naturæ, & malæ ſubſtantiæ rationali foiſſet penitus; nam ſic inclinaret ad ea, quæ ſibi eſſent nociua, & auerteretur ab ijs, quæ ſibi conuenientia ſperent; atque adeo pernicies exequutiua ad permixtionem, & interitum ſubſtantiæ, cuius ſua propriè, operaretur; ergo &c.

13 Probatur ſecundò: Appetitus innatus rerum inanimatarum non poteſt per ſe inclinare in malum illarum, nec fugere earum bonum. nunquam enim vidimus lapidem naturaliter inclinare ad motum ſurſum, recedendo à centro; nec aquam ad calorem abhorrendo frigiditatē &c. idemque dicendum de appetitu ſenſitiuo animalium; nunquā enim vidimus aliquod animal inclinare ad verbera ſubeunda, vel auertere ſe à cibo ſibi propoſito, quando fameſcit. ergo à pari neque voluntas poterit inclinare ad id, quod ſibi ab intellectu proponitur vt malū, aut fugere id, quod ſibi ab eodem repræſentatur vt bonum. Probatur conſequentia; nam quod præſtat appetitus naturalis rebus inſenſibilibus, & ſenſitiuus brutis: hoc voluntas ſubſtantijs intellectualibus; diſcrimen enim ſolum eſt in eo, quod res inſenſibiles mouentur abſque eo, quod præcognoſcant bonum, ad quod inclinant, & malum quod fugiunt: contra vero animantia, illud præcognoſcendo, ſed cum omnimoda determinatione; quia non habent prædominium in ſuos actus. At vero ſubſtantiæ rationales, præcognoſcendo bonum, & malum, cum hoc quod habeant in poteſtate ſua proprias inclinationes, & auerſiones, ita vt non ſolum ſint neceſſitate ament bonum, & fugiant malum; ſed etiam quoties obiectum aliquod ſub ratione boni vnius generis, & ſub ratione mali alterius generis, V. G. ſub ratione boni phyſici, & ſub ratione mali moralis repræſentatur, poſſint pro ſuo libito proſequi illud propter rationem boni, quæ in eo apparet, vel ab illo fugere propter rationem mali, quam continet. Quod autem non habeant prædominium ſuorum actuum quantum ad hoc, quod amare valeant obiectum quatenus malū eſt, nec odio habere illud, quatenus bonum, conſtare poteſt Primò experientia; nam quoties inducimur ab alijs ad aliquod obiectum amandum, dicere ſolemus; nos nullam rationem boni, & appetibilitatis in eo cernere. ſi igitur voluntas non poteſt inclinare ad id, quod non repræſentatur vt bonū, multo minus poterit in id, quod ei proponitur vt malum. Secundò quia non aliter inclinat voluntas in obiectum, niſi ex eo, quod alliciatur ab illo, neque alio modo ab eo auertitur niſi per hoc, quod repellatur. ſed non poteſt allici à malitia cognita vt mali, neque repelli à bonitate, quæ talis repræſentatur. ergo &c. Tertiò denique quia voluntas non poteſt pro ſua libertate imperare intellectui, vt aſſentiatur falſo cognito vt falſo; & diſſentiatur à vero cognito vt vero. ergo neque pro ſua libito poterit amare malum, qua malum eſt, nec odio habere bonum, qua bonum eſt; cum quo nihilominus ſtat eam poſſe amare id, quod reuera malum eſt, ſed ſub ratione boni repræſentatum, ad cum planè modū, quo intellectus poteſt aſſentiri falſo cognito vt vero, & diſſentiri à vero cognito vt falſo.

14 Obijcies primò: poteſt quis velle inimico mortem, infamiam, & ſimilia mala ex eo præciſè, quia ſunt illi mala; ergo poteſt voluntas amare malum, qua malum. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ita vt illa mala amentur inimico quatenus apprehendantur cedere in bonum amantis, concedo: ita vt nullo modo apprehendantur cedere in bonum amantis, nego antecedens, & conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia id, quod eſt malum inimici, apprehenditur ab intellectu vt bonum proprium, & ſic amatur à voluntate.

15 Inſtabis: quando quis amat mortē Petri præciſè, quia eſt ſibi bona propter hæreditatem V. G. capiendam, vel quid ſimile, non cenſetur odio habere Petrum. ergo non conſiſtit ratio odij in diſiderando malum inimico, quatenus eſt bonum deſideranti, ſed præciſè quatenus eſt malum ipſi inimico. voluntas igitur poterit amare malum qua malum.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, diſtinguendo primum conſequens: non conſiſtit ratio odij in deſiderando malum inimico, quatenus eſt bonum deſideranti præciſè, concedo; eo quod non debet concipi, vt bonum deſideranti, nego primam, & ſecundam conſequentiam. Et dico ad rationem odij non ſufficere deſiderare malum alicui præciſè, quatenus eſt bonum deſideranti, ſed præterea requiri vt tale malū amentur perſonæ ex diſplicentia ipſius perſonæ, ita ut ſi illi malū non eſſet, non apprehenderetur vt bonum ipſi deſideranti malum illud; Quoniā verò hoc non habet ille actus quo filius amat Patris mortem propter hæreditatem capeſſendam; quia etiam ſi mors eſſet bona Patri, nihilominus illi eā amaret; ideò dictus actus non habet rationem odij, ſed concupiſcentiæ, quo ſibi filius bonum hæreditatis deſiderat.

16 Obijcies ſecundò; poteſt quis ex odio, quo ſe ipſum odit, procurare ſibi mortem. ſed in hoc caſu voluntas mortem non poteſt amare vt ſibi bonam; alioqui homo non ſe odio haberet. ergo amabit illam formaliter vt malam. Reſpondeo ad antecedens: nunquam aliquem poſſe in propria perſona adæquatè ſibi diſplicere propter aliquam rationem, quin etiam propter aliam vltimo in ea ſibi complaceat. quare quando in ſe deſeuiens, mortem vt ſibi malam infert, vltimo mouetur ex eo, quia apprehendit illam vt ſibi bonam; quatenus à miſerijs, quibus premitur, eius beneficio liberatur. Et in hoc aſſimilatus eſt, qui ex odio, quo alium odit, deſiderat illi malum; licet quatenus ex diſplicentia propriæ perſonæ mortem ſibi conſciſcit, ſit ſimilis illi, qui odio habetur.

17 Obijcies tertiò: non poteſt aſſignari implicentia in eo, quod quis cognoſcens aliquid vt malum, ad exercendam ſuam libertatem illud amore proſequatur. ergo &c. Reſpondeo primò negando antecedens, quia voluntas non habet

Digitized by Google

libertatem, etc. ... obiectum ... bonum ... quod ... bonum ... consequutionem ... quod ... bonum ... consequutionem ... negando consequentiam ... quia ... apprehenderetur aliqua ratio boni ... quae ... 17 ... quod existimo ... Milanenses ... tenuimus ... libertatis humanae ... malum ... 18 ... malum ... malum ... quia obiectum formaliter ... quod ... consequutionis ... specialiter respicit ... est: ... sed ... ergo &c. Maior patet: ... non ... quia ... quae ... ipsum ... 21 ... indigna ... esse ... quae ... quia ... gratia ... propter ... respondeo ... concessa maiore, negando minorem ... sed ... assumptum ... quia ... propter bonitatem ... in eius ... quando ... ipsum propter ... in utroque ... amoris ... bonitatem ... transeundum. Verùm quidem ... hominem ... quia ... quae ... quia ... 19 ... Ad posteriorem ... dico, quod ... bonitatis ... bonitatem ... quia ... quae ... 17 ... Obiicitur ... 20 Praesens quaestio ... versatur vt videamus num actus odij V. G. Paupertatis, aegritudinis, & similium malorum, sit necessariò prosequutio carentiæ illorū, ideoque sit formaliter amor carentiæ; dicatur verò odiū respectiuè ad formā positiuā oppositā, cuius contradictorium amatur: an verò possit dari actus odij, qui totaliter occupetur in auersione, & refugientia à malo.

Conclusio est affirmatiua. Dico enim voluntatem nostrā posse elicere aliquos actus qui non solū de materiali sint per modum fugæ, & detestationis, sed etiam de formali, ita vt ne ratione quidē motiui formalis sint per modū prosequutionis, & amoris. Est contra nonnullos Recentiores, qui negant dari posse actū voluntatis, qui sit mera fugā, sed omnes saltem ratione motiui formalis putant esse prosequutionis. Nostra tamen sententia est D. T. *prima secundæ quæst. 8. art. primo ad primum, & quæst. 29. art. primo corp.* quem sequuntur de Lugo *de pœnit. disput. prima sect. 2.* Arriaga *in primā secundæ tom. primo disput. 29. sect. 2. subsect. prima, & tom. de pœnit. disput. tertia sect. tertia.* 21

Probatur primò Conclusio; & quidem quod dentur actus voluntatis, qui materialiter considerati sint per modum fugæ tantum, & non etiā prosequutionis, experientia ipsa comprobatur. constat enim me posse odio habere vnum obiectum, absque eo quod amem simul aliud obiectū, quemadmodū possum negare de Petro, quod sit equus, absque eo quod dicam eodē affirmem aliquid V. G. quod sit animal, vel rationale &c. 22

Quod verò dari etiā possit aliquis actus voluntatis, qui non solum de materiali, sed etiā de formali sit meræ fugæ, suadetur ex eo, quia licèt vt plurimum voluntas ab odio habendum malū moueatur à bono, quod amore prosequitur: id tamen non est simpliciter necessariū: nam sicuti bonum præcisè, quia bonum est, potest ad se mouere voluntatem: ita malum præcisè quia malū est, potest illam à se repellere. 23

Probatur secundò destruendo fundamentum aduersariorum: nam in tantum illi dicunt odiū non esse meram fugā, quia est formaliter, & essentialiter amor carentiæ rei, quæ odio habetur. sed hoc esse falsū suadetur multiplicitèr. Primò quidem à pari, quia amor non est formaliter, & essentialiter odium carentiæ rei, quæ amatur: ergo neque odium est formaliter, & essentialiter amor carētiæ rei, quæ odio habetur. Secundò experientia; quādo enim quis odio rem aliquā habet, nihil sepè de eius carentia cogitat; sed præcisè quia res illa est sibi molesta, ab ea auertitur: dato autem quod dicta carentia in mentem sibi veniat, non potest assignari ratio cur illā apprehendat homo bonā nisi quia experitur prius est rem, cuius est carentia, sibi esse nociuam: ergo primus actus odij iā fuit meræ fugæ illius mali positiui V. G. Doloris, paupertatis &c. & nullo modo prosequutio, carētiæ illius. Tertiò ratione à priori: quia licèt possim ego ex bonitate, quam in aliquo obiecto diligo, moueri formaliter ad odio habendū illius contradictorium, & sic odio habere carentiam lucis V. G. propter bonitatē, quā in ipsa luce diligo. Hoc tamen non requiritur essentialiter ad exercendū odium: eo quod potest aliquid præsertim si est positiuū, ab intellectu proponi voluntati tanquā malū per se ipsū, sicuti multa

Digitized by Google

multa proponitur vt sectanda bona. Vnde quemadmodum voluntas potest respectu horũ exercere amorem, qui sit mera prosequutio, ita respectu illorum potest exercere odium, quod sit mera fuga. Quod si dicas intellectum semper implicite de carentia mali proposita cogitare, & ideò voluntatem semper ex amore carentiæ induci ad malum illud fugiendum. Dicam ego eundem intellectum semper in propositione boni, eius carentiam volubtati repræsentare, & ideò non dari actum meræ prosequutionis, qui non sit simul fugæ; cum igitur hoc patear, quàm sit absurdum, videtur consequenter dicendum posse dari in voluntate nullam fugam mali sibi proposti ab intellectu, quæ neque de materiali, neque de formali sit permodum prosequutionis illius obiecti, quod contradictorie opponitur illi malo.

25 Obijcies: primò non potest homo erumpere in actum odij circa obiectum, quod sibi repræsentatur vt malum, nisi ex amore, quo se ipsum diligit; ergo semper actus odij saltem de formali est permodum prosequutionis. Consequentia patet; antecedens probatur, quia nõ potest assignari cur idem malum homo amet inimico, sibi verò odio habeat, nisi quia se ipsum amat, & inimicum odit: ergo sicuti respectu inimici amor mali est formaliter fuga ab inimico, ita odium mali sui erit formaliter prosequutio sui ipsius.

Respondent aliqui primo, concedendo totũ argumentum; dicunt enim, quod quando quæritur: num possit dari actus in voluntate, qui sit mera fuga; quæstio non procedit in ordine ad subiectum, respectu cuius malum odio habetur, cum certum sit nos ex eius amore moueri ad malum illud odio habendũ; sed procedit in ordine ad contradictorium dicti mali V.G. num quando quis odit sibi ægritudinem, hoc faciat amando sibi eius carentiã. Sed contra est, quia hoc ipso quod conceditur semper actum odij habere promotiuo formali aliquod in quo voluntas tendat permodũ prosequutionis, iam negatur dari posse in voluntate odium, quod sit pura fuga; hæc enim æquè à sua puritate cadit, siue odium sit permodum prosequutionis subiecti, siue cõtradictorij obiecti, à quo refugit.

26 Melius: ergo respondendũ videtur, negando antecedens: & ad eius probationem concesso antecedente, ad consequentiã dicendo, quod quêadmodum intellectus duplex genus boni repræsentare potest voluntati: Vnũ respectiuè ad subiectum, cuiusmodi est honor, sanitas &c. alterum secundum se, cuiusmodi est Deus, vel propria natura &c. ita, & duplex genus mali: quoddã respectiuum, vt ægritudo, quoddam verò secundum se, vt negatio Dei, negatio sui &c. Quamuis autem non possit voluntas erumpere in actũ odij erga malum respectiuum, nisi ex amore subiecti, respectu cuius illud esse malum apprehenditur; potest tamen erumpere in actum odij erga malum secundum se, absque eo quod id faciat ex amore alicuius. quemadmodũ enim quia Deus repræsentatur vt in se formaliter bonus, potest diligi, & non ex amore diligentis, aliàs non amaretur amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, quatenus esset bonus amanto: ita negatio Dei quando repræsentatur voluntati vt in se formaliter mala, nõ est cur non possit absque eo quod ex amore diligẽtis prouenat odio haberi.

Instabis: negatio mali secundum se totã malitiã sumit ex bonitate sui contradictorij; ergo licèt possit homo odio habere negationem Dei non allectus bonitate sui ipsius: non tamen absque eo quod bonitate Dei allicitur. 27

Respondeo, me admisisse negationem Dei in exemplũ doctrinæ traditæ de odio mali, absque eo quod fiat ex amore personæ odio habentis. Quamuis autem posset odio haberi carentiam Dei, absque eo quod amenta eius bonitas, eo quod hæc se habeat vt merum specificatiuum malitiæ, quæ in negatione illa concipitur: de hoc tamen non curo, & affero pro exemplo mali secundũ se hominem V.G. Petrum, in quo potest Paulus odio inimicitiæ sibi displicere, absque eo quod apprehendat illum vt malũ sibi; ad eum planè modũ quo potest sibi complacere in Ioanne, eũ propter se diligendo, absque eo quod illum tanquam bonum proprium amet.

Obijcies secundò odio habere aliquid est appetitum ab illo disiungi, sed hoc importat amorem illius disiunctionis. ergo iam odium est permodũ prosequutionis; Respondeo concessa maiore, negando minorẽ; aliud enim est velle disiungi ab obiecto: aliud verò refugere ab illo. In primo enim casu voluntas complacet sibi in carentia obiecti; in secundò verò sibi tantũmodo in eius malitia displicet. 28

Obijcies tertiò; omne odium ex amore procedit, in quo sensu dixit Augustinus *lib. 4. de ciuit. cap. 7.* Omnes affectiones causari ex amore tanquam ex prima radice; nec non etiam D. T. *prima secundæ*: Malum, inquiens, non agere nisi in virtute boni. ergo odiũ nunquã est per modum meræ fugæ. Respondeo, antecedens verũ esse de pronitate, & potentialitate cõporis, quæ est inter actum amoris & odij; quatenus natura nostra primò se ipsam amat, & id quod sibi placet: postea verò odio habet quod sibi displicet; & in hoc sensu explicandi sunt D. Augustinus, & D. T. quod scilicet præsuppositiuè loquantur; nisi quis dicat eos loqui regulariter, eo quod natura nostra sibi relicta, si non facit sibi vim, bonum suum tanquam finem omnium suarum affectionum, & operationum, semper intendit, & se ipsam in omnibus quærit. 29

Obijcies quartò: omne iudicium intellectus est affirmatiuum. licèt aliquando explicetur per modum negatiui. ergo omnis actus voluntatis est per modum prosequutionis, licet aliquis explicetur permodum fugæ. Consequentia patet ex constat. Antecedens probatur, si quod iudicium esset negatiuum, maximè hoc (Homo non est equus) sed hoc est affirmatiuum; nam habet pro obiecto negationem significatam per particulam (non) quam certum est, quod affirmet, & non neget; ergo &c. 30

Respondeo ab omnibus negandum esse antecedens; experientia enim constat, intellectũ nostrum in iudicando dupliciter se habere; vel enim affirmat rem ita esse, vel negat. Quod enim

Digitized by Google

dicunt aliqui iudiciũ, quo negatur aliquid V. Gi lux, esse affirmatiuum eatentiæ eiusdem lucis : euidenter de falsitate conuincitur ; quia sic dici posset iudicium quoque affirmatiuum lucis esse negatiuum eatentiæ eiusdem, quod nemo concedet. Ad probationem antecedentis Respondet aliqui iudiciũ, quo dico (Homo nõ est equus) esse quidem negatiuum, sed negant habere pro obiecto negationem significatam per particulam (non) tanquam de subiecto non supponente; putant enim obiectum esse hominem, & equm ; negationem verò illam se tenere ex parte intellectus per actum dissensus ab obiecto illo refugientis. ita de Lugo, & Arriaga *locis supra citatis*.

31 Sed contra hanc responsionem facit ; quia à parte rei non solum habetur homo, & equus sed habetur homo cũ negatione identitatis cum equo, seu distinctus ab equo, sed hæc negatio identitatis, seu distinctio rectè potest exprimi per particulam (non) à propositione illa mentali ; ergo falsum est quod dicta propositio non habeat pro obiecto negationem identitatis ; sed importet solum fugam, & recessum intellectualem ab illo collato ex homine, & equo. Maior

8: & consequentia videntur certa ; minor verò suadetur, quia negatio identitatis cum equo dupliciter in homine concipi potest : primò positiuè cum aliquo esse abusiuo, vt cum dico homo habet negationem equi. secundò negatiuè quatenus negat tantum id, cuius est entitas ; sed hoc posteriori modo si exprimatur negatio equi in homine per aliquod iudicium, non aliter exprimi potest quam per illud (non.) contentum in hac propositione (Homo non est equus) ergo hæc negatio rectè in ea exprimitur per dictam particulam : Quemadmodum ergo male quis diceret per propositionem, qua negat hominem esse equum, se non attingere equũ, sed solum hominem ex parte tamen intellectus, & modi tendendi illius negare de homine equum : ita & in casu nostro male dicunt aduersarij per eandem propositionem se non cognoscere negationem identitatis, quæ est inter hominem, & equum, sed eam negationem se tenere solum ex parte actus, & modi tendendi per fugam potentiæ intellectiuæ ab illo collato ex homine, & equo.

32 Melius ergo respondendum videtur, iudicium quo dico Homo non est equus esse merè negatiuum, & habere pro obiecto negationem equi ; sed addendum, hanc negationem neque affirmatiuè neque negatiuè quod, per illud iudicium, quia non se habet vt prædicatum, sed solum negati vt quo, quatenus exprimitur, dum de homine negatur equus quod vt melius intelligatur aduerto magnum esse discrimen inter conformitatem, quam debet habere iudicium cum negatione illa, & affirmationem qua eam affirmare debet. ad conformitatem satis est, si eam exprimat vt tenentem ex parte copulæ, & non propositionis extremi inuicem distingentemque quoad identitatem.

33 Ad affirmationem verò requiritur vt illud tanquam prædicatum respiciat, eique subiecto inesse asserat. iam verò vt iudicium illud (Homo non est equus) neget vt quo negationem identitatis explicatam per particulam (non) necesse non est vt eam affirmet, se sufficit si illam exprimat, ad eum plane modum, quo debet exprimere hominem absq; eo quod illum affirmet vel neget, licet pro quo tendendi se illi conformare debeat pro vt est à parte rei.

Obijcies quidam affert duo inconuenientia contra 34 modò tradita doctrinam : iudicium quo dico (Homo nõ est equus) debet habere pro motiuo formali aliquid, sed hoc non potest esse identitas extremorum, quia hæc mouet ad affirmationem. ergo erit negatio identitatis. sed motiuum formale debet attingi per assensum ; quia ex eius admissione inducitur intellectus ad negandum : ergo iudicium negatiuum saltem ratione motiui formalis est affirmatiuum ; igitur à pari etiam odium de formali erit prosequutio.

Respondeo Lugo *loco citato nu.* 19. Concesso integro discursu, negando vltimam consequentiam. Rationem disparitatis dicit esse ; quia voluntas non approbat, nec proponit sibi motiuum suprum actuum, nec expectat illud approbatum ; vbique proponitur ab intellectu, & ideo propositam malitiam non debet sibi approbare, & per modum prosequutionis in illam tendere ; at verò intellectum suum sibi proponere debet motiuum, quare debet illud approbare. sed approbatio fit per assensum. non est ergo mirum, si in negationem illam identitatis feratur per assensum.

Sed contra hanc responsionem facit ; quia, 35 quemadmodum voluntas expectat finem formale motiuum odij, vt sibi propositum, & approbatum à iudicio : ita iudicium expectat finem formale motiuum suæ propositionis negatiuæ, vt sibi propositum, & approbatum à præuijs apprehensionibus, ex vi quarum intellectus ad iudicium illud negatiuum determinatur. ergo sicuti voluntatis odium est non solum de materiali, sed etiã de formali per modũ fugæ, quia motiuũ sub accipit per sibi propositũ à iudicio : ita iudicij negatiuum quo dico (Homo non est lapis) debet esse tum de materiali tum de formali purè dissensus propter eandem rationem. Neque dicas disparitatem esse in eo, quod potẽtia, quæ proponit, & approbat voluntati finem motiuum est intellectus, quæ ab ipsa voluntate distinguitur ; at verò potentia, quæ approbat motiuum formale per apprehensionem intellectui iudicandi, est eadem cum ipso intellectu. Ne id dicas inquam, quia licet hoc verum sit : nil tamen refert. nam tota ratio disparitatis à Cardinali adducta fundatur in eo, quod odium non approbat finem motiuum formale, quia inuenit illud approbatum per iudicium. sed iam iudicium negatiuum accipit suum, vt approbatum ab apprehensionibus precedentibus. ergo neq; iudicium debet approbare illud. Quod autem eadem sit potentia iudicatiua, & apprehensiua potius faueat, quam obest impugnationi : adducta nanq; approbatio motiui formalis ab vna potentia sufficit, vt alia potentia operetur propter tale motiuum, absque eo quod illud approbet, multo magis sufficiet approbatio facta ab eadem potentia ad similiter operandum.

Melius

36 Melius ergo respondendum videtur ad obiectionem, concesso integro syllogismo, quo concluditur motiuum formale saltem proximum actus, quo dico (Homo non est Equus), esse negationem identitatis, quæ est inter hominem, & Equum; sed negandum sublumptum, nimirum hoc motiuum formale debere attingi per assensum. Aio enim, quod licèt quando negatio identitatis, quæ est motiuum formale dissensus concipitur vt eos abusiuum, & ad modum alicuius positiui, debeat hoc modo attingi; vt cum dico (homo non est Equus quia distinguitur ab illo, vel quia illum à se excludit) at si concipiatur vt est in se, id non est necesse, sed potest per merum dissensum attingi. Ad rationem verò in contrarium, quæ erat: quod ex eius admissione intellectus ad negandum Equum de homine inducatur, dico dupliciter intelligi posse, quod eam negationem intellectus admittat. primò affirmando illam, & hoc non requiritur, imò putarem esse impossibile posito, quod agnoscatur secundum se. secundò conformando se cum illa, & hoc est verissimum. verum ad hanc conformitatem habendam sufficit si dum cognosco omnia prædicata V.G. hominis, aduertam non esse lapidem & ex hoc præcisè erumpam in

37 illam propositionem (Homò non est lapis.)

Instabis: hoc ipsum esse me affirmare negationem identitatis hominis cum lapide, quia iam nosco negationem; sed illam non nego; ergo affirmo.

Respondeo negando assumptum; & ad probationem in contrarium distinguo maiorem: iam nosco negationem positiuè, nego: negatiuè, concedo positiuè eam cognoscere, est illam attingere vt quid reale abusiuum: negatiuè verò, nihil aliud importat, quam non cognoscere inter prædicata hominis lapidem, cuius est negatio. Deinde concessa minore, nego consequentiam. addico negationem ignitam negatiuè non esse capacem terminandi neq; affirmatiuam neque negatiuam cognitionem, quæ sit ad ipsam; sed solum terminandi cognitionem, quæ neget terminum positiuum à se exclusum, per hoc quod dicat: Homo non est lapis; eo quod non videat inter eius prædicata rationem lapidis. Quod si interroges vlteriùs motiuum huius actus, quatenus negatiuus est: dicam illud ex se notum esse, & ex terminis suis, sicuti notum est, quod lux non est tenebra; vnde constat non esse recurrendum ad aliquam affirmationem aut negationem, quæ ad carentiam identitatis cum lapide existentem in homine terminetur.

Subinstabis: si ideo dico, Homo non est Equus, quia non video equinitatem in homine, ergo motiuum formale illius dissensus erit meum non videre; sed hoc non nego. ergo affirmo. *Respondeo* concesso antecedente, negando consequentiam. quemadmodum enim ideo dicimus hominem esse risibilem, quia cognoscimus illum esse rationalem, & tamen non putamus, cognitionem rationalis ingredi vt motiuum assentiendi, sed dicimus esse solum applicatiuum; ita & in casu nostro meum non videre. 38

DISPVTATIO TRIGESIMA SECVNDA

DE DEPENDENTIA QVAM HABET VOLVNTAS in operando à Cognitione.

Certum est, vt rectè probat Vasques 1. 2. *disput. 36. cap. 5.* voluntatem non moueri ad exercendas suas operationes, ab intellectu in genere causæ efficientis, quasi verò intellectualibus cognitionibus indigeat tanquam comprincipijs physicis prosequutionum, & auersionum suarum. non enim est assignabilis ratio, cur ipsa voluntas nequeat habere rationem causæ adæquatæ in ordine ad eos actus producendos; in tantum enim intellectu indiget concursu obiectiuo à speciebus intelligibilibus immediatè procedente, in quantum debet per suos actus, quasi per prolem exprimere obiecta, quorum semina, atque vicarias censentur species: at verò voluntatis actus non sunt per modum expressionis obiecti; quare non est cur non possint adæquatè ab illa procedere. Præter hanc communem rationem aliam ad idem probandum assignat Oniedus *controu. 8. de anim. par. 2. num. 2.* quia, ioquit, cum voluntas, sit potentia libera, non indiget determinari actiue, aliàs amitteret libertatem. Verum hæc ratio non procedit. posset enim respondere aliquis, quod etiam si cognitio ad actus voluntatis efficienter concurreret: non tamen illam determinaret; quia eius potestati, & imperio in præstando suo influxu se subijceret. quemadmodum habitus ipsius voluntatis, necnon etiam ipsa Dei omnipotentia, quæ licèt vna cum voluntate in suos actus influant; quia tamen hoc præstant pro vt determinantur ab illa, eius libertati minimè obsunt. fiet igitur ad rectè concludendum actus voluntatis non pendere efficienter physicè ab actibus

bus intellectus sufficere argumentum negatiuum, quod nullam habeamus necessitatem. Addo nec signũ aliquod huius influxus esse. Quod si Verbum in diuinis verè spiritum sanctum producit, hoc facit per voluntatem, & per naturam fœcundam, quam habet á Patre. & sic lata est disparitas inter Verbum diuinum, & creatum. Hoc supposito quærimus in præsentia an alio modo actus voluntatis à cognitione dependeat.

SECTIO PRIMA.

An voluntas possit sine præuia cognitione intellectus operari.

1 CONclusio est negatiua. Puto enim, quod non solum de facto, sed etiam de possibili id repugnet, ita vt neque per absolutam Dei potentiam contingere valeat. Est sententia communis, quam defendunt Hurtado *disput. 14. sect. 4.* & Arriaga *disput. 7. sect. 4.* sequuti Vasquez *prima secundæ disput. 35. cap. 2 & 3.* qui eam probat auctoritate *S. T. 1. 2. q. 1. art. 1. &* S. August. *lib. 8 de Trinitate cap. 4. & lib. 10. cap. 2* docentis voluntatem non posse ferri in incognitum. Contra quod sibi obijciens, quod voluntas aliquando scire desiderat incognitum: sic S. Doctor respondet: intelligendum est nõ hoc idem dici, cum dicit: amat scire incognita, ac si diceretur, amat incognita; vt autem amet incognita, non potest. non enim frustra ibi est positum scire. quoniam qui scire amat incognita, non ipsa incognita, sed ipsum scire amat. quibus verbis ostenditur non posse voluntatem ferri in incognitum. Est tamen primo nostra conclusio contra Bonauenturam *secundo to. opuscul. tract. de myst. Theolog. q. vnica*, Gersonem *Alphab. 66. littera O.* existimantes posse de facto in hac vita dari non solum aliquam, sed etiam perfectissimam voluntatis operationem, nimirum amoris, qua voluntas affectu quodam ardentissimo feratur in Deum sine vlla intellectus operatione; Est etiam secundo contra eos, qui licet id connaturaliter posse fieri negent: putant tamen de potentia Dei absoluta non repugnare; non quod putent sensitiuam aliquam cognitionem ad id sufficere; rectè enim aduertit Vasquez *loco cit. nu. 17* neminem docuisse voluntatem ferri in obiectũ cognitum quin existimaret illud debere esse cognitum notitia intellectiua. sed quia sibi suadent sufficere, quod Deus cognoscat obiectum, & ad illud voluntatem nostram inducat, vel amandum, vel odio habendum. ita Oniedus *contr. 8. de anim. punct. 3. num. 3.* pro se citans Argentinam, Paludanum, Granadum, & Conimbricenses. in eadem etiam est sententia Comptonus *de anima disput. 23. sect. 4.*

2 Probatur autem assertio primò contra eos, qui id de facto connaturaliter contingere posse tuentur, communi illo proloquio omnium sapientum suffragio comprobato: Nil volitum, quin præcognitum. Neque dicas id verum esse loquendo de hominibus naturali modo operantibus: quia gratia non destruit naturam, sed eam perficit; aliàs posset homo aduertere se esse in gratia, dum dicunt Aduersarij apud Vasquez hunc modum operandi voluntatis nulla alia ratione melius, quam experimento comprobari posse. Sed in hoc ipso conuincuntur falsitatis, quia non possunt hanc experientiam affirmare, nisi illius memoriam habeant. cum autem memoria sit rerum antea cognitarum recordatio, constat, quod quando dicunt se tam ardenter Deum amasse, tunc vel Deum vt reflexè amatum, vel Deum secundum se vt summum bonum cognoscebant. si secundum; habemus intentum: sin autem primum, sic insurgo. Ratio, quam assignat Aduersarius cur Deus sine vlla cognitione perfectissime ametur est, quia cognitio impedit ne voluntas totis viribus feratur in Deũ sed hæc ratio cessat in cognitione reflexiua Dei; nam sicut directa antecedens amorem, illum impediret: ita reflexa eundem subsequens, non enim potest assignari in hoc dispar ratio. sed non impedit per Aduersarios; ergo &c.

3 Probatur secundò Conclusio contra illos, qui dicunt saltem de potentia Dei absoluta id contingere posse, sic: voluntas habet omnimodam, & indispensabilem necessitatem cognitionis obiecti, quod amare, vel odio habere debet. ergo neque de potentia absoluta potest sine præuia cognitione intellectus operari, illud amando, vel odio habendo. Consequentia patet; antecedens verò dupliciter viam ineundo suaderi potest; prima est probando, quod ipsa cognitio se habeat ex parte rationis formalis obiecti voluntatis; secunda verò quod licèt non se teneat ex parte rationis formalis obiectiuæ: se tamen teneat ex parte modi tendendi ipsius potentiæ volitiuæ. vtrumuis enim dicatur constat necessitatem, quam habet voluntas cognitionis proprij obiecti vt circa illud operetur, indispensabilem esse; siquidem æque implicat potentiam aliquam ferri extra suum obiectum formale, ac mutare proprium, & intrinsecum modum tendendi in suum obiectum. vnde est quod D. T. 2. 2. q. 1. *art. 6.* specialem modum tendendi habitus appellet rationem formalem se tenentem ex parte ipsius habitus, quatenus hic non solum specificatur à suo obiecto formali, sed etiam à suo peculiari modo tendendi in ipsum.

4 Suadetur ergo illud antecedens in prima via, quia dupliciter intelligi potest quod cognitio se teneat ex parte rationis formalis obiecti voluntatis. primò quod ipsa entitas cognitionis, quæ denominat obiectum cognitũ, & appellatur à Logicis conceptus formalis, sit motiuum voluntatis; & hoc est falsum, vt diximus in physicis, cum de causa finali. secundò, quod ipsum esse obiectiuum, quod habet in intellectu obiectum, non quomodocũque acceptum, sed prout passiue repræsentatur ab intellectu, sit ratio formalis voluntatis, & in hoc sensu verissimum est, quod cognitio ad rationem formalem potentiæ volitiuæ essen-

Digitized by Google

sentialiter pertineat: si quidem bonitas rei, quæ diligitur, non mouet voluntatem secundùm esse, quod realiter habet, sed secundum quod habetur in intellectu. Vnde sic argumentor: Illud quod pertinet ad vltimam constitutionem motiui formalis voluntatis, se tenet ex parte obiecti formalis illius. Sed cognitio obiecti pertinet ad vltimam constitutionem motiui formalis ipsius voluntatis, ergo &c. Maior, & consequentia videntur certa: minor probatur, quia motiuum formale voluntatis per modum prosequutionis est bonitas obiecti: sed hanc non esse vltimo constitutam in ratione motiui formalis, nisi beneficio cognitionis patet, quia licèt verè sit in obiecto, non tamen est apta mouere, nisi pro vt ab intellectu voluntati representatur; quam representationem passiuè sumptam non se habere vt meram conditionem & aplicationem obiecti respectu ipsius voluntatis suadetur ex eo, quia est tota ratio, cur voluntas rei representatæ assentiatur: res enim quamuis in se sit mala, si tamen representetur vt bona, est apta ad sui amorem voluntatem mouere. contrà verò etiam si in se bona sit, si tamen voluntati representetur vt mala, tunc euadet apta mouere illam ad odium, & non ad amorem. Hoc autem, si cognitio esset mera conditio, præstare non posset, vt patet ex approximatione agentis ad passum, quæ quia est conditio, non valet conferre ipsi agenti virtutem operatiuam, sed illam in eo supponit, nec ab ea dependet agens vt modò producat calorem, modò frigus: sicuti obiectum quod proponitur a cognitione, habet vt modò ad sui amorem, modò verò ad odium voluntatem moueat. cum igitur bonitas, & malitia obiecti non sint vltimo constituta in ratione motiui formalis voluntatis in ordine ad amorem, vel odium: rectè deducitur cognitionem ad earum vltimam constitutionem pertinere, non quidem in ratione representationis actiuè sumptæ: sed possiuè se tenentis ex parte ipsius obiecti, vt dicebamus.

5 Dices cum Quiedo *num.* 10. etiam si concedamus cognitionem pertinere ad obiectum formale voluntatis; non sequitur non posse diuinitùs voluntatem amare obiectum sine actuali cognitione illius: ergo ratio adducta non est solida. Antecedens probatur exemplo coloris, qui licèt sit ratio formalis obiectiua terminans visionem: nihilominus potest diuinitùs videri color non existens, & terminari visio ad illum non existentem. non est igitur cur etiam terminari non possit diuinitùs amor ad cognitionem non existentem. Respondeo, negando antecedens, ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas lata est, quia aliter mouet color potentiam visiuam ad visionem sui, ac bonitas potentiam volitiuam ad sui amorem. ille mouet physicè immutando oculum per productionem specierum; hæc verò moraliter alliciendo voluntatem ad se. Quoniam verò potest Deus se solo producere species coloris non existentis in oculo: hinc fit vt visio possit ad illum non existentem terminari; at verò non potest Deus se solo allicere voluntatem ad amorem, [illegible] fieri potest, quam per manifestationem bonitatis, quæ habetur formaliter per cognitionem. quânis igitur motiuum formale voluntatis præcisè quatenus specificat, debet ac terminare actum amoris, non requirat essentialiter cognosci, requirit tamen quatenus mouere debet moraliter voluntatem, & allicere eam ad se. Atque hæc quantum ad primam viam, quam iniuimus ad probandum illud antecedens quod videlicet voluntas habeat omnimodam, & indispensabilem necessitatem cognitionis obiecti in quod tendere debet.

6 In secunda verò via idem antecedens sic suaderem: daro quod bonitas, & malitia obiecti ex eo quod non cognoscuntur, non amittant rationem motiui formalis potentiæ volitiuæ; hæc tamen, ex eo quod sit essentialiter ordinata in bonum substantiæ intellectualis ex natura sua exigit connecti cum peculiari genere actuum respicientium obiectum sub velamine cognitionis intellectiuæ; sed si ita se res habet, iam cognitio se tenet ex parte modi tendendi voluntatis. ergo iam voluntas habet omnimodam, & indispensabilem necessitatem cognitionis sui obiecti, vt tendat in illud. Minor patet paritate habitus fidei, qui quia respicit diuinum testimonium tanquam suum motiuum formale sub velamine obscuritatis, exigit necessario in suis actibus obscuritatem tanquam proprium modum tendendi in suum obiectum. Maior verò euincitur dupliciter: Primò quia si voluntas non exigeret connecti cum actibus respicientibus bonitatem, & malitiam sub velamine cognitionis, ad eum planè modum quo habitus fidei exigit connecti cum actibus respicientibus diuinum testimonium sub velamine obscuritatis: sequeretur, quod non implicaret voluntas, quæ natura sua tenderet in bonitatem, & malitiam incognitam, quia neque ex parte modi tendendi potentiæ, neque ex parte obiecti id repugnaret: & propter eandem rationem sequeretur, quod neque implicaret appetitus sensitiuus ex se rendeus in bonum, & malum sensibile incognitum: vnde esset possibilis aliqua substantia non cognoscitiua quæ esset ex suis intrinsecis capax amoris, & odij; vel ad summum possibilis esset substantia cognoscitiua, quæ naturaliter duplici appetitu ferri posset in bonum suum, altero exigente illud præcognoscere, altero verò id non exigente. sed hæc omnia videntur ex se absurda. ergo &c. Euincitur secundò illa maior a contrario, quia appetitus substantiæ non cognoscitiuæ ex suis intrinsecis exigit ferri in suum obiectum incognitum, ita vt ad intrinsecum modum tendendi illius pertineat sine velamine cognitionis illud attingere. ergo è contrario appetitus substantiæ cognoscitiuæ siue sensitiua sit, siue intellectiua exigere debet ex suis essentialibus ferri in suum obiectum cognitum, ita vt ad intrinsecum modum tendendi vtriusque pertineat ipsum sub velamine cognitionis amare, vel odio habere.

S. E.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta.

7 Contra id, quod primò dicebamus, non posse videlicet voluntatem connaturaliter ferri in incognitum obijcies primò ex D. Dionysio *tum lib. de diuinis nominibus, tum lib. de mystica Theologia* habemus, quod in contemplando Deo debent prætermitti omnia cognitionis subsidia, & ab ijs, quæ mente cernuntur, & non cernuntur liberari; sic enim, inquit, omnis cognitionis cessatione præstantissimo modo anima erit Deo coniuncta, & hoc ipso quod nihil cognoscet, mentem etiam cognoscendo superabit. ergo in hac vita homo ferri defacto potest affectu in Deum omnino incognitum. Respondeo S. Doctorem his, & similibus verbis nihil aliud voluisse, quam quod ex duobus modis, quos ad Dei notitiam peruenire possumus; quorum alter est per affirmationem, alter verò per negationem; hic secũdus modus, quem ipse appellat per ignorationem salutarem, ad contemplandum Deum sit aptior; cum enim fiat per negationem omnium eorum, quæ cognoscimus, dicendo Deus in se non est homo, non est Angelus, imo non est sapiens, non pulcher &c. illa sapientia, & pulchritudine &c. cuius habemus in mẽte conceptum & ideam; propius ad ipsum Deum amandum accedimus. cum igitur sic iam remouendo à Deo imperfectiones, illum cognoscimus, neganda est consequentia.

8 Obijcies secundò: potest voluntas imperare efficaciter intellectui, vt cesset ab omni actu; sed sic habetur illa volitio sine cognitione. ergo &c. Maior videtur ad libitum negari posse. minor verò, & consequentia sunt certa. Respondeo distinguendo maiorem, potest voluntas imperare efficaciter intellectui, vt cesset ab omni actu pro eo instanti, pro quo voluntas imperat: nego. quod enim hoc non possit, suppono paulò ante probatum. pro instantibus consequentibus, pro quibus ipsa etiam cessat ab actu imperij, transeat maior; & sic distincta minore, nego consequentiam. Dico, transeat maior, loquendo de instantibus consequentibus, pro quibus voluntas ab operatione cessat, quia difficile intelligitur per quid voluntas tunc censeatur virtualiter influere in intellectum, illum continendo nè à speciebus occurrentibus ad cogitandum determinetur, nisi forte dicamus hominem ex vi dicti imperij, vel ad somnum, vel ad aliquid aliud impeditiuum potentiæ intellectiuæ, nè in suos actus erumpat, determinari: Verum hoc ad præsentem quæstionem non pertinet.

9 Iam verò contra id, quod deinde asserebamus, videlicèt neque diuinitus posse voluntatẽ in incognitum ferri. Obijcies tertiò ex Ouiedo *loco citato num.* 3. volitio pendet à cognitione tanquam à conditione. ergo poterit Deus independenter ab illa rapere voluntatem, & simul cum ea producere volitionem. Antecedens probatur, quia totum principium actiuum volitionis consistit in voluntate, & diuina omnipotentia; cognitio verò solum requiritur, vt proponendo obiectum voluntati; illam alliciat. consequentia verò suadetur, quia Deus conditionem supplere potest. ergo si voluerit per se prædeterminare voluntatem ad amorem, non erit necessaria cognitio.

Respondeo primò, quod si hoc argumentũ valeret, conuinceret Deum posse etiam facere, vt voluntas libere operaretur sine præuia cognitione, quod auctor cum communi negat. Ratio enim est eadem, siquidem neque in actũ liberum cognitio efficienter influit. Respondeo secundò directè negando antecedens; ad cuius probationem dico, quod licet cognitio non influat efficienter in actum voluntatis, non rectè deducitur ex hoc, eam esse meram conditionem, quia potest adhuc se tenere ex parte motiui formalis, vel ex parte modi tendẽdi voluntatis: & vtrumuis dicatur implicat voluntatem sine præuia cognitione amare posse.

10 Instabis, ex eodem *ibid.* quando Cæcus ab alio rapitur, & non it, sed fertur, non indiget luce, vt viam, per quam iturus est, intueatur. sed voluntas sic se haberet casu, quo Deus illam sine præuia cognitione prædeterminaret ad amandum. ergo &c. Respondeo cæcum, quando ab alio rapitur, passiuè tantum se habere ad motum illum, quia totum principium effectiuum motus est motor, cum rapiens. Quẽadmodum igitur implicat, vt cæcus suo motu progressiuo incedens, sic trahatur ad locum: ita etiam implicabit, vt voluntas moueatur à Deo per actum amoris in obiectum incognitũ; Quod si sermo sit de cæco, qui pedibus suis ambulat sequendo alium, ducatum illi præstãtẽ nõ minus ab va bene re erit exẽplũ, quia cæcus etiam naturaliter potest sine duce se localiter mouere: & defacto aliqua animantia, quibus visum natura negauit, motum progressiuum eliciunt, vt talpa: at voluntas in sententia huius auctoris non nisi diuinitus potest sine præuia cognitione amare, vel odio habere. Sed quidquid sit de toto hoc, disparitas consistit in eo, quod voluntas cæci in determinando suã potentiam locomotiuam ad motum, illuminatur si non ab oculis illius, at ab intellectu, à quo in determinatione illa facienda dirigitur; contra verò in determinando se ipsam, posito quod non illuminetur ab intellectu, non habet voluntas vnde dirigatur.

11 Obijcies quartò ex eodem *num.* 4. quando ad actum amoris voluntas, & habitus simul concurrunt; voluntas indiget cognitione, vt se ipsam determinet: non verò habitus, qui vt determinatus à voluntate concurrit. ergo à pari si Deus voluntatem determinando simul cum illa ad actum amoris concurrit: voluntas non indigebit cognitione. Consequentia suadetur, quia in tali casu voluntas non se determinabit, neque libere operabitur. Respondeo distinguendo antecedens &, siquidem assignetur in eo determinatio libera pro causa sufficiente, ob quam voluntas indigeat cognitione, concedo; sic autẽ assignetur pro causa

ade-

adæquatâ, nego antecedens. Dico enim quod tantũ habitus non indiget cognitione, quando cum voluntate operatur, quia ad talem actũ motiuo modo concurrit, sicuti species ad cognitionem. At verò voluntas ad appetitum elicitum vitali modo concurrit; quare, licèo ad hoc vt libere se determinet indigeat cognitione non tamen inde fit, vt si operetur necessariò illa non egeat: tum propter rationes superius assignatas: tum etiã quia alias naturaliter contingere posset, eam sinè prævia cognitione operari. siquidem naturaliter contingit, quã plures operationes necessarias ab illa produci. Perquæ patet falsitas consequentis, & probationis illius.

12 Obijcies quinto *ex eodem tum.* 5. Potest diuinitus infundi voluntati actus amoris sinè cognitione; sed tunc voluntas redderetur formaliter amans; ergo &c. Maior patet quia potest Deus huiusmodi actum infundere lapidi. ergo multo magis voluntati. Minor verò probatur, quia implicat haberi formam in subiecto apto, quin habeatur effectus formalis illius. Sed tota ratio subiecti in voluntate consistit, & tota ratio formæ in qualitate amoris. Quamuis igitur voluntas in eo casu non constituatur vitaliter amans, quia non concurreret efficienter. Constituetur tamen amans formaliter. Quod sufficit ad intentum.

Respondeo: duplicem ad hoc argumentum solutionem ab Arriaga afferri. In prima negat maiorem; ad cuius probationem, concesso antecedente, negat consequentiam, & assignat disparitatem: quia inquit, amor non communicat lapidi suum effectum formalem, eo quod lapis non est subiectum capax amandi, at voluntas cum sit subiectum capax, si haberet infusum in se amorem constitueretur amans, quod sinè cognitione repugnat. In secunda solutione: quam probabiliorem putat, concessa maiore, negat minorem: ait enim, quod quamuis Deus diuinitus infunderet qualitatem amoris voluntati, hæc tamen non constitueretur amans, ad probationem in contrarium concessa item maiore, negat minorem, & dicit: subiectum proportionatum ad amandum non esse voluntatem nisi per rei amandæ cognitionem illuminatam cum autem in tali casu voluntas non sit huiusmodi, nil mirum si non sit subiectum proportionatum.

13 Vtramque responsionem impugnat. Ouiedus *num.* 5. *in sexto* priorem quidem, quia neque incapacitas subiecti, in ordine ad effectum formalem formæ, potest adiuuare ad receptionem ipsius formæ subiectum, quod in casu nostro est lapis: neque capacitas subiecti, id est voluntatis in ordine ad eundem effectum formalem potest impedire receptionem eiusdem formæ; ergo &c. Posteriorem verò quia hoc ipso, quod cognitio non se habet vt subiectum vna cum voluntate amoris actum recipiens, nullo modò eius absentia potest reddere voluntatem subiectum improportionatũ respectu amoris.

14 Sed neutra impugnatio procedit: non prior quia adiumentum quod affert lapidi in capacitas effectus formalis amoris ad recipiendum actum amoris, & impedimentum quod affert voluntati capacitas dicti effectus formalis ad recipiendum eundem actum, non sunt in ordine ad potentiam naturalem, sic enim repugnaret; sed in ordine ad diuinam potentiam. ea enim cum possit facere quidquid non implicat, hoc ipso quod in lapide non implicet amoris infusio, ex eo quod sit incapax effectus formalis: rectè dicitur dicta incapacitas huiusmodi infusionem adiuuare: contra verò, quia voluntas est capax effectus formalis amoris, dum implicat eam amare incognitum, erit in ea repugnãtia ad recipiendam formam amoris sinè cognitione. Neque posterior impugnatio plus habet soliditatis. potest enim rectè dici, quod licèt cognitio non sit partiale subiectum amoris: habet tamen reddere voluntatem proportionatum subiectum illius in ordine ad effectum formalem recipiendum; quia sicuti non quodcumque subiectum est aptum recipere effectum formalem actus vitalis: ita neque quecumque voluntas effectum formalem amoris, & odij, sed illa solum, quæ est per cognitionem illuminata. His non obstantibus vtramque solutionem ego impugnarem ex eo, quia licèt ingeniosæ sint: sunt tamen contra communem sensum. Quis enim credat Deum posse infundere actum amoris in lapide, & non in voluntate; aut quod voluntas beneficio cognitionis reddatur subiectum proportionatum ad effectum formalem amoris recipiendum, cum non sit in præsentia fermo de propositione connaturali, quam constat afferri posse ab accidentibus, sed de essentiali vt patet. Quare melius respondendum videtur. Tertiò ad obiectionem, concedendo posse Deum infundere voluntati actum amoris sinè cognitione: sed negando tunc voluntatem reddi formaliter amantem. Ad probationem in contrarium dicerem, ad habendum effectum formalem actus vitalis, de quo loquimur, requiri essentialiter vitalem obiecti perceptionẽ. Porrò hanc voluntas habere non potest, nisi obiectum stet sub adæquata ratione formali ipsius voluntatis, & secundum proprium modum tendendi eiusdem attingatur. cum igitur neutrum habeatur quandiu obiectum amoris, qui voluntati infunditur, non cognoscitur, vti supra probauimus; nil mirum si in eo casu voluntas non reddatur formaliter amans; extraheretur enim à proprio obiecto formali, & ab intrinseco modo tendendi in suum obiectum; quod manifestã repugnantiam inuoluit.

Obijcies sextò in nostra sententia potest Deus se solo producere in intellectu cognitionem, quæ reddat illum, si non vitaliter, at formaliter cognoscentem. ergo non est cur negemus posse Deum se solo producere in voluntate actum amoris cuius beneficio reddatur ipsa formaliter amans. Respondeo concesso antecedente, negãdo consequentiã. disparitas patet ex dictis, quia nimirũ per hoc quod intellectus habeat cognitionem infusam à Deo nõ diuersificatur eius modus tendendi in obiectum suum, qui est per modum expressionis illius: at verò si voluntas nullatenus cognoscendo obiectum, illũ formaliter amaret: per diuersum modum tendendi, proprium obiectum attingeret. 15

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Num voluntas ad operandū prærequirat necessariò ex parte intellectus Iudicium, an verò possit esse contenta apprehensione obiecti.

16 PRO quæstionis intelligentia sciendum voluntatis operationem, quod ad rem nostrā facit, posse esse duplicem: vna dicitur voluntas inefficax, eo quod inefficaciter tendit circa suum obiectum; importat enim simplicem complacentiam in bono, quæ de se non est sufficiens ad aquirendum illud; & simplicem displicentiā in malo, quæ de se sit insufficiens ad illud fugiendum. Altera voluntatis operatio appellatur voluntas efficax; eo quod efficaciter suum obiectum respicit, & tendit in exequutionem mediorum, quibus illud acquirat, si bonum est: vel fugiat, si malum. Porrò hæc subdiuiditur: in efficacem simpliciter, & in efficacem secundum quid. Prior absolutè fertur circa suum obiectum, eo quod voluntas videt habere in sua potestate media, quibus illud acquireret, vel fugere possit. Posterior verò prouenit à voluntate vidente quidem se non habere in sua potestate dicta media, sed taliter affecta circa obiectum; vt si illa haberet, quantum est de se, illud acquireret, si est bonum; vel fugeret si malum. Prioris generis est voluntas comedendi quam habet, qui bene dispositus cum sit ad sumendum cibum, in mensa sedet opipera varijs onusta dapibus: posterioris verò, voluntas, quā habet famelicus, qui nihil prorsus habet, quod comedat.

17 Iam verò in præsenti controuersia quæritur: quamnam intellectus operationem voluntas ad huiusmodi actus eliciendos requirat? num videlicet sufficiat illi apprehensio obiecti amandi, seù odio habendi; an verò sit ei necessarium Iudicium, quo intellectus de bonitate, seù malitia obiecti sententiam ferat. Pro quo vlterius supponerem apprehensionem dupplicis generis esse posse: quædam enim est de se determinatiua ad assentiendum obiecto, quod apprehendit potius, quam ad dissentiendum illi, cuiusmodi est apprehensio, qua quis apprehendit beatitudinem vt sibi bonam, & infelicitatem vt malam; alia verò apprehensio non est de se determinatiua ad iudicandum quod obiectum ita sit, quale apprehenditur: vt si apprehendam Petrum me diligere: Antonium esse bonum &c. His prænotatis.

18 Prima Conclusio: Tum pro voluntate inefficaci, tum pro efficaci secundū quid sufficit quælibet apprehensio; & siquidem voluntas est per modum prosequutionis, sufficit apprehensio bonitatis obiecti; sin autem per modum fugæ, apprehensio malitiæ eiusdem.

19 Probatur Conclusio primò quo ad actus inefficaces: quia dummodo voluntati proponatur aliquod obiectum bonum, quantumuis intellectus illud vel moraliter, vel etiam physicè iudicet impossibile, potest homo per actum simplicis complacentiæ illud amare. Mulier enim complacet sibi aliquando in dignitate Pontificia, apprehendendo se esse Papam, etiam si dicta apprehensio sit de se determinatiua ad actum potius dissensus, quam consensus; vtpotè de re saltem moraliter impossibili. Item in sententia nonnullorum, quos sequitur Vasquez *prima parte disput. 234. cap. 2.* Potuit Angelus peccare appetendo æqualitatem Dei secundum naturam ex sola simplici apprehensione, quamuis implicet contradictionem creaturam posse esse æqualem Deo, & hoc ipse scierit, ergo &c.

Probatur secundò Conclusio quo ad actus 20
efficaces secundum quid; quia per hoc differunt huiusmodi actus ab actibus inefficacibus, quod inefficaces aliqualiter tantum sibi complacent, vel displicent in obiecto suo, & in huiusmodi complacentia vel displicentia sistunt; vndè possunt stare simul cum absoluta volitione, seù nolitione illius obiecti. At verò efficaces secundū quid non sistunt in sola complacentia obiecti, vel displicentia; sed tendunt ad assequutionem vel deuitationem illius; non quidem simpliciter, & omnibus pensatis; quia neutra apprehenditur ab intellectu vt possibilis; sed quatenus est ex parte voluntatis; quatenus hæc ita affecta est, vt ex parte sui, si posset, illud sibi acquireret, vel euitaret. Atqui ad huiusmodi actus efficaces secundum quid sufficere quamcumque apprehensionem boni, patet: quid enim repugnat quod aliquis homo ita afficiatur erga naturam Angelicam, vt quamuis sciat impossibile esse illam sibi comparare; nihilominus ex parte sui nihil retardaret, si posset: sed hæc apprehensio est potius determinatiua intellectus ad dissensum, quam ad consensum, quod homo possit euadere Angelus, ergo ad huiusmodi actus efficaces secundum quid eliciendos sufficit quæcumque apprehensio. Eademque ratio conuincit quo ad actus efficaces secundum quid dicentes circa malum, quod contenti sint quacumque apprehensione mali, vt patet in damnatis carentiam suarum pœnarum appetentibus, quamuis sciant, facta suppositione decreti, esse impossibilem.

Secunda Conclusio: Ad actus voluntatis ab- 21
solutè efficaces eliciendos non sufficit apprehensio, quæ de se non est sufficiens determinare intellectum ad essentiendum obiecto apprehenso; sufficit verò illa, quæ de se sufficiens est.

Duas partes habet assertio; Et primò proba- 22
tur quo ad priorem: Quia apprehensio alicuius obiecti, siue boni, siue mali, quæ talis est, vt inducat intellectum ad impossibilitatem eius affirmandam, est de se manifestatiua impossibilitatis talis obiecti, ergo impossibile est vt ex vi illius ferri possit voluntas ad illud efficaciter, & absolutè volendum, vel nolendum. Probo consequentiam, quia sic non solum ferretur in incognitum sed etiam in contrarium ei, quod ab intellectu sibi proponeretur; nam intellectus repræsentaret illi obiectum vt inassequibile, vel vt irrepudiabile: ipsa verò absolutè afficeretur erga illud vt assequibile, vel repudiabile, quod repugnat. 23

Probatur secundò eadem assertio quo ad po- 25
sterio-

Digitized by Google

sterioremparte: Quia non minus potest voluntas humana illuminata per apprehensionem spiritualem, quæ est de se determinatiua intellectus ad assentiendum obiecto apprehenso, elicere actus absolutè efficaces circa illud obiectū: quā appetitus animalis illuminatus ab imaginatione; sed appetitus animalis imaginationis beneficio illuminatus potest actus absolutè efficaces circa obiecta sibi proposita exercere, vt de se patet; ergo etiam voluntas &c. Maior videtur certa; quia non est minoris virtutis apprehensio illa spiritualis ad voluntatem illuminandam pro actu absolutè efficaci, quam sit apprehensio materialis ad illuminandum appetitum sensitiuum in ordine ad suos actus absolutè efficaces exercendos. Ex quibus deducitur voluntatem ad huiusmodi actus absolutè efficaces exercendos, quantum est de se, non præexquirere necessariò cognitiones intellectiuas, quæ se habeant per modum iudicij. dico, quantū est de se, quia sæpè sæpius defectu apprehensionum possibilitatem obiecti non manifestantium eas præexquirit.

24 Contra hoc vltimū Obijcies primò ex Aristotele, qui *tertio de anim. tex.* 154. sic habet: Præterea cum opinamur aliquid malum esse, atque terribile, continuò perturbamur: similiter, & cum opinamur quidpiam esse tale, vt in illo sit confidendum: at cum imaginamur talia, perinde afficimur, atque si in pictura eadem spectaremus. sed opinio non est in simplici apprehensione sed in iudicio; ergo non potest saltem absolutè, & efficaciter moueri voluntas nisi per iudicium.

Respondeo: quod, quemadmodum opinio, quam requirit Philosophus ad perturbationem vel fiduciam in nobis ingenerandam, non excludit iudicium certum, quasi verò hoc non sufficiat ad eosdem affectus in nobis causandum: ita neque apprehensionem de se determinatiuam ad assentiendū obiecto, de quo est apprehensio; sed solum excludit apprehensionem oppositam, quæ est sufficiens, vti probauimus, ad actus simplicis complacentiæ, vel displicentiæ eliciendos, quales sunt illi, qui oriuntur in nobis ex depictarum rerum inspectione.

Aliter respondet Vasquez *prima secundæ disp.* 44. *cap.* 4. nimirum Philosophum in quo de perturbatione ex affectu timoris proueniente, & de affectu confidentiæ, qui est spes, pro quibus iudicium compositionis necessarium esse docet, sicuti etiam pro omni electione medij ad finem, quod probat ex eo, quia spes per hoc differt à simplici desiderio, quia hoc est de bono futuro sine opinione futuri: illa verò cum opinione futuri: & credulitate futuritionis; qua cessante, cesset actus spei necesse est. Deinde timor est de futuro malo, quod futurum esse opinamur, qua opinione cessante, possumus quidem malum illud odio habere, non verò timere. Vnde fit vt quia bellua non apprehendunt futuritionem, neque sperare, neque timere proprie possunt. Verùm verum, actus spei essentialiter ex opinione futuritionis boni, & actus timoris ex opinione futuritionis mali essentialiter procedere debeant: nec non etiam, verum, huiusmodi futuritiones non possint saltem probabiliter per actus apprehensionis apparere, est alterius inspectionis, & ideò tenenda est nostra responsio.

Obijcies secundò: si apprehensio probabilis 25
de se determinatiua ad assentiendum sufficeret ad volitionem efficacem eliciendam: sequeretur quod possemus simul amore, & odio absolutè efficaci idem obiectum prosequi, saltem in sententia eorum, qui volunt incompossibilitatem horum actuum ex repugnantia actuum intellectus, quibus indigent, totaliter prouenire; consequens est absurdum. ergo &c. Sequela probatur, quia possumus simul habere in intellectu duas apprehensiones probabiles de eodem obiecto, quarum vna possit determinare intellectum ad iudicandum, quod illud obiectum sit bonum, altera verò quod sit malum. ergo &c.

Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Dico enim ad absolutè amandum, & odio habendum simul efficaciter idem obiectum, non sufficere quamcumque apprehensionem bonitatis, & malitiæ illius, sed requiri præterea quod ostendatur voluntati probabile esse obiectum simul posse absolutè obtineri vt bonum, & repelli vt malum, eo quod volitio, & nolitio efficax tendant ad exequutionem mediorum; cum autem de hoc non possit homo habere apprehensionem probabilem, sicuti neque iudicium: hinc fit, vt non possit simul efficaciter amare, & odio habere idem obiectum, sed solum inefficaciter, complacendo sibi in eius bonitate, & displicendo sibi in eius malitia probabiliter apprehensa.

Obijcies tertiò: Potest haberi in intellectu 26
apprehensio bonitatis vel malitiæ obiecti de se determinatiua intellectus ad iudicandum de ipso obiecto, sicuti per eam apprehenditur; quæ quidem apprehensio non sit apta, vt per ipsam voluntas inducatur ad obiectum efficaciter amandum, vel odio habendum. ergo signum est ad hoc requiri iudicium compositionis. Consequentia videtur procedere. Antecedens probatur, quia quantumuis ego apprehendam per apprehensionem determinatiuā intellectus &c. naturam Angelicam esse bonā, & malitiem diaboli malam, non possum ex hoc moueri ad amorem absolutè efficacē vnius, & ad odiū absolutè efficacem alterius. ergo &c. Respondeo distinguendo antecedens; & si quidē illa apprehensio bonitatis, vel malitiæ obiecti nō sit de se determinatiua intellectus ad iudicandum, quod sit nobis conueniens, & assequibilis, vel disconueniens, & inuitabilis, concedo in minus, nego antecedens, & consequentiā; Et ad antecedentis probationem dico, quod ad hoc vt apprehensio de se determinatiua intellectus ad assentiendum obiecto apprehenso, sit sufficiens ad complendam voluntatem in ordine ad actum odij, vel amoris absolutè efficacis prosequendum, debet esse talis, vt faciat apparere bonū, quod apprehendit non solum vt nobis conueniens, & malum vt nobis disconueniens, sed etiam quod bonum sit assequibile à nobis, & malum euitabile, ita vt ad vtrumque intellectum nostrum determinare valeat; ex hoc autem malo deducitur nec-

Digitized by Google

cessarium esse ad dictos actus voluntatis eliciēdos iudicium compositionis, & diuisionis, quia possunt dari apprehensiones id præstare valentes.

27 Obijcies quartò ex Quiedo *Controu. 8. de anim. punct. 4. numero 3.* saltem non potest nisi per summam imprudentiam efficaciter amari obiectum, quod non iudicatur vt bonum consequibile. ergo &c. Antecedens probatur, quia est summa imprudentia intendere obiectum, quod non dum scitur num sit possibile; sed apprehensio obiecti non est scientia de illo. ergo &c. Confirmatur ex verbis Christi Domini Luc. 14. Quis rex iturus committere bellum &c. Quibus notatur, quod homo, priusquam negotium aliquod aggrediatur, secum confert euentum rei; sed hoc fit per iudicium, & non per solam apprehensionem. ergo &c.

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem distinguo maiorem: est summa imprudentia intendere obiectum quod non dum scitur num sit possibile: si non dum scitur formaliter tantum, nego; si non dum scitur formaliter, neque æquiualenter, concedo maiorem; & ad minorem dico dari nonnullas apprehensiones, quæ licèt non sint formaliter actus scientifici, sunt tamen æquiualenter, quia certificant de veritate, aut probabilitate obiecti, & has dicimus sufficere pro actibus absolutè efficacibus voluntatis. Ad confirmationem dico verba illa Christi Domini conuincere solum, quod quando apprehensiones non sunt de se manifestiuæ assequibilitatis obiectorum bonorum, quæ repræsentant; tunc debent adhiberi secundæ, & tertiæ operationes intellectus ad veritatem indagandam, vt in negotijs arduis contingere solet: hoc autem non esse contra nos patet ex dictis.

SECTIO QVARTA.

Actus voluntatis ad operandum necessarios præquirere ex parte intellectus imperium.

28 Conclusio est negatiua, & communis quam ex nostris docet Suarez, Vasquez, Ruiz, Arrubal, Fonseca, Azor, Hurtadus, & Arriaga quos citat, & sequitur Quiedus *de an. contro. 8. punct. quinto num. 2.* Contra Iauellum, & Sotum, Bartholom. Medinam, & alios *huius etiam libri ab eodem num. primo* qui existimant voluntatem nostram ad suos actus tum prosequutionis, tum fugæ dictorum necessariò præquirere ex parte intellectus quendam actum imperij, qui intimet quid ei faciendum sit, dicendo, Fac hoc, huic autem actum intellectus dicunt essentialiter differre ab omni apprehensione atque iudicio, quatenus per modum indicatiuum explicari non potest, sed in imperatiuo modo consistit.

29 Porrò assertio nostra ab aliquibus probatur ex eo, quia impossibile est huiusmodi actum ab intellectu posse produci, quod sic suadet Quiedus *num. 3.* Omnis actus procedens ab intellectu significari potest per modum indicatiui, sed huiusmodi actus nequit sic significari, vt aduersarij fatentur. ergo impossibile est vt ab intellectu procedat; Maior, quæ sola probatione eget, sic euincitur. Omnis actus intellectus est essentialiter cognitio. sed omnis cognitio, vel est iudicium, vel apprehensio; cum igitur vterque actus per modum indicatiui significari possit: rectè deducitur omnem operationem intellectiuam esse huiusmodi. Confirmatur quia omnis actus intellectus versatur circa obiectū formaliter vt verum; sed obiectum, vt verum terminare solum potest iudicium, & apprehensionem ergo non datur actus intellectus, qui sit per modum imperij. Confirmatur iterum quia actus imperij est intimatio superioris facta inferiori; sed voluntas nullam habet potentiam superiorem sibi. ergo &c.

Verum hæc ratio non mihi videtur satis efficax. 30 bam vt ipse Quiedus cum communi docet in summulis *contro. 3. punct. secundo* præter orationes enunciatiuas, dantur aliæ, quæ licèt sint perfectæ, non tamen continent veritatem, aut falsitatem: cuiusmodi sunt optatiuæ, interrogatiuæ, deprecatiuæ: inter has autem connumerari solent imperatiuæ. Quamuis autem oratio sit vocalis, nihilominus substituitur loco conceptuum; atque adeò sicuti reliquis dictis, ita & imperatiuæ qua dicimus (Fac hoc.) correspondet in intellectu aliqua cognitio expressiua huius imperij. Difficilis autem probationis est huiusmodi cognitionem non ita exprimere imperium hoc, vt ipsa de se sit imperatiua, ad eum plane modum, quo actus amoris exprimit prosequutionem obiecti, per hoc quod ipse sit essentialiter prosequutio; & quidem ex hypotesi quod voluntas ad exercendas suas proprias operationes necessariò aliquo imperio excitanda foret, nō posset assignari alia potentia, quæ sibi vendicaret hoc munus, præter intellectum. Male igitur assumitur ab Quiedo impossibile esse actū imperij ab intellectu procedere; hunc enim actū ponunt aduersarij ex suppositione, quod voluntas intimatione egeat ad operandū: quæ suppositio ad intellectum necessariò recurrendum est pro huiusmodi intimatione faciendā. Et recte id quidem, nā intimare propriè est loqui, & enunciare quod est opus intellectus, vt recte probat D. Thom. *prima secundæ quæst. 17. art. primo* circa medium *ibi disputo*, & apud Nec ratio in contrarium adducta ab Quiedo habet vim, fundatur enim in re maiore: quod omnis actus intellectus significari possit per modum indicatiui, quæ videtur falsa, vt patet ex orationibus, quas Deo præsentamus, quæ cum ad intellectu pertineat, eo tamen modo inexplicabilis est. *Ad probationem maioris* aduersarij *concedunt quod omnis actus intellectus* sit essentialiter cognitio. *sed negabunt omnem* cognitionem, vel apprehensionem esse, vel iudicium: dicentque præter tres vulgatas operationes, quæ sunt intellectus speculatiui, dari alias, quæ sunt intellectus practici, & huius generis esse imperium.

Illud enim principium: quod vtrumque Vas- 31
quez *loco citato* tenet ad hanc responsionem impugnandam: quod nimirum intellectus ex eo, quod sit speculatiuus, & practicus non variet

Digitized by Google

modum cognoscendi, sed materiam tantum, & finem, facile negari potest, & cum difficultate probari, vt consideranti patet.

32 Ad priorem autem confirmationem, concedent aduersarij maiorem, in qua assumitur, omnem actum intellectus versari circa obiectum formaliter vt verum; sed negabunt minorem, nimirum solum iudicium, & apprehensionem terminari posse ad obiectum vt verum; dicentque etiam de hoc imperio verificari quod respiciat suum obiectum vt verum, in quantum exprimit operationem voluntatis, quam imperat, eique conformatur. In quo etiam sensu dici potest, quod sit expressiuū obiecti realiter à se distincti. Quod verò attinet ad rationem imperij vt sic, adsere possunt, eam se tenere ex parte modi tendendi actus; sicuti ratio exprimendi obiectū apprehensiuè, & iudicatiuè. Ad posteriorem verò confirmationem: concessa maiore, ad minorem dicerent, quod licèt intellectus absolutè loquendo sit inferior voluntate: tamen quatenus illam illumnando dirigit, est ea superior; ad eū planè modum, quo seruus, qui cum habeat oculos, ducatum præstat domino suo cæco, potest dici, quantum ad hoc, illo superior, quæ distinctione posita, negarent consequentiam. Hac igitur ratione posthabita.

33 Probatur efficaciter assertiò nostra: Primò ex superfluitate talis imperij, in hunc fere modum: Aduersarij non negant voluntatē ad operandum prærequirere apprehensionem vel iudicium de bonitate, vel malitia sui obiecti; sed addunt necessarium illi quoque esse imperium, quo intellectus practice dicat ei (Fac hoc). At qui posita apprehensione, vel iudicio de bonitate, vel malitia obiecti, hęc necessitas nulla est ergo superfluè hoc imperium ponitur. Maior est certa; & quidem rectè: non enim possunt dicere nihil aliud ex parte intellectus requirere voluntatem ad operandum, quam hoc imperium, quia nisi ei manifestetur per apprehensionem vel iudicium obiectum esse vel bonum, vel malum, implicat, vt supra probauimus, vt ad illud vel amandum, vel odio habendum moueatur; cæcam enim obedientiam in operando hoc modo exercere, dum ad imperium intellectus non exprendendo per se ipsam obiecti merita erga illud, sicuti iussa est, afficeretur. Minor ergo probatur, quia beneficio dictæ apprehensionis, vel iudicij voluntas intelligitur sufficienter illuminata, & obiectum illi satis præsens, atque propositum, sed his positis, nihil aliud ex parte intellectus necessarium habet voluntas ad operandum. ergo &c. Ratio autem huius argumenti maior videtur certa, quia hoc ipso quod intellectus repræsentat voluntati obiectū vt bonū, vel malū, iam ex vna parte obiectum ipsum humanæ repræsentationi beneficio incipit esse illi præsens, non quidem realiter, quia hoc, vt de se patet, non requiritur: sed intentionaliter, sicuti necesse est vt ametur, vel odio habeatur; ex alia verò parte ipsa voluntas cognitionis illum fulgore irradiata, merita obiecti dignoscit, itaut non cæco modo feratur in illud. ergo, & ipsa illum nata est, & obiectum præsens; Minor denique explicatur, quia si quid aliud necessario haberet voluntas ad operandum ex parte intellectus, id maximè esset excitatio, & intimatio. sed huius necessitas gratis omnino cōfingitur ab aduersarijs, sibique incūbit onus illā probandi, quod nunquam faciunt; ergo &c.

Probatur etiam secundò nostra Conclusio, 34
quia voluntas stante imperio intellectus intimātis sibi V. G. quod amet, obiectum propositum, vel potest omnibus pensatis illud nō amare, vel non potest: si primum, non est necessarijū imperium: si secundum, tollit libertatem. ergo absolutè non est admittendum. Maior, & consequentia patent. Minor probatur; & primò quidem quo ad priorem partem sic, quia si voluntas, stante imperio de amando obiecto, potest illud defactò nolle amare, vel odio habere: ergo ad exercitium huius actus, non habuit necessitatem imperij; cum igitur non sit maior ratio de actu amoris, sequitur quod neque ad amandum neque ad odio habendū obiectum, sit illi necessarium imperiū. Quo ad posteriorem verò partem eadem minor suadetur, quia omnis necessitas antecedens actum voluntatis tollit libertatem; sed si voluntas, stante imperio intellectus de actu amoris eliciendo, non posset facere oppositum, iam esset necessitata ad amandū, & hæc necessitas esset antecedens ad actum, quia non oriretur ex suppositione ipsius actus, sed è contrario actus ex suppositione imperij infallibiliter procederet, non minus quam ex prædeterminatione physica, quam supponimus tollere libertatem. ergo &c.

Hic tamen aduerterē, nonnullos vt est Suarez *disp.* 19. *sect.* 7. & Tannerus *disp.* 2. *quæst.* 3. *dub. quinto.* velle imperium esse iudiciū quoddam intellectus, quo posita quā voluntas elegit aliquod mediū, intellectus, hanc electionem intimando, enunciat. Porrò contra hoc imperiū non facit hoc secundum argumentum ductū ab quæstione libertatis, sed benefacit primū à superfluitate petitum; quod sic vrgerem: quia hoc imperium pro ipsa voluntate ad nihil inseruit, non enim explicari potest, quid conferat voluntati dicenti volo amare Deū V. G. actus intellectus qui dicat ei (tu vis amare Deū) vt inde se moueat ad Deum amandum. Ipsa enim melius percipit actum illū voluntatis, pro vt eo informatur, quia sic illum experitur; quam pro vt ab intellectu illū cognoscēte sibi repræsentatur; quia sic non experitur illum. Quare si actus, quo dicit, Volo amare Deum non est aptus illam mouere, multo minus erit apta intellectio illi intimans dictum actum; vel si hæc est apta, multo magis erit ille. superfluè. ergo ponitur hoc genus imperij.

Obijcies: Aristoteles *sexto*, Et hic *cap.* 10. do- 36
cet prudentiam esse præceptiuam, & finem illius esse, quid nam sit agendum, aut non agendum præcipere, tum sic: Ex vna parte prudentia pertinet ad intellectū: ex alia verò præceptum idem significat, ac imperium, sed non potest assignari cui nam potentiæ hoc imperiū intimetur ab intellectu nisi voluitiuæ; ergo volūtas ad operandum prærequirit imperium præterea D. T. *prima* 2. *quæst.* 16. *art. primo* docet quod vsus sit actus voluntatis; sed *quæst.* 17. *art.* 3. pra-

bat quod vſus ſequitur imperiũ. ergo &c. Reſpondeo neque Ariſtotelem neque D.T. agere de imperio ſumpto in eo ſenſu, quem dicunt Aduerſarij, quaſi verò ſit actus quidam intellectus tollens à voluntate indifferentiam, eamque antecedenter determinans ad vnam potius partem ſiuè contradictionis, ſiuè contrarietatis, quam ad aliam: ſed dicendum quod Philoſophus nomine præcepti intelligit iudicium practicũ, quo prudentia præſcribit id, quod hic, & nunc faciendum vel omittendum eſt ad honeſtum finem conſequendum. eodemque modo exponendus eſt D.T. dum ait proprium actũ prudentiæ eſſe præcipere quid hic, & nunc agendum nobis ſit. cæterũ Ruiz *diſput. 3. de prouident. in ſect. 7. à n. 8.* teſte Ouiedo probat Sanctum Doctorem nullũ poſuiſſe actum imperij diſtinctũ á iudicio enũciatiuo, quod dictat quid hic, & nunc ſequendum vel fugiendum ſit. quod non præiudicare libertati patet ex vltimo iudicio practico prudentiali, quod dicitur conſcientia, contra cuius dictamen voluntas allecta bono delectabili imprudenter operari poteſt, & ſæpè defactò operatur.

DISPVTATIO TRIGESIMA TERTIA

DE ACTIBVS IMPERANTIBVS, ET IMPERATIS AB eadem voluntate elicitis.

COnſtat voluntatem alijs imperare potentijs V. G. locutiuæ, loco motiuæ, & ſimilibus; ſtatim ac enim volumus loqui, moueri, &c. potentiæ horum actuum operatiuæ nobis obediunt, applicando ſe ad operandum. Videndum nunc eſt de imperio, quod ipſa voluntas in proprias operationes exercet, quando per vnum actum, alium ſibi imperat eliciendum. Vbi notandum de ratione actus imperantis eſſe immediatè influere in imperatum; ſicuti de ratione huius eſt ab illo immediatè pendere. Iam verò huiuſmodi imperiũ poteſt eſſe duplex: efficax, & inefficax. Efficax dicitur, quod ex ſuis intrinſecis habet ponere effectum: contra verò Inefficax etiam ſi illum ponat, hoc non habet ex ſua energia. Porrò vtrumque vel reflexum poteſt eſſe, vel directum. Imperium reflexum eſt actus voluntatis reſpiciens tanquam obiectum ſuum alium actum eiuſdem voluntatis, vt cum dicit voluntas (volo elicere actum amoris Dei) Directum verò conſiſtit in actu intentionis finis, quo determinatur voluntas ad eliciendum actum electionis medij neceſſarij ad talem finem conſequendum; quamuis enim huiuſmodi actus poſſint inter ſe identificari: non eſt tamen cur non poſſint diſtingui, vt docet Quiros *diſp. 100. ſect. 2.* Quibus præmiſſis fit.

SECTIO PRIMA.

An dari poſſint actus voluntatis reflexi, quibus voluntas ſibi imperet alios actus à ſe immediatè eliciendos.

1 CONclusio eſt affirmatiua, & communis. Puto enim cum D. T. 1. 2. *quæſt. 17. art. 5.* poſſe voluntatem elicere aliquos actus, quibus reflexè imperet ſibi alios actus à ſe eliciendos, dicẽdo: Volo amare Deum V.G. Nolo conſentire huic obiecto delectabili &c. Vbi aduerto me in hac concluſione præſcindere nũ huiuſmodi imperia ſint efficacia, vel inefficacia. de hoc etiam paulo poſt agemus. Eſt contra Vaſquez *primæ ſecundæ quæſt. 51. cap. 5.* Vbi negat poſſe vnum actum voluntatis alium eiuſdem voluntatis immediatè imperare.

2 Probatur autem: quia actus, quo voluntas dicit (volo amare Deum) V.G. reflectit ſupra ipſum amorem Dei á ſe eliciendũ. ſed hic actus eſt per modum imperij reſpectu ipſius amoris, ergo dari poſſunt actus voluntatis reflexi, quibus voluntas imperet ſibi alios actus à ſe eliciendos. Maior, & cõſequentia patent. Minor verò probatur, quia actus ille conducit ad actum amoris, ſed non aliter conducit, quam illum immediatè imperando; ergo reſpectu illius habet rationem imperij. Maiorem huius nemo negare poterit, aliquin non eſſet melioris conditionis ille, qui ſtatuit, & proponit amare Deum, quam ille, qui huiuſmodi voluntate caret. Minor verò probatur, quia dictus actus reflexus á non conduceret imperãdo immediatè amorem: ſequeretur quod conduceret ſolum mediatè. Porrò hanc ſequelã eſſe falſam ſe oſtenderem; quia dupliciter intelligi, poteſt quod mediatè conducere: Primò mouendo voluntatem vt imperet intellectui inquiſitionem motiuorum ad amorem Dei inducentiũ. Secundò mouendo per ſe ipſum intellectũ ad huiuſmodi inquiſitionem faciendam: nemo dici poteſt. ergo &c. Maior cõceditur à Vaſquez, qui ait, actũ quo voluntas dicit (volo amare Deum) cõducere ad amorem, quatenus determinat intellectũ ad inueſtigãda motiua ad dictũ amorem ipſa inclinãtia; & ratione huius addit, quia non eſt aſſignabile quo alio modo conducat. Minor verò probatur: & quidem quod ad conducere mouendo voluntatem vt imperet patet, quia ſi actus

Digitized by Google

si actus, qui dicit, Volo amare Deum potest immediate mouere voluntatem, vt imperet, multo magis poterit mouere illam, vt amet; quia amorem respicit vt obiectum expresse volitum non verò imperium. Ad quod voluntatem ad hunc actum eliciendum (volo amare Deum) indigere propositione bonitatis Dei, & bonitatis amoris versantis circa Deum; quare etiam si non appareãt alia motiua possibilia potest in hunc actum erumpere. sed sic dictus actus non posset mouere voluntatem vt imperaret intellectui inquisitionem aliorum motiuorum, quia nil volitum quin præcognitum. ergo &c. Iam verò quod neque dictus actus conducat ad amorem, mouendo immediatè intellectum ad quærenda motiua, quæ erat secunda pars minoris probanda suadetur etiam; quia actus qui dicit Volo amare Deum, non habet pro obiecto inquisitionem motiuorum. ergo non potest intellectum determinare ad illa quærenda; vel si potest, multò magis poterit inducere immediatè voluntatem ad amorem illum eliciendum, cuius est expresse volitio, & quem tanquam obiectum suum essentialiter respicit. Neque dicas actum illum hoc ipso, quod vult amorem, necessariò connecti cum inquisitione noui motiui facienda ab intellectu. Quia potest haberi ex parte intellectus sufficiens motiuum ad actum amoris Dei eliciendum; & tamen voluntas illud immediatè non amplecti, sed mediatè, per hoc quod allecta à bonitate amoris, erumpat prius in illum actum (volo amare Deum) Atque hæc pro imperio reflexo voluntatis vt sic. Quoniam verò huiusmodi imperium potest esse duplex inefficax, & efficax: Pro inefficaci sit.

3 Secunda conclusio. potest dari in voluntate imperium inefficax reflexum, quod non habeat ex suis intrinsecis ponere actum, quem tanquam obiectum respicit, sed ita immediatè influat in illum, vt posset non influere, etiã si voluntas haberet in sua potestate omnia cõprincipia necessaria ad actum ponendum, cuiusmodi esset hic actus desiderij ipso si haberem actũ contritionis, actum amoris Dei super omnia, &c.) Ita communiter recentes, qui pro se citant Augustinum *lib. 8. confess. cap. 9.* vbi sic: Imperat animus vt velit animus, nec facit tamen vnde hoc mostrum, & quare istud; sed non ex toto vult. non ergo ex toto imperat; nam in tantum imperat, inquantum vult. Et tamen contra Hurtadum *2.2. tom. 1. disput. 138. sect. 1. & 2.* vbi negat hunc actum reflexum inefficacem posse immediatè influere in actum directum à se imperatum, sed tantum mediatè, nempe per modum intentionis, mouendo videlicet voluntatem ad istum actum reflexũ, efficacius, qui immediatè postea influat in actũ imperatum seu desideratum. V. G. actus inefficax qui dicit (ò si amarem Deum) non posset immediatè influere in actum amoris Dei, sed solum in actum, quo voluntas ex eodem motiuo allecta efficacius dicat, Volo amare Deum, & mediante hoc actu in ipsum Dei amorem influit.

4 Probatur autem nostra assertio primò ad hominem contra Hurtadum. actus desiderij, qui dicit (ò si amarem Deum) sumptus per modum intentionis, non habet necessariam connexionem cum actu reflexo, qui se habet per modum electionis, & dicit (volo amare Deum) sed ita immediatè mouet ad illum vt posset nõ mouere. ergo idem actus acceptus in ratione imperij, potest non habere necessariam connexionem cum actu amoris Dei, sed ita immediatè mouere de facto voluntatem ad illum, vt possit non mouere. Consequentia patet quia non potest assignari disparitas in hoc.

Probatur etiam secundò, quia dantur in voluntate multi actus, qui ita mouent illam ad alios actus eliciendos, vt cum eorum negatione componi de facto possint, cuiusmodi sunt auxilia diuinæ gratiæ, quibus Deus cum allicit, & non necessitet voluntatem ad sui amorem, & ad alios actus supernaturales virtuosos producendum, constat ea ex suis intrinsecis non esse necessario connexa cum dictis actibus. atqui inter hæc auxilia non potest assignari ratio, cur non possint enumerari aliqua, quæ se habeant per modum desiderij inefficacis. ergo &c. Neque dicas huiusmodi actus nõ se habere per modum imperij. quia sic quæstionem de re reduceremus ad quæstionem de nomine; Nam nos inter imperia voluntatis inefficacia maximè hunc actum, qui se habet per modum desiderij cum reliquis doctoribus connumeramus; quare ad quæstionem de re sufficit probare, posse voluntatem habere huiusmodi actum inefficacem, quo immediatè ad alium actum, qui est obiectum illius eliciendum alliciatur. 5

Tertia conclusio Datur imperium efficax voluntatis respectu actuum eiusdem potentiæ volitiuæ. Pro explicatione nota dupliciter imperium hoc reflexum intelligi posse efficax: primò vt per illud voluntas velit actum directum imperatum ponendum in futurum, cuiusmodi est (volo cras amare Deum) secundò vt velit ponendum de præsenti, sicuti est hic alius: (volo hic & nunc amare Deum) Porrò conclusio nostra non loquitur in primo sensu, quia in eo est alia difficultas, sed in secundo, in quo eam docet Ripalda *disput. 66. sect. 2.* Oviedus *de anima controu. 9. punct. 1. §. 4.* Arriaga *in prim. secun. tom. 1. disput. 3. sect. 2.* & alij contra Vasquez *loc. supra cit.* quatenus tenet nullum actũ imperantem voluntatis immediatè influere in imperatum, necnon etiam contra Suarez *tom. 2. de gratia lib. 11. num. 10.* eo quod existimat huiusmodi actum imperantem esse superfluum, nisi se habeat concomitanter, vel consequenter ad directum, hoc est per modum complacentiæ, qua de amore habito gaudeat. Verũ hoc facile dissoluitur si dicamus, ex suppositione, quod voluntati repræsentetur ab intellectu honestas actus imperati, cum hic actus non possit immediatè ferri in suam bonitatem, necessariò dandum esse alium qui de ipsa disponat, nullam autem superfluitatem cum necessitate coniungi perspicuum est. 6

Probatur autem conclusio à Ripalda, & Arriaga argumento desumpto ex D. T. 1. 1. 7

quæst.

qu. 17. art. 5. voluntas potest efficaciter imperare id, quod est in sua potestate, sed actus contritionis V. G. vel amoris &c. sunt maximè in sua potestate, ergo voluntas potest illos efficaciter imperare,

8 Hoc argumentum Quiedus num. 25. infirmũ existimat, quare ad illud respondet distinguẽdo maiorem: voluntas potest efficaciter imperare id, quod est in sua potestate imperatiuè, concedit: id quod est in sua potestate elicitiuè negat maiorem, & sic distincta minore; negat consequentiam; dicit enim bifariam posse actũ aliquem esse in potestate voluntatis: primo imperatiuè, cuiusmodi est omnis actus externus, qui cum propriam libertatem habere nequeat, potest ab actibus voluntatis habere denominationem liberi: secundo elicitiuè cuiusmodi est omnis ille actus, qui cum ab ipsa potentia volitiua immediatè produci possit, propriam habet libertatem. porrò licet actus primi generis possint imperari à voluntate efficaciter, quia propria carent libertate, at non actus secundi generis propter contrariam rationam.

9 Quare ipse à num. 27. aliter conclusionem probare nititur, & primò quidem sic: Intentio efficax cogit voluntatem ad electionem mediorum. ergo potest dari actus reflexus efficax qui cogat voluntatem ad actum directum eliciendum. siquidem maior est connexio inter actum reflexum, & directum: quam inter intentionem finis, & electionem medij. nam reflexus est decretum de directo immediatè: intentio verò immediatè tendit ad finem, & non nisi mediate, in medijs. idem probat secundo & tertiò loco paritate actuum attritionis, & amoris Dei, qui pro eo instanti, in quo sunt determinant voluntatem ad exequutionem præceptorum, quæ tunc vrgent.

10 Quarto denique num. 30. sic: irrideremus profectò hominem dicentem ex toto animo se nolle omittere actum misericordiæ præceptum V.G. si videremus illum eodem tempore talẽ actum omittere. ergo existimamus posse voluntatem se ipsam per vnum actum ad alium eliciendum efficaciter determinare. Ego verò non negauerim his rationibus efficaciter probari conclusionem intentam: existimarem tamen iisdem efficaciter etiam suaderi argumentum ex D.T. deductum esse optimum, atque adeo retinendum. hoc probo ex eo, quia omnes dictæ rationes ostendunt maiorem illam in qua assumebatur: voluntatem posse efficaciter imperare id, quod est in sua potestate. esse absolutè veram, non solum in ordine ad actus, qui sunt in sua potestate imperatiuè, sed etiam in ordine ad actus qui sunt in sua potestate elicitiuè. ratio enim, cui nitebatur membrum negatum, erat libertas propria, quam actus eliciti à voluntate habere debent: sed hanc rationem falsam esse conuincit Quiedus argumentis adductis dum nititur probare, voluntatem posse ad actus quosdam eliciendos se ipsam per alios actus determinare, vt ad mediorum electionem, per intentionem finis: per actum attritionis, vel amoris Dei, ad obseruantiam præceptorum tunc temporis vrgentium &c. igitur argumentum ex D. T. deductum optimum esse, & distinctionem in contrarium allatam nullius esse momenti: ijsdem rationibus quibus Quiedus conclusionem suadet satis superque euincitur, & probatur.

SECTIO SECVNDA.

Respondetur argumentis contrarijs.

11 OBijcies primo contra primam conclusionẽ, in qua imperium reflexum voluntatis in suos actus dari dicebamus: D.T. 1.2. qu. 18. art. 6. ad 2. sic habet: Dicendum quod ordinari ad talem finem, & si accidat exteriori actui: non tamen accidit actui interiori voluntatis. tum sic, Idem est vnum actum ordinari in finem ab alio actu, ac imperari ab illo. sed actus interior voluntatis non ordinatur ad finem ab alio actu voluntatis vt ait S. D. ergo non imperatur ab illo. Respondeo D. T. loqui de eo quod spectata intrinseca natura, & essentia actuum contingere debet; cum enim actus eliciti à voluntate sint de se liberi; exteriores verò non, nisi per denominationem extrinsecam ab actibus voluntatis libertatem habeant ideo dicit his accidere ad finem à voluntate ordinari, non autem illis, quare ad argumentum, concessa maiore: distinguo minorem: actus interior voluntatis non ordinatur necessario ad finem ab alio actu, concedo. non ordinatur contingenter, nego minorem; & ad consequentiam dico. quod licèt actus directus voluntatis propriam habere possit libertatem, per quod ab exteriori differt potest tamen per accidens à voluntate per actum reflexum determinata procedere, & sic imperari ab illo.

12 Instabis si hæc doctrina esset vera sequeretur, quod actus contritionis posset imperari ab alio actu, atque adeo extrinsecè viciari, casu quò ille alius esset intrinsecè malus; sed hoc est absurdum. ergo &c.

Respondeo, concessa sequela, quam alij non improbabiliter negant; dicendo quod cum actus supernaturales pendeant á gratia Saluatoris, non possunt ab actu peccaminoso depẽdere: nego tamen minorem; pro qua notarem omnem actum contritionis essentialiter quidẽ detestari peccatum mortale super omnia, at non veniale. sed hoc habere tantummodo illum, qui perfectissimus est; quare sciendum nullum huiusmodi actum posse imperari ab actu mortaliter malo; quia cum actus imperans & imperatus ponantur debere esse in eodem instanti in voluntate: implicat contradictionem quod voluntas efficaciter detestetur peccatum mortale super omnia, & simul illud cõmittat. actum verò illum qui detestatur mortale super omnia, sed non veniale, posse imperari ab actu venialiter malo, eo quod non habet essentialem oppositionem cum illo. actum denique perfectissimum qui non solum omne mortale, sed etiam omne veniale super omnia detestatur nullo modo posse ab actu sine mortali-

Digitized by Google

raliter, siue venialiter peccaminoso imperari ratione essentialis oppositionis, quam habet cum omni peccato actuali, ex quo deducitur concessionem sequelæ procedere in secundo casu, non verò in primo, neque in tertio.

13 Objicies secundò ex eodem D. I. 2. *qu.* 17. *art.* 1. vbi quærens vtrum imperare sit actus rationis, an voluntatis, Respondet esse actum rationis: ergo non datur imperium reflexum, quo voluntas imperet sibi actum directum, alioquin imperium esset actus voluntatis. Respondeo ad antecedens S. D. non loqui absolutè, sed cum addito sic: Respondeo dicendum, quòd imperare est actus rationis, præsupposito tamen actu voluntatis; & rationem huius sic assignat: secundum mouens non mouet nisi in virtute primi mouentis. ratio est secundum mouens in nobis, voluntas verò primum. ergo hoc ipsum quod ratio mouet imperando, est ei ex virtute voluntatis. Quo posito dico, quod quoties voluntas imperat aliquem actū, intellectus vtpote qui omnia, quę sunt in voluntate, certitudinaliter cognoscit, illud imperium exprimit, & quidem si voluntas imperat sibi actum, hæc intellectualis expressio in ordine ad illam est practica, quatenus eam determinat obiectiuè; vnde dupliciter remanet determinata voluntas ad eliciendum actum directum V. G. amoris imperatum primò formaliter per suum imperium sibi inhærens, secundò obiectiuè per cognitionem dictū imperiū illi intimantē. Quod si voluntas imperat actum externum aliarum potentiarum, cognitio illa sin ordine ad huiusmodi potentias speculatiuè tantum se habet, quia aliæ potentiæ vtpotè materiales non percipiunt cognitiones spirituales; at verò in ordine ad voluntatem se habet etiam practicè, quatenus illam quoque obiectiuè determinat intimando ei proprium imperium, sed quia, vti dicebat D. T. intellectus non mouet nisi in virtute actus voluntatis: ideo nos nomen imperij huic actui absoluté tribuimus, eo quod se solo determinare valeat voluntatem, & ad se monēdum, & ad mouendas reliquas potentias inferiores sibi subiectas qua re cōcesso antecedente nego consequentiam.

14 Objicies tertiò contra secundam conclusionem de imperio reflexo inefficaci: omne imperium, quod defacto influit in operationes externas est efficax. ergo non datur imperium inefficax, à quo operationes internæ voluntatis dependere valeant. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas est, quia cum operationes externæ non sint in se formaliter liberæ, non possunt existere nisi dependenter à causa ex parte actus primi omnimodè determinata, quam determinationem potentiæ exequutiuæ, quæ illas causant, nō aliūnde quam ab imperio efficaci voluntatis habere possunt. at operationes internæ voluntatis possunt esse formaliter liberæ, atque adeo á voluntate in actu primo indeterminata procedere; & quia hæc indeterminatio stat cum imperio inefficaci, hinc est vt huiusmodi operationes dependere valeant ab imperio inefficaci, sicut etiam ab ipsa voluntate nullo prorsus imperio, neque efficaci, neque inefficaci præmota.

15 Objicies quartò contra tertiam conclusionem de imperio efficaci. Voluntas posito imperio efficaci remanet *libera*, sicuti erat antea. ergo hoc imperium efficax solum determinat intellectum ad *inquirenda* motiua, sicuti vult Vasquez, & non voluntatem immediatè. Consequentia probatur, antecedens verò probatur, voluntas ante imperium erat causa sufficiens actus imperati, sed causa sufficiens non admittit naturaliter alterius causæ consortium. ergo voluntas si antecedenter ad imperium efficax erat causa libera actus imperati, talis etiam erit posito imperio.

Respondeo negando antecedens, vti dicetur postea ex professo, ad eius probationem concessa maiore, distinguo minorem: causa sufficiens non admittit naturaliter alterius causæ consortium in genere efficientis, concedo. in genere causæ formalis, nego minorem, & ad consequentiam dico, voluntatem liberam in genere causæ efficientis esse causam sufficientem actus imperati, cum quo stat quod admittat consortium actus imperantis efficacis, qui in genere causæ formalis illam ad imperatum determinet; ad cuius plane modum, quo ipsa eadem voluntas est quidem causa sufficiens effectiua actus eliciendi: admittit tamen intentionem finis tanquam formam, qua ipsa se determinat ad dictum actum.

16 Objicies quòd si darentur hæc imperia efficacia reflexiua: sequeretur quod dari etiam deberent habitus reflexiui ad huiusmodi imperia inclinantes; sed hoc est contra communem sententiam. auctores enim nullam de huiusmodi habitibus mentionem faciunt. ergo &c. Sequela probatur quia diuersitas habituum pro diuersa honestate, vel delectabilitate motiua constituitur. Iam si daretur imperium efficax respectu actus amoris Dei V. G. alia esset honestas motiua, quæ moueret ad hoc imperium, ab ea quæ moueret ad amorem Dei; quia amor Dei respiceret bonitatem intrinsecā, imperium autem hanc bonitatem ipsius amoris Dei. ergo &c.

Respondeo concessa sequela, negando minorem, dico enim ex communi sententia doctorum asserentium diuersitatem habituum ex diuersitate motiuorum formalium constituendam esse, planè deduci admittendos esse huiusmodi habitus reflexiuos, non enim dici potest eos non dari, quatenus non habent difficultatem, quam specialiter vincant, quasi verò supponant eam omnem deuictam ab habitibus actus directos respicientibus. Hoc enim falsum esse experientia ipsa comprobatur; sicuti enim alia est difficultas, quam experitur princeps ad imperandum aliquid, ab ea quam experitur ad id, quod imperat faciendum; ita & in casu nostro. Quod si doctores de huiusmodi habitibus actuum reflexorum nullam faciunt mentionem, est, vel quia huiusmodi actus sunt controuersi, vel quia facili negotio quid de his habitibus sentiendum sit, ex reli-

quis concipi poterit voluntatem quæ animam de illis notitiam habeat esse.

16 Objicies sextò: Deus non potest neque esse
21 cæcus, neque ineffaciter imperare reflexiue suas directas volitiones. ergo neque creare. Consequentia patet paritate. Antecedens probatur: Possum tibi imperare volitionem mundi, vel imperauit, vel obo; secundum dicta non potest, quia in Deo non datur potentia ad illa libera: neque primum, quia sequeretur processus in infinitum. nam hoc primum imperium est imperabile per secundum, habet enim speciem suam amabilitatem. ergo effectiuè imperatum est. item secundum per tertium, & tertium per quartum in infinitum propter paritatem rationis. ergo &c.

Respondeo: Quod primò, concedo antecedente propter rationem, quia in eius probatione affertur, & negando consequentiam, & disparitatem dicendo per totum esse rationis aliter; quia cum actui ultimo creandi mundum non possit hæc reflexa imperata ab eis excludere. Respondeo alij secundo eadem modo concedendo antecedens, negando consequentiam; & pro ratione disparitatis assignant istam imperfectionis, quam habet volitio creandi, quia Deus voluit mundum; eius enim perfectio tanta est, vt cognoscatur tantum per perfectionem excogitabilem cuiuscunque alterius volitionis, vnde dicunt Theologi quod ad volitionem omnium volibilium, & nolitionem omnium nolibilium, & quod nihil omnino esset, nisi Deus ea vellet, neque efficaciter
81 nec neque ineffaciter ab alia volitione imperari posset; si enim posset, certum est perfectionem huius imperij non contineri.

Respondeo ad primum negando antecedens & ad eius probationem dicendo: Deum impetrasse tibi volitionem mundi, & volitionem volitionis huius, in infinitum, neque enim putant absurdum in Deo processum in infinitum in huiusmodi formalitatibus concedere, sicuti multi concedunt in cognitionibus reflexis. nam posita cognitione qua Deus directe mundum cognoscit, certum est quod reflexa hanc cognitionem attingat, non est igitur cur non detur cognitio secunda reflexa, quæ hanc primam reflexionem attingat; ex hac autem recte deducitur processus in infinitum.

17 Respondeo quod alij quod primò negando antecedens; & ad eius probationem dicendo posse Deum sine vlla puta omissione, & sub processu in infinitum habere volitionem creandi mundum, quæ se excludat cuiuscunque alterius volitionis, quæ reflexe supra se ipsam cadere possit. hac enim volitione creandi mundum sic conclusa, ex vna parte Deus nihil habet, quod appetibile feratur in negationem omnis imperij, ex alia verò non datur in illius actibus reflexionis processus in infinitum, quia vltra hanc volitionem est impossibile cum qualibet alia reflexa. ergo &c. Verum hæc ratio responsionis quæ est Arriagæ tom. 1. in primum suum disput. 3. sect. 3. non videtur satis tuta, quia tam huiusmodi volitio esset imperium reflexum, quatenus per eam imperaret sibi voluntas divina carentiam omnis imperij respectu volitionis mundi, & processus excluderet omnis imperij, & simpliciter non esset exclusiua omnis imperij. Neque satisfacit subijcitur, huiusmodi volitionem esse exclusiuam omnium imperij præter omnem; quia in hoc vno potest concipi processus in infinitum, ad quod excludendum hæc responsio excogitata est. quidquid hoc imperium deflexum quo voluntas diuina quidquam sibi negatorum omnium imperare, sicuti dicit (nolo enim deflexum impedire volitionem amandi mundum) nec decreta volitio tibi reflexum imperare aliquando quemquam actum voluntatis; quid non magis illa prima volitio creandi mundum possit impedire quam volitio de non imperanda dicta volitione. ergo iam dicta volitio nihil adiuuat ad explendum imperium, postea quod non datur pura omnino in voluntate diuina. Et quia hoc secundum imperium patuit reflexè imperari per tertium, sicuti primum per secundum, necesse erit certum per quartum in infinitum, recte deducitur in hac serie vltra dari processum in infinitum in quinto imperio, seu nolitionibus. Atque hoc fundamentum primam illam volitionem creandi mundum esse supra se reflexiuam, & imperium positiuè excludendo, fidè puto non suppeditare quidem ad seruandum habere vt imperetur, vel imperari, dari tamen aliam, qua Deus dicat: Nolo voluntatem mundi reflexe imperare, & nolo etiam reflexè imperare hanc secundam; nam sicuti prædictum dedi imperio, quod supra mundi volitionem cadere poterat, datus secunda volitio erit ad excludendum imperium, quod supra secundam imponere cadere, dari debet tertium, & sic in infinitum igitur procedendum erit.

18 Dices actum volitionis diuinæ in quacunque suppositione indiuisibiliter ferri supra omnem idipsum reflexiuum; si autem non recipere infinitatem processus patere ex natura nolitionis quæ amantis omne bonum possibile, quam constat non esse infinitum. ergo &c.

Respondeo negando maiorem, indiuisibiliter enim ferri in casu nostro importat conclusionem quandam, putà dicit, quod admodum vnus omne imperium attingatur, quod admitti nequit in Deo, nam sicuti diuinus intellectus omne imperium reflexum diuinum possibile distincte cognoscit, ita voluntas distincte illud repudiare debet. Alioqui non ferretur circa illud omnia ea maiori perfectione qua possent, quod non est dicendum; & per hoc differt à nostra voluntate, quæ cum imperfecte possit ferri in suum obiectum, non est mirum si omne bonum amore boni indiuisibiliter amare possit; quemadmodum intellectus cognitione vnica illud cognoscere valet, considendo speciales boni rationes, & ad modum vnius illas concipiendo.

SECTIO TERTIA.

An omnis actus voluntatis reflexi respectu actus directi circa aliquod primum habeat respectu illius rationem imperij.

Supponendum reflexum voluntatis triplici 19
modo

modo posse respicere actum directum ab ipsa voluntate ponendum primò determinatè, & singulariter, vt si dicat (volo elicere actum contritionis) secundò indeterminatè particulariter, vt si dicat (volo elicere actum, vel contritionis, vel religionis) tertiò confusè, & vniuersaliter per hoc, quod feratur in rationē aliquam communem exercendam á se, siue in aliquo tantum individuo, vt cum dicit (volo elicere actum virtutis, hoc est, vnum ex omnibus) siue in omnibus individuis, sub dicta communi ratione contentis, vt si dicat (volo Dei legem obseruare) hus positis sit.

Nostra Conclusio: omnis actus reflexus voluntatis quolibet ex dictis modis respiciens actum directum eiusdem potentiæ tanquam obiectum ponendum, habet rationem imperantis.

Etquidem loquendo de actu, qui primo modo respicit directum nulli dubium esse potest; constat enim voluntatem nostram beneficio actus reflexi, qui directum singularem, & determinatum respicit posse immediatè determinari ad illum eliciendum; quare nihil huic deesse videtur, quo minus habeat rationem actus imperantis.

Quod si loquamur de actu reflexo tertio modo, qui videlicet respicit directum ponendū in confuso, & sub ratione quadam generica, & vniuersali, eandem fere videmus habere difficultatem, ac actus secundo modo reflexus, qui videlicet est de actu indeterminato, & particularis quatenus in vtroque melius æquè sibi reseruat determinationem actus directi: quare tota probatio conclusionis vertitur in hoc solum actu secundo modo reflexo.

Probatur autem sic; stante actu reflexo, quo quis dicat, volo elicere actum, vel misericordiæ, vel religionis V. G. potest voluntas ex vi illius immediatè se determinare ad actū misericordiæ eliciendum: ergo in hoc casu actus misericordiæ erit imperatus ab illo. ergo &c. Consequentia patet, sed veraque proposita probatione, egetprobatus autem maior; quia hoc posset negari actum illum reflexum existere conducere ad determinationem voluntatis in ordine ad actum misericordiæ eliciendum, quatenus eam obligat illum ponere modo supposito, quod nolit ponere actum religionis. Quod verò immediatè conducat ita existo, quia tunc sic conduceret, maximè conduceret modum eliciendi actus directi determinatè actum misericordiæ respicientis: nullo modo eliceret actum misericordiæ (quod dicunt aduersarii) sed ex eo, quod possit hoc modo conducere, recte dicitur, quod possit etiam conducere immediatè, & directe, quia; quia actus ille reflexus indeterminatus non minorem habet connexionem cum actu reflexo determinatè directum misericordiæ imperabilem, quam cum ipso actu directo misericordiæ manifestum indeterminatè respicit actum misericordiæ vel religionis; ita & duplicem actum reflexum, determinatum, quorum alter imperet determinatè actum misericordiæ, alter verò determinatè actum religionis; ergo sicuti modo stante illa indeterminatione, potest immediatè determinare ad actum reflexum determinatè imperantem actū misericordiæ: ita poterit immediatè determinare ad ipsū actū misericordiæ; & quidē multo probabilius, quatenus actum, quem respicit tanquā obiectū, non verò illum tanquam Minor verò probabatur, in qua subsumebamus ex suppositione, quod voluntas ex vi illius actus reflexi indeterminati immediatè se determinaret ad actum misericordiæ, hic actus esset ab illo imperatus, probatur etiam, quia ex vna parte respiceretur ab illo tanquam obiectum suum: ex alia verò absque alio actu mediante á voluntate procederet. ergo &c. Quidam *contr. 9. de anima pun. 2. num. 3.* ait ad hoc argumentum duplicitèr responderi posse ab Hurtado, qui est in opposita sententia: primo quidem negando maiorem, & ad eius probationem dicendo, actum illum particularem indeterminatum ex se quidem conducere ad actum misericordiæ eliciendum, sed medio alio actu reflexo determinato: disparitatem autem esse posse immediatè conducere ad hunc secundum reflexum, & non ad ipsum directum esse, quia secundus reflexus respicit ex suis in obiectum in hoc casu eandem honestatem, quam respicit primus, & sic primum caput habemus dicendi pendere ab illo; ad eum planè modum, quo propter eandem rationem dicimus electionem ab intentione pendere; at actus imperatus respicit diuersum motiuum formale ac imperans: & hinc fieri, vt actus misericordiæ non possit immediatè ab illo actu indeterminato procedere.

Sed contra hanc responsionem facit: quia secundus actus reflexus determinatè misericordiæ actum imperat: ergo eius honestatem respicit, & non honestatem primi indeterminati. Antecedens patet: consequentia verò probatur, quia ad hoc vt voluntas imperet sibi actum misericordiæ sufficit, quod intellectus illi proponat honestatem, quæ in subuentione miseræ reperitur, & honestatem, quæ est in actu ipso exercito hanc subuentionem exercere; sed prior honestas requiritur pro actu ipso misericordiæ: ergo posterior sufficit pro actu reflexo illum imperante. Neque dicas imperantem hunc procedere ab actu reflexo indeterminato, & ideò non solum honestatem actus imperati, sed etiam motiuum formale indeterminabile debere respicere. Neque id dicas imperantem, quia enim actus illum indeterminandum, qui vis dicit: Volo exercere actum misericordiæ, vel religionis, habere pro motiuo tibi quæ actus honestatem, numquid poterit actus determinatus, qui dicit, Volo exercere actum misericordiæ, assingere honestatem actus religionis, minimè gentium. ergo quamuis ab illo indeterminato procedat, non respiciet necessariò eius motiuum formale, sed fe habebit ad illum, sicuti electio ad intentionem finis, sed potius sicuti imperatus ad imperantem, qui respicit diuersum motiuum formale ab illo, vel assignet indeterminatus rationem, cur non possit huiusmodi actus secundus reflexus honestatem actus misericordiæ inde-

quatè respicere tanquam motiuum.

25 Secunda responsio, quam affert Quiedus gerendo vices Hurtadi ad argumentum principale est per negationem minoris: ait enim num. 2. quod quando quis, dicendo (volo elicere actum misericordiæ, vel religionis) se postea ad actum misericordiæ determinat, hunc actum solum concomitanter se habere respectu prioris, atq; adeo non esse imperatũ ab illo.

26 Sed contra hanc etiam respõsionem est; quia voluntas ex vi prioris reflexi inducitur ad eliciendum posteriorem directum, ita vt nisi determinata fuisset per priorem, vel posteriorẽ non eliceret: vel si eliceret, non per determinationem præcedentem adacta. ergo falsum est actum illum reflexum indeterminatum non exercere causalitatem aliquam respectu directi, sed concomitanter solũ ad illum se habere

27 Ad hæc idem Quiedus ex propria sententia loc. cit. num. 4. docet, quod licet quando voluntas dicit, (volo elicere actum misericordiæ, vel religionis), quia in vtroque inuenit sufficientẽ amabilitatem, vt imperetur, & in neutro maiorem rationem ad vnum alteri præferendum; nec sibi vult reservare determinationem per alium actum reflexum in posterum faciendam, sed illum committere ipsi actui directo à se immediatè eliciendo; tunc ille actus habeat rationem imperii respectu actus misericordiæ eliciti: at si illum actum indeterminatum elicit, quia natura actus misericordiæ, & religionis non dum inspectas habeat, vel quia pro sua libertate vult postea per alium actum reflexum determinare se ad vnum ex illis: tunc ille actus non habet rationem imperij respectu directi determinati. Quod in hunc ferè modũ probat: voluntas in eo casu integrum sibi reliquit discernere, quem ex illis duobus actibus potius elicere velit, ergo in tali casu productio determinata actus misericordiæ non potest imputari illi actui reflexo indeterminato. Confirmatur: dicat Dominus seruo, placet mihi vt ad forum, vel ad vineam te conferas; quo tamen determinatè ire vis, dicam postea: tunc si seruus se determinabit ad vineam pergere non expectando aliam Domini voluntatem, non exercebit actũ obedientiæ sic aequa voluntas in nostro casu dicit actũ misericordiæ eliciti.

28 Verum non existimo distinctionem istam procedere; siquidem putat actum illum indeterminatum non solum primo modo sumptum, sed etiam secundò respectu actus misericordiæ habere rationem imperii. Vt autem hoc euincã suppono duo: primò quod quando voluntas dicit (volo elicere actum misericordiæ, vel religionis) inspectam habeat naturam veriusq; actus sufficientem ad alterutrum eliciendum, alioquin ferretur in incognitum, dum absolutè statueret alterutrum velle producere: Suppono secundò quod quando voluntas reservare sibi determinationem actus directi post meliorem inspectionem naturæ veriusque actus vel per alium actum reflexum determinandum postea faciendam, hoc non facit per ipsum actum indeterminatum, qui vel ex obiecto, vel ex modo tendendi habet conditionalitatem

habeat, alioquin videretur ex suis intrinsecis excludere à se rationem imperij, non quia indeterminatus est, sed quia talis est; quo modo etiam actus reflexus determinatus videri posset dictam rationem à se excludere, casu quo voluntas diceret (volo elicere actũ religionis) dummodo illum mihi denuo imperauero, (vel volo elicere actum religionis cum intentione postea determinanda.) quamuis enim vterque actus ferretur in actum determinatum, & singularem: neuter tamen videretur prima fronte habere rationem imperij respectu actus religionis vt sic, propter rationem tactam, non obstante, quod idem auctor loc. cit. num. 1. absolutè affirmet actui singulari, & determinato sine controuersia competere in primis rationem imperij. His igitur præsuppositis, quod actus ille indeterminatus secundò modo acceptus ab Quiedo respectu actus directi misericordiæ habeat rationem imperij, suaderem ex eo, quia licèt dictus actus pro vt stat sub illis volitionibus, videlicet, melius inspiciendi naturas actuum directorum, vel per alium actum reflexum determinandi directum, non habeat immediatè influere in directum determinatum V. G. in actum misericordiæ: tamẽ hoc per accidens se habet respectu illius, quia si, eo adhuc perseuerante, voluntas mutaret sententiam, & diceret (nolo amplius præmittere inspectionem actuum directorum, quos mihi indeterminatè impero, nec volo mihi reseruare in posterum ius vnum alteri præferendi per alium actum reflexum determinatũ) vtique posset immediatè influere in actum misericordiæ, & illum à se dependentem habere. Et ratio huius est, quia cum voluntas ac potentia libera quatumuis habeat imperium indeterminatum, potest illud pro sua libertate in actu secundo determinare, sicuti faciebant mulieres pauperes Hebreorum, quæ præceptum indeterminatum purificationis, quo per vnum, aut duos pullos columbarum post puerperium sibi præcipiebatur offerre, suis pro sua libertate determinabant. Porrò hæc ratio qua vtitur Quiedus ad probandum, quod in primo casu se posito actus ille reflexus habeat rationem imperij æque conuincit, quod illam habeat in secundo, vt constat. ergo &c.

Obiectio quam in contrarium adducit ibidem motiuum: concesso enim quod in eo casu voluntas integrum sibi reliquit discernere, quem ex dictis actibus directis potius velit, nego productionem determinatam actus misericordiæ non posse actui reflexo indeterminato imputari; ex suppositione quod mouerit sententiam. Eodemmodo respondendum est ad confirmationem ex imperio in determinato quod Dominus seruo dedit, vt ad vineam, vel ad forum, si postea mutato consilio eligeret illi determinandum quo potius vellet.

Atque hæc ex suppositione quod actus ille reflexus indeterminatus concomitanter tantũ se per accidens habeat ad illum directum, vel dixerim, vel quod si

eas ex suis intrinsecis importaret, non illicò putandum esset eum à se rationem imperij essentialiter excludere. Et ratio esse potest, quia quamuis ipse sit indeterminatus in se, ex suppositione tamen, quod cum alio actu, quem exigit, coniungatur, immediatè influit in directum; quatenus nisi ipse existeret, directus à voluntate minimè procederet. Quare quemadmodum in sententia Oniedi ex eo, quod actus reflexus indeterminatus limitationes illas non includens, expectet determinationem voluntatis quò ad vnum potius actum directum quam ad alium immediatè eliciendum, se determinet; non benè deducitur quod respectu actus determinari non habeat rationem imperij: ita neque actus reflexus dictas limitationes habens, ex eo quod expectet determinationem actus directi postea, aut per alium actum faciendam.

31 Ad argumentum autem in contrarium facile in hac etiam via responderi potest, concesso antecedente: voluntatem nimirum in eo casu integrum sibi relinquere determinare, quem ex dictis actibus potius velit: & distinguendo consequens. ergo determinata productio actus misericordiæ non potest imputari illi actui reflexo indeterminato totaliter, concedo; non potest imputari partialiter, nego consequentiam. imputatur autem partialiter, quatenus nisi ille præcederet in voluntate, actus misericordiæ ab ea minimè eliceretur: ad eum planè modum, quo oblationem duorum turturum, quam fiebat à puerpera Hebræa post puerperium, omnes ex vi legis fieri tunc putabant: eique attribuendam esse censebant, non obstante quod lex columbarum etiam oblatione contenta foret. atque adeò partialiter tantum in oblationem turturū influebat; quemadmodum etiam partialiter influit in sententia auctoris actus reflexus indeterminatus, expectans determinationem directi à voluntate per positionem eiusdem actus faciendam.

32 Ad confirmationem verò dicendū quod quēadmodum si Dominus reliquisset voluntati servi determinandum verum potius in forum, vel in vineam ire vellet: servus, eundo ad Vineam, actum obedientiæ exerceret, & Dominus actum inuidictionis in illam actionem: sic quia voluntas dum imperat sibi pēr actum reflexum indeterminatum misericordiæ, vel religionis actum, relinquens sibi determinationem ad vnum ex illis; dum se postea determinat ad actum misericordiæ, per hanc determinationem non excedit limites seruitutis erga seipsam.

33 Contra conclusionem autem principalem. Obijcies, primò imperium debet esse factiuum obiecti, sed obiectum actus reflexi indeterminati non est factibile. ergo actus reflexus indeterminatus nequit habere rationem imperij. Maior patet. Minor probatur, quia obiectum actus reflexi indeterminati est hic actus, vel ille indeterminatus; sed actus indeterminatus non est factibilis, nam omnis efficientia terminatur ad singulare. ergo &c. Respondeo, concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem distingno maiorem: obiectum actus reflexi est hic actus, vel ille indeterminatus indeterminatione se tenente ex parte ipsius actus reflexi, concedo; ex parte sui obiecti, nego maiorem; & sic distingu etiam minorem, actus indeterminatus non est factibilis, si est indeterminatus indeterminatione se tenente ex parte sui, cōcedo; ex parte actus reflexi, qui versatur circa ipsum, nego minorem, & consequentiam. Dico enim voluntatem, quando dicit Volo elicere actum misericordiæ, vel religionis, non intendere actum vagum, & indeterminatum, sed maximè determinatum, quia alterutro contenta est, & ideò actu indeterminato fertur in vtrumque.

Obijcies secundò: actus reflexus voluntatis 34
indeterminatus versans circa actus externos V. G. volo legere, vel ludere, non habet rationem imperij respectu illorum. ergo neque actus reflexus indeterminatus versans circa directos eiusdem voluntatis. Respondeo distinguendo antecedens, actus reflexus indeterminatus versans circa actus externos non habet rationem imperij, nullo alio accedente actu voluntatis determinatiuo illius indifferentiæ, concedo. si accedat, nego antecedens, & consequentiam. Aio enim, quod quando voluntas dicit Volo legere, vel ludere: hoc imperium indeterminatum cum versetur circa actus de se necessarios, requirit alium voluntatis actum, qui determinet quid potius homini faciendum sit. Quo posito vtique ille actus prior habebit rationem imperij respectu determinati actus externi. ac si voluntas dicat volo amare Petrum vel Paulum, cum actus amoris ponatur libere ab ipsa voluntate produci: poterit ab eadem absque alio actu reflexo illa indifferentia imperij determinari.

Obijcies tertiò: ex vi illius actus, quo volun- 35
tas dicit, Volo elicere actum virtutis vt sic, vel quia speciales bonitates non habet sibi propositas ab intellectu, vel quia vult sibi per alium actum reflexum determinationem reseruare, non est explorata voluntas circa aliquem actum, ita vt absolutè possit dici, hic actus voluntati placet; vt patet ex eo, quia cum dicto actu compossibilis est actus, quo dicat Volo elicere actum misericordiæ, & sic de qualibet in particulari; ergo hic actus confusus, & vniuersalis non habet rationem imperij. Ita fere Oniedus num. 9. Respondeo concesso integro antecedente negando consequentiam. Quemadmodum enim in eius sententia ex vi actus, quo quis dicit Volo elicere actum misericordiæ vel religionis, non est explorata voluntas circa vnum potius quam 37
alium eo, quod cum vtrique carentia distributiue sumpta actui illi reflexo coniungi possit; nihilominus tamen dictus actus respectu directi, ad quem voluntas se determinat, habet rationem imperij: ita non debet eadē ratio huic actui denegari.

Obijcies quartò ex eodem num. 10. saltem 36
actus ille quo voluntas dicit Volo totam Dei legem implere, si non habeat inspectos actus speciales præceptos, non potest habere rationem imperij respectu actus specialis præcepti. ergo &c. Antecedens probatur, quia voluntas beneficio huius actus vt fertur in rationem communem, ac si nullo modo rationes particulares

amaret.

Digitized by Google

amaret: ergo non potest hic actus voluntatem immediatè determinare ad specialem actum, & per consequens respectu specialis actus idem actus vniuersalis nequit habere rationem imperij. Respondeo negando antecedens; & ad eius probationem nego item antecedens; amor enim quando fertur circa rationem aliquam communem in tota sua latitudine ponendam à parte rei, quemadmodum potitur ferri ille actus, qui practicè vult totam Dei legem implere: necesse est feratur etiam circa omnes, & singulas species particulares, quatenus sub illa comprehenduntur, & eius amabilitatem includunt ad eum planè modum, quo quando quis verè amat Deum, necesse est amet etiam proximum suum propter illum. Ex quo patet falsum esse, actum illum, quo quis efficaciter statuit totam Dei legem obseruare, non posse determinare voluntatem ad specialem actum legis Dei, qui obseruandus occurrit, posito quod ex parte intellectus ipsi voluntati proponatur eum esse vnũ ex illis, qui in lege diuina continentur.

SECTIO QVARTA.

De Imperio directo, & actu ab eo imperato.

37 NOmine imperij directi, vt diximus supra, intelligimus intentionẽ finis, hoc est desiderium efficax, ex vi cuius voluntas determinata manet ad electionem. Porrò electio est volitio quædam efficax medij particularis, quod ad finem per intentionem desideratum consequendũ conducit; & ideò venit nomine actus imperati quatenus ab ipsa intentione immediatè dependet, non tanquam obiectum ab illa volitum, sed tanquam quid necessarium ad obiecti sui consequutionem. Vnde fit vt dicta intentio dicatur imperium directum, & non reflexum; eo quod per illam voluntas non reflectit supra suos actus, sed aliud habet pro obiecto. Iam verò de his duobus actibus duo à nobis in præsenti sectione quæri possunt. Vnum pertinet ad imperium directum, num scilicet omnis intentio finis sit necessariò volitio mediorum. Alterum ad actũ imperatũ, an videlicet omnis electio medij amet intrinsecè obiectũ intentionis.

SVBSECTIO PRIOR.

Quid de prima difficultate: vbi de intentione efficaci pœnitentiæ ante præuisa peccata.

38 CONclusio est affirmatiua dico enim omnẽ intentionem finis esse necessariò volitionẽ mediorum, vel formaliter, & expresse, vel saltem virtualiter, & interpretatiuè. Ita Suarez Vasquez, Lugo, Hurtadus, Aldrete, Ribadeneyra, & alij ex nostris in Societate, quos citat Quiros *in suo tractatu disp.* 10. *num.* 2. licèt 39 ipse sit in contraria sententia cum Molina, Granado, Ruiz, & alijs *num.* 9. à se citatis. Est quidem quòd omnis intentio voluntatem mediorum includat, & amet, probatur ex eo quia nomine intentionis finis intelligimus desiderium efficax ipsius finis, sed desiderium efficax per hoc differt ab amore simplicis complacentiæ, quod hic sibi complacet tantum in bono proposito; illud verò fertur in eius realem cõsequutionem. at qui lumine naturæ constat, quod quoties aliquis intendit realiter consequi aliquem finem, vult adhibere omnia necessaria media ad illum consequendum. ergo omnis intentio volitionem mediorum includit. Neque dicas sufficere ad intentionem si sit cum huiusmodi volitione coniuncta: non autem necesse esse, quod eam habeat secum identificatam. Ne id dicas, inquam, nam intentio attingit per se ipsam finem vt possidendum; sed non nisi per media possidendus ab intellectu proponitur. ergo debet intentio per se ipsam attingere, & amare 40 media.

Quod verò non sit necesse, vt intentio finis sit formaliter, & expresse volitio mediorum, sed sufficiat si sit virtualiter, & interpretatiuè talis probatur quoque. Quia quando quis scit se adhibere posse multa media ad aliquem finem consequendum, sæpè contingit vt determinet, de fine, reseruando sibi ad aliud tempus discussionem rationum, quæ ad medij determinationem pertinent, vt si quis V. G. mane statuat ire in villam suam cras; & vesperi determinandum relinquat num in lectica, vel in curru vel potius æquitando ire velit: imò accidere potest vt quando statuit de fine, ne disiunctiuè quidem feratur in media in particulari; sufficit enim si in cõmuni sciat sibi non deesse media ad illũ finẽ obtinendum, vt eum possit efficaciter intendere. 41 Atque ex his colligitur decisio illius quæstionis Theologicæ, num scilicet potuerit Deus intendere efficaciter pœnitentiam Petri V. G. ante præuisionem absolutã peccati illius. Negatiuè enim respondendũ est cum Suarez, & alijs doctoribus supra citatis: & rectè, quia hoc ipso quod intentio amat finem vt consequibilem per media, medium autem vnicè requisitũ ad pœnitentiam Petri sit peccatum ponendũ: rectè deducitur quod deberet Deus eius amare peccatum.

Contra hoc obijcit primò Quiros *loco citato num.* 9. sic: Potest Deus intendere vt absolutè ponatur aliquis finis per ea præcisè media, & eo modo, quibus præuisus est futurus, si ponantur dicta media; sed per scientiam conditionatorum præuidet Deus, si permittat peccatum Petri, id infallibiliter futurum esse, & pœnitentiam eius, quin ametur ipsum peccatum. ergo cognoscit prius quod si ponatur permissio absque vllo amore peccati existere pœnitentiam, potest igitur hanc vt sic efficaciter intendere. 42

Respondeo distinguendo *maiorem*, & *siquidem inter media numeretur necessariò aliquod turpe, nego: contra verò concedo.* Deinde distinguo minorem: *per scientiam conditionatam præuidet Deus si permittat peccatum, infallibiliter illud futurum, & pœnitentiam, quin ametur peccatum; si pœnitentiam non intendat*: concedo: *illam tanquam finem intendendo*, nego minorem, & in hoc sensu concesso priori consequentia: nego posterioris antecedens.

Obijcit secundò *num.* 10. Intendens efficaciter finem solùm tenetur ad faciendum ea media, quibus talis finis obtinetur, non verò vt obtinea- 43

Digitized by Google

obtineatur pœnitentia, non requiritur aliquis amor peccati, sed sufficit permissio, ergo &c. dico

Respondeo concessa maiori, distinguendo ego negro minorem, de obtinenda pœnitentia per obiectionem non intentam finaliter secundo modo, quæ

44 dicitur amorem pœnitentiæ obtinere debere pœnitentia per obiectionem, hoc licet sit tantum, aliquo ministerio & consequentia amoris

In tertio. Intendens aliquem finem, non tenetur velle plura media, quæ ad illum finem eligere: ergo idem dicendum quando sunt plura media ad ponendum aliquod medium, nam ibi tenetur ad determinatum modum: sed peccatum potest poni vel per amorem, vel per permissionem, ergo sufficiens Deus ponat illud per permissionem, absque amore boni

Respondeo concesso primo enthymemate, distinguendo minorem sub disiunctam, peccatum abstrahens potest poni vel per amorem vel per permissionem, quando non est medium necessarium ad finem aliquem efficaciter intentum, concedo quod sit tale medium, nego minorem ob

consequentiam; quia non sunt ita se assequibilia amorem boni per quod assequendus est

45 Salvatur ista ratio, sicuti se habet intentio finis ad ipsum absentem, ita gaudium ad illum præsentem; sed Deus gaudens de existentia pœnitentiæ, non tenetur gaudere de peccato; ergo neque intendens existentiam pœnitentiæ tenetur amare peccatum.

Respondeo negando maiorem absolute. Disparitas fuit est, quia intentio finis tendit ad eius praxim, & quidem efficaciter, quare debet velle omnia, quæ ad eius consequutionem ponenda sunt. At gaudium de se afficitur speculative tantum circa finem secundum se considerato. Unde fit, ut possit quis licitè de filio ex fornicatione accepto gaudere, non autem de illum intendere.

46 Obijcit denique tertiò *num.* 41. sic. Remisit Deus Ioanni: nisi sumpta occasione ex usura Petri ipsius peccaminosa Petri, ipsum peccaturum. Tum si supponamus Ioannem certò cognoscere non aliter futuram Petri usuram, nisi ipse, qui in exercitio est, munus ab eo petat: ne pecces, cogitur petendo velle permissionem infallibilem peccati Petri. ergo in creatis potest quis quin amet peccatum, velle aliquem finem, qui cogat voluntatem ad permissionem peccati.

Respondeo casum obscurè proponi; cum enim dicat Ioannem sumpturum occasionem ex usura Petri ne peccet. In decursu postea supponit eum ne peccet, debere dare Petro illam occasionem. Sed quidquid sit de hoc vitiosè quæro, num occasio usuræ Petri sit præcepta tantum, ita ut præmissa per hoc, quod eam non ponat, peccet: an verò per scientiam conditionatorum sit solum existentium, quod si dicta occasio non ponatur, ipse postea incidat in aliquid peccatum; in utroque autem sensu q. probandus; ergo nulla est. Probo minorem, quæ sola probatione eget. & quidem quod non procedat in primo sensu probatur, quia sic Deus intenderet peccatum Petri exequendum per occasionem illam tanquam per medium; non enim intelligibile est aliquem velle efficaciter occasionem peccati alterius fore medium ut talem; quia velle peccatum dicit

Quod verò neque procedat in secundo, constat ex eo, quia sic peccaret Ioannes petendo munus tanquam à Petro dum usura peccaminosa circumstantia, in qua non habet esse electi mutui, ut supponitur; necessitas enim peccandi certitudinaliter inducendi per

cata, cum sit conditionata, & ita sua libertate dependens, non excludit illud à petitione, propter quam tam arcta necessitas supponatur, ne peccetur. Dico ergo quod cum occasio sumpta Petri ipsius habeat conditionatè annexum peccatum, & Petrus ipsam habeat conducentem ad peccandum, ut ponatur, non potest Ioannes illam ponere, quin ponat peccatum à Deo permissum, quod conjunctum

cognoscat.

SVBSECTIO QVARTA.

Quid de secunda difficultate.

Quod secundo, secunda Conclusio. Quamvis electio media præmissis sit sub- 47

ter se amore obiecti intentionis V. G. quando quis eligit medicinam, quia vult sibi necessariam, quia vult sanitatem, necesse est velle propter sanitatem. Sic Arriaga *disp. 5. sect. 3.* dicit communiter sequuntur Doctores *primæ secundæ quæst. 8. artic. 1.* in corp. hæc in qua sunt ad finem in quam humanus actus non potest ferri, voluntas, nisi ferantur in ipsum finem. Ita tamen contra eos nullos reputamus existimantes posse voluntatem amare rem aliquam, quia utilis est ad aliquid, quod non amaret, obiecto ut sic tendente abstrahendo à quod per illud actum amet id, quod intendit ut si quis V. G. intendens sanitatem cognoscat medicinam quandam esse medium aptum ad eam consequendam, & simul esse in se habilem ratione dulcedinis, quam habet, dicunt posse hunc amare medicinam, nullo modo per hunc simplicem actum amando sanitatem.

Probatur primo Conclusio, quia per hoc differret electio ab intentione, quod intentio desiderat obiectum suum propter seipsum: electio verò vult medium, non propter se, sed propter finem. ergo de essentia electionis est esse amorem finis, eius bonitatem respiciendo tanquam motivum, quo. sed finis est obiectum intentionis ergo ex intrinsecis suis haberet electio esse amor obiecti intentionis. 48

Probatur secundo, quia nisi electio ex intrinsecis suis esset huiusmodi amor, sequeretur quod posset quis eligere aliquid, quod de se esset medium ad peccandum formaliter, quamvis tale absque eo quod peccaret; sed hoc est, in quibus ergo &c. 49

Ad hoc respondent aliqui primò negando se- 50 quelam; dicunt enim electionem illam esse peccaminosam, non quia ex se formaliter amor obiecti intentionis, qui habet pro fine aliquod peccatum, sed quia ab ipsa intentione efficienter procedit. Sed contra est, quia si hæc responsio vera esset, sequeretur quod electio medii de se inferens morem alterius V. G. vel pollutionem ex intrinsecis suis esset illicita, & solum extrin-

secè

sanè esset mala, ad eum planè modum quo dicunt Theologi, quod esset malus actus misericordiæ imperatus ab actu habente pro motivo vanam gloriam, atqui hoc esse falsum patet ex eo, quia hoc quod est velle aliquid, quia vtile est ad aliquem finem malum, ex intrinsecis suis malum est; nec potest aliqua ratione, cohonestans, etiam si non concipiatur efficienter præcedere ab intentione finem illum malum respiciens, ergo dicta electio non est peccaminosa per hoc, quod ab intentione mala efficiatur, sicuti est actus bonus ab imperio referto malo imperato, sed ex intrinsecis suis quatenus videtur latam obiectum intentionis.

Respondere adhuc possunt secundò: electionem duplicitèr intelligi posse amare medium propter finem, primò materialiter; secundò formaliter: quamvis autem amare medium propter finem formaliter importet ambem finis, & sic intrinsecè malum quando finis est malus, at non amare medium propter finem materialiter; quod tunc fieret, quando quis ex eo quod intenderet sanitatem V. G. videns quòd teneatur eligere medicinam, eligat quidem illam, sed præcisè allectus dulcedine, quam in ipsa cognoscit, vel obalium finem, & non propter bonitatem sanitatis, & ideò hanc volitionem medicinæ appellant electionem materialiter, & non formaliter; quam dari posse hoc argumento suadent: Voluntas ex eo quod finem intendat, solum tenetur ponere id, quod ad dictum finem consequendum necessarium est, sed ad finem consequendum non est necessaria volitio medij propter dictum finem, quæ est electio formaliter; sed sufficit volitio medij ex quocumque alio fine, sed motivo, quæ est electio materialiter, ergo &c. Maior videtur certa, & minor probatur, quia medicina ex quocumque tandem fine adhibeatur, æque vtilis est ad sanitatem acquirendam, ac si ex fine ipsius sanitatis adhiberetur.

51 Verum neque hæc responsio solida est; nam huiusmodi electio materialiter accepta, quam dicunt Aduersarij voluntatem ferri in medicinam post intentionem sanitatis, quamvis nemine cogitante sit vna numero volitio formaliter tamen, & per intellectum est duplex; nam pro vt est prosequutio medicinæ propter appetibilitatem, quam habet in se ratione dulcedinis, habet rationem intentionis; pro vt verò est prosequutio eiusdem, quatenus ab intellectu repræsentatur vt medium aptum ad consequendam sanitatem, habet quod sit electio, vt manifestum est. Tum sic: nisi hæc volitio, quatenus est electio, amaret saltem implicitè sanitatem, sequeretur, quod qua talis non respiceret formaliter bonum; sed hoc aperte repugnat: ergo &c. Minor patet, si quidem motivum formale voluntatis per modum prosequutionis est tantùm bonum, vti vidimus supra; sequela verò probatur, quia præter bonum sanitatis non est nisi bonum medicinæ; quod quidem est duplex, vnum delectabile, alterum vtile: atqui hæc volitio pro vt est electio non respicit eius bonum delectabile, vt constat, quia sic habet rationem intentionis, ergo respicit eius bonum vtile: sed tota appetibilitas boni vtilis refunditur in appetibilitatem boni, in ordine ad quod vtile est; ergo impossibile est, vt hæc volitio nō amet saltem implicitè sanitatem ipsam, ad quam consequendam medicina est vtilis.

52 Neque dicas hoc argumento conuinci, quod si illa volitio esset electio formaliter, sic se haberet; verum ad hoc sufficere materialiter, sufficere si proponatur medicina voluntati vt vtilis ad sanitatem, & voluntas illa eligat propter dulcedinem quam sibi in se continere. Nè id dicas, inquam, quia sic voluntas non vellet medicinam vt vtilem, sed medicinam, quæ est vtilis, & sic per hunc actum prosequutionis nō ferretur in bonum formaliter, sed materialiter tantum. Quod impossibile constat aperte, si ponamus huiusmodi actum non habere rationem intentionis, neque respicere medicinam vt in se amabilem: tunc enim si adhuc voluntas medicinam prosequeretur, & non vt vtilem, ferretur extra suum obiectum, ad eum planè modum quo oculus si videret obiectum coloratum, & non attingeret rationem caloris.

53 Neque iterum aptas sufficere ad rationem electionis constituendam, si respiciat præcisè medium quatenus vtile ad finem consequendum, ita vt bonitatem finis non vt motivum, sed vt meræ terminum boni vtilis attingat. Contra enim est, quia medium quatenus vtile constituitur per bonitatem ipsius finis diuersimodè participatam, de qua vt fusè in *Physicis disput. de essentia materiæ subtilis sexta*, vbi statuimus materiam per eandem potentiam formaliter sumptam respicere formas accidentales, ac substantiales, quia hæ habent rationem finis, illæ verò medij.

54 Porrò ad fundamentū, cui hæc responsio nitebatur, distinguenda est illa maior: Voluntas, ex eo quod finem intendat, solum tenetur ponere id, quod ad illum consequendum necessarium est: dicendumque quod teneatur illud ponere eo modo, quo ipsa potest ponere, & non alio modo; Et ad minorem subdendum, quod licèt ad sanitatem consequendam non sit necesse ponere medicinam propter sanitatem, spectata proportione, quæ est inter medicinam, & sanitatem, quia etiam si non esset volita in hunc finem, imò neque esset absolutè volita, ad hunc si adhiberetur, sanaret hominem: tamen si spectemus modum, quo medicina adhiberi potest à voluntate, dicendum quod quemadmodum non potest nisi sit volita, ita neque potest nisi sit volita propter sanitatem; Per quæ patet responsio ad probationem minoris. Dico enim, quod licèt medicina ex quocumque fine adhibeatur, æque vtilis sit ad sanitatem causandam, quantum est ex se; ex modo tamen operandi voluntatis necesse est ex fine acquirendæ sanitatis formaliter adhibeatur: alioquin dicam ego eam posse adhiberi ab eadem fine vllo prorsus fine, æque adeò nullam prorsus bonitatem formaliter attingendo.

SE-

SECTIO QVINTA.

An imperium efficax, & determinatum tollat libertatem actui imperato propriam.

55 CONclusio est affirmativa. Pro cuius intelligentia notatem imperium efficax dici determinatū, vel indeterminatum non quidem in se; constat enim omne, quod est, esse in se determinatum, sed in ordine ad actum imperatum; in quantum potest in illum ferri vel determinatè, dicendo V. G. Volo in hoc instanti elicere actum amoris Dei; vel indeterminatè, vt si diceret, Volo in hoc instanti elicere actum amoris Dei, vel humilitatis. Quo posito dico imperium illud efficax reflexum, quod determinatè fertur in actum imperatum voluntatis directum,
56 tollere ab eo proprio, & immediatam libertatem, & illum denominare libertum tantum extrinsecè per libertatem, quam habet in se ad eum planè modum, quo si imperaret actum externum, denominaret illum libertum per denominationem extrinsecam à se proueniente. In hac sententia sunt Sotus *prima secunda tom. 1. lib. 6. disput. prima sect. 3. & disput. 2. sect. 6.* Ripalda *de ente supernaturali disput. 68. sect. 2.* Hurtadus 22. *disput.* 136. Quiedus *de anima contron. 9. punct. 4.* Arriaga *in primam secunde tom. 1. disput. 4. sect. prima*, & alij.

Probatur vnica ratione: quia huiusmodi imperium efficax, reflexum est ex suis intrinsecis connexum cum actu imperato, ita vt quantum est ex se, sit incompossibile cum eius carentia; alioquin verò antecedit, & est causa illius, vti supponimus. ergo tollit ab eo propriam libertatem. Consequentia patet, quia, omnis suppositio antecedens determinans voluntatem ad actū tollit ab eo libertatem, quemcumque affert necessitatem antecedentem, tenentem sex parte principij operatiui, quod est voluntas. Quod si contendant Aduersarij huiusmodi necessitatem esse consequentem, eò quod ea sibi voluntas imponit, sic insurgo: Voluntas ex suppositione actus efficaciter imperandi duplicem necessitatem, & determinationem sibi imponit: prima est in ordine ad ipsum actum imperantem; nam posito quod illum elicit, necessariò elicit, & est ad illum eliciendum determinata. Secunda est in ordine ad imperatum, quatenus posito actu imperante efficaci, quo dicatur Volo in hoc instanti elicere actum misericordiæ V. G. non potest illum non elicere, quamuis hæc prior illa necessitas, & determinatio consequens sit,
58 & ideò non tollat libertatem propriam actus imperati: ut posterior est antecedens, quia non oritur ex suppositione ipsius actus imperati, sed alterius, quo se habet vt determinans illum. Neque refert huiusmodi determinationem esse positum ex libera determinatione voluntatis; quia licèt hoc non præiudicet libertati propriæ actus, qui se habet vt determinatum, præiudicat tamen libertati propriæ actus, qui se habet vt determinatus; tollit enim indifferentiam ab eius principijs immediatè influxiuis; non minus quam si esset qualitas quædam mortua, voluntatem physicè prædeterminans ad eundem actum imperatum eliciendū.

Obijcies primo in eodem instanti in quo voluntas elicit actum imperantem, & imperatum, in priori naturæ duas habet immediatas libertates in actu primo: Vnam pro imperante, quem per nos defactò elicit liberè. Alteram pro imperato, quem poterat independenter ab imperante libere producere. ergo duos actus immediatè liberos in actu secundo in eodem instanti producit. 57

Respondeo distinguendo antecedens: voluntas in priori naturæ habet immediatam libertatem in actu primo ad producendum actum imperatum, independenter ab imperante, concedo; dependenter, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim nunquam voluntatem habuisse libertatem in actu primo in ordine ad producendum imperatum immediatè liberum dependenter ab imperante, eo quod implicat contradictionem posse dari actum imperatum immediatè liberum, qui pendeat ab imperante efficaci; solum igitur habuit immediatam libertatem in actu primo ad producendum imperatum independenter ab imperante. Ex hoc autē non sequitur, quod in eo instanti vterque actus immediatam haberet libertatem in actu secundo, quia libertas in actu secundo imperati est, sicuti erat in actu primo; in actu autem primo non erat immediata, si ille procederet dependenter ab imperante, sed tantum mediata. quare vt voluntas intelligatur habere libertatem in actu primo proximo, & completo producendi actum imperatum immediatè liberum, debet concipi cum negatione actus efficaciter imperantis. Non quia actus imperans est impedimentū quomodocumque ad libertatem actus imperati, sed quia est tale impedimentum, quod non potest per actum imperatum destrui; corroborantur enim potius imperium ad præsentiam imperati, qui destruatur. Porrò impedimenta quæ per aduentū actus secundi excludi nequeunt, debent præintelligi exclusa ad eius aduentum, alioquin non fieret actus liberè.

Obijcies secundò amare est necessariò connexum cum omissione odij eiusdem obiecti, sicuti actus imperans cum imperato. sed potest voluntas, existente amore, odium omittere liberè per libertatem immediatam. ergo potest etiam existente actu imperabili liberè per libertatem immediatam elicere imperatum. 58

Ad hoc argumentum respondet primò Hurtadus *disput. 136. sect. 2. subsect. 4. §. 44.* negando maiorem, rationem assignat dicendo, quod quoties voluntas elicit actum amoris, prius naturæ ponitur liberè odium. Vnde non potest amor inducere omissioni odij necessitatem, eo quod hæc ante ipsum supponitur existere liberè; contra verò quoties elicit actum imperatum, in posteriori naturæ elicit imperatum. Non est igitur mirum si imperans ei adimat libertatem. 59

Verum hæc responsio non procedit vniuersaliter; quia licèt possit aliquando contingere, vt voluntas prius se determinet ad omissionem odij, 60

Digitized by Google

odij, quam ad productionem amoris circa obiectum propositum: experientia tamen conuincit quod non semper id faciat, sed sæpè ita feratur primò per amorem in obiectũ, vt amor sit causa carentiæ odij; ad eum planè modum, quo calor introductus in lignum est causa carentiæ frigoris.

Respondet secundò Ouiedus *loco cit. num.* 19. Concessa maiore, negando minorem. existimat enim impossibile esse vt in eo instanti, in quo est amor, voluntas omittat odium liberè libertate propria ipsius omissionis. Hoc probat *num.* 15. ex eo, quia ad omissionem liberam requiritur non solum ipsa entitas omissionis, & potentia ad actum, cuius est omissio, sed etiam carentia entitatis necessariò connexæ cum ipsa omissione; cum igitur actus amoris sit entitas necessariò connexa cum omissione odij, implicabit, quod voluntas in eo instanti reali, in quo liberè amat, omittat odium liberè. Quod si dicas, ad liberam odij omissionem sufficere carentiam amoris, vt determinantis ipsam omissionem; quare quidquid sit, si amor tunc existat, dummodo ad illam non determinet, non auferet ab ea propriam libertatem. Dictum hoc impugnat idem auctor *num.* 16. negando posse non determinare, quod probat ex eo, quia inter principium determinatiuum omissionis odij, quod in casu nostro est actus amoris, & actualem eius determinationem nulla est distinctio; si quidem per suã met entitatem amor determinat voluntatem ad dictam omissionem. ergo vt voluntas intelligatur libera ad omittendum, debet concipi cum reali negatione amoris; & per consequens implicat amorem infundi ex præuisione omissionis liberæ odij. Quod si physica prædeterminatio infundi potest in posteriori naturæ ad existentiam actus, ad quem est apta prædeterminare voluntatem; & casu quo sic infunditur, libertati illius actus minimè præiudicat: Ratio est, quia cum actus positiuus physicè procedat à causis, potest præuideri procedere à quibus defactò procedat, inter quas dum non videtur physica prædeterminatio, quamuis in eo instanti realiter existat, non præiudicat libertati illius actus: at omissio libera non producitur physicè, neque datur aliquid verè prius natura respectu illius, sed tantum interpretatiuè; ideò dicendum eam procedere à voluntate, quæ est productiua actus oppositi, & ab omni eo, quod est in ipsa exclusiuè eiusdem actus oppositi, cuiusmodi est amor.

61 Verum ego vt ingenuè fatear, hunc Ouiedi discursum probare non possum. puto enim in instanti, in quo est amor, voluntatem posse defactò omittere odium liberè libertate propria omissionis. Ratio, quæ me mouet, est, quia nulla potest assignari repugnantia, quod in hoc eodem instanti reali V. G. voluntas pro primo signo naturæ intelligatur habere solam libertatem contradictionis in ordine ad odium, & eius omissionem; in secundo autem signo intelligatur determinare se ad omissionem odij; in tertio verò obtinere à Deo libertatem cõtradictionis ad amandum vel non amandum idem obiectum; & in quarto denique determinare se ad illud amandum. sed si ita se habeat voluntas in eo instanti, in quo amat obiectũ, liberè omittit odio habere illud libertate omissionis propria. ergo &c. Minor, & consequentia videntur certæ; Maior verò probatur; si qua enim esset repugnantia, maximè quia nõ potest in tertio signo intelligi compleri à Deo voluntas in ordine ad amorem, & eius omissionem pro eodem illo instanti reali, sed hoc gratis omnino asseritur, quia illud nihil aliud importat, quam Deum videre liberam omissionem odij, & eius intuitu complere voluntatem ad actum amoris eliciendum circa idem obiectum si velit; sed hoc non repugnat ex parte Dei, neque ex parte voluntatis, neque ex parte complementi, & multo minus ex parte actus amoris eliciendi vt patet. ergo &c.

Ad rationem verò ab Ouiedo in contrarium adductam dicerem: ad immediatam libertatem omissionis odij, præter entitatem illius, & potentiam ad odium, & ad eius omissionem ponendum, sufficere carentiam amoris; non quomodocumque sed vt determinantis voluntatem ad dictam omissionem. Quare quemadmodum, si Deus in hoc instanti, postquam videt, actum amoris procedere à voluntate indeterminata, in posteriori naturæ eam physicè prædeterminaret, non præiudicaret immediatæ libertati talis actus; eo quod physica prædeterminatio, non se haberet vt principium determinatiuum voluntatis in ordine ad dictum actum; sic si voluntas ita se determinat ad omissionem odij, vt in posteriori naturæ intelligatur se determinare ad actum amoris, omissio illa proximam, & immediatam libertatem habebit. Ad probationem in contrarium responderem: negando antecedens, quod videlicet inter principium determinatiuum omissionis odij, quod in casu nostro est amor, & actualem eius determinationem, nulla sit distinctio. Quamuis enim per suam met entitatem amor ad dictam omissionem determinet: distinguitur tamen eius vis determinatiua ab actuali determinatione per hoc, quod actualis determinatio connotat voluntatem carere odio ex vi actus amoris, quem elicit; cũ quo stat, quod si voluntas in priori signo ad amorem se determinasset ad omissionem illam, non posset concipi, vt actu determinata ab amore, carere odio. sic prædeterminatio physica per suam entitatem determinat voluntatem ad actum, cuius est prædeterminatio, quatenus videlicet illã informat, & tamen nisi connotet eam pro vt à se informatam, operari illum actum, non intelligetur ad illum actum determinare.

Porrò disparitas, quæ adducitur inter actum positiuum, & omissionem liberam non facit ad rem; nam quamuis omissio non producatur physicè à causis, quibus adscribitur, neque sit verè natura posterior illis, non potest tamen negari, quando procedit liberè à voluntate, quin eam respiciat vt completè potentem ponere, vel non ponere actum oppositum. Quid ni igitur

Digitized by Google

poterit respicere eodem modo eandem voluntatem, etiam si realiter existat in ea actus amoris; præsertim si dicamus, quod voluntas tunc ex modo tendendi per amorem in obiectum in actu exercito offendat ita sibi obiectum placere, vt etiam si illud non amaret, nullatenus induceretur ad illud odio habendum.

64 Verum hoc dicere non videtur nobis necessarium; nam si supponamus hominem carere habitu cum scientia, nō erroris de aliquo obiecto, etiam si vnus habitus sit essentialiter exclusivus alterius, nemo dixerit carentiam habitus erroris procedere ab habitu scientiæ, casu quo homo ille postea acquireret dictum habitū; vndè falsum est vniuersaliter carentiā rei adscribi debere omni ei, quod est exclusivum illius rei, quæ est opposita dictæ carentiæ.

65 His igitur duabus responsionibus ad obiectionem primo paleam posthabitis, Respondeo tertiò distinguendo maiorem: Amor est necessariò connexus cum omissione odij, sicuti actus imperans cum imperato, & quidem si loquamur in sensu reali, concedo; sin autem in sensu causali, & illatiuo, nego maiorem; & sic distinguo etiam minorem: potest voluntas, existente amore, libere omittere odium, & amor est solum realiter connexus cum omissione odij, concedo: ita vt sit etiam cum ea illatiuè connexus; nego minorem, & consequentiam. Explico distinctionem, quemadmodum repugnat, quod amor existat sinè carentia odij, sic quod existat actus imperans sinè imperato; cum hoc tamen discrimine, quod ad amorem sufficit si realiter sit cum carentia odij coniunctus in voluntate, in qua est; ad actum verò imperantem efficaciter requiritur vt non solum realiter sit coniunctus cū imperato, sed etiam illatiuè, ita videlicet vt sit causa illius. Primum patet, quia nil aliud exigit amor, nisi quod non sit odium in subiecto, in quo est, sinè hoc non esse ab ipso, sinè aliundè procedat; quia hæc exigentia in physica oppositione fundatur: at per imperium efficax reflexiuum intelligimus actum voluntatis, qui non solum vult quomodocumque existentiam actus imperati, sed vult illam per modum imperij, atque adeò aliquam causalitatem erga eum exercendo. Vndè quemadmodum repugnat quod quis imperet seriò vt afferat illi librum, quem tam habet in manu; ita quod voluntas imperet sibi actum amoris, quem independenter ab imperio in eodem instanti sibi producit. imperium enim in hunc finem essentialiter ordinatur, vt eius beneficio actus imperatus existat. Non negauerim tamen huiusmodi causalitatem, quam exereet in illum, non esse physicam in genere efficientis, neque necessariā omnino ad existentiam illius; nihilominus, importare suppositionem antecedentem, suaderem ex eo, quia imperium influit in genere causæ formalis determinando voluntatem ad actum imperatum, ad eum planè modum quo visio beata influeret in actum amoris Dei, etiam si ea duretur hominē habenti cognitionem supernaturalem de Deo, per quam sufficienter esset potens illum amorem libere in se producere; & nihilominus ante quā Deus videret huius amoris productionem, beatam visionem ei infunderet. Hæc enim procul dubio esset suppositio antecedens ad amorem productum, & auferret ab eo propriam libertatem, licèt neque efficienter neque necessariò illum causaret quasi verò sinè ea non esset amor.

Obijcies tertiò: habitus summè intensus non 66
tollit libertatem ad actum oppositum; ergo neque actus imperans ad imperatum. Antecedens patet; consequentia probatur, quia tam repugnat habitus summè intensus cū actu oppositō, quam actus imperans cum carentia actus imperati; nam licèt habitus oppositi in gradu remisso possint stare simul, non tamen habitus summè intensus cum oppositō remisso; & per consequens neque cum actu, qui partem remissi producat. sed hoc non obstante, non auferē illi propriam libertatem. ergo &c.

Respondeo concesso antecedente, negando 67
consequentiam; ad cuius probationem, nego maiorem: nam vel supponimus actum oppositum in primo instanti, in quo est, producere primam partem habitus sibi correspondentis; vel in secundō in quo conseruatur. si primum, etiam si actus ille repugnet stare simul cum habitu opposito summe intenso; prævalet tamen contra illum, eumque destruit. Quare non tam repugnat illi habitus, quam actus imperans carentiæ actus imperati, quam necessariò excludit; & sic non est mirum si habitus non tollat ab actu opposito libertatem, tollat verò actus imperans ab imperato. sin autem dicamus secundum, patet etiam minus repugnare habitum summè intensum cum actu libero oppositō, quam actū imperantem cum carentia imperati; quia hic ne in primo quidem instanti cum ea simul stare potest; contra verò habitus summè intensus cū actu opposito.

Obijcies quartò: si actus imperatus propriam libertatem amitteret: sequeretur quod casu 68
quo quis ex timore pœnarum imperaret sibi efficaciter actum contritionis, contrictio hæc non esset formaliter libera; consequens est absurdum. ergo &c. Sequela patet. Minor probatur, quia si hæc contritio non esset in se libera, peto num esset dispositio sufficiens ad iustificationem nec ne? Si affirmas; ergo etiam si ex defectu auxilij extrinseci non eliceretur, homo deberet iustificari, quia eandem exerceret libertatem, ac si eam eliceret; quod est contra communem sensum. Quod si neges; ergo homo si post illud instans moreretur, iam damnaretur, contra Scripturas, quæ homini contrito gloriam spondent.

Respondeo concessa sequela maioris, negando minorem. Ad probationem in contrarium dico: omnes conuenire debere in eo, quod illa contritio sic imperata esset dispositio sufficiens ad iustificationem, quantumuis non esset in se immediatè libera; quia Scripturæ, & Concilia absolutè loquuntur, dum remissionem peccatorum contritis corde promittunt, nullamque faciunt distinctionem inter contritionem liberam libertate proximā, & eam, quæ est libera libertate remotā. negāda tamen est

consequentia, videlicet quod etiam si homo ex defectu principij supernaturalis non contereretur, adhuc deberet iustificari. Et ad confirmationem in contrarium dicendū, quod iustificatio non est proxima exercitio libertatis, quod habetur, quando homo conteritur, sed contritioni ipsi vel immediatè, vel mediatè libertas; quare siuè dicamus cum aliquibus Theologis libertatem mediatam actus imperati sufficere ad distinctum meritum; siuè cum alijs actum contritionis esse physicam dispositionem ad habitum gratiæ, non sufficiet sola libertas actus imperantis contritionem ad iustificationem, sed erit necessaria ipsa contritio. Quod si neutra sententia placet, recurrendum est ad liberam Dei promissionem, qua se obligauit acceptare dictam contritionem tanquam dispositionem moralem sufficientem ad infundendā peccatori gratiam sanctificantem.

69 Obijcies quintò: licèt actus imperatus necessariò sequatur ex imperante: antecedit tamen cognitio vtriusque actus, & connexio vnius cum alio. ergo quando voluntas se determinat ad vnum, in eodem priori naturæ se determinat ad alium, & sic vterque propriam habet libertatem.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. nihil enim conferre connexionem vtriusque actus, & simultaneam eorum præuisionem ad immediatam libertatem actus imperati patet ex actibus, qui dicuntur voluntarij in causa; qui licèt habeant huiusmodi connexionem cum actu, qui se habet vt eorum causa, & huiusmodi connexio præuideatur: hinc tamen non fit eos esse in se ipsis volūtarios. Hoc idem confirmatur, casu quo Deus diceret alicui, Si in hoc instanti libere elicias actum spei ego infundam tibi actum caritatis, quo necessariò ames me. tunc enim constat actum caritatis non esse liberum, & tamen antecedit cognitio vtriusque actus, & connexio vnius cū alio. ergo &c.

SECTIO SEXTA.

Quā nā est causalitas actus reflexi imperantis inefficacis in imperatum.

70 LIcèt quæstio præsens etiam de actu efficaciter imperante fieri possit; quia tamen hic est necessariò cum suo imperato connexus, videtur sinè controuersia, quod eius causalitas in coexistentia vtriusque saluari possit. Porrò hoc non habet locum in imperio inefficaci; quod cum ponatur non determinare voluntatem ad actum imperatum, atque fieri potest cum illo, & cum eius negatione componi. quare de eius causalitate videtur specialis difficultas. Porrò quamuis ego hanc disparitatem non approbem vt ex dicendis patebit, existimemque de vtriusque causalitate eodem modo discurrendum esse; vt tamen Receptioribus morem geram, qui de inefficaci causalitate controuersiam instituunt, sit

71 Vnica Conclusio: Causalitas actus imperantis inefficacis in imperatum est eadem realiter cum actione, per quam voluntas influit in eumdem actum imperatum. Explico assertionem. Dupliciter potest intellegi huiusmodi causalitatem identificari realiter cum causalitate voluntatis. Primò ita vt per eandem actionem, qua voluntas influeret in actum V. G. misericordiæ, si nō esset imperatus, influat in eundem quando est imperatus, cum hac diuersitate, vt si sit imperatus, dicta actio censeatur esse causalitas imperij, sin minus, solius voluntatis. Secundò ita vt per diuersam actionem procedat à voluntate actus, quando non est imperatus, ac quando est imperatus; sicuti etiam per diuersam, quando est imperatus per vnū actum V. G. amoris Dei, ac quando est imperatus per alium V. G. pœnitentiæ &c. Porrò assertio nostra non loquitur in primò sensu, implicat enim quod eadem sit causalitas causæ, siuè hæc influat in effectum, siuè non influat; sed in secundò, in quo sensu Recentiores nostræ Societatis teste Ripalda, & Quiroga loquuntur, dum asserunt actum constitui imperatum ex vi huius actionis volitiuæ, media qua non procederet, sed alia si imperatus non esset.

Probatur primò Conclusio: Causalitas actus imperij reflexi efficacis in actum suum imperatum est eadem realiter cum causalitate, per quā Voluntas influit in ipsum actum imperatum. ergo, & causalitas actus imperij reflexi inefficacis in actum suum imperatum erit eadem cū causalitate voluntatis in eundem actum. Vtraque propositio probatione egeat, & quidem prior, quæ est antecedens, suadetur dupliciter. Primò destruendo fundamentum aduersariorū, qui ideò putabant causalitatem efficacis imperij consistere in coexistentia sui cum actu imperato, quia necessariam habet cum eo connexionem. Hoc autem falsum esse constat ex eo, quia quāuis voluntas efficaciter sibi imperet aliquem actum, si careat Dei concursu, illum minimè producet. iam igitur dari potest actus imperans sinè imperato. Quod si ad necessariam coexionem hanc sufficere quis credat, quod non possit imperans sinè imperato connaturaliter existere, quidquid sit num diuinitus, sine illo existere valeat, Contra est, quia etiam sol non potest connaturaliter existere sinè lumine, & tamen eius causalitas non consistit in mera coexistentia sui cum ipso lumine, sed in modo superaddito vti nos probauimus in physicis. ergo &c. Item antecedens suadetur secundò, quia ex vna parte imperium efficax non influit per se immediatè in actum imperatum, sed solum mediatè determinando videlicet voluntatem ad illum eliciendum. ergo eius causalitas non consistit in causalitate realiter distincta ab ea, per quam voluntas influit in eundem: ex alia verò hic voluntatis influxus non potest esse idem realiter, siuè adsit imperium efficax, siuè non. Quod præter quā quod supra probatū est, confirmatur vltrius ex eo, quia diuersus est modus tendendi voluntatis in actū misericordiæ V. G. quando est efficaciter imperatus, ac quando non est sic imperatus. si enim efficacissimè imperatus tendit in illum per modū causæ necessariæ, quilam habemus indifferentiam proximam ad ponendum,

nendum, & non ponendum illum: ac verò si non est sic imperatus, tendit in eum per modum causæ liberæ cum prædominio sui actus, subordinando sibi reliqua comprincipia, quæ ad eius existentiam ponendam necessaria sunt; sed hic modus tendendi diuersus voluntatis non potest saluari, nisi ponatur diuersitas inter actiones, per quas in dictum actum misericordiæ influit; ergo &c. Sic probato antecedente primi enthymematis, eius consequentia tunditur ex eo, quia rationes, quibus probauimus pro causalitate imperij efficacis recurrendum esse ad actionem voluntatis in actum, ab eo imperatum, æque militant pro causalitate inefficacis, ergo &c. Antecedens euincitur discurrendo per singulas in hunc ferè modum: Connexio, quam habet imperium efficax cum actu imperato, nō tollit quin eius causalitas in actione voluntatis posita sit, ergo neque coexistentia imperij inefficacis cum suo actu imperato tollere poterit quin eius quoque causalitas in actione voluntatis consistat; siquidem connexio dicit totum id, quod habet coexistentia, & præterea aliquid aliud, videlicet quod non possit saltem connaturaliter existere imperium efficax sine actu imperato; quod non habet imperium inefficax. Præterea sicuti imperium efficax non influit per se immediatè in suum actum imperatum, sed media voluntate: ita etiam imperium inefficax, cum hac diuersitate; quod efficax prædeterminat voluntatem ad actum, quem imperat; inefficax verò minimè, sed tantum illum allicit. Denique quod influxus voluntatis in actum inefficaciter imperatū neque possit esse idem numero, siue adsit, siue absit imperiū, iam supra probatum est; Et confirmatur eodem ferè modo, quo argumentati sumus, loquendo de influxu imperij efficacis; nā diuersus est modus tendendi voluntatis in actū misericordiæ libere elicitum, quando illum producit sine vllo prorsus imperio, sed affecta solum honestate virtutis misericordiæ, ac modus tendendi in eundem actum libere elicitum, quando habet imperium inefficax, quo Dei caritate V. G. allecta dicit: (Vt Deo complaceam volo actum misericordiæ erga pauperem exercere) hi enim modi tendendi sunt diuersi; sed diuersus tendendi modus si non in actum saltem in actionem diuersitatem inducit, ergo &c. Ex quo deducitur diuersam etiam esse actionem voluntatis quando modo duplici imperio inefficaci producit actum, ac quando vno tantum adiecta; militat enim eadem prorsus ratio.

73 Probatur secundò nostra Conclusio principaliter impugnando tres sententias de causalitate actus inefficacis, quæ nostræ contrariæ sunt.

74 Prima est nonnullorum Thomistarum docentium actum inefficacem imperantem quendam modum in imperato producere, ratione cuius hic constituitur formaliter dependens ab illo. Verum hæc opinio dupliciter intelligi potest. Primò ita, vt hic modus sit idem realiter cum actione, per quam voluntas influit in imperatum, dicaturque ab imperante produci beneficio voluntatis ab eo motæ. Et sic coincidit cum nostra sententia. Secundò, ita vt sit quidam alius modus à causalitate voluntatis nemine cogitante distinctus; & sic non est admittenda, quia superflue ponit modum hunc, cum omnia bene possint siue illo saluari. Confirmatur quia imperium non nisi media voluntate in imperatum operari valet. ergo hic alius modus ab ipsa voluntate producendus esset; quod non videtur dicendum.

Secunda est Ripaldæ *lib. tertiò de ente supernaturali disput. 67. sect. tertia* vbi docet actum imperatum ab imperante inefficaci procedere, aliud nihil esse, quam voluntatem vt motam ab imperante ponere imperatum, quem aliàs non poneret. Vnde concludit influxum imperantis in imperatum sufficienter constitui per existentiam vtriusque actus, & veritatem hanc conditionalem si non esset actus imperans, neque esset imperatus. Vbi notarem huiusmodi conditionalem veritatem nō debere sumi per Ripaldam quomodocumque, alias competeret etiam influxui imperantis efficacis in suum imperatū, sed in rigore Theologico: ita vt sit obiectū scientiæ conditionatorum. 75

Sed neque hæc sententia procedit; quia vel ponit per veritatem illam conditionalem influxum imperij inefficacis explicari solum à nobis: non tamen in ea propriè consistere. Et sic tenetur assignare quid sit tandem id, quod huic explicationi subijcitur, & in quo realiter, & neminè cogitante influxus ille consistat; vel sustinet eum in dicta veritate positum esse; & hoc impugnatur apertè, quia veritas illa importat carentiam conditionis, & conditionati; dicit enim si non esset actus imperans non existeret imperatus, & tamen quando habetur influxus imperantis in imperatum, vterque actus absolutè habetur à parte rei. Quamuis autem existentia absoluta vtriusque actus non opponatur cū carentia sui, pro vt importatur à veritate conditionata; repugnat tamen quod realis influxus, per quem imperans in imperatum influit, huiusmodi carentiam inuoluat. Duo enim intelligibilia continet; vnum est carentiam actus imperantis, & imperati influere in imperatum: Alterum verò huiusmodi influxū absolutè existere à parte rei; & tamen importare vtramque carentiam non existentem absolutè, sed conditionaliter tantum. ergo impossibile est, vt influxus actus imperantis in imperatum in existentia vtriusque actus cum illa veritate conditionali consistat. 76

Tertia denique sententia est Oaledi *de anima contra 2. partem quæst. 8.* quam sic breuiter proponerem. Influxus imperantis in imperatum consistit in coexistentia vtriusque actus, posita ex parte actus primi in imperante potentia ad influendum, & in imperato potentia ad recipiendum influxum cum negatione impedimenti. Dicitur primò, consistit in coexistentia &c. Quia si vtriusque existentia cum cæteris requisitis concipiatur, putat hic auctor rectè intelligi imperatū ab imperante procedere. Dicitur secundò, posita ex parte actus primi in imperante potentia &c. Quia si imperans in actu secundò influit in imperatum, ergo in actu pri- 77

me re-

mo requiritur in vtroque potentia; in inspe-
rante quidem ad influendum, in imperato verò
ad recipiendum influxum. Quare si hic præsup-
poneretur in priori naturæ existere ante illum
non penderet ab illo, eo quod careret dicta
potentia. Dicitur denique tertiò, cum negatio-
ne impedimenti; quia causalitas imperij ineffi-
cacis consistit in inclinando voluntatem ad a-
ctum imperatum, vt ipsa ad illum eliciendum
liberè se determinet; Vndè si imperium ineffi-
cax inueniat voluntatem antecedenter necessi-
tatam ad imperatum, habebit proculdubio im-
pedimentum ne causalitatem suam in illa exer-
ceat. Contra verò imperium efficax cum deter-
minet voluntatem ad actum imperatum, nullum
inueniet impedimentum, si illam antecedenter
necessitatam reperias; potest enim eadem causa
multiplici necessitate adacta eundem actum pro-
ducere. Ex quo deducitur per Quiedum non so-
lum influxum imperantis inefficacis, sed etiam
efficacis positum esse in coexistentia modo
dicto.

78 Porrò ego ex multis argumentis, quæ ad hãc
sententiam impugnandam afferri solent: Vnum
3 tantum proponam, de quo ipse Quiedus *num.*
38. Est autem huiusmodi: Potest haberi exi-
stentia actus imperantis inefficacis, & imperati
cum potentia tum ex parte imperantis ad influ-
endum, tum ex parte imperati ad recipiendum
influxum, & cum indifferentia voluntatis ad
vtrumlibet, absque eo quod imperans influat in
imperatum. ergo falsum est influxum impe-
rantis inefficacis in imperatum consistere in il-
lis tribus. Consequentia est euidens. Antece-
dens suadetur: supponendo dari in voluntate
duplex imperium inefficax reflexum, quorum
vnum dicat: Volo elicere actum misericordiæ
propter Deum amandum: alterum verò dicat:
Volo elicere actum misericordiæ propter Deum
placandum. Tum sic: potest voluntas defectò
moueri ad actum misericordiæ eliciendum, vel
ex vno tantum ex illis motiuis, vel ex vtro-
que illorum, vel ex neutro; sed in primo, &
tertio casu habetur existentia imperantis, & im-
perati cum potentia ex parte vtriusque, & cum
indifferentia voluntatis, absque eo quod im-
perans influat in imperatum. ergo &c.

79 Ad hoc argumentum negat Quiedus *num.* 39.
Antecedens, & ad eius probationem, admissa
suppositione, negat item antecedens, aitque
positis duobus illis imperijs actum misericor-
diæ hoc ipso, quod procedit à voluntate, necessa-
riò procedere ab vtroque adæquatè, & à quo-
libet illorum inadæquatè. Rationem huius do-
ctrinæ dicit esse quam conclusionem, qua defen-
dit influxum consistere in coexistentia imperan-
tis cum imperato modo dicto; quare si plures
imperantes simul cum imperato existunt, plu-
res in illum influunt necesse est.

80 Vtraque pars huius responsionis impugnari
facile potest; & prior quidem sic: Non tene-
mur partes libertatis, quo ad fieri potest, sustine-
re. Iam si dicamus, positis duobus illis im-
perijs, posse voluntatem in actu exercito ita se
gerere, vt ex modo tendendi in ipsum actum
imperatum ostendat vel ex neutro imperio, vel
ex vno tantum, vel denique ex vtroque, siuè
totaliter, siuè partialiter moueri ad imperatum
eliciendum: ex vna parte, sic dicendo, melius
partes libertatis sustinemus: ex alia verò nihil
absurdi in hoc dicto continetur: ergo debemus
asserere, positis duobus illis imperijs, actum im-
peratum non necessariò procedere ab vtroque.
Posterior verò pars responsionis, quæ assignat
pro ratione huius necessitatis conclusionem, ex-
cluditur ex eo, quia licèt, quando cætera sunt
paria, Conclusio, quæ supponitur aliundè pro-
bata, possideat contra rationem, quæ in con-
trarium adducitur: at in casu nostro non sunt
cætera paria; nam Conclusio voluntatis liberta-
tis libertatem oppugnat, atque restringit: no-
stra verò ratio illam amplificat, æque tuetur;
malè igitur adducitur Conclusio ad infrigendã
nostram rationem, quia sic tota controuersia in
petitionem principij resolueretur ab aduersa-
rio, dum aliud nihil assignat, cur voluntas non
possit pro libito, modo vni ex illis duobus mo-
tiuis, modo alteri, modo quoque neutri adhæ-
rere, & nihilhominus actum misericordiæ eli-
cere; nisi quia imperij causalitas in coexisten-
tia sui cum imperato consistere existimat.

Contra nostram autem conclusionem Obij- 81
cies primò ex ipso met Quiedo *num.* 12. eodem
modo possunt constitui actus per suas me entita-
tes imperati, ac cõstituuntur à nobis actiones:
ergo non est cur potius dicamus actum constitui
imperatum per actionem diuersam ab ea, per
quam à voluntate procederet, si imperatus non
esset, quam per se ipsum. Consequentia patet.
Antecedens verò probatur, eadé enim de actio-
ne, ac de ipso actu videtur esse difficultas; nam
sicuti non possumus experientia conuinci hunc
numero actionem posse imperari, & non impe-
rari: ita neque hunc numero actum. Confirma-
tur quia in probabiliori sententia actus vitalis
in suo conceptu essentiali dicit actionem; & sic
non potest dari diuersa actio, eodem actu vitali
perseuerante.

Respondeo, negando antecedens; constat e- 82
nim ex diuersitate causæ diuersificari necessariò
actiones; at posse eundem effectum à diuersis
causis naturaliter dependere. rationalibus igi-
tur est cõstituere actiones per suas entitates im-
peratas, quæ ad variationem causarum varien-
tur, quam actus; quia hi comparantur effectis
phylici, qui æque bene à diuersis causis pro-
cedere possunt, sed per actiones diuersas. Per
quæ patet responsio ad probationem antece-
tis; nego enim eandem esse de actione, ac de
ipso actu difficultatem. Quamuis enim æque 83
nos non possimus experientia conuinci eandem
numero actionem posse imperari, & non impe-
rari, ac non posse imperari, & non imperari eun-
dem numero actum; possimus tamen conuinci 84
ratione, quæ à diuersa essentia vtriusque desu-
mitur. nam actio cum sit actus actiui, qua tal
est, ex diuersitate agentium diuersificetur necesse
est quod non habeat actus qui naturaliter ea re-
rum effectum quantum ad hoc imitantur. Ad
confirmationem dico, quod licèt actus vitalis
qua talis est, in suo conceptu essentiali actionem
includat, non est tamen cur non possit et conci-

stinctus

stinctus ab actione consideratur; sub qua consideratione licèt nequeat accipi vt vitalis formaliter; potest tamen de eo sic accepto asseri, quòd non sit secundum suam entitatem imperatus.

OBIECTA

82 Obijcies secundò *ex num.* 13. actus imperans non influit per se, & immediatè in imperatū; sed si efficax est, influit determinando voluntatem ad illum: sin autem inefficax, eam tantummodo inuitando. ergo non diuersificat actiones voluntatis. Antecedens patet ex dictis. Consequentia suadetur, quia quidquid facit voluntas determinata seù persuasa ab alio, potest facere per se ipsam, nulla habita determinatione seù suasione. Respondeo cōcesso antecedente, negando consequentiam: cuius diuersa probationem, quidquid facit voluntas determinata, seù persuasa ab alio, potest facere per se ipsam, & siquidem particulam (quidquid) appellat actus seu effectus, concedo; sin autem actiones, nego. quemadmodū enim sol eundem calorem, quem producit in Anglia, vbi cum igne potest eodem producere, at non per eandem actionem, vt constat; ita & voluntas.

83 Instabis actus imperans non solum non influit per se immediatè in actum imperatum, sed neque in actionem, per quam à voluntate pendet: ergo non est cur ad eius præsentiam, dicta actio ponenda debeat. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. vel enim supra nonuimus, diuersus esse modum tendendi voluntatis in actum quando ipsa in eum influit vt determinata seù electa per imperium, quam quando se ipsa sine alia determinatione seù electione operatur: non est igitur mirum si debeat habere diuersa actiones.

84 Obijcies tertiò *num.* 14. Omissio actus amoris V. G. potest esse libera siue imperata per imperium inefficax, siue non: sed in neutro casu datur diuersitas actionis positiuæ, ergo neutra per se ipsam potest esse dependens, & independens ab imperio, absque eo quod ad diuersitatem actionum sit recursus ad actus positiuos. Respondeo, non valere consequentiam. Ratio cuius disparitatis, quæ inter omissionem actus & actum ipsum, quatenus ad rem facit, intercedit, quia nimirum actus si quid positivum per veram actionem sui causæ dependens à voluntate dicit, omissio est quid negatiuum, vnde sicuti non admittit rem propriam causæ suæ actiuæ nequeuntis per quod ab illa dependeat; ex quo videtur rectè deduci quod licèt omissio sine diuersitate actionis possit esse imperata, & non imperata: at non actus positiuus. Contra huiusmodi tamen disparitatem sic ille insurgit: in omissione non requiritur actio, vt constituatur ab imperio pendens: ergo neque in actu positiuo. Rursus eadem omissio intrinsecè inuariata potest imperari, & non imperari. ergo & eadem actio. Denique omnes in omissione tenemur assignare per quid constituatur ab imperio dependens sine vlla actionis varietate; sed hoc idem possumus assignare in actu positiuo. ergo &c.

Verum hæ instantiæ disparitatem allatam 86
minimè concutiunt. Ad primam enim negatur consequentia; sicuti negaretur ab ipso, si quis intendens probare actum voluntatis non pendere efficienter à voluntate, vteretur parilitate omissionis, quæ ab eadem voluntate minimè efficienter dependet.

Ad secundam eodem modo neganda est cō- 87
sequentia. disparitas est, quia actio dicit essentialem ordinem ad causam, à qua producitur, quem ordinem non dicit omissio. Ad tertiā denique concessa maiore neganda est minor, quæ si procederet, vtique sicuti soluamus dependentiam omissionis à voluntate sine actione posse mus sine illa saluare etiam dependentiam actus positiui ab eadem voluntate.

Instabis multi sunt, qui putant actus vitales 88
per se ipsos, & non per actionem distinctam á suis principiis dependere. sed in horum sententia influxus imperantis in imperatum non potest consistere in actione distincta. ergo debet dici quod consistat in coexistentia vtriusque actus cum aptitudine &c. Respondeo cōcessa maiore & minore; distinguo consequens, debet dici quod consistat in coexistentia vtriusque actus cum dependentia intrinseca vnius ab alio, concedo; in mera coexistentia, nego. Dicimus enim, quod licet admittamus actum imperatum per suam entitatem immediatè à voluntate pendere; longe tamen distamus à sententia Quiedi; qui ipse existimat, quod suus actus distinguatur ab actu siue non eadem omnino est si actus imperetur ac si non imperetur, nos verò dicimus: actum constituere imperatum ex vi huius actionis, media qua non procederet, si imperatus non esset, atque adeo eatenus quo cum sua actione identificetur, implicare, quod idem numero actus, qui est imperatus possit non esse imperatus, non quatenus habet rationem actus, sed quatenus importat rationem actionis, ac dependentiæ, quæ ad diuersitatem causarū realiter distinctificari debet

DIS-

DISPVTATIO TRIGESIMA QVARTA

DE PVRA OMISSIONE LIBERA VOLVNTATIS.

COnstat voluntatem dupliciter aliquem actum suum omittere posse: primo necessariò, vt si intellectus nihil cogitet de obiecto, à quo actus ille specificatur, aut terminatur: secundò liberè, vt quando ab intellectu sufficienter quidem sibi representatur obiectū liberè amandum V.G. ipsa verò illud minimè amet; & quidem si ab amore dicti obiecti abstineat illud odio prosequendo, vel sibi positiuè imperando, vt ipsum minimè amet, omissio illa, vtpote actu positiuo illam inducente permixta, non dicetur pura. contra verò censebitur pura, si erit in voluntate sine vllo prorsus actu positiuo illam inferente. dico (illam inferente) quia ad puram omissionem liberam non requiritur, vt voluntas quando illam exercet ab omni prorsus actu positiuo quantumuis disparato se contineat; sed sufficit si abstineat ab ijs omnibus, qui vel sunt incompossibiles cum actu positiuo illi omittendi opposito, vel qui directè illam præcipiunt. Atque hæc pro explicatione tituli præsentis controuersiæ.

SECTIO PRIMA.

An sit possibilis in voluntate pura omissio libera?

1 PLures circa præsentem controuersiam circumferuntur sententiæ. Prima est Mancsinæ *pr. secund. tom. 2. disput. 2. qu. 2.* & aliorum recentium, quos sequitur Pallauicinus *tap. 2. disput. 3. art. 5.* Quiros in suo cursu *disput. 2. num. 20.* qui absolutè negant possibilitatem puræ omissionis liberæ. existimant enim quod quoties intellectus sufficienter proponit voluntati obiectum sub aliqua ratione boni, & malij; non potest voluntas se continere, quin illud vel amore, vel odio prosequatur. Secunda est Caietani *pr. 2. qu. 63. art. 3.* volentis posse voluntatem purè omittere actum omnem circa obiectum indifferens sibi debite ab intellectu representatum; hanc tamen omissionem non esse illi liberam, etiam si in eo instanti in sua potestate habeat elicere actum oppositum. Tertia sententia est aliorum, qui opinantur quod licet dari possit pura omissio liberè in voluntate, ea tamen non posset esse peccaminosa; cum enim præceptum affirmatiuum, inquiunt, contra quod facit omissio, semper cum aliqua temporis latitudine obliget, cumque non possit voluntas nisi ad breuissimum tempus purè omittere, & semper in peccato omissionis aliquis actus positiuus voluntatis actui præcepto oppositus intercedat necesse est. Quarta denique est dicentium, quod licèt de facto pura omissio libera, & peccaminosa moraliter, hoc est sine magna difficultate dari non possit: physicè tamen loquendo possibilis est nobis in hac rerum serie constitutis.

2 Nostra conclusio est cum hac quarta sententia, quam multi recentiores docent, sequuti D.T. qui 12. *qu. 71. art. 5.* quærens vtrum in quolibet peccato sit aliquis actus; & aduertens in corpore, quod quælibet ista peculiariter mouetur propter peccatum omissionis, quodque veraque opinio, tam scilicet negatiua, quam affirmatiua secundum aliquid veritatem habeat, sic concludit: Vnde verum dici potest, quod aliquod peccatum potest esse absque omni actu, vtroque etiam ad essentiam aliorum peccatorum actuali pertinente actu, & occasionem ceteris præbente.

3 Verum clariùs hanc suam mentem S. Doctor exponendo *ad secundum* declarauit, vbi dicendum inquit, quod aliquid dicitur voluntarium, non solum quia cadit super ipsum actus voluntatis, sed quia in potestate nostra est vt fiat. Vel nostrum vt dicitur *3. Ethicorum*. vnde cum ipsum non velle potest dici voluntarium, inquantum in potestate hominis est velle, & non velle: tum sic ipsum non velle est voluntarium, ita vt in potestate hominis sit illud velle, & non ponere. ergo si cadat super actum peccaminosum, ille omissus peccaminosus.

4 Plures rationes ad probandam istam nostram præcisam & nostris motiuis propositam, quas recenset Turrianus *disp. 6. de septem peccatis sub fol. 4.* atque vellem eas esse rectè formatas vel ipse aliquas efficaces proponi quas æquum est expendere, vt earum robur innotescat.

Prima ex his habetur sub *num. 149.* quæ est 5 huiusmodi: Quando quis *elicit actum amoris intensum vt quatuor V.G. cum possit intensiorem elicere, erit illi libera carentia vlterioris intensionis, sed non per actum positiuum exclusiuum illius intensionis.* ergo illa omissio quinti gradus erit pura. Omnia patent, præter minorem, quæ sic euincitur. nullum aliud actum positiuum tunc homo experitur in voluntate sua præter actum amoris intensum vt quatuor; sed hic non est exclusiuus vlterioris intensionis; ergo &c.

Ve-

Digitized by Google

6 Verum hæc ratio parum virum habere videtur; facile enim responderi potest ab Aduersarijs quærendo ex arguente, num in præpostero casu intellectus proponat voluntati motiuum inducentia ad intendendum actum vt quinque, nec ne? si non proponit quomodo omissio quinti gradus erit illi libera, si proponit poterimus asserere, in eo casu voluntatem se determinare ad amandum vt quatuor cum positiua exclusione vlterioris intentionis. Nec potest prætendi experientia in contrarium cum quo habeatur cognitio de motiuis. Quod si dicant non esse necessarium dictam cognitionem, eo quod omissio illa est libera voluntati per modum actus, & non per modum obiecti: quare quemadmodum vt amor sit liber non est necesse vt ipse cognoscatur, sed bene eius obiectum: ita, & ad hoc vt omissio quinti gradus &c. Contra est, quia etiam si, quantumlibet ponatur omissio libera per modum actus, non sit necesse vt ipsa cognoscatur; est tamen necesse vt cognoscentur motiua obiecti talia quæ exigant amorem vt quinque, vt liberè ponatur omissio quinti gradus, & tunc dici potest ab Aduersarijs quod voluntas vel alio amore occupata redditur impotens ad quintum gradum amoris, vel actu positiuo remouetur ab obiecto negando illi dictum gradum, eo quod aliquid mali ab intellectu apprehenditur in ipso obiecto ratione cuius existimatur indignum amore adeo intenso.

7 Secundam rationem proponit Arriaga *sub sect. 6. num. 152.* quam se accepisse fatetur ex Hurtado, sic procedit: Vt quis liberè amet aliquod obiectum sufficit si habeat cognitionem bonitatis, & malitiæ illius: non enim requiritur cognitio sui amoris, & odij; sed hic potest liberè cessare tunc ab amore, & odio dicti obiecti, quia neque absolutè aut bonitas necessitat ad amorem, aut malitia ad odium; neque ex suppositione quod ista non moueat, debet altera necessariò mouere; ergo potest dari pura omissio libera. Verum neque hæc ratio videtur satis solida pro vlteriori prosecutione; concesso enim maiore necessariò probari potest minor, & ad eius probationem dici quod voluntas proposita sibi sufficienter bonitate, & malitia obiecti, est quidem libera ad amandum, vel odio habendum illud, non autem ad cessandum ab vtroque actu, exigitur enim applicatio ad vtrumlibet necessariò cum hoc quod habeat in potestate sua voluntas eius, quam alium actum exercere. Neque hinc sequitur ex suppositione quod eam non moueat bonitas, necessariò illam mouere malitiam; dici enim potest quod per positionem voluntas se determinet ad vnum ex contrariis liberè V. G. ad odium, & hac suppositione habeat necessitatem tunc non amandi quam è contra

8 Tertia denique est ipsius Arriagæ *sub sect. 6. num. 155.* Quando sum liber ad amandum & odio habendum Deum, & me determino illum amare, possum mihi imperare amorem vel remissè odium detestari, & tamen non facio, sed tantum amo; ergo in hoc casu datur omissio libera. Consequentia patet,

9 Sed huius quoque rationis facilis videtur esse solutio, nam licet vt sim completè potens amare, & odio habere Deum sufficiat cognitio bonitatis eius, & suæ iustitiæ punitiuæ, seu voluntatis quam habet me puniendi: vt tamè possim mihi amorem imperare, & detestari odium, prærequiritur etiam cognitio amoris, & odij; necnon etiam motiuorum ad illa mihi imperanda, quibus cognitionibus in intellectu positis, dicet Aduersarius quod sicuti non potest voluntas in primo casu non amare, vel odio habere: ita neque vel non imperare sibi amorem, vel non detestari odium in secundo.

10 His igitur, & similibus rationibus pos habitis recolendum est nostram assertionem tres continere partes. Prima erat: posse in voluntate dari puram omissionem actus circa obiectum, cuius bonitas, & malitia sit ab intellectu eidem voluntati sufficienter propulsa. Secunda quod dicta omissio possit esse libera, tertia denique quod possit esse etiã peccaminosa.

11 Probatur autem efficaciter quo ad primam partem sic: Voluntas indifferens ad amandum, vel odio habendum obiectum aliquod, ita potest illud amare, vt possit non amare, & ita potest odio habere vt possit non habere odio. ergo potest ab vtroque actu cessare; & sic in ea dari pura omissio. Antecedens patet consequentia sic roborata: si non posset, maximè quia esset necessitata, vel ad amandum, vel ad odio habendum, sed hoc gratis asseri ab Aduersarijs probatur, quia nullum caput habemus huiusmodi necessitatem illi inponendi, & aliunde partes libertatis sustinere tenemus. Si igitur duæ causæ naturales inæquales contrarios inclinantes, si eidem passo applicarentur possunt se mutuo impedire, ita vt nulla sequatur operatio; cur eadem potentia voluntas, repræsentata sibi bonitate, & malitia obiecti non potest se in æquilibrio ponere, ita vt neque amore, neque odio obiectum illud prosequatur?

12 Atque hæc quo ad primam partem possit assertionis; quo ad verò secundam, quæ erat contra Caietanum, suadetur ex eo, quia in ordine ad huiusmodi omissionem nos non ponimus voluntatem morè passiuè se habere, sed quod veluti actiuè procedat, quatenus, positis omnibus requisitis ad omittendum, & non omittendum, defacto tamen omittat. ergo omissio hæc est vere libera voluntati. Antecedens patet quia non agetur aliqua causa vt de possibilibus illa resumens. Consequentia probatur, quia actus positiui amoris V. G. qui in tantum est liber voluntati in quantum hæc positis omnibus requisitis ad amandum, & non amandum, defacto tamen amat dicitur autem quod etiam requiratur noscentia ad odio habendum, est sine fundamento, nam indifferentia ad actum, & eius oppositum non exhaurit omnem libertatem, sed solum explicat libertatem contrarietatis, vltra quam datur libertas contradictionis.

13 Confirmatur, quia hæc sententia concedit voluntati plenum dominium supra hanc omissionem, ita vt sit in eius potestate eam ponere, & non ponere, & quidem immediatè; ergo nō potest illi libertatem negare. Confirmetur horum ex absurdis, quæ inde sequerentur, primum quod homo cognoscens se obligari ad totam legem positiuam, eam non adimplendo per puram omissionem, non peccaret; quia sine libertate nequit esse peccatum, quod cum hæc sententia concedat, merito à multis censetur erronea, & temeraria.

14 Tertia denique pars assertionis, quam quidam dicunt esse contra Vasquez.

15 Probatur, tum quia gratis asseritur non posse voluntatem pro toto eo tempore, pro quo vrget præceptum affirmatiuum libere, & pure omittere actum: tum quia dato quod non possit eo quod ad brevissimum tempus possit ab operationibus suis cessare: ponamus quod præceptum affirmatiuum de eliciendo actu charitatis V. G. obliget cum latitudine temporis vnius Aue, quodque homo cum proposito satisfaciendi obligationi suæ peruenerit ad illā particulam temporis, quæ occupatur ab vltima voce illius orationis, quæ est, Amen; tum sic. Potest ille talis in hac vltima particula temporis pure, & libere omittere actum præceptum, & peccare; sed si hoc facit, sola eius pura omissio erit peccaminosa. ergo dari potest pura omissio, quæ de se & non ratione alterius actus positiui peccaminosa sit. *Maior* non videtur neganda. Minor verò euincitur, quia actus antecedens huiusmodi omissionem importabat propositum satisfaciendi præcepto. ergo homo hic non peccauit tempore antecedente ad omissionem, neque peccauit tempore consequente, quia tunc etiam cessauit præceptum. ergo solum peccauit ea brevissima temporis mora, qua pura omissio libera durare potuit. Et ratio à priori huius rei est, quia quantumuis ponatur pura omissio ad brevissimum tempus durare posse, vt sit libera, debet voluntas posse in eodem temporis momento elicere actum, quem pure omittit: aliàs non verificabitur de ea pro tunc, quod possit omittere, & non omittere; ergo &c.

21

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur, & resoluuntur obiecta.

16 IAm verò contra primam partem nostræ assertionis pro Monteſino Obicies primò ex illo *Matt.* 25. Quare non dedisti pecuniam meam ad vsuram, sic si posset dari pura omissio in voluntate, nisi interrogasset dominus seruum pigrum de motiuo omissionis, sed hoc non est dicendum. ergo &c. Sequela probatur: omissio pura non potest habere motiuum, non enim inducit ad operandum. Respondeo negando sequelam, cuius distinguo probationem: omissio pura non potest habere motiuum ad extrinsecum, à quo videlicet essentialiter specificetur, concedo; quia pura omissio semper est eadem; siue ab hoc siue ab illo motiuo voluntas inducatur ad omittendum. non potest habere motiuum extrinsecum, nego; vere enim cognitio allicit voluntatem ad omittendum pure, proponendo illi motiuum quod sit vel omissionis illius inductiuum, vel retardatiuum actuum positiuorum videlicet amoris, & odii, quos voluntas libere omittit; quando autem dicitur motiuum inducere voluntatem ad operandum, vel est sermo de operatione late sumpta, quatenus includit liberam omissionem; vel de motiuo intrinseco, hoc est specificante id, quod est ex motiuo. atqui ex his patet non posse voluntatem circa præceptum affirmatiuum V. G. se simul libere exercere, per puram omissionem, & per actum positiuū quo dicat (Nolo) aliter in eodem instanti realī admitteret motiua ad omittendum purè & simul illa respueret; quod implicat. male ergo contra nos arguit Quiros *num.* 22. quod admissa pura omissione, quoties voluntas diceret (Nolo) se exerceret etiam per purum non agere; & sic efficeret duo peccata, seu duo exercitia liberæ peccaminosæ transgressionis.

17 Obicies secundò: non minus intellectus respicit verum, & falsum tanquam obiectum suum, quam voluntas bonum, & malum tanquam suum. sed intellectus non potest ferri in illa per puram omissionem. ergo neque voluntas. Respondeo negando consequentiam, quia huiusmodi potentiæ non respiciunt eodē modo suum obiectum. *Intellectus enim* cum sit potentia necessaria, *præhabitis* omnibus ad operandum requisitis, *non potest non* operari. quod si aliquando non operetur, cum non à se, sed à principio extrinseco hoc illi proueniat: operationis carentia vere non procedet ab illo. at voluntas est potentia libera, quæ positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari; quod si non operetur, ex suis intrinsecis ad hoc censebitur determinari.

18 Instabis. Deus ab æterno fuit maxime liber, & tamen non potuit in ordine ad aliquod obiectum V. G. ad creandum aliud mundum pure omittere actum, ita vt neque produceret actū volitionis, neque notitiales illius. ergo disparitas ex libertate petita nulla est. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, quia non ideo repugnat libertati diuinæ omissio pura, eo quod libertatem minuat voluntatis, sed quia est carentia actus positiui, atque adeo habet rationem imperfectæ determinationis per nouum actum secundi libertatis. verò diuina suo iure sibi vendicat determinationem perfectissimam omnium, quæ in mente cadere possunt, atque adeo per positiuum vt ita loquar, actum liberum. Dei in mea sententia in potentia actum eius necessarium cum condito esse vel mundi, seu eius substantiæ, vel cuiuscumque mundi, & est collatio, quæ adeo implicat in Deo habere exercitium liberalis sine vllo actu positiuo. non vero in nobis qui sumus in potentia passiua ad actus nostros.

8

19 Obicies tertiò: non potest habere pura

omittit in voluntate, nisi hæc aliquo motiuo ad omittendum inducatur. V. G. à bonitate obiecti ad omittendum odium illius, & ab eius malitia ad omittendum amorem. Sed voluntas à nullo motiuo ad omittendum purè, induci potest; ergo &c. Minor probatur, quia obiectum motiuum, quod cognoscitur ab intellectu, nullo alio modo actu mouere potest voluntatem nisi medio actu positiuo, quo directè tangatur ab illa. Quod constat ex eo, quia carentia actus est de se indifferens, vt fiat propter hoc potius, quàm propter illud motiuum; atque adeo vt tangat hoc motiuum, vel non tangat; ergo &c. Respondeo, concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem distinguo assumptum: & si quidem mouet intrinsecè specificando, concedo; si autem extrinsecè tantum, per hoc quod cum proponatur ab intellectu, illam ad omissionem veluti suadet, nego assumptum. Et ad eius confirmationem aio, quod licèt carentia actus, priusquam intelligatur voluntas completè potens operari, & non operari, sit indifferens vt fiat in ratione liberi propter hoc potius: quam propter illud motiuum: hoc ipso tamen quod intelligitur voluntas completè potens, si carentia perseueret, dicendum est, quod fiat in ratione liberi propter ea omnia motiua, quæ repræsentantur ab intellectu voluntati ad amandum, vel ad odio habendum obiectum illud circa quod liberè se exercet purè omittendo. illa enim motiua quamuis per se directè ad amorè, vel ad odium excitent; per accidens tamen & indirectè, dum se inuicem impediunt, & refrangunt excitare valent voluntatem ad purè omittendum.

19 Instabis, aliquando motiua ad omittendum, quæ proponuntur voluntati ab intellectu, sunt incompossibilia, sicuti essent somnus, & ludus in ordine ad omittendum actum religionis; ergo impossibile est quod tunc omissio pendeat ab vtroque; sed non potest assignari maior ratio cur potius pendeat ab vno, quam ab altero, ergo saltem in hoc casu dari nequit pura omissio.

Respondeo, distinguendo antecedens: sunt incompossibilia pro statu reali, concedo; pro statu intentionali, seu in ordine ad mouendam voluntatem ad omittendum, nego antecedens, & consequentiam. quemadmodum enim quis potest ire Romam ob duos fines incompossibiles sub disiunctione V. G. vel vt religionem aliquam ingrediatur, vel vt aulicus fiat; ita & in casu dato. Somnus enim & ludus licèt pro statu reali coniungi nequeant, in ordine tamen ad mouendam voluntatem bene associantur; inquantum plus allicunt voluntatem simul ob amplitudinem libertatis, quam illi promittunt, quam si eis tantum ei proponeretur.

20 Obijcies quarto: nequit explicari quo modo motiuum vnum, vel multiplex motiuum defacto impeditiuum omissionem influat; ergo &c. Respondeo negando antecedens; dico enim influxum in actu secundo motiuorum in omissionem consistere in existentia cognitionis proponentis vnum, vel multiplex in illis voluntati, potenti actum omittere, & non omittere cum existentia actualis omissionis: ita vt voluntas potens in actu primo omittere dicatur in recto: omissio verò illi coexistens importetur in obliquo. Cur autem hoc dici nequeat de influxu imperij inefficacis in actum imperatum supra notauimus, quia nimirum actus imperatus cum sit effectus positiuus non est exclusiuus à se realis influxus: at omissio est quid negatiuum. Quare sicuti in negationem omnes illæ causæ censentur influere, quæ sunt defacto impeditiuæ productionis formæ oppositæ, ita & in omissionem.

Porrò contra secundam partem nostræ conclusionis pro Caietano obijcies quintò: Pura omissio non potest esse libera nisi sit voluntaria, sed nequit esse voluntaria; ergo, etiam si dari possit, nequit esse libera. Maior patet, quia voluntarium contrahitur per rationem liberi. Minor euincitur. quia pura omissio est pura negatio actus voluntatis. ergo est potius negatio voluntarij, quam voluntaria. Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem distinguo antecedens: pura omissio est pura negatio actus voluntatis, quatenus nihil in se positiuum includit, concedo: quatenus ita est negatio actus, vt nullo modo in eius exigentia voluntas se immiscear, nego antecedens & consequentiam. cum enim voluntas quatenus libera est ad omittendum, habeat posse omittere, & non omittere actum; dum omittit, necesse est vt circa omissionem exercitium libertatis exerceat, ratione cuius omissio dicatur esse illi voluntaria. 21

Instabis: libertas definitur Potentia ad operandum, & non operandum; non verò ad omittendum, & non omittendum. ergo nequit pura omissio à libertate pendere. Consequentia probatur, tum quia non datur potentia ad negationem sed bene ad positiuum: tum etiam quia pura omissio non est operabilis, nisi metaphoricè definitio autem competere debet definito sine metaphora. Respondeo antecedens explicatis terminis implicare, quia non omittere, formalissimè est operari, nam non esse entitiæ operis est esse operis; & omittere est non operari, ergo si bene definitur libertas potentia ad operandum, & non operandum, etiam bene definietur potentia ad omittendum, & non omittendum. cui nego consequentiam; ostendi enim purè omittere, idem esse ac non operari. Ad priorem consequentiæ probationem, distinguo assumptum; ad negationem actus, non datur potentia in principio libera potenter exercere actum, & negationem eius, nego: in exercitio concedo. Ad posteriorem verò aio, libertatem ad omittendum non definiri per hoc, quod sit potentia ad operandum, sed per hoc, quod sit potentia ad non operandum, quæ licèt non sit operabilis omissio, est tamen exercitium aliquod libertatis; quod licèt per solam negationem actus habeatur: procedit tamen à potentia, quæ secundum suã intrinsecã realitatem, & positiua, & solum quatenus operationem metaphoricam, & impropriam respicit, dici potest impropria, & metaphorica. 22

23 Obijcies quintò potentia libera est vitalis, & à principio intrinseco se determinat. sed pura omissio neque actus vitalis est, neque à principio intrinseco prouenire potest. ergo non potest esse libera. Respondeo distinguendo maiorem: vitalis est secundum totum, quod adæquatè respicit, nego: quia non operari non importat vitalitatem: secundum, quod respicit inadæquatè, hoc est operari, concedo; quia licèt eadem formalissimè sit potentia ad operandum, & non operandum secundum id, quod libertas dicit in recto: differt tamen à se ipsa secundum id, quod importat in obliquo, eo quod ad operationem mouetur à principio intrinseco positiuè; ad eius verò omissionem negatiue tantum, quatenus scilicèt cum possit eam tollere per operationem oppositam á principio intrinseco positiue procedentem, non tollit. sic etiam distincta minore, nego consequentiá. Ex quo sequitur malè Quiros in suo *cursu disput.* 100. *nu.* 20. supponere omissionem liberam per nos habere rationem vitæ in actu secundo; dato autē quod haberet, non inde fieret, vt addit ipse, volútatem nostram exerceri per infinitas vitas in actu secundo; quatenus in ea dantur infinitæ omissiones infinitorum actuum. Ratio inconsequentiæ est, quia vita interpretatiua in omissione supponeret libertatem, quæ non haberetur in infinitis illis omissionibus. Malè etiam ibidē infert contra nos actiones transeuntes, & nō voluntarias esse nobis liberas, per hoc quod quādo habentur, possunt non haberi, sicuti omissio. longa enim est disparitas inter vtrumque; omissio enim potest non haberi cum prædominio immediato voluntatis erga ipsam, quod non habetur in dictis actionibus.

24 Obijcies sextò: omne liberum ablata libertate manet voluntarium; sed pura omissio, si desinat esse libera, nequit remanere voluntaria. ergo pura omissio non est libera. Respondeo maiorem non procedere in sententia eorum, qui putant rationem liberi esse totaliter intrinsecam, & identificatam actui libero; quia his est manifestè falsa: sed in sententia opposita volentium compleri per aliquod extrinsecum; iuxta quam distinguo illam; & si quidem sermo sit de libero positiuo, concedo; sin autem de libero tū positiuo, tum negatiuo, nego maiorem, & cōcessa minore, nego consequentiam. Disparitas est, quia liberum negatiuum non potest intelligi quod à voluntate pendeat, nisi quando ab ea produci potest actus oppositus, & non producitur. & sic nisi haberet rationem liberi, nequit habere rationem voluntarij: contra verò liberum positiuum cum in se habeat entitatem realem, potest per eam à voluntate procedere, etiam quando hæc est necessitata, & sic habere rationem voluntarij independenter à ratione liberi:

25 Instabis: omne exercitium libertatis, vel est circa finem, vel circa media. sed omissio libera neque circa finem est, quia neque amor est, neque odium, neque circa media, quia non est electio, ergo &c. Respondeo primo maiorem esse verā loquendo de exercitio positiuo libertatis. Respondeo secundò data maiore negādo minorē quia hoc ipso, quod voluntas pure omittit aliquid libere, iam versatur aliquo modo circa illud, quatenus liberam omissionem circa obiectum illud exercet.

Obijcies septimò: si pura omissio libera est, 26
non nisi per libertatem in actu secundò libera est. sed sic libera esse nequit. ergo &c. Minor probatur, quia libertas in actu secundo addit aliquid supra actum primum; sed pura omissio nihil addit, nam hæc importat carentiam actus, quæ iam habebatur quando voluntas erat libera in actu primo; quia in eo quoque signo non habebatur actus. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem vtriusque argumenti; Ad probationem verò in contrarium dico, carentiam actus, quam addit omissio libera in actu secundo supra libertatem in actu primo non haberi in ipso actu primo, sicuti neq; habetur ipse actus oppositus. Ratio est quia actus primus importat prioritatem naturæ, aeq; causalitatis; quare ea solum veniunt tunc, quæ se tenent ex parte principij operatiui; sed neque actus positiuus, neque eius omissio se tenent ex parte principij operatiui. ergo &c.

Instabis: si non in priori naturæ, at saltem te- 27
pore antecedenti ad libertatem in actu primo habebatur carentia actus, & tamen non habebatur tunc libertas in actu secundo; ergo falsum est quod per carentiam actus pura omissio libera in actu secundo constituatur. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens & si quidem nulla fiat suppositio *libertatis* in actu primo, concedo; facta suppositione libertatis in actu primo, nego consequentiam; & dico carentiam actus non quomodocumque sumptā importare libertatem in actu secundo: alioquin dormiens iam esset in actu secundo liber, dum nullum actum positiuum voluntatis exerceret; sed illam, quæ supponit libertatem in actu primo completam, & principium *indifferens* in priori ad pōnendum, & non ponendum actum. Hinc fit vt si homini liberè omittenti Deus incipiat negare suum concursum indifferentem, incipiet illi non esse amplius libera carentia illa actus.

Contra denique tertiam partem nostræ asser- 28
tionis, quæ tribuitur Vasquez, Obijcies octauo: Pura omissio libera actus prohibiti non est honesta. ergo neque omissio libera actus præcepti est peccaminosa. Consequentia patet paritate; antecedens verò probatur, quia pura omissio actus mali non est meritoria. Respondeo Ripaldam *tom.* 1. *disput.* 70. negare antecedens cum sua probatione, docet enim ibi ex Patribus, Scripturis, & rationibus puram omissionem esse honestam, ac meritoriam. Contra verò alios hoc negare: iuxta quos concesso antecedente, negamus consequentiam. Disparitas est, quia bonum ex integra causa: malum verò ex quocumque defectu. Ad habendam enim honestatem formalem requiritur quod id, per quod libertas exercetur, ab honestate obiectiua specificetur; quod non potest habere locum in pura omissione; contra verò ad rationem formalem habendam

satis est, si id per quod libertas in actu secundo exerceatur, sit contra dictamen rectæ rationis, etiamsi à turpitudine obiecta non specificetur. vnde cum omissio actus non possit intrinsecè ab honestate obiectiua specificari, bene tamen possit contra dictamen rectæ rationis exerceri: hinc fit, vt esse quidem possit peccaminosa, non autem honesta, & multo minus supernaturalis, quantumuis ex motiuo supernaturali à voluntate causetur, quia prædicatum supernaturalitatis est intrinsecum actui secundo, quod à principio efficienti, cuiusmodi non est motiuum, ei communicatur.

29 Quæres hic num sicuti in voluntate datur pura omissio vnius actus, ita possit dari omnium collectiuè sumptorum. Respondeo Ruiz *de præscientia disput.* 42 *sect.* 7. negatiuam partem tueri, & varias ibi assignare disparitates cur voluntas possit vnum actum pure omittere non verò omnes collectiuè: contra verò Quiedum *contro.* 10. *pun.* 2. oppositum sustinere, probando non esse maiorem rationem de vno, ac de reliquis alijs. Cui probabilius ad hærendum puto.

Quæres iterum: an possit vna omissio præcedere natura aliam V.G. omissio odij Dei, omissionem amoris præcepti? 30

Respondeo affirmatiuè; quia possunt ambæ esse in eodem instanti, ita vt vna se habeat veluti complementum actus primi alterius; Quiros *num.* 22. inde probat implicantiam puræ omissionis, quia ex vno capite vna posset præcedere natura aliam: ex alio verò nihil posset assignari, ratione cuius voluntas esset in priori naturæ determinata ad omittendum potius, quam non omittendum. Sed contra: rectè enim assignatur admissio interpretatiua motiuorum omissionis, inducentium præcedentiam illius respectu alterius, posito quod ambæ in eodem instanti reali habentur.

DISPVTATIO TRIGESIMA QVINTA

DE LIBERTATE VOLVNTATIS.

SVppono libertatem multipliciter sumi posse. Primò, pro vt opponitur miseriæ, & appellatur Libertas gloriæ, de qua *ad Rom.* 8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei; & hæc stat cum determinatione ad vnum. e Secundò, pro vt opponitur peccato, & dicitur Libertas gratiæ, de qua ad *Rom.* 6. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ; & hæc reperitur in solis iustis. Tertiò pro vt opponitur coactioni, seu violentiæ, in quo sensu dixit S. Bernardus *serm.* 8. *in cant.* Quod voluntariè fit, etiam si ex necessitate fiat, liberum est; in quo sensu omne agens spontaneè; & non coactè dici potest liberum, etiam si cum summa necessitate operetur. Quartò denique pro vt opponitur necessitati illi, quam experimur in brutis, & in cæteris agentibus naturalibus, quæ sunt determinata ad vnum, neque indifferentiam habent ad amandum, vel odio habendum pro, libitu suo obiectum repræsentatum, sed ab illo rapiuntur, & determinantur, vt ipsum vel odio, vel amore prosequantur. Porrò de libertate in hac quarta acceptione sumpta, quæ est maxima voluntatis nostræ perfectio, nobis in præsentia sermo est, quæ duplex statuitur: altera in actu primo: altera in actu secundo. Priorem appellant communiter libertatem arbitrij, seu liberum arbitrium, ac posteriorem liberam. Posteriorum verò exercitium dictæ potentiæ, quam dari in nobis est certo certius, vtpote definitum à Concilio Tridentino *sess.* 6. *can.* 5. & 6. contra Lutherum, sentientem voluntatem nostram non agere, sed solum pati, & Caluinum existimantem eam agere quidem, sed vt à Deo necessitatam ad vnum. Præterea demonstratur primò ex consultationibus. Secundò ex præmijs, & pœnis. Tertiò ex præceptis bene operandi, & fugiendi id, quod malum est. Quarto ex pœnitentia, quam de malefactis habemus, & ex lætitia qua afficimur pro bene gestis. Vt autem explicemus in quo hæc libertas arbitrij consistat sit

SECTIO PRIMA.

Quid sit libertas in actu primo.

91 VNica Conclusio libertas in actu primo recte describitur. Potentia, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest operari, & non operari. Dicitur primò (potentia) vt significemus hic non agi de libertate in actu secundo, quæ in operatione libera reperitur, sed de libertate in actu primo, quæ consistit in potentia ad libere operandum.

2 Dicitur secundò (quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum) hæc autem prærequisita comprehendunt omnia ea, quæ sunt antecedenter necessaria ad operationem ponendam: excludunt autem operationem ipsam, quia ea posita non potest agens quantumuis liberum, eam non ponere; quidquid enim est, ex suppositione quod est, necesse est esse. Præterea per hanc particulam significamus ad liberum arbitrium

const-

Digitized by Google

constituendum nō satis esse remotissimam libertatem, qualis est illa, quæ in infantibus, & amentibus reperitur; qui ab intrinseco impediuntur nè liberè agant; neque satis esse remotā, quæ habetur, vel per positionem alicuius extrinseci impedimenti, vt diuini decreti omnino antecedentis de actu determinato ponendo, vel per ablationem alicuius conditionis necessariò requisitæ ad liberè operandum, vt cogitationis obiecti cum aliqua indifferentia propositi; cum enim neutra ex his potentijs sit completa, ex proxima ad operandum, neutra dici potest absolutè libera.

5 Dicitur tertiò: (Ad operandum) & siquidem sermo sit de operatione immanente, per hanc particulam excluditur increata libertas, cuius actus immanens habet omnimodā necessitatem in essendo, & solum in causando habet libertatem, atque adeò ad operandum tantummodo transeunter &c.

6 Cum autem hic à nobis agatur de libertate creata hoc verbum (operari) sumitur propriè immanenter; & per illud significatur libertatem non consistere in potentia passiua, sed in actiua formaliter; quod præterquam quod definitum est à Tridentino *sess. sexta can. 4.* asserente Nostrum liberum arbitrium non se habere vt inanime instrumentum, & merè passiuè in actibus supernaturalibus, eo quod eos exercere liberè patet, tum ex eo quia nusquā verius dicimur agere, & operari, quam vbi libertatem nostri arbitrij exercemus: tum etiam quia passum, qua passum agentis potestati subiectum est; ita vt si hoc ei debitè applicatū sit, & superet eius vim resistitiuam, non possit ab illo impediri, quin agat, quantumuis antecedenter supponatur fuisse indifferens ad patiendum, & non patiendum, seu ad recipiendam hanc vel illam formam.

7 Dicitur denique (Potest operari, & nō operari) vt declaretur potentia ad operandū simul esse debere cum potentia ad non operandum, quantumuis actus harum potentiarum nequeant esse simul. Quod quidam explicant dicentes ad libertatem pertinere simultatem potentiæ, non autem potentiam simultatis. Ideò enim ego sum liber, quia habeo potentiam ad amandum, & potentiā ad non amandum, seu ad odio habendum; quamuis non possim cum actu amoris vnius obiecti coniungere actum odij, vel negationem amoris eiusdem obiecti. Atque hic duo aduerte: primum est, à nobis non dici (potest operari, vel non operari) quia id potest verificari etiam de causa necessaria. Ad veritatem enim propositionis disiunctiuæ satis est alterum membrum contradictionis verificari posse de subiecto, quia quodlibet potest vel non est. Secundum est, quod cum competat nobis duplex libertas, altera contradictionis (seu quo ad exercitium), altera verò contrarietatis (seu quo ad specificationem); possumus eumdem obiectum non solum amare, & non amare, sed etiam amare, & odio habere, hinc fit vt (non operari) sumi debeat latè, pro vtrolibet actu contradictionis vel contrarium operationis particularis, de qua in definitione agitur, nimirum sub participio (operari) vtramque libertatem operationis com-

prehendi V. G. amorem, & odium; & sub particula (non operari) vtriusque omissionem, siue param, siue impuram; de hoc enim est alia quæstio.

Contra dictam libertatis definitionem Nonnulli obstrepunt dicentes à paucis Nominalibus inuentam esse; & neque apud Aristotelem, neque apud Magistrum, neque apud D. Thomam reperiri. Sed illam propugnat Theophilus Raynaudus, qui *in explicatione noua libertatis parte prima cap. 3.* septem supra viginti Patres pro tradita definitione adducit & *cap. 10.* quam plures Scholasticos, & multo etiam plures affert Ruiz *de scientia Dei disp. 39. 43. & 49.* qui tandem *disput. 50. sect. 4.* post relata quamplurium Doctorum testimonia sic concludit. Tandem cōfirmatur, quia exceptis physicæ prædeterminationis Auctoribus, qui sunt pauci, & præsentis ætatis, nullus omnino Auctor, siue antiquior siue præsenti ætati proximior reperitur, qui neget de ratione libertatis esse, quod positis omnibus requisitis ad operādum possit volitionē elicere aut cohibere. hęc ille. Quod vero ad antiquiores Thomistas cum suo luce, attinet audiamus Capreolum Thomistarum antesignanum, qui *in primo dist. 6. quæst. vnica art. secundo* hæc habet: Illud igitur agens dicitur naturale, quod positis omnibus requisitis ad agendum, & nullo existente impedimento quin ipsum possit agere, necessariò agit, nèque est in eius potestate non agere; illud verò agens dicitur liberum, quod eodem modo omnibus positis ita possit agere, vt non necessariò agat, sed in potestate eius est vt agat, & non agat. Veruntamen Sanctus Thomas aliter describit ista agentia, naturaliter, & liberè, sed inidem redit. ita Capreolus.

Sed nos probemus nostram definitionem primo auctoritate Ecclesiastici *capite* 15. vbi de libertate hominis hæc habentur: [Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.] Quæ verba indifferentiam ad operandum, quam tradidit Deus homini ad vtramlibet ante oculos statuere docet Augustinus *de gratia, & libero arbitrio cap. 2.* vbi ea expendens: En, inquis, apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quod autem ad eamdem rem item Aristotelis, Magistri, & S. Thomæ attinet, legi possunt auctores citati, qui eamdem in scriptis euidenter demonstrant eos stare pro nobis.

Probatur igitur secundo ratione, quia agentia naturalia per hoc primo constituuntur in ratione agendi necessariò, quia posito omnibus prærequisitis ad operandum, ita operantur, vt non possint se cohibere; quia operantur vt ens, vt ignis, qui combustibili approximatus non potest illud non comburere, & in aqua existente frigido vase quo continebatur, non potest se continere quin effluat, ac aqueum deorsum feratur; oppositorum autem oppositæ sunt actiones, quibus probatur

grande:

Digitized by Google

gnandæ: sequitur, quod agentia libera quatenus talia constitui debeant per hoc, quod positis omnibus prærequisitis ad operandum, possint operari, & non operari, sinteque circa hoc indifferentia:

11 Dices: siquis assereret agentia naturalia per hoc differre ab agentibus liberis, quod quando non sunt cum omnibus requisitis ad agendum exigunt id, quod illis de est: contra verò libera sub negatione prærequisitorum ad operandum existere sinè violentia possunt: optime saluaret discrimen inter huiusmodi agentia, absque eo, quod in assignanda essentia libertatis confugeret ad indifferentiam ad vtrumlibet. gratis igitur definitio per indifferentiam ad vtrūlibet traditur.

Sed contra est, quia præterquam quod assumptum falsum est, vt patet Primò ex igne, qui quando non est aplicatus combustibili, atque adeò non habet omnia prærequisita ad agendum, non exigit aplicari, ita vt violenter negetur illi applicatio. Secundò ex voluntate nostra, quæ sæpè exigit habere paratum Dei concursum ad operandum, ita vt non sinè violentia illi negetur. Dato tamen quod ita sit: huiusmodi indifferentiam non sufficere ad libertatem constituendam probatur ex eo, quia hæc indifferentia naturaliter, & per suam entitatem competeret voluntati antecedenter ad quemcúque actum. ergo in ea habenda non posset consistere exercitium libertatis; neque posset in receptione eorum, quæ licèt ad operandum necessaria essent, ea tamen obtineret, sinè aliqua exigentia; quia cum antecedenter ad quamcúque operationem hæc illi dantur, non potest in recipiendis illis exercere libertatem. Vndè si nullum exerceat postea dominium in actum, qui subsequitur, non erit libera.

SECTIO SECVNDA.

Tradita libertatis arbitrij definitio exactius explicatur.

12 VT perfectam libertatis nostræ notitiam ex tradita definitione consequamur, duo remanent inquirenda. Vnum est an inter prærequisita ad liberè operandum enumerari etiam debeant ea, quæ se tenent ex parte causæ primæ, cuius immediatum concursum ad omnem creaturæ operationem necessarium esse supponimus, ita vt sensus definitionis sit, quod potentia libera ea est, quæ positis omnibus prærequisitis tum ex parte causæ primæ, tum ex parte causæ secundæ ad operandum possit operari, & non operari. Alterum verò est an indifferentia, quæ libera voluntas essentialiter importat, omnem necessitatem ad operandum excludat.

13 Quo ad primum Conclusio est affirmatiua cū communi, contra asserentes ad potentiam liberam satis esse, quod positis prærequisitis ex parte ipsius, habeat indifferentiā: non autem ex parte Dei; sinè quia putant voluntatem nostram peti qualitatem quandā physicam debere à Deo prædeterminari ad vnum, vt aiunt Thomistæ, sinè quia vt docent Scotistæ existimant dari in Deo decretum efficax per se requisitum, atque adeò simpliciter antecedens omnem vsum nostræ libertatis, quod sit necessariò connexum cum determinata operatione.

Probatur tamen Conclusio: ad rationem potentiæ liberæ, constituendam requiritur essentialiter dominium, & potestas in proprios actus, quod quidem dominium in eo consistit, vt (cum agit, ita agat, vt habeat proximam, & expeditam facultatem non agendi; & quando non agit, ita actum suum suspendat, vt sit proximè, & completè potens agere. Vndè ex se ad vnum potius, quàm ad aliud ipsa se determinet; sed huiusmodi dominium non stat cum solis prærequisitis ad agendum se tenentibus ex parte causæ secundæ, sed etiam inuoluit prærequisita se tenentia ex parte causæ primæ. ergo inter prærequisita ad agendum comprehenditur in definitione etiā ea, quæ ex parte causæ primæ se tenent. Maior patet, quia potentia libera per nihil aliud differt à necessaria, nisi per dictum dominium. Minor verò probatur, quia voluntas cum solis prærequisitis indifferentibus se tenentibus ex parte sua non habet proximā, & expeditam facultatem agendi, & non agendi; sed tantum remotam; vnde si cum prærequisitis ex parte causæ primæ ad agendum, cum quibus habet proximam, & expeditam facultatem agendi, non haberet etiam proximam, & expeditam facultatem nonagendi, careret dominio, & potestate in proprios actus. 14

Respondent ad hoc nonnulli: facile concedi posse, quod inter prærequisita ad agendum enumeranda etiam sint ea, quæ se tenent ex parte causæ primæ; dummodo in ordine ad posse non agere, illa non sumantur in sensu composito, sed diuiso; diuidendo nimirum, non quidem potentiā non agendi à prærequisitis ex parte Dei, sed terminum huius potentiæ, ita vt sensus sit: cum prærequisitis ad agendū ex parte Dei stare potentiam ad non agendum; non autem potentiam ad ponendum simul cum illis ipsum non agere; quemadmodum in simili dicimus: simul cum albedine in pariete stare potentiam ad nigredinem, non autem potentiam ad ponendum simul nigredinem cum ipsa albedine. Hæc est celebris illa Thomistarum distinctio, quam in materia de auxilijs sæpe quoque verbo vsurpant, & quemadmodum à nobis in alienum sensum detorqueri; sed non eorum verba in ea explicanda transcripsimus, vt hanc calumniam vitaremus.

15 Eam verò non sufficere ad libertatem sic probamus: quando dicis, quod stantibus prærequisitis ad agendum ex parte causæ primæ se tenentibus, voluntas non potest in sensu composito non agere; vel putas, quod huiusmodi prærequisita sint in potestate voluntatis, si non quo ad primam productionem, saltem quo ad durationem; vel quod independenter ab eius beneplacito fiant, ac consequenter: non potes primam partem eligere, eo quod existimes illa importare absolutū Dei decretum omnino antecedens de opere ponendo, & qualitatem prædeterminantem physicè ad dictum opus. ergo secundum. sed potentia ad non agendum in sensu diuiso

á præ-

Digitized by Google

à prærequisitis se tenentibus ex Dei, hoc parte modo positis, quod non saluet libertatem, probo tripliciter, & primò quidem: quia tunc potentia ad aliquid in sensu diuiso ab aliqua suppositione saluat libertatem, quãdo voluntas potest se ab illa suppositione diuidere si velit; sed hoc non habetur in casu nostro, vt dictum est ergo &c. Maior probatur, quia ideo potentia, quam habet loquens ad tacendum in sensu diuiso à locutione, & iustus ad peccandum in sensu diuiso à iustitia, est vtilis ad eorum libertatem adstruendam, quia & loquens potest à suppositione locutionis se diuidere, & iustus à suppositione iustitiæ. Contra verò ideo potentia, quã habet æger ad essendum sanum in sensu diuiso ab ægritudine, non saluat libertatem circa hoc, neque potentia quam habet Christus ad peccãdum in sensu diuiso ab vnione hypostatica est sufficiens ad faciendum illum liberum ad peccãdum: quia neque æger potest se à suppositione ægritudinis diuidere si velit, neque Christus Dominus à suppositione vnionis; ergo &c.

16 Neque dicas prædestinatum non posse à suppositione prædestinationis se diuidere, & tamen liberè saluari per hoc, quod habet potentiam in sensu diuiso à prædestinatione ad se damnãdum: Contra enim est, quia licèt prædestinatus non possit potestate consequanti se diuidere à prædestinatione, seque damnare: potest tamen potestate antecedente; prædestinatio enim supponit consensum conditionatè futurum; Vndè si homo præuisus fuisset non consensurus, impedimento fuisset suæ prædestinationi.

17 Item probo secundò quia si voluntas cũ prærequisitis ex parte Dei ad amorem ita potest in sensu diuiso ab illis, non amare, vt nequeat dicta prærequisita à se abijcere, eodem modo se habet in amando, sicuti ignis in calefaciendo, & cætera agentia naturalia in suis operibus necessarijs, quæ cum prærequisitis ad agendum, ita possunt in sensu diuiso ab illis non agere, vt nequeant à se dicta prærequisita abijcere. ergo sicuti huiusmodi potentia ad nõ agendũ in sensu diuiso in agentibus necessarijs non saluat libertatem: ita neque in voluntate.

18 Neque dicas ignem non habere ab intrinseco vt possit non comburere, sed solum ab extrinseco per hoc, quod remoueatur à combustibili; at verò voluntatem ab intrinseco habere etiam non amare posse. Contra enim est, quia id solum probat in voluntate esse potentiam ad oppositum, quam distinctam esse á libertate patet in

21 naturalibus ex auibus, quæ per hoc quod possint volare, capere, comedere, & ab his operibus desistere, non sequitur quod sint liberæ; & in miraculosis ex igne Babylonico, qui simul potuit non comburere, & refrigerare. defactò enim combussit Ministros Regis, & tres pueros in fornace refrigerauit, & tamen in illo non fuit libertas; Et rectè id quidem, quia potentia ad oppositum in sensu diuiso ab aliqua suppositione, siue facultas dividendi se à dicta suppositione est simpliciter impotentia, vt potest in Christo Domino, qui quamuis habeat intrinsecam potentiam peccandi, quæ est voluntas humana, est tamen per hoc simpliciter impotens ad peccandum: sicuti etiam infantes, ac frenetici, qui quia non possunt se diuidere à suppositione, quæ excludit actum peccaminosum, non censentur habere nisi potentiam radicalem, & remotam ad libèrè operandum.

Neque iterum addas: ideò agentia necessaria 19
non esse libera, quia intellectiua non sunt. Contra enim est primò, hoc ipsum probat argumentum, quod scilicet si potentia ad vtrumlibet in sensu diuiso à te explicato sufficeret ad libertatem, cuicumque competeret huiusmodi potentia, quamuis non esset intellectiuũ esset liberũ. Contra secundò, quia ebrius intellectiuus est, & tamen eius voluntas ebrietate durante non operatur liberè, non aliam ob causam, nisi quia nequit cũ ebrietate componere negationem illius operationis, ad quam ex ebrietate fertur, cum de reliquo remaneat in eo potentia volitiua, per quam possit in sensu diuiso ab ebrietate ponere negationem dicti actus. Contra denique tertiò quia Christus Dominus, & Beati omnes in gloria non habent libertatem ad peccandum, & tamen non solum intellectiui sunt, sed etiam optime intelligentes. ergo &c.

Idem denique probo tertiò, quia si voluntas 20
cum prærequisitis ex parte Dei ad operandum esset libera per hoc, quod in sensu diuiso posset non operari: sequeretur quod nunquam posset à Deo necessitari; sed hoc est contra communem consensum. ergo &c. Sequela probatur, quia posita à Deo in voluntate creata quacũque qualitate necessitante ad amorem V. G. adhuc verũ esset, quod voluntas in sensu diuiso ab illa posset non amare. ergo iam amaret liberè, & necessariò, quod implicat contradictionem.

Obijcies: vnum ex prærequisitis ad agendum 22
est decretum Dei efficax de concurrendo ad operationem, à quo non potest homo se diuidere; sed cum hoc decreto impossibile est negationem operationis componere, quia implicat decretum Dei efficax suo effectu frustari. ergo falsum est quod ad vsum libertatis requiritur vt voluntas cum prærequisitis ad agendum ex parte Dei cõponere possit carentiam operationis.

Respondeo: decretum quod tanquam prærequisitum est necessarium ad agendum, esse decretũ indifferens de concurrendo ad id, ad quod voluntas se determinabit; quod quidem decretum determinatur dependenter à determinatione ipsius voluntatis creatæ, atque adeò hac ratione acceptum, est concomitans ipsũ actũ non verò precedens, & prærequisitum. Iam verò si de decreto priori modo sumpto loquitur argumentũ; nego minorem, quia cum illo potest cõponi vtrumque oppositum. si de decreto posteriori modo, nego maiorem; quia hoc non est prærequisitum ad suppositionem actus sed concomitans.

Obijcies iterum: vnum ex prærequisitis ad 23
liberam creationem mundi fuit decretum Dei efficax, quo ab æterno statuit velle illum creare in tempore; sed cum hoc decreto non potuit cõponi negatio creationis mundi; ergo datur prærequisita ad actũ liberum cũ quibus cõponi nequit actus oppositus. Respõdeo argumentũ supponens

creationẽ mũdi tẽpore futuræ in se sumptam liberam,

liberam, quod quidem falsum est. dicitur enim libera solum per denominationē extrinsecam á decreto Dei de illa ponenda in tempore, quod ab æterno in se formaliter liberū fuit. Quando autem dicimus ad vsum libertatis requiri vt voluntas cum prærequisitis ad operandum possit componere carentiam operationis, loquimur de vsu formali libertatis; scimus enim quod inter prærequisita ad operationem denominatiuè tantum liberam enumeretur volitio efficax dictæ operationis, cum qua volitione nequit stare carentia eiusdem operationis.

23 Pro decisione autem secundi quæsiti, quo quærebamus. An indifferentiæ, quam essentialiter dicit libertas, repugnet omnis necessitas ad operandum. Notandum est necessitatem, esse duplicem; vnam antecedentem: alteram consequentem; Antecedens est, quæ oritur ex aliquo eorum, quæ supponuntur ad operationem, & ad ea, quæ illam comitantur, quæ ab alijs dicitur necessitas ex suppositione antecedente, vel etiam suppositio antecedens. Necessitas verò consequens illa, quæ oritur ex suppositione operationis, eorumque quæ illā comitantur, & ideo appellatur necessitas ex suppositione consequenti, seu suppositio consequēs. In idem recidit diuisio D. Anselmi *in lib. de Concordia* dicentis: dari necessitatem præcedentem, quæ facit rem esse, seu quæ est causa vt res sit, & subsequentem quam facit res, & nihil efficit, quia illā supponit factam; qua ratione quidquid est, quandiu est, necesse est esse. Vnde non bene aliqui prioré appellant necessitatem absolutam, posteriorem verò ex suppositione; quia si suppositio est antecedens priorem necessitatem inducit.

24 Hoc autem posito sit secunda Conclusio: Omnis necessitas antecedens lædit vsum libertatis, Nulla necessitas consequens dicto vsui repugnat. ita Suarez, Vasquez Molina, & alij communiter contra Prædeterminantes, contendentes non quamlibet necessitatem antecedentem libertati contrariam esse.

Probatur autem primò ex Augustino *lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10.* vbi ait: Libertatem lædi per eam necessitatem, quæ non est in nostra 25 potestate; non verò lædi per eam, quæ in nostra potestate sita est. sed nulla necessitas antecedens est in nostra potestate; omnis autem consequens in potestate nostra sita est. ergo &c. Minor probatur, quia nomine necessitatis antecedentis intelligimus eam, quæ oritur ex suppositione omninò antecedenti nostrū vsum liberi arbitrij; atque adeo quæ ponitur in consulta voluntate; nomine verò consequentis illam quam facit nostra libera determinatio, & oritur ex actu liberi positione. Confirmatur, quia Sancti Patres respondentes hæreticis, obijcientibus præscientiam Dei, & prædestinationem cum libertate nostra pugnare, eo quod necessitatem in nostras operationes inducerent, constanter asserunt huiusmodi necessitatem esse solum consequentem, non autem antecedentem; & ob hoc non lædere libertatem. Audi Anselmum *in concordia*. Quamuis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quædam tamen præscita, & prædestinata non eueniunt ea necessitate, quæ præcedit rem, & facit, sed ea quæ rem sequitur. Ex quibus concludit, neque prædestinationem excludere liberum arbitrium, nec liberum arbitrium aduersari prædestinationi. ergo idem quod prius.

Probatur secundò ratione: Indubitatum est 26 aliquam necessitatem repugnare vsui libertatis, ita vt actus à voluntate elicitus, qui alioquin futurus fuisse liber, quia tamen ex aliqua necessitate sit, sit necessarius. Iam verò necessitatem consequentem non pugnare cum libertate omnes concedunt, & rectè; oritur enim ex positione rei, eamque præsupponit, atque adeò non plus officit libertati, quā existentia eiusdem rei liberè productæ. ergo cum libertate pugnabit sola necessitas antecedens; quatenus oritur ex aliquo, quod ponitur in voluntate ea inconsulta. Et confirmatur primo: Quia voluntas ex aliquo antecedenti necessitata ad vnum non est, positis omnibus prærequisitis, potens operari, & non operari. Secundo quia nullo alio modo Deus nos necessitat, nisi ponendo aliquid omnino antecedens ad actum, quo posito voluntas necessariò operatur, vt patet in Beatis, & Christo Domino. Tertiò denique quia effectus liber liberam determinationem voluntatis exposcit, alioquin non differret à necessariò; sed determinatio, quæ oritur ex necessitate antecedenti non est libera, eo quod præcedit omnem libertatem. ergo &c.

Ad hæc respondent aliqui primó non om- 27 nem necessitatem antecedentem lædere libertatem, sed solū quando oritur ex suppositione alicuius, quod se habeat per modum necessitantis, & libertatem destruentis; non autem quando se habet per modum lenientis, & confortantis, & dulciter determinantis voluntatem. Sed contra est primò, quia hæc responsio destruit doctrinam Augustini, vniuersaliter asserentis libertatem lædi per eam necessitatē, quæ non est in potestate nostra. Contra secūdò, quia petit principiū, dū dicit eā tantū esse necessitatē antecedentē destruentē libertatē, quæ oritur ex suppositione alicuius antecedētis necessitantis, & libertatem destruentis. Contra denique tertio, quia omnis necessitas antecedens destruit proximam indifferentiam voluntatis. ergo omnis se habet per modum necessitantis, & destruentis libertatem, ita vt implicet dari aliquam per modum lenientis, eamque confortantis, nisi modus hic negationē violentiæ, & coactionis importet.

Respondent alij secundó: Eam solam ne- 28 cessitatem antecedentem pugnare cum vsu libertatis, quam habet agens ex sua natura, nulla facta suppositione, vt in agentibus naturalibus; non autem eam quæ oritur ex suppositione diuini decreti.

Contra tamen est, quia licèt ex suppositione decreti supponentis vsum conditionatum nostri liberi arbitrij, nō lædatur libertas: tamen

necessitas ex dicta suppositione orta, est consequens, quia supponit vsum conditionatum, quamuis precedat absolutum. At ex suppositione decreti omnino antecedentis quemcumque vsum lædi libertatem patet ex decreto, quo Deus decernit necessitare voluntatem alicuius ad aliquod opus, quod certum est cum eius libertate pugnare. Quoniam verò decretum quod inducit necessitatem in horum sententia est omnino antecedens quemcumque vsum liberi arbitrij: hinc fit vt destruat libertatem.

29 Respondent denique alij tertiò distinguendo dupplicem necessitatem antecedentem: vnã antecedentem ad causam tum primam, tum secundam; aliam verò, quæ est antecedens ad secundam tantum, non ad primam; & priorem dicit repugnare cum libertate: non autem posteriorem. Sed contra est primo quia si hæc necessitas antecedens nostram libertatem esset consequens ad aliam causam secundam: nobis tolleret libertatem. ergo illam tollit etiam si sit consequens ad causam primam; quia æque independenter á libera determinatione voluntatis in vtroque casu eius indifferentia tollitur; quemadmodum enim calor non minus repugnat frigori si á solo Deo producatur in aqua, quam si ab igne, vel à sole: ita non minus repugnat necessitas antecedens inducta à Deo quam ab alia causa secunda. Ex eo igitur quod sit consequens respectu Dei, solum infert, quod sit illi liberæ, non autem nobis. Neque dicas disparitatem esse inter causam secundam, & Deum; quia cum Deus sit omnipotens, & auctor voluntatis, potest eam salua libertate antecedenter necessitare; Ne hoc dicas, in quam, quia sicuti non potest Deus quantumuis ponatur omnipotens tenebras cũ lumine in vno subiecto coniungere, vel curuitatem cum rectitudine, ita neque necessitatem antecedentem cum libertate, eo quod hæc non minus pugnant quam prædicta. Contra etiam est secundo, quia si hæc distinctio esset vera nũquam creata voluntas necessitari posset á Deo, quia eius necessitas semper esset consequens, & nunquam antecedens respectu primæ causæ liberæ illam necessitare volentis.

30 Obijcies primo si Deus postquam per scientiam conditionatorum cognouit me liberè consensurum poneret in me qualitatem, quæ necessitatem antecedentem ad consensum afferret: consensus esset liber sicuti per scientiam conditionatorum præuisus fuit. ergo non omnis necessitas antecedens præiudicat libertati. Respondeo negando antecedens: dico enim consensum illum fore necessarium, nec obstat per scientiam conditionatorum præuisum fuisse liberum, quia ex diuersis principijs potuit procedere in statu absoluto abijs à quibus præuisus erat in statu conditionato.

31 Obijcies secundò: Christus libere mortuus est, & tamen habuit necessitatem antecedentem ortam ex suppositione præcepti, contra quod ratione vnionis hypostaticæ ne potestate quidem antecedenti ire poterat. ergo &c. Respondeo eos, qui volunt Christum Dominum antecedenter ad præceptum adeó efficaciter elegisse mortem, vt petierit Patrem, vt de ea sub-unda illi præceptum daret, dicere: necessitatem præcepti non fuisse respectu Christi omninò antecedentem; sed supposuisse propriæ libertatis vsum circa illud; & ideò non esse mirum si liberè mortuus fit; sicuti fuisset, si dispensationem præcepti impetrare cum potuisset, non fecisset. Qui verò putant independenter ab eius voluntate mortem illi fuisse præceptam, asserere Christum Dominum non habuisse libertatem quo ad substantiam mortis, supra quam solum cecidit præceptum; sed in ordine ad genus mortis ad motiua, & circumstantias &c. Quare nego consequentiam.

Obijcies tertiò: damnati habent necessitatem antecedentem ad peccandum, & tamen eos liberè peccare patet ex eo, quia aliter non essent per peccata, quæ committunt vituperandi. ergo &c. 32

Respondeo, eos qui necessitatem antecedentem ad peccandum in damnatis agnoscunt, velle illos non liberè peccare formaliter, sed causaliter tantum, ratione operum, quæ fecerunt in vita in quorum penam meruerunt statum illum, & propter quæ vituperatione digni existimatur. Alios verò, qui probabilius putant, eos tantum moralem necessitatem ad peccandum habere, concedere eos liberè peccare formaliter: negare verò quod habeant necessitatem aliquam antecedentem ad peccandum, quia hæc physicam causalitatem importat, vt patet inuiatoribus.

Obijcies quartò: confirmati *in gratia liberè* 33 *non peccant*, & tamen *necessitatem habent* antecedentem ad *non peccandum*; aliqua igitur necessitas antecedens stat cum libertate. Respondeo dupliciter posse hominem in gratia confirmari. Primò per aliquod omnino antecedens vsum liberi arbitrij, ratione cuius prædeterminatur ad non peccandum. Secundò per aliquod quod præsupponit dictum vsum cõditionatè futurum: siue hoc aliquod sit donum creatum intrinsecè receptum in homine, quod connaturaliter exigit omnia auxilia efficacia, quibus ille remouetur à malo: siue sit sola extrinseca Dei volitio efficax de huiusmodi auxilijs toto vitæ tempore præstandis. Primum confirmationis genus tollit libertatem ad peccandum. Secundum verò minimè; si igitur de primo agitur, falsa est prior pars antecedentis; si de secundo, falsa est posterior; vtrouis autem modo sumatur neganda est consequentia.

Obijcies quintò: præcipiat Deus iusto habenti habitum caritatis, vt in instanti sequenti eliciat actum amoris Dei, ille verò transgrediatur præceptum, tum sic: hic peccaret, & consequenter habitum caritatis amitteret; ergo in eo instanti caret potentia ad amorem, quæ est habitus caritatis; sed qui caret huiusmodi potentia, habet necessitatem antecedentem ad non amandum. falsum igitur est omnem necessitatem antecedentem tollere libertatem. 34

Respondent aliqui primò admisso casu, & concesso antecedente, negando consequentiam

tiam; dicunt enim quod licèt iustus per habitum caritatis constituatur potens actum amoris Dei supernaturalem elicere, quoties illum non eliciendo non peccaret; at non quando peccaret vt est in casu nostro; & sic in eo casu eum non per habitum, sed per omnipotentiam Dei sibi applicatam per decretum, vel per aliquid aliud, quod possit in eodem instanti esse cum peccato, constitui potentem ad actum caritatis eliciendum; Sed contra hoc facit, quia sic multum detrahitur habitibus supernaturalibus, quia indè sequeretur nullum ex illis posse complere libertatem contrarietatis in materia graui, quã habemus V.G. ad amandum, & odio habendum Deum, ad temperatè vel intemperate operandũ, & sic de cæteris. Imò neque libertatem contradictionis, quoties eorum actus nobis præceptus est. Quare malius.

Respondendum secundò: concesso antecedente, & prima consequentia, distinguendo subsũptum: qui caret potentia ad amorem Dei, habet necessitatem antecedentem ad non amandum Deum: & siquidem careat dicta potentia nulla facta suppositione, concedo: si careat illa ex suppositione liberæ determinationis factæ ad nõ amandum, nego subsumptum cum secunda consequentia. Et dico iustum illum in casu posito verè constitui potentem ad amorem præceptum per habitum caritatis, quem supponimus habere in instanti reali immediatè præcedente ad instans, in quo vrget præceptum. Quod si in hoc instanti caret habitu, est quia liberè se determinauit ad omissionem amoris.

35 Instabis: in instanti, in quo non habetur potentia ad oppositum, non habetur libertas ad vtrumlibet; sed in instanti, in quo vrget præceptum, iustus careret potentia ad amandum Deũ, hoc ipso quod per habitum caritatis constitueretur potens. ergo in eo instanti non haberet libertatem ad amandum, & non amandum. Respondeo distinguendo maiorem in instanti, in quo nõ habetur potentia ad oppositum nulla facta suppositione, concedo: si nõ habetur ex suppositione, quod se determinauit ad vnum ex oppositis, nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam.

36 Subinstabis: licèt iustus ille possit in eo instãti non se determinare ad non amandum: ex suppositione tamen, quod se determinat non liberè amorem omittit; ad eum planè modum, quo si quis posset in hoc instanti liberè sibi manus abscindere, & eas defactò abscinderet, non esset tunc liber ad porrigendum mihi librum, quia iam amitteret potentiam porrigendi, licèt eam liberè amitteret.

Respõdeo negando antecedens; implicat enim in terminis quod iustus ille in eo instanti habeat facultatem ad non se determinandum ad non amandum, & quod non liberè amorem omittat. Quia idem est nõ amare in casu nostro, ac amorem omittere. Ad exemplum dico, quod si homo ille per actum non porrectionis abscinderet sibi manus, sicuti iustus per omissionem amoris amitteret habitum caritatis, curreret paritas; & sic homo ille tunc liberè non porrigeret librum: sicuti iustus liberè non amaret Deum.

Instabis iterum. Ad hoc vt illa amoris omissio sit peccaminosa, debet pro priori naturæ homo esse potens amare. sed prioritas naturæ includitur in eo instanti reali, in quo omittit amorem. ergo si homo constitueretur potens per habitum amare, in eodem instanti habitus simul esset realiter cum peccato; vel si non esset simul: deberet concedi quod dictus habitus in eodem instanti existeret, & non existeret; existeret pro priori, & pro posteriori non existeret. 36

Respondeo concessa maiore, & minore; nego consequentiam. Ratio negationis est, quia ad prioritatem naturæ saluandam in his causis, quæ pendent in conseruari à positione suorum effectuum in eodem instanti, in quo conseruantur: non est necesse vt in eodẽ signo prioritatis ponatur intelligantur existere; sed sufficit si ita intelligantur immediatè antea realiter præstitisse, vt in eo signo non intelligatur aliquid, quod eas destruat. Sic in sententia eorum, qui admittunt virtutem impressam, dicunt eam in conseruari à positione motus, quem efficienter causat, dependere; atque adeò in eodem instanti in quo proiectum cessat moueri, eam corrumpi. Quamuis enim prius per posterius non possit amitti secundum eam rationem, secundum quam est prius: potest tamen amitti secundum se, & facta aliqua suppositione; In horum, inquam, sententia dicendum est quod prioritas naturæ requisita à virtute impressa respectu motus, quẽ elicit in hoc instanti, nequeat existentiam illius in eodem priori positiuè importare, sed benè in instanti præcedente modo dicto. Iam habitus caritatis in iusto, cui datum est præceptum eliciendi actum amoris Dei in hoc instanti, supponitur pendere in sui conseruatione in eodem instanti ab ipso actu. ergo eius prioritas naturæ rectè saluatur per hoc, quod intelligatur in instanti antecedenti præextitisse, & quod non adhuc intelligatur aliquid in instanti consequenti destructiuum illius; sed homo in eo priori non adhuc intelligitur determinatus ad omissionem actus; ergo in eo priori iam intelligitur complete potens amare, & non amare. Et hoc sufficit ad verificandam communem definitionem libertatis, quæ erat: Est potentia, quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum, & non operandum possit operari, & non operari. Non enim intelligenda est positio omnimoda, & realis: sed solum quantum satis est, vt homo possit defactò se determinare ad alterutrum ex oppositis. Quidquid sit si ex determinatione ad vnum ex illis sequatur in eodẽ instanti destructio potentiæ ad alterum; contrarium enim gratis asseritur, & præiudicat libertati, cuius partes nos sustinere tenemur. Ex his autem facile deducitur: non implicare, quod Deus præcipiat iusto actum amoris Dei in hoc instanti ea conditione, vt si illum eliciat obtineat in eodem instanti Beatitudinem. Quamuis enim hæc excludat à iusto illo potentiam ad trangrediendum præceptum factum, constituendo illum impotentem ad peccandum: quia tamẽ hoc habetur dependenter á propria determinatione ad actum præceptum; nullo modo præiudicat libertati illius.

38 Pro complemento autem huius quæstionis, Quæres nũ verum sit, quod nulla necessitas consequentiæ lædit libertatẽ, omnis autẽ necessitas consequentis illam lædat. Respõdeo cum distinctione, & quidem affirmatiuè quo ad priorem partem; quo ad posteriorem verò negatiuè. Primũ patet, quia necessitas consequentiæ est, quoties aliquid ex aliquo verè colligitur, ita vt vi formæ concludatur. præcisè autem pro huiusmodi necessitate non lædi libertatem patet ex argumentis, quæ fiunt in materia contingenti; vt V.G. Omnis qui loquitur mouet linguam; sed Cæsar loquitur. ergo mouet linguam; quem linguæ motum esse liberũ Cæsari certissimum est. Secundum verò constat ex eo, quia necessitas consequentis est, quoties extrema conclusionis necessariò inter se connectuntur. Porrò hoc licèt quando ex aliqua causa omnino antecedenti vsum liberum arbitrij oritur, lædat libertatem; si tamen oritur ex aliquo concomitante dictum vsum, probo quod non lædat, hoc syllogismo: Quod Deus efficaciter ab æterno decreuit, non potest non esse in sua differentia temporis; sed creationem Mundi Deus efficaciter decreuit; ergo creatio Mundi non potest non esse in sua differentia temporis. Item hoc alio. Quod Deus præsciuit, necesse est esse; sed præsciuit peccatum Adæ; ergo peccatũ Adæ necesse est esse; Vbi vides neutram necessitatem præiudicare libertati, qua Mundus creatus est, & qua peccauit Adam; & rectè id quidem, supponit enim prima vsum libertatis explicitè cõtentum in medio termino; secunda verò supponit vsum libertatis humanæ iam præuisum, & implicitè contentum in medio termino, qui est Diuina prouidentia.

SECTIO TERTIA.

Vtrum ad libertatem voluntatis sufficiat indifferentia iudicij.

39 COnclusio est negatiua, & eam docet Suarez *prolegomenõ primo capit. quartò*, in qua testatur conuenisse omnes, quotquot ante controuersiam de auxilijs scripsere; Est tamen contra Bagnez *prima parte quæst. 19. art. 10.* vbi post quam cum omnibus docuit ad actum liberum exercendum requiri, vt intellectus proponat voluntati obiectum cum aliqua indifferentia, non quidem formali, quasi verò eius cognitio ita sit, vt potuerit non esse, sed obiectiua, per hoc quod repræsentet obiectum sub aliqua ratione boni, & mali simul, saltem negatiuè: statuit quod quoties actus volũtatis oritur ex prædicto iudicio, semper est liber, quantumuis supponatur procedere à voluntate aliàs determinata ad vnum; quare actum liberum definit esse actionem à voluntate eliciram circa obiectum propositum per iudiciũ rationis indifferens. Licèt fateatur libertatem residere in voluntate ipsa, & non in intellectu, eo quod in ea resideat facultas, qua homo ita operatur vt possit non operari, quantũ est ex vi repræsentationis obiecti indifferentis.

40 Probat nostram conclusionem Hurtadus *de anima disput. 15. sect. 5. à numero* 34. sic: Iudicium indifferens vnum est ex prærequisitis ad hoc vt volontas operetur. ergo eo posito potest voluntas operari, & non operari; igitur præter indifferentiam iudicij, requiritur ad libertatem indifferentia actiua voluntatis. Sed ad hoc responderi facile posset aliquis, concesso antecedenti, distinguo consequens; posito iudicio indifferenti potest voluntas operari, & non operari, quantum est ex vi ipsius iudicij, concedo; spectatis omnibus, nego primam, & secundam consequentiam. Eodem modo responderi posset ad illud aliud *ex numero* 36. Iudicium relinquit potentiam indifferentem in actu primo. ergo potentia potest cum illo componere actionem, & negationem illius, atque adeò in potestate voluntatis erit tam operatio, quam eius carentia. Videtur enim auctor in hoc argumento procedere à secundum quid ad simpliciter; siquidem ex eo, quia iudiciũ quantum est ex se relinquit voluntatem indifferentem, atque adeò potentem cum eo componere operationem, & eius carentia, infert quod in potestate voluntatis sit spectatis omnibus, quæ se tenent ex parte cuiuscumque alterius principij, ponere actionem, & eius carentiam. His igitur rationibus posthabitis.

41 Probatur primò auctoritate Patrum, qui in conciliandâ infallibilitate diuinæ scientiæ, & prædestinationis cum libertate nostra contra hæreticos, nunquâ ad indifferentiam iudicij confugerunt, quod tamen facili negotio facere poterant; sed constantissime se cõtulerunt ad ostendendum infallibilitatem præscientiæ, & prædestinationis non afferre voluntati necessitatem aliquam antecedentem, sed solum consequentem. ergo existimarunt non sufficere ad libertatem indifferentiam iudicij, si aliundè voluntas esset determinata, ad vnum à Deo prædestinante antecedenter ad eius operationem conditionatè futuram.

42 Probatur secundò: quia hæretici non negabant indifferentiam iudicij, præsertim Lutherus, & Caluinus, qui asserebant hominem scire bonum, sed explere non posse; & tamen damnati sunt à Tridentino vt libertatis euersores *sess. 6. cap. 5. & can. 5.* vbi statuens contra illos volũtatem nostram habere potestatem consentiendi, & dissentiendi vocationi, & per hæc habere libertatem: manifestè demonstrat se cum hæreticis consentire in eo, quod libertas consistat in indifferentia actiua, & absoluta voluntatis: discrepare verò in eo, quod illi dicebant hominem huiusmodi indifferentia destitutum esse. Quod si Concilium in indifferentia iudicij libertatem arbitrij positam esse credidisset, aduertere debuisset, hæreticos verbis tantum negare libertatem, & eorum modum loquendi non verò eorũ sententiam condemnare.

43 Probatur tertiò ratione: quando homo dicitur liber, non est sensus quod secundum quid tantum, & ex vi alicuius principij cum non necessitantis, habeat indifferentiam; sed quod absolutè, & ex vi omnium principiorum ita operetur, vt possit cum ijsdem principijs contradictorium, vel contrarium illius operationis compo-

Digitized by Google

componere; aliàs non differret ab agentibus neceſſarijs. Nullum enim ex eis eſt, quod ſecundum quid ex vi alicuius principij non habeat indifferentiam. Omne enim agit dependenter à materia, quæ de ſe habet indifferentiã ad hanc, vel oppoſitam formam recipiendam; ignis enim V. G. quando agit in lignum, ita illud comburit, vt ex vi materiæ illius poſſet non comburere, quia hæc quantum eſt de ſe non magis inclinat ad formam ignis, quam ad formam ligni. ſicuti igitur nemo dixit ignem eſſe liberum in agendo propter indifferentiam obiectiuam materiæ, in quam agit: ita non eſt cenſendus liber homo niſi abſolutè, & ex parte omnium principiorum agat cum indeterminatione, & indifferentia. ſed ex indifferentia iudicij habetur, quod homo ſecundũ quid tantum, & ex vi obiecti illum nõ neceſſitantis, habeat indifferentiam. ergo indifferentia iudicij ad libertatem arbitrij non eſt ſufficiens.

44 Probatur quartò: iudicium indifferens requiritur ad hoc, vt voluntas fiat complete potens ſe determinare ad vtrumlibet. ergo ad libertatem conſtituendam præter iudicium indifferens maximè requiritur indifferentia actiua abſoluta voluntatis; Conſequentia probatur, quia aliàs dicam ego naturam humanam Chriſti Domini etiam poſita vnione hypoſtatica eſſe liberam in ordine ad peccandum. Neque dicas cum dicta vnione non componi iudicium practicum indifferens in ordine ad peccandum: Contra: ideò non componitur, quia incompoſſibile eſt peccatum cum hypoſtatica vnione; ſed etiam incompoſſibilis eſt negatio amoris cũ principio determinãte ad amorẽ. ergo ſtante in voluntate principio determinante ad amorẽ, non poterit in intellectu dari iudicium indifferens practicum ad amandum, & non amandum, quod à te negatur.

45 Confirmatur quia D. T. *qu. 22. de verit. art. 8.* & Scotus *in quarto diſt. 49. quæſt. ſexta §. dico ergo*, quos alij Theologi paſſim ſequuntur, docent poſſe Deum per abſolutam potentiam neceſſitare voluntatem. porrò huiuſmodi auctores non poſſunt explicari de indifferentia iudicij, quia hæc naturaliter per inaduertentiam, aut vehementiam paſſionis deperdi ſolet. ergo dicendum eſt quod loquantur de ablatione libertatis, ſtante indifferentia iudicij.

46 Obijcies primo: actus voluntatis, qui conſequitur iudicium indifferens, quantumuis à voluntate determinata ad vnum eliciatur, non eſt neceſſarius abſolutè, ſed ſolum ex ſuppoſitione; ſed neceſſitas ex ſuppoſitione non præiudicat libertati. ergo &c. Reſpondeo neceſſitatem abſolutam oppoſitam neceſſitati ex ſuppoſitione ſumi poſſe trifariam. Primò pro ea, quæ nihil omnino ſupponit, & hæc reperitur in ſolo Deo, non autem in creaturis, vt de ſe patet; vnde neceſſitas ex ſuppoſitione illi oppoſita, eſt illa, quæ aliquid ſupponit, ſiuè hoc antecedat omnem vſum liberi arbitrij ſiuè ex illo ſequatur. Secundò pro ea, quæ oritur ab intrinſeco ex innata determinatione potentiæ ad vnũ; & ſic neceſſitas ex ſuppoſitione eſt illa, quæ prouenit ab extrinſeco. Tertiò pro ea, quę excludit poteſtatem reſiſtendi, præueniendo vſum libertatis; cui opponitur neceſſitas ex ſuppoſitione conſequenti, quæ oritur ex vſu ipſo libertatis; Quo poſito diſtinguo maiorem; actus voluntatis, qui conſequitur iudicium indifferens, quantumuis à voluntate determinata ad vnum eliciatur, non eſt neceſſarius abſolutè, ſed ſolum ex ſuppoſitione: ſi loquamur de neceſſitate abſoluta, & ex ſuppoſitione primo, & ſecundo modo acceptis, concedo; ſin autem de neceſſitate abſoluta, & ex ſuppoſitione tertio modo ſumptis, nego maiorem; quia neceſſitas, quam habet actus voluntatis poſitus ab aduerſarijs, excludit poteſtatem reſiſtendi, atque adeò eſt neceſſitas ſimpliciter, & non ex ſuppoſitione tertio modo. Ad minorem verò dico quod quãuis neceſſitas ex ſuppoſitione oppoſita tertiæ neceſſitati abſolutè non præiudicet libertati; tamen neceſſitas ex ſuppoſitione, quam habet actus voluntatis in caſu noſtro, opponitur primæ, & ſecundæ, cui nihil obſtat quin præiudicet libertati; ſicuti defactò præiudicat poſita aduerſariorum ſententia; quia eſt ex ſuppoſitione antecedenti vſum libertatis, non autem conſequenti. Quare nego conſequentiam.

Obijcies ſecundò: voluntas non poteſt ferri in aliquod obiectum niſi ſecundum modum, quo proponitur illi ab intellectu; nihil enim volitum, quin præcognitum. ergo ſi obiectum proponitur per iudicium rationis indifferens vt amandum liberè: implicat, quod ametur neceſſariò. Reſpondeo hoc argumentum eſſe ab aduerſarijs ſoluendum, dum dicunt obiectum proponi volũtati per iudicium rationis indifferens, & nihilominus illam vt prædeterminatã ad vnum in illud ferri. Reſpondeo ſecundò, antecedens eſſe verum, loquendo de modo ſe tenẽte ex parte obiecti, non autem de modo ſe tenente ex parte voluntatis; obiectum enim non poteſt amari vt bonum amici V. G niſi ab intellectu ſecundum hunc bonitatis modum proponatur voluntati amandum: at poteſt amari amore naturali, etiam ſi ſecundum hunc modum non proponatur amandum. Ratio eſt, quia vt naturaliter voluntas amet, non oportet vt ipſam naturalitatem directè velit; libertas autem eſt modus ſe tenens ex parte voluntatis; vnde adhoc vt exerceatur à voluntate, non eſt neceſſe vt directe voluntas feratur in illum. defacto enim fieri poteſt vt aliquid liberè velimus, & id ignoremus; ſic diſtincto antecedente, nego conſequentiam tamquam de ſubiecto non ſupponente; quia vt obiectum proponatur voluntati per iudicium rationis indifferens, non eſt neceſſe, vt proponatur vt amandum libere. 47

Obijcies tertiò: ſi voluntas neceſſitaretur aliquando à Deo poſita indifferentia Iudicij: ſequeretur, quod cogeretur ab illo; ſed hoc repugnat. ergo &c. Minor patet, quia omnes ferè Theologi conueniunt in hoc, quod voluntas non poſſit pati à Deo coactionem, & violentiã in ſuis actibus. Sequela verò maioris probatur, quia illud cogitur, quod contra inditam inclinationem mouetur. ſed ſi voluntas neceſſitaretur circa obiectum cognitum indifferenter, moueretur contra inditam ſibi inclinationem; quia illa naturaliter inclinat mouere ſe cum indifferentia, 48

Digitized by Google

rentia, & dominio circa tale obiectum sic propositum; ergo &c.

Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem distinguo maiorem: Id cogitur quod cõtra inditã inclinationẽ adequatã mouetur, cõcedo; contra inditam inclinationem inadæquatam, nego; & sic distincta minore: moueretur contra inditam sibi inclinationem adæquatam, nego: inadæquatam, concedo minorem, & nego consequentiam. Dico enim violentum ab Aristotele definiri Id quod fit in aliquo nullam vim aut inclinationem eo conferante. sufficit igitur quod habeatur aliqualis inclinatio, licet non omnis ad vitandam violentiam; & rectè; nemo enim dixerit ambulationem esse homini violentam, eo quod motus, quo pedes attollit sit contra inclinationem grauitatis propriæ: censetur enim, hoc non obstante, illi naturalis huiusmodi motus, per hoc præcise quod fiat iuxta inclinationem potentiæ progressiuæ, quam habet. Quo posito dico voluntatem, quando necessitatur á Deo, licet non operetur secundum inditam inclinationem, quam habet, mouendi se circa obiectum indifferenter propositum, cum indifferentia, & dominio: quia tamen operatur secundum inditam inclinationem mouendi se ab intrinseco; hinc est, quod propriè non patitur violentiam, sed solum impropriè; in quo sensu D. T. q. 22. *de verit. art.* 8. in principio corporis dicit: Deum posse necessitare voluntatem, non autem cogere.

49 Obijcies quartò non potest fieri á Deo, vt potentia non libera, liberè operetur. ergo neque potest vt potentia libera per iudicium indifferens iam completa operetur necessariò. igitur ad libertatem in actu secundò sufficit indifferentia iudicij. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est quia ad operandum liberè requiritur indifferentia ex parte omnium principiorũ, quæ ad operationem necessaria sunt; ad necessitatem verò sufficit determinatiò vnius principij, quia illud rapit necessario cætera. Iam verò potentia non libera, cum repugnet, vt in se fiat indifferens, nunquam associata alijs comprincipijs indifferentibus quantumuis miraculosis habebit indifferentiam, nisi illis in operando subordinetur, vt habitus V.G. Caritatis, vel Religionis &c. At verò libera per coniunctionem cum principio determinato, quod illam sibi subordinet, licèt non amittat indifferentiam essentialem: amittit tamen illam in ordine ad eam operationem, ad quam per principium illud determinatur. Propter similem rationem implicat, quod id quod non est rationale ratiocinetur, at non implicat, quod non ratiocinetur id, quod rationale est.

SECTIO QVARTA.

An potentia pure passiua possit esse libera.

50 VIdimus libertatem nostram in actu primò acceptam importare potentiam actiuam; definitur enim per hoc quod positis omnibus prærequisitis ad operandum possit operari, & non operari: dubium tamen est num dari possit libertas, quæ solam potentiam passiuam importet. An videlicet dari possit creatura aliqua, quæ per hoc præcisè sit libera, quod possit in se agentis actionem admittere, illi se subijciendo, & non admittere, ei resistendo.

Conclusio est negatiua. Puto enim implicare 51
contradictionem potentiam purè passiuam liberam. Ita communiter. Oppositum tamen docet Arriaga *disput. 8. de anim. sect. prima d num. 7.* vbi distinguit inter potentiam passiuam merè receptiuam, & eam quæ per materialem causalitatem est etiam sustentatiua formæ. Et quidem si sermo sit de potentia passiua merè receptiua, concedit non posse esse liberam; rationem assignat, quia cum talis potentia nullo modo influat in effectum, vti supponimus, sed se habeat sicuti materia prima, respectu animæ rationalis, quæ eam solum recipit, & non substentat; non potest intelligi quomodo sit in potestate ipsius existentia, vel nõ existentia talis effectus. Contra verò si loquamur de potentia passiua substentatiua, propter contrariam rationem putat posse libertatem habere, eo quod verè influit in effectum, vndè non est cur eius existentiam determinare, non valeat.

Nostra verò sententia probari potest primò 52
omnibus illis auctoritatibus scripturarum, Patrum, & Scholasticorum, quas longo ordine recenset Suarez *tom. 2. de Gratia Prolog. 1. cap. 2.* quibus posthabitis, iuuat expendere id, quod habet Tridentinum *sess. 6. can. 4.* vbi sic: Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti &c. Sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meroque passiuè se habere anathema sit. Tum sic: Si in potentia merè passiua arbitrij nostri libertas saluari posset: non esset cur hac censura notaretur à Concilio, qui diceret nostram voluntatem in actibus salutaribus nihil omnino agere, sed merè passiuè se habere; nam iste talis saluare ex vna parte posset dictos actus esse supernaturales: ex alia verò esse nobis liberos per hoc quod in potestate nostra esset Dei actionem in nobis admittere, vel à nobis illam respuere; cum igitur Concilium tam seuerè hanc opinionem damnet, necesse est fateri non ob aliud id facere, nisi quia putet implicare contradictionem posse libertatem in potentia merè passiua reperiri.

Ad hoc argumentum respondet Arriaga: hoc 53
Tridentini Dogma rectè saluari si dicatur, *quod voluntas non se habeat merè receptiue in ordine ad actus salutares*; nam sic repugnaret illi libertas, vt dictum est. Cæterum, siue asseratur quod dictos actus causet materialiter, siue efficienter parum curare Concilium; quia vtraque causalitas stare potest cum libertate. Et rationem huius rei assignat: quia, inquit, cum causalitas materialis, quam nonnulli Philosophi astruunt non sit adeò certa non curatur á Concilio, neque communiter concipitur per vocem illam (pure passiuè.)

Sed contra hanc explicationẽ Concilij facit, 54
primò:

Digitized by Google

primò : quia falsum est per huiusmodi vocem significari puram receptionem ; aduerbiũ enim, (passiuè) à patiendo deriuatur, quod supra receptionem, passionem inuoluit, quæ est propria causalitas causæ materialis : aduerbium verò (merè) quod illi adiungitur, est profectò exclusiuum, non quidem influxus materialis, sed efficientis, & additur ad arcendã illam passionem, ad quam subiectum non solum passiuè, sed etiam actiuè concurrit, dum in se formam immanenter producit. Quare dum Concilium negat liberum arbitrium se habere merè passiuè, non solum puram receptionem, sed etiam puram causalitatem materialem á libertate nostra excludit. Contra secundò, quia Tridentinum in eo sensu vocem illã (merè passiuè) debebat vsurpare, in quo tunc temporis vsurpabatur communiter à Philosophis. sed hi dictam vocem ad significandam causalitatem materialem vsurpabant, quam, & vnanimi consensu admittebant; licèt eam postea vnus, aut alter recentior reuocauerit in dubium. ergo &c. Contra denique est tertiò, quia non hoc verbo tantum Patres Concilij suam mentem explicarunt, sed duobus alijs clarioribus, quæ nulla tergiuersatione offuscari possunt, nec detorqueri in sensum ab Arriaga intentum; quorum primum est, quod anathema ferunt in eum, qui dicit liberum hominis arbitrium nihil cooperari assentiẽdo Deo excitanti. atqui cooperari est proprium solius causæ efficientis, sicuti, & operari; non verò materialis, quantumuis sustentare ponatur effectum. ergo sinè influxu in genere causæ efficientis *in actus salutares non* saluatur Canon Patrũ Concilij. Secundum verò verbum est, quia anathema dicunt Patres etiam in eum, qui asserit, liberum arbitrium veluti inanime quoddam nihil omninò agere in actus salutares. sed agere, est propriũ solius efficientis. ergo per hoc, quod asseratur, liberum arbitrium materialiter influere in actus salutares, auctoritas Concilij non saluatur; & rectè id quidem, nam *cap. quinto eiusdem sessionis* expressè fuerat definitum, quod tangente Deo Cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens. ergo per meram potentiam passiuã in sententia Concilij arbitrij libertas non saluatur.

55 Probatur secundò Conclusio ratione adducta à Suarez *loco citato ex* Scoto *in secundo dist.* 25. *in argumentis ad oppositum*, quæ est huiusmodi. Ratio potentiæ liberæ, qua libera est, consistit in potestate quadam, & prædominio in suas mutationes, & actus. sed hæc potestas repugnat potentiæ passiuæ, qua passiua est; ergo potentia passiua qua talis, nequit esse libera. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur, quia non est in potestate, & prædominio patientis pati, vel non pati ab agente; hoc enim sibi vendicat agens; eo quod actio de qua loquimur, infert necessariò passionem, eamque ordine saltem rationis præcedit, non autem è contra. ergo sicuti potentia passiua qua talis nequit habere potestatem, & prædominium in actionem agentis, quia prius non est in potestate posteriora: ita neque in passionem, quia posita actione necessariò sequitur passio.

Quiedus *controu.* 12. *de anima, puncto tertio, numero secundo* licèt teneat potentiam pure passiuã non posse esse liberam: hoc tamen Scoti, & Suarij argumentum infirmũ esse existimat, eo quod totum eius robur, inquit, situm est in eo, quod actio inferat passionem, & non inferatur ab illa; quod facile quisque negare poterit ob triplicem rationem; Primò quia actio, de qua agimus, identificatur cum passione; sed inter ea, quæ sunt omninò idem, non potest esse realis illatio, neque vnum ab alio procedere, cum non sit vnum, & aliud. ergo &c. Secundò quia multi actionem eductiuam, nè formaliter quidem à passione distinguunt. ergo adhuc per intellectum dici nequit passionem inferri ex actione eductiua, & non è contra. Tertiò denique quia differentia inter actionem, & passionem non sumitur præcisè ex eorum entitate, quia hæc vna est realiter, sed ex extremis seù principijs connotatis, nempè agente, & passo ergo differentia inter agens, & passum in ordine ad influendum nõ est sumenda ex entitate influxus secundum se, sed etiam ex eiusdem principijs; non igitur est probandum efficiens esse liberum, & non passum præcisé ex actu secundò exclusa diuersitate principiorum in actu primo. 56

Verùm si hæc triplex ratio, quæ affertur ad infirmandum propositum argumentum, aliquam habet vim, ea tota quanta est in argumentum principale, quod ab eodem Quiedo ad probandam communem conclusionem *num.* 7. adducitur militare videtur; quandoquidem in rei veritate cum eo coincidit, & non nisi meris verbis differt ab illo; quod nè temere quis dictum à nobis esse suspicetur placet illud in medium adducere, & cum altero comparare. Sic enim procedit: Causa materialis determinatur ab efficiente, & efficiens materialem determinat. ergo determinatio nunquam oritur à causa materiali; & sic non potest illi tribui libertas, quæ principij determinantis propria est. Porrò hoc enthymema coincidit cum primo syllogismo Suarij: siquidem idem prorsus significat causam materialem determinari ab efficiente, ac non habere potestatem, & prædominium in suas operationes seù effectus, sed efficiens. Probat Quiedus *num.* 8. suum antecedens ex diuerso modo respiciendi actionem identificatam cum passione efficientis, & passi, sic. Efficiens respicit actionem tanquam id à qua exit, patiens verò tanquam id, in quod tendit, & in quo recipitur, sed prius concipitur aliquid exire, quam recipi, seù peruenire, in quod tendit. ergo prius concipitur agens determinare materiam, quã materia determinare agens. Iam verò hanc probationem nè latum quidem vnguem discedere à probatione, quam adducit pro sua minore Suarez sic suaderem: Dupliciter vnum potest inferre aliud: Primò, quia est notius nobis. Secundò, quia est notius natura, saltem formaliter; quamuis autem id, quod est nobis notius, non importet ex parte obiecti aliquã prioritatem saltem rationis respectu illius; id tamen, quod est notius natura, illam necessariò importat. Atqui mentem Suarij esse, hoc secundo modo actionem inferre passionem patet; 57

quia

Digitized by Google

quia immediatè post subdit, quod illam ordine naturæ, vel rationis præcedit, & ex hoc infert actionem non esse in potestate patientis, vt patiens est; quia prius, inquit, non est in potestate posterioris. Quoniam verò tota probatio Ouiedi in hac prioritate actionis, & posterioritate passionis fundatur, rectè deducitur eam verè coincidere cum illa Suarij; atque adeò rationes, quæ ad hanc labefactandam adducit, æquè contra propriam militare. Hoc tamen ipse viderit: nos enim illas breuiter sic dissoluendas existimamus.

58 Ad primam dicendum: quod licèt actio identificetur cum passione, differt tamen ex eo, quia appellat agens, à quo procedit; quare licèt inter ea, quæ sunt omninò idem non possit esse realis illatio à priori: potest tamen inter ea, quæ saltem ratione terminorum diuersificantur. Quod si vrgeas realem illationem esse inter ea, quæ realiter distinguntur. Dicam me non contendere actionem inferre realiter passionem; sufficit enim ad intentum meum, si solum formaliter eam inferat: sicuti sufficit Ouiedo, quod formaliter sit illa prior; & Logicis, quod risibilitas ex rationalitate tanquam à priori inferatur; & Theologis, quod ex diuina essentia inferantur attributa, & ex Dei immutabilitate eius æternitas &c. Deinde addam: si nomine realis illationis intelligamus illam, quæ habet fundamentum à parte rei ex parte obiecti, posse concedi eam haberi in casu nostro.

59 Ad secundam aio quod si actio eductiua adhuc per intellectum minimè à passione distinguitur: rectè contra obijcientem deducitur: actionem eductiuam, de qua loquimur, non esse passione priorem; & sic corruit suum argumentum quod in dicta prioritate fundatur ad ostendendum non posse in potentia purè passiua libertatem reperiri. Dicendum igitur est, actionem eductiuam dupliciter sumi posse primò secundum totum id, quod realiter importat; secundò pro vt in linea actionis formaliter continetur. Quānis autem primo modo minimè à passione distinguatur: at distinguitur secundo modo, quia licèt sinè passione concipi nequeat: tamen eam tanquam connotatum sibi extrinsecum importat, ad eum planè modum quo creatura dicit Deum, & scientia obiectum, cuius est scientia.

60 Ad tertiam denique dico, Scotum, & Suarez non desumere differentiam inter actionem, & passionem ex earum entitate præcisè, sed ex entitate vtriusque communi, vt relata ad terminos suos; sic enim, & non aliter habere possumus rationem actionis, & passionis. Quare concesso antecedente, & prima consequentia; ad secundam dico, quod licèt non sit probandum efficiens esse liberum, & non passum, præcisè ex actu secundo vtriusque materialiter accepto: rectè tamen probari potest ex actu secundo vtriusque formaliter considerato; quia sic quilibet ex eis connotat primariò suum proximum terminum, quem appellat, ex quo diuersitatem suam desumit.

61 Ad hæc: Cōtra conclusionem Obijcies primò ex *Arriaga num.* 10. Quoties duo principia sunt necessaria ad productionem effectus, si vnum licèt ignobilius non influat, non habetur effectus; ergo ex hac parte causa passiua potest impedire nè agens agat: aliundè verò si causæ efficientes sint determinatæ ad operandum, potest causa passiua illas secum trahere; ergo in potestate causæ passiuæ, vt passiua est, potest esse productio effectus, & eius omissio; in ea igitur potest esse libertas.

Respondeo ad priorem quidem obiectionis partem, concesso antecedente, distinguendo consequens: Ex hac parte, posito videlicet quod causa passiua non influat, potest impedire nè agens agat: potest impedire, siuè liberè, siuè necessariò, concedo: liberè, nego consequentiam; eo enim modo causa minus principalis potest impedire effectum, sicuti potest non influere; cum igitur causa passiua non possit, nisi ex necessitate non influere, siuè quia non est apta, siuè quia non est rectè disposita, siuè demum quia non est illi debite applicatum agens, quod illā transmutare valeat: hinc fit vt non nisi ex necessitate potest impedire effectum. Ad posteriorem verò partem respondeo, distinguendo eodem modo antecedens: si causæ efficientes sint determinatæ ad operandum, causa passiua potest illas secum trahere: potest ex necessitate, concedo: potest liberè, nego antecedens; & sic distinguo consequens: in potestate causæ passiuæ potest esse productio, & non productio effectus: si potestas importet vim causatiuam effectus, concedo: si significet prædominium in suum actum, vt positis omnibus prærequisitis per eam stet, quod ponatur, vel non ponatur effectus, nego consequentiam. Dico enim ex argumento Arriagæ non inferri in causa passiua hanc posteriorem potestatem reperiri posse, in qua consistit libertas sed priorem tantum, quam habet lignum ad calefactionem sui, & eius carentiam; quatenus per sui absentiam potest impedire nè ignis ipsum calefaciat, & per sui præsentiam cum reliquis dispositionibus ad calefactionem requisitis determinare illum ad calefaciendū se.

Obijcies secundò ex eodem *num.* 11. *vnicum* 62 discrimen inter causam materialem, & efficientem est, quod illa operetur cum mutatione sui, non verò efficiens; sed mutatio intrinseca causæ, aut eius carentia est extra conceptum libertatis. ergo sicuti libertas non repugnat causæ efficienti, ita neque materiali.

Respondeo, æquiuocationem *latere in particula* (operetur) quæ est in maiore; quare illā distinguo; & siquidem sensus est quod causa materialis conueniat cum efficiente in operatione, hoc est in causalitate, & differat *solum in* eo, quod illam exerceat cum mutatione sui, non verò efficiens, nego maiorem. *Si* autem faciat sensum, quod discrimen inter causam materialem, & efficientem consistat in eo, quod materialis causalitas sit passio, quæ mutationem in eam inducit; efficientis verò actio, quæ non requirit in ea mutationem, concedo. Distinguo posteā minorem: mutatio intrinseca, quam per se inducit passio, & carentia mutationis, quam actio, quantum est de se importat, sunt extra conceptum libertatis, & comparan-

Digitized by Google

tur tanquam termini pertinentes ad illam, concedo; & non comparantur hoc modo, nego minorem, & consequentiam. Dico enim causam efficientem, & materialem differre inter se essentialiter, quia illa definitur ab Aristotele 5. *metaph. cap.* 2. *& alibi* Id vnde principium primum mutationis, aut quietis. materialis vero 2. *phys. tex.* 28. Id ex quo aliquid fit, cum insit: Porro hanc diuersitatem per ordinē ad diuersum operandi seu causandi modum accipiunt, qui consistit in eo, quod efficiens respiciat actionem tanquam propriam causalitatem: materialis verò passionem. vnde fit vt illa prioritatem quandam in causando via executionis inter cæteras causas sibi vendicet: materialis verò posterioritatem. Verum enim est dicere, quod ideo materia patitur, & forma producitur, & consurgit compositum, quod tanquam finis à dictis causis intenditur, quia efficiens operatur. Ex hoc autem rectè deducitur, libertatem in principio actiuo, & non in passiuo residere posse, quia principium liberū, qua tale, debet esse primum determinatiuum reliquorum comprincipiorum, cuiusmodi est sola causa effectiua. Hinc vlterius fit, carentiam mutationis, & mutationem ipsam esse terminos pertinentes ad libertatem, vti dicebamus; carentiam quidem mutationis tanquam terminum, qui infertur ex illa; eo quod causa efficiens, qua talis, non importat in se mutationem: contra verò mutationem ipsam pertinere ad libertatem tanquam terminum ipsi repugnantem. Cuius ratio est, quia omne quod mutatur, vel ab alio mutatur, vel si à se ipso, nō quatenus à patiente sed quatenus ab agente. cum igitur principium liberum, qua tale, debeat esse primum determinatiuum, rectè deducitur mutationem intrinsecam pertinere ad libertatem tanquam terminum illi repugnantē; non quidem realiter pensatis omnibus, constat enim nostram voluntatem, quoties liberè operatur, mutationem pati: sed formaliter, & præcisè, ita vt voluntas nostra non quatenus actus suos substentat, & recipit, libera sit, sed solum quatenus illos producit.

63 Obijcies tertiò: Deus est perfectissimè liber; sed eius libertas non consistit in potentia actiua. ergo falsum est libertatem formaliter in sola facultate agendi posse esse. Minor probatur, quia potentia actiua in Deo est respectu actionum transeuntium: libertas autem in actu secundo operationem immanentē importat, vt amorem, odium &c. Respondeo distinguendo minorem: Deus est perfectissimè liber in ordine ad diuersos actus in se producendos, nego: in ordine ad diuersa obiecta per eundem simplicissimum actum cognoscenda, concedo maiorē; & concessa minorem, distinguo eodem modo consequens; falsum est libertatem in ordine ad diuersa obiecta immediatè attingenda consistere in facultate agendi, concedo: si loquamur de libertate in ordine ad diuersos actus producendos, nego consequentiam; Et dico duplicem dari libertatem: vnam est qua principium liberum potest producere in se diuersos actus liberos; quibus vel inclinet ad aliquod obiectum, vel auertatur ab illo: altera verò per quā principium liberum eodem prorsus actu se ad volendum, vel volendum obiecta determinat. Porro quando nos contendimus libertatē in sola potentia actiua consistere posse, loquimur de priori libertate, quæ reperitur in creaturis intellectualibus: non autem de posteriori, quæ solum reperiri potest in Deo, quatenus per vnum simplicissimum actum, qui est in se volitio omnium volibilium, & nolitio omnium nolibilium, & summè necessarius, potest libere eundem effectum extrinsecum velle, & nolle, & sic illud amare, vel odio habere. Ex quo deducitur communem libertatis definitionem, quam huius disputationis initio tradidimus, verè diuinæ libertati minimè competere. quando enim dicitur: eam esse, qua positis omnibus requisitis ad operandū potest operari, & nō operari; sēsus est, quod possit actionē immanentē in se producere, & non producere: quod Dei libertati minimè competit; ea enim licet possit amare, & non amare aliquod obiectum: non tamen per diuersam actionem immanentem in se productam, sed per diuersam tantum terminationem, vel connotationem id præstare valet. Non negauerim tamen dictam definitionem illi accommodari posse, sumendo nomen operationis latè, pro vt comprehendit etiam actum in se necessarium, qui liberam terminationem ad diuersa obiecta habere possit.

Obijcies quartò: potentia passiua, qua talis 64
potest esse indifferēs ad cōtrarias formas recipiendas: ergo potest esse libera. Respondeo distinguendo antecedēs, potest esse indifferens ad contrarias formas, absque eō quod indifferentiam illam ad alterutram partem sibi determinare valeat, concedo, ita vt possit sibi dictam indifferentiam determinare, nego antecedens; & consequentiam. Dico enim ad libertatem in actu primo non sufficere quamcumque indifferentiam ad formas oppositas, alioquin etiā materia prima esset libera: sed requirere præterea facultatem indifferentiam illam sibi determinandi, quam facultatem negnit habere causa materialis, qua talis, quia determinatio non fit sine mutatione, quam principium passiuum non potest in se incurrere, sed expectat determinationem illius ab efficiente.

In stabis: agens sæpe determinatur à passo ad 65
agendum, vt patet in sole exsiccante lutum, & liquefaciente ceram: ergo non est cur non possit passum habere facultatem determinandi indifferentiā suā ad alterutram partem. Respondeo distinguendo antecedens: agens sæpè determinatur ab eodē passo eodē modo disposito, ad agendum hoc, vel illud nego: determinatur à passo vno modo disposito ad agendum vnum effectum, & à passo alio modo disposito ad agendum aliud effectum, concedo antecedens; & nego consequentiam, quæ procedit de facultate quam habeat idem omnino passum eodem prorsus modo dispositum determinandi indifferentiam suam modo ad vnam formam causandam, modo ad contrariam, vel etiam ad aliam; iam vero probatio antecedentis procedit de passo hoc est de cera, & luto diuer-

so modo dispositis, quæ per modum naturæ determinant solem ad contrarios effectus in se causandos, & ideò nihil concludit.

66 Obijcies quintò: non repugnat aliqua potentia passiua, quæ in sua potestate habeat resistere, & non resistere impressioni agentis: sed huiusmodi potentia præcisè per hoc iam esset libera. ergo &c. Respondeo, negando maiorem, quia duplex est resistentia: altera effectiua, altera formalis; neutram autē potentia passiua in sua potestate habere potest: non actiuam, quia hæc á sola potentia effectiua procedit, vt patet; neque formalem, quia resistentia formalis oritur ex formali repugnantia vel oppositione entitatum, vti diximus *in libris de Generatione disput. de Resistentia.* quare si potentia passiua formaliter resisteret actioni agentis, semper illi resistere deberet, quia semper haberet in ordine ad illam formalē resistētiam cū propria entitate identificatā; quod si aliquando non habet, signum est quod per aliquid aliud illi resisteret, & tunc in hoc alio producendo, vel non producendo eius libertas posita esset.

SECTIO QVINTA.

An potentia carens naturaliter libertate possit esse diuinitus libera.

Conclusio est negatiua. Puto enim implicare contradictionem potentiam, quæ natura sua est determinata ad vnum, libere operari, ita Suarez *in primam secundæ tract. 2. disput. 1. sect. 12. num. 15.* vbi docet fieri non potuisse, vt homo eleuaretur ad liberē operandum, nisi ex sua natura haberet aliquam facultatem liberā. Est tamen contra Arriagam *de anim. disp. 8. sect. 2. subsect. 2. & in primam secundæ disp. 7. sect. 5.* vbi probat nullā assignari posse repugnantiā in eleuatione talis potētiæ: quem sequitur Suarez Lusitanus *de anim. tract. 6. disp. 2. sect. 2. §. 8.* 67

Probatur autem, assignando repugnantiā sic. Hæc potentia carens naturaliter libertate diuinitus eleuabilis ad liberè operandū, vel supponitur debere esse necessariò vitalis, vel posse etiam esse non vitalis; vtraq; suppositio pugnat cum eius eleuabilitate; ergo absolutè implicat potētiā carentē libertate posse diuinitus eleuari ad operandum libere. Maior patet, quia omnis potentia operatiua vel vitalis est, vel non vitalis: & consequentia rectè procedit: Minor verò suadetur, & quidem quod si non est vitalis, non possit sic eleuari videtur euidens; nā ratio libertatis consistit in facultate se determinandi ad alterutram partem indifferentiæ, quam essentialiter includit. Porrò hæc facultas necessariò est vitalis, quia viuens propriè dicitur id quod se-ipsum per se mouet propter propriam perfectionem acquirendam; determinatio autem non fiat sine motione: quare rectè deducitur nè diuinitus quidem potentiam non vitalem posse libere operari. 68

Ad hæc: principium liberum debet meritè obiecti perpendere, & cognoscere conuenientiam, & disconuenientiam, quam habet cum natura, vt se determinare valeat. sed omne principium cognoscitiuū est vitale. ergo &c. 69

Quod verò hæc potentia, quę naturaliter nō est libera, etiam si sit vitalis, neque diuinitus ad liberè operandum eleuari possit, quæ erat secunda pars minoris principalis, suadetur; quia potentia vitalis ne diuinitus quidem potest ferri extra suum obiectum adæquatum, à quo vitaliter specificatur; constat enim oculum non posse eleuari ad audiendum, nec aurem ad videndum &c. eo quod obiectum adæquatum, à quo potentia visiua specificatur, est color, sicuti sonus, id á quo specificatur auditiua. Iam verò si potentia vitalis de se necessaria posset eleuari ad operandum liberé, quod ferri, posset extra suum obiectum adæquatū, á quo specificatur, euincitur: tum quia nulla alia assignabilis est ratio, cur potētia nō vitalis eleuari diuinitus nequeat ad vitaliter operādū, præter quā quod sic ferretur extra suū adæquatū obiectum. ergo à pari: tum etiam, quia si potentia est ex se necessitata ad vnum, illud respicit tanquam obiectum suum adæquatum. ergo si diuinitus constitueretur ad duo indifferens, iam vtrumque respiceret. ferretur ergo extra suum obiectum adæquatum. 70

Contra vtramque rationem arguit Arriaga *prima secundæ* & quidem contra primam. Quia ex eo quod potentia cognoscitiua eleuetur ad cognoscendum aliquod, quod naturaliter cognoscere nequit, non sequuntur duo contradictoria; defacto enim oculus corporeus est eleuabia ad vidēdam lucem supernaturalem Empirei, & intellectus noster ad intuēdum Deum, quamuis ea naturaliter minimè attingere valeant. Contra secundam verò, quia vt potentia necessaria sit libera saltem libertate contradictionis, non est necesse eam extendere ad diuersa obiecta; sufficit enim si circa illud idem possit suspendere actum, quem antea non poterat suspendere. 71

Verùm neutra impugnatio procedit. Non prior, quia tunc solum potentia cognoscitiua sinè cōtradictione est eleuabilis ad cognoscēdum aliquid, quod naturaliter cognoscere nequit, quando hoc intra obiectum adæquatum illius continetur, vt patet ex intellectu, qui ideó eleuari potest ad intuendum Deum, quia hic participat rationem veri, quod est obiectum adæquatum ipsius intellectus; idemque dicendum de oculo Beatorum eleuabili ad lucem supernaturalem Empirei inspiciendam. Atqui si potentia appetitiua de se necessaria eleuaretur ad liberè operandum, quod ferretur extra suum obiectum adæquatum videtur certum: tum quia maiorem latitudinē in suo obiecto adæquato requirit potentia illa, quæ aliquod obiectum amare solum potest, quam ea, quæ illud ipsum obiectum in eisdem circumstantijs potest simul amare, & odio habere; tum etiam quia diuersum obiectum adæquatum vendicat sibi potentia cognoscitiua ab ea, quæ non est talis. ergo á pari non est cur potentia libera diuersum etiā sibi non vendicet obiectum adæquatum ab eo, quod sibi taxat potentia necessaria. Non minus enim potentia cognoscitiua excedit in perfectione eam, quę cognoscitiua non est, quā potentia libera necessaria. 72

Poste-

73 Posterior verò ratio sic retorquetur: nequit appetitus sensitivus diuinitus elevari ad suspendendum actum suum, sicuti neque oculus, aut alia potentia cognoscitiva; ergo implicat appetitus naturaliter non liber elevabilis ad finem actum suspendendum. Consequentia evidens. Vnde ideo nequit appetitus sensitivus &c. quia non potest finem naturam mutare, nequeque operari contra suam naturalem inclinationem, quam habet ad suum adæquatum obiectum, sed eadem ratio militat contra appetitum naturaliter necessitatum. ergo &c.

74 Contra sic instatur. Arguitur 1. ex primo. Potentia ex se libera non mutat suam naturam quando diuinitus determinatur ad volum. ergo neque potentia coacta ad liberè libertatem, si eleuetur ad suspendendum actum suum. Quod si respondeas disparitatem in hoc latam esse, quia exigentia actus importat prædominium potentiæ in actum, & eius omissionem, quod prædominium non potest alteri extrinsecus habere potentia, sed necesse est, vt illi competat ab intrinseco ex propria natura, quam mutare non potest. Contrà verò determinatio ad vnum importat tantùm efficacem operandi, quam ab extrinseco potentia libera non solum diuinitus, sed etiam naturaliter habere potest, vt constat ex actibus, quos voluntas nostra indeliberate omnino exercet, & appellantur à Theologis primo primi: si inquam, sic respondebis vana sunt, quæ in contrarium congerit *sub eodem, & sequenti num.* hic auctor.

75 Respondet enim primo, quod si tradita disparitas vera esset, sequeretur, quod neque intellectus, neque voluntas eleuari possent ad supernaturaliter operandum absque propriæ naturæ deperditione, eo, quod neutra potentia erat ex intrinsecis suis potens ad sic operandum. Secundo, quia voluntatem mutari per solam additionem comprincipij supernaturalis non includit repugnantiam, sed hoc solum requirimus, vt voluntas possit suspendere actum, ad quem erat antea naturaliter determinata. ergo &c. Minorem supponit probatam ex his, quæ paulo ante dixerat, vbi sic: vt potentia libere suspendat actum, ad quem naturaliter necessitata erat, sufficit, si cum antea non habuisset vires ad resistendum inclinationi ex parte obiecti proueniendi, sibi diuinitus illi huiusmodi vires addantur. Tertiò, quia in nostra sententia potest intellectus diuinitus sine vlla mutatione intrinseca per solam extrinsecam Dei assistentiam eleuari ad videndum Deum; ergo etiam potentia non libera ad liberè suspendendum actum; nam sicuti inuisione sufficit ad vitaliter operandum potentia intrinseca, partialiter vita in libera suspensione. Quartò, quia si per puram omissionem id difficulter intelligitur, saltem intelligi potest, si diuinitus concederentur tali voluntati vires ad eliciendum actum incompossibilem cum eo amore, ad quem est naturaliter determinata, ratione cuius tunc posset ab eo cessare inter seu vtrumque eligere. Quintò denique quia libertas in actu primò est ab extrinseco inadæquatè, quatenus dicit Dei cõcursum indifferentem. ergo non repugnat, potentiã cui naturaliter non debetur nisi concursus determinatus, diuinitus fieri liberam, dato ei miraculoso concursu indifferenti.

76 Verum omnia hæc, quæ contra traditam disparitatem afferuntur, videntur potius imò ad hoc, vt intellectus multitudine rationum obruatur, ducunt, quam vt vires argumentorum adactus verè esse assentiri sibi persuadeat. singula enim singulis sententijs considerentur, tenuia sane, neque potius, quam argumenta esse apparebit. Adoperiamur ergo secundo loco sequela, nimirum ex disparitate tradita sequi neque voluntatem, neque intellectum absque propriæ naturæ deperditione eleuari posse ad supernaturaliter operandum. Ratio disparitatis est, quia hæc potentiæ sic operando non immutat proprium modum agendi obiectum, quem sibi essentialiter determinat. Potentia enim intellectiua non nisi intelligendo, & voluntas non nisi volendo specificant supernaturaliter operari vt tales: at potentia necessaria eleuata ad liberè suspendendum immutaret modum attingendi suum obiectum à se essentialiter, euadens qui consistit in eo, quod sine prædominio suus actus in obiectum ferantur.

77 Ad secundum concessa maiore, in qua assumitur, non includere repugnantiam, quod voluntas per solam additionem comprincipij supernaturalis sine intrinsecè, siue extrinsecè mutetur, nego minorem, videlicet hoc tantum requiri, vt potentia necessaria possit liberè suspendere suum actum. Et ad eius probationem, nego iam nihil aliud dictam potentiam ad huiusmodi suspensionem liberè faciendam exigere, quã additionem comprincipij supernaturalis, nequeunt enim præterea vt dictum principium supernaturale sibi subijcere valeat, neque pro libito vti, alioqui mortuo modo illud haberet, quo ad modum ignis virtutem continendi calefactionem, ad quam inclinat ex necessitate naturæ. Atque hinc pro solutione difficultatis; cæterum pro rei veritate; nego potentiam illam libertate contradictionis carere, quia non habet vires ad resistendum inclinationi procedenti ex parte obiecti; si enim hoc esset: sequeretur, quod naturaliter posset esse libera; si vel eius vires, quæ supponuntur esse ordinis naturalis, intra eundem ordinem intelligerentur crescere, vel bonitas obiecti saltẽ ex circumstantijs decrescere. sed hoc est contra suppositionem. ergo dicendum est, quod non ex debilitate virium, quam habeat potentia ad resistendum tractioni, quæ fit ab obiecto, carentia virtutis ad suspendendum actum suum originem trahit; sed ex eo, quod ex intrinsecis suis sit determinata ad operandum posita præsentia obiecti. Alias dicam ego potentiam visiuam animalis ideo necessario videre, quia non habet vires ad resistendum inclinationi ex parte obiecti procedenti, atque adeo si ei huiusmodi vires diuinitus, addantur actum suum suspendere posse; quo quid absurdius?

78 Ad tertium dico: nos, quando cum Suario asserimus, non posse potentiam carentem naturaliter libertate sine intrinseca sui mutatione libere operari, non contendere, quod debeat per intrinsecam qualitatem eleuari, sed quod debeat mutare naturam suam, & enti-

Digitized by Google

tatem, quod implicat. quare argumentum nullum est; Quod si quis paritatem vrgeat intellectus, quod; sicuti hic per aliquod sibi diuinitus superadditum potest operari supernaturaliter circa Deum, vt est in se: ita potentia illa carens libertate poterit per aliquod sibi diuinitus superadditum operari liberè, supernaturaliter: negatur paritas. Ratio disparitatis est, quia supernaturalitas in visione, non importat vitam in actu secundo. Vndè potest agnoscere tanquam primam radicem sui elevationem, quæ non est vita in actu primo; at libertas cum importet vitam in actu secundo, non potest nisi à potentia vitali, quæ sit libera in actu primo, procedere. Quare sicuti implicat, quod potentia non cognoscitiua per aliquam elevationem reddatur cognoscens: ita, quod potentia necessaria per elevationem euadat libera.

79 Ad quartum dicendum, quod libertas contradictionis allata est ab aduersario *num.* 29. ad ostendendum potentiam necessariam euadere posse liberam absque eo, quod transsiliat limites sui obiecti adæquati; nunc verò in fine *num.* 31. fit recursus ad libertatem contrarietatis, dicendo potentiam necessariam, & si non per puram omissionem potest reddi liberam: posse saltem per hoc, quod diuinitus illi concedatur virtus ad eliciendum actū incompossibilem cum amore, ad quem est naturaliter determinata. Verum adhoc facile respondetur, vires illas dictæ potentiæ mortuo quodam modo addi, quia ad hoc, vt illis vti pro libito posset, deberet ex suis essentialibus esse libera. nisi enim haberet prædominium vtendi, vel viribus, quæ inseruiunt ad amorem obiecti proposito eliciendum sibi naturaliter conuenientibus: vel viribus quæ inseruiunt ad odium eiusdem obiecti, sibi diuinitus superaditis, nunquam illis poterit vti.

80 Ad quintum denique: concesso antecedente, in quo assumitur: libertatem in actu primo esse ab extrinseco inadæquatè, quatenus importat Dei concursum indifferentem, nego consequentiam, in qua infertur potentiam necessariam per Dei concursum indifferentem posse reddi liberam in actu primo. Disparitas est, quia inadæquatio complementi libertatis in actu primo ab extrinseco prouenientis, est quid transcendens per omnes causas, quæ indigent Dei concursu ad operandum, qui ab extrinseco illis obuenit: at verò inadæquatio virtutis, quam requirit potentia, quæ est determinata ex suis intrinsecis ad amandum aliquod obiectum, vt illud possit odio habere, est quid peculiare essentialiter intrinsecè pertinens ad libertatem potentiæ; atque adeò implicat, vt suppleri possit à Deo, vel per se ipsum, vel per aliquid aliud distinctum. Quemadmodum propter eandem rationem implicat, vt possit alicui animali suppleri á Deo potentia ad ratiocinandum.

81 Ad hæc Obijcies primo ex eodem Arriaga *loco citato de anima sub num.* 23. non repugnat aliqua potentia habens naturaliter cognitionem indifferentem de obiecto, cui non naturaliter debeatur concursus indifferens; sed huic potentiæ potest diuinitus concedi concursus indifferens. ergo hæc potentia poterit diuinitus liberè operari.

Ioann. Poncius *de anima disput.* 7. *q.* 3. *num.* 82
33. hoc argumentum contemnere videtur, quatenus supponit concursum actualem Dei cum causa libera esse indifferentem, quod, est, inquit, aperte falsum, cum constet non esse minus determinatum, quam sit concursus ipsius creaturæ siuè identificetur, cum illo, siuè non. Verum Arriaga huiusmodi concursum non appellat indifferentem, quasi verò non sit in sua entitate determinatus; constat enim alium debere esse concursum Dei ad actum amoris, & alium ad actum odij, sed appellat illum indifferentem, quia procedit ab omnipotentia Dei applicata ad concurrendū per decretum indifferens, quod expectat determinationem suam à libera voluntate. Vndè est, vt habeat indifferentiam veluti causalem, & in actu primo, & in hoc sensu cōmuniter Doctores concursum Dei cum causa libera appellant indifferentem. Quare hac responsione posthabita.

Respōdeo ad argumentum, distinguendo ma- 83
iorem; & si quidem sermo sit de potentia in suo statu naturali constituta, nego non repugnare quod habeat cognitionem indifferentem de obiecto, & tamen non exigat concursum indifferentem à Deo, sed determinatum: sin autem sermo sit de potentia in statu innaturali diuinitus posita, concedo maiorem; & distincta eodem modo minore, nego consequentiā; Et dico quod quamuis potentia, quæ habet cognitionem indifferentem de obiecto, cognoscendo illud, vt bonum, & vt malum sub diuersa ratione, possit esse diuinitus prædeterminata ad vnum, atque adeò non exigat concursum indifferentem: at non in suo statu naturali constituta; Et ratio est, quia libertas in nobis oritur ex eo, quod intellectus potest in vno quoque obiecto cognoscere quid bonitatis, & malitiæ contineat, & quam connexionem habeat, cum fine intento, & cum natura rationali. Quare implicat omnino creatura intellectualis cum hac amplitudine cognitionis, quæ ex intrinsecis *suis* careat libertate, & non exigat á Deo *concursum* indifferentem; loquendo autem de voluntate diuinitus prædeterminata ad vnum, dico, posse à Deo concedi concursum indifferentem in ordine ad illas operationes, quas operatura est non vt prædeterminata; nego tamen similem concursum posse exhiberi potētia naturaliter necessariæ. Disparitas est, quia potentia *prædeterminata* supponitur ex suis intrinsecis habere libertatem, qua caret potentia naturaliter necessaria.

Obijcies secundò ex Suarez Lusitano *loco cita-* 84
to: voluntas nostra est moraliter necessitata ad cedendum graui tentationi, & tamen diuinitus redditur moraliter libera. ergo non implicat voluntas physice necessitata, quæ diuinitus liberè operetur. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas est, quia cum morali necessitate stat physica libertas, & solum difficultatem importat reducendi eam in actum secundum, ex varijs rationibus ortam: at necessitas physica tum moralem, tum *physicam* libertatem excludit. Porrò in præsentia non quærimus vtrum potentia, quæ iam est ab intrinseco

Digitized by Google

extrinseco libera physicè, possit etiam moraliter reddi ab extrinseco talis, sed ab illa quæ caret ab *intrinseco* libertate physica, possit diuinitus physicè operari liberè.

85 Obijcies tertiò, ex Arriaga *sub num.* 24. Ad actus supernaturales eliciendos voluntas non habet naturaliter libertatem, sed eorum carentia est ei omnino necessaria; atqui potest diuinitus eleuari ad dictos actus liberè eliciendos; ergo potentia carens libertate potest diuinitus liberè operari.

Respondeo, distinguendo maiorem: quò ad actus supernaturales voluntas non habet naturaliter libertatem completam, concedo; non habet incoatam, nego maiorem; & concessa minore distinguo eodem modo consequens: potentia carens libertate completa, & habens incoatam potest diuinitus liberè operari, concedo. carens libertate tum completa, tum incoata nego consequentiam. Incoatio autem ad completam libertatem habendam consistit in eo, quod sit potentia libera, & talis naturæ, vt quâuis non sit illi debita eleuatio *in actu primo* ad actus supernaturales eliciendos; posito tamen, quod tribuatur, habet vim illam sibi subijciendi quo ad vsum, ita vt in potestate illius sit actum secundum elicere, vel non elicere.

86 Instabis ex eodem *num.* 26. libertatis incoatio, quam habet voluntas nostra in ordine ad actus supernaturales eliciendos, consistit in eo, quod sit defactò libera ad alios actus. sed libertas hæc parum conducit ad propositum. ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia libertas completa, quam habet voluntas ad actus ordinis naturalis, est penitus disparata cum libertate supernaturali; & licèt eodem nomine cum illa explicetur, re tamen ipsa est genere diuersa; ergo &c.

Respondeo, concessa maiore. negando minorem cum sua probatione. Dico enim, quod nisi voluntas haberet vniuersalem capacitatem, quæ essentialiter tenderet in bonum vt sic, nullam prorsus actum liberum exercere posset; sed quia habet huiusmodi capacitatem: hinc est vt quosdam defactò viribus propriæ naturæ exerceat, quosdam verò exerceat vt à Deo eleuata. Vndè fit vt sicuti libertas, quæ essentialiter illis competit, est veluti radix operandi liberè tum naturaliter, tum supernaturaliter; sic libertas, quæ reperitur in actibus naturalibus, non sit penitus disparata cum libertate, quæ exercetur in actibus supernaturalibus; eo quod *in* eodé prorsus principio radicãtur; Ex quo deducitur duas illas libertates quatenus hoc principiũ appellant non solum nomine, sed etiam rè ipsa esse idem, nemine cogitante.

87 Obijcies quarto: ex eodem Arriaga *loco citato ex prima secundæ num.* 32. Potest concipi sinè repugnantia potentia adeò determinata naturaliter, quod non habeat vires nisi ad amandum id, quod proponitur, vt maius bonum; diuinitus autem confortetur, vt possit etiam id, quod minus bonum apparet, amare. ergo potentia carens naturaliter libertate, potest esse diuinitus libera. Consequentia videtur certa. Antecedens probatur, quia dicta potentia non extraheretur à suo obiecto adæquato, quia illud ipsum minus bonum, absente maiore, iam amare valeret. sed tantum eleuaretur ad resistendum maiori attractioni illius boni maioris. sicuti diuinitus eleuatur voluntas, stante vehemente tentatione, ad illi resistendũ; ergo &c.

88 Respondeo. concesso antecedente: negando consequentiam; ratio negationis est, quia præsens quæstio nobis cum hoc auctore non est, vtrũ voluntas de se libera, quæ per accidens est impedita in ordine ad aliquem actum liberè eliciendum, possit diuinitus diuidi ab illis accidentarijs impedimentis, & sic illũ liberè exercere. in hoc enim nulla apparet repugnantia, vt sexcentis casibus suaderi potest. Sed consistit in eo, vt videamus, num aliqua potentia, quæ caret naturaliter libertate, possit diuinitus eleuari ad operandum liberè; & in hoc sensu dicimus huiusmodi eleuationem implicare. Vndè cum voluntas necessitata ad eligendum maius bonum ponatur absolutè libera, & solum per accidens, hoc est ratione præsentiæ minoris boni, habere necessitatem ad maius: hinc fit vt non faciat contra nostram conclusionem, quod possit nunc eleuari à Deo ad minus eligendum. Iam verò, quod hæc sit præsentis quæstionis intelligentia, patet hoc discursu. Suarez *in hoc* sensu negat diuinitus posse eleuari potentiam naturaliter libertate carentem ad liberè operandum, sed Arriaga tum in *philosophia*, tum *prima secunda* profitetur, se sentire in hoc contra Suarium, & habere eum sibi contrarium, eiusque fundamenta dissoluere; ergo hic est sensus quæstionis. Minor huius patet, hunc auctorem locis à mè citatis legenti, & consequentia est euidens. Maior verò suadetur ex his, quæ habet Suarez *in primam secundæ tract.* 2. *disput. prima sect.* 2. *sub num.* 15. vbi posit quam docuit facultatem liberè operandi esse intrinsecam homini, eisque connaturalem, addit vlterius: fieri non potuisse, vt homo eleuaretur ad liberè operandum, nisi ex sua natura haberet aliquam facultatem liberam; & ad hoc probandum suas rationes adducit, & contrarias dissoluit. ergo Suarez loquitur de potentia, quæ absolutè libera non est; non autem de illa, quæ solum secundum quid, & in ordine ad aliquem actum. Confirmatur, ex *num.* 28. vbi subdit; quod licèt homo non habeat facultatem completam liberè eliciendi actus supernaturales: habet tamen illam incompletam, quæ fundatur in vniuersali capacitate voluntatis eius, quæ tendere potest in bonum vniuersalissime sumptum; ex quo modo non negat potentiam, quæ ad actus supernaturales non habet libertatem ratione supernaturalitatis, quam imbibunt, eo *ipso* quod est de se libera, posse diuinitus eleuari ad illos vitaliter producendos, hoc ipso, quod eorum obiectum participat rationem obiecti formalis, quâ ipsa essentialiter respicit.

89 Sed quid opus est ipsum Suarez tanquam testem sensus præsentis controuersiæ adducere, quando ex verbis ipsiusmet Arriagæ id euidenter comprobari potest. ille enim tum *disput.* 8. *de anima sect.* 2. tum *subsect.* 2. *in primam secundæ disput.* 7. *sect.* 5. ex professo de hac controuersia agit;

Digitized by Google

agit; & primò quidem loco sic eam proponit: sit nè possibilis aliqua potentia, quæ solum diuinitus operetur liberè: si solum diuinitus; ergo supponit eam in omni actu operari necessariò naturaliter, aliter non solum. In posteriori verò in hunc alium modum. An potentia carens naturaliter libertate possit esse diuinitus libera. Loquitur ergo de potentia, quæ absolutè loquendo, caret libertate, non autem de ea, quæ in ordine ad aliquem tantum actum; alioquin hæc propositio absolutè prolata (Voluntas humana caret naturaliter libertate) esset vera; eo, quod non esset libera ad actus supernaturales eliciendos. Ex quibus constat, rationes, quas auctor adducit ad suam sententiam confirmandam, quæ eruuntur ex impotentia, quam habere potest libera voluntas ad liberè operandū circa obiectum aliquod particulare, quod non excedit limites sui obiecti formalis, non esse ad rem.

SECTIO SEXTA.

An intellectiua potentia esse possit formaliter libera.

90 EST sententia Thomistarū asserentium ad omnem actum liberum voluntatis nostræ præcedere debere imperium, seu iudicium practicum efficax, quo intellectus intimet voluntati, hic, & nunc magis conueniens, immò necessariū esse determinare se ad vnum actum potius, quam ad alium respectu obiecti propositi; V. G. ad illud potius amandum, quam odio habendum, vel non amandum; à quo iudicio voluntas omnino determinetur, ita vt ab illo minimè discrepare valeat.

91 Verum ex hac sententia rectè deducunt multi, vel nullam esse in homine libertatem, vel si qua est, eam in sola potentia intellectiua residere, quod facile suadetur ex eo; quia sic nullo modo voluntas esset in se formaliter libera; quia vt supra notauimus, illa potentia est huiusmodi, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, & non agendum, in potestate eius est agere, & non agere: sed per aduersarios vnum ex prærequisitis est iudicium rationis, & eo posito, non est in potestate voluntatis ab eo discrepare; sed illi necessariò se conformare debet potius passiuè, quam actiuè se gerendo. Ergo iam non esset in se formaliter libera. Atque hic discursus videtur solidus; Non enim determinatio iudicij potest refundi in aliquem antecedentem actum voluntatis, quo illa liberè voluerit; nam pro hoc actu eliciendo assignandum est aliud iudicium practicum, de quo idem argumentum fieri potest. Pergo igitur vlterius: vel intellectus ex necessitate naturæ in illud iudicium practicum erumpit, vel pro libitu suo; si primum; tolleretur omnino ab homine facultas liberè operandi; nam opinio, quam tuetur Alensis 2. *par. quæst. 72. memb. 2. art. primo §. 3.* vbi docet liberum arbitrium proprie, & specialiter acceptum importare potentiam quandam motricem ab intellectu, & voluntate distinctam, est omnino ficta; nam vel forte est de potentia motrice secundum locum; & in ea non residere libertatem, patet ex irrationabilibus, quæ hac potentia prædita sunt, vel de motrice aliarum potentiarum ad actus suos; & ad hoc sufficit voluntas. Quare superfluo requiritur alia distincta. Sin autem dicatur secundum, videlicet intellectum pro libitu suo in illud iudicium practicum erumpere: sequeretur in solo intellectu libertatem nostram positā esse; quod erat probandum. Maneat igitur prærequisitus quidem voluntatem ad operandum cognitionem de bonitate, & malitia obiecti, quia nihil volitum quin præcognitum; hanc tamen cognitionem non esse imperium, quo illa ad suum actum determinetur, sed tantum præferre ei facem, & ad summū se habere consiliatiuè circa id, quod facere debet, non imperatiuè. Quod si homines mali excusare se solent, ideò se hoc, vel illud facinus commisisse, quia iudicarunt ita esse faciendum: fundus est, quod eorum intellectus viuidius proponendo bonum delectabile, quod erat in illo obiecto turpi, quam eius malitiam, fuit in causa, vt voluntas ad illud amandum se determinaret. Linquo determinationem ipsam voluntatis posse dici iudicium, quatenus præferendo bonum turpe bono honesto, vel è contra, pro vt vult; sententiam vltimam practicè enunciat.

Est etiam circa hoc alia tolerabilior opinio, 92
quam tenuit Durandus *in 2. dist. 24. quæst. 3.* ex eā: tum intellectum, tum voluntatem esse formaliter potentias liberas in suis actibus, & ideò ex vtraque hac facultate nostram libertatem formaliter compleri; & quidem quod voluntas sit in suis actibus libera, est manifestum. Quod verò etiā intellectus sit huiusmodi, probat; quia libertas propria est potentiæ rationalis, vt docet Arist. 9. *metaph. cap.* 3. sed huiusmodi est intellectus; imò magis, quam voluntas. ergo etiam liber est; imò radix libertatis, quæ est in voluntate ipsa.

Sed neque hæc sententia probari potest. 93
Ratio est, quia intellectus solum operatur, vel ex determinatione naturæ, vel vt determinatus à voluntate; ergo falsum est, quod sit in suis actibus formaliter liber. Consequentia est euidens. Antecedens suadetur; quia vel obiectum, quod illi proponitur, est euidenter verum, & huic ex naturæ determinatione assentitur: vel est euidenter falsum, & huic ex naturæ determinatione dissentitur, non enim potest assentiri falso; cognito vt falso, neque dissentiri vero vt tali sibi manifestato: vel denique neque veritas, neque falsitas obiecti illi proponitur, vt cum dicimus: Sidera sunt paria, & nunc vel habet aliquas, probabiles rationes pro assensu, & dissensu; vel nullas. si secundum, impossibile est, quod iudicet illud esse verum, vel falsum; sic enim ferretur extra suum obiectum, quod non est, nisi verum, si assentiatur, vel falsum, si dissentiatur. Sin autem eligatur primum; non nisi vt determinatus à voluntate vni potius parti, quam alteri adhæret, vt patet ex eo; quia in rebus probabilibus homines bono aliquo allecti solent mutare sententiam; quod nisi voluntas intellectum in alteram partem in huiusmodi

assensi-

assensibus determinaret, fieri nequiret : Et vlterius confirmatur ex actu fidei, ad quem dicunt Theologi debere necessariò præcedere actum voluntatis, quem piam affectionem appellant, quo determinetur intellectus ad credendum, & sic in obsequium fidei captiuetur.

94 Ad rationem autem quam in contrarium adducit Durandus, dicendum : In potentijs rationalibus dari quidem libertatem, sed vel radicalem, vel formalem; & quidem in intellectuali radicalem; in volitiua verò formalem Neque aliter docuit Philosophus *loco citato*. ibi enim contendit solum in potentijs rationalibus, non verò in sensitiuis haberi indifferentiam in operando. Ex eo autem, quod intellectiui radicalem libertatem concedamus, non rectè deducitur eum esse formaliter liberum. Radicalis enim libertas consistit in eo, quod intellectus proponat in obiecto, quod repræsentat voluntati varias rationes conuenientiæ, & disconuenientiæ cum natura rationali; & sic faciat illud apparere vt bonum simul, & vt malum, sub diuersa ratione V.G. vt bonum delectabile, & vt malum inhonestum. Ex hac autem indifferentia, quæ potest dici obiectiua, vt discriminetur à formali, quæ est propria potentiæ liberæ, oritur vt ipsa voluntas intelligatur postea completa, vt se determinare valeat ad illud obiectum amandum, vel odio habendum. Iam verò cum in attingendis illis conuenientijs, & disconuenientijs obiectiuis intellectus vel omninò necessariò operetur, vel si liberè non nisi per denominationem extrinsecam prouenientem à libertate voluntatis, liberè illam applicantis ad eas inuesticandas : hinc fit vt radicalis libertas intra cancellos necessitatis formalis cõtineatur. His ita constitutis duplex remanet difficultas : Vna est num defactò aliquis intellectus sit formaliter liber? Altera verò an saltem de possibili dari possit aliqua potentia cognoscitiua, quæ in suis actibus libertatem formalem exercere valeat? Et quidem quò ad primũ sit.

95 Prima Conclusio: Defactò nullus intellectus est formaliter liber.

96 Probatur discurrendo per genera singulorũ; & quidem de humano iam dictum est; cum autem non sit maior ratio de Angelico quãtum ad hoc, dicendum quoque est neque in Angelico libertatem formalem reperiri, cum præsertim de actibus Angelorum liberis eodem modo loquantur Scripturæ, & Patres, ac de liberis nostris. Quod verò attinet ad intellectum Diuinũ res est plus quam certa; cum enim Deo clarè, & euidenter omnia obiecta proponantur pro vt sunt in se, & non possit aliquod ignorare, rectè deducitur in eo non esse libertatem neque contrarietatis, neque contradictionis. Quod si Theologi scientiam liberam Deo concedunt intelligendi sunt de libertate obiectiua, vt ostendant ex his, quæ Deus determinatè cognoscit, aliqua esse, quæ à libertate voluntatis suæ dependent, vt quod sit Mundus, quod Verbum, sit incarnatum &c. licèt ex suppositione, quod sint, necessariò cognoscantur à Deo. Vnde fit vt hæc diuina scientia potius liberorum, quam libera dicenda esset, quia est in Deo libera, solum per hoc, quod fuit illi liberum dare aliquibus possibilibus existentiam, & alijs eam negare.

Quò ad secundum: est singularis sententia Arriagæ *disput. 8. de anim. sect. 2. sub num. 42. & 43.* vbi concludit, non apparere sufficientem repugnantiam in eo, quod possibilis sit aliquis intellectus, qui in obiectis obscurè propositis possit sinè vllo imperio voluntatis se determinare vel ad assensum, vel ad dissensum : & alius, qui ex pluribus obiectis, quorum simul habet species, ad hoc potius obiectum, quam illud cognoscendum, se ipsum determinare valeat: denique fortasse alius etiam, qui de se possit cohibere assensum circa rem sibi manifestè propositam vt veram, & dissensum circa rem manifeste propositam vt falsam. Contra hunc autem auctorem sit. 97

Nostra secunda Conclusio : Intellectiua potentia formaliter libera est etiam diuinitus impossibilis. 98

Probatur : Omnis libertas, vel est specificationis, vel exercitij. sed vtraque implicat intellectui. ergo &c. Maior propositio declaratur : duobus modis aliqua potentia potest intelligi libera in suis actibus. Primo, quod possit se determinare ad vnam speciem actus, & ad opposita V.G. ad amandum, & odio habendum obiectum, quod sibi proponitur. Secundò quod possit se determinare ad vnam speciem, & ad eius carentiam; siuè ad hanc se determinet per actum positiuum dicendo : Nolo V. G. amare Petrum, siuè per puram omissionem amoris. Iam verò si primo modo se habet, dicitur libera quo ad specificationem : si secundo, quo ad exercitium. Hoc posito: probo minorem, quod nimirum vtraque libertas repugnat intellectui; & quidem, quod illi repugnet prior suadetur ex eo, quia actus oppositi quos intellectus circa idem obiectum elicere potest, sunt assensus, & dissensus, fidei, & scientiæ, & similes. sed implicat intellectum habere libertatem ad assentiendum vel dissentiendum obiecto proposito; nam si ei proponitur vt verum, non potest illi dissentire, neque si vt falsum illi assentire, vt de se patet. Idem dicendũ de actu fidei, & scientiæ; impossibile enim est, vt intellectus ex motiuo fidei eliciat actum scientiæ : sicuti vt ex motiuo scientiæ actum fidei; sed est necessitatus iuxta motiuorum merita operari, eisque in omnibus se conformare. Quod si inter dicta membra potest excogitari medium, quando nimirum intellectui non apparet clarè veritas, vel falsitas obiecti, sed rationibus probabilibus vtraque pars probabiliter repræsentatur: hinc tamen non sequi tunc intellectum posse habere libertatem quo ad specificationem, suadetur ex eo, quia indifferentia illa non potest in eo oriri ex plenitudine virtutis, quam habeat ad assentiendum, & dissentiendum; sed ex defectu applicationis obiecti; si enim sufficienter illi appareret verum, vel falsum, iam ea indeterminatione careret. Ex quo rectè deducitur potentiæ intellectiuæ diuinitus repugnare libertatem specificationis. 99

Quod verò eodem modo illi repugnet liber- 100

tas

tas quo ad exercitium, euincitur ex eo, quia actus formaliter liber, quo ad exercitium debet essentialiter importare duo, & quod sit à principio intrinseco, & quod principium ipsum sit cognoscens obiectum illius. sed omnis actus, qui duas hasce conditiones habet est voluntarius formaliter; potentiæ autem intellectiuæ repugnat habere actum voluntarium formaliter; ergo illi etiam repugnabit libertas quo ad exercitium. Maior huius patet, quia de ratione actus liberi vt talis, est vt sit vitalis; debet igitur esse à principio intrinseco; aliundè verò nisi principium esset cognoscens obiectum ipsius actus, hic ex solo impetu naturæ procederet; atque adeò esset omnino naturalis, & non liber. ergo &c. Quod si vtraque hæc conditio exigatur etiam ab actu libero libertate quo ad specificationem, est quia libertas primò, & per se in exercitio actus apparet. Vndè libertas specificationis exercitij libertatem essentialiter inuoluit, in quantum nequit principium liberum habere facultatem operandi hoc, & oppositum V. G. amorem, & odium, nisi valeat liberè vtrumuis omittere. Sic intellecta maiore probatur vtraque minor; & primò quidem prior, in qua subsumebamus omnem actum, qui duas illas conditiones habet, esse formaliter voluntarium, sic: definitiones voluntarij formaliter recepti communiter sunt duæ: altera traditur ab Aristotele *tertio Ethicorum cap. primo* vbi ait: Voluntarium esse, cuius principium est in agente sciente singula, in quibus est ipse actus. Altera à D. T. *prima 2. quæst. 6 art. primo* hoc alio modo: Quod est à principio intrinseco cum cognitione.

101 Porrò ab vtraque definitione exigitur, vt actus voluntarius, & sit á principio intrinseco, & quod cognitionem requirat; quam ideò Philosophus vult esse de singulis, hoc est de omnibus, quæ circumstant obiectum, quia agit de actu perfectè voluntario, qui non solum in ordine ad substantiam obiecti est huiusmodi, de quo solum loquitur D. T. sed etiam in ordine ad omnes, & singulas circumstantias, quæ illud circumstant.

102 Posterior verò minor, in qua dicebamus potentiæ intellectiuæ repugnare habere actum voluntarium formaliter, videtur manifesta; quia sola potentia appetitiua est illa, quæ supponit cognitionem circà suum obiectum, & rectè; ea enim tantum est potentia cæca, quæ indiget illuminari, & sic quasi manuduci vt suas operationes valeat exercere. ergo &c.

Arriaga *à num. 34. & sequentibus* totum hunc discursum tanquam parum solidum subuertere nititur; quare admissa maiore negat minorem quo ad vtramque partem; & ad prioris probationem ait, quod licèt verum sit intellectum non posse esse liberum quo ad speciem actus, hoc est, quo ad consensum, & dissensum, quando euidenter cognoscit obiectum, vel vt verum, vel vt falsum: potest tamen quando cognoscit illud probabiliter, sicuti fit in omnibus opinionibus, in quibus pro veritate, & falsitate obiecti probabiles rationes occurrunt. Ad rationem autem in contrarium dupliciter probat, quod etiam si indifferentia in intellectu ex imperfecta sui obiecti applicatione proueniat, possit tamen ipse habere libertatem. Primo quidem sic: nostra voluntas dum sumus in via, quia non habet claram cognitionem de Deo, est indifferens indifferentia libertatis propria ad illum odio, vel amore prosequendum. sed totum hoc prouenit ex defectu perfectæ applicationis; nam si Deus perfectè applicaretur voluntati per visionem claram, voluntas necessariò illum amaret, non minus, quam intellectus assentiretur verò clarè sibi proposito. ergo sicuti defectus applicationis obiecti inducere potest libertatem in voluntatem, ita & in intellectum. Secundò, quia quoties non apparet veritas, & falsitas obiecti sufficienter, potest intellectus determinari à voluntate ad assentiendum, vel dissentiendum illi. ergo est illi propositum obiectum, vt sit capax vtriusque actus. sicuti igitur in eo casu non obstante, quod voluntas non facit apparere magis obiectum, potest intellectus à voluntate determinari: ita poterit à se ipso.

Ad infrigendam verò probationem posterioris partis eiusdem minoris principalis; quæ ex ratione voluntarij deducebatur, admittit voluntarium, pro vt significat aliquid à voluntate immediatè ortum, non conuenire illi actui intellectus; sed addit difficultatem esse: an aliquid, quod non sit immediatè á voluntate, possit ita oriri ab intellectu possibili, vt in potestate ipsius intellectus fuerit illud impedire; in hoc enim, si non implicat, habebitur ratio liberi, vt de se patet, quamuis non habeatur ratio voluntarij; vndè concludit: ex eo quod implicat potentiam intellectiuam non posse elicere actus volutarios, non rectè deduci implicare eam non posse liberè operari. 103

Verum neutra responsio procedere videtur. 104
Non prior; quia implicat intellectum circa obiecta non satis sibi applicata posse habere indeterminationem requisitam ad libertatem. *Ad* priorem autem rationem in contrarium, *concedo* maiorem, scilicet voluntatem, quia non habet claram Dei inuisionem, esse indifferentem ad illum odio, vel amore prosequendum, indifferentia ad libertatem requisita; sed distinguo minorem: totum hoc prouenit ex defectu perfectæ applicationis Dei ad voluntatem: si loquamur remotè, concedo; sin autem *proximè*, nego. & sic distinguo eodem modo *consequens*; & quidem si defectus applicationis obiecti, pròximè induceret libertatem circa Deum in voluntatem, concedo, quod eam quoque inducere in intellectum; sed quia eam remotè tantum inducit, mediante videlicet, *intellectu*, id circò nego consequentiam. Distinctionem explico: obiectum diuersis potentiæ volitiuæ quoad specificationem est omne, & solùm illud, in quo intellectus potest concipere aliquam rationem bonitatis, & malitiæ; si enim vel nullam bonitatis, vel nullam malitiæ apprehendere valeat, ad summum voluntas poterit suspendere amorem, & odium circa tale obiectum: non autem habere potentiam ad illud amandum, & odio prosequendum. Quamuis autem in Deo clarè viso non possit intelle-

Quamuis autem in Deo clarè viso non possit intellectus vllam rationem malitiæ apprehendere, quatenus eius essentiam intuetur, quæ est essentia bonitatis: potest tamen in eo obscurè cognito; siquidem potest illum concipere vt sibi malum, & in eius carentia aliquã rationem appetibilitatis apprehendere; Ex quo deducitur libertatem specificationis, quã habet nostra voluntas circa Deum in præsenti vita, prouenire quidem ex defectu sufficientis applicationis Dei ad ipsam: non tamen proximè, sed remotè tantum, quatenus huiusmodi defectus est ratio cur intellectus possit illum repræsentare voluntati, vt sibi conuenientem, & disconuenientem.

305 Hoc autem dici nequit de intellectu; nam obiectum formale consensus illius est veritas, sicuti dissensus est falsitas. Vndè quando non habet obiectum sufficienter sibi applicatum, si non mediaret voluntas ipsum determinans vel ad consensum, vel ad dissensum, sequeretur, quod ex in debita obiecti applicatione immediatè obtineret indifferentiam libertatis propriam; quod repugnat, quia libertas importat perfectionem simpliciter simplicem; ergo impossibile est, quod ex imperfectione immediate originem trahat: sic enim melioris esset conditionis intellectus, quando non habet obiectum sibi sufficienter applicatum, quã quando illud habet; nam habendo illud, non esset liber, contra verò quoties non haberet, liberè circa illud operari posset. Quod si idẽ dici potest de voluntate respectu Dei, hoc est per accidens; nam voluntas cum sit potentia cæca, quo ad bonitatem, & malitiam obiecti debet credere intellectui, illam sibi proponenti. Caterum totam libertatem eius non prouenire ex imperfecta sui obiecti applicatione constat, quia circa bona creata quantumuis debitè sibi applicata libertatem exercere potest: Contra verò aduersarius nullam aliam libertatem intellectui concedit, nisi eam, quæ ex imperfecta sui obiecti applicatione procedit.

306 Dices pro Arriaga: etiam quando obiectum non est debitè applicatum intellectui, mediant motiua probabilitatis pro vtraque parte. ergo falsum est, quod insufficiens obiecti applicatio non induceret mediatè in intellectum indifferentiam libertate requisitam, sicuti inducit in voluntatem Deus obscurè cognitus.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in casu posito potentia intellectiua repræsentat voluntati Deum absolutè vt sibi bonum, & malum; at verò motiua probabilitatis pro vtraque parte non ostendunt intellectui absolutè obiectum verum, & falsum. Probabile enim motiuum quod mè mouet V. G. ad affirmandum, quod Petrus, qui annis præteritis in Indiam se contulit, adhuc viuat, & similе motiuum, quod mè mouet ad id negandum, non faciunt apparere quod Petrus simul viuat, & mortuus sit, sicuti intellectus facit apparere, quod Deus sit mihi bonus, & malus simul, sed solum inclinant; cum igitur intellectus in ordine ad affirmandum, vel negandum, non conditionatè procedat, sed absolutè: non enim dicit: Petrus viuit spectatis his motiuis, & spectatis alijs non viuit, sed sententiam decidendo profert vel vnam, vel alteram partem iudicando veram: hinc fit, vt nisi determinetur ab alia potentia, in tali casu implicat, quod id possit ex se ipso præstare. Et ratio vlterior huius rei est, quia ipse essentialiter habet, vt in proferendo sententiam de obiecto speculatiue procedat, & non practicè; supponere enim debet obiectum ita se habere á parte rei, sicuti ipse enunciat, & non pro libitu de illo iudicare. Alioquin malè prouisum esset á natura substantiæ intellectiuæ, quæ exigit intellectum, vt præferat sibi facem in ordine ad obiecta sibi proficua, & noxia, secundum quod à parte rei se habent. Vnde quando propter insufficientem obiecti applicationem, neque immediatè neque mediatè potest id colligere intellectus, debet necessariò á voluntate induci ad alterutrum sibi persuadendum. Et per hæc patet responsio ad posteriorem rationem. Concedo etiam quoties non apparet veritas, vel falsitas obiecti sufficienter, posse intellectum determinari á voluntate ad vnam potius partem, quam ad aliam; sed distinguo primum consequens. ergo est illi ita propositum obiectum, vt sit capax vtriusque actus; & si quidem intellectus à voluntate determinetur, concedo. si non determinatur nego primam, & secundam consequentiam; in qua concludebatur; quod sicuti intellectus sine maiori applicatione obiecti posset derminari à voluntate, ita poterit à se ipso. Ratio disparitatis est quia, vti dicebam, intellectus in ferendo iudicio sibi relictus, essentialiter habet iuxta merita obiecti sententiam ferre, quia ab eo immediatè regulari debet: at si intercedat voluntatis Imperium in hjs obiectis, quorum non habet euidentiam, illi subordinatur; voluntas enim aliqua bonitate allecta potest tunc imperare intellectui, vt ad vnam partẽ cõtradictionis potius se determinet, quã ad aliam, quod intellectus per se ipsum sine eius Imperio præstare nequiret, absq; eo quod limites sui obiecti transiliens, ad obiectum voluntatis excurreret, & sic esset simul intellectus, & voluntas. quod licet non repugnet secundum id quod duæ istæ potentiæ dicunt in recto; repugnat tamen secundum, quod important in obliquo, vt de se patet. Sequelã autem sic suaderem: Quandiu intellectus non habet obiectum sibi sufficienter applicatum, neque ex eius meritis ad illud determinatè affirmandum, vel negandum se inducere valet: si se inducit, aliqua bonitate allectus se inducat necesse est: quia potentia liberé operans in operando bonum aliquod tanquam finem semper intendit. ergo intellectus hic. iam haberet pro obiecto non tantum verum, sed etiam bonum; ergo esset simul intellectus, & voluntas; & quod peius est, qua parte esset voluntas, esset liber: qua verò intellectus li-

Digitized by Google

bertate careret. implicat igitur potentiam cognoscitiuã, etiam quando obiectum est illi insufficienter applicatum, esse formaliter liberam.

107 Nunc discutiendum fulcio ex his, quæ habet D. Th. *de veritate qu. 14. art. 1.* vbi postquam docuit, quod intellectus determinatur ad vnum, per aliquod mouens ipsum; hoc autem esse duplex: proprium obiectum, & voluntatem, hac subdit: Quando verò intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, neque statim per ipsas definitiones terminorum sicuti in principijs, nec etiam virtute principiorum, sicuti in conclusionibus demonstratiuis (intellige per obiectum) determinatur per voluntatem, quæ eligit assentire vni parti determinatæ, & præcisè propter aliud, quod est sufficiens ad mouendum voluntatem, non autem ad mouendum intellectum, vt pote quod videtur bonum, & conueniens huic parti assentire &c. Hæc S.T. quæ nisi intelligerentur de intellectu essentialiter considerato, pro vt includit sub se omnem possibilem, facile quis negare, posset intellectum creatum, qui de facto datur, in his, quæ non sufficienter apparent subdi voluntatis imperio, & sustinere quod sit formaliter liberum.

108 Atque hæc quantum ad ea, quæ dicebantur ab Arriaga ad infringendam priorem partem minoris nostri argumenti principalis. Quod verò attinet ad id, quod addit ad eneruandam posteriorem eiusdem dum ait se non inficiari Voluntarium, pro vt significat actum à voluntate ortum non posse competere illi actui intellectus; contendere tamen actum, qui libere ab intellectu procederet, non fore voluntarium. Sed hoc mihi videtur dare verba arguenti potius, quam eius difficultatem soluere; si enim voluntarij definitiones sunt illæ, quæ communiter ex Aristotele, & D. Tho. assignantur, quomodo potest negari actum liberum ab intellectu procedentem esse formaliter voluntarium, dum illi ostendimus dictas definitiones competere? Sed danda est in hoc venia huic Auctori; nam ipse *prima secundæ disput. 8. sect. 1.* dictis definitionibus non acquieuit, & ideo *sect. 2.* hoc modo Voluntarium definit: Est id, quo potentia appetetiua fertur ab intrinseco in obiectum præuia cognitione. Verum ego ob duplicem rationem huiusmodi definitionem reijciendã putarem; prima est quia non competit omni definito, actus enim odij est formaliter voluntarius, & tamen per ipsum potentia appetitiua non fertur ab intrinseco in obiectum sed potius ab eo fugit, & auertitur. Quod si dicat ratione motiui formalis odium habere rationẽ prosequutionis; contra, quia nos supra probauimus dari posse actus meræ fugæ, qui non solum materialiter bonum aliquod minime respiciant, sed neque formaliter; Secunda verò ratio est, quia in hac definitione notius definitur per ignotius; nam potentia nobis non innotescit, nisi per actus suos, ergo est illis nobis ignotior. malè igitur per potentiam appetitiuam voluntarium formale definitur.

Ad hãc rationem Respondet Arriaga, Ante huiusmodi definitionem, aliunde nos debere supponere cognitum appetitum per suos actus prosequutionis, & fugæ. quamuis enim huiusmodi actus sint voluntarij; quia tamen ratio voluntarij est in illis obscurior, quam ratio amoris, & odij: ad circumquarenus amoris, & odij, dicit, posse ducere in cognitionem potentiæ appetitiuæ, quatenus verò voluntarij ab ipsa potentia appetitiua explicationem suam expectare. 109

Sed contra hanc responsionem facit Primò, 110
quia actus amoris, & odij facilius cognoscuntur, quatenus à principio intrinseco cum cognitione procedunt, quam quatenus sunt prosequutio, & fuga obiecti. nam primum habet vt eorum ratio superior valde manifesta, in qua conueniunt; secundum impotentes rationes eorum specificas ac differentiales. quemadmodum igitur facilius nobis innotescit homo, qua animal est, quam qualis animal est; ita facilius cognoscimus amorem, & odium, quatenus sunt actus voluntarij, quam quatenus vltimam rationem important. 111

Contra etiam est secundò, quia male quis definiret visionem esse illam, quæ à potentia visiua, qua talis est, procedit: & auditionem illam, quæ à potentia auditiua &c. etiam si profiteatur dictos actus non quia visiones, & auditiones sunt, sed quatenus sunt actus vitales se velle definire. ergo à pari. Manet igitur non esse discedendum à definitionibus voluntarij ab Aristotele, & D. Tho. traditis. Ex quibus rectè deducitur, quod si actus potentiæ intellectiuæ de possibili posset essentialiter liber, necessariò esset etiam formaliter voluntarius. quod erat probandum.

Video Aduersarium alia via vim nostri 112
Argumenti effugere posse, si nimirum diceret dictas definitiones valere pro hoc ordine rerum, propter quem non datur alia potentia formaliter libera præter voluntatem: at verò in alio, in quem eadem intellectus daretur, alio modo voluntarij rationem explicandam esse, vt non comprehenderet actus liberos potentiæ intellectiuæ. Verum huic instantiæ ex his, quæ paulò ante diximus, fieri potest satis. cum enim ostendimus potentiam intellectiuam non posse esse formaliter liberam, nisi habeat pro obiecto nobis solum verum, sed etiã bonum, à quo alliciatur ad liberè operandum: rectè deducitur etiam actus huiusmodi potentiæ debere necessariò habere rationem voluntarij ab Aristotele, & D. Tho. definitam. Et rectè id quidem; hoc enim per se intellectus versetur determinatè circa obiectum non sibi sufficientes propositum, sine ex multis vnum eligat considerandum, relictis reliquis; sine enim posse actum suspendere circa vnum obiectum, illum nihilominus eligit: implicat quod aliquo commodo aut necessitate ad hæc præstanda non moueatur.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

An ex hypotesi impossibili, quod causa prima necessario operaretur ad extra, dari posset libertas in creaturis.

113 DVplex est libertas in creaturis: altera per modum actus primi, altera per modum actus secundi. prior importat facultatem liberam: posterior verò expeditum vsum talis facultatis. quamuis enim non possit esse actus liber, qui liberam facultatem non supponat: potest tamen dari facultas libera, quæ vsu liberè operandi careat, non solum quando non operatur, sed etiam quando operatur sine prædominio sui actus; si nimirum ita operetur, vt non sit in sua potestate nō operari. & quidem de vtraq; libertate præsens quæstio procedere potest. Ita vt sēsus sit an si Deus esset agens necessariū, dari posset in aliqua causa secūda potētia libera; & posito quod huiusmodi potentia, facta illa hypotesi, non implicaret, num posset expeditum vsum suæ libertatis habere.

114 Quoad primum Cōclusio est affirmatiuæ; puto enim, quod si per impossibile Deus esset agēs necessarium, adhuc posset dari creatura nimirum Angelus V.G. cum sua voluntate libera. est Oviedi *de anima contr. 12. pun. 5.* contra Suarez *in metaph. disput. 19. sect. 3 num. 5.*

115 Probatur vnica ratione: quia etiam si Deus operaretur ex necessitate naturæ, adhuc haberetur in eo virtus productiua omnium creaturarū quæ habetur defacto. ergo quantum est de se posset liberas creaturas producere; aliunde verò non potest assignari, quomodo huiusmodi creaturæ ex illa hypotesi euadant impossibiles; quemadmodum enim illa necessitas in Deo non intelligitur per locum intrinsecum eius omnipotentiam minuere: ita neque creaturarum facultates reddere implicatorias. ergo si Deus esset agens necessarium, adhuc dari posset libertas in actu primo increaturis.

116 Contra insurgit primo Suarez: si Deus non haberet libertatem, non esset, vnde illam creatura participaret; sed hoc est absurdum. ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelam: non esset, vnde illam creatura participaret, si particula, vnde, causam veluti formalem, & exemplarem apellat, concedo; sin autem effectiuam, nego sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam. dico enim quod in ea hipotesi creatura nō haberet à se libertatem, sed eam participaret in genere efficientis à Deo, & hoc sufficit ad rationem creaturæ; non enim est necesse, vt omnis facultas creata sit participatio perfectionis formaliter existentis in Deo, vt patet ex facultatibus, quas habent creaturæ localiter se mouēdi, nutriendi, augendi, &c.

117 Disparitatem in hoc assignat Suarez: quia dictæ facultates, inquit, non pertinent ad perfectionem simpliciter; contra verò libertas; quare si hæc non est in Deo formaliter, neque erit in creatura; quia omnis perfectio creata non inuoluens imperfectionē est essentialiter participata à Deo, vt formaliter existens in illo.

Responderi potest ad hoc primo: in ea suppositione impossibili libertatem non fore perfectionem simpliciter simplicem, sed essentialiter imperfectionem importaturam; eo quod non esset præscindibilis à ratione potentialitatis, mutabilitatis, &c. quatenus implicaret existere his imperfectionibus deputata. Quod si quis vrgeret, inde sequi philosophum negantem in Deo reperiri libertatem, non posse à nobis ratione naturali conuinci, quatenus sustineret essentiam libertatis vt sic, imperfectionem imprescindibilem importare: concedenda esset in hac via sequela: dicendumque, quod licet stante solo lumine naturali valde probabiliter inferatur in Deo libertas; at non euidenter; difficultates enim, quæ de actu libero Dei procedunt adeo nostrum intellectum sibi relictum obumbrant, vt facilius eum inducant ad dicendum, quod de suo conceptu imperfectionem inuoluat ideoque à Deo remouenda: quàm oppositum; vt patet ex his, quæ habet Aristoteles de libertate causæ primæ in operando; cum quo tamen stat, quod si lumen fidei intellectum humanum irradiet, possit hic efficacissimas rationes ad probandam libertatem in causa prima etiam naturaliter discurrendo adinuenire.

Verum quia hæc responsio videtur singularis: 118
ideo respondeo ego Secundò concedendo etiam in ea suppositione impossibili libertatem fore perfectionem simpliciter simplicem; negarem tamen, quod si non esset in Deo, requiret esse in creatura; Et ad rationem incontrarium dicerem, quod licèt, nulla facta suppositione, verum sit, omnem perfectionem creatam nullam in volentem de se imperfectionem esse essentialiter participatam à Deo vt formaliter in eo existētem, quatenus omnis huiusmodi perfectio reperitur formaliter in illo: at ex hypotesi, quod hæc non reperiatur, illud principium falsum erit; hypotesis enim illa destruit fundamentum, cui dictum principium nitebatur, & trahit secum totum id, quod cum ea essentialiter connectitur, vt quod Deus non esset summè perfectus, &c.

Insurgit secundò contra nostram conclusionem Suarez: si qua causa secunda esset capax libertatis, hæc esset substantia intellectualis creata; sed si in Deo non esset libertas in agendo, neque in huiusmodi creatura esse posset. ergo &c. Maior patet, minor probatur: Deus est intellectualis per essentiam, creatura per participationem. ergo quod quid perfectionis in gradu intellectuali est in creatura, perfectiori modo est in Deo. si igitur hoc non obstante Deus esset agens necessarium, multo magis creatura intellectualis. 119

Respondeo: si argumentum hoc absolutè procederet, fore efficax; sed quia procedit ex hypotesi impossibili, ideo videtur solutu facile; quare concessa maiore, nego minorem, ad cuius probationem dico, quod cum ex ratione substantiæ intellectualis per locum intrinsecum oriatur ratio libertatis, in ea hypotesi, vel debemus ab hac connexione essen-

essentiali præscindere, & ita agere de libertate, ac si in gradu intellectiui minimè radicaretur; vel si præscindere nolumus, debemus ex suppositione, quod libertatem à Deo excludimus, excludere etiam gradum intellectiui; siuè autem vnum, siuè alterum faciamus antecedens probationis non procedit ad euincendum intentum.

Quo ad alterum, quod quærebamus: nimirum ex hypotesi, quod prima causa ex necessitate naturæ operaretur: creatura verò haberet facultatem agendi liberè, num Deus cum ea concurrendo eius vsum libertatis impedire necessariò deberet.

120 Conclusio est negatiua. Puto enim ex illa hypotesi non sequi per locum intrinsecum non posse creaturam liberam in actu primo liberè operari in actu secundo.

121 Contra hanc conclusionem est Suarez *num.* 12. vbi docet data illa hypotesi nullum relinqui vsum libertatis in agente creato quantumuis libero in actu primo. Contra eandem est ex parte Ouiedus *de anima controu.* 12. *puncto* 5 *a num.* 7. vbi distinguit vsum libertatis; & si quidem sermo sit de actibus incompossibilibus simul existere vt de amore, & odio eiusdem obiecti, concedit in ordine ad illos in ea hypotesi dari vsum libertatis in agente creato, quia cum Deus esset æquè determinatus ad producendos dictos actus ad prælationem vnius præ alio, expectare deberet voluntatem creatam: atque adeò hæc se ipsam determinaret ac Deum ipsum: & per hoc esset libera in actu secundo; cōtra verò si agamus de actibus eiusdem voluntatis, qui possent simul existere; ad eos enim Deus in illa hypotesi esset per modum naturæ necessariò determinatus; atque adeò non posset voluntas creata eorum existentiam impedire, & sic non esset libera.

122 Nostra verò assertiò contra vtrumque probatur à nonnullis Thomistis in hunc ferè modum. Ad hoc, vt creatura liberè operetur, satis est si per facultatem de se liberam, operationem illam exerceat, & aliundè non trahatur necessariò ab obiecto, circa quod operatur. sed ex hypotesi quod Deus esset agens necessarium, adhuc aliqua operatio Angeli V. G. haberet hæc duo; ergo stante illa hypotesi posset Angelus liberè operari. Verum hæc ratio meritò à Suario *num.* 8. reijcitur. Constat enim omnium ferè consensu posse Deum necessitare hominem ad amandum aliquod obiectum, quod voluntati eius ità repræsentatur ab intellectu, vt quantum est de se illam minimè determinet; sed in hoc casu homo per facultatem de se liberam amaret, nec traheretur necessariò ab obiecto, ergo falsum est ad liberè operandum sufficere illa duo. Hac igitur ratione contempta,

123 Probatur efficaciter Conclusio: si causa prima esset agens necessarium, ex suppositione quod eodem modo concurreret cum causis liberis, quo nunc defactò concurrit, attemperando nimirum suum concursum iuxta illarum exigentiam, vtique non impediret vsum libertatis illarum. sed si causa prima esset agens necessarium, illa suppositio purificari posset: nimirum, quod eodem modo concurreret cum causis liberis, quo hunc defactò concurrit; ergo non esset cur vsum libertatis ab agente creato in hypotesi de necessitate causæ primæ ad operandum tollere debeamus. Maiorem huius argumenti negat Scotus *in primo dist. prima qu.* 4. vbi docet Aristotelem implicatoria dicere dum dixit, primam causam agere ex necessitate naturæ, & hominem liberè operari; eo quod causa secunda non agit nisi mota á prima. ergo si prima necessariò mouet, secunda eadem necessitate agat necesse est. Verum hæc ratio iure contemnitur à Suarez *num.* 18. & 19. eo, quod nimis probat; euincit enim defactò omnes actus nostræ voluntatis esse nobis necessarios, & soli Deo liberos; quia defactò non agimus nisi moti á prima causa, & hæc motio tantæ efficacitatis est nunc, quantæ esset in illa hypotesi impossibili, cum hoc discrimine, quod nunc est libera Deo, in ea verò hypotesi esset illi necessaria; at verò respectu nostræ libertatis perindè se habet, siuè Deus liberè moueat, siuè necessariò; ergo si in vno casu tolleret à nobis libertatem, etiam in alio. Directè verò ad rationem Scoti respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia motio de qua loquitur Scotus, consistit in cōcursu, quem exhibet causa prima nostris actibus liberis. Quoniam verò huiusmodi concursum Deus exhibere potest dependenter à determinatione voluntatis, siuè demum operetur vt agens liberum, siuè vt agens necessarium: hinc fit vt in neutro casu nostrum vsum liberum impedlat, dummodò eodem modo se habeat in exibendo dictum concursum in vtroque casu.

Quare melius Suarez maiorem nostri argumenti *à num.* 16. multis propugnat. Ego verò eam sic breuiter probarem: Quoties duæ causæ, quarum altera est de se libera, altera verò necessaria, ad vnum actum simul concurrunt, si libera subordinat sibi in operando necessariam, ita vt per liberam stet, quod necessaria *influat*, vel non influat in illum actum, & per consequens, quod ille actus producatur, vel nō producatur: toties actus ille liberè procedit à dicta causa; sed ita contingeret casu, quo Deus esset agens necessarium, & eodem modo concurreret cū causa libera, sicuti nunc; nam ita attemperaret suum concursum, ut causæ liberæ suum influxum committeret, ita ut si illa uellet producere actum, Deus influeret, sin autem non uellet, non influeret. ergo actus ille liberè à uoluntate procederet. Omnia patent præter maiorem, quæ suadetur supponendo uoluntatem informatam habitu caritatis simul cum illo elicere in uia actum amoris Dei liberum. tum sic: Hic actus quamuis procedat à duplici causa, quarum una est libera, nempè uoluntas, altera nempè habitus, necessaria; quia tamen ita procedit ab illis, ut uoluntas sibi in operando subijciat habitum, ideò dictus actus est liber, & meritorius. ergo &c. 124

Verùm licèt in maiore nostri argumenti principalis cum Suario congruamus: Valdè 125

tamen

Digitized by Google

tamen in minori discrepamus ab illo. In ea autem diximus quod si causa prima esset necessaria in operando ad extra, verificari adhuc posset, quod eodem modo concurreret cum causis liberis, quo nunc defactò concurrit. Ad quod suadendum supponerem dari duplex genus causarum ex necessitate naturæ operantium; vnum est illarum, quæ sunt ex suis intrinsecis determinatæ ad talem, vel talem effectum producendum: huiusmodi est V. G. sol in ordine ad illuminandum, ignis ad calefaciendum, aqua ad humectandum &c. Alterum verò earum quæ expectant determinari ab extrinseco, ad hoc vt hunc potius quam alium effectum producant, sic sol V. G. determinatur à luto ad indurandum, & à cera, vel niue ad liquefaciendum: canis ab imbecilli matre catulorum suorum ad mammas illis porrigendum, eisque lambiendum, & ab eorum ipsorum robustiore negandum illis lac, eosque à se durius repellendum. Quamuis autem si supponamus in illa hypotesi impossibili Deum esse ex primo genere agentium necessariorum, verum sit nullum relinqui vsum libertatis in agente creato. Hoc tamen non est necesse supponere; nam ad saluandam nostrã hypotesim, satis est, si sit ex eorum genere, quæ ita necessariò agant, vt nihilominus expectent ab extrinseco determinari ad hunc potius actum, quam oppositum operandum. Sed si ita ponatur iam verificari posset, quod eodem modo tunc concurreret cum causis liberis, sicuti defactò concurrit. ergo &c. Maior videtur certa: illa enim hypotesis impossibilis tantum exigit, vt causa prima ex necessitate naturæ operetur ad extra, & non descendit ad modum. Minor verò, in qua est difficultas, suadetur, quia facta illa suppositione, adhuc causæ liberæ exigerent Diuinam Omnipotentiam sibi cum indifferentia applicatam, & exeuntem in actum secundum, pro vt ab ipsis determinatam, non verò aliter. sed hæc illarum exigentia posset esse sufficiens determinatiuum Diuinæ Omnipotentiæ, non minus, quam defactò sit decretum indifferens, quod Deus ab æterno fecit de concurrendo cum illis ad vtrúlibet. ergo &c. Confirmatur id, quod dicimus, quia sol non obstante, quod sit causa necessaria, adhuc determinatur ad operandum à causis liberè operantibus, iuxta illud axioma commune: Sol, & homo generant hominem. ergo etiam si Deus ponatur causa necessaria, rectè potest intelligi, quod munus causæ primæ exerceat respectu creaturarum liberarũ, pro vt ab earum exigentia determinatus.

126 Contrà nostram sententiam insurgit Suarez num. 11. Si Deus ageret ex necessitate naturæ in voluntatem creatam, ageret semper quanta efficacitate posset. sed posset tanta efficacitate, vt necessitatem illi inferret; ergo semper ageret inferendo illi necessitatem. Consequentia claret, & minor est certa, quia ex ea hypotesi non deperderet omnipotentiam. ergo si nunc potest tanta efficacitate mouere voluntatem, vt eam necessitet, etiam tunc posset. Maior verò suadetur, quia hæc est conditio naturalis agentis, vt agat quantum potest. Non enim habet facultatem attemperandi actionem suam, vt modò minus, modò magis agat. Respondeo negando maiorem, vt patet ex appetitu canis, qui licèt ex necessitate naturæ operetur, & habeat facultatem dandi, & negandi lac catulis suis, nunquam agit quanta efficacitate potest; alioquin simul vellet, & nollet efficaciter illos lactare, quod implicat. Ad probationem maioris, distinguo assumptum: conditio naturalis agentis non expectantis aliundè determinationem ad agendum, est vt agat, quantum potest, concedo. si expectat aliundè, nego, vt constat ex duabus causis adæquatis simul applicatis ad eundem numerum effectum producendum, quæ attemperant actionem suam, nè effectus pendeat naturaliter á duplici causa totali totaliter concurrente.

Instabis ex his, quandidem auctor habet *numero 13*. Primò, quia nos non loquimur nisi ex hypotesi, quod diuina potentia habeat absolutam necessitatem in operando. Secundò, quia posito, quod Deus esset agens necessarium, non posset determinationem suam habere ex capacitate naturali causæ secundæ, eo quod potentia Dei non respicit adæquatè capacitatem illam, sed ampliorem; ergo non posset ab illa determinari, vt plus agere minimè valeret. Tertiò denique, quia S S. P P. diuinæ sapientiæ, & liberæ Dei prouidentiæ tribuunt, vt in mouendo libertatem creatam, ita se accommodet, vt illi non inferat vim; signum igitur est, quod si careret libertate, ei se minimè accommodaret. 127

Respondeo ad singula; Et ad primum quidé dicendum: nos ita loqui in ea hypotesi, quod Deus habeat absolutam necessitatem in operando, vt quæramus quid per locum intrinsecum ex huiusmodi necessitate sequatur: & dicimus non sequi per locum intrinsecum hominem, aut Angelũ non posse tunc liberè operari, eo quod munus causæ primæ, quod Deo in ea hypotesi remaneret, exigeret vt applicaret omnipotentiam suam causis secundis secundum vniusque exigentiam, necessarijs quidem determinatè, liberis verò, cum indifferentia. Ad secundum, negarem assumptum, supponendo nomine capacitatis naturalis non venire meram capacitatem, quam in ordine naturæ habent causæ secundæ, sed capacitatem cum exigentia actus, ad quem capacitatem illam dicunt. Ad probationem in contrarium aio, quod licèt potentia Dei absolutè considerata non respiciat tanquã terminum suum adæquatum exigentiam naturalem causarum secundarum: respiceret tamen illam casu, quo non haberet aliud determinatiuum distinctum ab illa: ad eum planè modum, quo defactò eadem potentia ab ea determinatur saltem remotè, quatenus Deus causæ primæ munus exercet. Quemadmodum igitur malè quis discurreret, si ex eo quod potentia Dei plus agere valeat, quam voluntas Dei libera defactò agere decreuit, inferret eam non posse à voluntate Dei ad agendum determinari: ita & in casu nostro. Ad tertium denique aio Patres loqui de Deo absolutè, pro vt est defacto ad extra agens liberum, nam sic quamuis creaturæ

Digitized by Google

turæ exigant, vt modo magis, modo minus operetur hoc, vel illo modo sibi diuinam omnipotentiam applicando: non tamen vltimo eius omnipotentiam ad operandum determinant, alioquin auferret ab eo indifferentiam, ad libertatem requisitam; sed necesse est, vt proximum determinatiuum sit diuina voluntas pro vt per suam sapientiam, & prouidentiam regulatur. Contra verò in eâ hypotesi.

128 Dices: ex tradita doctrina sequi, in ea hypotesi non posse Deum aliquid supernaturaliter operari; quia opus supernaturale essentialiter importat non esse à rebus naturalibus exactum, sed consequens videtur absurdũ. ergo &c. Respondeo, distinguendo sequelam maioris: non posset Deus aliquid supernaturaliter operari defectu omnipotentiæ suæ, nego; defectu determinatiui huius potentiæ, concedo, & sic distincta minore, nego consequentiam. Quemadmodum enim non est absurdum, ex suppositione, quod Deus nullum decretum liberum exerceret, eius omnipotentiam omni prorsus actu ad extra carere, ita, & in casu posito. nisi quis dicat in ordine addicta opera supernaturalia Deum in eo casu fore ex se adæquatè determinatum, atque adeò facturum omnia, quæ non repugnarent stare simul.

DISPVTATIO TRIGESIMA SEXTA

DE LIBERTATE CREATA IN ORDINE ad Diuinas prædefinitionis.

Prædefinitionum, seù præfinitionum *diuinarum nomine intelligimus volitiones quasdam efficaces, & absolutas, quibus Deus per modum intentionis fertur in existentiam quorumdam nostrorum actuum bonorum, quos per scientiam conditionatorum vidit voluntatem nostram esse liberè eliciturã, si talia determinata auxilia de se indifferentia habuerit; ex vi quarum volitionum, Deus postea suo tempore exibeat illi auxilia ad dictos actus infallibiliter consequendos. Quamuis autem agere de huiusmodi prædefinitionibus, quatenus sunt, vel non sunt ad prædestinationem nostram necessaria, ad Theologum pertineat; non est tamen à Philosophi munere alienum de eisdem quærere, num libertati nostræ, de qua ex professo in præsentia disputamus, præiudicent. Non enim desunt, qui in eas acriter inuehantur, eo solo nomine, quod libertatem ab actibus sic prædefinitis excludere videantur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum prædefinitiones Diuinæ auferant libertatem à nostris actibus prædefinitis.

Conclusio est negatiua. Ita Suarez *lib. primo de prædestin: cap. 8. numero 18.* & sæpè alibi. Arrubal *prima parte, disp. 67. cap. 4.* quos sequuntur Raynaudus, Tannerus, Arriaga, Comptonus, & alij communiter ex nostris cõtra Vasquez, Valentiam, Molinam, Lessium, & Hericium *locis citatis* à Comptono *disp. 25. de anima sect. prima numero secundo.* Hi docent nõ posse Deum ante cooperationem absolutè futuram voluntatis creatæ nostros actus prædefinire, salua eorum libertate. Contra quos.

Probatur primò assertiò nostra: Quoties aliquis habet in potestate sua media, quibus finis aliquis sibi congruus certo, & infallibiliter obtinetur, potest ante eius exequutionem illum efficaciter intendere, & ex hac intentione adhibere media ad illum realiter assequendum; sed Deus habet in potestate sua media, quibus infallibiliter nostra opera supernaturalia obtinere possit; scit enim per scientiam conditionatorum, quod si Petrus in his circumstantijs positus, hac sua vocatione V.G. vocabitur, infallibiliter conuertetur. ergo &c. Nequè dicas maiorem esse veram loquendo de his finibus, qui, vt exequutioni mandentur, à voluntate alterius non pendent; opera verò nostra libera pendere à nostro libero arbitrio. Contra enim est, quia multa nos operamur ex intentione efficaci finem aliquem assequendi, quê scimus ab alterius voluntate pendere, ex eo, quod de huiusmodi voluntate certi simus. sic ex intentione obtinendi gloriam benè operamur, & emendi aliquid ad nundinas properamus &c. ergo cum Deus certus sit de cooperatione nostra libera in ordine ad opus supernaturale, si hoc determinato modo præmoueamur, poterit illud opus efficaciter prædefinire.

Probatur secundò potest Deus præfinire opera nostra ante eorũ exequutionem, eo prorsus modo, quo illa per scientiam conditionatorum præuidit liberè esse facienda à nobis in talibus circumstantijs positis. ergo potest illa prædefi-

Digitized by Google

prædefinire antecedenter ad exequutionem salua eorum libertate. Consequentia patet. Probatur antecedens: potest Deus prædefinire opera nostra, vt in statu absoluto existant per immediatum influxum causarum suarum proximarum, absque eo quod mutetur proprius modus influendi illarum. Ex intentione enim operis voliti solum sequitur in Deo obligatio 1 exhibendi necessariò, necessitatem se tenente ex parte sui ipsius, illa media antecedentia, ex quibus per scientiam conditionatorum videt opus infallibiliter sequuturum. Quam quidem obligationem non inducere necessitatem vllam nobis, patet ex eo, quia eodem prorsus modo nos in nostra indifferentia relinquit, ac si non esset. Neque dicas ipsam Dei prædefinitionem esse distinctum medium ab iis, quibus posita opus erat liberè fieri eadem, eaque adeò impliciter Deum prædefinire posse opera nostra eo prorsus modo, quo per scientiam conditionatorum prouidit liberè esse fienda; debent enim necessariò variari media, atque principia quo ad modum operandi. Contra enim est, quia licèt prædefinitio sit distinctum medium, imò & causa operis sequuturi, non tamen esse immediatum exequutionis principium, neque immutare proprium modum operandi principiorum immediatè concurrentium patet ex eo, quia non inducit necessitatem antecedentem, sed ex suppositione operis conditionatè præuisi. Confirmatur, quia voluntas efficax dandi media, sub quibus præuisus est Petrus per scientiam conditionatorum consensurus, non tollit libertatem operis. ergo neq; eius prædefinitio. Antecedens patet; quia alias nullus actus liberè transiret semper enim præsupponit decretum Dei de purificandis conditionibus, quibus liberè ponendus præuidetur. Consequentia 2 probatur, quia non minorem infallibilitatem inducit in actum absolutè futurum voluntas illa efficax, quam inducat prædefinitio ipsius met actus. vtraque enim inducit infallibilitatem antecedentem ad statum absolutum, sed consequentem ad conditionatum: ergo si vna non tollit libertatem, neque alia. Et rectè id quidem; actus enim in vtroque casu eum eadem indifferentia, qua præuisus est in statu conditionato procedere à voluntate, procedit in absoluto.

Probatur denique tertiò directè aduersariorum sententiam impugnando sic: Ex scripturis & Patribus habemus efficaciam diuinæ voluntatis tribuendum esse, quod actus nostri à Deo prædefiniti infallibiliter fiant, vt patet ex *locis allatis à Ruia to. de prædestinatione tract.* 2. sed hoc falsum esset, nisi Deus illos antecedenter ad nostram cooperationem absolutè futuram prædefiniret; nam, stante aduersariorum sententia eorum infallibilitas refundenda totaliter esset in necessariam connexionem, quam essentialiter habet actio cum termino suo; quatenus implicat poni actionem sinè termino suo. nè igitur hoc asseramus, tenendum est infallibilitatem ex prædefinitione ortam haberi antecedenter ad futuram cooperationem absolutam, per quam opus liberum exequtioni mandandum est. Confirmatur, quia alioquin quando *Hester.* 15. dicitur: Nō est, qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israel; sensus esset Dei voluntatem posito, quod coniuncta fuerit cum influxu ad extra in actum saluis Israel, infallibiliter habituram esse effectum. Atqui hoc etiam de voluntate cuiuscunque alterius dici posset, quia implicat contradictionem, quod ponatur operatio, & non ponatur terminus. ergo falsum est non posse Deum prædefinire efficaciter aliquod nostrum opus antecedenter ad futuram cooperationem nostri liberi arbitrij sinè læsione libertatis illius, vt aduersarij asserunt.

SECTIO SECUNDA.

Solumne nullitas in contrarium.

OBijcies primò, nulla res prædefiniri potest 6 sinè eo, quod in illius essentia includatur. sed opus supernaturale liberum essentialiter includit cooperationem liberi arbitrij. ergo non poterit prædefiniri efficaciter sinè dicta cooperatione. ergo neque antequam dicta cooperatio sit futura. Respondeo concesso integro syllogismo, negando secundam consequentiam. Non enim nos dicimus posse opus liberū prædefiniri sinè cooperatione voluntatis simul volita, sed solum posse prædefiniri per modum intentionis ante eandem cooperationem, vt absolutè futuram, ita vt hæc sit quid posterius prædefinitione ipsa, per quam intenditur; ex vi enim ipsius prædefinitionis opus non est adhuc futurū proximè, sed solum remotè, quatenus prædefinitio est causa, vt Deus decernat illa media, quæ habitura vim illud absolutè inferendi.

Obijcies secundò: Dei decreta, cum compleantur per connexionem cooperationis ad extra, eundem habent ordinem, quem operatio ipsa. sed Dei operatio circa opus liberum non est ante cooperationem liberi arbitrij sinè detrimento libertatis illius. ergo prædefinitio diuina nequit esse sinè cooperatione liberi arbitrij, quia læditur libertas. 7

Respondeo data maiore, nè ingrediamur difficultatem decretorum intentionis, & exequutionis: distinguendo minorem: Dei operatio ad extra circa opus, non est ante cooperationem liberi arbitrij sinè detrimento libertatis, concedo: Dei operatio qua prædefinit opus, nego minorem, & consequentiam in eo sensu intento. Quod si quæres obiectum ad extra decreti prædefinitiui: dico esse opus prædefinitum, pro vt pendet decretum exequutiuum sibi turitionem suam habiturum. Ex positione enim prædefinitionis resultat in Deo formalis quædam moralis contingens, illum obligans ponere media, quibus præuidit per scientiam mediam illud liberè faciendum.

Obijcies tertiò: inter principia actus prædefiniti, vel vidit Deus per scientiam conditionatorum prædefinitionem suam, vel non; si primum: ergo actus in statu conditionato præuisus est procedere ex vi prædefinitionis, & sic non liberè. si secundum: ergo actus licèt in statu conditionato præuisus est procedere liberè: 8

neces-

necessariò tamen procedet in absoluto; quia in hoc statu inter principia additur prædefinitio. Respondeo actum prædefinitum dupliciter considerari posse: in ratione rei, & in ratione doni specialis. si primo modo spectetur, dico, inter eius principia in statu conditionato non debere numerari prædefinitionem; quia sic consideratus posita entitate gratiæ, & voluntatis completè potentis vtrumlibet in his circumstantijs, circumscripto quouis, alio intelligitur statim existere. quare ad probationem in contrarium, nego consequentiam; & eius distinguo confirmationem, in statu absoluto variatur principia necessaria, & proxima ad existentiã actus, nego; non necessaria, & remota concedo: Aio enim prædefinitionem, quæ additur inter principia actus in statu absoluto, neque necessariò, neque proximè influere in illum, sed solum remotè, & per accidens; quatenus obligat Deum ad adhibenda auxilia indifferentia quidem, sed efficacia ad finem consequendũ. Quam obligationem non præiudicare libertati nostræ patet ex eo, quia quantumuis supponeremus Deum ex necessitate naturæ dare nobis huiusmodi auxilia, adhuc remaneret in nobis libertas ad operandum vt in *disput. præcedenti* probauimus. cum igitur prædefinitio posita non mutet proprium modum operandi gratiæ, & voluntatis; non est mirum, si non ledat libertatem; solũ enim accidentaliter addit actui quandam denominationem extrinsecam infallibilis, desumptam ab ipsa prædefinitione tanquã à forma accidentali; quæ cum in eius futuritione conditionata fundetur, eique præsupponat, neque libertati nocebit.

9 At verò si actus secundo modo spectetur, hoc est in ratione doni, dico inter eius principia connumerari prædefinitionem tanquam causam necessariam sui; atque adeò scientiam, qua actus sub hac ratione præuidetur, esse necessariã, quia sic consideratus actus, importat essentialem connexionem cum prædefinitione tanquam cum forma extrinsecus denominante illũ in ratione doni; donum enim speciale respicit essentialiter tanquam formam actum voluntatis, quo specialiter datur. Iam verò si hoc secundo modo consideremus actum, prædefinitionem, neque lędere eius libertatem patet ex eo; quia sic sumptus, hoc est in ratione doni, iam supponit in statu conditionato se ipsum ex parte conditionis; per hanc enim propositionem explicatur (si Deus prædefiniat conuersionem Petri, quam in ratione rei per scientiam conditionatorum præuider liberè eliciendam, donum, & beneficium illi faciet.)

10 Instabis: posita prædefinitione habetur infallibiliter actus, sed quod ea ponatur, vel non ponatur ab hominis libertate non pendet. ergo neque actus ipse prædefinitus ab eius libertate pendebit. 2 Respondeo distinguendo maiorem: posita prædefinitione habetur infallibiliter actus, infallibilitate orta ex suppositione consequenti eiusdem actus in statu conditionato positi, concedo: Ex suppositione antecedenti ad ipsum, nego; & distinguo minorem: quod ponatur prædefinitio nõ pendet à libertate hominis, ex suppositione consequenti: posito scilicet, quod præuisus est in his circumstantijs vocationi cõsensurus, concedo: non pendet ex suppositione aliqua antecedenti, quasi verò homo non potuerit impedire prædefinitionem illã per hoc, quod in statu conditionato, in quo primo libertas exerceretur, se determinauerit dictæ vocationi resistere, nego minorem, & consequentiam.

11 Obijcies quartò: actus prædefinitus in tantum per nos liberè procedit in statu absoluto: in quantum supponit futuritionem conditionatam sui cognitam à Deo; sed hoc non sufficere ad libertatem patet ex eo, quia non saluat libertatem actus prouenientis à voluntate physicè prædeterminata; hic enim licèt habeat verumque, nimirum futuritionem conditionatã sui, & Dei scientiam circa se versantem, procedit tamen necessariò á suo principio. ergo &c.

Respondeo, distinguendo causalem: in quantum supponit futuritionem conditionatam sui cum indifferentia à suo principio procedentis, concedo: procedentis à suo principio in actu primo ad vnum determinato, nego; Et sic distincta minore; ad eius confirmationem dico actum prouenientem à voluntate physicè prædeterminata nõ procedere in statu conditionato à principio indifferenti. Vndè non est mirum si quãdo ponitur a parte rei, non sit liber. Quod si loquamur de actu, quem cum Deus præuidisset in statu conditionato liberè à suis principijs eliciendum, vult tamen eum in statu absoluto á voluntate physicè prædeterminata procedere. Disparitas inter huiusmodi prædeterminationem, & prædefinitionem consistit in eo, quod prædefinitio non immutat proprium modum operandi voluntatis, quem in statu conditionato habebat. Cõtra verò prædeterminatio physica nã hæc præterea independenter à scientia conditionatorum infert suum effectũ. Contra verò illa.

12 Instabis: etiam si actus ponatur in statu conditionato procedere à principio indifferenti, nõ sufficit ad meritum, vt Patres docent contra Massilienses. ergo neque ad saluandam libertatem. Respondeo, Massilienses voluisse actum bonum in statu conditionato positum sufficere ad merendum aliquid absolutè à Deo; contra quos docent Patres ad meritum absolutum requiri existentiam absolutam actus meritorij: sic distincto antecedente, nego consequentiam in sensu intento. Nos enim volumus, ex eo quod actus noster ponitur in statu cõditionato à principio indifferenti procedere, si hoc etiam modo procedit in absoluto, eũ absolutã libertatem habere, non obstante infallibilitate antecedenti orta ex suppositione dicti status cõditionati, & eorum, quæ in illo fundantur.

13 Obijcies quintò: prædefinitio est causa, licèt mediata, actus; in quantum applicat eius causas immediatas ad operandum. ergo est prior natura ipso actu. Tum sic: Id, quod est prius natura alio, est simpliciter antecedens respectu illius; sed quod est huiusmodi tollit libertatem à consequente: ergo &c. Respondeo distinguendo primum antecedens: est causa mediata per se influens, nego; per accidens, concedo. Et sic distinguo consequens; est prior natura actu

Digitized by Google

actu pro ſtatu ſolum abſoluto, tranſeat; pro ſtatu tum abſoluto tum conditionato, nego. Cauſa enim per ſe actus eſt prior natura illo pro quocumque ſtatu, quia dat illi eſſe ſimpliciter; huiuſmodi autem non eſſe prædefinitionem patet ex dictis. Ad ſyllogiſmum, diſtinguo maiorē, id quod eſt prius, natura alio pro quocumque ſtatu eſt ſimpliciter antecedens reſpectu illius, concedo: pro ſtatu abſoluto tantum, nego maiorem. & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam dico enim quod prædefinitio licet pro ſtatu abſoluto habeat cauſalitatem in actum, cum triplici tamen limitatione habet illam; eſt enim primò mediata, ſecundò non ſe extendit ad ſtatum conditionatum. tertio denique neque pro ſtatu abſoluto eſt ſimpliciter neceſſaria; nam ſi daretur à Deo entitas illa gratiæ huic voluntati in circumſtantijs, in quibus operatura eſſet, abſque præſcientia, & ſpeciali prædefinitione actus; adhuc haberetur actus liber in ſtatu abſoluto, ſicuti in conditionato fuit prævisus; & hinc fit vt non præiudicet libertati actus.

14 Inſtabis: caſu quo cum voluntate in actu primò completa per auxilium indifferens concurreret phyſica prædeterminatio ad actum, hæc tolleret ab eo libertatem. ergo etiam quando cum voluntate completa per auxilium indifferens concurrit prædefinitio tollit ab actu prædefinito libertatem. Antecedens patet: conſequentia ſuadetur, quia ſicuti voluntas in vno caſu non indiget prædeterminatione, ita neque in alio indiget prædefinitione. ſed hoc non obſtante prædeterminatio tollit libertatem, ergo & prædefinitio.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad cuius probationem, conceſſa maiore, & minore, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia cum prædefinitio ſit cauſa mediata actus, poteſt eſſe connexa cum illo ex ſuppoſitione futuritionis conditionatæ illius, quatenus determinat Deum ad ponendam cauſam proximam, quæ per ſcientiam conditionatam præuidetur coniungenda cum ipſo actu libero; vt prædeterminatio eſt cauſa proxima actus, vnde non poteſt eſſe cum illo connexa, quatenus inferat aliam cauſam quæ præuidetur coniuncta cum illo, alioquin non eſſet proxima ſed remota. Ex quo infertur habere ex natura ſua connexionem cum dicto actu; vnde non eſt mirum ſi tollat ab eo libertatem. Atque hæc eſt ratio cur communiter dicant doctores noſtri, quod in priori naturæ abſoluto, & ſimpliciter accepto debent intelligi cauſæ omnes, quæ immediatè concurrunt ad actum ſiue neceſſariæ ſint ad illum ponendum, ſiue non: ex mediatis autem ſolum eas, quæ neceſſariæ ſunt, non verò quæ non ſunt huiuſmodi.

15 Subinſtabis: etiam prædefinitio eſt cauſa proxima actus prædefiniti; ergo licet non ſit neceſſaria ad poſitionem illius, tollet ab eo 15 libertatem. Conſequentia patet ex modo dictis de prædeterminatione; antecedens verò probatur, quia prædefinitio eo ipſo quod vult efficaciter actum, eſt efficaciter exequtiua illius. ſed non mediatè. ergo immediatè. Maior videtur certa, aliàs eſſet volitio inefficax. Minor verò ſuadetur: potentia operatiua ſeu miniſterialis ſubſtantiæ intellectiuæ ſi expedita eſt, immediatè determinatur ad operandum per volitionem efficacem, qua ſubſtantia illa vult eius operationem. ergo &c.

Reſpondeo negando antecedens: ad cuius probationem conceſſa maiore, nego minorem; ad prædefinitionem enim efficacem ſolum requiritur quod ſit exequtiua operis mediantè alio actu voluntatis, quo ſubſtantia intellectiua adhibendo media, exequitur immediatè ipſum opus. Ad minoris ergo confirmationem dico: dupliciter ſubſtantiam intellectiuam poſſe velle efficaciter aliquam operationem producere: primò immediatè volendo ipſam operationem V.G. externam, eleemoſinæ erogationem, iniuriarum remiſſionem &c. ſecundò mediate, imperando ſibi volitionem, quæ moueat potentiam operatiuam ad dictam operationem externam eliciendam, vt quando ex actu amoris Dei impero mihi actum miſericordiæ. Iam licet prior volitio ſit immediatè exequtiua operis voliti, at non poſterior. Atqui huiuſmodi eſt prædefinitio; ſe enim habet ſicuti actus imperans, qui reſpicit tanquam proximum obiectum actum alium imperatum, & eo mediante vult obiectum illius.

Obijcies ſextò: prædefiniat Deus ante ſcientiam conditionatorum actum, quem in poſteriori per dictam ſcientiam cognoſcat liberè faciendum: in hoc caſu prædefinitio tolleret libertatem. ergo etiam ſi prædefiniat illum poſt ſcientiam. 16

Reſpondeo prædefinitionem illam ante ſcientiam tripliciter ſe habere poſſe; vel enim eſt de actu liberè faciendo, vel de actu faciendo neceſſario, vel denique de omnino faciendo, ſiuè libere, ſiue neceſſario poſtea decernendo; primò modo facta, ſupponit Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ certum eſſe voluntatem noſtram toti collectioni auxiliorum, quam in ſua omnipotentia habet, non poſſe reſiſtere, aliàs irrationabiliter poneret, Deum efficaciter velle actum eo modo poni, quo neſciret à ſe poni poſſe; Hoc autem præſuppoſito dico dictam prædefinitionem non tollere libertatem, quia inadæquata eſt, & mediata; exigit enim vt Deus poſtquam per ſcientiam conditionatorum agnouit cui nam ex auxilijs ſuis ſit homo libere conſenſurus, illud eligat, & ſic priorem prædefinitionem compleat. Secundo verò modo poſita, certum eſt quod lædat libertatem; & hoc veritatem habet etiam ſi vel per eandem præfinitionem vel per aliam quomodocumque decernat adhibere illud auxilium, quod per ſcientiam conditionatorum poſtea præuidet, præſcindendo à dicta præfinitione habiturum fuiſſe in ſalibilem connexionem cum actu liberè ponendo. Et ratio huius eſt, quia iam per decretum illud prædefinitiuum omnino abſolutum mutaretur prior modus operandi illius auxilij, & voluntatis, per hoc quod aſſumantur à Deo ad illum actum determinate eliciendum cum

 nega-

Digitized by Google

negatione decreti de concurrendo ad vtrumlibet. tertio denique modo facta prædefinitio existimo quod non lædat libertatem, eo quod inadæquata sit, & mediata, licèt diuerso modo ac prima, quia hæc expectat compleri per decretum subsequens in ordine ad decernendum de actu, quem infallibiliter vult, verum necessario vel libere sit ponendus. quare ab illo quo ad hoc regulari debet, at verò prima quo ad substantiam actus liberi iam decreuit, & solum suspensa remanet quo ad media libera hæc, vel illa.

17 Instabis: prædefinitio hoc tertio modo posita inducit infallibilitatem antecedentem ad futuritionem conditionatam. ergo tollit libertatem. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; tunc enim huiusmodi infallibilitas antecedens tolleret libertatem, quando esset completa, & ex se sufficiens ad inducendum actum. sed hæc neutrum habet; vnde non est mirum si non præiudicet libertati; præscindit enim quantum est de se ab inferendo illi præiudicium, vel non. Neque dicas inde sequi quod si Deus cognoscens se non habere medium liberum ad aliquem actū, dicat volò illum per medium in posteriori eligendū, hæc prædefinitio non tolleret adhuc libertatem, eo quod infallibilitatem incompletā induceret. Nego enim consequentiam: tunc enim infallibilitas incompleta non præiudicat libertati, quando non est ordinata ad complementum antecedens: hæc autem posita, cum omnia media respiciat vt necessaria, iam esset ordinata ad electionem, per quam compleatur in ratione inducentis infallibilitatem omnino antecedentem: vnde non est mirum si præiudicet libertati; At verò nostra, de qua in præsentia sermo est, præscindit ab eo, quod sit ordinata ad complementum antecedens, vel habeat dictæ ordinationis carentiam, & ideo non præiudicat libertati.

18 Contra hoc vltimum subinstabis: quamuis prædefinitio tertio modo posita præscindat ab eo quod sit, vel non sit ordinata ad complemētum antecedens vsum liberi arbitrij: tamen est omnino incompossibilis cum carentia actus, implicat enim quod voluntas cum ea actus omissionem componat; alioquin decretum efficax Dei frustrari posset. ergo tollit libertatem. Consequentia patet, quia libertas in actu primo respectu alicuius operationis importat vt in eo signo non habeatur aliquid omnino incompossibile cum eius carentia.

Respondeo, concesso antecedente propter rationem in argumento tactam, negando consequentiam; Ad cuius probationem dico quod quemadmodum incompossibilitas cum carentia operationis, quæ oritur ex vi consequentium, hoc est ex suppositione actus in statu conditionato positi, positiuè non lædit libertatem, & sicut incompossibilitas, quæ oritur ex vi antecedentium pro quocumque statu eā positiuè lædit: ita quæ præscindit ab ea, quæ oritur ex vi consequentium, vel antecedentium, ita vt expectet determinari vlterius, quantum ad hoc, præscindet etiam ab eo, quod positiuè lædat, vel non lædat. Porrò huiusmodi est incompossibilitas quam habet prædefinitio tertio modo posita cum carentia actus prædefiniti, vt patet ex dictis.

Instabis tertio: implicat præfinitio ante scientiam conditionatam, quæ actum, sic præfiniat: Volo vt in instanti A fiat á Petro actus amoris Dei liberé, si potest; quod si non potest, vt fiat necessariò. ergo implicat etiam illa de actu faciendo siue liberé siue necessariò postea decernendo. consequentia videtur solida: Antecedens probatur. ponamus quod voluntas post præfinitionem illam non liberè, sed necessario actum amoris prædefinitum eliciat: sequeretur, quod dicta voluntas deberet in eodem instanti A habere simul auxilia indifferentia, & necessitantia, necnon etiam actum prædefinitum, & eius carentiam; sed vtrumque implicat. ergo &c. Sequela probatur, quia deberet ex vna parte videri á Deo in eo instanti, quod non faciat liberè illum actum, cū possit. ergo iam haberet carentiam actus cum auxiliis indifferentibus: ex alia verò, quod faciat necessariò; & sic haberet actum cum auxilio necessitante. Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem, nego assumptum; ad hoc enim vt Deus decernat prædeterminare Petrum in eo instanti ad actum amoris, sufficit si per scientiam conditionatorum agnoscat, quod si ei daret in eo instanti auxilia indifferentia, non eliceret dictum actū vnde neque est necesse vt det absolute auxilia illa, neque quod absolutè videat illum sub actus præfiniti carentia, sed conditionatè solū atque modaliter, hoc est quantum est ex vi auxilium, si daret. 19

Obiicies septimò. prædefinitio habet pro obiecto aliquid quod opponitur obiecto decreti indifferentis. ergo repugnat huic decreto; & per consequens libertati. Consequentia patet: antecedens probatur, quia præfinitionis obiectum dicit necessariò ex parte Dei exclusionem oppositi; obiectum autem decreti indifferentis negationem exclusionis eiusdem oppositi essentialiter importat; debet enim offerre concursum indifferentem: ergo &c. 20

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem dico obiectum præfinitionis importare essentialiter ex parte Dei exclusionē oppositi, vel antecedentem inadæquatam, & remotam; vel consequentem ex suppositione actus, prò diuersitate, quæ prædefinitio ponit potest, iuxta superius dicta. At verò obiectum decreti indifferentis importat essentialiter negationem exclusionis oppositi antecedentis, & proximæ. Vnde est quod huiusmodi decretum non opponitur præfinitionibus nostris, sed solum illi, quæ antecedenter, & proxime Deus se determinaret ad dandum voluntati concursum determinatum, quia sic non posset habere decretum de offerendo concursum indifferentem.

Instabis Deus per prædefinitionem conversionis Petri vult illam efficaciter, per decretū verò indifferens de conseruanda in dicta conuersione libertatē eius, vult saltem inefficaciter illius 21

21 illius carentiam; sed hæ volitiones repugnant. ergo &c. Maior videtur, certa. Minor probatur: voluntas efficax est illa, qua Deus ita vult aliquid, vt eius carentiam nullo pacto velit: inefficax verò est, qua aliquo pacto vult carentiam illius: sed nullo pacto velle carentiã alicuius rei, & aliquo pacto illam velle, repugnant. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem, nego assumptum. Multa enim ità efficaciter volumus, vt eorum carentiam inefficaciter velimus; vt patet ex mercatoribus, qui tempestate coacti merces in mari absolutè proijciunt, quarum proiectionis carentiam inefficaciter amant; & vniuersaliter ex omnibus illis, qui cum aliqua repugnantia faciunt aliquid. Voluntas igitur efficax non importat, vt oppositum nullo pacto ametur; sed vt non ametur efficaciter. Quare efficax præfinitio, qua Deus intendit actum charitatis Petri nullo modo opponitur cũ inefficaci voluntate sui contradictorij, sed benè cũ efficaci.

22 Obijcies octauò: si Pater præcepisset Christo Domino mortem cum omnibus suis circumstãtijs necessitasset illum ad moriendum; sed huiusmodi præceptum non fuisset immediatè operatiuum mortis. ergo licèt prædefinitio Dei nõ sit immediatè operatiua actus prædefiniti, tollit libertatem. Respondeo concessa maiore, & minore; negando consequentiam. Disparitas est, quia præceptum illud reddidisset mortis omissionem Christo peccaminosam. Quoniam verò Christus ratione vnionis hypostatiuæ peccare non poterat: hinc fit, vt neque Deus poterat offerre illi concursũ indifferentem ad moriendum, & non moriendum; & sic præceptum illud abstulisset à Christo vsum liberi arbitrij in ordine ad mortem. At verò prædefinitio conuersionis Petri non reddit Petrum incapacem omissionis conuersionis, quare ea non obstante poterit illi Deus offerre suum concursum indifferentem ad conuersionem, & ad euius carentiam: vndè fit vt dicta prædefinitio non præiudicet libertati Petri, sed solum præiudicat libertati Dei, quam de se habebat ad dandum, vel non dandum illi auxilia indifferentia, & efficacia vti notauimus. Verum hoc non officit vsui nostræ libertatis, vti sæpè notauimus. 22

DISPVTATIO TRIGESIMA SEPTIMA

DE LIBERTATE IN ACTV SECVNDO.

HAbitusque libertatem in actu primò consideravimus: in præsenti disputatione de ea in actu secundò agemus. Porrò sicuti actus secundus cuiuscumque facultatis operatiuæ est actuale exercitium illius; ita & facultatis liberæ actus secundus erit operatio libera, quæ cum sit actus vitalis, duplicem actionem importat; grammaticalem vnam, alteram prædicamentalem; grammaticalis verò est qualitas, quæ habet rationem termini producti per libertatem in actu primo; prædicamentalis verò est actio ipsa, cuius beneficio dicta qualitas vitalis à facultate libera producitur; dicitur autem prædicamentalis, quia in prædicamento actionis secundum suum esse, reponitur; ad differentiam grammaticalis, quæ solum secundum dici ad illud pertinet, vti alibi dictum est. Iam verò de huiusmodi operatione libera illud maximè controuersum est, qua ratione prædicatum libertatis ad eam pertineat. Sit igitur, 1

SECTIO PRIMA.

Verum libertas sit extrinseca denominatio actui libero, an verò essentialis.

PRæsens quæstio hac ratione proponitur ab Hurtado *de anima disput. 15. sect. 6.* & rectè; quamuis enim videatur prima fronte esse deficiens, quatenus multæ denominationes habentur, quæ neque extrinsecę sunt subiecto, neque essentiales, vt esse album, dulce &c. quia tamen actus liber ex qualitate, & actione constat hoc ipso, quod denominatio liberi non est illi extrinseca, oportet, vt saltem cum altera vtra identificetur, & per hoc sit illi physicè loquendo essentialis. Porrò, quod essentiale 2 est parti, etiam toti essentiale sit; necesse est. Scio contra hoc dici posse libertatem neque cũ actione, neque cum qualitate identificari: nihilominus esse intrinsecã actui libero per hoc, quod sit accidens quoddam saltem modale intrinsecè illum efficiens. Verum hæc imaginatio omni probabilitatis specie destituitur; nam libertas in actu libero consistit in potentia ad existendũ, & non existendum. Porrò accidens, hoc ipso, quod inhæreat subiecto, supponit illud existens; vndè non potest ei potentiam ad existendum afferre; sed neque potentiam ad non existendum; nihil enim per aliquid sibi superadditum constituitur potens non existere, sed vel per se ipsũ, vel per causam suam. Ex quo deducitur rectè, nos sub dictis terminis præsentem quæstionem cum Hurtado proposuisse; circa quam duplex

est generalis sententia, & in vtraque earum Patroni inter se aliqua ratione dissentiunt. Prior est Suarij 1. 2. *disput. prima de Voluntario sect. 3. numero* 18. Vasquez *prima 2. disput. 34. cap. 3. numero* 15. & aliorum, quos citant, & sequuntur Arriaga *disput. 8. sect.* 4. Oviedus *controu.* 12. *punct.* 8. Comptonius *disput. 22. sect. 3.* & alij, existimantes denominationem liberi conuenire actui libero per denominationem extrinsecam à potentia libera, à qua oritur; & ideò eundem numero actum mutari posse ex libero in necessarium, & è contra. Discrepant autem hi auctores inter se: num omnia, quæ sunt necessaria, vt dicta potentia constituatur proximè libera, tribuant actui huiusmodi denominationé, & quo modo?

3 Posterior verò sententia est D. T. *prima 2. quæst. 19. art. primo*, quem plures Thomistæ sequuntur cum Hurtado *de anima disput. 15. sect. 6.* & alijs Recentioribus, qui volunt esse de essentia actus formaliter liberi, V. G. amoris, odij, & similium, libertatem, per quam formaliter constituitur in ratione moris. Verum huius quoque sententiæ patroni non omnino inter se conueniunt; nam aliqui putant dictam rationem liberi esse essentialiter identificatam cum qualitate, alij autem cum actione, nonnulli verò cum vtraque.

4 Nostra Conclusio posteriorem sententiam sequitur; putamus enim denominationem liberi esse intrinsecam actui voluntatis formaliter libero, eique identificatam; non quidem quatenus dictus actus importat qualitatem, sed quatenus importat solam actionem.

5 Ex tribus membris, quæ continet assertio, in primo tantùm probando nobis insudandum est; nam tertium ex duobus præcedentibus necessariò deducitur. Si enim libertas in actu secundò est actui libero essentialis, & actus liber qualitatem, & actionem importat, hoc ipso, quod non est essentialis qualitati: inexitabiliter deducitur, quod sit essentialis actioni. Secundum verò membrum ex his, quæ alibi diximus probatum remanet; vbi existimauimus solum Deum posse esse causam totalem effectiuam actus vitalis; Et vlterius confirmatur ex eo, quia nulla potest assignari implicantia in eo, quod qualitas illa amoris V. G. quam nostra voluntas per suam volitionem tamquam per actionem prædicamentalem in se producit, producatur à solo Deo; Et rectè id quidem: actui enim distincto ab actione accidentaria, est libertas; eo quod hæc formaliter in actione resident; quia ea posita necessariò sequitur terminus; non quidem consequentia causalitatis, quia non est causa, sed determinationis, quia per eam primo voluntas se determinat ad ponendum terminum. Quod si quis qualitatem vitalem cum actione, per quam producitur, identificet, & indè implicantiæ rationem desumendo, assignet. Non est multum cum eo disputandum; sed hoc permisso, sic vlterius procedendum ad id, quod dicimus suadendum. Libertas in actu secundò consistit in entitate actus, pro vt dicit rationem actionis, & non qualitatis quomodocúque tandem huiusmodi rationes inter se distinguantur. ergo denominatio liberi non est intrinseca actui, pro vt formaliter importat rationem qualitatis, nisi mediante ratione actionis. Consequentia videtur solida. Antecedens verò probatur, quia libertas in actu secundo est, vti diximus, exercitium actus primi; atqui actus primus in casu nostro est potentia effectiua. ergo libertas in actu secundo est exercitium potentiæ effectiuæ. Atqui exercitium potentiæ effectiuæ non est, nisi actio; per eam enim formaliter potentia se exercet tribuendo esse effectui. ergo libertas, quæ est de essentia actus formaliter liberi est de essentia illius, pro vt rationem actionis prædicamentalis importat, siuè demũ hæc ratio sit distincta, siuè indistincta.

Iam verò primum membrum assertionis nostræ, in quo tota difficultas præsentis quæstionis resident, nimirum quod libertas sit actui libro essentialis licet ex dictis pateat. si quidem hoc ipso quod actio libera habet determinare primo indifferentiã voluntatis: ex proprio modo tendendi essentiali debet esse exercitium libertatis; etenim à nullo extrinseco hoc habere potest ne quidem ab ipsa potentia indifferenti, quæ non formaliter sed solum efficienter potest esse sui determinatiua. Magis tamen directè probatur primo ex D. Tho. *loco supra citato* vbi *in Corp.* sic habet: bonum, & malum sunt per se differentiæ actuum voluntatis. Vnde voluntas bona, & mala sunt actus differentes secundum speciem; tum sic: libertas pertinet essentialiter ad bonitatem, & malitiam moralem actuum voluntatis, sed bonitas, & malitia moralis sunt per se differentiæ dictorum actuum; ergo sicuti bonitas, & malitia moralis sunt essentiales dictis actibus, ita, & libertas. Maior videtur certa. minor est D. Tho. Consequentia fundatur in eo principio satis communiter recepto: Id quod, est de essentia vnius, est etiam de essentia alterius, cuius illud vnum est de essentia, vt gradus viuentis hoc ipso, quod *est de* essentia animalis, erit etiam de essentia *hominis*, de cuius essentia est animal. 6

Respondet Arriaga D. Tho. non loqui nisi præcisè de bonitate, & malitia, quæ ex parte obiecti prouenit actibus; & hanc se libenter admittere esse essentialem actibus; eo quod huiusmodi actus per suãmet essentiã respiciunt obiecta. quod patet, inquit, ex verbis sequentibus, quibus S. Tho. concludit sic: *differentia autem* speciei in actibus est secundum *obiecta*; atqui hoc nihil ad libertatem attinet, quæ non prouenit ex obiecto, sed ex principio indifferenti. ergo &c.

Contra tamen est: quia licèt verum sit S. T. *loco citato* docere bonitatem, & *malitiam*, quæ sumuntur ex obiectis esse differentias essentiales actuum voluntatis: & verissimum quoque est ipsum loqui de dictis actibus in esse moris constitutis; atque adeo de eorum bonitate, & malitia morali, pro vt reddunt hominem laude, vel vituperatione dignum. Cum igitur hæc bonitas, & malitia includant essentialiter *libertatem*; manifestè deducitur D. T. existimasse *libertatem* esse de essentia nostrorum actuum *formaliter* liberorum.

rorum. Assumptum huius enthymematis, quod solum probatione eget, suaderur ex eo, quia de ea bonitate, & malitia agit S. T. in hoc primo articulo, de qua instituerat agere in tota *quæst.* 19. sub qua dictus articulus continetur. Porrò titulus dictæ quæstionis est huiusmodi: De bonitate, & malitia actus interioris voluntatis in decem articulos diuisa, in quibus, articulis postea totus est in assignandis illis rebus, ex quibus huiusmodi bonitas, & malitia actus voluntatis dependet; & in primo quidem decernit eã dependere ab obiecto actus. In secundo ex solo obiecto, & non ex circumstantijs illius. In tertiò statuit eam dependere ex ratione. In quartò ex lege æterna, & sic de reliquis. Atqui hæc bonitas non potest esse illa, quæ præcisè prouenit actibus ex obiectis. sed illa, quæ constituit actum in esse moris, quæ nimirum pendet quidem ab obiecto, sed non totaliter, vtpotè, quæ pendet etiam à ratione, à lege æterna, à dictamine conscientiæ &c. Cum igitur huiusmodi bonitas, & malitia importet essentialiter libertatem in actu secũdò: rectè deducitur S.D. putasse hanc esse de essentia actuum bonorum, & malorum formaliter liberorum.

7 Probatur secundò ratione; Admisso quod vnitas principij effectiui stare possit cum essentiali suorum actuum diuersitate: tamen quoties duo actus important principia effectiua essentialiter diuersa, toties differunt inter se essentialiter saltem in actione, per quam fiunt. sed actus amoris liberi, & actus amoris necessarij important principia effectiua essentialiter diuersa; ergo saltem in actione, per quam fiunt, differunt inter se essentialiter; & sic libertas in actu secundò est actui libero essentialis, & non extrinseca denominatio. Vtraque consequentia est legitima. Maior autem claret, hoc enim ipso quod duo effectus exigunt causas efficientes essentialiter diuersas, vel ipsi secundum se essentialiter differunt, vel saltem ratione actionum, per quas fiunt. Illa enim exigentia principiorum essentialiter diuersorum cum respiciat terminos essentialiter diuersos, pro eorum diuersitate diuersificetur oportet. Minor verò principalis probatur: Actus amoris liberi exigit fieri à voluntate habente prædominium ad ipsum ponendum, vel non ponendum: actus amoris necessarij exigit fieri à volũtate dicto prædominio carente; sed voluntas habens prædominium in suum actum, & voluntas dicto prædominio carens, differunt inter se essentialiter. ergo &c.

8 Ad hanc rationem dissoluendam multæ adhiberi possent responsiones. Quarum prima negaret minorem cum Oniedo *num.* 27. & ad eius probationem diceret; esse manifestè falsũ quod voluntas habens prædominium in suos actus, differat essentialiter à voluntate non habente prædominium, cum constet eandem numero voluntatem respectu eiusdem numero actus, & eius omissionis posse modo habere prædominium, modo verò non habere; si enim vigilet, & cognoscat bonitatem, & malitiam obiecti habet illud, contra verò si nõ vigilet, vel non cognoscat, non habet.

9 Sed contra est: quia licèt verum sit quod voluntas secundum se affecta prædominio non differat essentialiter à se ipsa illo non affecta: falsum tamen est, si sumatur reduplicatiuè, pro vt affecta, & pro vt non affecta; vt patet ex aere luminoso, & tenebroso, qui licèt specificatiuè acceptus non differat essentialitet à se ipso: differt tamen reduplicatiuè. Iam verò voluntatem esse principium amoris liberi, pro vt affectam prædominio ad ponendum, vel omittendum illum constat ex eo, quia huiusmodi prædominium non se habet vt mera conditio, sed essentialiter importatur à libertate in actu primo. ea enim definitur per hoc, quod positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari.

10 Neque dicas: in præsenti quæstione non esse sermonem de actu libero reduplicatiuè, sed solũ materialiter accepto, vt fatetur Hurtadus *sect.* 6. *cit.* §. 43. ergo etiam de voluntate affecta prædominio non reduplicatiuè, sed specificatiuè in præsentia nos loqui debere; atqui specificatiuè est eadem numero, siuè libere, siuè necessariò valeat operari; ergo &c.

11 Nè id dicas, inquam, nam ex vero antecedente falsam deducis consequentiam. Disparitas est, quia si controuersia præsens ageret de actu libero reduplicatiuè vt libero, cessaret omnino, vtpotè frustratoria; Siquidem forma quãtumuis extrinseca subiecto, si reduplicatiuè sumatur, vna cum subiecto est toti concreto intrinseca, & essentialis: At ex hoc, quod euincamus causam actus liberi esse voluntatem reduplicatiuè pro vt prædominium in illum habentem, rectè deducitur libertatem in actu secundò non esse extrinsecam actui, sed intrinsecam, & essentialẽ licèt actus specificatiuè accipiatur.

Respondeti potest secundò, prædominiũ hoc importare tria: facultatem quantum est de se liberè operandi, cognitionem malitiæ, & bonitatis obiecti; ac demum concursum Dei indifferentem. Iam verò quamuis primum ex his actus liber essentialiter exigat, quatenus repugnat eũ à facultate non libera procedere: quod nõ pendeat essentialiter à duobus sequẽtibus probatur ab Arriaga *num.* 75. quia cognitio, vt communiter dicitur, non influit in actum liberum, sed solum determinat voluntatem proponendo illi merita obiecti per modũ conditionis. Vnde idẽ numero amor potest esse, & eadem actio inuolũtate Pauli, siue cognitio specificè, siue numerice varietur, ergo actus liber non pendet essentialiter à cognitione; quod vero neque a concursu, vt indifferenti, sic; Deus concurrit ad extra per suã omnipotentiam applicatam per decretũ. sed per accidens est actui quod omnipotentia per decretum indifferens aut determinatum applicetur. ergo &c. maior patet. minor probatur. nostra ambulatio eadem prorsus est, siue potentia loco motiua per hanc, siue per illam voluntatem determinetur. Idem Deus per eandem numero actionem potest producere gratiam sanctificantẽ, siue propter hoc, siue propter aliud motiuum. ergo physica productio actus liberi non pendet ab hac numero volitione Dei.

12 Sed contra est, quia vt actus liber pendeat essentialiter à cognitione, & à decreto Dei indifferenti

ferenti non est necesse vt respiciat illa tanquam immediatè, & physicè influxiua in suam entitatem, sed satis est, si ea essentialiter pertineant ad proprium, & specificum modũ operandi potentiæ liberæ, qua libera est. vnde enim fit vt actus liber habeat essentialem connexionem cum illis? Iam vero ita rem se habere suadetur, quia implicat, vti supra probauimus, potentiam de se liberam habere potestatem non amandi V.G. id quod de facto amat, absque eo quod intellectus, illius obiecti malitiam, & bonitatem ipsi representet. vnde fit actum liberum habere essentialẽ connexionẽ cum cognitione indifferenti, & quidem strictissimam. cum enim ex dictis potentia intellectiua, & volitiua debeant de necessitate in vnam entitatem coalescere, hoc ipso quod illa cognitio informat vnã, de necessitate informat, & alteram; et hinc est vt voluntas ex huiusmodi informatione habeat, vt fæcundetur ad odio vel amore prosequendum illud obiectum, cuius bonitas, & malitia beneficio dictæ formæ ipsi relucet. Atque hæc potest esse ratio cur idẽ numero amor potest durare etiam si eadem cognitio varietur; cum enim non pendeat formaliter ab illa, sed solum cum ea connectatur: non est mirum si pereunte prima cognitione, amor ille sit secunda contentus, hoc ipso quod in secunda reperit id, ratione cuius connectebatur cum prima; ad eum plane modum, quo dicunt aliqui si per impossibile musca aliqua euaderet impossibilis, quod Deus, qui nunc est euaderet alius absq; eo quod variarentur essentialiter creaturæ aliæ, quas supponunt cum Deo esse connexas. Ex his autem patet falsitas consequentiæ, quam
13 aduersarius inferebat.

Quod verò attinet ad id, quod dicebatur de concursu indifferenti, concedo maiorem; Deum scilicet concurrere ad extra per omnipotentiã suam applicatã per decretum. sed nego per accidens esse actui realiter sumpto, quod per decretum indifferens, aut determinatum omnipotentia sibi applicetur. quemadmodum enim per se conuenit actui necessario pẽdere ab omnipotentia per decretum determinatum applicata: ita & libero pendere ab eadem applicata per indifferẽs. Dixi actui realiter sumpto; quia si præcisiue sumatur, concedi potest per accidens, illi conuenire processum ab omnipotentia applicata per vnum potius, quam per aliud decretũ determinatè: sicuti animali vt sic, quod sit cum rationalitate potius, quam cum irrationalitate identificatum. Verum hæc indifferentia actus præcisè sumpta non faciet aduersario vt patet.

14 Neque dicas: de duplici actu necessario nos in nostra impugnatione posse habere sermonem; de eo, qui est natura sua necessarius, vt est nutritio, vegetatio &c. & de eo, qui est necessarius defectu alicuius essentialiter requisiti ad libertatem. porrò licet verum sit per se, & ab intrinseco competere actui necessario primo modo pendere ab omnipotentia applicata per decretum determinatum, falsum tamen esse quod sic competat actui necessario secundo modo.

15 Contra enim est; nam ex eo, quod aliquis actus nõ sit natura sua necessarius, sed defectu alicuius essentialiter requisiti ad libertatem, solũ deducitur eum, quatenus importat qualitatem, esse indifferẽtem ad hoc vt liberè, vel necessario à voluntate procedat; non vero quatenus importat actionem; quia hæc procedit, vti diximus, à principio, quatenus prædominium habente in suos actus.

Iam verò ad priorem minoris negatæ probationem, concedo antecedens; nostram videlicet ambulationem eandem prorsus esse, siue potentia loco motiua per hanc, siue per aliam volitionem determinetur; sed nego idem dici posse de nostro actu libero, quod nimirum sit idem numero semper, siuè omnipotentia Dei applicetur nostræ voluntati per decretum indifferens, siue per determinatum. Disparitas lata est, quia nulla volitio imperans motum localẽ immutare valet proprium modum operandi potẽtiæ loco motiuæ; quia cum hæc ex suis intrinsecis sit determinata ad vnum, & non nisi per denominationem extrinsecam participet libertatem; siue per volitionem vnius speciei, siue per uolitionẽ alterius determinetur, potest sẽper eundem numero motum localem imperatum producere: at vero decretum Dei applicatiuum suæ omnipotentiæ, si est determinatum, immutat proprium modũ operandi potentiæ liberæ. Cõtra vero, si est indifferens, non immutat, & ideo non est per accidens actui voluntatis, quod omnipotentia Dei per decretum indifferens, vel determinatum ipsi volũtati applicetur. Et per hoc patet respõsio ad posteriorem eiusdem minoris negatæ probationem, in qua assumebatur, posse Deũ per eandẽ numero actionẽ gratiã Sanctificantẽ producere siue propter hoc, siue propter aliud motiuum. Dato. n. assumpto, quod á multis valde probabiliter negatur: disparitas est, quia diuersitas motiuorũ non immutat propriũ modũ operãdi omnipotentiæ Dei in ordine ad productionem gratiæ. Cum enim omnipotentia sit facultas exequutiua nõ est formaliter libera; vnde eodem prorsus modo respicit diuersitatem motiuorum, ac nostra potentia loco motiua diuersitatem volitionum imperantium sibi motum localẽ: at nostra voluntas est de sè facultas libera, quæ ex diuersitate decretorũ Dei applicantiũ illi omnipotentiam ad operandum pendet, quod retineat, vel amittat proprium operandi modũ quare nõ est per accidens actibus suis, quod omnipotentia per decretum indifferens, aut determinatum applicetur, sed valde per sè.

16

Dices: per accidens esse quod nostra potentia volitiua liberè, vel necessariò operetur; si enim per denominationem extrinsecam à voluntate Dei applicetur illi omnipotentia per decretum indifferens, operabitur libere: si per determinatum, necessariò. Ergo etiam accidentaliter competet nostro actui quod sit liber, vel necessarius. Respondeo negando consequentiam; ratio negationis est quia principium adæquatè productiuum actus nostri, non est sola potentia volitiua quomodocunque accepta, sed pro vt illuminata per cognitionem, & per omnipotentiam adiuta. Vnde sicuti huic adæquato principio non est per accidens quod operetur liberè, vel necessariò: ita neq; actui, qui ab eo procedit, ratio liberi vel necessarij.

17

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Tertia ratio pro conclusione nostra proponitur, & propugnatur.

18 PRobatur denique tertiò nostra sententia actus liber, si bonus est specialiter Deo placet: sin malus, illi specialiter displicet: neutrum autem habet actus, qui necessarius est; ergo actus liber habet intrinsece aliquid, quod non habet necessarius. libertas igitur in actu secundo est de eius essentia. Maior, & minor probatione non egent. Prima autem consequentia probatur, quia agimus de actu libero secundum se spectato, qui est obiectū vel complacentiæ, vel displicentiæ diuinæ. Deus enim non complacet sibi, nisi in obiecto in se bono, neque displicet, nisi in obiecto in se malo. secunda verò consequētia suadetur, quia hoc, quod actus vt liber importat, non potest esse nisi identificatum cum actione vti probauimus; ergo iam est de eius essentia physica.

19 Ad hoc argumentum triplex responsio ab Aduersarijs adduci solet. Quarum prima est bonitatem, & malitiam formalem actuum liberorum esse entia connotatiua importantia in recto entitatem ipsorum actuum, & in obliquo potentiam liberam, à qua eliciuntur, & hinc fieri, vt nihil intrinsecè habeat actus liber quod non habeat necessarius, sed solum penes connotata extrinseca distinguantur; si enim actus connotet potentiam necessariam, á qua procedit, erit necessarius; sin verò liberam, liber:

20 Sed contra hanc responsionem facit: quia ad entia connotatiua recurri solet, ne per plura fiat, quod per pauciora fieri potest. Sed hoc incommodum in casu nostro non euitatur. ergo non est putandum bonitatem, & malitiam formalem esse entia connotatiua. maior, & consequentia patent. minor verò probatur, quia hoc ipso quod principium adæquatè constitutum in ratione liberi differt essentialiter à principio adæquate constituto in ratione necessarij, vti supra probauimus, iam actiones dictorum principiorum diuersificantur essentialiter inter se ratione ordinis transcendentalis, quem vtraque ad suum determinatum principium importat, sed in hoc ordine ratio libertatis, & necessitatis in actibus rectè consistit; ergo frustra bonitas, & malitia formalis actuum liberorum inter entia connotatiua connumerantur; nihil enim ad frugalitatem, & parsimoniam conducit. Neque dicas parsimoniam in eo consistere quod á conceptu libertatis in actu secundo excludatur actio, dicendo, quod consistat in qualitate producta amoris V.G. odij &c. pro vt connotat potentiam liberam: ne id dicas inquam; inde enim sequeretur, quod si in voluntate indifferenti solus Deus produceret actum amoris: hic iam esset illi voluntati liber, quia connotaret illā tanquam potentiam liberam. hoc autem est manifestè falsum; cæterum secuti non valet contra Aduersarios: albedo est intrinseca parieti albo. ergo & libertas actui libero. ita neque contra nos, vnio est ens mere connotatiuum; ergo, & libertas.

Respondent alij secundo actum ex suis intrinsecis habere bonitatem, aut malitiam: requirere tamen libertatem in potentia, vt Deo placeat, vel displiceat.

Sed neque hæc responsio est probabilis; primo, quia hic non loquimur de bonitate, & malitia physica, sed morali; atqui hæc essentialiter libertatem includit. ergo &c. secundò quia Deus complacet sibi in bono actu, & displicet in malo, ergo si sine libertate actus voluntatis haberet intrinsecam bonitatem, aut malitiam: sicuti Deus displiceret sibi in actu malo, & complaceret in bono, si procederet à principio libero; ita posito quod procederet à principio necessario; hoc autem non est dicendum; ergo &c. 21

Respondent alij tertiò cum Arriaga *loc. cit. num.* 87. concessa maiore, & minore; negando consequentiam: actum videlicēt liberum habere intrinsecè aliquid, quod non habeat necessarius. Ad probationem verò in contrarium dicunt: posse formam aliquam constituere partialiter aliquem effectum formalem, qui de ipsa proprie prædicari non possit; quod patet tum ex odio, quod reddit quidem obiectum odio habitum, ipsum verò non odio habetur: tum ex Petro denominante Paulum sibi dextrum, licèt ipse nullo modo sit dexter sed potius Paulo sinister. tum denique ex visione, quæ constituit visum, licet ipsa non sit visa; ex his autem rectè deduci, quod licet libertas in actu primo in se nullo modo sit mala moraliter, potest tamen tanquam pars, & forma constituere actum malum; quare nulla est ratio cur libertas in actu secundò sit ipsi actui intrinseca.

Sed contra est: quia ex doctrina in antecedente posita rectè deducitur, quod sicuti odio habitum constituitur ex odio, & album ex albedine, & visum ex visione tanquam ex formis; sic actus malus in ratione mali constituatur ex libertate in actu primo item tanquam ex forma. sed hoc est impossibile; quia forma constitutiua mali est malitia, quæ positiuè displicet Deo, libertas autem in actu primo illi placet, eamque tamquam suum effectum agnoscit. ergo &c. 22

Negat Arriaga *num.* 87. sequelam: multæ enim, inquit, denominationes in concreto sunt, quæ non sumuntur ab vna ratione tanquam á forma, vt patet ex denominatione humani, quæ respicit humanitatem tanquam formam, & tamen humanitas non est quid simplex; sed ex anima rationali, & corpore constat. Non est igitur, cur actus malus respiciat solam libertatem in actu primo tanquam formam adæquatam malitiæ. Quod si ex eo quæras, ex quibus dicta forma tanquam ex partibus componatur? Respondet: eam componi ex tribus: nimirum ex libertate in actu primo; ex cognitione præcepti, & ex ipso actu voluntatis, qui postea sumptus in ratione subiecti denominatur malus. 23

Ve-

Digitized by Google

24 Verum contra hanc responsionem validum argumẽtum in hunc fere modum instauratur: Per Arriagam tres dictæ partes simul sumptæ constituunt malitiam; ergo æque displicent Deo ad eum planè modum, quo quia actus bonus, & gratia sanctificans constituunt obiectum diuinæ complacentiæ in ordine ad præmium vitæ æternæ: ideo quælibet pars est obiectum amoris specialis Dei. sed consequens est falsum; quia neque libertas in actu primo, neque cognitio præcepti displicet Deo, sed solus actus malus. ergo &c.

25 Tres responsiones auctor *subsect.* 3. huic argumento adhibet. Prima est eorum, qui dicunt, ideo Deo solum actum voluntatis malũ displicere, non verò reliqua, quia importatur à malitia in recto; cætera verò in obliquo. Hoc autem rectè impugnatur ex eo, quia rectũ & obliquum se tenent solum ex nostro modo cognoscendi; in re igitur omnes æquè sunt partes. ergo omnes æque displicere debẽt Deo.

26 Secunda verò est, Deo displicere quidem libertatem in actu primo, & cognitionem præcepti non secundum se, sed pro vt cum volitione mala coniunctę sunt. Verum neque hęc responsio procedit; liquidem in hac sententia non minus volitio furandi V. G. est mala, quia cum libertate in actu primo, & cum cognitione præcepti coniungitur, quàm libertas in actu primò, & cognitio præcepti, quia cum dicta volitione coexistunt; si enim volitio furandi non procederet à principio libero præceptum de non furando cognoscente, non esset mala. ergo sicuti Deo displicet actus, ita & reliquę partes malitiam componentes.

27 Tertiam responsionem, quam auctor *num.* 99. approbat, est, quod sicuti non obstante, quod malitia ex tribus illis constet, solus tamen actus voluntatis est malus; ita solus displicet Deo, eo quod id solum illi displicet, quod malum est; quemadmodum enim in reliquis effectus formalis resultans ex pluribus solum vni conuenit, vt odio habitum soli obiecto; album soli subiecto &c. ita & in casu nostro.

28 Sed contra hanc responsionem sic insurgo: quando dicitur quod solus paries est albus, sensus est quod solus paries est habens albedinem, idemque dicendum de cæteris effectibus formalibus. ergo quando dicitur quod solus actus est malus, sensus est, quod ipse solus est habens malitiam. Ex hoc autem, non rectè deduci ipsum solum displicere Deo in sententia aduersarij, suaderem ex eo: quia dupliciter potest concipi, quod aliquid Deo displiceat: primò, vt quod, tanquam subiectum affectum ratione formali, quę mouet ad displicentiam: secundò, vt quo, velut rationem formalem motiuam ad ipsum displicentię actũ eliciendum. Huc enim pertinet illud Aristotelis proloquium: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. si enim paries videtur vt quod propter albedinem, tanquam propter rationem formalem motiuam visionis, impossibile est quod non videatur vt quo ipsa albedo; & si filius Petri amatur á Paulo propter ipsũ Petrum tanquam propter motiuum amoris: repugnat, quod non ametur vt quo à Paulo ipse Petrus. Et sic de reliquis ex his autem rectè deducitur, quod licèt solus actus displiceat Deo vt quod, vt quo tamen displiceant ei partialiter omnes illę tres partes, quibus per Aduersarium malitia ipsa componitur. Quod sic euinco: nihil aliud in eius sententia realiter loquendo est malitia nisi illæ tres partes. sed Deo displicet malitia tanquam ratio formalis, qua mouetur ad displicentiam subiecti illa affecti. ergo ei displicebunt vt quo omnes illę tres partes partialiter. Maior huius argumenti est sententia ipsa Arriagę. Minor non videtur á catholico virò posse negari, quia Deo non displiceret actus positiuus, nisi malitia esset affectus, & quidem tanquam ratione formali, & motiuo displicentię. Consequentia sequitur euidenter.

29 Confirmatur id quod dicimus: quamuis corpus solum non sit humanitas, neque anima rationalis sola, sed vtraque vnita: si quis tamen amaret humanum suppositum propter humanitatem: impossibile esset quin amaret partialiter animam, corpus, & vnionem. Item, siquis odio haberet hominem propter deformitatem eius; hoc ipso quod eius deformitas consisteret in improportione partium, impossibile esset, quin odio haberet partialiter ipsas partes vnitas, etiam si illę secundam se considerate non includerent deformitatem. ergo á pari, si Deus odit actum propter malitiam, tanquam propter motiuum formale odij: implicat quod non odio habeat partialiter omnia, ex quibus malitia ipsa tanquam ex partibus componentibus resultat.

30 Instat Arriaga *num.* 100. sæpe requiruntur ex parte obiecti ad amorem, vel odium circumstantię, quę non terminant formaliter dictos actus. sed huiusmodi possunt esse libertas in actu primo, & cognitio legis respectu actus voluntatis, qui amatur, vel odio habetur à Deo. ergo &c. Maior probatur ex absentia obiecti, quę est necessaria conditio ad hoc vt obiectum desideretur, quam tamen constat non desiderari. Minor verò, & consequentia videntur certę.

Respondeo concessa maiore, negando minorem. ratio negationis est quia in sententia Aduersarij libertas in actu primo, & cognitio legis sunt partes componentes motiuum odij, quo Deus odio habet actum malum; absentia autem obiecti non se habet vt motiuum desiderij, vt de se patet, neque illud componit.

31 Vrgebis ex eodem *num.* 102. *Certè dici potest quod libertas in actu primo licèt in ordine ad rationem peccati sit pars, in ordine tamen ad odium Dei sit conditio.* ergo nulla solutio. Consequentia est euidens. Antecedens probatur exemplo approximationis, quæ dicitur sit conditio requisita ad causandum: si tamen compareatur cum hoc effectu formali (ipsum proximè causare) est pars, eo quod ita ablata, perit effectus formalis proximè parentis; ergo rectè dici potest, libertatem in actu primo esse quidem conditionem vt odium Dei ter-

mi-

Digitized by Google

minetur ad meum actum; sed esse partem intrinsecam mei actus vt potentis proxime terminare odium Dei. Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem concesso antecedente, quia non est nouum, quod aliqua qualitas in ordine ad vnum effectum sit conditio, in ordine veró ad alium sit pars formalis; sed nego Consequentiam, ita videlicèt rem posse se habere in casu nostro. disparitas lata est, quia ex eo quod approximatio sit pars huius effectus formalis: potens proxime causare, non sequitur, quod sit essentiale specificatiuum virtutis causatiuæ causæ. vnde non est cur non possit se habere vt meram conditionem respectu illius, quando actu causat: at verò ex eo quod libertas in actu primo est pars essentialis malitiæ, ineuitabiliter sequitur, quod sit partiale motiuum, & non conditio odij, quo Deus detestatur actum malum, quandoquidem huiusmodi odium essentialiter respicit tanquam formale motiuum ipsam malitiam, cuius libertas in actu primo pars esse confingitur.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur quædam obiecta in contrarium.

32 OBijcies primò eadem omissio potest transire de necessaria in liberam. ergo libertas in actu secundo non est intrinseca omissioni. ergo neque actui positiuo? Vtraque Consequentia patet. Antecedens probatur: quando quis nihil de Dei bonitate cogitat, omittit necessariò actum amoris Dei: accedente postea dictæ bonitatis cognitione, sicuti oportet ad eum amandum liberò: si non amat omittit liberé actum illum ergo eadem numero amoris omissio transit de necessaria ad liberam. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem concesso antecedente nego Consequentiam; & aio quod quemadmodum amor Dei necessarius, & liber differunt intrinsecè: ita & omissio necessaria, & libera dictorum actuum; siquidem carentia specificatur ab actu cuius est carentia. quare repugnat quod vnus actus differat essentialiter ab altero, & non differant sic eorum carentiæ. alia est igitur carentia amoris Dei, quando homo nihil de Deo cogitat, & alia quando illum cogitat amore dignum. Instabis: diuersitas carentiæ non sumitur ex causa efficiente, sed ex forma, & subiecto. ergo &c. Respondeo distinguendo antecedens, in ratione carentiæ vt sic, concedo: in ratione liberi, nego Antecedens, & Consequentiã. omissio enim in ratione liberi dicit diuersum influxum absiuum voluntatis, quam sumpta vt necessaria, quidquid in contrarium dicant Aduersarij apud Quiros *disput.* 100 *num.* 8.

33 Obijcies secundò: actus liber extrinsecè importat possibilitatem omissionis suæ. ergo & libertatem in actu secundo. Antecedens videtur certum, Consequentia probatur quia ideo actus est liber, quia ita est, vt simul sit possibilis eius omissio. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; cuius distinguo probationem: ideo actus est liber, si loquamur formaliter, quia &c. nego: sin autẽ loquamur præsuppositiuè, concedo antecedens, sed nego consequentiam. Dico enim actum esse liberum formaliter ex eo præcise, quia ex suis intrinsecis est connexus essentialiter cum principio effectiuo habente plenitudinem potestatis ad illum ponendum, & non ponendum; quia verò hæc potestatis plenitudo non potest haberi à principio effectiuo, nisi supponatur possibilitas carentiæ actus oppositi hinc fit vt actus præsuppositiuè est liber, quia eius carentia est possibilis.

Obijcies tertiò: quando quis Deum libere amat, potest alio amore reflexo efficaciter velle amorem illum. sed tunc dictus amor transit in necessarium formaliter. ergo libertas non est illi essentialis. Minor patet, quia tunc amor ille incipit esse imperatus ab amore reflexo. ergo non habet amplius libertatẽ formalem. Maior verò probatur, quia amor ille cum sua libertate potest efficaciter amari atque intendi; est enim obiectum amabile per amorem non solum inefficacem, sed etiam efficacem. Respondeo negando maiorem cum sua probatione; ratio negationis est, quia actus ille amoris saltem ratione actionis, per quam à suis principijs dependet, importat essentialiter libertatem in actu secundo quare implicat, quod mutetur in necessarium; Hoc idem tenentur dicere Aduersarij, si agimus de entitate illius amoris in sensu composito cum libertate in actu primo per quam in eorũ sententia constituitur in actu secundò liber; repugnat enim quod sic sumptus dictus amor de libero transeat in necessarium, & per consequens nequit efficaciter amari, atque intendi. 34

Obijcies quartò: potest actus malus ab obiecto bono odibilitatem accipere. ergo poterit etiam ab illo conflato ex voluntate, cognitione, & concursu indifferenti, quod bonum est, accipere libertatem. Consequentia patet. Antecedens probatur; quia actus malus ex eo quod sit contra Deum infinitum, infinitam odibilitatem acquirit. Respondeo distinguendo antecedens: potest actus ab obiecto bono odibilitatem radicaliter accipere, concedo; formaliter, nego antecedens, & consequentiam ad probationem antecedentis dico verè radicem infinitæ odibilitatis, quam habet actus peccaminosus non esse nisi infinitatem Dei offensi. cum hoc tamen stare ipsam infinitam odibilitatem formalem esse intrinsecam ipsimet actui. 35

Obijcies quintò: potest Deus complacere, vel displicere sibi in aliqua re in ordine ad dandum præmium, vel pœnam propter extrinsecam denominationem, quam habet illa res; ergo & in actu libero poterit Deus complacere, 36

cere, vel displicere sibi propter extrinsecam libertatem; Consequentia patet paritate. Antecedens verò probatur, tum quia opus bonum exercitum in gratia obtinet ab ea extrinsecum valorem, ratione cuius est obiectū specialis complacentiæ ad præmium conferentis; tum etiam quia peccator per denominationem extrinsecam à peccato præterito est obiectum specialis odij, illum ad pœnam deputantis.

Respondeo distinguendo antecedens; & si quidem res illa, quæ extrinsece aliam denominat siv intrinsecè bona, vel mala, concedo: sin minus, nego Antecedens, & Consequentiam. Explico distinctionem: ad hoc vt forma aliqua extrinseca sit ratio, propter quam Deo res aliqua placeat, vel displiceat, debet ipsa intrinsecè esse digna specialis amoris, aut odij Dei: quod si intrinsecè non est talis, implicat vt alteri rei amabilitatem aut odibilitatem communicare valeat. cum igitur libertas in actu primo non sit intrinsece moraliter mala, aut bona: nil mirum si non possit extrinsecè reddere actum bonum, aut malum. Ad probationem Antecedentis dicendum, per eam, distinctionem traditam confirmari: nam gratia ex suis intrinsecis habet, quod sit bona, ac obiectum complacentiæ diuinæ: peccatum verò præteritum etiam ex suis intrinsecis habet, quod sit malum, atque adeo diuinæ odibilitatis obiectum.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur reliqua obiectiones.

37 OBijcies sextò: actus liber libertate contrarietatis non differt intrinsecè ab actu libero libertate contradictionis; ergo neque actus liber libertate contradictionis differt intrinsecè ab actu necessario. libertas igitur nulli actui libero est intrinseca. Hæc posterior Consequentia patet, quia omnis libertas in actu secundo vel contrarietatis est, vel cōtradictionis, vt sæpe diximus; Prior verò Consequentia paritate suadetur. Antecedens verò probatur: idem est amor Dei liber, siue habeam paratum concursum ad odium Dei, siue non, quia amor non pendet á principijs actus sibi contrarij; vnde siue voluntas sit completa ad odium, siuè non; posito quod ita amat Deum, vt possit illum non amare, eodem actu amoris illum amabit.

Respondeo primò per retorsionem, inquirendo ab Aduersario, num libertas actus liberi libertate contrarietatis differat essentialiter á libertate actus liberi libertate contradictionis? quamuis enim vtraque in eius sententia sit extrinseca entitati actus, negari tamen nequit, quin quælibet habeat sua intrinseca prædicata ex quibus constat. non potest respondere eas non differre essentialiter; quia vna dicit tantum potentiam ad amorem ponendum, & non ponendum: altera non solum ad amorem, sed etiam ad odium; si igitur agnoscit differentiam essentialem inter vtramque libertatem: quid mirum si idem in nostra sententia dicamus, cum putemus libertatem intrinsecam actui dicere transcendentalem relationē ad libertatē in actu primo? Sed quidquid sit de hoc.

Respondet secundò directè ad difficultatem Hurtadus *sect. 6. cit. subsect. 1.* concesso antecedente: actum scilicèt liberum libertate contrarietatis non differre intrinsecé á libero libertate contradictionis; sed negat Consequentiam: actum videlicèt liberum libertate contradictionis non differre intrinsecé á necessario. Disparitatem assignat, quia potentiā esse completam ad odium nihil refert ad actū amoris, & ad eius omissionem; quando quidē principia influxiua ad actum vnius speciei nō concurrunt ad actum speciei contrariæ. vnde nil mirum si actus amoris liber libertate contrarietatis accidentaliter, & extrinsecè huiusmodi denominationem habeat; at verò cū de essentia actus liberi sit ita fieri, vt possit non fieri, & è contra: inde sequitur vt potentia completa ad actum liberum libertate contradictionis impotet essentialiter potentiam ad eius omissionem.

Duplex instantia contra traditam doctrinā fieri potest: Prior est; sæpè omissionem liberā per actum positiuum exerceri, cuius principia ad actum contrarium non magis conducunt, quam principia odij ad actum amoris. ergo vbique par ratio. Ad hanc instantiam respōdendo Hurtadus ingenuē fatetur in sententia negante dari posse puram omissionem, non posse sustineri libertatem in actu secundo esse intrinsecam actui; sed quia ipse puram omissionem tuetur: ideo contra se nullam ait habere argumentum. Verum quis est, qui ex hoc responso non aduertat in quas angustias hic auctor redactus sit ab Aduersarijs; prius enim illis concessit, libertatem contrarietatis non esse actui intrinsecam: nunc verò fatetur neque esse ei intrinsecam libertatem contradictionis, nisi ex suppositione sententiæ de pura omissione, quam multi probabiliter tanquam falsam reijciunt. 38

Posterior instantia est: hominem per libertatem contrarietatis plus aliquando mereri quam per libertatem contradictionis; actus enim amoris Dei est magis meritorius, quando homo tentatur ad odium ipsius Dei, quam quando nihil de eius odibilitate cogitat; sicuti igitur excessus ille libertatis prouenit actui amoris ab extrinseco: cur non etiam tota libertas? Ad hoc verò idem respondet, in eo solum casu actum amoris liberum libertate contrarietatis esse magis meritorium, in quo voluntas ita amat, vt expresse per alium actum neget se velle odio habere Deum; & sic falsum esse actum amoris liberum libertate contrarietatis esse liberiorem actu amoris libero libertate contradictionis. sed neque hoc responsum habet aliquid probabilitatis: nil enim repugnat hominem ita allici ad amorem Dei, vt simul grauiter tentetur ad odium illum habendum 39

&

Digitized by Google

Et nihilominus vnico actu amoris sè determinare, ita vt omissio odij non sit illi formaliter libera, sed solum consequenter. Sed huiusmodi actus vt potè difficilior actu amoris libero libertate contradictionis est magis meritorius, quam ille. Ergo, & liberior. Quare hac Hurtadi responsione ad principale argumentum posthabita.

Respondeo ego tertiò negando antecedens, puto enim non modo libertatem contradictionis, sed etiam contrarietatis esse actibus voluntatis intrinsecam. Ad probationem antecedentis nego assumptum, amorem videlicet Dei liberum, esse eundem numero siue voluntas habeat paratum concursum ad odium, siue non; &, ad eius confirmationem dico: amorem, qui libertate contrarietatis liber est, essentialiter in sua entitate à principijs odij dependere per dependentiam connexionis, non verò causalitatis. Porrò hanc dependentiam suaderem ex eo, quia amor, qui huiusmodi libertate gaudet, essentialiter pendet à libertate in actu primo importante prædominium, ad amandum, & odio habendum. Cum igitur constet huiusmodi libertatem principia odij essentialiter importare: rectè deducitur amorem liberum libertate contrarietatis essentialiter in sua entitate á principijs odij dependere per dependentiam connexionis. Consequentia huius enthymematis patet. Antecedens verò probo, quia libertas contrarietatis in actu primo non minus est formalissime vna, quam sit libertas contradictionis; sicuti igitur amor liber libertate contradictionis pendet à principijs suæ liberæ omissionis: ita & amor liber libertate contrarietatis à principijs odij. Atque ex his patet falsam esse sententiam Patris Quiros *disp.* 101. *n.* 2. docentis libertatem contrarietatis esse extrinsecam etiam actioni, ea ratione, nixus quod per accidens est amori, quod voluntas possit simul odium elicere.

40 Iam verò Hurtadus §. 54. & Arriaga *num.* 80. conueniunt in negando paritatem, quæ in vltimo antecedente à nobis assumitur. Disparitatem assignant in eo, quod potentia libera quatenus non est factiua, propriè non est potentia. Vnde ne quidem ratione nostra libertas contradictionis in actu primo duas potentias importat: sed vnicam præcisè, factiuam sine connexione cum effectu positiuo, respectu cuius est vere factiua. Contra verò potentia libera libertate contrarietatis siue sumatur in ordine ad vnum contrarium, siue inordine ad alterum, est verè factiua; atque adeo in rei veritate duplicem importat potentiam, & duo genera principiorum vnum: quod respiciat amorem V. G. alterum quod respiciat odium. Verum hanc disparitatem primò non fauere P. Quiros patet ex *disput. præcedenti* vbi negat puram omissionem. Deinde absolutè loquendo nullam esse probo ex eo, quia potest vna simplicissima potentia plures effectus inuicem contrarios respicere; & vt silentio præteream materiam primam, quæ per indiuisibilem potentiam recipit omnes formas: nec non etiam primam causam cuius omnipotentia, licet sit formalissime vna, ad omnia factibilia quantumuis inter sè contraria sè extendit. In medium adduco voluntatem liberam secundum sè spectatam, quæ est vna, & simplex formalitas; & tamen potest remotè actus amoris, & odij exercere. Cur igitur non poterit eamdem simplicitatem, & vnitatem retinendo, ad dictos actus proximè exercendos compleri. ita vt ab vnica ac indiuisibili applicatione omnipotentiæ Dei habitq per decretum indifferens indiuisibile, vtrumque actum contrarium æque respiciens, suum vltimum recipiat complementum.

Dices: Amor Dei elicitus sine cognitione motiui odij est liber libertate contradictionis. Sed accedente dicti motiui cognitione, & applicatione omnipotentiæ inordine ad odium euadit liber libertate cõtrarietatis. Ergo libertas contrarietatis est illi extrinseca. Respondeo negando minorem; Ratio negationis est, quia libertas contradictionis exercetur primò per sè, & immediatè circa actum, & eius omissionem: Contrarietatis verò circa actum, & eius contrarium; ita vt omissio actus contrarij non sit primo, & per sè libera per hanc libertatem, sed secundariò, & ratione alterius actus necessariò suum contrarium excludentis. Vnde impossibile est vt actus, qui essentialiter respicit priorem libertatem, incipiat postea posteriorem respicere. Casu igitur quo ille, qui Deum amat libere sine cognitione motiuorum odij, incipiat horum cognitionem de nouo habere, potest tripliciter sè habere: Primò conseruando eundem actum amoris, & nullum alium eliciendo; & in hoc casu hic actus non obstante cognitione motiui odij, libertatem contradictionis conseruabit quia, voluntas ex illa cognitione nihil mouebitur. Secundò destruendo priorem amorem, & alium producendo, qui voluntatem habentem prædominium ad vtrumque contrarium respiciat; & in tali casu amor de nouo productus erit liber libertate contrarietatis. Tertiò denique conseruando priorem, & alium de nouo eliciendo; & tunc amabit Deum liberè tum libertate contradictionis, tum contrarietatis. 41

Dices iterum: si datur duplex species libertatis modo dicto, malè igitur definita est libertas in communi, quod sit potentia, quæ positis omnibus ad operandum, possit operari, & non operari. Respondeo negando consequentiam, quia particula (non operari) in dicta definitione desumitur, quatenus vtroque modo liberum est homini actum positiuum omittere, nimirum exercendo circa omissionem libertatem, vel immediatam, vel mediatam. 42

Obijcies 7. ex Ouiedo *num.* 2. accidentale, & extrinsecum est actui amoris à principio indifferenti procedere; ergo libertas est illi extrinseca. Consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur: Indifferentia principij duplicem cognitionem importat: alteram inuitantẽ ad amorem: alteram retrahentem ab illo. Sed posteriorem cognitionem esse quid accidentale, & omninò extrinsecum actui amoris suadetur ex 43

Digitized by Google

eo, quia cognitio retrahens voluntatem ab amore est potius aliquo modo impedimentum, quam principium amoris; siquidem habet per sè proponere voluntati motiua inclinantia ad non amandum.

Confirmatur ex nu. 41. cognitio, quæ allexit efficaciter ad amorem, coniuncta cum cognitione retrahente ab illo, potest multo magis sè sola allicere efficaciter ad dictum amorem. Ergo idē actus, qui modo est liber, potest esse necessarius. Consequentia patet. Antecedens verò probatur: Cognitio retrahens intendit impedire ne cognitio opposita efficaciter voluntatem inclinet. Ergo si ea præsente cognitio oppositi allexit efficaciter ad amorem: multo magis ea absente id poterit.

44 Respondeo ad argumentum negando antecedens; ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem; & eius distinguo probationem: Cognitio retrahens voluntatem ab amore est potius impedimentum, quam principium amoris, sumpti in ratione amoris vt sit, concedo. Sumpti in ratione amoris liberi, nego; Et ad rationem incontrarium dico, quod licet cognitio, quæ repræsentat voluntati motiua inclinantia ad non amandum, sit impeditiua amoris, secundum quod qualitas est: maximè tamen conducit ad illum in ratione liberi, hoc est, pro vt pendet à principio indifferenti; quia de ratione huius principij est, ita amasse, vt possit non amare; & per consequens ita habere motiua inclinantia ad amandum, vt habeat etiā retrahentia ab illo.

45 Ad confirmationem! concedo cognitionem, quæ allicit efficaciter voluntatem ad amorem, præsente cognitione abeo retrahente, posse multo magis in absentia dictæ cognitionis allicere efficaciter eandem eodēdem. Addo tamen amorem illum, qui consequitur, essentialiter à præcedente, ratione actionis, per quam efficitur, distinguendum esse. Ratio est quia voluntas sine cognitione præponente sibi motiuum ab amore retrahens, non est completa ad amandum, atque adeo caret libertate in actu primo, à qua essentialiter pendet libertas in actu secundo. Ex hoc autem rectè deducitur amorem illum, quo voluntas prosequitur obiectum, absente cognitione retrahente, non solum numero, sed etiam specie differre ab eo, quem elicuit præsente dicta cognitione.

46 Obijcies 8. ex eodem nu. 8. supponamus me liberè in instanti præcedenti actum amoris elicuisse: & in hoc instanti eo liberè carere, permanentibus eisdem principijs, à quibus pendebat, quando primo fuit elicitus; ex nostra sententia sequitur Deum non potuisse huiusmodi actū in hoc instanti conseruare non producta alia cognitione de nouo, & inuariatis principijs creatis, à quibus antea dependebat; sed hoc videtur absurdum. ergo &c. Minor videtur certa. Nulla enim potest assignari contradictio in eo, quod Deus dictum actum sine noua cognitione, perseuerantibus ijsdem principijs, conseruet; imo absurdum videtur, quod substantia actus, quæ respectu volūtatis cum his principijs libera est nō sit etiā libera respectu Dei. Sequela vero probatur: quia dictus actus conseruatus, vel tunc esset liber, vel necessarius: non secūdū quia mutaret essentiā. neque primū quia Deus eatenus potest determinare conseruationem liberā nostrorum actuum, quatenus potest applicare cognitiones, & principia indifferentia, ex vi quorum per scientiam conditionatorum præuidet quod voluntas illos conseruabit. Ergo non potest Deus adhuc antecedenter facere, vt voluntas, quæ ex vi horum principiorum defacto suum actum non conseruat, ex vi eorundem illum defacto liberè conseruet.

Respondeo admissa suppositione, & concessa sequela, negando minorem; Ad probationem in contrarium aio: contradictionem sumendam esse ex his, quæ habet auctor probando sequelam suam; si enim meus actus liber eatenus 47
est in potestate Dei, quatenus in eius potestate est ponere, vel non ponere principia, quibus præuidet me illum eliciturum, vel non eliciturum esse; rectè deducitur quod si Deus conseruet illa tantum principia, cum quibus præuidet me illum minimè conseruaturum, & non ponat alia, cum quibus præuidet me conseruaturum, non poterit illum conseruare.

Ad id verò quod additur, absurdū videri, substātiā actus, quę respectu voluntatis cū his principijs libera est, non esse etiam liberam respectu Dei. Respondeo respectu quidem vtriusque eam liberam esse, at non eodem modo, siquidem Deo est libera tanquam effectus: voluntati verò creatæ tanquam actus proprius vitalis; Ex quo deducitur, quod sicuti si voluntas cum his tantum principijs non sit defacto positura actum suum secundum substantiam à parte rei: nequeat Deus illum ponere, saltem pro vt actione inuoluit: ita ex suppositione quod eadem volūtas cum alijs principijs sit quidem illam secundum substantiam positura: at non conseruatura vsque ad hoc instans; neque poterit Deus dictis principijs immutatis, & non addita alia cognitione de nouo illum vsque ad hoc instans conseruare.

Digitized by Google

DISPVTATIO TRIGESIMA OCTAVA

DE HABITIBVS.

1 NOmen habitus multiplicem habet significationem; hic verò sumitur à nobis pro vt est species quædam qualitatis proximè ordinata ad adiuuandam potétiam in operatione sua. Quare recte hoc loco postquam de potentijs, earumque operationibus disputauimus, sermonem de habitibus instituimus. Relictis igitur quæ ad eorum vnitatem, diuersitatem, & intensionem pertinent, vt potè alibi diligenter discussis; solum illorum naturam, causas, & effectus considerabimus; Illud in primis tanquam certissimum supponendo: habitū in communi rectè in Supernaturalem, & Naturalem diuidi; quamuis autē prioris cōsideratio ad Theologos spectet, non erit tamen abs re aliquid de eo breui perstringere. Sic enim planius ea, quæ ad naturalem pertinent intelligentur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit habitus supernaturalis.

2 DAri habitus supernaturales extra controuersiam est inter Catholicos, vt docent Theologi in illud Pauli *ad Corinth 13.* Nunc autem manent fides, spes, caritas; Tria hæc. In quo vero eorum essentia consistat in præsenti sectione disputamus.

Nostra vnica Conclusio. Habitus supernaturalis in communi recte describitur: Qualitas quædam per sè à Deo potentiæ ordinis naturalis infusa, ad eos actus eliciendos, qui viribus naturæ sine aliquo comprincipio superioris ordinis produci nequeunt.

3 Dicitur primo (qualitas) quia omne accidens reale absolutum inhærens potentiæ vitali in sua specie constitutæ, vt intellectui V.G. qualitas est, vt inductione patet. Huiusmodi autem esse habitum supernaturalem suadetur ex eo, quia ex vna parte adest, & abest præter potentiæ corruptionem, vt constat ex habitu fidei diuinæ, quem potest homo dum viuit acquirere, & deperdere, absque eo quod substantialiter varietur: ex alia verò ita habitualiter inhæret suo subiecto, vt non sit essentialiter illi affixus, sicuti est modus; gratis enim hoc de eo diceretur. Cū igitur constet non esse de prædicamento relationis: rectè deducitur illum esse accidens reale absolutum potentiæ vitali inhærens, & per consequens esse de genere qualitatis.

4 Dicitur secundo (per sè a Deo potentiæ ordinis naturalis infusa) quia ad huiusmodi qualitatem habendam non datur in subiecto, vt potè ordinis naturalis, vlla exigentia; sed liberaliter à Deo illi conceditur ad differentiam habitus naturalis, qui acquiritur per actus: Ex quo fit vt in ordine naturæ semper aliqua exigentia habeatur. Quare licet aliquando ex diuina liberalitate alicui sine vlla exigentia miraculosè infundatur; quia tamen id per accidens illi contingit, dicetur in tali casu per accidens infusus, & non per sè.

Dicitur denique tertiò, (ad eos actus eliciendos, qui viribus naturæ sine alio comprincipio superioris ordinis produci nequeunt) quibus verbis finis habituum supernaturalium declaratur. Pro quorum intelligentia supponendum, dari posse aliquos actus intellectus, & voluntatis ordinis supernaturalis, non solum quò ad modum, sed etiam quo ad substantiam, quatenus secundum sè spectati omnem virtutem operatiuam ordinis naturalis excedunt. Quo posito dicimus: essentiam habituum supernaturalium primò, & per sè ordinatam esse ad producendos huiusmodi actus, eleuando potentiam ordinis naturalis, eamque reddendo proportionatam, & aptam efficere dictos actus; vnde fit vt huiusmodi habitus ad eorum productionem sint simpliciter necessarij; non quasi verò non possint sine illis diuinitus produci; potest enim Deus supplere concursum habitus supernaturalis, eleuādo potentiam, vel immediate applicando suam omnipotentiam, vel mediatè per aliquod instrumentum creatum, vt sibi melius visum fuerit; sed quia actus supernaturales, vt connaturaliter fiant, ab habitibus supernaturalibus sibi proportionatis fieri exigunt. 5

Iam verò quod definitio habitus supernaturalis sic explicata rectè tradita sit, constat ex eo, quia eius essentiam manifestat, eamque à quocumque alio, quod non est habitus supernaturalis, sufficienter distinguit; ita vt omni, & soli habitui supernaturali conueniat. 6

Obijcies primò contra primam particulam: si habitus supernaturalis est qualitas naturali potentiæ inhærens: vel ita dat illi posse simpliciter actus supernaturales producere, vt etiam det posse producere eos facile, vel non. Neutrū dici potest. Ergo &c. Maior patet, Minor probatur; non potest dici primum: quia est contra experientiam; per hoc enim quod aliquis acquirat de nouo gratiam, & per consequens 7

omnes

Digitized by Google

omnes habitus per sè infusos, non experitur in sè ad eorum actus producendos maiorem facilitatem, quam prius: sicuti neque ad eorum reperditionē per peccatum maiorē difficultatē; neq; secundum, quia de prima notione habitus vt sic videtur esse, quod det facile posse; alioquin erit mera potentia, si solum daret posse simpliciter.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem. Dico enim de ratione habitus supernaturalis non esse dare facile posse, sed solum posse simpliciter. Quod non solum à posteriori, experientia colligitur, vti dictum est, sed etiam à priori; quatenus est natura sua ordinatus ad actus meritorios eliciendos, qui maximè radicantur in fide; quæ cum sit de sè obscura, exigit vt illi, qui habitibus supernaturalibus saltem primo donati sūt, sicuti & quādo primo eos deperdunt, id naturaliter ignorent; sed si per eos acquirerent facilitatem ad operandum, experientia ipsa id optimè scirent. ergo natura huiusmodi habituum exigit non dare facile posse. Ad rationem in cōtrarium dicendum: transeat quod vox (habitus) ex prima impositione habuit significare qualitatem dantem facile posse: nego tamen ad id significandum vsurpari à Theologis in casu nostro, sed solum ad exprimendam qualitatem dantem posse simpliciter; eam verò potius habitum quam potentiam nominarunt, eo quod assimilatur habitui in eo, quod potentiæ ordinis naturalis inhæret, eamque ad actus eliciendos adiuuat, sicuti habitus naturalis, licet diuerso modo.

8 Objicies secundò contra secūdam particulā: dantur habitus supernaturales acquisiti: ergo non omnes sunt per sè infusi. malè igitur habitus in communi definitur: Qualitas per sè à Deo infusa. Vtraque consequentia patet. Antecedens probatur, sic: ex frequenti repetitione actuum supernaturaliū vnius speciei V. G. charitatis experimur acquiri à nobis facilitatem ad alios similes actus. Porrò hanc facilitatem esse habitum supponitur ex dicendis; esse verò supernaturalem, & acquisitum probatur, quia ex vna parte procedit à principio supernaturali tanquam à causa immediata; ex alia verò per hoc differt habitus per sè infusus ab acquisito, quod acquisitus acquiritur per actus, & non infunditur immediatè à Deo.

Respondeo: antecedens huius argumenti cōmuniter negari; sed Petrus Hurtadus *disput. 16. de anima à §. 74.* in oppositam partem inclinauit; dari nimirum in nobis habitus supernaturales acquisitos per frequentatos actus supernaturales, qui essentialiter differant ab alijs per sè infusis à Deo: non tamen ausus est hoc absolutè tueri propter nouitatem, quam paruipendens Arriaga *disput. 9. de anim. sect. 1. num. 18.* docet ex suppositione quod dentur habitus naturales in voluntate, probabilissimum esse dari tales habitus supernaturales acquisitos, oblitus, vt opinor, definitionis quam *num. 1.* dictæ disputationis tradiderat, dum dixit: Est ergo habitus supernaturalis qualitas quædam per sè à Deo infusa animæ aut angelo eos eleuans ad efficiendos actus supernaturales: & explicationis singulorum verborum, quam ex professo subdiderat. Nā si dantur habitus supernaturales acquisiti, qui fieri potest, vt habitus supernaturalis in cōmuni rectè definiatur, quod sit qualitas per sè à Deo infusa? Verum quidquid sit de hac inconsequentia. Ego stò pro communi sententia huiusmodi habitus minimè agnoscenta. Ratio quæ me mouet sumitur ex Tridentino asserente nullum habitum supernaturalem in peccatore restare præter fidē, & spem. Sed si darentur habitus supernaturales acquisiti; hoc falsum esset: tū quia ratio, quæ mouet aduersarios ad eos astruēdos adhuc militaret, nimirum facilitas ad similes actus supernaturales (peccator enim eandem experitur facilitatem ad illos, quam quando erat in gratia; alias sè gratiam Dei amisisse experiretur) tum à priori, quia dicti habitus si darentur, non penderent à gratia, neque essent passiones illius, vt de sè patet; ergo non esset cur ad eius deperditionem deperdi deberent.

Ad hoc argumentum respondet *Arriaga num. 55.* Concilium agere solum de habitibus supernaturalibus per se infusis, nihil curando, de acquisitis vt potè in controuersia positis. Sed contra est: tum quia *vniuersale* proloquium est: Quod vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debere: tum etiam quia si darentur huiusmòdi habitus, essent rigorosè virtutes; atqui Concilium docet nullas in peccatore virtutes supernaturales remanere, præter fidem, & spem. Ergo expositio data est contra mentem Concilij. Propter hæc (opinior) aliam responsionem meditatus est auctor, quam tradit *num. 14* dicens hoc Argumento non impugnari in iusto non esse huiusmodi habitus, sed solum in peccatore, quod non est contra sè. Verum neque hæc responsio probabilis est; nam in tantum ipse contendit in iusto dictos habitus, in quantum iustus ex frequenti exercitio actuum supernaturalium experitur se acquirere facilitatem ad similes actus eiusdem speciei. Sed etiā post mortale peccatum eandē facilitatem experitur; ergo vel cōcedēdū est in peccatore restare dictos habitus, vel negandū in iusto reperiri.

Atque hæc ad ostendendam falsitatem antecedentis principalis argumenti: ad eius verò 10
probationem concedo ex frequenti repetitione actuum supernaturalium acquiri facilitatem, atque adeo habitum; sed dico cum Ripalda *tom. 1. de ente super n. 2. disp. 5.* eum esse naturalem, non vero supernaturalem; & ad rationem, quæ sumitur ex supernaturalitate actuum à quibus producitur, duplici via responderi potest: Vna est supponendo iuxta probabilem sententiam, quod quoties homo efficit aliquem actum supernaturalem, simul producat alium *similem* naturalem circa idem obiectum. Quo supposito dico: huiusmodi habitum, qui acquiritur non pendere immediatè ab actibus supernaturalibus, sed à naturalibus, qui indiuisibiliter illos comitantur & in ordine ad quos dant facilitatem. Neque contra hanc viam habet vim Arrigæ paritas *sub num. 19.* allata sic: tam potens est in genere supernaturali actus supernaturalis, quam naturalis in naturali; ergo si naturalis producit habitum naturalem, supernaturalis etiam produ-

cet

Digitized by Google

ducere ignem: ergo adamas adamante, quia tam potens &c: ita & illa. Neque enim in hac via dicere poteſt Aduerſarius, experientiam nos docere ab actibus ſupernaturalibus produci habitum, quia ſupponimus eum ab actu naturali, qui ſupernaturalem comitatur procedere. Ratio verò á priori huius diſparitatis eſſe poteſt, quia Deus vt auctor ſupernaturalis exigit reſeruare ſibi pro libitu ad actus ſupernaturales, quatenus tales, nos facilitare ſuis auxilijs actualibus gratiæ præuenientis, & comitantis; & ideo non exigunt actus ſupernaturales habere ſimilem vim, quam habent naturales, in ordine ad quos experientia conſtat Deum, vt auctorem naturæ, non exigere, vt á ſe facilitas ad eos eliciendos immediatè proueniat.

11 Poſterior via eſt: dictum habitum naturalem tum ab actibus naturalibus, tum á ſupernaturalibus immediatè produci poſſe; defacto autem produci ab illis, qui defacto eliciuntur ab homine. Ad rationem in contrarium dicendum, ſupernaturalitatem, quæ reperitur in actibus, non impedire huiuſmodi productionē; ſupernaturalitas enim, cæteris paribus, eſt naturalitate nobilior, & defacto actus fidei, ſpei & cæteri, quos exercemus relinquunt in nobis ſpecies ſui, quæ ſunt ordinis naturalis, vt patet ex eo, quia ſæpè dictorum actuum naturaliter recordamur.

12 Contra hanc doctrinam arguit primò. Arriaga *loc. cit.* quia ſi actus ſupernaturalis produceret habitum naturalem; ergo habitus naturalis facilitabit poſtea ad actum ſupernaturalem; ſed hoc videtur inconueniens. ergo &c.

13 Verum hæc ratio non habet vim; conceſſa enim maiore, nego minorem, & dico quod quemadmodum ſpecies nobiliores, & lucidiores ordinis naturalis, de rebus credendis reddunt actum ſupernaturalem fide diuinæ perfectionem: ita habitus naturales acquiſiti reddunt ſine vllo abſurdo actus ſupernaturales, ſecundum quod cum naturalibus conueniunt faciliores; quatenus ab habitu ſupernaturali per ſe infuſo eleuantur, ſicuti noſtra potentia naturalis.

14 Arguit ſecundò: per noſtram doctrinam præcludi viam ad oſtendendum actus ortos ab habitu ſupernaturali, eſſe ſupernaturales; ſicuti enim per nos actus ſupernaturalis producit habitum naturalem: cur habitus ſupernaturalis non produceret actum naturalem? ſed ideò hæc ratio prodiit, quia nos non venimus in cognitionem actuum ſupernaturalium ex cognitione habituum eiuſdem rationis, ſed ex cognitione finis ſupernaturalis, cui debent proportionari, vt ex ſuis intrinſecis ordinentur ad illum potius; ergo ex ſupernaturalitate actuum ſupernaturalitatem habituum cognoſcimus; non quasi verò actus ſupernaturales non poſſint habitus naturales producere; ſed quia qualitates, quæ dare nobis debent ſimpliciter poſſe ſupernaturaliter operari, de neceſſitate ſupernaturales eſſe debent. Ratio autem obquam habitus ſupernaturalis actum naturalem producere nequit, eſt, quia ex vna parte dictus habitus dat ſimpliciter poſſe ſupernaturaliter operari iuxta menſuram intenſionis, quam habet, quod nos non habemus ex nobis: contra verò habemus poſſe naturaliter; aliunde verò cum non det nobis facile poſſe ſupernaturaliter, multo minus habebit vim dandi poſſe facile naturaliter.

Arguit tertiò: ideo viſio beata eſt ſupernaturalis, quia principium illius, nempe lumen ſupernaturale eſt; ſed principium habitus acquiſiti eſt ſupernaturale. ergo & ipſe habitus ſupernaturalis erit. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: & ſiquidem præcisè, & formaliter intelligatur cauſalis illa, neganda eſt. ſin autem in ſubiecta materia, & materialiter conſtituenda; quia non valet formaliter hæc conſequentia. Cauſa immediata eſt ſupernaturalis. ergo, & effectus. Ad hoc igitur vt procedat, debet eſſe ſermo de effectu, qui ſolam cauſam ſupernaturalem, qua talis eſt, ad ſui productionem exigit, cuiuſmodi eſt quidem viſio beata, non verò habitus, qui per actus ſupernaturales acquiritur; hic enim æque benè ab actibus ordinis naturalis cauſaretur, ſi tales actus frequentarentur: contra verò beata viſio non poteſt niſi á ſupernaturali principio prouenire. 15

Contra hoc vltimum argues quartò: actus diuerſæ eſſentiæ non poſſunt vnum eundemq; habitum producere; ſed actus naturales, & ſupernaturales differunt eſſentialiter; ergo falſum eſt quod eundem habitum producere valeant. Minor, & Conſequentia patent; Maior probatur, quia actus producens habitum, ad id conatur, vt facilitatem ad actus ſuæ ſpeciei tanquam ſemen in nobis relinquat. 16

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: actus diuerſæ eſſentiæ, prouenientis ex parte obiecti, non poſſunt vnum, eundèmque habitum producere, concedo: actus diuerſæ eſſentiæ, cuius diuerſitas oritur ex diuerſitate principiorum efficientium, nego maiorem, & diſtinguo eodem modo minorem: actus naturalis, & ſupernaturalis differunt eſſentialiter, differentia orta ex parte principij effectiui, concedo; orta ex parti obiecti, nego minorem, & conſequentiam. Explico diſtinctionem, ſupponendo actum ſupernaturalem non diuerſificari á naturali ratione obiecti, ſed ratione principij, eo quod exigit procedere á principio effectiuo habente virtutem, omnem naturalem ordinem excedentem; Quo poſito aio, quod licet actus qui ſunt diuerſæ eſſentiæ, ratione obiecti, vel etiam modi tendendi non poſſint eundem habitum producere: poſſunt tamen ſi ſunt diuerſæ eſſentiæ ratione principiorum, á quibus fieri exigunt, quia hoc valde materialiter ſe habet ad illos; contra verò illud maximè formaliter; Per quæ patet reſponſio ad probationem maioris; quando enim aſſumitur, quod actus producens habitum, id præſtat vt relinquat in nobis facilitatem ad actus ſuæ ſpeciei, debet id intelligi de ſpecie, quæ deſumitur ab obiecto, non autem de ea, quæ ſumitur á principio. Ex quo deducitur habitum naturalem ſuè acquiratur per actus naturales

Digitized by Google

rales, siuè per supernaturales facilitare ad actus vtriusque rationis, non quatenus tales, sed quatenus respiciunt idem obiectum.

18 Obijcies denique tertiò contra tertiam definitionis particulam, in qua dicebamus: Habitum supernaturalem infundi à Deo nobis in hunc finem, vt actus ordinis supernaturalis elicere valeamus, sic: Actus supernaturales non influunt physice in habitus supernaturales, sed solum moraliter mouendo Deum ad eorũ augmentum. ergo neque habitus supernaturales influunt physicè in actus supernaturales, sed moraliter.

Respondeo: nonnullos negare antecedens, putant enim actus supernaturales V. G. religionis licèt solum moraliter ad augmentum gratiæ, & habituum aliarum virtutum supernaturalium influant, mouendo scilicèt Deum, vt in præmium obsequij, quod per ipsos præstatur, illos augeat in habitum tamen proprij religionis influere physicè sed communis Theologorum sententia est, eos non habere alium influxum in ordine ad quoscumque habitus, siue proprios, siuè alienos præter moralem quod ego verissimum existimo. Ratio, quæ me mouet, est hæc: Actus supernaturalis, vel influit solum physicè in proprium habitum, vel influit etiam in eum moraliter. neutrum dici potest; ergo solum moraliter in omnes influit. Maior videtur certa, & Consequentia patet, non enim actus religionis V.G. potest habere vim physice intendendi habitum patientiæ, obedientiæ, & reliquorum, quia non sunt proprij. Minor verò probatur: non potest dici primum, quod scilicet actus religionis physicè solum influat in proprium habitum; quia nequit assignari ratio, cur non æque moueat meritoriè Deum ad augendum proprium habitum, ac alienos; cum præsertim maiorem proportionem habeat cum hoc, quam cum illis; & nos scimus præmium, quo ad fieri potest debere proportionari suo merito. Neque potest dici secundum, quod scilicèt actus religionis tum physicè, tum moraliter influat ad augendum proprium habitum; quia inde sequeretur, quod habitus religionis euaderet intensior gratia sanctificante, & reliquis habitibus supernaturalibus; ponamus enim quod homo, prius quam actum religionis exerceat, habeat gratiam, reliquosque habitus intensos vt quatuor; per illum verò actum mereatur quintum gradum tum gratiæ, tum aliorum habituum, tum sic: Iste talis post actum illum habebit habitum religionis meritoriè intensum vt quinque; si igitur idem actus physicè adhuc dictum habitum intenderet, huiusmodi habitus euaderet proculdubio intensus vt sex, magis quam gratia. Hoc autem in Theologia absurdum putatur, & rectè; quia omnes habitus supernaturales morales radicantur in gratia, tanquam proprietates in essentia; vnde neque illam in intensione excedere, neque ab ea deficere debent. Quod si quis ad duplicē titulum in productione quinti gradus recurrit huiusmodi titulos sinè necessitate multiplicat. Ad argumentum igitur concesso antecedente, neganda est consequentia. Disparitas est, quia ex vna parte nos debemus habere physicam virtutem, per quam simpliciter possimus actus supernaturales producere, & quidem intrinsecam, vt illos connaturaliter elicere valeamus: sed nomine habitus supernaturalis venit hæc virtus; ergo non est mirum si habitus supernaturalis in actus influat physice; ex alia verò parte in nullo actu vitali habetur vis producta virtutis simpliciter necessariæ ad illũ eliciendum: habitus enim naturalis, qui per actus naturales producitur, & intenditur, supponit in nobis posse simpliciter in ordine ad dictos actus, & dat solum posse facile, vti dicemus. ergo recte negamus actibus supernaturalibus vim physicam respectu habitus supernaturalis; nullum enim indicium illius habemus.

SECTIO SECVNDA.

De essentia, & subiecto habitus naturalis.

NOmine habitus naturalis venit hic facilitas quædam stabilis, per exercitium nostrorum actuum in nobis producta, ad alios similes actus eliciendos; experientia enim constat nos difficultate magna aliquem actum prima vice exercere, eundem verò si pluries repetamus, paulatim facilem, imo & delectabilem nobis euadere. Ex quo deducitur dari in nobis huiusmodi habitus contra Aureolum in 1. *dist.* 17 *qu.* 1. *art.* 2. Ioan. Maiorem *in* 4. *dist.* 4 & nonnullos alios, omnem habitum acquisitum negantes. Quod breuiter á nobis suadetur ex eo, quia ex frequentatis actibus experimur acquiri qualitatem, cuius totum munus est facilitare ad actus similes potentiam aliqua præditam indifferentia, vti ex dicendis constabit; sed nomine habitus huiusmodi qualitatem intelligimus; ergo &c. quid autem sint, & in quo subiecto? in hac sectione agendum est. quo ad primum sit 19

Prima conclusio. habitus naturalis rectè definitur: qualitas quædam permanens producta ab actibus, difficilè mobilis, per se primò ordinata ad actus similes ijs, à quibus producta est facilè producédos dicitur primò (qualitas) non enim potest assignari quid aliud sit illa facilitas, quæ ex frequentatis actibus producitur in nobis. Quod si Aristoteles eam dicit esse relationem: loquitur vel de relatione transcendentali, vel secundum dici; verè enim habitus dicit essentialem ordinem ad actus, ad quos potentiam, quam *informat inclinat*; & relatiuè in ordine ad eorum obiecta explicatur, vt cum dicimus scientiam scibilis esse scientiam. 20

Dicitur secundò (permanens) ad differentiã 21
ipsorum actuum, qui cum actuales operationes potentiarum sint, videntur esse quasi in continuo fieri. Dicitur tertiò producta ab actibus vt distinguatur tum ab ipsis potentijs vitalibus, tum etiam ab habitibus supernaturalibus qui sunt simpliciter necessarij ad actus. dicitur

eur quartò difficile mobilis, vt retetur ea iusmodi qualitatem, vt denominationem habitus consequatur, debere esse in gradu intenso; alioquin si erit remissa, dispositio apellabitur. Dicitur denique quinto (per se primo ordinata ad similes actus), & ei vt distinguatur ab illis qualitatibus, quæ stabiliter primo, & per se disponunt subiectum in ordine ad esse, habitus enim, vt experientia constat, non videtur habere alium primarium finem, nisi dare potentiæ, in qua est, facilitatem ad similes actus eliciendos, à quibus productus est, ita vt repugnet potentiam illo præditam æqualem conatum ponere in operando ac sine illo, vt rectè Quiros in suo cursu *disp. 32 sect. 1.*

22 Assertio sic explicata probatur: quia tradita definitio rectè naturam habitus acquisiti explicat, eamque distinguit ab omni alia, quæ non est ipsa.

23 Quo ad secundum verò, quod quærebamus, supponendum, nos non agere hic de subiecto remoto habitus, sed de proximo, in quo nimirum habitus tanquam forma immediatè recipitur; hoc enim cognito, nullo negotio quodnam sit illud conijci potest; Loquendo verò de proximo: id in vniuersum notarem, illum videlicet esse potentiam elicitiuam actuum, ad quos producendos per se primò ipse habitus ordinatur; cum enim habitus habeat natura sua pro fine inclinare potentiam ad operandum: nullo alio meliori modo id præstare poterit, quam ipsam potentiam informando, cuius est inclinatio. Descendendo autem ad potentias in particulari capaces habitibus, sit.

24 Secunda conclusio: Ex potentijs operatiuis neque illæ, quæ operantur transeunter, neque illæ quæ operantur immanenter ex suis intrinsecis cum omnimoda determinatione ad vnum sunt capaces habitus; sed solum illæ, quæ operantur immanenter cum aliqua indeterminatione.

25 Tria membra habet Conclusio, Et probatur: quò ad singula; quò ad primum sic: ea potentia est capax habitus, cuius actus relinquit in ea habitum. sed actus potentiæ operatiuæ transeunter non relinquit in ea habitum. ergo huiusmodi potentia est incapax habitus. Maior patet, quia nullo alio modo acquiritur habitus naturalis à potentia, nisi per frequentatos actus, qui eam efficienter facilitant ad similes actus; Minor verò suadetur: actus potentiæ operatiuæ transeuntes non est in potentia à qua procedit. ergo nequit relinquere in ea habitum, quia non aliter actus relinquit habitum in potentia, quam existendo in illa:

26 Quò ad secundum verò, & tertium membrum eadem Conclusio probatur ex eo: quia natura illis solis potentijs dedit capacitatem ad habitus, quæ cum sint indifferentes ad actus varios, imò etiam aliquando ad repugnantes: non habent ex se totam determinationem, & propensionem ad illos; sed potentiæ quæ sunt operatiuæ immanenter cum omnimoda determinatione ad vnum, non sunt huiusmodi: sed benè illæ, quæ operantur immanenter cum aliqua indeterminatione. ergo priores non sunt capaces habitus, sed benè posteriores. Minor, & Consequentia videntur certæ. Maior verò probatur tum ex Aristotele 2. *Ethic. cap.* 1. vbi ait: Nihil eorum quæ sunt natura, aliter assuescit, vt lapis ferri sursum, aut agi deorsum: Tum etiam ratione; quia natura sicuti abhorret á superfluis: ita inclinat ad perfectum operandi modum, iuxta vniuscuiusque rei capacitatem; ergo illis solis potentiis dare debuit capacitatem ad habitus, quibus habitus non sunt superflui. Sed potentiis omnino determinatis ex suis intrinsecis, habitus essent superflui; quia iam habent ex se totam virtutem necessariam ad operandum singulos actus cum tota perfectione, quam exigunt; contrà verò potentiis ad varios actus indeterminatis, habitus sunt necessarij ad hoc, vt operentur singulos actus cum facilitate, & promptitudine, atque adeo cum tota perfectione; quam possunt naturaliter habere, ergo &c.

27 Tertia Conclusio: Sensus externi non sunt capaces habitus. A nemine negatur, vt ait Arriaga.

28 Ita probatur tum á posteriori; experimur enim per exercitium actuum illorum nullam nos acquirere facilitatem ad operandum: tum á priori, quia huiusmodi sensus nullam habent indifferentiam; positis enim omnibus prærequisitis sunt omnino necessitati ad operandum, & quidem vno modo, & non multiplici. ergo &c.

29 Quarta Conclusio: Voluntas humana est capax habituum. Est communis inter philosophos, tum naturales tum morales, qui habitus virtutum, & vitiorum in illa constituunt contra Lugo *disp. 3. de panit. num.* 24. Spinola *disp. 6. de anima sect. 3.* & fere nullos alios, quos sequitus Oviedus.

30 Probatur autè, quia humana voluntas (disputationè enim de Angelica, Theologis examinandâ relinquimus) est potentia formaliter libera. ergo non solum ex parte sua est indeterminata, & indifferens ad operandum & non operandum: ad operandum hoc, & oppositum, positis omnibus prærequisitis, sed etiam ex parte obiecti, quod cum aliqua ratione malitiæ, & bonitatis sibi semper proponitur. cum igitur ex huiusmodi indeterminatione, & indifferentia difficultatem habeat ad se determinandum potius

ad vnam partem, quam ad aliam: debuit esse capax habituum, quos per frequentatos actus aquirendo, & huiusmodi difficultatem superando, facilitatem, & inclinationem sibi acquireret. Confirmatur: voluntas humana est vniuersalis hominis appetitus, ergo debet habere inclinationem ad bonum honestum, quod competit homini vt rationalis est, & inclinationem ad bonum delectabile, quod competit illi vt animali: atqui hæc bona sæpe sunt inter se pugnantia. ergo & inclinationes; sed ex hac pugna oritur difficultas in operando. ergo ad eam superandam debet voluntas posse per suos actus acquirere habitum, beneficio cuius operetur minori conatu, seu actione imbecilliore, & inadæquatiore, ita vt possit ad alias operationes se simul diffundere. Neque enim ex hoc timendum, est eam secundum illum excessum inclinationis prouenientis ex habitu, ferri in incognitum; quatenus supponitur obiectum nõ proponi ab intellectu tanta bonitate, vt ad excessum illum mouere valeat. quamuis enim intellectus proponere debeat voluntati obiectum sub ratione boni, & mali: at non actum siue amoris siue odij, quem circa illud elicere debet; multo minus igitur modum, quo vtrumque faciat; sed maiorem, vel minorem inclinationem. voluntas aliunde habere potest, quam á propositione obiecti.

31 Quinta Cõclusio: dantur in intellectu habitus distincti à speciebus intelligibilibus est etiam communis, omnes enim antiqui Philosophi habitus scientiarum, tum speculatiuarum, tum practicarum ab humano intellectu acquiri posse docuerunt, quos sequuti sunt recentes cum Suario *disp. 44. metaph. sect. 2.* Quiros *in sua cursu disp. 93. num. 17.* Contrarium tamen defendunt Hurtadus *disput. 16. de anima sect. 2.* Arriaga *disput. 9. sect. 2* Ouiedus *contr. 16. punct. 2. §. 2.* Comptonus *disp. 28. sect. 2.* & alij, qui omnes docent in intellectu non dari habitus distinctos á speciebus intelligibilibus.

32 Probatur autem conclusio; quia licet intellectus non sit formaliter liber, atque adeo non habeat tantam indifferentiam, quantam habet voluntas: habet tamen sufficientem ad acquirendos habitus distinctos á speciebus; ergo est illorum capax. Consequentia patet. Antecedens probatur multipliciter; & primò quidem quia intellectus noster in exercendis actibus fidei, & opinionis, etiam post acquisitas species intentionales intensas, & elicitas apprehensiones obiectorum, quæ debet credere, & opinari, experitur difficultatem proueniẽtem ex sufficientis determinationis carentia; ergo in ordine ad hos actus est capax habitus, quo reddatur facilis ad dictam determinationem suscipiendam. Neque dicas cum Arriaga *num. 30.* & Ouiedo *num. 31.* sufficere intellectui ad huiusmodi actus exercendos imperium voluntatis, per quod determinetur, & ideo non requirere habitum ad dictam indifferentiam excludendam: Ne id dicas, inquam, quia licet voluntatis imperium, ad determinandum intellectum ad probabiliter assentiendum, vel dissentiendum determinatè, sufficiat: quia tamen intellectus rationali modo obedire debet voluntati, vtcum facilitate, & promptitudine id faciat, requirit habitum præsertim quando æquè, vel minus probabile apparet illi obiectum, cui consentire, vel dissentire debet. Quod autem in his casibus acquirat habitum: rationabile signum est, quod licet initio cum difficultate, & repugnantia captiuetur á voluntate ad aliquid determinate credendum, vel opinandum: si tamen postea identidem similes actus circa idem obiectum reperat; non solum facilitatem, & promptitudinem sentit, sed etiam difficultatem in eliciendis actibus contrarijs; & quidem multo maiorem, quã expertus fuerat ab initio, quando primis vicibus assensum fidei, & opinionis elicuit. Cum autem hæc omnia saluari nequeant, nisi dentur habitus intellectuales: rectè deducitur potentiam intellectiuam esse capacem illorum.

Idem antecedens probatur secundo loquendo de actibus artis, & prudentiæ; hi enim licet ab initio cum difficultate ab intellectu exerceantur: si tamen repetantur, facile, imo etiam delectabiliter, & absque multo conatu eliciuntur. Porrò hanc facilitatem non posse tribui solis speciebus constat ex artificum discipulis, qui licet species, & quidem intensas rerum artefactarum, necnon etiam artificij ex frequentatis actibus præceptorum suorum attentè inspectis acquisierint; adhuc tamen carent arte illa, quam addiscere cupiunt. 33

Probatur denique idem tertiò loquendo de actibus euidentibus scientiarum speculatiuarum; quia licet quando obiecti veritatem euidenter percipit intellectus, est vndequaque determinatus ad assentiendum, valde tamen, sibi relictus, in demonstranda huiusmodi veritate laborat; vnde indiget habitu tum scientiæ, tum etiam dialecticæ, vt sine multo labore rem per discursũ inferat, & de bonitate illationis absque expressa animaduersione, & recordatione regularum quæ traduntur in summulis, sit securus. 34

Sexta denique Conclusio: sensus interni, & appetitus sensitiuus in hominibus sunt capaces habitus. Ita Suar. *sect. 2. n. 14. & alij.* 35

Probatur autẽ facile cõclusio ex dictis de potẽtia intellectiua sic: vtraque potentia habet aliquã indeterminationẽ sufficientẽ ad capacitatẽ habitus inducendã. ergo &c. Antecedens probatur primo de appetitu: sic; in hac potẽtia diuersę inclinationes quodã 36

modo

modo contrariæ reperiuntur. Nã quatenus appetitus animalis est, inclinat ad delectabilia sẽsus: quatenus verò ab anima rationali emanat, eique tanquam instrumẽtum coniunctum á natura deputatus est, inclinat ad eius imperia capessenda, & ad delectabilia sensus appetenda, si, & quatenus sunt bona hominis. Sed hæc duplex inclinatio aliquam indeterminationem causat in ordine ad suos actus, ratione cuius ipse appetitus nõ est omninò ad eos exercendos determinatus. Ergo vt potius ad hos, quam ad illos actus facile, & delectabiliter inducatur, exigit habitum: præsertim si actus delectationibus sensibilibus aliqua ratione opponuntur; quia licet inclinatio appetitus ad huiusmodi actus non sit minor: obiecta tamen actuum oppositorum vt potè sensibus magis placentia vehementius illum mouent. Ex hoc autem non rectè deducitur in ordine ad huiusmodi actus non dari habitus in appetitu; quemadmodum enim experientia nos docet per frequentationem actuum mortificationis, fortitudinis &c. passiones nostras acquisitione habituum virtuosorum mansuefieri, & ad mediocritatem redigi: ita etiam experimur, per frequentationem actuum oppositorum easdem passiones vehementiores, & impotentiores in nobis reddi; atque adeo habitus vitiosos acquirere, quibus ita rationi resistunt, vt contra eius imperia validissimè reluctentur, atque repugnent. Sic probata primò sufficienti indeterminatione appetitus: facilè erit eam in sensibus internis ostendere; potentia enim apprehensiua, seu cogitatiua hominis aliqua ratione imperio rationis, subijcitur in suis cogitationibus, & apprehensionibus efformandis. Ergo vt facilè, & expeditè illi pareat, debet habere habitum, quem ex frequentatis actibus subiectionis acquirat, quemadmodum experientia docet, etiam ex frequentatis actibus inobedientiæ acquirere contrarium habitum, quo valdè ad eis resistendum confirmetur.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiecta contra doctrinam traditam.

37 OBijciet primo contra secundam Conclusionem, in qua docebamus potentiam operatiuam transeunter non esse capacem habitus: Potentia loco motiua hominis est transeuntet operatiua; sed hæc est capax habitus ex *Poncio disp. 5. num. 2.* ergo &c. Maior constat tum ex Aristotele docente Animal per vnam partem sui mouere aliam: Tum etiam quia difficultas procedit etiam de potentia, per quam homo mouet extrinseca corpora vt cytharam, organum &c. Minor vero probatur, quia per repetitos actus bene saltandi, bene pulsandi cytaram &c. experimur in pedibus, & digitis facilitatem quandam ad artificiosè saltandum, & pulsandum acquiri. Porrò hanc facilitatem esse distinctam ab habitu præceptiuo, cuius beneficio intellectus redditur promptus ad percipiendos artificiosos motus dictos, patet: tum quia experientia constat nos eam sentire in ipsis pedibus, & digitis, quos difficile initio mouebamus: tum etiam quia, qui diu in huiusmodi actibus sè exercuit sine vlla mentis attentione ad regulas artis, eos facile operatur. cum igitur habitus intellectualis præceptiuus sine actibus intellectus præcipientibus mouere non possit: sequitur quod dicta facilitas in potentia loco motiua reperiatur.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; & dico, quod sicuti potentia motiua localiter non recipit in sè motum, sed illum producit in membris: ita neque habitum. Quare licet videatur habere aliquam indifferentiam ad mouendum versus vnam partem, & versus aliam: quia tamen huiusmodi indifferentia est veluti passiua, quatenus non politicè, sicuti appetitus sensitiuus, sed dispositiuè imperijs voluntatis ad nutum obedit: ideo non est capax habitus; sed multo minus sunt capaces corporis partes, quæ motus illos artificiosè recipiunt: siquidem habitus cum sit facilitas, & promptitudo ad operandum; in principio elicitiuo operationis, & non in receptiuo esse postulat. Ad probationem minoris aliqui dicunt ex frequentatis actibus saltandi, & pulsandi cytharam produci in pedibus, & digitis qualitatem quandam occultam, à qualitatibus nobis notis contradistinctam, quæ sit essentialiter, & primario instituta à natura ad disponendas partes illas corporis, non quidem vt producant in sè motum, alioquin esset verè habitus, sed vt illum facilè recipere valeant. Verum hoc gratis, & sine vlla necessitate, & fundamento asseritur. Potius ergo, nè multiplicemus entia sine necessitate, respondendum est: facilitatem illam in mouendis artificiosè pedibus, & manibus prouenire, vel ex eo quod vsu deperdatur aut humor, aut qualitas aliqua facilem motum illorum membrorum impediens: vel ex eo quod acquiratur qualitas nobis nota pertinens vel ad modos quantitatis, vel ad primas, aut secundas qualitates, quæ reddat partes illas corporis faciliores ad motum; ad eum plenè modum quò videmus instrumenta artis insensibilia ipso vsu, & exercitio identidem fieri aptiora ad opus artificiosum propter deperditionem, vel acquisitionem alicuius similis qualitatis; partes enim corporis nimia exercitatione, dum inter sè confricantur, calefiunt, ac exsiccantur, & eorum nerui laxantur, & sic aptiores reddũtur ad motum artificialem recipiendum. Ad id denique quod vltimo loco dicebatur de his, qui sine vlla attentione mentis ad præcepta, artificiosè operantur, Respondendum esse falsum; quamuis enim propter magnam exercitationem in artificiosis actibus, attentio ad præcepta vix percipiatur ab illis, adest tamen licet imperceptibilis. Quod idem tenentur dicere aduersarij, etiam si admittant habitus artificiosos in potentia motiua, quia habitus eo modo operatur, quo acquiritur.

Digitized by Google

38 Obijcies secundo contra tertiam Conclusionem, in qua diximus sensus externos non esse capaces habitus: Experientia constat aliquando cum, qui prius vix, vel cum difficultate videbat, ex frequenti vsu potentiæ visuæ paulatim difficultatem illam amittendo, facilè, & benè videre; sed hæc potentia inter externos sensus computatur; ergo sensus externi sunt capaces habitus. Respondeo, negando consequentiam; ratio enim illius facilitatis, quam homo, qui infirmus est oculis, ex frequenti exercitatione potentiæ visuæ consequitur, est, quia per uisiones illas identidem repetitas nonnulli humores, qui potentiam habebant, digeruntur, non quod ipsa visio habeat per sè virtutem hanc, sed quia spiritus, qui ad eam eliciendam concurrunt, calidissimi cum sint, paulatim in dictos humores agendo, illos absumunt, & in vapores tenuissimos resoluunt. Ex quo fit vt organum visus eis exoneratus, ad suas operationes producendas sit rectè dispositus. Simile quid dicendum de potentijs vegetatiuis, in quibus certum est non dari habitus. Facilitas enim quam videntur acquirere, vel ex frequenti ciborum abstinentia, ad ieiunandum, vel ex frequenti comestione, ad ciborum copiam digerendam, & in substantiam aliti conuertendam, oritur in eis vel ex deperditione, vel ex acquisitione alicuius dispositionis corporeæ, vt in simili paulo ante diximus.

39 Obijcies tertiò contra quartam conclusionē, in qua dicebamus voluntatem humanam esse capacē habitus, sic: Si admittendi essent habitus in voluntate nostra, maximè propter facilitatem, quam ex frequentatis suis actibus experimur ad similes actus acquirere; sed potest rectè dici hanc facilitatem non prouenire ex habitu, sed ex intensiori cognitione experimentali per reiteratos actus acquisita, cuius beneficio maiorē bonitatem obiecti, & minorem difficultatem in eo adipiscendo cognoscamus. Ergo voluntas non est capax habitus.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; nam sicuti per reiteratos actus acquirimus intensiorem cognitionem bonitatis obiecti, per quam inclinamur ad illud amplectendū, ita & intensiorem cognitionem malitiæ, per quam ab amplexu illius retardamur; eo quod ad liberè operandum vtramque rationem cognoscamus necesse est. Ratione igitur cognitionis experimentalis intensioris non magis inclinatur voluntas post frequentatos actus, quam antea. Probo consequentiam, cognitio intensa vt acto de bonitate obiecti, dum est admixta cognitioni vt acto de eius malitia, non magis inclinat voluntatem ad amorem obiecti, quam cognitio intensa vt duo dē bonitate obiecti admixta cognitioni item vt duo de eiusdem malitia; sed per frequentatos actus eodem modo experimentalis cognitio vtriusque intenditur. Ergo illa maior facilitas ad amandum obiectū aliunde prouenit, quam ex intensiori cognitione experimentali per reiteratos actus acquisita. Deinde falsum esse quod inclinatio ex consuetudine acquisita, sit cognitio experimentalis maioris boni, & minoris incommodi, quod affert obiectum in quod inclinamur, hac alia ratione suaderi potest. Primò quantum ad bonum, nam experientia bonorum delectabilium sensui ostendit ea minus appetibilia esse, quam initio putabamus, vt rectè notauit Arriaga ex dicto D. Gregorij *Hom. 36. in Euangelia*, vbi sic: Corporales deliciæ cum non habentur, graue in sè desiderium accedunt; cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium, per satietatem vertunt. Ergo illa maior inclinatio non est cognitio maioris boni. Secundò quantum ad cognitionem minoris incommodi sic: sæpe ex reiteratis actibus circa delectabilia sensus maiora incommoda nobis obuenire experimur, quam initio putabamus: intemperans enim non putabat sè obediendo ventri pluribus morbis obnoxium reddi ex nimia repletione, & humorum redundantia prouenientibus; verum id procedente tempore experitur, & tamen non potest sè continere à crapula. Ergo falsum est huiusmodi inclinationem, quam acquisiuit, esse cognitionem experimentalem minoris incommodi. Quod si dicat aduersarius sè non loqui de incommodo, quasi per accidens sed de illo, quod est per sè connexum cū boni delectabilis assequtione. Contra etiam est, quia hoc incommodum non prouenit nisi ex ratione offensæ Dei, quam admittere debet, qui bonum illud delectabile eligit. Sed per frequentatos actus homo non experitur huiusmodi difficultatem, non esse in tali obiecto: supponimus enim eum, quoties operatur cognoscere, in illo opere rationem offensæ Dei. Ergo dicta inclinatio non consistit in cognitione minoris incommodi per sè connexi cum bono illo delectabili.

Hic pugnandum nobis esset contra Quiedum qui *contr. 16. puncto tertio* ad excludendum habitus à voluntate duplicem distinguit eius facilitatem *nu. 27.* Formalem, & Radicalem: Primam dicit consistere in cognitione experimentali inuitante voluntatem ad amorem *obiecti* magis, quam ad carentiam amoris, vel *ad odiū*: Secundam in speciebus experientia *acquisitis*, ex quibus oritur experimentalis *illa* cognitio magis inuitans ad amorem obiecti, & in negatione aliarum specierum experientia acquisitarum, à quibus oriatur cognitio magis retrahēs voluntatem ab amore eiusdem obiecti. Constat enim voluntatem nostram facilius ferri in illud obiectum, quod apparet magis *bonum*, & minus malum, siue demum maioritas *illa* sè teneat ex parte obiecti, siuè ex parte actus eandē bonitatem viuidiùs representantis: vnde concludit auctor præter duas dictas *facilitates non* acquiri aliam à voluntate per *repetionem* suorum actuum, atque adeo non *dari in* ea habitus, de quibus nobis sermo est *in* præsentia. 40

Verum non est cur in hac sententia confutanda, eiusque rationibus, quibus nititur dissoluendis, diutius immoremur. Duo enim in ea dicuntur; vnum, in quo auctoris intentio desudat: voluntatem scilicet facilius ferri, magisq; cæteris paribus inclinari in obiectum, quod cum maiori bonitate, & minori malitia post experientiam sibi representatur. Altera verò, habitum voluntatis non nisi in huiusmodi repre- 41

sen-

Digitized by Google

sentatione positum esse. Primum nos vtro cõcedimus. Secundum verò negamus; quia posuimus, præter facilitatem obiectiuam sè tenentẽ ex parte obiecti inclinantis voluntatem ad amorem, vel odium, dari posse in ipsa voluntate facilitatem formalem sè tenentem ex parte potentiæ, quæ est ipsa voluntas. Quod patet ex eo, quia parum, aut nihil iuuaret ad facilitandam ipsam potentiam obiectum esse de sè valde allicitiuum illius, si ipsa vt potè indifferens ex sè, ad illud amandum, & hodio habendum non haberet aliquam peculiarem propensionem, beneficio cuius eius allicientiam libenter admitteret; & sic difficultates, quæ initio passa est, & procedente tempore occurrunt in eius prosequutione superare valeret. Quoniam verò experientia constat voluntatem nostram circa obiectum quantumuis valde bonum de sè, hanc facilitatem per frequentatos actus adipisci; nec non etiam certum est, eam esse diuersã ab illa quam auctor in formalem, & radicalem distinxit, quandoquidem illa tota quanta est sè tenet ex parte obiecti, cuius vicariæ sunt species intelligibiles, & cognitio quæ est expressiua similitudo: hæc verò sè tenet ex parte ipsius potentiæ. Rectè deducitur voluntatem nostram esse capacem habituum, de quibus loquimur, cum præsertim videamus sanctissimos senes posse habere species experimentales intensissimas actuum peccaminosorum, quos fecerunt in iuuentute, & tamen in senectute carere habitibus malis, sicuti scimus esse beatos in gloria.

42 Obijcies quarto contra quintam Conclusionem, in qua dicebamus intellectum humanum esse capacem habitus: Difficultas quam habet intellectus in percipiendis obiectis oritur ex solis specierum imperfectione; ergo sufficit earum intensio ad illum in suis operationibus facilitandum. Frustra igitur ponitur capax habitus. Vtraque consequentia patet. Antecedens verò probatur, quia ad ea, quæ per sensus, & per species proprias percipit non experitur difficultatem; & quando dubitat, ideo est, quia non satis clarè species sibi proponunt obiectum; vnde est vt maneat indeterminatus. sed ex suppositione quod per imperium voluntatis, indifferentiam auferentis ab ipso, præstat assensum vni parti, species à tali assensu productæ inclinant ad secundò assentiendum eidem parti, & sic de reliquis; ergo &c.

Respondeo, negando antecedes; cum enim ex potentia, & obiecto generetur cognitio, & ex vtroque principio oriatur difficultas: specierum imperfectio non facit difficultatem, nisi illam, quæ procedit ex parte obiecti, ex parte cuius sè tenent species, & tanquam semen illius ad notitiam producendam concurrunt. Ad probationem antecedentis respondent Aliqui supponendo habitum duo præstare: vnum esse concurrere formaliter, inclinando potentiam ad actum: Alterum verò concurrere efficienter cum ipsa potentia, cuius est habitus, ita vt quo intensior est habitus, eo minorem conatũ exhibeat potentia ad efficiendum actum. Quo posito dicunt, quod licet intellectus ad ea, quæ per sensus, & proprias species percipit non experiatur difficultatem, quia satis per sè ipsum inclinat ad præstandum illis assensum, & sic non indigeat habitu, quatenus formaliter est inclinatiuus potentiæ; adiuuatur tamen ab illo in genere causæ efficientis, quatenus minorem adhibet conatum ad cognoscendum obiectum, à quo habitus specificatur. Verum hæc responsio non procedit. Ratio est quia intellectus in cognoscendis rebus euidentibus per proprias species est omino determinatus.

Quare hac responsione posthabita: dicendum intellectum non indigere habitu nisi inordine ad illa obiecta, quæ per alienas species discurrendo cognoscit; quia respectu illorũ habet indeterminationem, vnde licet difficultas quam experitur, ex ineuidentibus speciebus oriatur: non tamen hinc sequitur, eam non esse distinctam ab illa, quæ prouenit ex parte obiecti, vt patet ex assensu fundato, vel in auctoritate humana, vel in motiuo intrinseco, sed probabili, ad quem producendum licet intellectus species habeat intensissimas, sicuti non potest ab illis adæquatè determinari: ita neque facilitari ad capescenda voluntatis imperia, vt potius vni parti, quam alteri assentiatur. Vnde fit, vt cum paribus speciebus vnus intellectus assentiatur vni propositioni, alter verò dissentiatur, & sic contrarios habitus identidem acquirant; & postquam illos acquisiuerunt exercendo contrarios actus, quilibet ex eis priotẽ habitum in sè corrumpendo, acquirant contrarium. 43

Obijcies denique quintò contra sextam Cõclusionem, in qua dicebamus sensum internum, & appetitum sensitiuum in hominibus esse capaces habitus, sic: Sensus internus, & appetitus brutorum non sunt capaces habitus. Ergo neque hominum. Consequentia patet paritate: Antecedens verò probatur primò de appetitu: nam bruta nequeũt aliquid appetere, nisi repræsentetur determinatè à phantasia vt appetendũ. posita autem tali representatione cum omnimoda determinatione, illud appetunt. Contra verò illud cum omnimoda determinatione fugiunt, si vt fugiendum sibi proponatur. Secundò idem antecedens probatur de phantasia, seu cogitatiua, quia non minorem determinationẽ habet hæc potentia in brutis, quam appetitiuã; quod inde claret: nã si ponamus phantasiã bruti habere habitũ ad cognoscẽdũ obiectũ vt nociuũ, V. G. iactũ lapidis versus ipsum vt doloriferũ: si tamen species non representent illud cũ omnibus circumstantijs requisitis ad determinandam dictam potentiam, nullatenus determinari poterit: Contra vero adæquate determinabitur, licet careat habitu, dummodo species representent obiectum cum omnibus circumstantijs requisitis. 44

Respondeo: nonnullos quos citat, & sequitur Quiros disp. 93. sect. 16. negare antecedens; putant enim bruta, quæ memoria, & experiẽtia pollent, esse capacia habitus; quod probant ex eo, quia videmus ea ex repetitis actibus facilitatem ad similes actus acquirere, vt Equum ad currendum in gyrum, Canem ad erecto corpo-

Digitized by Google

re diu ſtandũ, Pſittacũ ad voces humanas reddẽdas &c. Hanc autem facilitatem non conſiſtere in alio, quam in habitu probant paritate ex facilitate, quam in noſtra apprehenſiua, & appetitiua potentia non niſi ab habitu dicimus prouenire. Verum hi non ſatis probabiliter diſcurrunt. Quare ſatius conceſſo antecedente, negarem ego conſequentiam cum communi. Diſparitas lata eſt, quia in homine huiuſmodi potentiæ non ſunt ita ſimpliciter determinatæ ad vnum, ſicuti in brutis; poſſunt enim ſequi rationis imperia, & ab illis vel reprimi vel excitari, & in iudicijs ferẽdis de ſẽſibilibus, eiſque fugiendis vel amplectendis aliqualiter regulari, pro vt melius viſum fuerit voluntati; quare vt promptius, & facilius dictis iuſſis obedirent, æquum fuit vt à natura formarentur capaces habitus, ita vt conſuetudine illos acquirerent. At in brutis nulla datur ratio cui phantaſia, & appetitus in ſuis operationibus ſubijciantur; & ideo non eſt mirum ſi dictæ potentiæ cum omnimoda determinatione ad vnum inſtitutæ fuerint à natura: atque adeo cum carentia capacitatis habitus. Ad experientiam autem, quæ incontrarium adducebatur, dicerem facilitatem illam, quam ex repetitis actibus nõnulla bruta experimur acquirere per ſubiectionem ad rationem humanam, refundendam totaliter eſſe. Primò in acquiſitionem, vel deperditionem aliquarum qualitatum ſiuè primarũ, ſiuè ſecundarum, quæ actus illos reddebant brutis difficiles, & in acquiſitionem aliarum item primarum ſiuè ſecundarum, quæ faciliant eorum membra ad illos actus; Secundò verò in ſpecies dictorum actuum, quæ ad eorum multiplicationem in intenſione crefcunt; quare poſtea nullo negotio excitari poſſunt, & phantaſmata perfectiora, & viuidiora efficere, quibus brutalis appetitus validius determinatus, validius etiam potẽtias exequutiuas illorum actuũ determinet; & hinc fiat, vt huiuſmodi potentiæ maiori promptitudine dictos actus naturaliter exequantur; ad eum planè modum quo lapis ſi intẽſiorem grauitatem habeat, velocius deorſum mouebitur.

SECTIO QVARTA:

Quo pacto habitus concurrat ad actus inclinando potentiam.

45 COnſtat habitum duo præſtare reſpectu actuum qui à potentia vt ab eo informata, procedunt: Primum eſt, inclinare ipſam potentiam ad illos eliciendos, & quidem antecedenter ad productionem illorum. Secundum, eam adiuuare vt facilius, & promptius illos de facto eliciat. De priori in præſenti ſectione diſputabimus, in ſequenti verò de poſteriori. Circa inclinationem igitur duplex eſt ſententia. Prior docet habitum inclinare potentiam in genere cauſæ efficientis, aliquid in ea efficiendo. Porro quidnam ſit hoc, quod efficiat, non omnes huius ſententiæ patroni inter ſè conueniunt. Quidam enim dicunt illud eſſe impulſum quendam de genere qualitatis non vitalis ſimilem virtuti impreſſæ, quam proijciens in proiecto producit, beneficio cuius habitus potentiam, cui inhæret ad operandum, impellat. Alij malunt illud eſſe de genere qualitatis vitalis, & conſiſtere in actu quodam complacentiæ vel appetitionis imperfectæ circa obiectum, quod reſpicitur ab habitu medio actu. Et hanc ſententiam ſic explicatam tenet Comptonus *diſput. 29 de anim. ſect. 10 & 11.* & alij.

Poſterior verò docet inclinationem hanc non fieri ab habitu in genere cauſæ efficientis, ſed formalis. Putant enim eius auctores habitum nulla alia ratione inclinare per sè potentiam, in qua eſt, antecedenter ad actum, niſi informãdo illam, atque adeo per ſuam meram entitatẽ, & non per aliquid à sè productum reddere illã propenſam, & inflexam ad actum. Verum in hoc etiam aliqua diuerſitas opinionum reperitur. Quidam enim ſuſtinent hanc propenſionem eſſe paſſiuam, quatenus diſponit primò, & per sè potentiam ad recipiendum actum. Alij verò actiuam, quatenus flectit primò, & per sè potentiam ad producendum ipſum actum. Et quidem hanc ſententiam hoc modo explicatam docet Hurtadus *diſp. 16. ſect. 7.* Arriaga *diſp. 9. ſect. 4. num. 58.* & plures alij recentiores, cum quibus ſit. 46

Noſtra Concluſio. Habitus inclinat potentiam ad actum ingenere cauſæ formalis, illam primò, & per se ad productionem actus inflectendo. 47

Duas continet partes: Concluſio; Et quidem quò ad poſteriorem videtur certa: tum ex definitione habitus ſuperius tradita: tum maxime ex eo, quia tota difficultas potentiæ, ad quam ſuperandam datur habitus, eſt in ordine ad producendos actus ſuos, non verò in ordine ad recipiendos illos. Poſito enim quod producantur, ſine vlla difficultate, recipiuntur in illa. Ergo ſiue habitus inclinet potentiam ad actum in genere cauſæ formalis, ſiue ingenere cauſæ efficientis, dicendum eſt quod inclinet illam primò, & per ſe ad producendum, & non ad recipiendum illum. 48 49

Prior verò Concluſionis pars, quod ſcilicet inclinet potentiam in genere cauſæ formalis, & non efficientis, probatur primò, quia ſi illam inclinaret in genere efficientis aliquam aliam formam ſiue vitalem, ſiue non vitalem in ea producendo: ſequeretur, quod potentia per hãc formam inclinari deberet in genere cauſæ formalis. Melius eſt ergo id concedere habitui: quia cum ponatur dictam formam efficere, virtualiter eius perfectionem aliqua ratione contineat neceſſe eſt. 49

Probatur etiam ſecundò omnis virtus inclinat in genere cauſæ formalis ſubiectum, cui connaturaliter debetur; Sed habitus eſt virtus potentiæ, cui inhæret, connaturaliter debita ex ſuppoſitione priorum actuum, vti ſuppoſuimus. Ergo inclinabit illam in genere cauſæ formalis, & non efficientis. Maior, quæ ſola probatione egot, ſuadetur ex eo, quia virtus ipſa cauſatiua per inclinationem ad effectum ſuum eſſentialiter conſtituitur, & quo maior eſt virtus, eo maiorem inclinationem importat, 50

ſed

Digitized by Google

ſed hæc inclinatio non poteſt eſſe ab illa diſtincta, alioquin daretur proceſſus in infinitum; nam per aliam inclinationem deberet eſſe virtus cauſatiua primæ, & per aliam ſecundæ in infinitum. ergo non eſt cur non reddat per ſe ipſam formaliter inclinatum ſubiectum, cui connaturaliter debetur; quando quidem omnis forma communicat ſuum effectum formalem ſubiecto ſibi proportionato, vt de ſe patet.

51 Probatur denique tertiò impugnando vtramque ſpeciem inclinationis prouenientis ab habitu in genere cauſæ efficientis à ſuis auctoribus aſſignatam: Hæc inclinatio ab habitu producta in potentia non poteſt eſſe de genere qualitatis non vitalis, neque de genere qualitatis vitalis. ergo eſt fictitia. Conſequentia patet, quia ſi datur, in prædicamento qualitatis, fatentibus Aduerſarijs, reponi debet. Antecedens verò ſuadetur quo ad vtramque partem; & quidem, quod non poſſit eſſe de genere qualitatis non vitalis claret; fieret enim per plura, quod æque benè fieri poteſt per pauciora, nam etiam ipſe habitus eſt de genere qualitatis non vitalis, atque adeò potens hoc modo per ſe ipſum formaliter inclinare potentiam. Quod verò neque poſſit eſſe de genere qualitatis vitalis probatur, quia ſic deberet eſſe actus quidam complacentiæ, & appetitionis circa obiectũ, quod medijs actibus reſpicitur ab habitu, vt vult Comptonus; ſed hoc dici nequit primò, quia hic actus magis procederet à potentia, quam ab habitu, vel ſaltem æquè ab vtroque; ergo malè tribueretur habitui tanquam proprius effectus inclinare potentiam; quemadmodum quando actus amoris V. G. vel odij tum à potentia tum ab habitu procedit, malè quis diceret eum eſſe effectum habitus, cuius beneficio voluntas reddatur amans, vel odio habens. Secundò, quia vel hic actus procederet liberè, vel neceſſariò, non primum, quia in ordine ad actũ liberum producendum datur inclinatio ipſum antecedens. Neque ſecundum, quia ſequeretur quod habitus virtutum in Chriſto Domino caruiſſet hoc effectu inclinandi voluntatem eius ad actus ſtudioſos, quod à nemine eõceditur. Probo ſequelam: nam Chriſtus Dominus habuit perfectiſſimam libertatem in ordine ad omnes ſuos actus voluntatis, nullum enim exercere potuit indeliberatè ratione inaduertentiæ, vel ſubreptionis, vel denique ignorantiæ; quia ex vna parte habuit ſapientiam infinitam, & ex alia paſſiones eius omnimodè imperijs voluntatis obtemperabant ad nutum, ita vt neque poterint inſurgere niſi inſſæ. Vndè fit vt caruerit Chriſtus Dominus actibus voluntatis, quos appellant Theologi primò primos, ſed omnes quos elicuit eius voluntas fuerunt perfectiſſime liberi. ſi igitur habitus inclinarent uoluntatem per actus complacentiæ indeliberatos, rectè colligitur uoluntatem Chriſti Domini non fuiſſe inclinatam inclinatione proueniente ab habitibus ad operandum.

52 Obijcies primò: ſi habitus in genere cauſæ formalis potentiam inclinaret: ſequeretur quod omnis forma inclinaret ſubiectum, in quo eſt, ad id, ad quod ipſa inclinat. ſed hoc eſt aperte falſum; nam calor inhærens aquæ non inclinat aquam ad calefaciendum. ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo ſequelam, Et ſiquidem illa forma eſt natura ſua inſtituta ad perficiendum, & complendum ſubiectum in ordine ad id, ad quod ipſa inclinat, concedo: ſin minus, nego ſequelam maioris; & ſic diſtincta minore, nego conſequentiam. Ad probationem minoris dico diſparitatem inter calorem, & habitum conſiſtere in eo, quod calor non eſt eſſentialiter ordinatus ad perficiendam uim effectiuam aquæ, & ad illam in operando adiuuandam; vndè nõ eſt mirum ſi per informationem non communicat illi ſuum effectum formalem, qui eſt inclinare eam ad calefaciendum: Contra verò habitus ex ſuis intrinſecis ordinatur ad perficiendam, & complendam potentiam in ordine ad actus, ad quos eſt inclinatio.

Obijcies ſecundò ex Comptono *ſect. 2. num.* 53
3. ſi habitus in genere cauſæ formalis voluntatem inclinaret: ſequeretur quod ſemper illam inclinaret, cum ſemper informet. ſed hoc eſt falſum; conſtat enim eum non inclinare voluntatem niſi certis temporibus &c. ergo &c.

Reſpondet Arriaga *num.* 59. quem ſequitur Quiros *diſput. cit. num.* 5. negando ſequelam; & ad eius probationem dicit, quod quamuis habitus ſemper informet voluntatem, non ſemper tamen inclinat illam ad amandum obiectũ, niſi præſente cognitione obiecti; cum enim ſit inclinatio ad amorem, qui pendet á cognitione, non poteſt actu inclinare, niſi cognitio tanquam conditio adſit. Sed contra eſt, quia cognitio non eſt conditio ad hoc vt habitus informet potentiam. ergo neque eſt conditio vt illam in genere cauſæ formalis inclinet. Antecedens eſt certum. Probo conſequentiam: habitum in genere cauſæ formalis inclinare potentiam, aliud nihil importat, quam, per ſuam entitatem eam informando, conferre illi virtutem facile, & delectabiliter ſuos actus exercendi. ſed ad hoc non requirit cognitionem, tanquam conditionem; ergo &c. Quod ſi requiris, ſignum eſt, eum in genere cauſæ efficientis, & non formalis inclinere potentiam; ſiquidem cognitio obiecti non eſt neceſſaria, niſi ad excitandam voluntatem, vt circa obiectum, ſibi ab ea propoſitum, afficiatur.

Quare hac reſponſione poſthabita, melius 54
reſpondendum puto conceſſa Sequela; negando minorem; hoc ipſo enim, quod habitus in genere cauſæ formalis potentiam inclinare valet, nihil aliud requirit ad eam actu inclinandam, præter informationem: & rectè id quidem; quemadmodum enim potentia, eo quod ſit virtus effectiua ſuorum actuum, per ſe ipſam naturaliter inclinat ad illos: ita habitus augendo per informationem eius vim, etiam inclinationem eius augebit. Ad probationem minoris, in qua aſſumitur experientia conſtare habitum non inclinare voluntatem niſi certis temporibus: negarem aſſumptum, inclinatio enim per ſe formaliter ab habitu tributa voluntati non diſtinguitur ab ipſo habitu in ea exiſtente; eo quod importat appetitum innatum, & non elicitum.

Verum

Verum tamen nunquam in se ipsa illam experimur; sed solum in effectu, quoties animaduertimus eos actus, quos prius difficulter, & ægrè exercebamus, ex assuetudine postea cum promptitudine, & delectatione producere; cum hoc tamen stat, quod qui habet aliquem habitum, quoties de eius obiecto debito modo cogitat, toties, regulanter loquendo, experitur in se inclinationem quandam, & propensionem ad illud etiam antecedenter ad actum: cui quidē inclinationi si resistat, difficultatem sentit, atque dolorem. Porrò hæc inclinatio consistit in actu quodam indeliberato complacentiæ, quem producit potentia ex recordatione delectationis, quam in exercendis suis actibus circa obiectum propositum antecedenter experta est, ad quem actum licèt habitus non concurrat, quia non habet pro obiecto actus præteritos: tamen dici potest ab illo aliqua ratione pendere, in quantum est magis, vel minus vehemens inclinatio pro maiori vel minori intensione habitus in potentia, à qua totaliter pendet, existentis. Cuius rei ratio illa est, quia intensior habitus per actus producitur intensiores, quorum recordatio plus moueat voluntatem ad complacentiam necesse est, quia maiorem delectationem illi attulerunt. Contra verò habitus remissior &c. Quod si contendas illam inclinationem tendere ad ipsum obiectum, non ideò erit ab habitu, vt modo dicam.

55 Instabis ex Arriaga *num.* 59. *& 60.* impulsus in manu productus, est qualitas natura sua manum inclinans ad motum, & licèt actu illū non producat, actu tamen manum inclinat. sed hoc non facit, nisi in genere causæ formalis. ergo licèt habitus inclinet potentiam in genere causæ formalis tantum, sentiri poterit à potentia eius inclinatio quandiù, habetur cognitio obiecti, & per consequens non est necesse recurrere ad actum complacentiæ dictum.

Respondeo negando minorem. impulsus enim ille non sentitur in manu, nisi ex eo quod, producat simul cum potentia sensationem sui in ipsa manu. quare non in genere causæ formalis, sed in genere efficientis manum inclinat ad motum. Ex hoc autem non rectè deduci complacentiam illam vitalem à voluntate simul, & ab habitu efficienter procedere suadetur ex eo, quia impulsus ille, siuè immediatè per se ipsū, siuè per species à se in manu causatas, est sensibilis. Vndè non est, cur ad actum illum sensationis vnà cum potentia sensitiua non concurrat: at verò habitus non habet pro motiuo, vti dicebam, delectationem, quam in præteritis actibus experta est voluntas, & sic non potest ad actum, cuius motiuum est huiusmodi delectatio, efficienter concurrere. Quod si hoc non probas, & velis experientia constare inclinationem illam immediatè tendere in obiectum: dic habitū ad eos tantum actus posse efficienter cōcurrere, qui sunt similes illis à quibus productus est; sed actus, à quibus productus est habitus in voluntate, fuerunt liberi, vt supponimus. ergo nequit concurrere habitus ad illam complacentiam, quam dicimus esse in nobis necessariam. Idem proportionaliter dicendum de alijs actibus complacentiæ appetitus sensitiui, & similium: nimirum habitus dictarum potentiarum non concurrere ad actum nullam in se habentem indifferentiam, quia aliàs frustraretur suo fine, ad quem est essentialiter ordinatus; sed illa complacentia, vtpotè omnino necessaria, nullam in se indifferentiam habet. ergo &c.

SECTIO QVINTA.

An, & quo modo habitus in genere causæ efficientis cōcurrat ad actum.

PRima: Conclusio: Habitus effectiuè concurrit ad actum, ad quem potentiam in genere causæ formalis inclinat. Est communis contra Aureolum, Durandum, & alios apud Suarez *sect.* 5. *num. tertio*, qui negant habitum efficere propriè, & per se actum, sed solum remotè in genere causæ formalis disponendo. 56

Probatur: quia experientia constat, habitū cōferre potentiæ vt facile, & sinè multo labore, ac defatigatione efficiat actum, ad quem inclinat; sed hoc non præstaret, nisi in genere efficientis ad illum concurreret; ergo &c. Probo minorem, quia tribus modis potest intelligi, quod aliqua qualitas inhærens potentiæ vitali, illam adiuuet ad operandum facilius: Primò auferendo ab ea impedimentum: Secundò eam in genere causæ materialis disponendo: Tertiò, denique augendo virtutem illius actiuam, & simul cum ea operando. Sed non potest dici, quod habitus adiuuet potentiam, cui inhæret primo modo, quia sepè nullum ad est positiuum impedimentum in potentia, quod per habitum auferri debeat; quamuis enim error V.G. actū sciētiæ impediat, potest tamen intellectus nullo errore depraua tus, habitum scientificum acquirendo, experiri facilitatem ad eius actus eliciendos. Neque potest dici, quod eam adiuuet secundo modo, quia potentia capax habitus non habet difficultatem ad recipiendum *actum*, vti supra dicebamus, sed ad illum *producendū*, & ex suppositione, quod illum produxit, se ipsa est apta, & idonea ipsum sine vlla dispositione recipere; ergo dicendum est, quod eam adiuuet tertio modo; hoc est virtutem eius actiuam augendo, & simul cum illa operando. 57

Verùm hoc videtur certum, illud potius est in controuersia: quid efficiat habitus in actu. Quidam enim dicunt efficere in eo quendam modum, non verò eius substantiam; quem quidem modum aliqui volunt in maiori actus intensione consistere; Alij verò in facilitate *illa* qua actus à sua potentia procedit. Contra verò Caietanus, Capreolus, Suarez, Ariaga, Comptonus, & alij communiter putant habitum cōcurrere cum potentia ad ipsam substantiā actus producendam. 58

Cum quibus est nostra Conclusio: Habitus simul cum potentia ad actum ipsum sumptum secundum substantiam suam efficienter concurrit. 59

Probatur primò: quia nisi ad eius substantiā concurreret, nihil esset, quod in illo efficienter causaret; nam intensio non distinguitur ab eius sub-

Digitized by Google

ſubſtantia, ſupponimus enim eam non fieri per maiorem radicationem, ſed per additionem gradus ad gradum, qui omnes ſint eiuſdē eſſentiæ. facilitas verò non eſt denominatio quædam intrinſeca actui, ſed extrinſeca, ſe tenens ex parte operantis; & ſignificat in eo eſſe tantum virtutis, vt expeditè, & ſine difficultate actum ſuum ponat à parte rei. idem dicendum de delectatione, qua exercetur; creſcit enim ex diuerſitate diſpoſitionis operantis, vt patet in ſimilibus. quare ſi habitus ſubſtantiam actus non cauſaret, nihil eſſet, quod in eo valeret efficere.

Probatur ſecundò quia niſi ſubſtantia actus 61
penderet ab habitu: tantum conatum ad illam producendam adhiberet potentia, quando caret habitu, ac quando eo prædita eſt. ſed hoc eſt contra experientiam; videmus enim quò intenſior eſt habitus in potentia: minorem conatum, & attentionem eam in producendis actibus ad quos inclinat habitus, adhibere. ergo &c. Maior, quæ ſola probatione eget, ſuadetur, quia tam defatigatur ferens totum pondus vt decem, quando aſſociatur alteri ferenti aliud pondus. V. G. vt vnum: ac ſi non aſſociaretur illi. ergo ſi habitus non concurreret adiuuando potentiam ad ſubſtantiam actus, ſed ſolum operando in eo modum tantum conatum adhiberet potentia ad producendum actum, quando caret habitu, ac quando illo prædita eſt. Confirmatur quia modus qui dicitur cauſari ab habitu, recipitur in actu. ergo iam ſupponit illum à potentia productum. ergo habitus nullo modo in eius productione ipſam potentiam faciliaret.

Obijcies primò: nihil facilius produci poteſt 62
quam quod producitur in inſtanti; ſed ſubſtantia actus producitur in inſtanti teſte Ariſtotele 10. *Ethicorum cap.* 4. ergo habitus non facilitat potentiam concurrendo ad ſubſtantiam actus. Reſpondeo negando maiorem, quemadmodum enim aliquid in eadem temporis menſura poteſt facilius, & difficilius produci (tractio enim lapidis V. G. cum eadem celeritate, & in eodem tempore per idem ſpatium facilius fit à duplici trahente, quam ab vno tantum) ita & actus ſecundum ſubſtantiam ſuam conſideratus, quamuis in inſtanti producatur, facilius producitur à potentia, vna cum habitu concurrente: quam ab illa tantum. Ratio huius eſt, quia maior, vel minor facilitas non conſiſtit in maiore, vel minore celeritate, ſed in maiore, vel minore difficultate, & applicatione potentiæ requiſita ad operandum.

Inſtabis velocitas eſt quidam modus intrin- 63
ſecus motui; ergo & facilitas eſt quidam modus intrinſecus actui. ergo rectè ſaluari poteſt hunc modum efficienter cauſari ab habitu, & non ſubſtantiam actus.

Reſpondeo: tranſeat antecedens, de quo 64
poteſt eſſe dubium. nego conſequentiam diſparitas eſt, quia ille motus dicitur velox reſpectu alterius, qui minori tempore tantundē ſpatij pertranſit; vnde velocitas, partium motus veluti conſtipationem, & condenſationem importat: raritas verò veluti dilatationem, & rarefactionem illarum; quare non eſt mirum ſi modum aliquem intrinſecum motui ſuperaddant: at verò facilitas rei in inſtanti productæ non eſt aſſignabile quid illi intrinſecè afferat. tota igitur ſe tenebit ex parte producentis; quemadmodum facilitas, quam in cauſando motum velocem, habet motor; licet ipſa velocitas ſit effectus illius ſe tenens ex parte motus 74

Obijcies ſecundò: ſi habitus efficeret actum 65
ſecundum ſubſtantiam, ſequeretur quod eſſet vera potentia reſpectu illius; ſed hoc eſt falſū nam potentia actus vitalis debet eſſe vitalis, habitus autē eſt qualitas demortua. ergo &c.

Reſpondeo negando ſequelam; ratio negationis eſt quia nomine potentiæ actus vitalis venit prima facultas ad vitaliter operandum, at verò habitus eſſentialiter ſupponit primam facultatem, quam perficiat & cui in operando ſubordinetur; & hinc fit vt potentia poſſit ſe ſola elicere actum, quem de facto elicit cum habitu; contra verò habitus nequeat ſe ſolo illum producere.

Obijcies tertiò: vel potentia habet ſufficien- 66
tem virtutem ad ſubſtantiam actus producendam, vel non; ſi primum, ergo ſuperfluè ponitur ad eam concurrere habitus: ſi ſecundū, ergo habitus eſt ſimpliciter ad eius productionem neceſſarius; vtrumque eſt abſurdum. ergo &c. Reſpondeo conceſſa maiore, eligendo primum membrum, & ad probationem eius in contrarium nego inde ſequi ſuperfluitatem habitus; cum enim præſtet potentiæ vt facilius, & promptius operetur, habet optimum finem intuitu cuius eius eſſentia inſtituta ſit à natura, & non ſit fruſtranea.

Obijcies quarto: ſi habitus ad ſubſtantiam 67
actus concurrit vna cum potentia, vel concurrit vt cauſa totalis, vel vt partialis; non primum, quia hoc naturaliter repugnat, neque ſecundum, quia vna cauſa partialis non eſt ſubordinata alteri partiali, vt patet ex duobus ignibus ad comburendam eandem ſtuppam applicatis.

Reſpondeo conceſſa maiore, negando mi- 68
norem quo ad ſecundam partem; & ad probationem in contrarium dico rationem cauſæ partialis non importare eſſentialiter exclusionem ſubordinationis vnius ab altera, ſed ſolum vt ita influat cum altera indiuiſibiliter in effectum, vt à neutra totaliter procedat effectus: atque adeò vt alterutra ſublata, quantum eſt ex vi illius influxus corrumpatur effectus. cum autem hoc habuerimus in eſſe noſtro: ideo dicimus potentiam, & habitum eſſe cauſas partiales actus ſecundum ſubſtantiam acceptas.

Obijcies quinto: habitus producuntur ab ac- 69
tibus ſecundum ſubſtantiam acceptis. ergo non poſſunt producere illos quantum ad ſubſtantiam. Conſequentia probatur, quia in cauſa æquinoctij non poteſt eſſe reciprocatio, in omni cauſa æquinocta ſemper eſt perfectior ſuo effe-

dus. Si igitur effectus posset causam suam in specie producere, esset perfectior, & imperfectior illa, quod repugnat. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod licet in causis æquinocis totalibus reciprocatio esse non possit: potest tamen in partialibus, & hoc quia causa æquinoca totalis, & non partialis maiorem perfectionem exigit, quam habeat effectus. In vero in casu nostro cum habitus una cum potentia concurrat ad actum, se habet vt causa partialis illius; vnde potest ab eo in perfectione superari, & sic respicere illum postea vt causam totalem sui.

67 Obijcies sextò: si habitus in substantiam actus influeret: sequeretur quod potentia quando esset habituata, posset actum intensiorem facere, quam quando careret habitu; sed hoc est absurdum. ergo &c. Sequela probatur, quia potentia esset adiuta ab habitu circa inferiores gradus. ergo non occuparet totam suam virtutem, quæ ad illos producendos necessaria esset; quare rectè posset eam, quæ remanet, velut expeditã, ad producendos superiores gradus postea applicare. Minor verò enunciatur,

74 quia sic habitus daret potentiæ in ordine ad illum gradum intensiorem simpliciter posse, siquidem potentia non posset actum in ea intensione producere, nisi informata haberet.

Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem, nego sequelam; tunc enim habitus daret potentiæ simpliciter posse, quando communicaret illi virtutem ad illum actum absolutè ponendum à parte rei; hoc autem non habetur in casu nostro, quia solum præstat vt potentia virtutem, quam habet ex se, & debebat occupare ad gradus remissos producendos, occuper ad intensionem; hoc autem non portigit ad simpliciter posse, sed ad melius.

68 Porrò huic responsioni quamquam videatur esse contrarius Suarez *sect. 6. num. 2.* dum ex professo probat habitus non conferre potentijs, in quibus insunt, vim ad efficiendos actus intensiores, quam per se possent ipsæ potentiæ: potius tamen illi fauet; nam hoc negat semper addendo particulam restrictiuam, animirum (per se loquendo) quod verissimum est, nam habitus non sunt de se propriæ facultates operandi, sed solum affectiones quædam illarum, & sic nequeunt per se augere vim necessariò requisitam ad effectum intensiorem; vnde concludit *num. 5.* hoc non obstante negandum non esse habitum indirectè posse vt potentia adiuta ab eo circa inferiores gradus, efficaciam suam ad intensiores operandum valeat applicare.

69 Verum autem ad gradum illum intensiorem concurrat etiam habitus potentia adiuta dependet ab præcedenti quæstione. Nam habitus concurrere valeat cum potentia ad actum intensiorem secum enim habitus immediatè productus, aut ab illo, cuius intensionem producere non potest potentia, nisi in remissioribus eius gradibus iungatur ab habitu. Et quidem Suarez *num. 7.* negatiuè respondet: tum quia habitus non habet proportionem cum illo gradu intensionis: tum etiam quia tantum potest concurrere ad actus similes illis à quibus productus fuit. Sed melius respondendum videtur cum Arriaga *num. 65.* affirmatiuè, non quidem propter rationes quas ibi adducit: quia scilicet illum gradum potentia non habituata efficere potest, & quia omnes gradus sunt homogenei; neutra enim habet vim in casu nostro, tum quia nos supponimus potentiam non nisi adiutam ab habitu circa inferiores gradus posse superiorem illum causare: tum etiam quia in nostra sententia, gradus habent heterogeneitatem ordinis. Ratio igitur quæ me mouet est, quia causa partialis quantumuis imperfectior effectu, ex consortio alterius partialis illo perfectioris, eleuatur ad influendum in illum effectum; vnde fit vt lumen vt octo V. G. secundum omnes sui gradus concurrat ad producendum lumen vt sex, licèt singuli gradus secundum se considerati sint dicto effectu imperfectiores; Per quod patet responsio ad rationes à Suarez adductas; Ad priorem enim dicendum, quod licet habitus in gradu remisso secundum se spectatus non habeat proportionem cum actu intensiore se: habet tamen coniunctus cum potentia expedita ad influendum in talem actum. Ad posteriorem verò dico ad similitudinem necessariam inter actus causantes habitum, & causatos ab habitu sufficere similitudinem in specie ex parte obiecti desumptam, hoc ipso quod haberetur virtus in potentia ad intensiores actus causandos.

SECTIO SEXTA.

De concursu actuum in habitum.

70 VLtimus sectionis præcedentis modus quomodo habitus concurrat ad actus, ad quos inclinat, videndum nunc quem concursum habeant in illum actus priores; ex quorum frequentatione generatus. Circa quod triplex potest esse opinio. Primus est Burid. in existimantis actus esse ipsam productionem, & effectionem habitus. Secunda est Durandi docentis actus esse solum dispositiones ad habitum; eum verò causare effectiuè à sola potentia, quam perficiant. Denique est Suarii *disp. 44. met. phys. sect. 2. num. 8.* actum videlicet esse causam habitus in genere efficientis, ita communem inter Theologos, & Philosophos, cum quibus est vnum habitum sine actibus

71 Nostra conclusio. Actus elicitus concurrit ad habitum, sive ingenerationem, sive in conservationem, sic inde ficientia secundum diuisa diuidua.

72 Probatur, quia ad habendum in habitum sunt necessarij actus, sed vnde tanquam productiones illius, hoc quum sint dispositiones ergo tanquam causa efficiens.

Digitized by Google

licèt sit contra Platonem existimantem habitus præsertim intellectus dicos nobis esse à natura: tamen est certa, apud omnes: vtpotè ex experientia ipsa comprobata, quæ docet non, nisi ex frequentatione actuum faciles, & prōptos non reddi ad similes producendos. Minor verò quo ad priorem partem contra Buridanū probatur primò quia alioquin habitus esset er minus intrinsecus actuū, per quos acquiritur, sicuti calor est terminus intrinsecus calefactionis, & sic neq; per absolutā Dei potentiā posset esse aut intelligi actus sine habitu, sicuti nequit calefactio sine calore, quod est apertè falsū. ergo &c. Secundò à pari quia aliæ operationes vitales, vt visio, auditio &c. non sunt merè actiones prædicamentales quibus acquiratur aliqua qualitas demortua, cuiusmodi est habitus. Ergo neque intellectiones, & volitiones sunt huiusmodi; & quidem multo minus, quia hæc sunt operationes vitales excellētiores aliis aliarum potentiarum.

73 Contra verò Durādum eadem minor quò ad posteriorem partem probatur: Quia tribus modis intelligi possunt actus esse meræ dispositiones necessariæ ad habitum à potentia producendum. Primò propter vnionem illius cum ipsa potentia; & hoc non, quia huiusmodi dispositio non solum est necessaria vt forma introducatur in subiecto, sed etiam vt in eo conseruetur, vt constat ex similibus dispositionibus; calor enim, & siccitas V G quæ sunt huius generis dispositiones ad formam ignis in materia introducendam, saltem in gradu remissiore sunt necessariæ quandiù forma ignis est vnita subiecto atqui transactis actibus in potētia remanet habitus. ergo &c. Secūdò quatenus sunt remouētes impedimētū; & hoc neq; quia etiā si nullum adsit impedimētū, habitus contrahitur in potentia, adhuc actus sunt necessarij ad conseruandum habitum. Vel denique quatenus sunt determinati vi potentiæ indifferentis ad producendum potius hunc habitum, quam alium. Sed neque hoc dici potest: tum quia frustra ponitur tanta virtus in potentia, cum conformius sit sanitati rerum creatarum asserere eam esse dispersam in actibus ipsis, qui pro diuersitate, quam habent inter sè, diuersam habeant virtutem in ordine ad proprios habitus producendos; tum etiam quia in omnibus effectibus non liberis dispositio determinans causam naturalem indifferentem, semper, aut requiritur ad vnionem formæ cum materia, aut ad remouendam dispositionē repugnantem, vt inductione constat. at qui neutrum habetur in casu nostro. ergo actus neque possunt esse dispositiones necessariæ ad habitus hoc tertio modo. relinquitur igitur quod sint necessarij vt causæ efficientes illorum.

74 Obijcies primo fundamentum Buridani: actio non efficit aliquid media alia actione, sed ipsa est effectio illius, quod fit; alioquin daretur actio ad actionem, & motus ad motum, quod est contra Arist. Sed actus vitales, de quibus loquimur, sunt actiones potentiarum. Ergo ipsi sunt effectiones, & productiones habituum. Respondeo adhoc, sæpè dictum esse, actionem esse duplicem Prædicamentalem, & Grammaticalem; loquendo de priore, veritatem habere maiorem, & de ea intelligendum esse Aristotelem, quando dixit ad actionem non dari actionem; at loquendo de posteriore falsam esse; & ratio est, quia actio grammaticalis licet vocetur actio, verè tamen est in prædicamento qualitatis, cui non repugnat de genere suo habere effectum media actione prædicamentali a sè dependentem; quoniam verò operatio vitalis est huiusmodi, ideo nequit esse effectio sui habitus, sed vera Causa illius.

Instabis ex Aristotele 9. *metaph. tex.* 21. habetur: per actionem immanentem nihil fieri, sed operatio vitalis licet sic actio grammaticalis est immanens, vt intellectio, volitio &c. Ergo non potest esse causa productiua habitus. 75 Respondeo Philosophum loqui de actione immanente, qua tali; quasi vero ipsa per sè, & necessario debeat esse productiua alicuius rei, quod verissimum est, vt patet ex visione, auditione &c. Quæ nihil de genere physico assignari potest, quod producant. Cæterum ipse non negat posse dari aliquas actiones immanentes, quæ ratione suæ speciei sint factiuæ habitus, quoties potentia à qua producuntur, est capax illius. Quod si hæc explicātio non placet, die: Aristotelem ibi negare actionibus immanentibus productionem effectus ad extra in alieno subiecto, non autem ad intra in eodem subiecto, in quo ipsæ sunt.

Obijcies secundo ex Durando: Aristoteles 7. *Physic. capit.* 3. docet ad habitum non posse 76 esse per sè motum, seù mutationem. Sed si actus efficeret habitum, hoc esset falsum; quia per motum, aut mutationem illius efficeret. ergo &c Respondeo; sinè dicatur habitus produci ab actu, siue à potentia per actum disposita æque vrgere locum Aristotelis. Sed quidquid sit de hoc; dico Philosophum ibi non negare ad productionem habitus esse per sè actionem, sed alterationem, quæ propriè sensibilem, ac successiuam mutationem importat; quod verissimum est, & non contra nos. Quod si loco citato pro ratione assignat, quod habitus sit ad aliquid; vel non loquitur in propria sententia, vt vult Scotus; vel agit de habitu prout relationem importat.

Obijcies Tertio: habitus est perfectior actu; 77 Ergo non potest fieri ab illo. Consequentia patet; quia effectus nequit esse perfectior sua causa. Antecedens verò probatur quia habitus est causa æquiuoca actus. Respondeo nonnullos hac ratione conuictos docuisse actum non sè solo, sed vna cum potentia influere efficienter in habitum. Constat enim ex dictis causam partialem posse esse imperfectiorem effectu. In hac autem sententia stat actum esse causam partialem habitus; totalem verò conflactum ex actu, & potentia, quod constat esse perfectius ipso actu. Probabilius tamen dicendū videtur oppositum; nimirum habitum pendere immediatè ab actu tanquam à causa adæquata; & ad rationē in contrarium neganda est maior:

Digitized by Google

habitum videlicet esse perfectiorem actu; & ad eius probationem afferenda est distinctio de causa totali, & partiali, ac dicendum habitum esse causam partialem actus, & ideo non necessario perfectiorem illo. Cur autem hoc dicamus de habitu respectu actus, non autem de actu respectu habitus, ratio est in promptu, quia nimirum, habitus est primò, & per sè ordinatus ad adiuuandam potentiam, vt sine multo conatu eliciat actus suos, at verò actus non est ad hoc essentialiter ordinatus, vt de sè patet.

78 Obijcies quartò: si actus efficit habitum, vel sufficit vnus actus ad illum efficiendum, vel non, sed necessario requiruntur multi: neutrum dici potest. ergo &c. Probo minorem. non vnus, quia qui semel vnum actum exercuit temperantiæ, non existimatur habere habitum temperantiæ, & rectè; vt enim docet Philosophus *lib. secundo, & hic cap.* 1. habitus non nisi ex frequentatis actibus acquiritur. Neque potest dici quod ad illum producendum requirantur multi, quia quando vnus illorum existit, cæteri non existunt; quare si plures essent necessarij ad existentiam habitus, nunquam habitus haberetur.

Respondeo non repugnare naturaliter vnũ actum sufficere ad productionem habitus, si nimirum ille actus sit valde intensus; cum enim æquiualeat pluribus remissis, imo sit potentior illis; si illi possunt habitum producere, non est, cur iste non possit. Quoniam verò regulariter potentia difficultate, & nouitate deterrita primum actum, siuè ad virtutem, siue ad vitium pertinentem remisse producit; ideo dico regulariter loquendo ad productionem habitus requiri plures actus, & in hoc sensu loquimur communiter, & loquutus est Philosophus loco citato. Ad rationem autem in contrarium recolendum est, quod Disputationis initio diximus: nomine scilicet habitus non venire qualitatem ordinatam ex suis intrinsecis ad facilitandam potentiam secundum suam essentiam consideratam, sed sumptam in gradu intenso, & excellenti, quæ si sit remissa, & languida, non habitus, sed dispositio appelletur. Hoc posito dico: quod licet verum sit, quod quando potentia elicit vnum actum circa aliquod obiectum, non eliciat alios similes circa idem obiectum, quia frustratoriè operaretur: at vt dicti actus producant habitum, sufficit vt separatim existant, quià sic quilibet ex eis relinquet in potentia partem intensiuam qualitatis ad sibi similes facilitantis. Vnde post pluralitatem actuum successiuè existentium qualitas illa euadet intensa, & sic nomen habitus consequetur. Tunc igitur ratio assignata concluderet, nihil scilicet conducere ad eius existẽtiam multiplicitatem illam successiuam actuũ, casu quò habitum in sua entitate indiuisibilem esse diceremus.

SECTIO SEPTIMA.

Intenditurne habitus solus per actus intensiores sè.

QVemadmodum in præcedenti sectione loquendo de concursu actus in habitum, non distinximus rigidè inter habitum, & dispositionem, sed absolutè loquti sumus de illa qualitate, ex quò incipit fieri, donec ad suam perfectionem deueniat: ita etiam in præsenti dum quærimus per quosnam actus intendatur habitus: supponimus autem habitum quidem, sicuti producitur per actus, ita & intendi, contra Salas 1. 2. *tract.* 10. *disput.* 4. *sect.* 1. probabilius existimantem habitus cognoscitiuos nõ suscipere intensionem; eo quod putat intellectum non apprehendere, nec iudicare magis, aut minus intensè, sed magis aut minus attentè, vel clarè obiectum, circa quod versatur. Verũ hic auctor falso nititur fundamento; negamus enim id ita esse: quod probamus, tum experiẽtia, quæ æquè militat pro habitibus cognoscitiuis, ac volitiuis: tum à priori, quia sicuti potentia intellectiua non solum potest suscipere facilitatem circa sua obiecta, sed maiorem, vel minorem: ita & habitus eius intensionem, ac remissionem habere iuxta mensuram suorum actuum. Dico (suorum) quia constat non per quoscumque actus intendi habitum; actus enim temperantiæ V. G. non sunt apti ad intendendum habitum Iustitiæ, neque cuiuscumque alterius virtutis, vel vitij, sed solius temperantiæ, & sic de reliquis. Verum quantæ intensionis esse debeant huiusmodi actus, vt proprium habitum intendere valeãt, hoc est quod in præsentia controuertimus; Et prima quidem sententia docet habitum posse intendi non solum per actus intensiores sè, sed etiam per æquè intensos, imo etiam per minus intensos, quam ipse sit. V G. si est intensus vt quatuor, *posse* peruenire ad intensionem vt quinque *per repetitos* actus intensos vt quatuor, *vel* etiam vt tria, & vt duo. Ita Scotus in 1. *dist.* 17. *qu.* 3. & alij. 79

Secunda vero sententia, quæ est D. T. 1. 2. *qu.* 52. *art.* 3. cum omnibus suis assecl is, docet habitum non intendi nisi per actus intensiores sè. 80

Tertia denique est Suarij distinguentis de intensione habitus. Et si quidem habitus intensior debeat facilitare ad actus intensiores ijs, à quibus productus est, affirmat habitum non intendi nisi per actus intensiores: sin autem habitus intensior debeat facilitare ad actus æque, vel minus intensos ijs, à quibus genitus est, docet habitum posse intẽdi etiam per actus æque, vel minus intensos. Prodeceſſione sit. 81

Prima Cõclusio Habitus intenditur per actus intensiores sè. Est communis. 82

Probatur autem; quia actus intensior habet omnia requisita ad intendendum habitum minus intensum. ergo non est cur non intendat illum. Antecedens suadetur ex eo, quia ex parte sui sicuti habet virtutem producendi habitum, ita & intendendi illum, ex suppositione 83

quod

Digitized by Google

quod sit intensus; & ex alio haber proportionem maioris inæqualitatis respectu illius; supponitur enim esse intensior illo. Ergo cum sit intime præsens subiecto dictæ intensionis capaci, habebit omnia requisita ad intendendum habitum.

84 Ad hoc argumentum responderi potest, negando antecedens, & dicendo, quod cum actus sit causa heterogenea habitus, non est necesse vt eius vis actiua tãta sit, quanta est eius intensio; quid enim prohibet quin dicamus actum intensum vt duo non posse producere nisi habitum intensum vt vnum; & actum intensum vt tria non nisi habitũ intensũ vt vnũ cũ dimidio? & sic deinceps sed hoc posito sequitur habitum nõ intẽdi per actus intensiores; quia admisso habitu intenso vt vnum, non potest actus intensus vt duo illum intendere, quamuis sit intensior illo. Ergo iam habitus non intenditur per actus intensiores sè quod est contra Conclusionem.

85 Sed contra hanc responsionem facit, quia ex hypotesi posita, quæ nullam continet absurditatem, nihil sequitur contra nostram Conclusionem. Siquidem ad eius veritatem non requiritur, vt habitus per omnes actus intensiores sè intẽdi possit, sed sufficit si intendatur per aliquos, contra quos suppositio illa non militat; & defacto huiusmodi habitus intensus vt vnum, licet non posset in casu posito intendi per actũ intensum vt duo: posset tamen per actum intensum vt tria, vt quatuor &c. & sic remanet verum quod habitus, per aliquos saltem actus intensiores sè intendi valeat. Cæterum quamuis verissimum sit nil certi quantum ad hoc, posse à nobis determinari; cum æque possibile sit, quod virtus effectiua habitus in actu crescat arithmetice secundum intensionem illius; & quod non, sed geometrice tantum, sicuti positus est casus; nihilominus tamen, vt præsens quæstio locum habeat supponendum est eã crescere arithmetice, hoc est quod tanta sit virtus in actu in ordine ad intendendum habitum, quanta est intensio ipsius; vt si actus est intensus vt quatuor, habeat virtutem intendendi habitũ vt quatuor; sin autem vt sex, virtutem intendendi illum vt sex; & sic deinceps. Nisi enim hoc supponamus, poterit etiam quis supponere: in actu intenso vt duò dari virtutem productiuam habitus intensi vt quatuor; quia sicuti non implicat virtus operativa æquiuoce in qualitate aliqua minor intensione graduali entitativa ipsius qualitatis: ita neque implicat maior. Quare inepte quæremus num intendatur habitus solum per actus intensiores sè, nisi supponamus virtutem in actibus intendendi habitum crescere adamussim secundum intensionem illorum; esto quod in entitate sua sint nobiliores ipso habitu. Scio Auersam in sua philosophia *q. 40. sect. 6.* docere quod non possit vna qualitas producere aliam supra suam intensionem, non solum vniuoca actione, de quo non est dubium, sed etiam æquiuoca; Alioquin, inquit actus in certa intẽsione sumptus deberet posse habitum in infinitum augere; eo quod hoc ipso quod non sisteret in termino suæ intensionis, nullus esset assignabilis terminus, in quo sistere deberet; Verum hæc ratio enervis est, & flacida; quæ enim implicantia in eo est, quod natura dederit qualitati alicui intensæ vt vnum, vim producendi qualitatem aliam ignobiliorem sè intensam vt duo? in hoc enim casu quamuis nos nesciremus terminum, in quo dicta vis sisteret, tamen in rei veritate daretur, vnde non posset argui processus in infinitum in virtute nisi ex suppositione, quod qualitas eam habens intendi in infinitum posset, in quo nulla est vmbra repugnantiæ. Verum quidquid sit de hoc iam conuenimus cũ Auersa vim effectiuam habitus in actu esse defacto æqualem illius intensioni entitatiuè. Quo posito sit.

Secunda Conclusio: Actus, qui non est intensior habitu, non potest intendere illum, siue sit remissior eo, siue æquè intensus. Hanc dicit Suarez *loco citato numer. 7.* esse sententiam D. Thomæ, cum quo omnes Thomistæ consentiunt. Contra Scotum pro prima sententia relatum. 86

Probatur autem: quia ad actionem requiritur necessariò inter agens, & passum proportio maioris inæqualitatis. Atqui hæc proportio non habetur inter actum, & habitum, nisi actus sit magis intensus, ac est habitus. Ergo actus qui non est intensior habitu, non potest intendere ipsum habitum. Maior continet axioma ab omnibus approbatum; & rectè; discurrẽdo enim per singula agentia tum æquiuoca, tum vniuoca, nisi virtus actiua præualeat, non sequitur effectus, vt patet in agente calido V. G. quod si non sit intensum ad minus vt sex non potest in passo vt quinque sextum gradum caloris producere. Minor verò est euidens; ex suppositione enim quod virtus effectiua in actu tanta sit, quanta est eius gradualis intensio, si actus est vel æque, vel minus intensus habitu, non habet cum illo proportionem maioris æqualitatis. 87

Tertia Conclusio. Suarij sententia distinguẽtis inter habitus, quorum alter concipiatur fieri intensior in ordine ad efficiendos actus intensiores ijs, à quibus productus est; alter verò intensior in ordine ad efficiendos actus æque vel minus intensos ijs, à quibus productus est; & in priori sensu existimantis non posse habitum intendi per actus, qui non sint intensiores: posse verò in posteriori. Hæc, inquam, Suarij sententia non est admittenda. 88

Probatur, quia tradita distinctio supponit dari posse duplicem intensionem in habitu vt sic: vnam in ordine ad efficiendos actus intensiores ipso habitu, per ordinem ad quos negat posse intendi per actus æque vel minus intensos ijs, à quibus productus est. Alteram in ordine ad efficiendos actus æque vel minus intensos, per ordinem ad quos concedit illum posse intendi per actus æquè vel minus intensos ijs, à quibus productus est. Sed hoc est aperte falsum, quoties enim habitus aliquis intenditur, semper in ordine ad efficiendos actus intensiores jis à quibus productos est, primo, & per se intenditur; Ergo &c. Præterea si controuersia inter Scotistas, & Thomistas esset, num habitus possit intendi ab actibus æque vel minus intensis, quam sint alij actus à quibus productus est; fortasse esset distinctio tra- 89

Digitized by Google

tradita, sed controuersia non est hæc: sed num habitus possit intendi ab actibus æquè vel minus intensis, quam sit ipse habitus, vt patet ex sententia Thomistarum Scotistis contraria, quam refert ipsemet Suarez *sect 10. cit. num. 7.* dicens Thomistas velle actum, qui non est intensior habitu, non intendere illum, siue sit remissior siuè æque intensus. Tum sic siuè habitus fiat intensior in ordine ad actus intensiores ijs, à quibus productus est, siuè fiat intensior in ordine ad actus æquè, vel minus intensos jis, à quibus productus est, dummodo fiat intensior per actus æquè, vel minus intensos, quam ipse sit quando est in termino à quo huius maioris intensionis, victoria stat pro Scotistis: contra verò pro Thomistis; ergo frustra ponitur tradita distinctio habitus. Confirmatur, nam etiam si ponamus actus non dare habitui quem producunt totam, intensionem quam habet in se; actus consequētes etiam si sint, æque intensi ac priores, si habitum intendunt sunt illo intensiores; ergo numquam habitus intenditur per actos æque vel minus intensos, quam ipse sit. Sed quæstio hoc modo instituitur; ergo &c.

90 Iam contra secundam Conclusionem vnum videtur posse obijci. Si actus æque, vel minus intensus, quam sit habitus, non intenderet habitum: sequeretur quod post elicitum actum certæ intensionis V.G. vt quinque, omnes alij actus sequentes, si non essent intensiores illo, nihil conferrent ad intensionem habitus augendā; Sed hoc est cōtra experientiā, vsu enim animaduertimus, quod per actus ōninò æquales, imo remissiores, reddimur promptiores ad similes actus exercendos. ergo &c. Sequela maioris probatur, quia primus actus iam dedit habitui totam intensionem, quam habebat in sè, nimirūm vt quinque; ergo si sequentes actus intensi pariter vt quinque, vel vt quatuor non darent habitui intensionem vt sex V.G. nihil conferrent ad eius intensionem augendam.

91 Respondet Suarez. *loco cit. num.* 11. negando sequelam; & ad eius probationem dicendo, non esse necesse vt primus actus intensus vt quinque det habitui intensionem sibi æqualem; poterit igitur relinquere locum consequentibus actibus æque intensis, vt aliquid in eo producant, donec reddant illum intensum vt quinque. Quod si instes: actus sequentes esse æquales in virtute primo: ergo si primus non potuit efficere in habitu intensionem vt quinque, neque sequentes poterunt. Respondeo, negando consequentiam: disparitatem dicit esse, quia non sunt cætera paria ex parte subiecti respectu extremorum comparationis; eo quod primus actus agit in subiectum nullo modo dispositum, & ideo non est mirum, si non producat in eo totum id quod potest. Contra vero actus sequentes producunt totum, quia inueniunt subiectum iā dispositum per habitum remissum.

92 Quod si instes: Potentiam passiuam, quoties est de se capax totius effectus, toties non indigere positiua dispositione; sed satis illi esse, si careat contrario; subiectum autem in casu nostro esse de se capax habitus intensi vt quinque, & supponi habitus contrarij habet-

priuationem, ergo &c. Respondet negando minorem. Dicit enim indifferentiam potentiæ, & inclinationem, quam habet ad alios actus, vel obiecta, satis resistere vt non possit primus actus statim à principio efficere in ea habitum intensum vt quinque, Ad eum planè modum, quò lapis est capax impetus vt feratur sursum, vel ad dexteram, vel sinistram: tamen quia per inclinationem ad centrum resistit; ideo agens non imprimit in eo impetum quantum potest, sed quantum prævalet.

Verum contra hanc responsionem facit primò incipiendo ab exemplo lapidis: tum quia non datur iste impetus, qui per modum virtutis impressæ sursum lapidem moueat, vti suo loco probauimus; tum etiam quia eo admisso, non habetur par ratio in casu nostro; nam potentia ita est indifferens ad plures actus, vt æquè inclinet ad omnes; Lapis vero non est indifferens ad plures motus; sed inclinat per grauitatem ad solum motum deorsum. Vnde non est mirum si per hanc inclinationem resistat proijcienti. 93

Contra etiam est secundò quia neque indifferentia potentiæ ad hunc, vel illum actum, neque eius inclinatio ad actum contrarium possunt positiuè resistere actui nè producat habitum, quam, intense potest: ergo &c. Antecedens suadetur tripliciter. Primò quidem à pari, quia materia prima etiam si sit de sè indifferens ad hanc, vel illam formam, & naturaliter inclinet ad formas contrarias, non resistit positiue agenti debitè sibi applicato, nè agat quantum possit, aliter agens naturale nunquam ageret posset in instanti; sed actus vt potè completus cum voluntate est debitè illi applicatus. ergo indifferentia voluntatis, & inclinatio ad actum contrarium non possunt facere, vt ea positiuè resistat actui in productione habitus. Secundò idem antecedens suadetur, quia indifferentia, & inclinatio potentiæ primò, & per se recipiunt actus, habitum autem non nisi mediante actu suo. Ergo si positiue resistunt, hoc nisi potentiæ effectiuæ actus immediatè resistunt non autem principio effectiuo habitus; scilicet vis productiua, quam habet potentia intensa vt sex V.G. si non haberet resistentiam, produceret immediatè quidem actum intensum vt sex, & hic habitum intensum item vt sex tamen ex suppositione quod habeat resistentiam producet actum intensum vt quinque, & hic habitum item intensum vt quinque. Consequentia patet, quia alias duplex daretur resistentia ratione indifferentiæ, & inclinationis in potentia vna immediatè retardans vim, quæ est productiua actus: altera immediatè retardans vim, quæ est productiua habitus. Antecedens verò probatur, tum quia præcisè per hoc quod potentia sit indifferens ad plures actus, & inclinata ad actum oppositum illi, quod in se producit, censetur capax habitus vt supra diximus. Tum etiam quia indifferentia, & inclinatio, quam habet potentia ad habitum est omnino naturalis, sicuti est illa quam habet paries V.G. ad lucem, & tenebras, quam positiue non resistere quantum est de sè agenti illuminanti patet

ex

ex eo, quia illuminatur ab illo in instanti quãtum potest. dixi (ex suppositione quod habeat resistentiã) quia indifferẽtia, & inclinatio potẽtiæ verè nõ resistit positiuè productioni actus, & sic neq; productioni habitus: Assumptũ probo, quia potentia ipsa est, quæ efficit actum; si igitur positiuè resisteret illius productioni, sibi ipsi hoc modo resisteret, seque in operando impliçaret, dum contrarietatẽ aduersus sè ipsã exerceret; vnde nõ esset à natura in suis prædicatis quiddatiuis rectè constituta. Quod si dicas resistere sibi mediante inclinatione elicita, & non innata. Cõtra est: tũ quia sic etiã positiuè resisteret per elicitam indifferentiã, quæ nulla est; & si esset, cohiberet potius resistẽtiã, quã causaret: tum etiam quia actus per modum causæ merè naturalis causat habitũ, & sic inclinatio elicita in oppositum, nequit eius actionem retardare.

95 Verùm admisso, vt dicebam, quod indifferentia, & inclinatio potẽtiæ ad actus oppositos resistunt vi productiuę eiusdem potentiæ in ordine ad productionem actus determinati. Quod non resistant vi productiua actus in ordine ad productionem habitus, confirmarem ex eo, quia dubium est inter doctores: an actus quantumcumque remissus possit in potentia producere aliquã particulam habitus, etiã si illam inueniat informatam habitu contrario valde intenso; & quamuis aliqui id negent paritate agentis frigidi V. G. valdè remissi, quod non potest in subiecto calido vt octo aliquid frigoris producere propter resistentiam, quam valde intensus calor illi facit: Sed probabilior est sententia affirmatiua, quam docet Salas, & alij, quia dicunt habitum quantumuis intensissimum solùm resistere potẽtiæ nè eliciat actus oppositos: supposito autem, quod potentia eius vim resistitiuam superauit, producendo actum licèt valdè remissum, nullam vim resistitiuam habere postea dictum habitum ad impediendum, nè actus illo remissus producat 96 habitum sibi in intensione æqualem, vt experiẽtia videtur docere. Sibi per hoc assignant disparitatem: quia vbi dicunt, resistentia calidi vt octo, non fuit per productionem alterius alterius qualitatis distinctæ à frigore superata; sicuti ponitur superata vis resistitiua habitus intensi per hoc, quod potentia elicuit in se ipsa actum oppositum. Hac doctrina posita, sic argumentarer: habitus valdè intensus non resistit positiuè actui remisso contrario in ordine ad productionem habitus sibi correspondentis. ergo multo minus resisteret potentia vel ratione suæ indifferentiæ, & inclinationis cuicumque actui. Consequentia videtur certa, quia maior oppositio inter duos habitus contrarios reperitur, quam inter habitum & indifferentiam, ac inclinationem potentiæ ad actum oppositum, sitamen inter hæc datur oppositio; ergo si illa non est causa, vt habitus intensus resistat actui remisso in productione habitus contrarij; multo minus hæc alia erit causa vt potentia resistat actui in productione eiusdem habitus, qui vel nullo modo, vel non ita contrariatur potentiæ, sicuti habitui contrario.

96 Tertiò denique suaderur idem Antecedẽs, quia si indifferentia, & inclinatio potentiæ resisterent virtuti actiuæ actus: vel formaliter, vel efficiẽter resisterent; sed neutrum dici potest; ergo &c. Et quidẽ, quod non resistant efficiẽter patet. Quod verò neque formaliter suadetur, quia resistentia formalis nõ minuitur ex præcisa positione formæ, in ordine ad quam est resistẽtia, vt patet ex resistentia formali, qua calidum vt sex resistit frigido vt octo V. G. nisi enim minuatur intẽsio caliditatis, non minuitur in illo resistentia; nam si ponamus agens intendisse in eo frigus vsque ad quintum gradum: tamen, si diuinitus absque caloris diminutione id factum est, tam resistet sexto gradui frigoris, quam si non haberet quinque præcedentes. Cum igitur indifferentia, & inclinatio potentiæ identificentur cum potẽtia, & sic semper remaneant: falsum esset, quod per introductionem noui, & noui gradus habitus faciam per consequentes actus minuerentur.

97 Hac igitur Suarij responsione ad obiectionem posthabita, Respondeo ego concedendo sequelam maioris: ex eo scilicet quod habitus, non nisi per actus intensiores se intenditur, sequi, quod post elicitum actum certæ intensionis V. G. vt quinque, omnes alij actus sequentes, si non essent intensiores dicto actu, nihil cõferrent ad augendum habitum; Nego tamen minorem, hoc videlicet esse contra experientiam; nulla enim experiẽtia docere potest per actus æquè, vel minus intensos, quam fuerit primus actus, nos reddi promptiores ad similes actus promptitudine se tenente ex parte habitus: tum quia non possumus æqualem intensionem duorum actuum certò cognoscere; sed si cognamur secundum actum æquè intensum, ac primum elicere, beneficio habitus per primum acquisiti semper illum intensiorẽ eliciemus: tum etiam, quia licèt possimus inæqualem, quando multum differunt, animaduertere; & licèt experiamur per sequentes actus minus, vel æquè intẽsos nos reddi promptiores ad similes actus; dicendum est tamen hanc promptitudinem non oriri ex maiori habitus intensione, sed ab alijs causis, videlicet ex meliori dispositione aliarum potentiarum, seù organorum, quæ simul cum potẽtia instructa habitu, de quo loquimur, operantur; nec non etiam ex memoria præteritæ constitutionis, & ex phantasia, quæ propositioni obiecti deseruiunt; hæc enim omnia multum iuuant ad inclinandam potentiam inclinatione se tenente ex parte obiecti; sicuti eorum carentia ad difficultandã illam, quantumuis ipsa haberet in se facilitatem ex habitu procedentem. Ex his omnibus deducitur, quod licèt primus actus produerat in potentia habitum tam intensum, quam ipse est; adhuc tamen potentia experiatur difficultatem in exercitio similium actuum: sed eaque paulatim per repetitionem aliorum, vel æquè, vel minus intensorum amittat. Simile quid tenentur dicere aduersarij, qui negant primum actum producere habitum secundum totam intensionem, quam habet in se; sed volunt per repetitionem similium actuum paulatim habitum illum ad huiusmodi intensionem peruenire. Sint enim ad hoc necessarij viginti actus æquè intensi V. G. adhuc habetur experientia, quod si exerceantur alij viginti, maiori sentia-

sentiatur facilitas ad consequentes. ergo sicuti huiusmodi facilitas maior nō potest refundi in maiorem intensionem habitus; sed in alias causas, ita, & illa, quam per actu consequentes primò experimur.

SECTIO OCTAVA.

De Corruptione Habitus.

98 EXperientia constat illos saltem habitus qui habent contrarium corrumpi posse; videmus enim multos, qui intensum habitum intemperantiæ acquisierant, viuendo postea temperatè ad longum tempus acquirere facilitatem ad actus temperantiæ, & difficultatem ad intemperantiam operandam.

99 Dubium tamen est circa causas corruptionis habituum. Quidam enim primò putant habitum corrumpi posse per meram cessationem actuum suorum: non quidem statim; constat enim per multos dies cessantibus actibus proprijs cōseruari; sed post aliquod tempus, ita tamen, vt post prædictum tempus non totus simul corrumpatur, sed paulatim, & successiué. Ita Gabriel, & Almainus. Alij secundò volunt habitum corrumpi per actus habitus oppositi, non quidem mediatè, & causaliter producendo habitum proprium, sed immediatè, & formaliter ita vt ipsi actus sine forma corruptiua illius. Ita Gregorius, & idem Almainus apud Quiedum *conclus. 14. de anima punctō sextō num. sexto.* Alij tertiò existimant habitum corrumpi per actus habitus oppositi mediatè tantum, & causaliter per hoc, quod producant habitum contrarium, qui se habet vt forma formaliter repugnans, & excludens dictum habitum, ita communiter doctores. Verùm aliqui eorum quartò asserunt, habitum in quauis minima intensione existat in potentia semper ad aduentum partis habitus contrarij debere, secundum aliquam sui partem corrumpi, & sic si in potentia sit habitus intemperantiæ intensus vt quatuor, & nil de habitu temperantiæ; ad aduentum primi gradus habitus temperantiæ destrui quartum intemperantiæ, & ad aduentum secundi tertium; ad aduentum tertij, secundum, & denique ad aduentum quarti primum, ita Salas *disput. 7. sect. 4.* Contra verò alij quinto docent habitus contrarios semper stare posse simul in gradus remissis: sicuti possunt calor, & frigus, & aliæ similes qualitates; & sic primum gradum habitus temperantiæ nunquam esse corruptiuum habitus intemperantiæ, nisi quatenus hic est intensus vt octo, tollendo ab illo octauum gradum, & cum eadem proportione reliquos. Denique huius sententiæ auctores in assignanda oppositione, qua habitus contrarij sumpti in gradu excellenti ab eodem subiecto sè mutuo expellunt, non omnino inter se conueniunt; nam aliqui Sextò putant tantam esse, vt ne potentia quidem absoluta possint simul conseruari in eodem subiecto: Contra verò alij septimò docent, quod licet non possint esse simul naturaliter, at miraculosè possunt V. G. sicuti calor vt octo, & frigus vt octo. His positis sit

100 Prima Conclusio: Habitus non corrumpuntur per meram cessationem actuum suorum. Est contra primam sententiam.

Probatur, quia videtur repugnare qualitas, quæ sit talis naturæ vt per aliquod temporis spatium non indigeat suo effectu, eo verò transacto incipiat indigere, ita vt post illud spatiū paulatim sine illo incipiat corrumpi; si enim potuit per multos dies conseruari sine dicto effectu: cur non poterit semper, posito quod cætera sint paria?

101 Neque dicas primò virtutem impressam esse huiusmodi, contra enim est; tum quia hæc non admittenda, vt est suo loco probauimus; tum etiam quia ea admissa, experientia docet quod non possit, nè quidem ad breue tempus, conseruari absque motu, qui se habet vt effectus illius. Constat enim proiectum, quantumuis velocissimè moueatur, si breuissimo tempore detineatur: cessare omnino ab illo motu. Neque iterum addas sonum per aliquod temporis spatiū durare inaere, & postea sinè contrario desinere esse. Contra hoc siquidem facit, quia aliud est asserere dari posse qualitatem, quæ non exigat nisi ad aliquod breue tempus durare: aliud verò pro vno tempore non indigere suo effectu, pro alio verò tempore interpolatè indigere illo. Primum nihil absurdi continere videtur, & huius generis dicimus esse sonum: At secundum videtur esse figmentum ad libitū confictum. Et huius generis ponitur esse ab aduersarijs habitus. Dicunt enim, eum posse cōseruari sinè omni actu per aliquos dies V. G. per mensem, quo transacto, nisi per sequentes dies aliqui actus identidem producantur, paulatim fore corrumpendum.

102 Secunda Conclusio habitus corrumpitur per actus habitus oppositi non quidem immediatè, & formaliter, sed mediatè, & causaliter. ita auctores tertiæ sententiæ.

103 Tria dicit Conclusio. Probatur autē, quo ad singula; Et primò quidem quod habitus per actus oppositos illis, ad quos inclinat *corrumpatur* videtur certum, non solum ex Aristotele *secundo Ethic. cap. primo, & secundo*; sed etiam experientia; quotidie enim videmus, eos qui facilitatem ex frequentatis actibus acquisierunt ad benè loquendum V. G. vel ad rectè characteres afformandos, vel ad iustitiam colendam &c. Si diù postea se in contrarijs actibus exerceant, difficultatem illam experiri ad rectè operandum, quam experti fuerunt ab initio, quando actus illos laudabiles exercere ceperunt. ergo non est cur negemus habitum per exercitium contrariorum actuū corrumpi posse. Quod verò non corrumpatur ab illis immediatè, & formaliter probatur etiam; quia cum habitus se habeat vt potentia, non potest formaliter opponi actui, sed habitui contrario; sicuti actui non nisi actus contrarius tanquam forma repugnat. Ex hoc autē sequitur id, quod tertio loco dicebamus; habitum scilicet per actus oppositos mediatè, & effectiuè *corrumpi*; si enim per eos corrumpitur; & non formaliter; & immediatè; non nisi mediatè in genere 83 causæ efficientis corrumpatur necesse est; Ad

cum

Digitized by Google

eum planè modum, quo calor qui est in igne, effectiuè, & mediatè corrumpit frigus, quod est in aqua, producendo nimirum in ipsa calorem, qui formaliter est expulsiuus frigoris; sic actus iustitiæ V. G. frequentati ab eo, qui habitum iniustitiæ acquisierat, corrumpunt dictum habitum, producendo in voluntate habitum virtutis oppositæ, qui vitiosum illum habitū formaliter expellit.

204 Tertia Conclusio habitus contrarij semper stare simul possunt in eadem potentia in gradibus remissis: atque adeò, posito quod in voluntate V.G. sit tantum habitus iustitiæ vt quatuor, si homo incipiat actus iniustitiæ exercere: habitus iniustitiæ, qui ab ijs efficitur, vsque dum perueniat ad quartum gradum inclusiuè nihil de habitu iustitiæ corrumpet, ita auctores quintæ sententiæ contra quartam.

205 Probatur autem quia si idem homo habuisset habitum iustitiæ intensum vt octo, & postea se exercuisset in actibus iniustitiæ per quos produxisset in se habitum iniustitiæ intensum vt quatuor: hi quatuor gradus tantum corrupissent formaliter totidem gradus habitus contrarij, facientes intensionem supra quartum; & sic starent simul cum quatuor prioribus iustitiæ; non est igitur cur debeant illos corrumpere casu quo inueniant potentiã illis tantummodo informatam, antecedens vltro conceditur ab aduersarijs; & rectè, secus enim hoc ipso quod homo habens intensissimũ habitum acquireret particulam habitus contrarij, amitteret totum priorem habitum: nam non esset maior ratio, cur quatuor gradus, excluderent á subiecto octo gradus, & non tres eosdem octo; & sic paulatim procedi posset, vsque ad minimam particulam habitus, qui de nouo introducitur. principalis verò consequentia probatur, quia quatuor primi gradus iniustitiæ non maiorem oppositionem habent cum quatuor primis iustitiæ, quando illos tantum inueniunt in potentia: quam quãdo eos reperiunt associatos quatuor alijs intensioribus. ergo si quando reperiunt illos vna cum quatuor intensioribus, existunt in eodem subiecto simul cum illis; etiam si illos inuenians solos non machinabuntur eis interitum; non enim potest huius rei maior ratio ab aduersarijs assignari.

206 Quarta denique conclusio licet non possint duo habitus contrarij in gradu excellenti esse simul naturaliter in eodem subiecto: possunt tamen diuinitus, ita auctores septimæ sententiæ, qui sunt de magno numero, contra paucissimos sextæ.

207 Probatur autem, quia non magis duo habitus contrarij in gradu intensissimo inter se opponuntur, quam summus calor, & summum frigus; sed hæ duæ qualitates licèt naturaliter non possint esse simul in eodem subiecto: de potentia tamen Dei absoluta possunt. ergo idem de duobus habitibus contrarijs in summo dicendum est. Confirmatur, quia expulsio formæ contrariæ consistit in eo, quod causa prima ad exigentiam formæ, quæ de nouo introducitur suspendat suum concursum, quo vetetem conseruabat, sed potest Deus per suam absolutam potentiam facere contra exigentiã suarum creaturarum. ergo poterit ad introductionem vnius habitus exigentis destructionem alterius, adhuc hunc conseruare contra exigentiam illius.

Contra primam conclusionem Obijcies primò experientia constat, quod si quis post acquisitum habitum per longum tempus ab omnibus eius actibus cesset, amittat facilitatem, quam in dictis actibus exercendis prius habebat. ergo signum est, quod per meram cessationem ab actibus habitus corrumpatur. 208

Respondeo, negando consequentiam. ratio negationis est, quia carentia facilitatis in casu posito aliquando verè quidem oritur ex corruptione habitus; sed talis corruptio non est causata per se ex mera cessatione actuum suorum, sed per accidens tantum, ratione multiplicationis actuum contrariorum, quos exercere solet homo, hoc ipso quod resistit inclinationi ex habitu procedenti. potest etiam ea difficultas oriri ex duplici impedimento, quod propter dictam cessationem acquirit habitus in operando; quorum primum se teneat ex parte affectus, præsertim in habitibus appetitiuis; dum enim quis ad longum tempus á consuetis actibus cessat, paulatim extinguitur in eo ardor, & repescit cupiditas exercendi illos actus; quare dum ergo alia obiecta, quãuis non contraria obiecto prioris habitus, bene afficitus, redditur indispositus ad actus dicti habitus eliciendos. secundum verò impedimentum se teneat ex parte memoriæ, vel imaginationis; quatenus difficile occurrunt species rerum pertinentium ad habitum, á cuius actibus cessamus, facile verò, species rerum, quas præ manibus habemus, & rectè; harum enim species priores illas prius obruunt, deinde penitus delent, quatenus memoria sensitiua rerum imagines vtpotè materialis, integras conseruare non potest. vnde fit, vt spiritus eas in mente oriantur, & sic habitus quamuis existens, nisi acquirantur ab homine nouæ species materiales, non valeat operari. 109

Obijcies secundò contra secundam conclusionem: si habitus corrumpitur per actus habitui oppositi siuè mediatè siue immediatè, ponamus quod quis habeat habitum vt octo, & primum actum habitus oppositi exerceat: vel octauus gradus illius habitus corrumpitur, quando existit actus in potentia, vel quando non existit: neutrum dici potest. ergo &c. maior patet; minor probatur non potest dici, quod quando existit, quia tunc habitus illo secundum suos omnes octo gradus illi resistit. ergo non habet octauum gradum; neque quando non existit, quia tunc cessat oppositio, quod si dicas cessare cum actu sed non cum habitu. Contra est quia in primo instanti in quo existit actus fuit habitus ab eo productus. 110

Respondeo iuxta ea, quæ diximus *in tract. de generat.* cum de mutua expulsione qualitatum contrariarum differuimus; eadem enim videtur esse ratio, quidquid incontrarium af-

ferre conetur Arriaga *disput. 9. sect. 6.* in qua quærit quando nam expellantur habitus contrarij quare ad argumentum, admisso casu, & concessa maiore. nego minorem; & dico, octauum illum gradum corrumpi in eo instanti in quo existit actus, qui primum gradum habitus oppositi in eodem instanti producit. ad rationem in contrarium nego habitum illum veterem secundum illum gradum, qui tunc corrumpitur, introductioni primi gradus habitus contrarius resistere. sufficit enim si resistat secundum illos, qui remanent simul in potentia cum primo ad eum plane modum quo calidum vt octo non resistit frigido vt octo introducenti primum gradum frigoris in se, nisi secundum septem gradus remanentes, non verò secundum octauum, qui tunc non est.

111 Obijcies tertiò contra tertiam, si habitus contrarij possent aliquando stare simul in eadem potentia in gradu remisso: sequeretur, quod etiam actus contrarij prouenientes ab illis, possent, quando sunt remissi, stare simul; cum non sit maior ratio de illis, quam de his: necnon etiam sequeretur quod idem homo posset simul denominari fortis, & ignauus, iustus, & iniustus, casu quò haberet vtrumque habitum contrarium æquè intensum. sed vtraque sequela videtur absurda. ergo &c.

Respondeo negando priorem sequelam; & dico non valere, ex repugnantia, quam habent inter se actus contrarij, quamuis sint in gradu remisso, inferre similem repugnantiam in suis habitibus; aliter sicuti non possunt esse simul actus amoris, & odij Dei quantumuis in gradu remisso: ita neque potentia expedita in voluntate ad vtrumlibet; quod est aperte falsum. Ratio disparitatis est, quia vnus actus actualiter destruit obiectum alterius, quod nõ habent habitus. Neque instes, quod si pugnent viæ, pugnare etiam inter se debeant termini: contra enim est, quia neque actus sunt viæ respectu habituum, neque hi respectu illorum sunt termini; sed respiciuntur adinuicem, vt causa, & effectus, sicuti dictum est supra. Ad posteriorem verò sequelam aio de duplici denominatione nos loqui posse: de reali, quæ scilicet, in re ipsa consistit; & de verbali, quæ posita est in nostro modo loquendi; & si quidem sermo sit de priori, concedo eundem hominem habentem habitum iustitiæ, & iniustitiæ æquè intensum, posse simul iustum, & iniustum denominari, eo quod eodem modo ad actus iustitiæ, & iniustitiæ est habitualiter propensus; si autem de posteriori agamus, nego sequelam: nos enim nunquam consueuimus vtramque denominationem indiscriminatim alicui tribuere simul; sed vel eam, quæ ex habitu nobiliore desumitur, vel eam, quæ desumitur ex habitu magis expedito ad operandum, vel denique eam, cuius habitus sit in maiori gradu productus: vt si quis ex iusto per frequentes actus, habitum iniustitiæ vt quatuor acquisiuit, quibus quatuor intensiores habitus contrarij in se corruptis, iniustus potius, quam iustus denominandus erit: in hoc verò nulla absurditas reperitur, vt patet.

112 Contra quartam denique conclusionem obijcies quartò: Implicat contradictionem, quod idem homo sit simul intensè propensus ad actum iustitiæ, & intensè propensus ad carentiam dicti actus; sed hoc eueniret si diuinitus habitus iustitiæ, & in iustitiæ in gradu intenso possent esse simul in eodem subiecto. ergo &c. Respõdeo argumentum hoc non habere vim in mea sententia, qua defendi propensionem ad actum, quam communicat habitus potentiæ in genere causæ formalis, non sentiri á potentia, quatenus consistit in maiori virtute, quam habet ad eliciendum actum. sic enim quemadmodum nulla est contradictio in eo, quod idem homo habeat virtutem vt octo ad amandum obiectum, & virtutem vt octo ad illud odio habendum, seù ad illud non amãdum: ita neque quod sit simul intensè propensus ad carentiam dicti actus. vnde maior non habet veritatem. At in sententia contraria fateor argumentum propositum difficile posse solui, nisi dicatur propensiones ad terminos incompossibiles non esse essentialiter repugnantes. Scio Arriagam docere ex suppositione, quod duo illi effectus formales essent contradictorij; adhuc habitus contrarios diuinitus posse stare simul, quia se inuicem impedirent, ne communicarent potentiæ eum effectum formalem, quem vterque in sensu diuiso de facto communicaret: sed recte impugnatur ab Ouiedo *punct. 6. num.* 11. quia inde sequeretur habitus contrarios non esse inter se repugnantes sed solum se inuicem impedire quantum ad efficaciam, quam vterque habet in ordine ad cõmunicandum suum effectum formalem subiecto qui est inclinare illud ad actus suos. Quare hac Arriagæ responsione relicta, vel prima, vel secunda quam tradidimus, adhibenda est.

Posset vlterius obijci contra eandem conclusionem: ex ea sequi, quod Deus posset habitum vitiosum tanquam causa particularis conseruare, casu quo posset miraculosè simul ponere illum in subiecto cum habitu virtuoso, quod videtur indignum Deo, quatenus inclinatio ad peccatum in eo casu illi tribueretur. Verum responsio ad hoc est cuique obuia: si enim quælibet inclinatio ad peccatum, quocũque modo acceptum esset indigna Deo: neque appetitus concupiscibilis, neque cognitiones de delectabilitate obiecti turpis possent esse à Deo tanquam à causa non solum particulari, sed neque vniuersali; quia in vtroque par indignitatis ratio militaret; sufficit igitur ad saluandam dignitatem Dei in huiusmodi inclinationibus tribuendis, si dicamus eas non esse ad actum turpem quatenus turpis est, sed quatenus delectabilitatem aliquam in se continet, & quod Deus reliquat integram indifferentiam voluntati in his inclinationibus tribuendis. Quod si hæc via non placet: dic posse Deum in vno instanti reali, in priori quidem naturæ, præuidere existentiam connaturalem habitus vitij, & in posteriori infundere in eadem voluntate habitum virtutis; in quo casu non esset causa particularis, & miraculosa nisi huius posterioris habitus, quem contra exigentiam prioris produceret.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO TRIGESIMA NONA

DE ANIMA RATIONALI A' CORPORE separata.

POstquam disputauimus de his, quæ ad animam rationalem corpori cõiunctam pertinent: æquè est vt in hac postrema disputatione, eam pro vt est à Corpore separata cõsideremus; sic enim eius naturam, & essentiam melius inspiciemus. Quoniam verò status separationis supponit quod immortalis sit, nam si ad corruptionem hominis ipsa destrueretur, nullum alium statum nisi coniunctionis cũ Corpore habere posset; Ideo sit-

SECTIO PRIMA.

Num anima Rationalis sit ab intrinseco immortalis.

FIdes Catholica animam rationalem immortalem esse docet, & hanc veritatem ex Scripturis Sacris euidenter defumit. vix enim vnam, vel alteram earum paginam leges, in qua id expressis vocibus confirmatum non inuenies. Verum autem hæc immortalitas animo nostro conueniat ab intrinseco, an solum ab extrinseco ex liberali dono Dei, sicuti conueniisset ipsis hominibus si Adam in statu Innocẽtiæ permãsisset dictus status, hoc est quod in præsentia quærimus. Pro cuius resolutione: sciendũ, dupliciter posse intelligi, quod aliquid conueniat alicui ex suis intrinsecis. Primo essẽtialiter, in quò sẽsu dicimus Hominem ex suis intrinsecis esse rationalem: Equo ex suis intrinsecis hinnibilitatem competere &c. Secundò exigitiuè, sic dicimus: ignem ex suis intrinsecis esse calidum, aquam ex suis intrinsecis esse humidam &c. Et quidem si quæstio in primo sensu intelligitur, verissima est pars negatiua, si quidem ea, quæ essentialiter talia sunt, nè per absolutam quidẽ Dei potentiam possunt non esse talia. Manifestam enim contradictionem inuoluit Hominem *V. G.* non esse rationalem, Leonem non esse rugibilem, & sic de reliquis; at constat animam rationalem posse diuinitus à Deo annihilari; neque enim vlla absoluta necessitate cogitur Deus ad conseruandam illam, sed solum, ex suppositione decreti, quod fecit de ea per totam æternitatem à parte post continuandã, ad id necessitatur. Ergo in hoc sensu intellecta quæstio non relinquit dubitationi locum. Sin autẽ in secundo sensu procedat, relinquit; vt enim taceam Somnos, qui volebant quidem eam post mortem hominis remanere, sed addebant, elapso certo temporis spatio, desinere esse, existimantes illam materialem esse ad modum cuiusdam vaporis seu flatus; Vnde sicuti flatus emissus aut vapor ab aliquo corpore separatus, postquam emissus, ac separatus est, durat aliquantulum, & non statim extinguitur, sed paulatim euanescit, donec totaliter resoluatur in auram; ita animam rationalem cogitabant. Cæteri omnes, qui animam rationalem immortalem esse docuerunt, in tres diuidi possunt classes. In prima sunt illi, qui huiusmodi immortalitatem ab extrinseco ex mero Dei beneficio illi concesserunt. In secũda verò reponi potest P. Vasquez. Qui *tom. 1. in 1. par. disput. 182.* docet Animam nostram posse dupliciter considerari. Primò comparando eam cum alijs Creaturis. Secundò cum solo Deo; & primo quidem modo, ait, esse ab intrinseco immortalem, quia à nulla Creatura destrui potest. Secundo verò docet esse natura sua mortalem, quia Deus illam in nihilum redigere potest ad libitum. In tertia denique Classe collocandi sunt omnes fere alij Doctores, qui hac de rè scripsere, & non pauci ex Ethnicis, qui existimarunt eam non solum respectu Creaturarum, sed etiam respectu ipsius Dei esse ab intrinseco incorruptibilem.

Nostra Cõclusio est cum his postremis; Dicimus enim Animam rationalem esse ab intrinseco natura sua immortalem, non solum respectu creaturarum, sed etiam respectu Dei: non quod non possit ab illo de potentia absoluta destrui, sed quod non possit connaturaliter, hoc est posito quod Deus velit secundum eius exigentiam intrinsecam operari.

Et quidem hanc sententiam hoc modo explicatam esse veritatem catholicam, atque adeo fide tenendam probant Doctores ex Concilio Lateranẽsi sub Leone X. *sess. 8.* vbi dãnantur ij, qui asserunt animam rationalem esse mortalem, & præcipitur philosophię Magistris, vt illorum rationes dissoluant. Huius verò anathematis ratio his præcisis verbis á Patribus Concilij assignatur: Cum illa (hoc est anima) non solum verè per sè, & essentialiter humani corporis forma existat, verum etiam immortalis. Porrò esse contra mentem Concilij si quis dicat particulas illas (verè per sè, & essentialiter) cadere solum supra hoc, quod sit forma corporis, non verò, quod sit immortalis: suadetur ex eo, quia quæstio Catholicorum cum Hęreticis non erat:

Digitized by Google

nam anima mortalis esset respectu aliarum creaturarum. Id enim constabat ex verbis Christi Domini *Matt.* 10. Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Et ex ratione naturali, quæ suadet substantiam spiritualem non posse nisi à solo Deo, à quo totaliter pendet annihilari. Sed erat: num poterat ab ipso Deo naturaliter destrui; quod intendit illis verbis negare Concilium. Ergo violẽta est dicta interpretatio, & contra mentem Concilij; maximè si attendamus ad sensum cõmunem Sanctorum Patrum, quos longo ordine adducit Suarez *cap.* 10. *cit. num.* 10. Nec minus existimanda est contra mentem dicti Concilij interpretatio dicentium: animam verè per sè, & essentialiter esse immortalem respectu Creaturarum, non vero respectu ipsius Dei; quod enim est per sè, & essentialiter tale, respectu omnium prorsus sit tale necesse est; siue potius præscindendo à quocumque respectu, quia idem significat ac secundum sè, & ex suis prædicatis quidditatiuis esse tale. Impossibile igitur apparet Concilium in ea propositione contentum esse statuere animam verè per sè, & essentialiter esse immortalem respectu aliorum à Deo. Neque dicas: nisi ita Concilium explicaretur, sequeretur quod neque à Deo diuinitus destrui posset; quia Deus nequit circa essentialia suum dominium exercere. Nec id dicas, inquam, quia mens Concilij non est asserere immortalitatem esse prædicatum essentiale animæ, sed ex suis prædicatis illam exigere. Quoniam verò Deus potest contra Creaturarum exigentiam operari: hinc fit vt hoc non obstante eam in nihilum redigere possit.

5 His ita constitutis: quæri solet num lumine naturali independenter à fide, dicta veritas de animæ immortalitate intrinseca demonstrari possit. Et communiter respondetur affirmatiuè, quod docet Suarez *loco cit. num.* 9. his verbis: Veritas catholica, & rationi naturali conformis, ac per illam demonstrabilis est, animam humanã de sè, & natura sua incorruptibilem esse. Quam Conclusionem postquam quò ad veritatem catholicam, & conformitatem cum naturali lumine attinet satis probauit; *à num.* 6. incipit probare quò ad eius demonstrabilitatem, quamplures adducendo rationes inter quas duę principem tenent locum; quarum prior naturalis est, altera moralis, & vtramque hic adducere, & examinare mihi in animo est.

6 Prior sic procedit. Anima rationalis, vt ex suis operationibus ad intellectum, & voluntatẽ spectantibus demonstratur, spiritualis est: ergo & independens est à materia; non est igitur cur in morte hominis corrumpi debeat. Atqui hoc ipso quod tunc non corrumpitur, sequitur quod sit immortalis; nihil enim assignari, postea potest, quod eius corruptionem machinetur, siquidem corruptio, seu mors non fit nisi per dissolutionem, & separationem vnius ab alio; in ea autem, vt potè spirituali, atque adeo indiuisibili, non est vnum, & aliud. Igitur non est post mortem hominis corruptionis capax. Dicere enim quod licet non sit capax corruptionis: sit tamen capax ab intrinseco annihilationis, est aduersari valde manifestis; annihilatio enim non est rebus connaturalis, quia non est per potentiam intrinsecam, sed per solam liberam voluntatem Dei: atque adeo non opponitur cum intrinseca exigentia perpetuò durãdi, vt patet ex materia prima, quam omnes incorruptibilem per totam æternitatem ab intrinseco esse dicimus; quia quantum est de sè in sua essentia est separationis incapax, & solum potest per annihilationem definere esse.

Posterior verò ex prouidentissima Dei rerum humanarum gubernatione desumitur, sic: Deus non solum huius mundi, sed maximè rerũ humanarum prouidentiam habet. Ergo ad eum pertinet, eos, qui in hac vita peccant, condigne punire: contra vero illos, qui iustè viuunt præmijs decorare. Sed hoc sæpe sepius non facit Deus in præsenti vitą, ex qua videmus in dies Iustos tormentis, ac tribulationibus obrutos decedere: peccatores verò vsque ad extremam senectutem prosperari. Ergo vtriusque post mortẽ iusta retributio reseruari debuit; id autem absque eo quod anima eorum immortalis sit, fieri nequit. Quamuis enim verũ sit quod ait Seneca *Epist.* 81. Recte facti, feciſſe merces est. Et quod Augustinus dicit: Omnis animus malus ipse est sibi pœna; recta tamen Dei prouidentia non debet hoc præmio, & hac pœna esse contenta, ad tum planè modum, quo non debet eisdem esse contenta recta gubernatio Principium; omnes enim existimamus malè institutam Rempublicã illam esse, quæ nullam aliam pœnam sontibus, nec aliud Iustis præmium statueret præter testimonium conscientiæ; Et rectè, quia propriè pœna, & præmium debent distingui à proprietatibus naturalibus, quæ mala, & bona opera consequuntur; Linquo sæpè virtutem cum maximo cruciatu, ac dolore exerceri: vitium verò contra, cum ingenti animi voluptate, ac delectatione committi, vt omnes fatentur. ergo &c. 7

Ex his duabus rationibus Arriaga *disput. 10. de anim. num.* 8. priorem reijcit tanquam inefficacem: posteriorem vero *num.* 10. solum tanquam valde probabilem admittit, ad quas eam aliæ reducantur, recte deducitur in eius sententia immortalitatem animæ rationalis demonstrari non posse; & tamen Origines *lib.* 7. contra Celsum hæc habet: Persuasum habent non solum Christiani, & Iudei, sed etiam multi tum Græci quam Barbari, quod supersit, & viuat post discessum à corpore anima humana; hoc autem effatum tam à sensibus humanis remotũ est, vt nemo nisi euidenti ratione adactus vel fidei lumine firmatus sibi in animum induxisset. Sed quidquid sit de hoc. 8

Arriaga priorem rationem impugnat. Primo, quia ex dictis à sè *disput.* 5. *numer.* 17. potentia materialis potest obiectum spirituale cognoscere, & amare. Ergo ex operationibus nõ potest cognosci spiritualitas animę. Secundò admissa certitudine spiritualitatis eius, solũ ex ea probatur posse animã post separationẽ à corpore naturaliter conseruari: nõ verò posse in perpetuum durare, quia vt ipse probauit *disput. n.* 14. non repugnat aliqua entitas natura sua 9

flui-

Digitized by Google

fluida, quæ cuius eodem modo existentibus petat aliquandiu durare, non autem semper, vt patet ex speciebus soni.

10 Verum neutra impugnatio procedit nam prima falsum assumit, vt nos suo loco probauimus, eiusque rationes nullius momenti esse patefecimus. Neque secunda, quia aliud est loqui de accidentibus, atque modis, aliud verò de substantijs; illa enim cum sint eotis eos, eam naturam postulant, quæ sit exacta à subiectis, quorum sunt, & quibus debetur. Vnde cum substantiæ materiales exigant vt 11 sonus, vel eius species naturam habeant fluidam, & parum durabilem, non est mirum si, ita de facto se habeant, vt nos suo loco probauimus. Accedit substantia non est entis eius, seu quod in idem recidit, non est ad aliud à se adæquatè distinctum, cui seruari ordinata ergo non potest in bonum alterius determinatam durationem, vsque ad certum tempus exigere; neque in bonum proprium, vt de se patet, quia quantum est de se, hoc ipso, quod substantia habet esse, vellet durare perpetuò, & hoc à Deo vt autore naturæ petit, quod si substantiæ materiales sublunares, & eorum formæ substantiales non exaudiuntur, ideo est, quia præualet exigentia agentium, quæ contrarias dispositiones introduxerunt in materia, vt alia potius forma substantialis, & aliud compositum habeant esse de nouo, quam conseruentur antiqua. Quem philosophandi modum ad accidentia, & modos carentia contrario extendere possumus dicendo, ea pro eo instanti, quo sunt exigere semper esse in sequenti instanti; sed quia substantiæ eorum destructionem ad melius esse sui exi- 12 gunt, cum hæc exigentia potior sit, exaudiuntur à Deo in bonum dictarum substantiarum, & ideo illa corrumpuntur.

11 Posteriorem verò rationem non euidenter concludere idem Suarez sic probat. Huiusmodi ratio solum probat animam rationalem vt præmio, vel pœnæ donetur duraturam esse aliquo temporis spatio, non autem per æternitatem à parte post; ergo non concludit cui tenetur eius immortalitatem. Consequentia patet. Antecedens suadet, quia diuina prouidentia satis suo muneri satisfecisse videretur, si abstineret homines à peccatis, & ad iustitiam sectandam alliceret, per quatuor, vel 9 quinque millia annorum malorum pœnam, & iustorum præmia præcrahendo; quamuis postea eorum animas annihilaret, ergo &c.

12 Nihilominus tamen idem Arriaga ne conclusionem adeo celebrem naturali ratione omnino destitutam assereret, sub num. 12. addidit non deficere pro ea probabilem rationem, quam sic formar: sicut possibilis est forma, quæ post separationem à materia petat aliquandiu durare, ita possibilis est, quæ petat durare in perpetuum; sed posita possibilitate talis formæ, rationes factæ ostendunt animam rationalem esse huiusmodi, ergo &c. probat minorem: quia argumenta facta probant animam durare aliquandiu post separationem, ac conseruari à solo Deo, & carere contrario; sed ex 13 his sequitur eam perpetuò duraturam, quia cautis eodem modo se habentibus, dicendum est effectum eodem modo conseruandum, nisi sit aliqua ratio in contrarium, sicuti est in sono; cum igitur in anima nulla sit huiusmodi ratio, eam semper duraturam, esse censendum est.

Sed neque huius rationis impugnatio, quam 13 contra secundam rationem adducit, neque eius ratio, quam postea adducit, habet vim; & quidem quo ad impugnationem attinet, nego antecedens, rationem videlicet ex Dei prouidentia quo ad iustorum in ordine ad mundi- 1 ctam malefactorum, & iustorum præmia, probare solum animas hominum aliquo determinato tempore post mortem illorum viuere. Ad probationem in contrarium, nego assumptum, & dico nullum aliud malum pœnæ ex parte obiecti esse sufficiens ad abstinendos homines à peccatis, quam pœnam æternitatem, & nullum aliud præmium item ex parte obiecti habere sufficientiam ad alliciendos illos ad bene operandum, quam præmij æternitatem, & quidem quo ad malum pœnæ probo sic: quia quandiu homo cogitaret pœnam finiendam esse, non haberet occasionem omnem viam ad peccandum, sed relinqueretur sibi aditus male viuendi ex certitudine, quam haberet, quod tandem aliquando pœnam illa cessaret, quo ad verò bonum præmij attinet, sic: quia quandiu homo cogitaret præmium sibi dandum non fore perpetuum, sed post certum temporis spatium cessaturum, haberet vnde induci posset ad despiciendum illud, & sic ad peccandum inclinari; neutrum autem posita æternitate pœnarum, & præmiorum habet locum; atqui nihil quam diuina prouidentia in ordine ad tectam hominum gubernationem suo muneri satisfecisse videbitur, nisi proponendo pœnam, quæ ex parte obiecti sit sufficiens ad abstinendos illos à peccando, & præmia, quæ item ex parte obiecti sint sufficientia ad alliciendos illos ad bene operandum; & rectè id quidem, cum enim homines ex grauitate pœnæ, sub qua prohiberur culpa, in cognitionem grauitatis culpæ deuenire soleant; & ex magnitudine præmij, quæ actui meritorio promittitur, excellentiam dicti actus metiantur, nunquam Deus debitam prouidentiam in ordine ad deterrendos homines à peccato, & inducendos ad iustitiam habere videbitur, nisi æternitatem pœnarum, & præmiorum illis proponendo.

Neque dicas: ad hoc sufficere, quod Deus 14 de facto hominum animas in perpetuum ex suo beneplacito conseruet, licet ex suis intrinsecis id non postulent: ne id dicas, in quantum 1 quia sic, nec eas ex suis intrinsecis post mortem hominum aliquantulum viuere debere argumentum ex prouidentia desumptum probaret; posset enim dici, quod ex mero beneplacito Dei, & non ex natura sua superniuent. tum etiam quia lumine naturæ constare debet scelestos homines diuina pœna afficiendos, & pios præmio condigno donandos; & de facto gentiles communi per fidei lumine destitutos na. sibi persuadebant; sed si hæc prouidentia qua-

ad præmia, & pœnas animabus post præsentē vitam reseruatas ex libera Dei voluntate penderet, id lumine naturæ constare non posset; cū libera Dei decreta vel ex eius reuelatione, vel ex eorum effectibus, & non aliter nobis innotescant; ergo dicendum est, hoc ipso, quod Deus aliquibus suis creaturis prædicatum libertatis communicare potuit, eius summa prouidentia, & iustitia exigebat, vt non nisi cū immortalitatis prædicato illud communicaret. Vnde fit vt, sicuti Angelus, & anima rationalis sint ab intrinseco liberi: ita etiam sint ab intrinseco incorruptibiles. Quare recte dixit Clemens *lib. 2. recognit.* si Deus iustus est: anima immortalis est. Et Origen. *super Cantica* vbi esset iustitia Dei, vbi bonorum merces, si anima esset mortalis?

15 Per hæc autem patet responsio ad rationem quam ex suo cerebro, vltimo loco, tanquam probabilem ad inferendam animæ immortalitatem Auctor adducit; in qua supponit dari posse formam substantialem, quæ post separationem à materia duret ab intrinseco aliquandiu; ex quo colligit posse etiam dari aliam, quæ semper duret; negandum enim est suppositum; vt enim ex dicta constat implicat huiusmodi forma; nam res, hoc ipso quod in aliquo instanti est, petit à Deo conseruationem sui pro sequenti instanti, quam petitionem Deus vt auctor naturæ exaudire tenetur quandiu aliqua alia creatura efficacioribus precibus non petit oppositam; quod in ordine ad formam substantialem indiuisibilem naturaliter extra materiam existentem impossibile est vt eueniat. Video posse aliquem asserere, quod admissa possibilitate vtriusque formæ, ne probabiliter quidem sequatur animam rationalem, quæ defacto est, esse immortalem, eo quod prædicatum immortalitatis cum perfectionem positiuam valdè excellentem importet, nisi positiue probetur non debet de vlla re affirmari. Rationem autem ex causis eodem modo se habentibus desumptam, tunc sufficientem fore ad inferendam eius perpetuam durationem, quando non æquè benè formæ omnes substantiales separatæ à materia possent vel in perpetuum, vel ad certum tempus conseruari: quod non admittit Arriaga. Sed quidquid sit de hac solutione prior est solidior, & à nobis tenenda.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

15 OBijcies primò: ex libro Ecclesiastæ videtur colligi animam rationalem esse saltē ab intrinseco corruptibilem, nam *cap. 3.* hæc habentur: Vnus est interitus hominis, & iumentorum; & æqua vtriusque conditio; sicut moritur homo, sic illa moriuntur; & nihil habet homo iumento amplius, & *cap. 9.* Mortui nihil nouerunt amplius, & infra: Nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos. Respondeo negando antecedens; & ad priorem auctoritatem dico cum multis Patribus ibi comparari interitum hominis, & iumentorum quo ad destructionem totius compositi, non verò animæ; quia licèt anima hominis sit immortalis, brutorum verò mortalis: tamen ita homo per mortem corrumpitur in esse totius, sicuti reliqua bruta. Ad posteriorem verò locum aio in eo negari mortuis, vel notitiam, & scientiam rerum, quæ in hoc seculo geruntur, quæ illis propriæ non debetur, nisi ex speciali Dei prouidentia: vel notitiam, qualem habebant, dum viuerent dependentem, videlicet, à phantasmatibus.

Obijcies secundò ex sexta Synodo Generali *actione* 11. in epistola Sophronij à Concilio approbata habetur, Animas, & Angelos non per naturam, sed per gratiam Dei esse immortalia; & fundari potest doctrina hæc in illo Pauli *prima ad tim. 6.* vbi de Deo dicitur, qui solus habet immortalitatem: ergo licèt anima rationalis sit immortalis, hoc non habet ex suis intrinsecis. Respondeo, Sophronium nomen (gratiæ) non vsurpasse hoc in loco strictè pro dono quod supra nostram exigentiam à Deo nobis conceditur, sed latius pro vt importat omne bonum, quod ex libera Dei voluntate ad nos prouenit, quantumuis sit nobis naturale, & ab intrinseco exactum. In quo sensu dici potest immortalitatem creaturis spiritualibus ex Dei gratia conuenire; quia cum Deus pro libito possit eas in nihilum redigere: ex suo tamen beneplacito illas iuxta propriam inclinationem in perpetuum conseruat. Vnde rectè dixit Apostolus solum Deum immortalitatem habere, quia ille solus ita est immortalis, vt omnimoda necessitate semper existat, & ex sua essentia id habeat.

Obijcies tertiò destructio animæ non est supra potentiam Dei, quia Deus eam absolutè destruere potest: neque est supernaturalis ipsi animæ, quia non est sicuti gratia, quæ excedit vires totius naturæ in perficiendo; sed est potius violenta ipsi animæ: ergo anima saltem respectu Dei est ab intrinseco corruptibilis. Respondeo, concesso integro antecedente, negando consequentiam; vt enim anima dicatur ab intrinseco incorruptibilis respectu Dei satis est, si, posito quod habuit esse à Deo, exigat semper ab illo conseruari, ita vt contra eius exigentiam faciat Deus, hoc ipso quod illam in nihilum redigat.

Instabis contra datam responsionem: Animæ merè possibiles non exigunt à Deo existentiam, ita vt Deus non creando istas, contra earum exigentiam facere censeatur. ergo neque animæ existentes exigunt à Deo conseruationem sui. Antecedens patet; Consequentia probatur; non enim potest assignari maior ratio de conseruatione, quam de creatione. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem dico: maiorem rationem esse quia anima merè possibilis nihil est à parte rei quare non est mirum si nihil exigere possit: at anima existens iam est, & sic habet vnde rectè petere valeat suas proprietates, & conseruationem in esse habito.

Obijcies quartò. Anima non ideo est possibi-

lis

lis quia eam Deus producere potest; sed è contra, ideo Deus eam potest producere, quia in sè possibilis est. ergo neque ideo est annihilabilis, quia Deus illam annihilare potest; sed è contra, ideo Deus eam annihilare potest, quia ex sè annihilabilis est. ergo respectu Dei non est ab intrinseco immortalis]. Respondeo concesso antecedente, Distinguendo primum consequens: Ideo Deus eam annihilare potest, quia ab intrinseco annihilabilis est, si facit hunc sensum: ideo Deus eam annihilare potest, quia ex suis intrinsecis ad destructionem inclinat; siue, vt melius loquar, quia non exigit ab intrinseco perpetuam conseruationem sui, nego; si autem sensus sit, quia non competit illi essentialiter immortalitas, concedo primam consequentiam; & nego secundam in sensu intento; ex dictis enim constat immortalitatem esse triplicem: essentialem, naturalem, & gratuitam; res, quæ primam habet, est vndequaque necessaria, & per nullam potentiã destruibilis, cuiusmodi est solus Deus; res verò, quæ secundam habet, vel tertiam potest quidem destrui cum hac differentia, vt si immortalitate secundi generis insignita est, non nisi per diuinam omnipotentiam sit destruibilis; si vero tertij: quantum est de sè sit destruibilis naturaliter, & solum ex mera dei beneficentia habeat, vt sit imperpetuum duratura. Porrò anima neq; primo, neque tertio genere immortalitatis gaudet, sed solum secundo, & ideo ex suis intrinsecis habet, vt diuinitus annihilari possit.

11 Obiscies quinto: si anima ab intrinseco esset immortalis: sequeretur, quod status separationis esset illi connaturalis, hoc est iuxta inclinationem naturæ suæ, sicuti est status lapidis in centro, & simul esset eidem violentus; hoc est contra propriam inclinationem, sicuti est status lapidis in aere, sed hoc implicat. Ergo non est ab intrinseco immortalis? Minor, & consequentia patent. Sequela verò quò ad vtramque partem probatur; quia ex vna parte animus inclinat ad priuationem malorum, sicuti etiam ad perfectiores operationes eliciendas; Sed in statu separationis considerata in pura natura est expers molestiarum, ex coniunctione cum corpore sibi prouenientium, vt famis, doloris, ignominiæ, morbi &c. Nec non etiam perfectiores operationes rationales in illo statu elicit. ergo ille status esset ei connaturalis. Ex alia verò omnis res appetit complementum substantiale proprium, sed in statu separationis est physicè incompleta substantialiter: completur autem per vnionem cum corpore. ergo status separationis esset illi violentus.

52 Respondet Arriaga *disput.* 10. *sub numer.* 24. & dicit duo: vnum est animam, etiam si in
53 statu separationis melius accidentaliter sè habeat; non tamen inclinari ad illum statum, ita vt eius carentia sit illi violenta; eo quod ex vna parte non quæcumque maior perfectio, quæ naturaliter acquiri potest est subiecto debita, vt patet ex lumine respectu aeris; ex alia vero anima, dum est in corpore, separationi resistit, natiuam virtutem habens suas recuperandi dispositiones vsque ad certum gradum. Alterum est, ipsam animam, quantum est ex sè, semper inclinare ad vnionem; ideoque conseruationem extra corpus esse aliquo modo contra eius inclinationem physicè sumptam; quia, vt dicitur in argumento, animus separatus est physicè, & substantialiter incompletus. Denique sic habet (dixi quantum est ex sè) nam appetitu absoluto non potest in vnionem perpetuã 22
inclinari, cum hæc sit naturaliter impossibilis.

Verum contra hanc responsionem videtur facere, quia ex illa sequitur, quod status separationis nullo modo esset animæ connaturalis: esset verò aliquo modo violentus; sed si hoc esset: sequeretur quod anima per appetitum, de quo loquimur, neque ad statum coniunctionis, neque ad statum separationis, absolutè, & simpliciter inclinaret; non ad statum separationis, vt conceditur; neque ad statum vnionis; quia eodem modo est impossibilis naturaliter vnio perpetua respectu animæ separatæ, ac respectu coniunctæ. Quare si hæc impossibilitas impedit ne anima separata absolute, & simpliciter inclinet ad vnionem; ita etiam impediet ne ad illã inclinet coniuncta. Iam vero hoc absurdum esse patet; quia sicuti implicat res naturalis quæ nullum statum habere possit qui sit illi absolutè, & simpliciter connaturalis: ita etiam eodem modo implicat si absolutè, & simpliciter non inclinet ad aliquem saltem statum, in quo intra naturæ limites, absolutè loquendo, bene sè habeat. Quare hac responsione posthabita.

Respondeo ego negando sequelam quo ad secundam partem. Dico enim statum separationis esse absolutè naturalem animæ, & non violentum absolutè. Ad probationem in contrarium, concessa maiore, & minore, nimirum omnia appetere propium complementum substantiale, & animam extra corpus eo carere. Sed nego Consequentiam, statum videlicet separationis esse illi, absolutè loquendo, violentum. Ex illis enim præmissis concessis solum sequitur, statum coniunctionis esse animæ absolutè, & simpliciter naturalem, hoc est iuxta inclinationem absolutam, quam habet, quod est verissimum. In hoc enim videntur allucinari aduersarij, quod putent non posse animam absolutè, & simpliciter inclinare ad vtrumque statum, quod ego non existimo. Quamuis enim dicti status sint inter sè incompossibiles, non sunt tamen incompossibiles inclinationes absolutæ ad illos, vt patet in voluntate potente amore, & odio prosequi idem obiectum. In ea enim quamuis implicet actus amoris, & odij simul coniugi: at potentia in actu primo completa ad vtrumque non solum non implicat, sed de facto habetur; & quidem naturaliter. Idem cernere est in materie prima quam, etiam si dicamus nè diuinitus quidem posse duas formas substantiales simul recipere; constat tamen habere potentiam, & inclinationem absolutam ad illas. Ratio autem positiua, quæ me mouet ad dicendum animam absolutè loquendo, ad vtrũq; statum ex suis intrinsecis inclinari, est quia habet

habet prædicata vtriusq; status exactius; & in vtroque aliquod peculiare bonum ab intrinseco sibi proueniens adipiscitur; quia enim forma informans est, exigit absolutè vnionem cum corpore, vt beneficio illius sensuum operationes exerceat; qua verò incorruptibilis est exigit absolutè extra corpus conseruari, vt in eo statu rerum notitiam multo perfectiorem
24 habeat ea, quam habet in corpore.

Contra hanc solutionem instabis primo: hoc ipso quod anima absolutè ad vnionem cum corpore inclinat, priuatio illius erit ei absolutè violenta. sed in statu separationis habet anima priuationem vnionis; ergo erit in statu absolutè violento. Respondeo, distinguendo maiorem; priuatio vnionis erit animæ absolutè violenta; & siquidem dicta priuatio non compensaretur bono aquè, vel magis perfecto, concedo: posito quod tali bono compensatur, nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam; Et dico, quod in statu separationis licèt anima priuetur vnione cum corpore, acquirit tamen carentiam malorum corporis, & perfectissimos actus rationales exercet, quos nequit, dum est in corpore, exercere. sic licèt materia in corruptione compositi amittat formam veterem, non patitur violentiam, quia
25 hæc amissio compensatur cum formæ de nouo aduenientis acquisitione.

Instabis secundò, mors est contra inclinationem elicitam absolutam hominis; omnes enim naturaliter loquendo, abhorrent ab illa. Ergo est etiam contra inclinationem innatam absolutè. Respondeo, concesso Antecedente; distinguendo Consequens: Mors est contra inclinationem innatam absolutam hominis, concedo: animæ, nego Consequentiam. Nec mirum, quia homo post mortem non perseuerat in esse; vnde fit vt ei, absolutè loquendo, mors fit contra propriam inclinationem innatam, at vero anima remanet in suo esse, & quidem per intrinsecam exigentiam illius; non est igitur cur mors esse debeat contra inclinationem innatam absolutam illius; quamuis enim ipsa quoque appetitu elicito absolutè fugiat à morte: hoc tamen habet, quia vniuersaliter loquendo, difficulter diuellimur à caris, & notis nobis: at postquà diuulsa est, absolutè sibi in statu illo complacet propter commoda, quæ in eo expectatur.

Sed contra traditam distinctionem instabis tertiò: quidquid est violentum homini, ratione alicuius partis est illi violentum; sed mors est illi violenta, & non ratione materiæ, quia hæc est indifferens ad omnes formas; ergo ratione animæ. Respondeo negando maiorem; multa enim competunt homini, qua totum est, quæ neque de materia, neque de forma distributiuè acceptis verificari possunt; inter hæc autem ponenda est violentia, quam in morte
26 ex compositi destructione, & vnionis depeditione patitur.

Instabis denique quartò anima natiua inclinatione resistit morti, contrarijsque agentibus, conseruando, quantum potest, dispositiones proprias, quas habet, & recuperando deperditas, vsque ad certum gradum. Ergo separatio est illi violenta. Respondeo, concesso antecedente; distinguendo consequens, separatio est violenta animæ, quatenus est vnita corpori, concedo; secundum sè consideratæ, nego Consequentiam; & dico quod cum anima rationalis sit forma corporis, quatenus illud informat, debet exercere totum id, quod quælibet alia forma substantialis exerçet, quandiù est in materia. Vnde non est mirum, si sic considerata resistat morti, & habeat vim conseruandi dispositiones, quas habet, ac recuperandi deperditas; sed quia habet etiam quod secundum sè incorruptibilis sit, atque immortalis: ideo in statu separationis non solum nullam patitur violentiam absolutam, sed etiam iuxta suam naturalem inclinationem existit, & operatur. Dixi (nullam patitur violentiam absolutam) quia si quis assereret, dictum statum esse aliqualiter, & secundum quid violentum illi, quatenus substantialiter incompletæ; dummodo etiam similem violentiam concedat ipsi in statu coniunctionis, quatenus in eo malis corporis subiacet; non esset multum cum tali Philosopho contendendum; quia hoc proueniret animæ ex amplitudine, & perfectione, quam habet: sicuti voluntati, dum libere amat, quæ ratione virtutis complectæ, quam habet ad odio habendum, aliqualem vim, & resistentiam contra sè ipsam habeat, necesse est.

Consequenter agendum esset de Aristotelis mente circa animæ immortalitatem. Sed de hoc videri potest Suares *de anim. tract. 3. lib. 3. cap. 11.* vbi expresè quæsit quid Aristoteles de hac difficultate senserit; & postquam docuit multos ex Antiquis Philosophis, & Patribus, & Theologis credidisse eum in hoc erasse, animam rationalem mortalem esse existimando, *num. 6.* addit communem sententiam esse, eum animæ *immortalitatem* cognouisse, & in suis *libris hanc veritatem* satis apertè declarasse, & hanc fuisse sententiam omnium veterum Peripateticorum (vno Alexandro excepto) quos sequitur D. T., Durandus, & alij. Qui probationes huius veritatis desiderat, legat ipsum Suarium ibi: hoc enim parui ad institutum nostrum referre videtur.

27

28

SECTIO TERTIA.

De Operationibus vitæ rationalis, quas anima separata exercere valet.

29

IVmine naturæ constat animam rationalem nullas operationes ad vitam vegetatiuam & sentientiam pertinentes in statu separationis exercere posse; omnes enim huiusmodi actus pendent à corpore, tanquam à subiecto, & non nisi mediis organis corporeis peculia-

Digitized by Google

res dispositiones sibi vendicantibus eliciuntur, quibus omnibus anima separata priuatur. Vtrum autem valeat eas operationes, quæ sunt propriæ vitæ rationalis elicere, & quo modo? hoc in præsentia disputandum est. Pro quo sit.

29 Prima Conclusio. Anima in statu separationis ex suis intrinsecis exercere valet actus potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ. Est communis. Dixi (ex suis intrinsecis) quia eas de facto saltem ex diuina ordinatione posse, de fide est; siquidem animæ beatæ Deum vident, ac amant, & alia tum corporea tum incorporea rectè cognoscunt. Damnatæ vero suam extremam miseriam intelligunt, eamque detestantur ac dolent. Quod autem ex natura sua exigant intelligere ac velle, hoc est quod in Conclusione cum omnibus, qui hac de rè agunt, asserimus.

30 Probatur *primo* ex Aristotele, qui *primo de anim. tex.* 13. docet: quod si anima non potest extra corpus operari, non potest extra illud existere. Atqui potest operari intelligendo; ergo & existere. Supponit ergo, eam posse operationes vitæ rationalis exercere in statu separationis.

31 Probatur secundò Ex eo, quod anima vt potè spiritualis substantia non pendet à Corpore: rectè deducimus eam extra Corpus habere esse. Sed intelligere, & velle ipsius de sè non pendet à Corpore. Ergo dicendum est quod in statu separationis vtrumque exerceatur ab ipsa.

32 Dices: anima non intelligit nisi dependenter à phantasmatibus, vnde Aristoteles *primo de anim. tex. 66.* ait: Per læsionem organi interni eam ab intelligendo cessare. Sed in statu separationis non habet phantasmata, neque organa. ergo &c. Respondeo, distinguendo maiorem: non intelligit anima nisi dependenter à phantasmatibus in statu coniunctionis cum corpore, concedo; in omni statu, nego maiorem, & concessa minore: ad consequentiam dico: animam in statu coniunctionis exercere munus formæ informantis; quare non est mirum si tanquam forma corporis tunc operetur, & sic ab internis sensibus in intelligendo dependeat; nec aliud voluit Aristoteles *loco citato*. Cæterum sicuti in statu separationis non exercet munus formæ informantis, ita non est cur in suis operationibus spiritualibus à phantasmatibus pendeat.

33 Secunda Conclusio: Anima separata nobiliori ac expeditiori modo intelligit, quam coniuncta. Est D. T. qui *tertio contra gent. cap.* 48. docet eam in statu separationis intelligere modo Angelico.

34 Probatur facile: modus intelligendi independenter à sensibus, & phantasmatibus est de se nobilior, & expeditior illo, qui fit cum dependentia à dictis sensibus. Sed anima in statu separationis habet modum intelligendi, independenter à sensibus. ergo &c.

35 Quod si quæras in quo consistat modus hic nobilior, & expeditior. Respondeo eum consistere primò in hoc, quod multa intuitiuè cognoscat per simplicem intuitum, quæ in hac vita non nisi abstractiuè, & per discursum cognoscere poterat, vt sè ipsam, & alias animas quibus associari debet: nec non etiam substantias materieles rerum Corporearum, quæ omnia in hac vita ad modum alterius, & per alienas species cognoscebat. Secundò quamuis in illo statu discursum exercere valeat circa aliqua, quæ non plane cognoscit, id facit per pauciores actus, & minore labore, ac errandi periculo, quam coniuncta. Si enim inter homines aliqui sunt velociores, ac expeditiores alijs ad intelligendum, & paucioribus actibus indigent ad Conclusionem indagandam, quam alij: multo magis anima separata, si secum ipsa quando erat in statu coniunctionis comparetur.

36 Tertia Conclusio: Anima separata cognoscit omnia quæ in præsenti sæculo cognoscebat, non autem ea, quæ deinceps in statu separationis fiunt.

37 Probatur Conclusio quo ad vtramque partem; & primò quò ad priorem ex Lucæ 16. vbi introducitur Diues in tormentis positus loqui ad Abraham: Mitte Lazarum &c. Habeo quinque fratres &c. Et Abraham respondere. Recordare quia recepisti bona in vita tua. Ratione confirmatur: quia anima separata habet ius vt recordetur eorum omnium, quæ in vita cognouit; aliàs status separationis non redderet eius conditionem meliorem, quia multo plus inclinare solemus ad recordandum ea, quæ nobis semel placuerunt: quam ad noua, quarum notitiam nunquam habuimus, intelligenda.

38 Quo ad posteriorem verò partem Conclusio suadetur ex Iob. 14. vbi de defuncto dicitur: Siue fuerint filij eius nobiles, siue ignobiles non intelliget: Ratione verò confirmatur, quia anima separata non est amplius pars vniuersitatis huius sæculi. Ergo ei non debetur cognitio eorum quæ in præsenti sæculo deinceps gerentur. Atque hoc quantum est de sè; non enim negamus, eam vel ex diuina reuelatione, vel ex reflectione animarum, quæ ex hoc sæculo discedunt, posse multa cognoscere.

39 Quarta Conclusio: Anima separata non cognoscit omnes res naturales quo ad eorum essentiam, & proprietates. Probatur, tum quia non esset in alio sæculo melior conditio eorum qui in studijs vitam consumpserunt, quam illorum, qui nihil penitus addiscerunt; cum tamen Hieronymus *in Epist. ad Paulam* dicat: Discamus in Terra, quorum scientia nobis perseuerè in Cælo. Tum etiam quia non potest assignari cur animæ exigant tam multa cognoscere. In tantum enim Angeli habent ius ad omnia cognoscendi, in quantum non supponuntur fuisse in alio statu, in quo poterant sibi rerum scientias comparare, sicuti supponitur anima separata fuisse; & aliunde sunt multo perfectiores ac nobiliores in substantia, quam sit anima separata, quæ est semisubstantia à materiæ primæ facibus suum substantiale complementum expectans. Per hoc enim non nego eam in statu separationis multa intuitiuè cognoscere, quæ in præsenti sæculo non cognouit, præ-

Digitized by Google

præsertim quæ pertinent ad societatem cum alij spiritibus sibi similibus, & fortasse etiam cum Angelis ipsis exercendam. Quod si quæras quæ alia obiecta in particulari cognoscat, quæ in præsenti sæculo non cognouit: dico hoc non posse certa regula à nobis sine temeritate definiri.

40 Quinta Conclusio: Licèt in anima separata remaneant eædem species intelligibiles, quas in statu coniunctionis habebat, ijs tamen vti nequit ad vllum actum intellectionis exercendum; sed tum pro cognoscendis rebus, quas in hac vita cognouit: tum etiam prò cognoscendis, quas antea non cognouit expectat ab auctore naturæ alias species intelligibiles.

41 Tres habet partes assertio. Prima est remanere in anima species quas in coniunctione cum corpore acquisiuit. Et eam tenent communiter auctores. Probatur autem facile quia dictæ species cum spirituales sint, in suo esse, & conseruari non pendent à corpore, sed totaliter in genere causæ efficientis á Deo tanquam à causa prima: in genere verò causæ materialis ab anima ipsa. Ergo non est cur in statu separationis corrumpantur. Antecedens patet. Consequentia vero probatur vulgato illo principio: idem manens idem semper est aptum facere idem.

42 Secunda verò pars eiusdem assertionis, quæ est contra quamplures, suadetur ex eo quia huiusmodi species productæ sunt ab intellectu agente per conuersionem ad phantasmata, & dependenter ab illis, ea dependentia, quæ necessaria est, vt verificari possit illas in sui productione à phantasmatibus abstractas fuisse. Hoc autem maximè importare videtur quod non possint esse vicariæ obiectorum suorum, & eorum vices supplere inordine ad intellectiones de illis formandas, nisi sub phantasmatum velamine dicta obiecta exprimendo. Sed intellectiones expressiuæ obiectorum sub velamine phantasmatum, hoc est quatenus circa illa versatur phantasia, debent necessariò procedere ab anima Corpori coniuncta; nam indigent vt obiectum prius á phantasia cognoscatur, & postea sic cognitum & phantasmate veluti obductum, intelligatur. Ergo cum anima separata non possit formare phantasmata, vt potè materialia, & ab organo corporeo immediatè pendentia: rectè deducitur neque posse vti speciebus intelligibilibus, quas in statu coniunctionis cum Corpore acquisiuit ad vllum actum intellectionis exercendum.

43 Confirmatur hæc pars Conclusionis primò quia anima in statu coniunctionis vti nequit speciebus intelligibilibus, quas á phantasmatibus abstraxit, absque eo quod in phantasia producat de nouo phantasma simile illi, quod initio produxit, à quo dictæ species abstractæ fuerunt, vt fert communis sententia. Ergo signum est quod dictæ species in sua virtute operatiua sint ita limitatæ, vt non nisi quando operatur phantasia formando phantasma eiusdem obiecti, valeant operari; atqui in statu separationis anima non potest operari per phantasiam, quia hæc est potentia materialis, quæ indiget organo ad operandum. ergo &c.

Confirmatur secundò eadem pars, quia Anima ex D. T. extra Corpus, vti vidimus, intelligit modo Angelico; sed hoc saluari nequit, si vti posset in intelligendo speciebus intelligibilibus, quas in statu coniunctionis sibi comparauit, siquidem illis non nisi humano modo potest intelligere. ergo &c. Quod si quæras in quo modus Angelicus positus sit? Respondeo: in eo quod cognoscat per intuitiuam cognitionem ea, in quibus aliqua specialis difficultas non reperitur. Porrò hunc modum cognoscendi non pertinere ad animam in statu coniunctionis cum Corpore patet ex eo, quia nullum obiectum assignari potest, quod sic anima in dicto statu intuitiuè cognoscat; si quod enim assignabile esset, maximè accidentia, quæ per externos sensus percipit. Porrò hæc non cognoscere intuitiuè patet, ex eo quià non discernit eorum prædicata. Quare non nisi intuitionem effectiuam circa illa exercet, quæ est intuitio secundum quid, non verò obiectiuam, quæ dicitur absolutè intuitio, vti supra, cum de intuitione, notauimus. 44

Tertia denique Conclusionis pars sequitur euidenter ex dictis. Nam ex suppositione quod ad cognoscenda obiecta sua anima separata indiget speciebus intelligibilibus, sicuti indigere patet ex Angelis, & non potest vti speciebus, quas in coniunctione cum Corpore acquisiuit: necessariò sequitur quod debeat illas à Deo vt ab auctore naturæ expectare. Non enim potest assignari aliud principium, quod dictas species in ea producat vti diximus cum de speciebus angelicis disputauimus. 45

Dices Anima separata non solum cognoscit res, quas antea nouit sed verè, & propriè de illis recordatur. Sed recordatio debet fieri per easdem prorsus species, per quas res antea cognita fuit; dicitur enim recordatio quasi repetita cognitio. Ergo non cognoscit obiecta cognita per species infusas à Deo, sed per prius acquisitas. Respondeo negando minorem; & ad eius probationem dico: recordationem esse quasi iteratam cognitionem eiusdem rei, quatenus antea cognitæ. Hoc autem totum fieri rectè posse per distinctas species repræsentatiuas tum obiecti antecedenter cogniti, tum cognitionis de eo habitæ. Dixi esse quasi iteratam cognitionem, nam ad primam cognitionem obiecti animæ concurrunt tanquam principia species dictæ cognitionis, sicuti ad recordationem concurrunt. 46

Arriaga disputatione 10. sect. 3. sub numero 35. multipliciter probat animam in statu separationis non posse recordari per alias species infusas à Deo. Primò quia 47

forte non accipit species à Deo, sed ab obiectis; ab his autem nequit habere species memoratiuas, vt patet. Secundò quia si id cognoscit per species infusas á Deo, omnes animæ deberent omnia cognoscere, quæ in mundo contigerunt, quia omnibus á Deo eædem species infundi debebant. Tertiò quia damnatis non infundit Deus perfectiores species, id enim esset illos ornare. Quartò, quia, quando aliundè habent species, non est vlla necessitas fingendi illas destrui, & nouas alias illorum loco produci.

48 Sed nulla ex his rationibus habet vim. Ad primam enim dicendum: nos supra docuisse Angelos non ab obiectis, sed à Deo immediatè species intelligibiles accepisse: multo magis igitur id dicendum est de animabus, que sunt Angelis imperfectiores. Ad secundam, nego sequelam, & dico, quod etiam si concederem animabus separatis infundi à Deo species vniuersales, similes speciebus Angelicis, non sequeretur eas beneficio dictarum specierum debere cognoscere omnia, quæ in mundo contigerunt, sed solum ea, de quibus habuerunt cognitionem in statu coniunctionis cum corpore; si enim negauimus Angelos vti posse speciebus vniuersalibus in ordine ad obiecta præterita, ad quæ non attenderunt, quando existebant dicta obiecta; multo minus hoc negandum est animabus. Ad tertium, nego antecedens, & ad rationem in contrarium aio; Deum non negare damnatis ornamenta, quæ naturaliter exigunt, huiusmodi autem esse species, quas in statu separationis infundit. Ad quartum denique, nego duo, quæ assumuntur: nimirum, quod animæ separatæ amittant species, quas ex obiectis in statu coniunctionis habebant, & quod nulla sit necessitas dicendi alias similes acquirere, vt patet ex dictis.

49 Sed adhuc obijci potest contra prædicta Primò, quia si animæ separatæ non possent vti speciebus, quas coniunctionis tempore acquisiuerunt: sequeretur quod essent dictæ species in illis otiosè, non enim assignari posset ad quid ipsis inseruirent; sed hoc est absurdum. ergo &c.

Respondeo, negando antecedens; & ad eius probationem dico, quod inseruirent illis ad ornatum, aliquod enim ornamentum est habere signa manifestatiua obiectorum, & cognitionũ in quibus quando essent coniunctæ cum corporibus se exercebant. Quemadmodum enim ex suppositione, quod potentiæ omnes animæ rationalis sint ab illa distinctæ, atque spirituales in entitate sua: remanent in illa in statu separationis eius, atque adeò anima habet in eo statu facultatem visiuam, auditiuam &c. etiam si earum actus exercere non valeat: ita dicimus de speciebus acquisitis.

50 Obijcies iterum: in statu separationis anima retinet habitus acquisitos, & ijs vti potest. ergo si retinet species acquisitas, etiam vti eis poterit. Respondeo admisso antecedente, quo ad vtramque partem, licèt quo ad posteriorem dubium sit: nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia habitus se tenent ex parte potentiarum, quas adiuuant. Vnde est vt cum proportionali amplitudine inclinent ad obiecta propria; quare sicuti potentia rationalis tum in statu coniunctionis, tum in statu separationis potest obiecta sua attingere: ita & habitus potest illam in vtroque statu adiuuare, vel discurrendo circa eadem obiecta euidenter cognita, vel ex illis alia deducendo. at verò species cum se teneant ex parte obiectorum sunt multo magis in operando restrictæ, quare hoc ipso, quod vno modo representent obiectum nõ possunt alio modo illud representare.

SECTIO QVARTA.

De motu locali animæ separatæ.

PRima Conclusio anima separata non vendicat sibi ex suis intrinsecis aliquem determinatum in mundo locum. Est communis. 51

Probatur Mundus est corporeus, sicuti omnia loca, quæ in illo sunt, sed anima separata non est affixa alicui corpori, neque quantum est de se in vno potest melius se habere quam in alio; quia á rebus corporeis neque vtile, neque damnum participare potest. ergo anima non sibi vendicat ex suis intrinsecis locum aliquem determinatum in mundo. Hinc autem nõ sequitur defactò ex supernaturali prouidentia Dei animas iustorum non habere domicilium suũ in Cælo, & animas impiorũ in inferno. 52

Neque item bene deducitur, casu quo homo non fuisset ad supernaturalem statum eleuatus, sed in pura natura relictus, quod Deus peculiare domicilium omni voluptate refertum animabus iustis, sceleratis verò locum tormentorum suis flagitijs debitum speciali prouidentia non assignasset; ad quod antiqui lumine fidei destituti peruenerunt, fingentes campos Elysios pro iustis, & Erebum pro impijs destinatum. Verum hæc specialia, & determinata loca animæ non ex sua natura sibi determinarent, sed ex extrinseca deputatione Dei: vt constat ex dictis. 53

Secunda Conclusio anima in statu separationis est capax motus; vndè saltem ab extrinseco moueri potest. 54

Probat Arriaga *numero* 40. hanc Conclusionem sic: anima ex sua essentia non est alligata huic potius spatio imaginario, quam alteri, vt patet ex eo, quia in quocumque loco potest homo mori. Verum hæc ratio non est efficax posset enim aduersarius respondere, quod immobilitas non proueniat illi ex alligatione ad locum aliquem determinatum, sed ex incapacitate, quam habet recipiendi in se motum localem. Quare licèt in quolibet loco posset homo mori, non indè sequitur, eam posse locum illum deperdere, & in alio loco reponi: quare hac ratione posthabita. 55

Probatur efficaciter assertiò: Non potest assignari caput, ex quo proueniat animæ incapacitas ad recipiendum in se motum. ergo cum videamus cætera omnia entia finita substantialia esse capacia motus, idem asserere debemus de anima separata. Consequentia patet, nam vt inductione patet, hæc capacitas videtur esse proprietas 56

prietas omnis substantiæ finitæ, dico, finitæ, quia infinitum est immobile, vti vidimus in Physicis. Antecedens probatur, quia huiusmodi incapacitas vel proueniret illi ex perfectione, quam habet, quatenus substantia spiritualis est, & hoc non; quia in Angelis maior perfectio substantialis habetur, & tamen possunt à Deo moueri iuxta illud: Vidi satanam tanquã fulgur de Cælo cadentem: vel ex imperfectione, quia est semiens, & semisubstantia, & hoc neque; quia motus localis est forma valdè imperfecta; quare non est cur respuat habere pro subiecto animam rationalem, quæ licèt sit semisubstantia: est tamen spiritualis, & omnium formarum perfectissima.

57 Tertia Cõclusio: Anima separata potest se ipsam defactò mouere localiter. Probatur, quia anima corpori coniuncta habet virtutem se mouendi simul cum corpore. ergo multo magis separata, quando vinculis corporeis resoluta est, poterit se ipsam mouere. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia si in statu separationis non posset: maximè quia, vt dicunt aliqui, virtus illa motiua, quam habebat in corpore, erat materialis in essendo, ab organo corporeo in suo esse dependens, atque adeò per separationem à corpore destruibilis; sed hoc est falsum: erat enim spiritualis siuè fuerit identificata cum ipsa anima, vti nos sustinemus, siuè non: ad eum planè modum quo virtus motiua Angelica est spiritualis. ergo &c. Scio esse aliquos, qui duplicem virtutem motiuam animæ in statu coniunctionis attribuunt: vnam in sua entitate materialem organo corporeo affixam, alteram in se spiritualem, & dicunt quod licèt in statu separationis amittat priorem, at non posteriorem. Sed hæc virtutum multiplicatio non est necessaria; si enim Angelus per virtutem motiuam in se spiritualem mouere potest localiter se ipsum, nec non etiam corporea alia, siuè assumpta à se, siuè non: cur anima non poterit etiam per similem virtutem se ipsã, & suum corpus pariter mouere?

Dices: Lucæ 16. habetur: Lazarum in sinum Abrahæ ab Angelis delatum, Diuitem verò epulonem in Infernum sepultum, vtique à Dæmonibus. ergo quia animæ separatæ non possunt ab intrinseco moueri, sed solum per virtutem extrinsecam Angelorum siuè bonorum, siuè malorum. Respondeo negando consequentiam, vt patet in hominibus, qui licèt ab intrinseco moueri localiter possint, solent tamen ab extrinseco motore in aliquem locum deferri. 58

Dices iterum: Si anima sine corpore ab intrinseco posset se mouere: sequeretur quod in statu coniunctionis posset per huiusmodi virtutem ex libito ad tempus relinquere corpus, & postea reuerti. sed hoc est absurdum. ergo &c. Respondeo negando sequelam. Natura enim comparatum est, vt in hoc imitetur naturã reliquarum formarum, quæ, nisi deperdantur earum dispositiones necessariæ, non desinant informare materiam. 59

Quarta Cõclusio: Anima separata potest quoque mouere alia corpora. Probatur, quia licèt non videatur repugnare substantia spiritualis, quæ se ipsam mouere possit, non verò alia corpora: non possumus asserere animam rationalem esse huiusmodi; nam defactò videmus eã in corpore existentem mouere illud, nec non etiam alia, vt lapidem, quando illum proijcimus &c. Dicere autem, quod, cum sit forma corporis, non est capax illud mouendi, nisi ipsum informet, est vanum: cum quia sicuti non obstãte quod sit forma corporis, est capax existendi absque eo, quod illud informet: ita, & operãndi non solum immanenter, sed etiam transeunter, vt videre est in Angelis, qui hoc ipso, quod existunt independenter à materia, non solum possunt immanentes operationes exercere intelligendo, mouendo se &c. Sed etiam transeuntes motum localem in alienis corporibus producendo. 60

ATQVE HAEC IN LAVDEM OMNIPOTENTIS DEI, BEATISSIMAEQVE VIRGINIS.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS VNICVS IN LIBROS METAPHYSICOS ARISTOTELIS.

PROEMIVM.

METaphysicæ nomen more Græcorũ ex meta, quod idem significat ac Trans siuè post, siuè etiam supra, & ex physica est compositum; idemque valet ac Transnaturalis, seù Supernaturalis scientia, eo quod tota in contemplatione rerum ab omni materiæ concretione segregatarum ad quas physica nequit se extendere occupatur. Ex quo huius scientiæ præstantia, ac celsitudo supra reliquas constare potest; quæ tanta est, vt naturalia omnia veluti despiciat ab vniuersaque materia penitus abstrahens, Deum ipsum, atque intelligentias suæ obijciat considerationi. Nil mirum igitur si innumeris honorum insignibus, ac magnificis titulis vbique Philosophus illam condecoret; non enim vno verbo eius præstantiam, munera atque laudes satis poterat declarare. Cum igitur Philosophiam illam *quarto met. tex. 3.* per antonomasiam absolutè nominauit, ostendit sapientiæ studium, quod Philosophiæ nomine importatur, in hanc vnam scientiam præcipuè adhibendum esse: Cum autem *sexto eiusdem operis libro tex. 3.* primam dixit esse philosophiam; dignitatem, qua supra cæteras scientias se extollit, declarauit. Cum verò *primo met. cap. primo* eam proprijssimè sapientiam esse docuit, eius vniuersalitatem, qua primas rerum omnium causas, atque principia contemplatur, per quod cæteris eminet, atque æquiualet, insinuauit. Cum denique *sexto met. cap. primo* Theologiæ nomine illam donauit, eam summum contemplationis fastigium attingere, Deumque ipsum quantum naturali lumini fas erit, speculari testatus est; per quod à Sacra Theologia scientia hæc sufficienter distinguitur; quidam illa supernaturali reuelantis fidei claritate illustrata, ea quæ ad Deum pertinent, contemplatur. Verum quia vniuscuiusque scientiæ dignitas, & præstantia ex suo obiecto potissimum pendet ideò sit.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA

DE ADAEQVATO METAPHYSICAE OBIECTO.

1 NOmine obiecti adæquati non intelligimus id, quod omnia, quæ considerat quomodocumque scientia, complectitur; sed quod ea tantum continet, quæ per se scientia contemplatur, quale in Physicis diximus esse Corpus naturam habens, quatenus naturã habens.

SECTIO PRIMA.

An obiectum adæquatum Metaphysica sit ens sub se entia etiam peraccidens, & entia rationis comprehendens.

2 DVas extremas Doctorum sententias in assignando huius scientiæ obiecto reperio. Quarum altera illud plus æquo dilatat, altera verò nimium restringit. In præsentia cõtra priorem disputo. Fuit igitur opinio Zimaræ *in sua tabula verba. Ens*, Aquarij *in primum Metaph. dilucidatione prima*, & aliorum existimantium Metaphysicæ adæquatum obiectum esse ens latissimè sumptum, quatenus comprehendit quodlibet ens, siuè per se, siuè per accidens, siuè reale, siuè etiam rationis. Contra quos sit.

3 Vnica nostra Conclusio: Neque ens per accidens, neque ens rationis sunt obiecta Metaphysicæ partialia; & per consequens ens latissimè sumptum, quatenus ad illa etiam se extendit, nõ est adæquatum huius scientiæ obiectum; Ita communiter.

Probatur primò quantũ ad ens per accidens, quia huiusmodi és dupliciter sumi potest, vel pro aggregato, & composito accidentali permodum entis incomplexi, atque subiecti accepto, sicuti est aceruus lapidum, aut calidum V.G. vel pro effectu per accidens, qui cum casu, & contingenter eueniat, nullam habet cum medio termino connexionem. Neutro autem ex his modis potest ad Metaphisicam ens per accidens tãquam obiectum propriè pertinere. ergo &c. Maior patet. Minor probatur; & quidem quod non possit primo modo constat ex eo, quia aggregatum ex pluribus entitatibus est simpliciter plura, neque vllam habet vnitatem, nisi vel materialem, vel obiectiuam tantum in intellectu, & sic de eo præcipua passio Metaphysica, quæ est vnitas demonstrari propriè non potest, nisi forte per quamdam similitudinem imperfectam atque impropriè. Ex quo fit vt impropriè dumtaxat, ac reductiuè huiusmodi ens per accidens ad hanc scientiam pertinere possit. Quod verò neque possit ens peraccidens secundo modo sumptum, pro effectu scilicet per accidens, patet tum ex Aristotele *ipso sexto met. summa secunda cap. secundo, & quarto* vbi apertè à Metaphysica consideratione tale ens per accidens excludit: tum etiam quia obiecta propria scientiarum, *vt vidimus in tractatu de scientia*, esse debent omnino necessaria; alioqui si possent aliter atque aliter se habere, nunquam de illis certam cognitionem habere possemus. ergo &c.

4 Probatur secundò Cõclusio quantum ad posteriorem partem de ente rationis: Ens rationis est duplex, alterum Logicum, Metaphysicum alterum. Porrò Logicum cum in extrinseca denominatione consistat, neque vnum ens est, atque adeò nequit habere rationem obiecti Metaphysici; ens verò rationis Metaphysicum non est nisi fictio quædam veri entis realis, & veluti eius vmbra; vndè est, quod vmbratili quadam ratione communes cum illo passiones participet, vnitatem scilicet, veritatem, ac bonitatem. sicuti igitur Physica non habet pro obiecto ens naturale sub se verum, & fictum comprehendens; ita neque Metaphysica habere poterit pro obiecto suo adæquato ens vniuersaliter sumptum ad ens reale, & rationis se extendens.

5 Obijcies primò: Aristoteles *quinto met. tex. 2.* agit de ente per accidens. Entis igitur per accidens contemplatio pertinet ad Metaphysicum. Confirmatur, quia hoc ens naturali lumine attingi potest, & habet rationes quasdam communes cum ente per se. igitur non est cui non possit esse obiectum huius scientiæ partiale.

Respondeo admisso eo, quod ex *Aristotele* affertur, distinguendo consequens: *ergo* contemplatio entis per accidens pertinet ad Metaphysicum per se ac directè, nego: ratione alterius, scilicet entis per se, cui opponitur, concedo consequentiam; Ex quo non sequitur illud esse huius scientiæ obiectum; siquidem id, quod in aliqua scientia se habet vt obiectum, debet per se, & directè ad illam pertinere. Ad confirmationem autem dico non sufficere ad constitutionem obiecti alicuius scientiæ, quod illud sit naturali lumine cognoscibile, & quod communes aliquas rationes cum verò obiecto participet, sed præterea requiritur, vt sit aliquid cui primò, & per se passiones seù attributa illa conueniant, quæ à tali scientia considerantur; quod cum non habeat ens per accidens: sequitur, quod ratio illa communis entis sibi, ac enti per se non possit aliquam scientiam directè terminare.

6 Obijcies secũdò: idem Aristoteles *quarto met. tex. secundò* diuidens ens Metaphysicum: quædam esse entia, dixit, tanquam corruptiones, & priuationes. Tum sic: priuationes, & corruptiones sunt obiecta Metaphysicæ. ergo multo magis erunt obiecta illius entis rationis; siquidem

Digitized by Google

quidem hæc multo magis de vero ente participant, eique assimilantur.

Respondeo Philosophum appellasse negationes, & priuationes entia abusiuè, quatenus scilicet à nobis, vt quid positiuum concipiuntur. Ad argumentum verò nego antecedens; non entia enim reductiuè tantum ad hanc scientiam pertinent; in quantum iuuant ad eius obiectum perfectè cognoscendum propter oppositionem maximam, quam cũ eo habent. Sic quoque existimandũ est quod entia rationis ab eadem considerentur, in quantum ad eandem scientiã pertinet agere de eo, quod tale est, & quod tale esse videtur.

SECTIO SECVNDA.

An obiectum Metaphysicæ sit aliquid minus latè patens quam ens Reale.

9 NOn vna tantum ratione Doctores obiectum adæquatum Metaphysicæ restringunt. Alpharabius enim, Auicenna, & nouissimè P. Hurtadus *disput. prima met. sect.* 3 & 4. existimant esse solum ens increatum, scilicet Deum. Contra verò Flandria vult esse solum ens creatum, & finitum, quod in decem prædicamenta diuiditur. Auerroes autem *primo Phys. comment. vltimo* vult obiectum huius scientiæ adæquatũ solam esse substantiam immaterialem, Deum, & Angelos comprehendentem. Quartò denique Iacobus Valesius *disput. prima Met. cap.* 9. & 15. & Iulius Sirenus *in disputatione de subiecto Philosophiæ sectâ secunda cap.* 25 ad quamcumque substantiam, siue materialem, siue immaterialem se extendere docent. Contra quos omnes sit.

Prima Conclusio: Neque Solus Deus, vt vult Arriaga *in Proæmio Metaphysicæ* sequutus Hurtadum *disput. prima metaphys. sect.* 4. neque solum ens creatum, vt alij maluut, esse possunt adæquatum huius scientiæ obiectum.

Probatur, quia ex vna parte tum Deus, tum ens creatum possunt ab vna scientia per se, & directò considerari, quatenus in aliqua ratione per se scibili inter se conueniunt, scilicet in ratione entis. Ex alia verò parte passiones communissimæ, vnitas scilicet, veritas, & bonitas, quas Metaphysica de suo obiecto demõstrat, neque de solo Deo, neque de solo ente creato demonstrantur, sed potius de aliqua ratione veriusque communi: ergo cum nulla alia scientia assignari possit, quæ vtrumque secundùm illam rationem communem attingat præter Metaphysicam, quam defactò vidimus de passionibus ab huiusmodi ratione communi profluentibus disputare, dicendum est ad illam vtrumque ens tanquam obiectum partiale pertinere.

Obijcies primò Aristoteles *sexto Metaphy. cap. primo*, & alibi appellat Metaphysicam scientiã de Deo: ergo eius adæquatum obiectum Deus est.

Respondeo negando consequentiam, rectè siquidem potest aliqua scientia ab obiecto suo partiali principali denominationem accipere; & hoc habet Metaphysica dum scientia de Deo appellatur.

Obijcies secundò ens creatum consideratur à Metaphysica, prout dicit ordinem, & attributionem ad Deum: ergo solus Deus, & non ens creatum est obiectum illius. Antecedens patet, quia ens creatum vt ens creatum est, distinguitur ab ente increato per trascendentalem ordinem, quem dicit ad illud; sed à Metaphysica ipsum ens creatum consideratur, prout distinguitur, & prout distinctam speciem ab ente increato constituit; sic enim sumptum participat abstractionem ab omni materia. ergo &c. Consequentia verò probatur, quia ea, quæ considerantur in vna scientia prout dicunt attributionem ad aliud, non possunt in illa scientia rationem obiecti partialis participare.

Respõdeo distinguendo antecedens: Ens creatum consideratur in Metaphysica, prout dicit ordinem, & attributionem ad Deum, ita vt cõsideretur etiam alio modo transeat: ita vt nullo alio modo consideretur, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem distingo eodem modo maiorem: Ens creatum, vt ens creatum est, distinguitur ab ente increato per transcendentalem ordinem, quem dicit ad illud, ita vt distinguatur etiã per aliquid aliud, per esse scilicet finitum ac limitatum, concedo: ita vt per aliud nihil nisi per istum ordinem distinguatur, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam in sensu intento ab aduersarijs. Ad probationem verò consequentiæ aio, quod licet ens creatum, quatenus consideratur in Metaphysica vt Analogum attributionis respectu Dei, non sit eius obiectum partiale, quia tamen considerabile etiam est vt Analogum proportionis, quatenus in aliquo conceptu simili cũ eo proportionaliter conuenit: hinc fit vt sub hac reduplicatione non sit excludendum à ratione obiecti. A contrario sensu Deus licet quatenus consideratur à Metaphysica vt primum principium & vt causa omnis entis creati, non pertineat ad illam tanquam obiectum sed tanquam principium; quatenus tamen consideratur vt ens infinitum independens, sapientissimum &c. nil prohibet quo minus sit obiectum illius.

Instabis: finiti ad infinitum nulla est proportio: ergo ens creatum non potest vt analogum proportionis comparari ad ens increatum.

Respondeo antecedens esse verum, loquendo de proportione perfectionis, atque intensiua, quam arithmeticam appellant: falsum verò si in eo sermo sit de proportione geometrica, quam Fonseca 4. *met. cap.* 2. *quæst.* 2. vocat similitudinis, seu imitatiuam, quæ consistit in eo quod ficuti se habet Deus ad suum esse, ita se habeat ad suum proprium creatura. Sic nego consequentiã, quia sufficit hæc proportio ad hoc vt possint ens creatum, & increatum vnam rationem obiecti participare.

Instabis iterum: ratio communis Deo, & creaturæ vel creata est, vel increata; neutrum dici potest: ergo non datur. Minor patet, quia si increata est, non potest verificari de creaturis, neque cum illis identificari; si autem creata de Deo affirmari nequit.

Respondeo, & quidem à parte rei dico illam entis rationem partim creatam, & partim

increatam esse; obiectiuè autem, secundum quod dicit explicitè, nego esse creatam, aut increatam, licet secundum id, quod importat implicitè, vtrumque sit, sicut est à parte rei. Neque hoc mirum videri debet quia eius conceptus non est vnus vniuocè. sed tantum analogicè, vt dicemus. Atque hic obiter aduerte ly increatum à nobis in præsentia sumi pro eo, quod importat negationem creationis; cæterum si præcisiuè sumatur, non est absurdum concedere, quod illud ens á Deo, & Creaturis præscindens sit præcisiuè increatum. Neque ex hoc sequitur, quod non possit de creaturis cum veritate affirmari sicuti in simili aduertimus in Physicis cum de principijs in communi.

21 Obijcies tertiò: Præstantissima scientia sicuti est Metaphysica, præstantissimũ obiectũ totale sibi vendicat; sed huiusmodi est solus Deus; ergo &c.

Respondeo distinguendo maiorem: præstantissima scientia sibi vendicat obiectum præstantissimum eo modo, quo est naturali lumine attingibile, concedo: eo modo, quo non est attingibile per lumen naturæ, nego maiorem; & distincta eodem modo minore: huiusmodi est solus Deus, ita vt in hac solitudine Deus non sit naturali lumine attingibilis, concedo: ita vt sic sumptus per hoc lumen attingibilis sit, nego minorem, & consequentiam. Aio enim quod à naturali scientia Deus primò, & per sè attingi non potest, nisi secundùm quasdam rationes, quas habet cum creaturis communes, licet postea secundariò per quamdam analogiam, ac intercedente discursu secundùm quasdam peculiares rationes possit valde imperfectè cognosci; vnde est quod sub his rationibus cognitus, esse possit obiectum partiale, non autem totale, & adæquatum.

22 Instabis: si Deus haberet rationem aliquam cum ente creato communem, sequeretur quod ratio illa esset Deo ipso prior; sed hoc censetur absurdum. ergo &c.

Respondeo distinguendo sequelam, sequeretur quod illa ratio esset prior prioritate naturæ, nego: prioritate continentiæ vel prædicationis, concedo sequelam; & sic distincta minore, nego consequentiam. Illa enim ratio quia est identificata cum inferioribus, nequit esse prior illis prioritate naturæ, secundùm quam prioritatem implicat Deum esse quid posterius aliqua ratione; quia vero dicta ratio communis, est Deo vniuersalior in prædicando, in quantum prædicatur etiam de alijs rebus, quæ non sunt Deus; ideo dici potest prior prædicatione vel continentia; non dicitur autem communiter hæc eadem ratio prior ipso Deo in subsistendi consequentia: quia hæc prioritas præter prioritatem prædicationis, requirere videtur quod illa alia, de quibus præter Deum prædicatur, ab ipso Deo, minimè dependeant, sicuti equus de quo prædicatur animal, quia à Leone de quo etiã verificatur quod sit animal non dependet, idcirco dicitur animal prius Leone in subsistendi consequentia. Hoc autem in casu nostro locum non habet.

23 Objicies quarto: D. Thomas *opusc. 30. quæst. 5. art. 4.* per hoc Metaphysicam à Sacra Theologia distinguit quod hæc considerat Deum tanquam principium subiecti: Theologia verò eundem speculetur tanquam subiectum, & propter sè. ergo saltem in sententia Diui Thomæ Deus non est obiectum partiale Metaphysicæ.

Respondeo S. Doctorem *loco cit.* loqui de Deo, quatenus primo à nobis cognoscitur; in Metaphysica enim non alia ratione, ordine, inquisitionis cognoscitur Deus, nisi vt principium, & causa rerum creatarum, at in Theologia, per reuelationem, & lumen fidei, primum quod cognoscitur est Deus ipse per sè, & directe, & ad illum postea omnia ordinantur. Per hoc autem non negauerim quod postea quam Deus iam est à Metaphysica cognitus, vt principium, non possit ab eadem vt obiectum considerari.

Objicies quintò: obiectum adæquatum Sacræ Theologiæ est Deus supernaturaliter cognitus; ergo obiectum adequatum Metapysicæ erit etiã Deus sed cognitus naturaliter.

Respondeo dato antecedente quod à multis negatur, nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia omnia quæ in Sacra Theologia tractantur, non tractantur nisi pro vt dicunt ordinem, & attributionem ad Deum, in quantum ad illum cognoscendum, ordinantur; vnde est quod rationem sub qua deitatis in illa scientia induãt, at verò creaturæ in Metaphysica cõsiderantur etiã pro vt conueniunt cum Deo in Analogia proportionalitatis, qua ratione præcipuas entis passiones participant.

Secũda Cõclusio. Obiectũ Metaphysicæ adæquatũ non est sola substãtia, siuè demũ ad immaterialẽ, & materialẽ substãtiã sè extendat, siuè ad solam immaterialem, & separatã sè restringat. 24

Probatur, quia ratio formalis sub qua substãtia immaterialis attingi potest à Metaphysica, non solũ á materiali substantia, sed etiã ab accidente participatur, sumpto vtroque secundũ rationes quasdam vniuersaliores. ergo si aliũde nõ obstat præter substãtias separatas tũ substantiã materialẽ, tum etiã accidens hæc scientia quoq; obiecta sua partialia respicere debet, sed nihil impedit, quo minus hæc omnia in hũc modũ respiciat ergo &c. Antecedẽs probatur quia ratio formalis sub qua substãtia spiritualis attingitur à Metaphysica, est abstractio ab omni materia signata sensibili, & intelligibili; sed tũ substãtia materialis, tum etiam accidens, secundùm quod sunt entia, à triplici hac materia abstrahũt. ergo &c Subsumptum verò præterquã quod ex solutionibus argumentorũ patebit, probatur, ex eo quia si quid impediret, vel esset quia neque substantia materialis, neque accidens rationẽ formalẽ, quæ Metaphysicæ participare possunt, vel quia vniuersalissimæ passiones, quas hæc scientia de suo obiecto demonstrat, de illis minimè demonstrari possent; vtrũq; autẽ falsum est, ratio enim entis, quæ est ratio formalis, quæ obiectiua metaphysici, vt infrà probabitur, verè, & priùs priè tũ ab accidente tum à materiali substantia participatur. Vnitas præterea, Veritas, & Bonitas, quæ sunt vniuersalissimè huius scientiæ passiones, non minus his competunt quam substãtijs separatis, vt sè sè ostendit manifestum. ergo &c

Contra

Confirmatur, quia si saluare possumus, quod una scientia detur, quæ non solum immateriales substantias, sed materiales etiam, earumque accidentia per se, & directè consideret: debemus ita asserere, ne scientias totales sine necessitate multiplicare cogamur. atqui possumus, dicendo dari metaphysicam quæ ista omnia in ratione entis ab omni materia præscindentis contempletur, ergo &c.

85 Obijcies primò Aristoteles 4. *met. tex.* 4. ait tot esse partes Philosophiæ, quot sunt substantiæ; sicuti igitur Physica, quæ est vna pars Philosophiæ versatur circa materialem substantiam, ita Metaphysica circa spiritualem. Præterea 6. *met. tex.* 4. docet: Metaphysicam versari circa speculabilia, vnde infert quod si nõ essent substantiæ separatæ, periret vtique Metaphysica, & sic Physica esset prima Philosophia.

Respondeo explicando Aristotelem 4. *enim met.* nomine partium Philosophiæ non intelligit Physicam, & Metaphysicam, sed partiales scientias, quæ constituunt vnam Metaphysicam, quæ per antonomasiam Philosophia nuncupatur, vnde nego consequentiam, quia vnus, & idem obiectum materiale, quod est substantia materialis, potest sub diuersa ratione ad diuersas scientias pertinere. *Sazio vero Mes* voluit assignare solum obiectum proprium Metaphysicæ partiale, illud scilicet, quod à nulla alia scientia naturali tanquam obiectum consideratur; huiusmodi autem est sola substantia immaterialis. Ad id verò quod de deperditione huius scientiæ additur, dico, quod dupliciter aliqua scientia deperdi potest: primò, per se, & formaliter, per ablationem scilicet obiecti adæquati; secundò per accidens, & cõsequenter, ex eo nimirum quia aliquod obiectũ partiale deperditur, à quo tota abstractio per se requisita ad illius scientiæ constitutionem dependeat; iam verò si substantiæ separatæ non darentur, posteriori dumtaxat modo, Metaphysica destrueretur, in quantum non haberetur à nobis amplius fundamentum concipiendi rationem entis in communi ab omni materia abstrahentem.

86 Obijcies secundò: idem Philosophus 7. *met.* 3. loquens de substantia, hæc habet; Maxime, & primum, & solum, vt ita dicam, de ente hoc pacto quod nam sit, speculandum est *quare vero duodecim libri* speculatio, inquit de substantia est, siquidem substantiarum principia, & causæ quærunturs, ergo substantia in communi per Aristotelem est adæquatum Metaphysicæ obiectum.

Respondeo negando consequentiam; Philosophus enim in vtroque loco de subiecto partiali principali, non autem de totali verba facit; quod constat ex eo quia priori loco post verbum (solum) addidit particulam illam, (quodammodo) posteriori verò, (dumtaxat) hoc est, in eo libro qui est pars totius Metaphysicæ tractationis promittit agere de substantia, deque eius causis, atque principijs.

Obijcies tertiò: obiectum Metaphysicæ adæquatum debet se se ratione abstrahere ab omni materia; sed huiusmodi est sola substantia immaterialis, ergo &c.

Respondeo negando maiorem; satis siquidem est, si abstrahat ratione tantum; re autẽ solum necesse est vt abstrahant obiecta quædã partialia, quæ præbent fundamentum abstrahendi per intellectum rationes vniuersales ab ente materiali vtrisque communes.

SECTIO TERTIA.

An obiectum Metaphysicæ adæquatum sit Ens vt Ens.

VNica Conclusio: Obiectũ huius scientiæ adæquatũ est ens vt eos sumptũ suppositione absoluta saltem inadæquata. Est S. Thom. 4. *met. lect.* 1. & 4. & *lib.* 6. & 11. *eiusdem operis lect.* 1. quem omnes fere Thomistæ sequuntur cum Suario *disp.* 1. *sect.* 1. *num.* 24. & aliis communiter vt bene aduertit Ouiedus *in præmio metaphys.* 17

Et quidem dicitur primò (ens) vt significetur obiectum materiale huius scientiæ esse tantum id, quod habet veram realem, & positiuam essentiam; hoc enim, nomine entis simpliciter prolato significatur.

Dicitur secundò (vt ens) per quod ostenditur ratio formalis, quã Metaphysica in suo obiecto materiali cõsiderat; hæc autẽ alia nõ est, quã ratio entis, in quantum ea vtitur ad passiones, quas in ente considerat demonstrandas; Ex quo habes idem ens sub diuersa ratione esse obiectum materiale, ac formale huius scientiæ; quatenus enim est id, de quo demonstrantur passiones; est materiale, pro vt verò est id per quod demonstrantur, est formale; licèt de reliquo saltem in modo significandi, quando sumitur vt formale, à se ipso debeat aliqua ratione differre, vt dicetur inferius; non solum autem ratio formalis, quæ, per hanc particulam exprimitur, sed etiam ratio formalis sub qua, si non formaliter, & explicite, at implicitè saltem, & consequenter; etenim si Metaphysica suum obiectum materiale, quod est ens in ratione entis contemplatur, sicuti ratio eius præscindit ab omni materia, ita illa omnem materialitatem saltem per non inclusionem à sua consideratione, remouere debet.

Dicitur tertio (sumptum suppositione absoluta,) quia non solum ens vt sic, sed inferiora etiam sub ente contenta, hæc scientia tanquam obiecta sibi partialia, inuestiganda proponit. Quoniam verò vnum ex inferioribus est ens materiale, de quo dubium est, vtrum ab hac scientia secundum quod materiale est, possit attingi, an verò secundum quasdam communes dumtaxat rationes, entis, scilicet, substantiæ, accidentis, & similium, secundum quas abstrahit ab omni materia: propter hanc dubitationem, vltimo loco particulæ illas addidi (saltem inadæquata) Conclusio aut sic explicata.

Probatur primò ex Aristotele 4. *met. tex.* 1. vbi hæc habet: Est *scientia* quædam, quæ speculatur ens pro vt ens est, & quæ ei per se in- 18

sunt; hæc autem nulli earum, quæ in parte dicuntur, eadem est; nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, pro vt ens est, considerant; sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit, speculatur, vt Mathematica scientiæ, ita Philosophus. Porrò hæc scientia, de qua loquimur, vt de se manifestum est, non potest esse alia, quam Metaphysica *lib. sexto eiusdem operis text. 3.* de Ente, inquit, pro vt ens, ac quid est, & quæ ei insunt, pro vt ens est, speculari huius est. Idem colligitur *ex primo met. cap. 2. & ex quarto tex. quinto* & *ex 12. summa secunda cap. primo, & secundo, & sæpè alibi.*

19 Probatur secundò ratione, & primò quidè quod obiectum adæquatum materiale huius scientiæ sit ens, sic: Illud est obiectum materiale adæquatum in aliqua scientia, de quo primæ, & præcipuè passiones, quas scientia illa considerat primò, & per se, & adæquatè demonstrantur; sed huiusmodi est ens in Metaphysica. ergo &c. Maior patet ex ijs, quæ de obiecto scientiarum in communi. Minor verò probatur, quia primæ, & præcipuæ passiones, quas considerat Metaphysica, vt patebit, sunt Vnitas, Veritas, & Bonitas; sed hæ passiones primò, & per se, & adæquatè non nisi de ente reali demonstrantur, vt constat ex eo, quia neque de ente vniuersalissimè accepto, quatenus sub se ens reale, & rationis comprehendit demonstrari verè possunt, sed fictè solum, & impropriè: neque de aliquo genere entis sub ente reali comprehenso solummodò, quia alia quoque genera suam propriam vnitatem, veritatem, ac bonitatem verè participant. ergo &c.

Secundò verò quod obiectum formale huius scientiæ sit ratio entis, probatur in hunc ferè modum: Illa est ratio formalis in scientia, per quam tanquam per quid prius passiones de obiecto demonstrantur; sed de ente vnitas veritas, & bonitas non nisi per rationem entis probari possunt, in quantum ab illa necessariò profluunt, eamque inseparabiliter comitantur. ergo &c.

20 Tertiò denique, quod ens sumi debeat suppositione absoluta saltem inadæquata, sic: quia Metaphysica non solum considerat ens in communi sumptum suppositione simplici, sed inferiora quoque genera sub illo contenta, vt substantiam, & accidens, substantias quoque separatas, vt Deum, & Angelos secundùm vltimas rationes, in quantum secundùm illas abstrahunt ab omni materia. ergo &c.

Probatur denique tertiò principaliter quia & substantia tum creata tum increata, & ab accidente abstrahi potest ratio quædam, scilicet ratio entis communis, si non Vniuoca, at saltè Analoga, ex qua dictæ passiones metaphysicæ profluant, & per quam de illis verè, & propriè scientifico modo demonstrentur. ergo tum substantia, tum accidens possunt sub aliqua scientia tanquam obiecta partialia considerari; sed non nisi à Metaphysica. ergo pertinent ad hanc scientiam vt obiecta; non possunt autem alio modo pertinere, nisi in ratione entis, obiectum igitur adæquatum huius scientiæ erit ens vt ens.

Dices si ratio assignata haberet vim; probaret etiam quod obiectum totale Metaphysicæ, vel saltem alicuius alterius scientiæ esset non ens præcisè sumptum ab ente reali, & à non ente negatiuo præcisum, in quantum hæc duo in aliqua ratione conueniunt, quæ cum sit latior ente, vt ens est, videtur esse illo nobilior. 21

Respondeo negando sequelam. Ratio verò negationis sic confici posse videtur: illud potest esse per se obiectum adæquatum alicuius scientiæ, quod est per se scibile; sed non ens præcisè sumptum non est huiusmodi. ergo nullius scientiæ obiectū esse potest. Maior patet. Minor probatur, id quod est per se scibile, est per se cognoscibile; sed tale non ens non est per se cognoscibile: nam cognoscibilitas per se consequitur ad ens reale. ergo &c. Vbi aduerte nullam aliàs ob causam Doctores asserere cum D. Dionysio Deum cognoscere per tenebras, & malum per bonum, quia id, quod non est ens reale, debet cognosci mediante alio. At si verè ens præcisiuū cognosci posset per se, multo magis posset non ens negatiuum, quia quidquid competit superiori, etiam inferiori competere necesse est. 22

Obijcies tamen primò ens reale communissimè sumptum non habet principia neque passiones de illo demonstrabiles. ergo non potest esse obiectum scientiæ alicuius: Consequentia patet, quia de obiecto in scientia debent posse à priori passiones aliquæ necessariò demonstrari. Antecedens probatur, quia si ens reale haberet principia, & passiones, hæc vel essent entia vel non entia. non potest dici primum quia sic neque principia obiecti essent, neque passiones, sed potius obiectum ipsum. neque Secundum, quia sic neque vera principia essent, neque vera passiones; veritas enim comitatur ens. Adde quod non ens non potest esse principij, neque passio entis, illi siquidem est oppositū.

Respondeo principia alicuius scientiæ esse posse duplicis generis: quædam *complexa*, & hæc sunt propositiones quædam *per se notæ*, dicunturque principia *in cognoscendo*, quibus scientia vtitur *in demonstrationibus* suis; quædam verò incomplexa; & hæc obiectum ipsum constituunt si sunt intrinsecæ, at principia in essendo communiter appellantur, & sunt in duplici differentia; hæc enim sunt veræ causæ intrinsecæ componentes obiectum: illa verò sunt formalitates quædam, quæ saltem ex nostro modo concipiendi sunt causæ virtuales si non obiecti, at ad minimum passionum. Porrò etiam passiones sic in duplici ratione; quædam enim non includunt essentialiter, & intrinsecè id, cuius sunt passiones; sicuti est risibilitas respectu hominis; quædam verò illud includunt, ita vt ei aliquam aliam rationem superaddant, cuiusmodi sunt attributa diuina, quæ essentialiter, & intrinsecè Deitatem involuunt, ideoque attributa propria, improprie verò passiones appellantur. Iam verò Metaphysica sub se habet complexa principia, quibus non solum ad suas Conclusiones probandas, sed ad aliarum etiam scientiarum obiecta defendenda vtitur vt: Quodlibet aut ens, aut non

Digitized by Google

non est: Inter contradictoria non datur medium, & cætera huiusmodi. Eius autē obiectū quod est ens, licèt non habeat principia incomplexa, quæ sint veræ causæ intrinsecæ ipsum componentes, quia hæc iam essent entia: habet tamen illa, quæ sint aliquo modo causæ virtuales passionum, & ex nostro modo concipiendi obiectum ipsum constituant; huiusmodi sunt ratio formalis entis in abstracto sumpta, & ratio eiusdem materialis, ex quibus nostro modo cōcipiendi ens semptum in concreto constituitur, de quò vnitas, veritas, & bonitas per formalem entis rationem, tanquam per aliquid à priori demonstrantur; quæ quia in suo conceptu formali rationem ipsam entis inuoluunt, eique negationem quandam, vel relationem rationis dumtaxat, vti dicemus, superaddunt, ideireo impropriè ac minus rigorosè passiones, propriè verò attributa entis appellanda sunt. Per quæ patet solutio ad argumentum.

Obijcies secundò: ens in communi est ignobilius quocumque alio ente in particulari; sed 23
obiectum Metaphysicæ esse debet omnium obiectorum nobilissimum. ergo ens in communi non est adæquatum huius scientiæ obiectum.

Respondeo distinguendo maiorem: Ens in communi sumptum suppositione simplici est ignobilius quocumque alio ente in particulari transeat maior: sumptum suppositione absoluta nego maiorem; & concessa minore, distingo consequens: ens in communi sumptum suppositione simplici non est obiectum adæquatum, concedo: sumptum suppositione absoluta, nego Consequentiam. In hac siquidem suppositione acceptum ens inuoluit in suo conceptu Deum, & Angelos, quæ sunt cæterorum entium nobilissima. Adde quod licèt ens in communi sumptum suppositione simplici, quod est obiectum huius scientiæ partiale, materialiter consideratum non sit nobilius quolibet ente materiali: si tamen consideratur formaliter, quatenus abstrahit ab omni materia, sub qua ratione spectat ad Metaphysicam, sine dubio dicta entia materialia in excellentia superabit.

Obijcies tertiò accidens in Metaphysica cōsideratur vt passio substantiæ; ergo non est eius obiectum partiale. Respondeo distinguendo antecedens, consideratur vt passio substantiæ: ita vt etiam consideretur vt ens, concedo: ita vt solum vt passio consideretur, nego antecedēs, & consequentiam. Licèt enim verum sit, quod quatenus consideratur vt passio, non sit obiectū, esse tamen, in quantum consideratur vt ens.

Instabis: accidens sub quacumque formalita- 24
te infra rationem entis consideretur, semper dicit esse in alio. ergo non potest esse obiectum partiale Metaphysicæ. Antecedens patet; Cōsequentia probatur, quia obiectū partiale, vt partiale est cōtradistingui debet á cæteris obiectis partialibus per aliquid, quod non constituat illud in ratione passionis; sed esse in alio constituit accidens in ratione passionis substantiæ. ergo &c. Respondeo concesso Antecedente, negando Consequentiam; ad cuius probationem concessa maiore: nego minorem. Ratio enim passionis non constituitur tātum per hoc, quod sit in alio tanquam insubiecto inhæsionis; alioqui calor deberet existimari passio aquæ calidæ, & ægritudo passio animalis; quod tamen falsum est; sed per hoc, quod emanet inseparabiliter ab essentia rei, cuius est passio, ita vt competat omni illi rei, & soli, & semper sub qua posteriori ratione consideratum accidens, concedo quod sit proprietas substantiæ, non quidem quatenus à creata, & increata præscindit, sed in quantum ad solam creatam contrahitur. At verò quatenus dicit solùm esse, in, aio quod sit genus quoddam entis considerabile per se tanquam obiectum partiale Metaphysicæ. 25

Instabis iterum: Accidens dicit essentialem ordinem ad substantiam. ergo si consideratur, in ordine ad substantiam consideretur necesse est; atqui quod in aliqua scientia consideratur in ordine ad aliud, non potest in illa habere rationem obiecti. ergo accidens neque quatenus dicit esse, in, esse poterit obiectum partiale Metaphysicæ.

Respondeo concesso antecedente, distinguendo primum consequens: ergo, si consideratur, in ordine ad substantiā considerari debet: ea quod ita exigat essentia ipsa entis accidentalis considerari, concedo: ea quod consideratio, quæ de illo habetur, haberi necessariò debeat per ordinem ad considerationem substantiæ, nego consequentiam; Sic distinguo subsumptum: id quod in aliqua scientia consideratur in ordine ad aliud, ea quod eius essentia ita exigit considerari, cum de cætero ipsum per se attingatur ab illa scientia, non potest esse obiectum in tali scientia, nego: quod in aliqua scientia consideratur in ordine ad aliud, ita vt eius consideratio ordinetur ad hoc, vt melius illud aliud cognoscatur, concedo subsumptum, & nego consequentiam. Dico enim quod accidens licèt cum ordine ad substantiam in scientia Metaphysica consideretur, quia tamen consideratio huius ordinis pertinet ad cognitionem illius, quatenus est analogum proportionis cum substantia, ideò non obstat quò minus ipsum non sit obiectum partiale. Huius autem doctrinæ beneficio rectè defendi potest, quod ens creatum etiam quatenus ens creatum est reduplicatiuè, in quantum scilicet essentialiter explicitè dependet à Deo, pertineat ad Metaphysicam tanquam obiectum partiale, & quod Deus ipse sumptus in ratione causæ primæ possit etiam ad hanc scientiam tanquam obiectum partiale pertinere.

Obijcies quartò non possunt à nobis intelli- 26
gentiæ creatæ euidenter cognisci. ergo illæ non erunt obiectum huius scientiæ partiale; neque igitur ens in tota sua latitudine sumptū erit eius obiectum totale, & adæquatum. Consequentia daret, quia scientiarum obiecta certa, & euidentia esse debent, alioqui opinionē facient, & non scientiam.

Respondeo, transeat antecedens: quod à multis negatur, distinguo primum consequens: intelligentiæ non erunt obiectum partiale Metaphysicæ in tota sua latitudine sumptæ, quatenus scilicet opinatiua partim est, partim verò scien-

scientifica, nego: sericta sumpta, quatenus scientifica tantum est, concedo consequentiam. Ad secundam verò consequentiam dico, quod ens dupliciter in tota sua latitudine considerari potest. Primò quatenus ad omnia sua inferiora descendit. Secundò quatenus summa genera, sub quibus omnes entium inferiorum species continentur, comprehendit, quæ sunt rationes substantiæ, & accidentis. Porrò si ens primo modo sumatur, non est obiectum Metaphysicæ, nisi hæc non solum pro vt scientifica est accipiatur, sed etiam pro vt est opinabilis: At verò si sumatur secundo modo, nil obstat quò minus sit obiectum illius, quatenus rigorosæ scientiæ rationem habet. Alia responsio esse posset quod licèt Angeli non supponantur à Metaphysica certò cogniti: at cognoscuntur ab illa certo saltem in statu possibilitatis, & hoc sufficit vt sint obiectum illius. Quamuis enim aliæ scientiæ inferiores Metaphysicæ supponere debeant suum obiectum esse, quia illud ab ea probatum accipiunt: at non ipsa Metaphysica quæ nullam aliam scientiam superiorem cognoscit, à qua suum obiectum demonstrari valeat.

SECTIO QVARTA.

Vtrum Metaphysica ad omnes rationes entis in particulari descendat.

27 SVmimus rationes entis in particulari secundum id, quod explicitè important, quæ in duas veluti classes diuidi posse videntur: quædam enim sunt, quæ abstrahunt ab omni materia, vt sunt rationes substantiæ tum creatæ tum increatæ, & accidentis tum absoluti tum respectiui, & similes; quædam verò aliquod ex tribus generibus materialitatis inuoluunt, vt sunt rationes corporis naturalis, quantitatis, dispositionum materialium, & similium. Et quidem quod Metaphysica priores rationes per se primò tanquam obiecta partialia sibi contemplanda proponat, ex dictis constat indubitatum. Vtrum autem posteriores eodem modo consideret, controuersum est. Affirmatiuam partem sequitur Aegidius *in prooemio primi posteriorum*. Iulius Sirenus *in opus. de obiecto primæ Philosophiæ sect.* 2. Antoninus Mirandulanus *lib.* 13. *de conuersione singularis certaminis*, & pauci admodum alij. Negatiuam docent Sanctus Thomas *in prologo sententiarum quæst. prima art. secundo* Auerroes *secundo met. con. vltimo* Scotus *primo item met. quæst.* 8. Suarez *disp. prima sect.* 2. & alij communiter, cum quibus sit.

28 Vnica nostra Conclusio. Rationes expressæ entis in particulari, quæ aliquod ex tribus genere materialitatis inuoluunt, non considerantur à Metaphysica primò, & per se tanquam obiecta partialia.

Probatur primo ex Arist. qui *primo metaph. tum.* dixisset, sapientiam, scilicet Metaphysicam omnia scire, dictum restringens subdidit, vt possibile obiectum, non habentem singuleriter eorum scientiam: & Paulo post ait, eum qui habet vniuersalem scientiam quodammodo omnia scire, nisi aduerte particulam (quodammodo) additam fuisse à Philosopho vt notaret Metaphysicum scire omnia, non quidem secundum virtuales rationes, sed solum secundum vniuersales, secundum quas abstrahunt ab omni materia. Idem colligitur ex *q. arg. met. initio, & ex sexto eiusdem operis tex.* 2 *& alibi.*

Probatur secundò ratione, quia rationes expressæ illorum entium in particulari, quæ materialitatem aliquam inuoluunt, abstractionem Metaphysicam non participant. ergo non possunt per se tanquam obiecta partialia ad hanc scientiam pertinere. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia abstractio est ratio formalis, sub qua, scientiæ sua attingunt obiecta; sicuti igitur ea, quæ non participant rationem formalem, sub qua, aliquæ potentiæ attingũt obiecta sua, non possunt ad dictas potentias tanquam obiecta pertinere, vt patet ex coloratis, quæ quia non stant sub ratione sonori vel grauis, neque auditus, neque gustus esse possunt obiecta; ita neque rationes expressæ particulares entium materialium ab hac scientia attingi possunt tanquam obiecta.

Confirmatur quia rationes expressæ entium 29
materialium vel non sunt scibiles, si scilicet materialitatem signatam includunt; vel si scibilium aut intelligibilem materiam participant, ad Physicæ aut Mathematicæ considerationem spectant; nè igitur has scientias è mundo tollere videamur, dicendum est quod ad huiusmodi rationes Metaphysica minimè se extendat.

Obijcies primò *Aristoteles quarto met. text.* 30
comparat Metaphysicam sensui communi, quia sicut hic omnia particularia sensibilia attingit; ita, inquit, entis quoque quot species sunt, & species specierum speculari, vnius scientiæ est. ergo &c.

Respondeo Philosophi comparationem posse esse in eo, quod sicuti sensus communis attingit sensibilia sub ea ratione, *sub qua sensibilia sunt*, & non sub alia, scilicet, *sub illa qua sunt intelligibilia, vel notabilia, sic Metaphysica* considerat omnia entia sub propria ratione sub qua, quantum scilicet abstrahunt ab omni materia. Nego igitur consequentiam.

Instabis: Metaphysica per Aristotelem hoc tenet attingit omnes species entis; & species specierum illius; sed entia materialia sunt species entis. ergo Metaphysica attingit entia materialia. Confirmatur quia ad eam scientiam, ad quam pertinet agere de genere, pertinet etiam agere de specie sub illo contenta. ergo si ad Metaphysicam pertinet agere de ente, cum hoc se habeat vt genus respectu rerum materialium, ad eam etiam de eisdem agere pertinebit. 31

Respondeo distinguendo maiorem: Metaphysica attingit species entis sub quacũque ratione, nego: quatenus entis (sunt) concedo maiorem: & concessa minore, distingo eodem modo consequens: attingit entia materialia qua entia, sunt probãdo scilicet de illis Metaphysicas passiones, vnum, scilicet, verum, & bonum, concedo, qua materialia sunt demonstrando de eis passiones illas, quæ materiam inuoluunt, vt mobilitatem, diuisibilitatem, &c. nego consequentiam

tiam: Ad confirmationem respondeo distinguendo antecedens: ad eam scientiam, ad quam pertinet agere de genere, pertinet etiã agere de specie sub illo contenta; si species eundem gradum abstractionis cum genere participat concedo: posito quod participet diuersum, vt accidit in casu nostro, nego antecedens, & consequentiam.

Obijcies secundò: Ratio expressa entis in particulari materiam inuoluentis reduplicatiuè sumpta est ens. ergo verè intra latitudinẽ obiecti metaphysici continetur. Respondeo distinguendo antecedens: Ratio expressa entis in particulari materiam inuoluentis est ens expressè, nego: confusè concedo. Ex hoc autem solùm sequitur, quod intra latitudinẽ obiecti metaphysici huiusmodi ratio contineatur, quatenus expressè dicit rationem entis, non autem quatenus expressè est materialitas.

31 Obijcies tertiò: intellectus respicit tanquã obiectum suum quodlibet ens in particulari, ergo & Metaphysica. Consequentia est bona, quia vtriusque adæquatũ obiectũ est ens, vt ens. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem aio diuerso modo ens, vt ens esse obiectum intellectus, ac Metaphysicæ: illius siquidem secundũ omnem considerationem: huius verò secundum illas tantùm rationes, quæ abstrahunt à materia.

Instabis: sicuti se habet intellectus ad inferiores potentias cognoscitiuas, ita Metaphysica ad inferiores scientias. sed ille directè attingit aliarum potentiarum obiecta. ergo & hæc directè etiam, & per se aliarum scientiarum obiecta considerabit. Respondeo ad maiorem: inter intellectum, & Methaphysicam esse aliquam proportionem, quantum ad superioritatem ac nobilitatem, non tamen in omnibus esse paritatem; vnde concessa minore nego consequentiam. Disparitas est, quia intellectus superioritatem suam atque nobilitatem supra cæteras potentias obtinet, eo quod earũ obiecta, & aliquid amplius attingere directè possit: at Metaphysica est reliquis scientijs superior, in quantum circa nobilissimum ac abstractissimum obiectum versatur; proportio igitur, quæ inter hæc duo reperitur, non est arithmetica, sed geometrica.

32 Obijcies quartò: Metaphysica de entibus materialibus non solum vnitatem, veritatem, & bonitatem vt sic, sed materialitatem etiam demonstrat, quod scilicet homo sit tale vnũ, tale verum, & tale bonum. falsum igitur est, quod ratione expressam materialitatis in entibus materialibus non consideret. Respondeo distinguendo posteriorem antecedentis partẽ: Metaphysica etiam vnitatem veritatem, & bonitatem materialem demonstrat per se, & formaliter materialitatem attingens, nego antecedens: per accidens, & materialiter, concedo; & sic distinguo eodem modo consequens: Metaphysica considerat rationem expressam materialitatis in entibus materialibus per se, & formaliter nego; per accidens, & materialiter, concedo consequentiam. materialitas enim non se habet vt ratio formalis, ex qua passiones illæ profluant; sed materialiter tantùm, & veluti accidentaliter cum illis reperitur: ea autem, quæ hac ratione se habent in scientia, non attinguntur ab illa tanquam obiecta.

Obijcies vltimò: Metaphysica distinguit ens creatum in decem summa genera, illaque definit, & tamen horũ aliqua, vt Quãtitas, Situs, & cætera similia includunt essentialiter materiã. Rursus diuidit substantiam in materialem, & immaterialem, & hanc non nisi ad modum priuationis materialitatis cognoscit. ergo Metaphysica considerat per se rationes expressas entis in particulari, quæ materialitatem inuoluunt. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia Metaphysica non distinguit ens creatum in decem summa genera primò, & per se, quasi verò quodcumque ex illis generibus secundùm suas rationes expressas, & series peculiares ad illam tanquam obiectũ directè pertineat; sed secundariò, & per accidens, in quantum sine huiusmodi distinctione non potest obiectum suum perfectè cognoscere. Ens enim transcendentale est atque analogum: qua autem transcendentale per omnia prædicamenta vagatur: qua verò analogum in omnibus illorum differentijs est imbibitum. Substantiarum verò materialitatem idcirco considerat, quia ad perfectam immaterialitatis notitiam, quam per se intendit, maximè conducit. Natura enim vnius contrarij, ex alterius contrarij cõditione plurimum pendet, præsertim in casu nostro, in quo rerum immaterialiũ species proprias non habemus, earumque cognitionem ex sensibilium, & materialium rerum cognitione mendicamus. Vndè patet reductiuè tantum, & indirectè, atque per accidens res materiales secundùm expressum materialitatis conceptũ ad Metaphysicam pertinere.

Ex dictis colliges qua ratione hæc scientia præscribat alijs scientijs obiectum, illudque demonstret, quod sit, & quid sit, quando necesse est; hoc enim præstat declarando prius quid sit ens, & rerum essentias ex generibus, & differentijs constitutas esse docendo; & explicãdo connexionem, quæ inter effectus necessarios, & suas causas reperitur; per quod hæc scientia supra reliquas se extollit, siquidem ipsamet absque alterius scientiæ adminiculo suum obiectum per propria principia contra proteruos defendit. Quod aliæ præstare nequeunt.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA PRIMA.

DE NATVRA, ET ESSENTIA ENTIS.

DOctrinæ ordo exigere videtur, vt postquam pro obiecto Metaphysicæ scientiæ assignauimus ens reale; eius naturam, & essentiam, nec non etiam qualiter ad inferiora sua se habeat, inspiciamus. fit igitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit ens Reale in communi.

1 AGimus hic de Ente Reale vniuersalissimè accepto, quod de Substantia, & Accidente prædicatur; cuius obiectiuus conceptus vt ex dicendis constabit, saltem secundum id, quod dicit explicite, est aliquo modo vnus, & sumimus illud nominaliter, quatenus ab omni differentia temporis præscindit, & prædicatur de rebus omnibus positiuis licèt non existentibus; ad differentiam Entis verbaliter seù participialiter sumpti, quod cum præsens tempus importet, significat id, quod actu existens est, & extra causas. De Ente igitur in hac latitudine, & nominaliter accepto quærimus quid sit, & in quo eius essentia sit posita. Pro decisione autem sit.

Prima Conclusio. Ens rectè describitur, cùm dicitur esse id, quod habet essentiam, & quidditatem realem.

2 Dicitur primò (id quod habet) quæ verba non sunt accipienda quasi verò compositionem aliquam ex parte rei significatæ denotent; conceptus enim obiectiuus entis Realis vniuersalissimè sumpti secundum id, quod dicit explicitè, simplicissimus est; sed significat compositionem, quæ ex nostro modo imperfectè concipiendi interuedit in illo. Quotiescumque enim nos aliquid describere volumus, & de eo prædicatum aliquod affirmare, semper illud concipimus per modum subiecti, etiam si de extero simplicissimum sit, nullasque partes habeat.

Dicitur secundò (essentiam aut quidditatem) quæ verba significant radicale, & adæquatum principium proprietatum, seù operationum, quæ sunt in re; quod quidem principium appellatur essentia, quia est id, quod primo rem in suo esse constituit: Dicitur verò quidditas, quia per illud respondemus ad quæstionem, quid est hoc? Vndè, quod quid erat esse rei ab Aristotele, dici solet.

Dicitur tertiò (Realem) quæ particula explicat vltimam veluti entis differentiam, perquam ipsum ens à quocumque alio, quod non est tale distinguitur, particulæ enim præcedentes se habent veluti genus, in quo Ens reale cum quocumque alio conuenientiam habet. siquidem tum negationes, tum entia rationis proportionaliter loquendo sua habent essentias, & quidditates, sed non reales, essentia enim entis realis esse omnino debet. Conclusio sic explicata.

3 Probatur: quia ex vna parte prædicatum ens competit rebus, antequam existant, & quidem essentialiter non minus, quàm cæteris prædicata inferiora entis: ergo ratio entis consistit in aliquo, quod sit antecedenter ad existentiam exercitam: Ex alia verò parte nulla existentiam exercitam non est nisi essentia, seù quidditas realis, in qua ratio entis consistere possit; siquidem quidditas non realis cum negationibus, & entibus rationis adæquat, alteri à definito conuenire potest: ergo &c. Verùm hæc certa esse videntur. Illud autem dubium est, in quonam ratio realitatis, seù realis essentiæ, aut quidditatis posita sit?

Quidam enim primò volunt esse positam in proportione, & conuenientia prædicatorum quidditatiuorum, quam multa non repugnantia in ordine ad se, seù in suis prædicatis appellant.

Verùm hæc sententia displicet primò: quia ratio entis secundùm id, quod dicit explicitè est simplicissima, & sic multiplicitatem prædicatorum non importat; secundò quia prædicata illa sumpta secundum se vel habent rationem entis, vel non habent: si primum, igitur in aliquo priori ad proportionem prædicatorum rationem entis habemus: si secundum; ergo etiam si intelligantur coniuncta atque proportionata, non participabunt rationem entis. Ens enim vt ens impossibile est vt ex non entibus coalescat, sicuti etiam impossibile est quod substantia fiat ex non substantijs. Tertiò denique, quia neque negationes, neque prædicationes aliquam in suis prædicatis quidditatiuis repugnantiam agnoscunt, quia inde constat dicta eorum prædicata habere inter se proportionem quamdam ad eorumdem essentias constituendas, nec tamen habere ipsa realem essentiam, ac quidditatem, ergo neque proportio in prædicatis, neque non repugnantia in ordine ad se realis essentiæ rationem importat.

4 Alij verò secundò putant positam esse in positiua non repugnantia rei in ordine ad se ipsam, quam dicunt esse primam, & vniuersalissimam rationem entis: primam quidem quia

Digitized by Google

quia si quis quærat, cur res aliqua in se contradictionem non involuat, non possumus per aliquid prius huic quæsito satisfacere, vniuersalissimam autem, quia etiam simplicissimis entibus competit, in quantũ de vnoquoque verum est dicere, quod contradictionem non involuat, licèt sint prædicata formalia. Quod si ex eis quæras, cur particulam illam, positiua, ad non repugnantiam addiderint, respondent, quia realitas non potest in mera aliqua negatione consistere.

Sed neque hæc sententia placet primo, quia vel vox illa, positiua, in dicta explicatione, sumitur per ordinem ad prædicationem, quasi verò realis essentia sit illa, de qua positiue, seu affirmatiuè prædicatur non repugnantia, vel in ordine ad esse, quasi verò sit in se quid positiuum non repugnans; sed neutrum dici potest; ergo. Minor probatur non enim potest dici, quod sumatur per ordinem ad prædicationem, tum quia non explicaret primam rationem realis essentiæ; si quidé prædicabilitas videtur consequi ad esse, vt passio ad subiectum, tum etiam quia de priuationibus, & negationibus etiam positiuè non repugnantia in ordine ad se prædicari potest, ac dici: Negatio lucis est in se, & in suis prædicatis non repugnans; neque dici potest, quod sumatur in ordine ad esse, tum quia si non maiorem, at æqualem saltem difficultatem ingerit esse positiuum, ac esse reale, & æquè ignotum est vnum, ac alterum; imò à Philosophis communiter pro eodem accipi solet, nisi forte sentias cum Ioanne Canonico, & Antonio Trobeta magis late patere reale, quam positiuum, & dicas negationes esse quid reale negatiuum, substantiam autem, & accidens quid reale positiuum; & sic intactam difficultatẽ relinquas dicendo, quod realis, ac positiua quidditatis conceptus in positiua non repugnantia consistat.

9 Non placet secundò: quia positiua ista non repugnantia videtur opposita inuoluere, siquidem non repugnantia negationem importat, positiuũ verò positionẽ. Quod si dicas per hasce particulas significari solum, quod realis quidditas consistat in eo, quod sit quid positiuum non repugnans. Contra est: quia eo ipso, quod aliquid intelligitur esse quid positiuum iam intelligitur esse ens reale. Frustra igitur, ac superfluè additur illa non repugnantia. Neque dicas Chimeram intelligi esse quid positiuum, & tamen non esse ens reale: né id dicas inquam, quia aliud est intelligi aliquid cum veritate, & aliud cum falsitate. Sicuti igitur per te Chimera non est ens reale, etiam si intellectus, qui eam facit, positiuam non repugnantiam in ordine ad se ipsam habere existimet: ita neque erit ens reale, cũ ab eodem intellectu esse quid positiuum apprehenditur, eo quod falsò ita esse apprehendatur. nisi velis: Chimeram in ratione totius eo, quod ex partibus positiuis coalescat, esse quid positiuum reale, & non imaginarium, quod est apertè falsum.

Alij tertiò quos sequitur Arriaga *disp. prima numero primo* docent realem essentiam consistere in non repugnantia ad existendum. Sed contra hoc dictum facit tum quia hæc non repugnantia vtpotè quid negatiuum in aliquo positiuo fundari debet, & ab illo procedere. Tum etiam quia rationi principij vniuersalissimè accepti pro vt de priuatione, & forma prædicatur, non repugnare existere, alioquin non posset competere formæ, & tamen eam non importare rationem entis constat ex eo, quia reperitur in priuatione, quæ est non ens. Ex quibus remanet impugnata aliorum sententia, qui realitatem entis in negatione Chimeræ positam esse autumant. Linquò, Chimeram per negationem entis realis definiri, vt rectè notat Oniedus *contron. prima puncto primo*, & sic idem per idem explicari.

6 Alij quartò realem essentiam consistere dicunt in eo, quod sit id, quod primo venit in compositionem veluti Metaphysicam rei, & potest se coniungere cum prædicatis inferioribus enti perfectæ scilicet, & inhærentia.

Neque hoc dictum placet primò, quia etiam ratio principij venit in compositionem veluti Metaphysicam materiæ, & formæ, & potest cum prædicatis inferioribus enti se coniungere, nec tamen rationem realis essentiæ participat. ergo &c. Secundò quia per prius competit rationi entis esse: quam coniunctio cum inferioribus prædicatis; hæc enim habent rationem actus secundarij, illud autem primarij; Ad minimum igitur non explicatur per hoc prima ratio realis essentiæ. Tertiò quia ratio essentiæ realis licèt ex nostro modo concipiendi partialitatem quamdam, & incompletionem importet, concipitur enim vt quid abstractum, tamen secundum se considerata, est quid omnino in se, completum, & simplex. ergo &c.

7 Alij quintò conceptum istum obiectiuum essentiæ realis aiunt esse positum in formali aptitudine ad existendum, seù potius in formali producibilitate. Displicet etiam hic dicendi modus primo, quia aptitudo hæc ad existendum est quid consequens realitatem essentiæ, petenti enim, cur homo aptus sit ad existendum? siquis respondeat, quia realem habet essentiam, censetur assignasse causam virtualem à priori, non minus, quàm si petenti, cur homo sit risibilis, responderet, quia est rationalis. ergo &c. Secundò quia formalis producibilitas, præterquam quod sit quid consequens essentiam realem eius rei, quæ producibilis est, non competit æterno Patri in diuinis; cuius proprietas est inproducibilitas, impossibile igitur est, vt ratio producibilitatis constituat formaliter essentiæ realitatem.

Alij denique sextò in radicali principio ad existendum consistere asserunt realitatem essentiæ, cum quibus est nostra secunda Conclusio: Prima ratio realis essentiæ formaliter sumpta posita est in principio radicali, & exigitiuo formalis aptitudinis ad existendum modo infra explicando.

8 Probatur quia in hoc principio habemus ex vna parte sufficientem conceptum realitatis distinctum à quocumque alio, quod realitatis rationẽ non habet: entia siquidè ficticia, & negatiua id circo reali essentia carẽt, quia principio radicali

radicali aptitudinis ad existendum desitata sunt. Ex alia vero parte quærenti cur essentia aliqua sit radicale principium aptitudinis ad existendum, non possimus rationem aliquam à priori assignare. Ergo esse radicale principium formalis aptitudinis ad existendum, erit prima ratio realis essentiæ. Non negauerim tamen hanc rationem non sè habere vt genus ad ens possibile & actuale, quia ratio generica multiplicari debet in inferioribus; hoc autem de ratione tradita verificari nequit, quia idem omnino ens est, licèt intelligatur in statu possibilitatis, siue in statu actualitatis suæ cum præcisione ab vtroque statu, vt videre est in Petro V.G. idem enim numero Petrus, qui fuit possibilis, est existens; neque alius à se ipso est, si cum præcisione ab vtroque statu consideretur.

9 Contra secundam Conclusionem obijcies primò: principium radicale formalis aptitudinis ad existendum vel dicit ordine ad existentiam, vel non; si dicit, ergo essentia realis formaliter erit formale principium existentiæ, & non radicale; si non dicit, ergo male per ordinem ad illam explicatur.

Respondeo, rationem realitatis essentiæ secundum sè non constitui per ordinem, seù, quod idem est, per formalem capacitatem, & aptitudinem ad existendum; quia tamen ignoratur à nobis quidnam in sè sit propriè, idcirco illa explicamus per hoc, quod sit principium radicale formalis ordinis seu aptitudinis; sicuti quia ignoramus quid in sè sit differentia essentialis, Leonis dicimus eam esse principium exigitiuum rugibilitatis, seu quod idem est, aptitudinis formalis ad rugiendum.

Obijcies secundò: formalis aptitudo ad existendum est ens, & per consequens habet in sè rationem realis essentiæ. male igitur realitatem essentiæ in principio radicali formalis aptitudinis ad existendum constituimus. Respondeo negando antecedens, formalis enim aptitudo ad existendum, quæ competit enti, dicit tantum potentiam logicam, atque adeo per meram formalem non repugnantiam ad existendum adæquatè constituitur.

10 Obijcies tertiò: essentialiter competit Deo existentia; igitur esse principium radicale formalis aptitudinis ad existendum non potest esse conceptus essentiæ realis communis Deo, & Creaturis. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia si existentia Deo essentialiter competit, non potest in eo concipi aliquod principium prius eiusdem existentiæ exigitiuum. Respondeo primò distinguendo antecedens, essentialiter Deo competit existentia, vt Deus est, & sub expresso Deitatis conceptu, concedo. Vt ens est, seu quatenus expresè tantummodo ratione entis importat, nego antecedens, & consequentiam; Ad cuius probationem dico, quod etiam si existentia Deo competat essentialiter, potest tamen in eo concipi ratio entis, quæ sit Deitate ipsa prior prioritate prædicationis, vt vidimus, ratione cuius Deus involat radicale principiū aptitudinis ad existendum, quamuis de cætero ratione Deitatis ipsam existentiā essentialiter imbibat.

Respondeo secundò concesso antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod potentia logica ad existendum competit Deo, & cuiuis rei existenti etiam reduplicatiuè sumptæ vt existenti; id enim quod existit, non repugnat vt existat, sed rectè potest existere, licet existentia ipsa sit, vnde ab actu ad potentiam affirmatiuè valeat consequentia. Per quod patet responsio ad probationem consequentiæ; exigentia enim existentiæ, quam dicit ens constituitur per formalem non repugnantiam; in Deo autem datur ipsa diuina essentia quæ est principium aliquo modo prius dicta non repugnantia. Ex quibus patet existentiam in creatis esse veluti actum secundum, & exercitium proprietatis realis essentiæ; in Deo autem pertinere ad actum primum, & ad ipsam essentiam vnde oritur proprietas. Hoc autem nil continet absurdi; proprietas enim hæc non est realis saltem secundum id, quod dicit in obliquo, nec efficienter concurrit ad exercitium suum, sed est mera negatio repugnantiæ ad existendum connotans in principio, à quo profluit, incompossibilitatem cum dicta repugnantia.

11 Obijcies quartò: si quis quærat cur essentia realis non dicat repugnantiam ad existendum: benè respondemus, quia non dicit repugnantiā, neque in suis prædicatis, si est composita, neque in sè, si simplex est, & putamus per hoc rationē à priori ei assignare. Si quis autem quærat cur essentia realis in suis prædicatis, vel in sè contradictionem non involuat, dicimus non posse nos huius rei rationem à priori, quæ nulla datur, assignare; sicuti neque de aliarum rerum essentijs. ergo non repugnantia in sè vel in suis prædicatis est prima ratio realitatis.

Respondeo ad realem essentiam constituendam requiri quidem non implicantiam rei vel in sè, vel etiam in suis prædicatis tanquam aliquid prius sed hanc esse inadæquatam, siquidē etiam meræ negationes, & priuationes earumq; prædicata essentialia illam involuunt: sicuti etiam ratio principij in communi, nec tamen participant realem essentiam. Neque dicas de positiua non repugnantia te semper loqui; Ne id dicas inquam, tum quia ratio positiua non est notior ratione realitatis, tum etiam quia idem omnino est principium radicale aptitudinis ad existendum, ac positiua non repugnantia in sè; & differunt solùm per hoc, quod noster loquendi modus explicat clarius id, de quo quæritur, modumque loquendi Philosophorum imitatur, qui quando rerum essentiam ignorant, eas per ordinem ad proprietatem explicare solent.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo se habeat conceptus obiectiuus entis ad inferiora.

12 OBiectiuus conceptus est ratio illa, quæ ab intellectu cognoscitur in obiecto, ad differentiam conceptus formalis qui est cognitio ipsa, per quam cognoscitur; loquimur autem de conceptu obiectiuo entis vniuersalissimè sumpti

Digitized by Google

sumpti, qui ad omnia sua inferiora sè extendit, & cum illis realiter identificatur. Ac supponendo quod detur præcisio ex parte obiecti, vt probabiliores in Logicis quærimus quam comparabilitatem diuisi entis conceptus ad sua inferiora habeat. Pro qua resp.

Prima Conclusio: Conceptus obiectiuus entis formaliter, & essentialiter in omnibus suis inferioribus differentijs continetur. differentias autem entis appello perfectiones, & ultimas rationes, & quancumque aliam rationem inferiorē siue vniuersalem siue particularem. Est communis, attamen contra Scotum eiusque sectatores.

Probatur: quia de quacumque entis differentia quarumcumque abstractissimè sumpta, verum est dicere, quod nullam inuoluat implicantiam ad existendum, & quod possit cum existentia ipsam coniungi. sed in hoc ratio entis nominaliter sumpta posita est. ergo &c. Confirmatur, quia quoties rationes differentiales non possunt concipi ac definiri sine superiori ratione, totics formaliter, & essentialiter ratio illa superior in eis continetur; sed ita se habent differentiæ entis respectu conceptus obiectiui eiusdem entis. ergo &c.

13 Ex quibus colliges ens esse transcendens per omnia genera specierum, & differentias contractiuas eius, siue demum ponamus dari præcisiones obiectiuas, siue illas negemus, & solas formales admittamus. Ita Oniedus *contr. 1. metaph. puncto 4.* contra Arriagam existimantem in opinione, quæ tantum ex parte actus præcisiones admittit, rem nō transcendere differentias. Probatur id quod dicimus, quia prædicatum transcendens dicitur illud, quod in alio imbibitum est ita, vt nulla ratione possit sine ipso concipi in respectu cuius dicitur transcendens; sed quodlibet inferius enti siue species sit, siue differentia
01 inquit concipi sine ratione entis. ergo &c. Maior patet ab omnibus: & Minor probatur, quia conceptus siue perfectionis, siue etiam cuiuslibet alterius differentiæ terminatur ad aliquod, quod formalissimè opponitur chymeræ. ergo terminatur ad ens. Consequentia patet. Probatur antecedens quia cognitio terminata ad perfectionem ex parte obiecti distinguitur à cognitione terminata ad chymeram. Confirmatur id, quod dicimus, quia quantumuis aliquam rationem inferiorem enti solitarie sumas, & præcisè, illa semper etiam formaliter accepta, habet vt possit existere, atque positiuè non implicet; ergo formaliter est ens; igitur ens transcendit per omnes differentias. Ex quo deducitur differentias entis neque ex parte actus, neque ex parte obiecti præscindere à ratione entis.

14 Secunda Conclusio. Conceptus obiectiuus entis includit formaliter differentias sibi inferiores. Est Giattini *tract. 9. art. 8.* Contra Hurtadi *disp. 1. sect. 2.* Oniedum *contr. 1. met. punct. 5.* & alios qui licet teneant differentias non posse separari ab ente, sed in ipsis imbibitam semper reperiri rationem entis, negant tamen eam nō posse formaliter separari à differentijs, atque adeo putant conceptum entis posse præscindere à differentijs.

Probatur autem Conclusio, quia nulla præcisio fieri potest ex parte vnius differentiæ permanente sine ratione entis, vt probatum est. ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius ens sit separatum à differentijs. Confirmatur, quia eo ipso quod ratio entis separatur à differentijs, debet assignari formalitas obiectiua à qua præscidit pars entis; ergo vel est formalitas differentiæ sumpta secundum partem, vel sumpta secundum totam; non primum, quia dicta formalitas ea ratione partis, neque secundum, quia illa tota est formalitas entis atque adeo iam venit ex parte obiecti in cognitione entis. Ita ingeniosè Giattinus *loco citato*, Et recte id quidem, quia separatio importat extremorum subsistentiam, atque adeo eo ipso quod vnum extremum distat ab altero, hoc etiam distabit ab illo. Atqui differentia in hac sententia separari nequeunt à ratione entis. Ergo neque ratio entis à differentijs.

Respondet P. Oniedus nō. ad argumentū concesso antecedente, distinguendo consequens: nulla præcisio fieri potest per cognitionem terminatā ad differentias, ex vi cuius ens sit separatum à differentijs, concedit. Per cognitionem terminatam ad ipsum ens, negat cōsequentiam. Ens enim separatū à differentijs, inquit, tantum dicit dari posse cognitionem entis, quæ non sit cognitio differentiarum. hoc autem fit, eo quod omnis cognitio differentiarum sit cognitio entis; sicuti enim cognosci potest terminus relationis sine relatione, & Deus sine creaturis saltem actu existentibus; non autem cognosci potest relatio sine termino, neque creatura sine Deo. ita cognosci potest ens sine differentijs, at non differentia sine ente.

Sed etiam ea est, quia in tantum terminus re- 16
lationis potest sine relatione cognosci, & Deus sine Creatura, quia relatio, & terminus, Deus, & Creatura non sunt vna simplicissima formalitas, sed sunt inuicem non solum realiter, sed etiam essentialiter distincti; cum quo stat quod neque relatio possit esse aut intelligi sine termino, neque Creatura sine Deo; non autem è contra, quia essentialis connexio ex parte vnius extremi, & non ex parte vtriusque se tenet. At vero rationes formales differentiarum entis vt perfectionis, & inhærentiæ, & ratio entis, quæ in illis includitur, non sunt duæ formalitates ex parte obiecti, sed vna simplicissima irresolubilis in duos conceptus obiectiuos. Ergo non est omnino impossibile quod sine aliqua præcisione per cognitionē terminatam ad eius, ex vi cuius ens sit separatum à differentijs, quam quod fiat præcisio per cognitionem terminatam ad differentias, ex vi cuius ens sit separatum ab illis. Antecedens constat ex eo, quia si alius esset conceptus obiectiuus perfectionis, & conceptus obiectiuus entis in illa inclusus, de perfectione quatenus ab hoc distincta, non possemus affirmare potentiam ad existendum, & distinctionem à non ente, & puro nihilo, sed hoc est absurdum. ergo &c. Consequentia verò probatur, quia si quis rationem à priori quæreret, cur omnis cognitio differentiæ sit cognitio entis, ex parte obiecti pro-

profectò alia nequit assignari, quam identitas formalis vtriusq; hæc autem non magis militat dū cognoscimus differentias quā dū cognoscimus ipsum ens; ergo &c. Et quidem ex his etiam remanet soluta paritas Arriagæ docentis, quod sicuti ex eo quod homo nequit præscindere ab animali, non sequitur quod animal nequeat præscindere ab homine, ita ex eo quod perfectus nō potest præscindere ab ente, malè infertur quod ens non possit ab ipsa perfectate præscindere: disparitas enim patet ex dictis, & sumitur ex eo, quod homo supra animal includit rationale, quod est conceptus quidam ab ipso animali cōdistinctus, quod non habetur in perfectate comparata cum ente.

Tertia Conclusio conceptus obiectiuus entis
17 continetur in suis inferioribus differentijs, illasque continet implicitè tantùm.

Expliço: Conceptus differentiæ entis est omnino indiuisibilis atque irresolubilis in duos conceptus obiectiuos inadæquatos ad inuicem contradistinctos, quorum alter sit entis, alter verò differentiæ entis; siquidem conceptus hic differentiæ iam entis rationem haberet vti vidimus, & sic esset idem cum eo, á quo ponerentur cōtradistinctus. Differunt igitor hi duo conceptus penes implicitum, & expliçitum, & quidem conceptus entis vniuersalissimè sumpti explicitè importat id, quod realem habet essentiam: implicite verò rationem substantiæ, & accidentis cæterorumque inferiorum entis. Contra verò conceptus obiectiuus substantiæ, vel accidentis explicitè quidem perfectatem, vel inhærentiā: implicitè verò rationem entis.

Probatur autem Conclusio. Conceptus
18 obiectiuus entis continetur in differentijs suis, illasque continet, vt supra probatum est, sed non continetur ab illis, neque illas continet explicitè ergo. Minor probatur, quia conceptus explicitus ētis est habere realē essentiā, substantiæ verò est esse per sè, accidentis autem esse in alio. Si autem conceptus obiectiuus explicitè in suis differentijs contineretur, easque etiam explicitè contineret, tum conceptus explicitus habendi realem essentiam esset perfectas, & inhærentia, tum etiam horum conceptus explicitus esset habere realem essentiam; hoc autem falsum esse. patet ex eo, quia aliquando certò scimus de aliquo, quod sit ens, ignoramus autem vtrum accidens sit, an substantia. Rectè igitur Suarez *disp.* 2 *sect.* 6 opinio, inquit, quæ mihi probatur, est cōtractionem seù determinationem conceptus obiectiui entis ad inferiora non esse intelligendam per modum compositionis, sed solum per modum expressionis conceptus alicuius entis sub ente contenti: ita vt vsque conceptus tam entis, quam substantiæ V. G. simplex sit, & irresolubilis in duos conceptus, solumque differant, quia vnus est magis determinatus, quam alius, quod ita ordine ad conceptus formales rectè explicatur, nam differunt solum, quia per vnum expressius concipitur res pro vt est in sè, quam per alium, quo solum confusè concipitur, & *præcisè* secundum aliquam conuenientiam cum *aliis rebus*; hoc autem fieri potest *sine propria compositione* per solam cognitionem confusam, vel distinctam præcisam, vel determinatam. Hæc ille. Vbi aduerte duo: vnum, quod differentia, quæ est inter substantiā sumptam in ratione entis, & inter eandē sumptā in ratione substantiæ censeri debet potius extrinseca ratione conceptus formalis expressius, vel minus expressè eumdem conceptum obiectiuum intelligentis: alterum verò, quod conceptus entis nō ita dicitur confusus, vt nihil explicitè, ac distinctè repræsentet, sed ita, vt explicitè dicat rationem entis, implicitè verò rationes omnes sub ente contentas.

Quarta Conclusio conceptus obiectiuus entis est aliquo modo vnus, non tamen perfectè 19
præcisus obiectiuè ab inferioribus. Est Sancti Thomæ eiusque sectatorum, contra Scotum & Scotistas. Probatur tamen, quia ex vna parte tum substantia, tum accidens in eo, quod realem essē etiam habeant, aliquam dicunt conueniemiam: omnis autem conuenientia est aliqualis vnitas. Conceptus igitur ētis est aliquo modō vnus; ex alia verò parte huiusmodi conceptus includit differentias, per quas contrahitur, vt patet ex eo quia siquis præscindat à substantia, & accidente rationem entis, non potest rationes differentiales relinquere, sunt enim entia; neque simul abstrahere, quia iam ratio illa entis inferiora cōtineret. Conceptus igitur obiectiuus entis nequit esse perfectè præcisus. Confirmatur quia si perfectè præscinderet, atque contineretur in inferioribus suis; sed hoc est falsum; nam pro diuersitate rationum differentiarum particularium, diuersæ sunt rationes entiū in singulis inferioribus, vnde perfectior est ratio entis in Deo, quā in Creaturis, in substantia, quam in accidente, & hoc non ratione ipsarum differentiarum, sicuti est ratio animalis in homine, & equo, sed ratione eiusdem conceptus formalissimi entis.

Quinta Conclusio ens vniuersalissimè sumptū 20
non est mere æquiuocum, neq; vniuocum, sed Analogū analogia tū proportionis, tū attributionis. Probatur quo ad singula: & primo *quidē* quod nō sit mere æquiuocū, vti velebat Rabi Moyses citatus à D. T. *qu. 3. de potētia art.* 8. & Aureolus apud Capreolū *in primo dist.* 2. *qu.* 1. suadetur, tū quia particularia entia nō solū in nomine entis, sed etiā in rē significata per nomē inter sè conueniūt. Tū etiā quia ea quæ sūt merè æquiuoca neque vnius scientiæ, neque vnius potentiæ esse possunt obiecta. Ad hoc enim semper *conuenientia* aliqua est necessaria, sed ens vniuersalissimè sumptum tum metaphysicæ scientiæ, tum intellectiuę potentiæ est obiectum ergo &c.

Secundo quod non sit vniuocum, quod est cōtra Hurtadum *disp.* 2. *metaph. sect.* 3. *subsect.* 2. Arriagam *in log. disput.* 11. *sect.* 1. *&* 2. Quiedum *in metaph. contr. punct.* 1. & alios. Probatur etiam, 21
tum quia includit in suo conceptu inferiora, & in illis essentialiter includitur: tum etiam quia in ratione significata per nomen entis, inferiora non omnino conueniunt.

Tertiò quod sit Analogum probatur, quia in ratione per nomen entis significata inferiora partim conueniunt, & partim differunt, porrò hāc analogiam esse proportionis suadetur vt ex

Ari-

Digitized by Google

Aristotile *quinto met. tex. 3. & 12. item met. tex. 22. & 23.* vbi docet ea, quæ pertinent ad diuersa prædicamenta non conuenire inter se eadem ratione, scilicet vniuocè, sed similitudine quadam. Tum etiam, quia inferiora, qua talia, in rè significata per nomen, ens, proportione quadam se habent, sicuti enim Deus se habet ad suam essentiam realem: ita Creatura ad suam, & sicuti substantia ad suum esse; ita accidens ad suũ: ergo ens est analogum Analogia proportionis; esse verò etiã analogum Analogia attributionis, suadetur tum quia Aristotiles *quarto met. tex. 2.* docet *ens dici ad vnum*, per quod attributionis Analogia, vt communiter asserunt interpretes, à Philosopho significatur; tum etiam quia omne ens creatum dicit attributionem, & ordinem ad Deum, tanquam quid exemplificatum, & ideatum ad primũ ens essentialiter inuoluens rationem exemplaris participabilis, atque imitabilis diuersimodè à creaturis, ergo &c. Atque hæc dicta sint ex suppositione, quod conceptus obiectiuus vniuocus debet perfectè præscindere ex parte obiecti ab inferioribus; est quo stat, quod si sufficeret præcisio ex parte solius actus, facile sustineri posset ens esse vniuocum, hoc ipso, quod in cognitione, quam de illo formamus, differentiæ minimè relucerent.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur quædam obiectiones contra prædicta.

21 Obijcies primò cõtra tres primas Conclusiones: cognosci potest perfeitas, seù inhærentia absque eo, quod habeatur conceptus obiectiuus entis, & rursus haberi potest huiusmodi conceptus absque eo, quod perfeitas, vel inhærentia cognoscatur; falsum igitur est, quod obiectiuus entis conceptus formaliter in suis inferioribus contineatur, illasque in se contineat.

Respondeo distinguendo antecedens, quoad vtramque partem: potest cognosci perfeitas, seù inhærentia absque eo, quod habeatur distinctè conceptus obiectiuus entis; & rursum haberi potest huiusmodi conceptus absque eo, quod perfeitas, & inhærentia cognoscantur distinctè, concedo; cognosci potest perfeitas, & inhærentia absque eo, quod confusè cognoscatur conceptus obiectiuus entis; & rursus haberi potest huiusmodi conceptus absque eo, quod confusè perfeitas vel inhærentia cognoscantur, nego antecedens, & consequentiam. Vbi aduertè, quod conceptus confusus, & distinctus eiusdem rei non differunt extensiuè, quasi verò aliquid plus per conceptum distinctum, quam per confusum repræsentetur, sed intensiuè tantum, & secundum modum attingendi; ita, quod idem obiectiuus conceptus omnino in se simplicissimus si clare, & expresse cognoscatur, dicatur distinctè cognosci: Sin autem obscurè, & minus expresse, confusè; & hinc est, quod huiusmodi differentia censeatur, vt supra innuimus, potius extrinseca, & ex parte intellectus cognoscentis se tenere, quam intrinseca ex parte obiecti.

Obijcies secundò: quando prædicatur de Cæsare, quod sit ens, non prædicatur de illo quod sit accidens, ac substantia, ergo conceptus obiectiuus entis nõ includit implicitè differentias. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia quando de Cæsare prædicatur, quod sit ens, non prædicatur de illo ens adæquatè, & in tota sua latitudine sumptum, sed solum inadæquatè, quatenus implicitè ad hoc indiuiduum dumtaxat se restringit, & est contractum ad ipsum; vndè talis prædicatio est similis prædicationi superioris, & vniuersalis de inferiori, & particulari, secundum id solũ quod prædicatum ens importat de explicito conceptu; secundum enim id, quod implicitè dicit, est potius prædicatio æqualis de æquali, vt ex dictis deducitur. 22

Obijcies tertiò: si obiectiuus entis conceptus formaliter, & essentialiter in suis inferioribus differentijs contineretur: sequeretur primò, quod non posset ab illis contrahi. Secundò verò, quod inferiora entis in ipsis differentijs conuenirent. Vndè maiorem haberent conuenientiam, quam ea, quæ in vnico genere conueniunt; siquidem hæc in differentijs suis, per quas differunt, minimè inter se conueniunt; sed hæc videntur absurda, ergo &c. 23

Respõdeo distinguendo priorem sequelam: sequeretur, quod non posset ab illis contrahi tanquam ab aliquo, quod sit extra conceptum ipsius, concedo, tanquam ab aliquo, quod se habeat vt magis expressiuum eius, quod implicitè in conceptu entis continebatur, nego sequelam. Atqui ex nostra doctrina sequitur tantum hoc secundum, quod nihil continet absurdi. Vbi obiter aduertè ens propriè loquendo non esse gradum superiorum respectu substantiæ, ac accidentis, sed solum per quãdam similitudinem dici superius; inquantum latius patet, quã ipsa substantia vel accidens. Ad posteriorem autem sequelam respondeo illam concedendo: ad id autem quod additur, quod scilicet Analoga maiorem haberent conuenientiam, quam vniuoca, distinguo de hac maiore conuenientia, si enim sermo sit de extensiua transeat; sin autem de intensiua nego; quia species, quæ sunt sub genere vniuoco licèt in differentijs suis omnino differant: perfectè tamen in ratione generica conueniunt; at inferiora entis imperfectè; sic nãque conueniunt, vt etiam inter se differant; & quidem conuenientia imperfecta, & secundũ quod ens importat explicitè: differentia verò etiam imperfecta secundum quod ens dicit implicitè. Iam verò distincta iuxta traditam doctrinam minore, nego consequentiam.

Obijcies quartò illi gradus, quorum alter distinctè, alter verò confusè per vnicam cognitionem concipiuntur non inuicem includuntur, sed sunt omnino contra distincti; sed gradus entis, & substantiæ vel accidentis ita se ha- 24

se habent. ergo falsum est, quod inuicem includantur. Minor patet ex dictis. Maior verò probatur, quia si non essent inuicem contradistincti, essent vnus, & idem obiectiuus conceptus; sed hoc repugnat, quia implicat vnum eumdemque conceptum obiectiuum per vnam cognitionem distinctè ac confuse concipi: sicuti implicat quod concipiatur clarè, & obscuré, distinctè, & non distinctè idem secundùm idem.

Respondeo negando maiorem. Ad cuius probationem, concedo maiorem. Aio enim gradum entis, & gradum substantiæ vel accidentis esse vnum eumdemque obiectiuum conceptum in ordine ad diuersa per vocem (ens) confusè (per vocem verò, substantia, vel accidens) expressè significatum. Vndè nego minorem, & ad eius probationem dico implicare quidem vnum eumdemque conceptū obiectiuum per vnicam cognitionem concipi distinctè, & confusè in ordine ad idem connotatum: at in casu nostro concipitur in ordine ad diuersa connotata. nā quando concipitur explicitè in ratione entis, ordinatur ad existentiam, & non ad subsistentiam V. G. at quando concipitur explicitè in ratione substantiæ, ordinatur ad subsistentiam, & non ad existentiam.

25 Obijcies quintò: ens adæquatè sumptum nō includitur in differentijs; alioqui de quacumque differentia affirmare possemus, quod esset ens adæquaté sumptum, quod quidem est manifesté falsum; neque differentiæ adæquatæ sumptæ includuntur in ente, communiter enim dicimus gradum substātiæ inadæquate acceptum in conceptu entis includi; ergo gradus entis, & differentiarum sunt omnino contradistincti saltem secundùm rationē inadæquatam.

Respondeo distinguendo priorem antecedentis partem: ens adæquatè sumptum non includitur in differentijs distributiuè, & diuisim acceptis, concedo: non includitur in differentijs collectiuè, & simul sumptis, nego priorem istam partem; & distingo etiam posteriorem: differentiæ adæquatè sumptæ non includuntur in ente, adæquatione se tenente ex parte modi, quo differentiæ sunt conceptibiles, concedo antecedens: adæquatione se tenente ex parte ipsarum differentiarum secūdum se spectatarum, nego antecedens, & consequentiam; siquidem ex priori parte antecedentis non sequitur, quod gradus entis adæquatè sumptus non includatur in differentijs collectiué acceptis; in quo sensu solum loquitur nostra Cōclusio; ex posteriori veró inferri tantùm potest, gradum substantiæ V. G. distingui á gradu entis per hoc, quod magis expressè concipiendus sit.

26 Obijcies sextò: contra quartam Conclusionem Aristoteles 7. *met. tex.* 15. *& alibi* sæpè docet ens immediatè significare decem prædicamenta. ergo conceptus obiectiuus entis nullā habet in se vnitatem. Respondeo Philosophum *locis citatis* velle solum gradum entis non esse perfectè præcisum ab inferioribus sed illa implicitè continere, ita vt ad eā non determinetur nisi per maiorem expressionem graduum ipsorum inferiorum.

Obijcies septimò: conceptus obiectiuus entis cognoscitur non cognitis inferioribus differentijs. ergo est ab illis perfectè præcisus. Confirmatur, quia huiusmodi conceptus dicitur communiter á Philosophis simplicissimus; & diuidi in decem prædicamenta: ergo non videtur illa in se includere posse. Respondeo ad obiectionem distinguendo antecedens: Conceptus entis cognoscitur non cognitis expressè differentijs inferioribus, concedo: nō cognitis implicitè, nego antecedens, & consequentiam. signum autem, quod implicitè cognoscantur, est, quod de illis abstractè sumptis ratio præcisa entis prædicari potest, quod fieri non posset absque implicita inclusione. Ad priorem. Confir: dico conceptum entis dici simplicissimum, non quia sit ab inferioribus differentijs perfectè præcisus, sed in quantum est primus, & vniuersalissimus in alios priores conceptus reales irresolubilis. Ad posteriorem verò concesso antecedente, distingu consequens: non includit illa secundùm omnem expressionis modum, quo exprimi possunt, concedo: non includit illa in confuso ac minus expressè, nego consequentiam. 27

Obijcies octauò: si conceptus obiectiuus entis non esset ab inferioribus perfectè præcisus, sed illa implicitè contineret, eodem modo deberet concipi ens in communi, ac concipitur omne ens collectiué sumptum; sed hoc est manifestè falsum, quia collectio omnium entium multiplicitatem importat: ergo &c. 28

Respondeo negando sequelam; quādo enim concipitur ens, concipiuntur omnia entia ad modum vnius, ita vt in tali obiecto licèt sit multiplicitas, in eo tamē minimè reluceat, sed tantū id, in quo plura illa conueniunt. at verò quando concipiuntur omnia entia, cognoscuntur per modum plurium, ita vt pluralitas ipsa in tali obiecto explicitè reluceat ac discernatur.

Obijcies nonò contra quintam Cōclusionē: vbi nulla est proportio, ibi nulla est Analogia; sed inter Deum, & creaturas nulla potest esse proportio. nulla igitur erit Analogia. ergo ratio entis falsum est, quod sit analoga. Confirmatur, quia magis distat Deus à creaturis, quam Canis Marinus á Cælesti, sed inter hos non est Analogia. ergo multo minus erit inter illos. 29

Licèt ad hoc argumentum quoquo modo superius responsum sit, respondeo tamen ad huc, & dico proportionem esse duplicem, propriam, & impropriam: propria consistit in habitudine determinatæ distantiæ, & primariò quidem reperitur in quantitatibus, secundum quam quantitates ipsæ dicuntur æquales, aut vna excedens alteram in dupla, vel tripla, vel alia simili proportione: Secundariò verò in rerum essentijs, secundū quam vna essentia dicitur alia perfectior, aut imperfectior, vt tria V. G. vel vt quatuor &c.

Inpro-

impropria verò propoꝛtio est quæcũq; habitudo, seù ordo vnius ad alterum secundũ quamcumq; attingentiam, seù attinentiã; qualis est inter materiam, & formam inter potentiã, & obiectũ, inter Creatorẽ, & Creaturam, &c. huiusmodi; hoc posito, distinguo maiorem argumenti: vbi nulla est propoꝛtio, neque propria; neque impropria, vbi nulla est Analogia, concedo: vbi nulla est proportio propria tantum, nego maiorem; & distinguo eodem modo minorem: inter Deum, & Creaturas nulla est proportio propria, concedo; siquidem inter Deum, & Creaturas, & inter quamlibet rem finitam, & infinitam non est proportio, quæ dicat habitudinem determinatæ distantiæ cuius beneficio res finita aliquoties multiplicata possit pertingere ad infinitum: Inter Deum, & Creaturas non datur proportio impropria, similitudinis scilicet, & imitationis in quantum sicuti Deus se habet ad suũ infinitũ: ita creatura ad suũ finitum, nego minorẽ, & Cõsequẽtiã; Ad Cõfirmationẽ verò respõdeo eodẽ fere modo distinguẽdo maiorẽ: in ratione infinitatis, & finitatis magis distat Deus à Creatura, quã Canis Marinus á Cælesti, concedo: in ratione similitudinis, nego; & distincta eodẽ modo minore, nego consequentiam.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur quædam alia obiecta ab Oniedo.

19 OViedus *Contron.* 1. *metaph. puncto* 5. quærens vtrum possit dari vnus entis conceptus communis omni enti, de perfectè præciso loquitur, vt patet euidenter ex toto decursu. Respondet autẽ affirmatiuè; & si quidẽ hoc sustineret iuxta sententiam præscindentium tantum ex parte actus, non esset multum cum eo contendendum; nos enim oppositum docuimus in Logicis. Quoniã verò id quoq; in sẽtẽtia præscindentiũ ex parte obiecti suadere conatur sequutus Arriagã *disp.* 11. Log. *sect.* 4. *nu.* 10. idcirco rationes quibus nititur, expendere visum est. Illæ, quas contrà præscindentes tantum formaliter *nu.* 2. adducit, sunt duæ. Prior sic procedit: Ens in tota sua latitudine potest cognosci confusè per conceptum non discernentem inter substantiam & accidens. ergo potest cognosci conceptu quodam, ex vi cuius dicatur vnum communo 20 entibus particularibus. Cõsequentia patet in hac sententia.

Posterior verò est huiusmodi; diuersa sunt connotata propria substantiæ, & accidentis, ac connotata vtrique communia, videlicet oppositio cũ puro nihilo, & cum Chymæra, capacitas existendi &c. ergo possunt substantia, & accidens cognosci per connotata sibi 21 communia, non cognitis proprijs, & sic possunt cognosci vt vnum.

Verùm licèt hæ rationes fictẽdo in principijs aduersariorum quoquo modo procedere videantur; earum tamen falsitas conuinci potest ad euidentiam ex eo, quia si quid euincerent, suaderent quoque omnem Analogiam tum proportionis tũ attributionis ablegandam esse é Scholis: proportionis quidem, quia posset dari vnus conceptus risus, communis motui locali animalis ex admiratione orto, ac viriditati, & floriditati pratorum, quatenus hęc duo possunt concipi vnico conceptu non discernente differentiam, quam inter se habeant in connotatis, sed solùm conuenientiam in prosperitate, & tacita suasione intuentium ad lætitiam, & hilaritatem. Attributionis verò quia dari etiam posset vnus conceptus sani communis medicinæ, pulsui, vrinæ, & similibus, quatenus possunt concipi vnico conceptu non discernente diuersitatem, qua Analogata hæc ad eandem formam sanitatis attributionem dicunt. Duæ enim rationes assignatæ, si quid valent, æquè vtrumque conuincunt, vt consideranti patet. Sed quid adhoc responderi possit, viderit Oniedus; Ego enim cum sim ex eorum numero, qui obiectiuas præcisiones admittunt, meo muneri satisfaciam, si tres aut quatuor rationes quibus hic auctor vnitatem conceptus entis in hac sententia probat, adducendo, dissoluam.

Prima eius ratio sic procedit: Totum fundamentum præcisionis obiectiuæ in rebus realiter distinctis, est in connotatis similibus; sed substantia, & accidens habent similia connotata communia, per quæ cognoscuntur: ergo & in substantia, & accidente reperitur fundamentum, vt ab illis obiectiuè abstrahatur ratio communis. Maior probatur, quia ideò abstrahitur obiectiuè ratio cõmunis Animalis ab Homine, & Equo, quia experimur in illis similes sensationes. Minor verò constat, quia in substantia, & accidente experimur oppositionem cum Chymæra capacitatem existendi, atque durandi, ergo &c. Secunda verò ratio est huiusmodi. Cõceptus entis repræsentat obiectum indifferens, vt prædicetur de substantia, & accidente, & ex se huiusmodi obiectum antequam contrahatur, nullam dicit oppositionem cum aliqua speciali differentia. ergo cõceptus entis abstrahit à proprijs differentijs. Consequentia probatur, quia si differentias diceret, non repræsentaret aliquid commune, & indifferens, vt prædicaretur de substantia, & accidente, neque aliquid, quod oppositionem non haberet cum alia differentia. Tertia denique ratio sic: Quodcumque assignetur ad saluandam rationem communẽ animalis homini, & equo, inuenitur ad concipiendam rationem communem entis substantiæ, & accidenti: quia vtrũque habet oppositionẽ cum Chymæra, capa- 22 citatẽ existendi, essendi in loco. ergo &c.

Verùm nulla ex his rationibus habet vim. Ad primam ergo distinguenda est Maior illa: totum fundamentum præcisionis obiectiuæ in rebus realiter distinctis est in connotatis similibus sic: si connotata similia æquè benè á rebus realiter distinctis, pro vt inter se conueniunt, & inter se differunt connotentur, nego; si connotentur solum, pro vt conueni-

Digitized by Google

unt, & non pro vt differunt, concedo, & sic distincta minore, nego consequentiam. Et ad maioris probationem dicendum, quod ideò ab homine, & equo ratio communis animalis obiectiuè abstrahitur, quia ita connotata similia, quæ sunt sensationes, importantur à ratione animalis, in qua conueniunt, vt non importentur etiam à rationalitate, & hinnibilitate, in quibus differunt; at oppositio cum Chymæra, capacitas ad existendū &c. æquè benè reperitur in substantia, & accidente, pro vt sumuntur in ratione entis, in qua conueniunt, ac in rationibus essendi per se, & inhærendi, in quibus differunt, vt ipsemet auctor puncto præcedenti fatetur.

23 Ad secundam: distinguo etiam antecedens, conceptus entis repræsentat obiectum indifferens, & huiusmodi obiectum antequam contrahatur, nullam dicit oppositionem cum aliqua speciali differentia; & si quidem loquamur de hoc obiecto secundum id, quod dicit explicitè tantum, concedo; sin autem secundum id, quod etiam importat implicitè, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim verum quidem esse, quod conceptus obiectiuus entis explicitè acceptus repræsentet obiectum indifferens, neque in eo reluceat oppositio cum ratione formali, vel substantiæ, vel accidentis: negari tamen non posse eum implicitè acceptum importare rationem substantiæ, & accidentis, & per consequens oppositionem cum vtroque extremo modo supra dicto. Quoniam verò conceptus communis obiectiuè ab inferioribus præcisus debet esse talis, vt neque explicitè, neque implicitè differentias inferiores inuoluat: hinc fit vt conceptus entis non abstrahat á proprijs differentijs. Per quæ patet responsio ad probationem consequentiæ; quamuis enim si conceptus entis explicitè differentias diceret, verum esset, quod non repræsentaret aliquid commune, neque aliquid, quod oppositionem non haberet cum altera differentia: at quia illas implicitè inuoluit, neutrum ex his veritatem habet.

Ad tertiam denique, nego assumptum; & aio, quod ideò ratio animalis obiectiuè ab homine, & equo perfectè præscindit, eisque perfectè communis est, quia, neque explicitè, neque implicitè rationalitatem, & hinnibilitatem importat; quod non habet ratio entis cum suis inferioribus comparata, vti probauimus.

24 Idem auctor *numero* 7. quandam aliam obiectionem ad suum intentum probandum contra obiectiuè præscindentes in hunc ferè modum adducit: Ideò per nos non potest separari ens à differentijs, quia differentiæ non possunt separari ab ente; sed hæc ratio nulla est. ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia differentias non posse separari ab ente, tantum dicit formaliter non posse dari cognitionem terminatam ad differentias, quæ non terminetur ad ens: ens verò separari à differentijs dicit tantum formaliter posse dari cognitionem entis, quæ non sit differentiarum. sed ex eo quod omnis cognitio differentiarum sit cognitio entis, non sequitur, quod omnis cognitio entis sit differentiarum. ergo &c. Maior videtur certa. Minor verò suadetur, quia cognitio terminata ad differentias, & cognitio terminata ad ens, realiter distinguntur. ergo ex eo quod cognitio differentiarum repræsentet differentias, & eas in illis imbibitum, non rectè deducitur, quod cognitio entis idè repræsentare debeat. Confirmat *numero* 8. idem sic: Cognitio vnionis seù relationis transcendentalis non mutuæ necessariò est cognitio termini; at potest dari cognitio termini sinè cognitione vnionis, seù relationis non mutuæ. ergo licèt differentiæ non possint cognosci sine ente, non sequitur quod ens cognosci nequeat sine differentijs.

Respondeo veritatem causalis, quæ in Maiore assumitur, nō procedere formaliter, quasi verò quoties hoc nō potest cognosci sine illo, nec illud possit sine hoc: id enim manifestè falsum esse constat ex eo, quia homo non potest intelligi sine animali, at potest animal sine homine. procedit. ergo veritas illa materialiter, hoc est in subiecta materia, loquendo de ente, & eius differentijs. In quo sensu concessa maiore, nego minorem; & ad eius probationem concedo item maiorem, sed nego minorem. Ad cuius suasionem distinguo antecedens: cognitio terminata explicitè ad differentias, & cognitio terminata explicitè ad ens, realiter distinguntur, concedo; cognitio terminata explicitè ad ens, & implicitè ad differentias, realiter distinguntur, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim quod quemadmodum in eius sententia ex eo, quod cognitio, quæ terminatur explicitè ad differentias realiter distinguitur á cognitione, quæ terminatur explicitè ad ens, non sequitur posse dari cognitionem explicitè terminatam ad differentias, quæ non terminetur implicitè ad ens: ita neque in mea sententia ex eodem antecedente sequitur posse dari cognitionem explicitè terminatam ad ens, quæ non terminetur implicitè ad differentias; quia sicuti auctor sustinet eandem cognitionem, quæ terminetur explicitè ad differentias, de necessitate terminari debere implicitè ad ens: ita ego dico eandem cognitionem, quæ terminatur explicitè ad ens, terminari quoque debere implicitè ad differentias. Fundamentum id asserendi existimo esse idem omnino cum fundamento, quo ipse vtitur ad asserendum differentias non posse præscindere ab ente; siquidem hæc impotentia non fundatur in compositione Metaphysica, sicuti fundatur impotētia, quā habet homo V. G. ad præscindēdū ab animali, sed in vnitate, & identitate obiectiua eiusdē formalissimæ rationis formalis, quatenus nulla ratio differētialis quātūuis vltima, & simplicissima siuè substātiæ sit, siuè accidētis, cōceptibilis est, quæ non dicat implicitè rationem entis. Ex hoc autē rectè colligitur

ratio-

rationem entis, & rationem differentiarum esse vnam simplicissimam formalitatem ex parte obiecti, & differre solum secundùm conceptum explicitum, & implicitum eiusdem omnino rationis. Ad confirmationem denique, quamuis in præcedenti sectione respondisse videar: non grauabor tamen iterum respondere, vt veritas, quam propugno, magis appareat, concesso itaque antecedente, nego consequentiam; Ratio disparitatis est, quia ideò licèt non possit dari cognitio vnionis, vel relationis sine cognitione termini: potest tamen dari cognitio termini sine cognitione illorum, quia terminus secundùm suam essentiam, secundum quam terminat vnionem, & relationem, non est formaliter vnio nec relatio: at verò ratio obiectiua entis est formalissimè ratio differentiarum suarum, & solum secundùm explicitum, & implicitum conceptum differt ab illis. Quare quemadmodum si vnio, & relatio importarent essentialiter adæquatè terminos suos, ita vt nihil dicerent ex parte obiecti formaliter præter illos, sed solùm ab eis secundùm explicitum, & implicitum differrent, sicuti definitum, & definitio; implicaret dari cognitionem termini, quæ non esset cognitio vnionis, vel relationis: ita & in casu nostro.

SECTIO QVINTA:

De conceptu formali Entis.

25 Obiectiuo entis conceptui formalis conceptus, tamquam imago quædam exemplari suo correspondet, cuius notitia quia maximè ad perfectam cognitionem ipsius conceptus obiectiui conducit; id circo licèt multa de illo dixerimus occasione cōceptus obiectiui entis: adhuc aliquid de eius vnitate, ac præcisione separatim breuiter attingemus.

26 Prima Conclusio: Conceptus formalis entis communissimè est vnus, ac præcisus secundùm rem à conceptibus formalibus explicitis entium in particulari. Est Suarij *disp. 2. sect. prima* Fonsecæ *4. met. cap. 2. quæst. 2. sect. 5. in conclusione quarta*, & aliorum.

Probatur, quia intellectus noster vnica cognitione cognoscit id, quod primò per hoc nomen (ens) repræsentatur; sed sic iam conceptus formalis entis erit vnus, ac præcisus secundùm rem, ergo &c. Minor patet, siquidem huiusmodi cognitio erit qualitas realiter distincta à cognitionibus, quæ de alijs entibus in particulari formantur. Maior verò probatur tum experientia; experimur enim audita hac voce (ens) vnam tantum numero cognitionem versantem circa id, quod per illā significantur nos efficere: tum etiam ratione, quia sicuti ratio entis in communi, cum sit analoga, est conceptibilis absque eo, quod explicitè rationes entis in particulari concipiatur: ita dabilis quoque est aliquis formalis conceptus vnus secundùm rem, per quē dicta ratio ab intellectu nostro cognoscatur.

27 Secunda Conclusio: Conceptus formalis entis est vnus, & præcisus secundùm rationem, non quidem perfectè, & simpliciter, sed secundùm quid, & imperfectè tantùm. Est Caetani, Ferrariensis, Fonsecæ, & aliorum contra Suares *loco cit.* Scotum, & eius Sectatores.

Probatur autem: quia vnitas ac præcisio conceptus formalis secundùm rationem sumitur per ordinem ad vnitatem, & præcisionem conceptus obiectiui. sicuti igitur obiectiuus entis conceptus est vnus, & præcisus præcisione, & vnitate imperfecta, ita etiam erit vnus conceptus formalis. Consequentia patet. Antecedens probatur, tum quia conceptus formalis sicuti sumit suam essentiam per ordinem ad conceptum obiectiuum, ita etiam per ordinem ad illum suam debet sumere vnitatem secundùm rationem: tum etiam, quia ipse est essentialiter imago, conceptum obiectiuum repræsentans debet igitur in ratione imaginis illius vnitati ac præcisioni se conformare.

28 Obijcies: si conceptus formalis entis non esset perfectè vnus, & præcisus, maximè quia repræsentaret in confuso, & implicitè omnia inferiora entis; sed hoc est falsum, atque absurdum, ergo &c. Maior patet. Minor probatur, quia sic repræsentaret etiam, & haberet pro obiecto se ipsū, & per consequens à se ipso dependeret, quod videtur impossibile.

Respondeo concessa maiore, negando minorem: ad cuius probationem, dico non esse absurdum, quod vna cognitio repræsentet, & habeat pro obiecto inadæquato se ipsam, alia, atque alia ratione sumptam; defactò enim cum cognoscimus cognitionem in communi, nostræ cognitionis obiectum realiter identificatur cum qualibet cognitione in particulari; iam verò in casu nostro illa cognitio habet pro obiecto explicitè ens, implicitè verò, & in confuso omnia entia in particulari, in quorū numero ipsa cōtinetur. Quod si haberet pro obiecto explicitū se ipsā, hoc certè non repugnaret ex eo capite, quia nimirū idē à se ipso dependeret, siquidē actualis dependentia, quā habet cognitio ab obiecto est solū mediata, ratione scilicet specierum intelligibilium, sed quia cognitio esse debet imago, atque exemplar rei, primò, per se, & explicitè cognitæ. Ratio autem imaginis, atque exemplaris sine reali distinctione non videtur posse saluari.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SECVNDA

DE ENTIS PASSIONIBVS IN COMMVNI.

POSTQUAM essentiam entis, eiusque vnitatem considerauimus, æquum est vt de eius Passionibus disputemus. Iam verò Passionis nomen rigorosè, & minus rigorosè accipi potest. Rigorosè significat prædicatū adęquatè reale, quod supponat essentiā subiecti constitutam, ab eaque profluere, seù emanere intelligatur, ita vt essentia ipsa subiecti neque sit de intrinseca illius ratione, neque importetur ab eo in recto; siuè demum prædicatū hoc realiter distinguatur à suo subiecto, & sit actualiter ab illo dependeat, siue solū ratione, illudque tanquam causam virtualem respiciat. Minus verò rigorosè significat prædicatū reale, quod dicat in recto, & essentialiter subiectū ipsū, & solū cōnotatiuè, & in obliquo aliquid aliud superaddat per quod formetur cōceptus quidā ordine rationis consequens ad primū conceptum essentialem subiecti; & magis propriè dicitur attributum. Cuius autem generis sint passiones entis, & quænam sint illæ in hac disputatione considerabimus.

SECTIO PRIMA.

Num ens rigorosè habeat Passiones.

2 SVppono hic cum communi sententia contra Petrum Nigrum *in suo clypeo Thomistarum par. 1. quæst. 7.* ens in communi aliquales habere passiones; quod patet primò ex Aristotele qui *4. met. cap. 1.* hæc habet. Est scientia quædam quæ speculatur ens prout ens est, & quæ ei per sè insunt, & *text. 5. eiusdem libri*, vbi docet esse quædam propria entis, vt ens est. Porrò nomine eorum quæ per sè insunt enti, eique propria sunt, non veniunt nisi passiones, siuè deinde rigorosè sint, siue minus rigorosè. Secundò ex eo quia datur vera scientia de ente in communi; dari igitur debent quædam prædicata posteriora, quæ de illo demonstrari possunt; hæc autem sunt aliquales passiones; sed dubium cuiusmodi hæ passiones sint.

3 Prima Cōclusio: Ens in communi non habet passiones rigorosè sumptas. Est primò contra Scotum *in 1. dist. 3. quæst. 3.* & alibi, volentem passiones entis esse rationes quasdam positiuas distinctas ab eo formaliter ex natura rei. Est etiam secundò contra alios, qui putant eas esse modos realiter seu modaliter ab ipso ente distinctos. Est denique tertiò contra alios, qui dicunt eas ab ente solùm ratione ratiocinata distingui, ita vt inter eas, & ipsum ens detur præcisio ex parte obiecti, illudque respiciant tanquam sui causam virtualem; sicuti risibilitas respicit rationalitatem in sententia eorum, qui volunt eam identificari cum illa.

4 Probatur autem Conclusio, quia illa est rigorosa passio, quæ cum positiua sit atque realis, profluit, siuè realiter siue virtualiter ab essentia subiecti ita vt non importet intrinsecè, & in recto ipsum subiectum. Atqui omnis ratio positiua, & realis, siue formalitas sit, siuè modus, siuè virtualitas quædam præscindibilis ex parte obiecti, est vere, & formalissimè ens reale, & intrinsecè, ac in recto rationem entis importat; siquidem in hac amplitudine ens reale sumitur cum de eo vt de obiecto agitur. ergo impossibile est vt aliqua ratio positiua, & realis, siuè formalitas sit, siuè modus, siuè virtualitas, sit passio rigorosa entis, nullas igitur *ens rigorosas* habet passiones. Maior patet. *Minor probatur*, quia omnis positiua ratio quantumuis formalissimè sumatur, vt supra vidimus, non potest præscindere ad ratione entis verè: siquidem est id, quod realem essentiam habet. 9

Arriaga *disput. 1. metaph. sect. 2.* licet nobiscū in Conclusione conueniat, putat tamen argumentum, quo illā probauimus euincere quidem ens non habere passiones ex natura rei, & ante intellectus operationem á sè distinctas: non verò admissis præcisionibus obiectiuis in aliis rebus ipsum non habere passiones à sè obiectiuè distinctas. §

Rationem huius rei assignat *sect. nu. 18 quia*, inquit, etiam illo probaretur neque ens posse habere prædicata inferiora, & differentias, quia illa essent formaliter ens. Sequelā probat, quia sicuti attributum distingui debet à rè, cuius est attributum, ita ratio inferior à superiori; nihil enim est superius sibi, sicut nec attributum sui. ergo sicuti non obstante trascendētia entis, dantur in ea sententia inferiora: ita non obstante eadem transcendentia in attributis, possunt dari in dicta sententia attributa.

Ve-

Digitized by Google

6 Verum hæc ratio procedit contra illos, qui putant ens quidem perfectè præscindere ex parte obiecti à differentijs, non autem differentias ab ente. In horum enim sententia remanet conceptus differentiarum, non obstante quod includant conceptum entis; vnde eodem modo dici potest remanere conceptum passionum entis, quamuis in eo ratio entis inueniatur inclusa. At nos docuimus implicare contradictionē quod ens præscindat ex parte obiecti à differentijs, quin differentia eodē modo præscindant ab ente. Ex quo principio rectè deducimus, si darentur passiones entis, à quibus ens obiectiuè præscinderet, huiusmodi passiones vel non debere esse ens, vel si entis rationem haberent, hanc rationem non fore illam, quæ supponitur ab eis præcisa, sed aliam: neque adeo sunt passiones, similiter ac habet illa prior, habere debere, & sic in infinitum procedendum esse. Non est igitur cur argumentum nostrum non conuincat etiam in ordine ad passiones, posito quod ens ab illis obiectiuè præscinderet.

7 Obijcies: rigorosa scientia rigorosas probare debet de suo obiecto passiones; sed Metaphysica censetur scientia rigorosa. ergo &c. Respondeo aliquos negare absolutè maiorem. ego verò sic illam distinguo: rigorosa scientia rigorosas probare debet de suo obiecto passiones, ex suppositione quod obiectum rigorosè sit præditum passionibus, concedo: si verò rigorosis, nego maiorem. in hoc enim casu sufficit si minus rigorosas de illo demonstret. Sic concessa minore, distinguo eodem modo cōsequens; & dico quod cum ens in communi rigorosas nō habeat passiones, mirum non est si Metaphysica de eo illas minimè demonstret: quia verò quædam inferiora enti, quæ ab eadem scientia eatenus obiecta partialia considerantur, illis sunt prædita cuiusmodi sūt substantia creata, & accidens, sufficit Metaphysicæ vt sit rigorosa scientia, si eas de dictis obiectis partialibus probet.

8 Secunda Conclusio: ens in communi aliquas habet passiones minus rigorosè sumptas, quia quia importatur in recto, & essentialiter ipsum ens dicit propriè solum attributa, proprietates verò non nisi minus propriè. Patet ex dictis, & viteriùs. Probatur ex eo, quia ens in communi habet prædicata quædam, quæ secundariò illi competunt, atque adeo in secundo modo dicendi per sè de illo prædicantur; ita tamen vt essentialiter, & in recto verè, & propriè rationem eiusdem entis includant; huiusmodi autem sunt Vnitas, Veritas, & Bonitas. ergo &c.

9 Obijcies primò: si passiones entis importarent in recto ipsum ens, sequeretur quod deberent etiā ipsæ alias passiones habere, quæ propter eamdem rationem alias requirerent, & hæ rursum alias, in infinitum; consequens est absurdum. ergo &c. Sequela probatur, quia in tantum ens habet passiones illas, in quātum est ens; si igitur passiones entis essent ens, deberent, & ipsæ alias habere passiones in infinitum.

Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem distinguo antecedens. In tantum ens habet passiones, in quantum est ens absolutè, & simpliciter secundum sè consideratum, concedo; inquantum est ens importatum *in recto*, nego antecedens, & consequentiam; & ratio huius rei est, quia ens importatum in recto includit rationem attributi sui ipsius simpliciter, Et secundum sè consideratis, vnde non est quod vt sic habeant aliud attributum. Non negauerim tamen quod si illud ens, quod à passione importatur in recto, esset realiter distinctum ab ente, cuius est passio, quia suam etiam distinctam passionem exigeret. siquidem iam esset aliud ab eo, à quo proficeret.

10 Obijcies secundò: Vnitas Veritas &c. si sunt entis attributa, sunt attributa secundum id solum, quod addunt in obliquo. sed hoc dici nequit. ergo nullo modo sunt passiones entis. Minor patet, quia id quod addūt in obliquo vel est nō reale, vel reale: primū est oppositū formaliter enti reali, passio autem cum sit complementum essentiæ rei cuius est passio, non potest consistere in aliquo, quod sit ei formaliter oppositū. Secundū verò est ipsū ens. Maior verò probatur quia secūdū id, quod vnitas, veritas &c. dicūt in recto, vt dicetur infrà, sunt ipsum ens, & subiectum attributorum seu passionum; ergo &c.

Respondeo negādo maiorem; ad cuius probationem dico, quod vnitas, veritas &c. sunt entis attributa secundum ea, quæ important in recto, & in obliquo indiuisibiliter sumpta.

11 Obijcies tertiò: omnis passio est conuertibilis cum subiecto, cuius est passio. ergo passiones entis non possunt formaliter includere ipsum ens. Antecedens patet. Probatur consequentia quia nullum inclusum conuertibile est cum includente; siquidem includens dicere debet, præter id quod includit, aliquid aliud.

Respondeo concesso antecedente, nego Consequentiam. Ad cuius probationem distinguo assumptum: nullum inclusum tanquam pars est conuertibile cū includente, concedo: nullum inclusum importatum in recto ab includente, conuertibile est cum ipso includente, nego; quia tunc inclusum re vera est totum id, quod includens intrinsecè dicit.

SECTIO SECVNDA.

Prima omnia à transcendentia Vnum Verum ens sint Passiones entis.

12 S. Thomas quæst. 1. de verit. art. 1. & quæst. 9. de potent. art. 7. sex enumerat transcendentia, Res, Aliquid, Vnū, Verum, Bonū, & assignat rationem, cur tot sint, & non plura, nec pauciora. Certū autem est ens sui ipsius passionem esse non posse, vnde dubium remanet an reliqua quinque eius passiones censenda sint. Propterea.

13 Prima Conclusio: Neque Res, neque Aliquid sunt passiones entis. Defenditur communiter, & videtur esse S. Thom. qui 1. *par. quæst.* 5. *art.* 2. ētis passiones enumerans nullam de his duobus mētionem fecit.

Probatur autem, quia passiones habere debēt conceptibilitatem distinctam à subiecto, cuius concipiuntur esse passiones, & non idem omnino formaliter significare, atqui tum Res, tum

Ali-

Digitized by Google

Aliquid non important conceptibilitatem aliquam ab ente distinctam, sed sunt omnino cum voce Ens, synonima, ab eoque tantùm differunt ratione diuersæ ethimologiæ, vocisque impositione. ergo nullo modo censendæ sunt attributa entis; Maior patet; quia id quod attributi rationem habet, debet etiam secundum rem significata aliquo modo à subiecto differre, neque omnino synominè sè habere cum illo, sicuti sè habet Ensis, & Gladius, Sydus, & Stella, &c. Minor verò probatur, quia Res vel originatur à realitate, & significat realem essentiam, sicuti significat ens, vel originatur ab esse rato, scilicet firmo, quod etiam significat essentiam, in quantum firma est, & inuariabilis. Aliquid verò vel sumptum est à quidditate, vt quidam censent, & sic si vniuersalissimè sumatur, est quid entis superius; sin autem ad quidditatem realem restringatur, idem omnino representat intellectui ac ipsum ens. Vel idem sonat ac Aliud vt S. Thomas existimat, & tunc non significat aliquid distinctũ ab Vno, ac proinde non est numerandum vt attributum ab illo contradistinctum, ergo &c.

14 Secunda Cõclusio: Omnia, & sola tria reliqua transcendentia, Vnum scilicet, Verũ, & Bonum sunt attributa entis in communi. Probatur, quia ex vna parte hæc tria diuersam habent conceptibilitatem ab ente, & non sunt cum illo omnino synonima, & ad illud necessariò consequuntur, ita vt cum eo conuertantur. & Vnum quidẽ addit supra ens indiuisionem, Verum conformitatem cum intellectu recto, & Bonum conuenientiam cum appetitu. ergo sunt entis passiones seù attributa. Ex alia verò parte non potest aliud quid assignari, quod respectu entis in communi attributi seù passionis rationem habeat, ergo omnia, & sola hæc tria sunt attributa entis in communi.

15 Tertia Conclusio, Inter hæc attributa primũ locum sibi vendicat Vnum: secundum Verum; tertium Bonum: Est S. Thom. *par. quæst. 55 art. ad quartum*, & communis. Probatur, quia ex vna parte absoluta supponũtur à relatiuis; Vnitas autem est passio absoluta, Veritas autem, & Bonitas veluti respectiuæ. ergo &c. Ex alia verò parte Verum sumitur per ordinem ad intellectum, Bonum autem per ordinem ad voluntatem, sicuti igitur potentia volitiua posterior est intellectiua, ita Veritas prius quã Bonitas enti in communi conueniet. Linquo Bonitatem entis in eius veritate fundari, atque adeo illam præsupponere.

16 Obiicies primò contra primam: Conclusione multiplicantur interdum entia absque eo quod res multiplicentur, ergo ens, & res non sunt omnino synonima. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, quia actio, & passio sunt plura entia, non tamen sunt plures res. Respondeo negando antecedens, & ad eius probationẽ dico, quod sicuti actio, & passio non sunt duæ res, ita non sunt duo entia, dicuntur tamen improprie duo entia, quia aut sunt, aut existimantur esse duæ entitates, vsurpando nimirum concretum pro obstracto, quod fieri solet in transcendentibus, quæ sunt nomina adiectiua; nomen autem rei quia substantiuum est, non solet sic communiter vsurpari.

17 Obijcies secundò contra secundam: formalis potentia ad existẽdum siue vt quod, siue vt quòd est passio entis, ergo falsum est quod illa solatria transcendentia sunt passiones entis. Respondeo; aliquos concesso antecedente, negare consequentiam, aiunt enim quod licèt formalis potentia sit passio entis, quia tamen pertinet ad complementum ipsius essentiale, potius quam accidentale, eoque id, per ordinem ad quod ens essentia explicatur, ideo non est numeranda inter eius passiones. Ego verò nego antecedẽtis ratio negationis est, quia passio licèt minus rigorosè esse debet essentialiter quid reale, & positiuum; potentia autem formalis ad existendum cum sit merè logica; per formalem non repugnantiam constituitur.

18 Obijcies tertiò contra eandem. Passio supponit subiectum vnum, ergo Vnum non est passio entis. Respondeo distinguendo: antecedens passio si non est prima, & vniuersalissima, concedo: Si autem prima est atque vniuersalissima, nego antecedens, & consequentiam; sufficit enim primæ passioni supponere subiectum suum radicaliter vnum.

19 Quæres hic: transcendentia coniuncta, eiusmodi sunt esse idem vel diuersum: finitum vel infinitum: sunt ne inter passiones entis recensẽda à Respondeo negatiuè, & ratio potest esse, quia hæc transcendentia coniuncta videntur esse potius diuisiones entis, quam eius attributa, in quantum significant diuersos illius status, non aliquid necessariò semper cum illo connexum, quod est proprium passionis: tum etiam quia hæc commode reducuntur ad tria simplicia transcendentia, vt esse idem vel diuersum ad Vnitatem, per quam res sit eadem sibi ipsi, & diuersa à quocumque alio &c.

D I-

DISPVTATIO QVADRAGESIMA TERTIA

DE VNO.

CONstat nomine Vnius venire communiter id, quod non est multa; sic dicimus vnum esse hominem in cubiculo ad excludendos plurium hominum existentiam ab eodem cubiculo. De Vno 2
1 sic accepto nobis in præsentia sermo est.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Vnum, & quid addat supra Ens.

2 VIdimus supra Vnum esse passionē entis, quod
3 patet tum ex Aristotele 4. *met. tex.* 3. vbi ait: Ens, & Vnū idem, ac vna natura sunt, propterea quod sè *in* uicem sequuntur; tum etiā quia vti dicebamus: Vnū prædicatur ad conuertētiā de ente, & eius essentiam tamquam quid prius præsupponit. Quod si Aristoteles *loco cit.* dicit ens, & vnum idem esse, & tot esse species vnius quot sunt entis, loquutus est in sensu reali inadæquato, siquidem vnum, vti dicemus, secundum id quod dicit in recto, est formalissimè ipsū ens. Præterea dum *tex.* 5. *eiusdem libri* ait: passiones entis, & vnius esse easdē, non est intelligendus de prima entis passione, sed de reliquis, quæ quia primam hoc est vnitatem præsupponūt, recte ab illa aliquo modo originari cēsentur. Est igitur vnitas passio entis, & quidem adæquata, si enim inadæquata esset, maximè quia ens videtur diuidi in vnum, & multa; sed hæc nō est vera diuisio superioris in inferiora, sed quędam potius enumeratio, per quā significamus interdū dari plura entia, quæ faciant multitudinem: interdū verò vnum tantummodo; & dato quod vera esset diuisio, per illam diuideretur ens commune enti per sè, & enti per accidens; & pluralitas quidem caderet supra ens per accidens: vnitas verò supra ens per sè: Ens enim per accidens sicuti impropriè est ens, ita impropriè habet vnitatem. Nos autem hic agimus tantummodo de ente per sè, eiusque passiones inuestigamus. Hoc posito sit.

Prima Conclusio: Vnū rectè describitur esse,
3 quod est indistinctum, seù quod idem est, indiuisum in sè vel à sè. Est S. Thom. *in 1. dist. 19 qu. 4. art. 1. ad 2.* vbi Vnum definit esse indiuisum in sè, & diuisum ab alio.

Dicitur primò (id quod est) quę particulę accipiendæ sunt præsertim, & rigorosè, pro vt sè extendunt ad ea tantum, quæ realem habent essentiam. quare sicuti negatio, & ens rationis metaphoricè tantum, & non proprie sunt entia, ita etiam vnitatis rationem participant.

Dicitur secūdò (indiuisū seu indistinctū) vbi aduerto diuisionis nomine significari multitudinē seu pluralitatē; & sic esse indiuisū idē valere, ac non cōtinere pluralitatē seu, potius multitudinē excludere. Dupliciter autem intelligi potest illud ens, quod est vnum, non continere multitudinem in sè, seu illam à sè excludere. Primò absolutè, & secundùm omnem rationem. Secundò secundùm eam tantùm rationem, secundum quam dicitur ens, & vnum: Ad rationem autem vnius constituēdam sufficit exclusio multitudinis secundo modo. Siquidem equus vg. licet in sè plura contineat, animam scilicet, & corpus: ad hoc tamen vt dicatur vnus equus, sufficit si multitudinem equorum non contineat.

Dicitur denique (in sè, vel à se) quia vtro modo debeat esse indiuisum seù indistinctum ens cū hoc sit dubiū apud auctores, peculiāri assertione statuendū est. Conclusio autem sic explicata Probatur primo ex Aristotele qui 5. *met. tex.* 11. Vniuersaliter, inquit, quęcumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum sunt, vt puta, si pro vt homo non habet diuisionem, vnus est homo; si prout animal, vnū animal; si pro vt magnitudo, vna magnitudo. Probatur secundò, quia huiusmodi descriptio recte explicat naturam, & quidditatem Vnius, eamque à quauis alia rè sufficienter distinguit, vti videbimus: ergo &c.

Secunda Conclusio: Vnum addit supra ens ne- 4
gationem diuisionis. Est S. Thom. *opusc. 24. cap. 2.* & 1. *par. quæst. 30. art. 3. ad 3.* Caietani, Fonsecæ, Suarij, & aliorum communiter.

Probatur, quia vnū debet addere aliquid supra ens, sed hoc nō potest esse nisi negatio diuisionis, ergo &c. Maior patet, tum ex Aristotele 4 *met. tex.* 2 vbi docet ens, & vnum distingui ratione, & sè inuicē consequi; tū etiā quia si nihil adderet vnum enti, esset synonimum illi, & sic nullo modo ab eo distingueretur, ac proinde non posset esse passio illius. Minor probatur, quia hęc quod addit, non potest esse quid positivum, vt supra vidimus, neque aliquod ens rationis; quia ens verè est vnum à parte rei, antequam aliquid confingatur ab intellectu ergo &c. aliqua negatio. Sed hanc nequit esse

nisi

Digitized by Google

nisi negatio diuisionis, ergo &c. antecedens, & prima Consequentia patent, assumptum verò probatur tum ex Aristotile *4. met. tex. 3.* vbi hæc habet: *Cæcum cum vnitas sit oppositus speculari: vni verò opponitur pluralitas*, negationem quoque, & priuationem vnius est speculari. Tum etiam quia illud addit vnum supra ens, per quod primo distinguitur à multitudine, vti directe, & formaliter opponitur, sed absq; per negationes diuisionis contradistinguitur. ergo &c. per quæ patet falsam esse sententiam eorū, qui existimant vnum addere supra ens relationē identitatis eiusdem ad se ipsum; quod vlterius improbatur, tum quia vnitas non concipitur instar formæ relatiuæ, sed absolutæ: tum etiam quia sic vnitas non daretur à parte rei, sed esset figmentum intellectus.

5 Tertia Conclusio: Negatio, quam primo vnū addit supra ens, est diuisionis in sè, non autem à sè, nisi secundario. Pro explicatione, sciendum est quod diuisio entis dupliciter concipi potest in sè, & à se: diuisio entis in sè consistit in pluralitate talium entium, quale est illud ens, quod dicitur in sè diuisum, ita vt hanc pluralitatem in sè contineat, verumque sit dicere: hoc ens est plura entia eiusdem rationis, ac ipsum est. Diuisio verò entis à sè posita est in eo, quod vnum ens sit à se ipso distinctum, atque diuisum, ita vt verum sit dicere, hoc ens est illud, quod re vera est aliud à se V. G. homo est lignū. Iam verò negatio, quam primo vnum addit supra ens, est illa, per quam negatur diuisio entis in sè. hoc autem.

Probatur in hunc modum: negatio diuisionis entis à sè supponit ens in sè in ratione vnius formaliter constitutum. ergo negatio, quam vnū addit supra ens, non est negatio diuisionis à sè, sed in sè. Antecedens probatur, quia in tantum Plato V. G. non est à se ipso distinctus, quia est vnum, & idem sibi ipsi. ergo per prius habet negationem diuisionis in sè, quam à sè. Confirmatur, quia ratio essendi in sè est prior ratione essendi á sè, prior enim denotat consistentiam quamdam, & permanentiam: posterior verò egressionem, & transitum. ergo negatio diuisionis in sè erit prior in ente negatione diuisionis à sè. Vbi aduerte negationem diuisionis ab alio non sumi à nobis hic, quatenus diuisio hæc connotat terminum existentem (vnum enim est independens à multitudine, & prius illa) sed quod connotat terminum positiuum absolutè sumptum siue existentem, siue possibilem: dico terminum positiuum, quia ens formalissime per sé ipsum, & non per aliquam negationem superadditam à non ente distinguitur.

6 Dices primo cum Fasolo *in 1. pri. p. quæst. 11. art. 1.* negationem diuisionis à sè præsupponi ad rationem vnius, inquantum, communis est enti vni, & nō vni vt acetuè lapidū, qui licet vnus nō sit, nō est tamen à sè diuisus. Cōtra tamen est: quia aliqua ratio præsertim negatiua potest ita esse cōmunis duobus oppositis, vt nihilominus ea in suo esse cōstituta præsupponat, vt patet ex negatione Angeli, quæ ita rationalitati, atque irrationalitati communis est, vt veramque constituta in suo esse præsupponat, & ab vtra-que profluere intelligatur. Iam verò sic se habet negatio diuisionis à sè respectu vnius per se, & vnius per accidens.

7 Dices secundo cum Oviedo *contr. 3. punct. 1. num. 13.* dictam negationem diuisionis à sè primario, & constitutiue competere vni, sicuti negationem diuisionis in sè, eo quod non minus opponitur cum vnitate Petri: Petrum esse lignū, quam esse diuisum in sè, in plures Petros. Quotiescumque autem ex eo præcise, quod auferatur aliqua formalitas, definit esse aliquod, signum est, quod illa ad huius constitutionem per sè primo pertinebat. Sed Contra: quia licet hic modus argumentandi in terminis positiuis habeat vim, non habeat tamen in negatiuis, male enim quis probaret non minus de ratione constitutiua hominis esse negationē equinitatis, ac rationalitatem ipsam eo, quod non minus opponatur cum esse hominis equinitas, quam negatio rationalitatis. In hunc modum discurrit Ouiedus. Aio igitur vnitatem Petri posse destrui, & per ablationem essentialium, & per positionem eorum, quorum negationem consequēter importat. Hoc autē secundo modo destrueretur Petrus, si esset à sè diuisus eo, quod identificaretur cum ligno.

8 Quarta Conclusio: Negatio diuisionis in sè non est quid positiuum negatiuè consideratum, sed verè, & formaliter est in sè quid negatiuū. Est communis contra Ouiedum *loco cit. §. 8.* volentē multiplicitatem, cui opponitur vnitas, esse formaliter aliquid de sè negatiuum.

Probo Conclusionem primo: quia si vnitas est quid positiuum negatiuè significatum, in tantum est, in quātum est negatio negationis, sed negatio negationis nō est in rebus, & rè vera nihil est, nisi per solā reflexionē rationis vt bene obiter notat Suarez *disp. 4. sect. 1. n. 13.* vel extrinsecè rem positiuam denominātis, vt idē ait *n. 18.* vel fingentis illā ad modū negatiui; ergo si vnitas esset quid positiuum negatiue significatū, nō esset in rebus independēter ab intellectu, *sed vel* quid fictū esset, vel denominatio *extrinseca à cognitione* ipsa desumpta; & sic *non posset* dici à parte rei vna res. Miror P. Ouiedū nè mētionē quidē feciſſe huius difficultatis, quā facile illi poterāt verba P. Suarez excitare. Cōfirmatur quia negatio cognita vt positiuū quid cēsetur cōmuniter esse figmentū. ergo, & ens cognitū vt quid negatiuū. Nequit igitur vnū importare aliquod positiuū negatiue cognitum; Prima consequētia probatur, quia nequit concipi negatiue ens, nisi vt oppositum alicui, quod positiue concipiatur.

Probo secundo: Intellectus potest in suis cognitionibus in infinitum reflectere. sicuti igitur potest apprehendere ens vt negationē suæ negationis, ita, & ipsā negationē vt negationē negationis, sui ipsius, & sic ens vt negationem huius tertiæ negationis, qua negabatur ipsū ens sūptū negatiuè, & sic in infinitū. sed posteriores hæ reflexiones inutiles sunt scientijs; siquidem illis nihil noui scitur, neq; ad vnitatē, vel multiplicitatē ētis intelligēdā nos adiuuāt. Ergo inutilis etiā nobis erit prima, qua ipsū ens ratione negationis consideratur ad habēdū vnitatis cōceptū; siquidē omnes huiusmodi reflexiones eiusdē sūt rationis, neq; maius fundamentū in rebus habet prima, quā reliquæ.

SE-

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA:

Soluuntur obiecta in contrarium.

9 OBijcies primò: vnitas in rebus compositis habetur formaliter per vnionem; sed vnio est quid positiuum. ergo vnum non addit enti negationem. Confirmatur, quia indiuisum idem est ac vnitum. sed vnitum habetur formaliter per vnionem. ergo & indiuisum.

Respondeo: negando maiorem, per vnionem enim habetur formaliter vnitum, seù, quod idem est, res ipsa composita, vt homo, equus, quæ consistunt in aliquo positiuo; non habetur autem vnum, seù vnus homo aut vnus equus; hoc enim formaliter prouenit à carentia multarum partium, & vnionum, quam habet homo, & equus qua tales sunt, quod si partes ante vnionem dicebãtur plures, & post vnionem dicuntur vnum; non est quia vnio abstulit à partibus suam vnitatem incompletam, sed quia ex illis constituit compositum, seù vnitum. Ad confirmationem, nego maiorem, vt patet ex Deo, qui licèt indiuisus sit, vnitus tamen in se non est; vndè falsum est, quod non vnitũ, formaliter loquendo, idẽ sit, ac diuisum.

10 Instabis: Diuisum, & indiuisum sunt contradictoria. ergo alterutrum esse debet positiuum; sed diuisum nequit esse positiuum: est enim carentia vnionis. ergo indiuisum, atque adeò vnum, positiuum quid erit. Respondeo: transeat primũ enthymema: distinguo subsumptum: diuisum, quod oppinitur vnitati compositionis, quæ facit vnitũ, non est quid positiuum, concedo: dicit enim carentiam vnionis, vt habet argumentum. Diuisum, quod opponitur vnitati transcendentali, quæ propriè constituit vnum, nego subsumptum, quia sicuti hæc vnitas non habetur per vnionem, ita neque multiplicitas illi opposita habebitur per vnionis carentiam. Quare nego vltimam consequentiam. Dixi, transeat, ad antecedens, nam indiuisum sumi potest dupliciter: negatiuè, & positiuè; quamuis autem sumptum negatiuè sit contradictorium diuisionis: at positiuè acceptum est quid contrarium. Idem dicimus de irrationali cum rationali comparato.

11 Instabis iterum: vnitas dicit perfectionem simpliciter simplicem. ergo non constituitur per negationem. Respondeo negando consequentiam; sicuti enim in rè spirituali fundare negationẽ materialitatis importat perfectionem in illa; ita & in rebus habere ex se talem entitatem, quæ multiplicitatis negationem fundet. esse igitur perfectionẽ, necnon in dicta perfectione suscipere aliquo modo magis, & minus in quantum res simplex est magis vna quam composita, necnon etiam esse mensuram multitudinis competit vnitati secundum id, quod dicit in recto, sicuti secundum id, quod dicit in obliquo habet quod sit à dicta multitudine mensurata.

12 Obijcies secũdò: vnitas entis realis, & vnitas entis rationis non conueniunt vniuocè; sed si vnitas consisteret in negatione, hoc falsum esset, quia vtraque haberet negationem pluralitatis realis. ergo &c. Respondeo primò negando minorem; dico enim negationem pluralitatis realis non constituere Chymeram vnam; sed illam constituere in ratione vnius negationem pluralitatis chymerarum. Porrò negationes specificantur à terminis, quibus opponuntur. Responderi etiam secundò potest, non esse absurdum vnitatem Chymeræ, & entis realis secundũ id, quod vtraque de negatiuo importat, vniuocè conuenire.

13 Obijcies tertiò: si vnum supra ens adderet negationem diuisionis, adderet negationem negationis. ergo falsa Conclusio. Sequela probatur, quia diuisio, seù multitudo constituitur per negationem identitatis vnius cum alio. Respondeo negando sequelam; ad cuius probationem dico diuisionem posse sumi dupliciter: primò formaliter, & completiuè: secundo fundamentaliter, & incohatiuè: priori modo sumpta, verè importat negationem, at posteriori, est quid positiuum, sunt enim ipsæmet entitates rerum, quæ cõponunt multitudinem, quatenus sunt negationum suarum fundamentum. Vnitas autem addit supra ens primò, & per se negationem diuisionis sumptæ fundamentaliter, & incohatiuè, non autem formaliter, & completiuè nisi mediatè, & secundariò.

Instabis: ergo vnum saltem mediatè negationẽ negationis importat. Respondeo concedẽdo cõsequentiam; neque enim est absurdum, quod vna negatio secundariò, & mediatè aliis negationibus opponatur; sic dum negatio lucis opponitur primariò luci, opponitur consequenter illis negationibus, quæ necessariò ipsam lucem consequuntur; Et ratio à priori est, quia oppositio in ratione oppositionis ex terminis immediatis solum attenditur.

14 Obijcies quartò: diuisio, seù multitudo hominum in vno homine est impossibilis. ergo negatio diuisionis in se, quam importat vnũ, est negatio alicuius impossibilis, & per consequens negatio negationis. Respondeo distinguendo antecedens: multitudo hominum in vno homine, pro vt in vno homine consideratur, est impossibilis, concedo: multitudo hominum sumpta secundùm se, & in ratione formæ negatæ, nego antecedens, & consequentiã; Ad hoc enim, vt aliqua negatio existimetur negare aliquod positiuum in aliquo subiecto, non est necesse vt illud positiuũ, pro vt in illo subiecto consideratur, retinere rationem positiui, sed sufficit si in se sit positiuum quid; sic negatio equi in homine censetur realis, & tamen equus, pro vt vnum cum homine constituit, est quid chymericum, & impossibile; & hinc fit vt negatio, quam importat vnitas, non debeat imitari naturam priuationis quantum ad connotandam aptitudinem in subiecto, sed solum quantum ad essendum in illo.

Instabis: Deorum multitudo non solum pro vt consideratur in Deo, sed etiam secundum se est impossibilis: ergo saltem vnitas in Deo nega-

negationem negationis importare? Respondeo aliqui distinguendo antecedens: Deorum multitudo non solùm pro vt consideratur in Deo, sed etiam secundùm se est impossibilis, secundùm id, quod multitudo importat adæquatè: concedunt, secundùm id, quod importat inadæquatè, negat antecedens, & consequentiam. Multitudo enim Deorum duo, quæ libet, naturam scilicet Dei, & multiplicitatem eiusdem; quamuis autem secundùm quod vtrumque dicit, & adæquatè sumitur, est impossibilis: tamen secundùm id, quod sumitur inadæquatè, & Deitatem includit, est maximè possibilis, & ens reale. Iam verò negatio, quam vnitas in Deo requirit in horum sententia, opponitur multitudini Deorum: primò quidem, & immediatè secundùm id, secundum quod multitudo ista dicit naturam Dei; secundariò verò, & mediatè secundum quod dicit multiplicitatem eiusdem, siquidem negat naturam Dei prout stantem sub multiplicitate. Ad hoc autem vt negatio sit realis, & non ficta, sufficit (inquiunt) si id, quod primò, & immediatè negat sit positiuum quid, quid quid sit de eo, quod negat secundario. Verùm hæc responsio non caret difficultate, tum quia si primariò negatio illa diuinam naturam negaret, non posset ab illa procedere, eamque ratione vnius constituere: tum etiam quia natura diuina pro vt stans sub multiplicitate, multiplicitatem ipsam formaliter importat. Melius ergo responderem, concesso antecedente, negando consequentiam, ac dicerem quod aliud est esse impossibile, & aliud esse negationem realem; quamuis enim negatio negationis realis sit quid positiuum, negatio tamen rei impossibilis non est quid positiuum, sed vere negatiuum, vt dicemus. Et per hoc potest etiam solui obiectio principalis dicendo, quod licet diuisio, & multitudo hominum sit impossibilis, tamen eius negatio non est negatio negationis, & quidem probabilius; nam vnus homo dicit in se negationem plurium, qui sint tales, qualis ipse est.

Obijcies quinto: Vnum quatenus vnum est pars diuisionis, seu multitudinis. ergo non potest illam excludere. Consequentia patet, quia pars quatenus pars est, propter totum impossibile igitur est, quod illud excludat. Respondeo distinguendo antecedens: Vnum est pars diuisionis, seu multitudinis existentis extra se, concedo antecedens existentis in se, nego antecedens; & sic distinguo eodem modo consequens. ergo non potest excludere diuisionem extra se, concedo, in se, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod licet pars, licèt sit propter totum vt sic, non tamen pars essentialiter habet, quod in se totum ponat, & per consequens negat in se totum, quamuis secum illud admittat; sic vnum etiam si sit pars multitudinis, eius negationem tamen in eo necessariò importat.

Instabis, vnum Deus, Sol &c. non solum in se, sed etiam extra se multiplicitatem excludit eiusdem naturæ. ergo &c. Respondeo, Vnum dupliciter sumi posse: primò pro vt idem significat, ac indiuisum in se, & diuisum a quocumque alio. Secundò, pro vt idem valet, ac vnicum, seu solitarium; primo modo sumptum est passio vniuersalissima entis, de qua agimus in præsentia; non autem secundo modo. Iam verò vnitas Dei, Solis, &c. excludit multiplicitatem extra se, pro vt sumitur secundo modo. Nego igitur consequentiam.

Obijcies sexto: ens in communi est vnum, hoc tamen habet negationem diuisionis. ergo &c. Respondeo, ens in communi formalissimè ex parte obiecti habere eadem vnitates, quas habent entia in particulari, cum quibus identificatur; cum hoc tamen stare, quod sicuti implicitè dicit differentias: ita, & multiplicitatem negationum, per quas singulæ illæ differentiæ in ratione vnius constituuntur, hoc hæc multiplicitas non appareat explicitè. 16

Obijcies septimò: vnitas est pars multitudinis. ergo est illa prior, non potest igitur per negationem multitudinis constitui; negatio enim est posterior forma illa, quam negat. Respondeo distinguendo primum consequens: vnitas sumpta secundùm entitatem, est prior multitudine sumpta item secundùm entitates, quas includit, concedo: vnitas sumpta secundum negationem, est prior multitudine secundum suas entitates consideratas, nego primam consequentiam, & secundam; Ad cuius quod sicuti vnitas ita, & multitudo sumi potest dupliciter: primò secundum ea, quæ dicit de positiuo; secundò secundum ea, quæ dicit de negatiuo: *Vnitas autem rationis negationis primò, & per se opponitur multitudini secundum ea, quæ de positiuo ipsa multitudo importat, secundum quæ dicta multitudo non est posterior, sed prior negatione diuisionis non quidem quantum ad existendi, sed quantum ad specificandum illam.* 17

Obijcies octauò: plures homines sunt vnus, & tamen non sunt vnum. ergo vnum non est passio entis. Respondeo, quod *qualibet res eo modo, quo participat rationem entis participat rationem vnitatis; quoniam verò plures homines sunt ens per accidens, & per aggregationem, non autem per se, siue per vnionem vt homo: siue per simplicitatem vt Angelus: idcò sunt vnum per accidens, & huic vnitati correspondet illis negatio multiplicitatis in re.* Vnitas enim V. G. in ratione exercitum non est multiplex, diuersimodè igitur vnitatem participat id, quod est vnum vnitate simplicitatis, & id, quod est vnum per se vnitate compositionis, ac id, quod est vnum vnitate aggregationis, ac per accidens. Vnum enim primo modo dicit absolutè negationem plurium entium in se, quia non solùm est indiuisum, sed etiam indiuisibile absolutè; Vnum autem secundo modo dicit quidem negationem multitudinis, seu entium talium, quale est ipsum, non quidem negationem entium quam partim, per quod conuenit cum vno tertio modo sumpto: differt tamen ab illo per hoc, quod dicat negationem multitudinis entium inoperum facere vnum quidquod est indiuisibile in entia habentia inoperu- 18

dinem

cudinem ad faciendum vnum. At verò vnum tertio modo dicit multa, vt multa in se, hoc est plura entia inepta facere vnum per se; sicuti sunt plures homines in exercitu, & plures lapides in acerno, quod ideò dicitur vnum per accidens, de quo cum prædicamus rationem vnius, non negamus multitudinem, ex qua constat, sed multitudinem aliorum eiusdem rationis, vt exercitiuum, acernorum &c.

19 Obijcies nonò: multitudo non est entitas illa positiua, quam dicit vnitas; ergo est negatio alicuius positiui. Respondeo distinguendo antecedens: non est entitas illa positiua sumpta secundùm entitatem, nego; quia hæc entitas necessaria est ad multitudinem constituendam non minus, quam miles ad componendū exercitum: non est entitas illa positiua, quatenus importat negationem consortij aliarum vnitatum, concedo antecedens, & nego consequentiam; quia sic negat negationem aliarum vnitatum, neque adeò multitudo est negatio negationis.

20 Obijcies decimò: si intelligamus Cæsarem V. G. indiuisum in duos homines, intelligimus illum vt vnum. ergo vnitas non est negatio multitudinis. Consequentia patet, quia hic habetur solùm negatio vnius hominis, & non alterius; alioquin negatio negaret subiectum, in quo est. Respondeo negando consequentiam; ad cuius probationem distinguo assumptū: habetur negatio vnius hominis, vt singularis, nego; vt constantis numerum binarium cum Cæsare, concedo; & sic nego consequentiam; & sic negationem illam negare etiam ipsum Cæsarem, non vt singularem, sed vt partem multitudinis, quam constitueret.

21 Obijcies vndecimò: Natura vniuersalis est vna, & tamen est apta multiplicari in plura talia, qualis ipsa est. ergo ens in communi, & cætera vniuersalia, non sunt vnum transcendentale. Respondeo vnitatem vniuersalem non esse transcendentalem, hæc enim conuenit enti reali, vt reale est: illa verò vnitas competit enti, non vt reale est, sed vt ab intellectu præcisum. Quare transcendentalis vnitas est solùm illa, quæ ita ab vnitate numerica, & formali præscindit, vt vel vtramque dicat, vel alteruram. Non negauerim tamen vnitatem vniuersalem transcendentali similem esse, quatenus licèt reddat naturam aptam multiplicari: at non in plura qualia est ipsa natura, prout stat sub vniuersalitate; hoc enim ipso, quod natura humana V. G. abstracta contrahitur in individuis, amittit vniuersalitatem suam, atque adeò vnitatem vniuersalis, & hoc sufficit ad saluandam conclusionem. Ad argumentum igitur in forma, distinguo antecedens. Natura vniuersalis est vna, & tamen est apta multiplicari, vt vna transcendentaliter, nego: vt vna vniuersaliter, subdistinguo, ita vt amittat vniuersalitatem, concedo: ita vt illam non amittat, nego antecedens, & consequentiam. Natura enim vniuersalis, præscindendo abopere intellectus circa se versantis, non est formaliter apta multiplicari, quia est cum inferioribus differentijs, quæ illam reddunt ineptam à parte rei multiplicari, & per consequens prædicari de pluribus.

SECTIO TERTIA.

Quid principalius dicat Vnum ens ne, an verò negationem.

22 PRima Conclusio: Vnum dicit in recto, & intrinsecè ens, extrinsecè verò connotatiuè, & in obliquo negationem diuisionis. Est Sancti Tho. Soti, Iauelli, Ianduni, Capreoli, Soncinatis, & aliorum, quos citat, & sequitur Suarez *disput. 4. sect. 2. num. tertiò* explico cōclusionem. Dico enim non posse sumi vnum in concreto, & veluti adiectiuè, sicuti sumitur calidum V. G. quando definitur esse subiectum habens calorem; quasi verò sicuti calor est forma constitutiua, & denominans subiectum in ratione calidi, ita negatio diuisionis sit vnitas ipsa constituens, & denominans ens tamquam subiectum suum in ratione vnius; sed debere sumi veluti substantiuè, sicuti ens; ita vt formaliter, seù explicitè consideratum importet in recto, & intrinsecè ipsū ens: in obliquo verò, & extrinsecè negationem, ac distinguatur ab unitate, sicuti distinguitur ens ab entitate; atque adeò unitas ipsa in recto dicat etiam entitatem realem, & connoret in obliquo dictam negationem. Conclusio autem sic explicata est contra Arriagam *disput. 1. met. nu. 41.* & 45. vbi ait, quod forma, & abstractum vnius sit sola negatio, subiectum verò quod denominatur ab illa, sit ens, sicuti forma calidi est calor, subiectum verò ignis.

Probatur autem quo ad priorem partem primò ex Aristotele 7. *met. tex.* 3. vbi docet eamdem esse naturam entis, & vnius, idemque esse vnum hominem, ac ens hominem. Neque dicas eum loqui de identitate ratione subiecti, sicuti *in Physicis* dixit, priuationem esse vnum numero cum materia: Nè id dicas, inquam, quia huiusmodi vnitas, atque identitas valdè materialis est, neque sufficiens est ad faciendum vt ea, quæ illam habent, eamdem naturam habere veraciter dicantur.

Idem probatur secundò, quia Vnum est attributum reale, & perfectio simpliciter simplex competens Deo, cæterisque entibus creatis. ergo in recto debet esse ens. Confirmatur quia si possemus saluare Vnum in recto importare ens, deberemus vtique id asserere, cum sit melius illud esse hoc modo attributum entis realis; atqui possumus, vt ex argumentorum solutione patebit. ergo &c.

Secunda verò pars Conclusionis probatur sic: Vnum supra ens dicit negationem diuisionis, vt supra vidimus. sed non dicit illam intrinsecè, & in recto. ergo extrinsecè, & in obliquo, atque adeò, vt merum connotatum. Minor probatur, quia Vnum dicit intrinsecè, & in recto: ens; si igitur diceret etiam hoc modo negationem, iam ex ente, & non ente componeretur intrinsecè ipsum Vnum, & quidem per se, hoc autem est impossibile, quia si duæ naturæ completæ, quæ ambæ sunt ens, non possunt vnum per se constituere: multo minus poterunt ens, & non ens. Verùm adhuc remanet dubium

Digitized by Google

quid vnũ dicat de formali, & principalius, ens nè an verò negationem? Pro quo est.

23 Secunda Conclusio. In diuerso sensu dici potest vtrumque. Est Suarij, qui *loco citato num. 6.* ait duas oppositas circa hoc sententias esse potius de modo, quam de rè. Probatur autem Conclusio sic: in duplici sensu intelligi potest, quod ens connotatiuum dicat aliquid principalius de formali; Primo vt significet quod dicat illud intrinsecè, & in recto, secundò vt significet quæ dicat illud vt vltimo completiuum ac distinctiuum à quocumque alio; & in primo quidem sensu ex dictis constat, vnum dicere de formali, & principalius ens. In secundo verò dicere de formali, & principalius negationem, probatur, quia posita sola ratione entis non intelligimus adhuc vltimum constitutiuum, & distinctiuum vnius: at si superadditur negatio connotata, statim vnum constituetur in sè, & à quocumque alio, quod vnius rationem non habet, distinctum intelligimus. ergo si spectemus id, per quod vltimò constituitur vnũ formaliter, est negatio.

Confirmatur, quia quantum ad completiuum, & distinctiuum attinet, id quod importatur in recto, expectat complementum ab eo, quod importatur in obliquo. ergo id quod importatur in recto, dicitur de materiali: id verò quod importatur in obliquo de formali. Cum igitur forma dici soleat principalius, sequitur quod in hoc secundo sensu vnum, & de formali, & principalius negationem dicat. Atque in hoc sensu exponendus est Aristoteles *5. Met. tex. 11.* quando volens explicare naturam, & essentiam vnius: Quæcumque, inquit, nõ habent diuisionẽ, quatenus non habent, eatenus vnum sunt; particula enim (quatenus) reduplicat id, per quod vnũ in esse vnius vltimò completur, & constituitur.

24 Obijcies primò contra primam conclusionẽ: Ens non potest esse attributum sui ipsius; sed vnum est attributum entis. ergo vnum in recto non est ens. Respondeo distinguendo maiorem: ens eodem modo conceptum non potest esse attributum sui ipsius, concedo: diuerso modo, nego maiorem; & concessa minore, nego consequentiam. Dico autem quod licet ens absolutè sumptum non possit esse passio sui ipsius absolutè consideratì: sumptum tamen quatenus cõnotat negationẽ diuisionis optimè potest esse; sic enim habet omnia requisita ad minus rigorosam passionẽ, quæ requirit aliqualẽ distinctionẽ, & posterioritatẽ aliquã abessentia. ergo &c.

Obijcies secundò vnitas in recto est indiuisio, sed indiuisio in recto dicit negationem diuisionis. ergo, & vnitas in recto dictam negationem importare debet. Respondeo distinguendo maiorem: Vnitas in recto est indiuisio grammaticaliter sumpta, nego; est indiuisio sumpta philosophicè, concedo maiorẽ; & distinguo minorem, indiuisio grammaticalis dicit in recto negationem diuisionis, concedo; indiuisio philosophica, nego minorem, & consequentiam. Dico igitur quod indiuisio licet grammaticaliter sumpta importet in recto negationem diuisionis, sicuti improbitas priuationem probitatis: tamen philosophicè dicit in recto entitatem; sicuti indiuisum in recto importat ipsum ens, & negationem in obliquo. Vbi aduerte neque vnum, neque indiuisum esse terminos negatiuos, sicuti sunt tenebræ, cæcus &c. quæ nomina sunt imposita ad significandum primò, & per sè, atque adeo in recto carentiam formæ oppositæ in subiecto, quod in obliquo connotant; sed esse positiuos, siquidem illis vtimur ad significandũ primò, & per sè ipsum ens: connotatiuè verò, & in obliquo negationem.

SECTIO QVARTA.

Vtrum ens possit obiectiuè præscindi à ratione vnius.

AD hanc difficultatem examinandam impellimur ab Arriaga qui *disput. 2. metaph. sect. 3. subsect. 4.* sub ijsdem terminis illam proponit. Sensus autem quæstionis non est, num vnũ possit obiectiuè præscindere ab ente; sine enim dicamus vnum esse concretum importans pro subiecto ipsum ens, & pro forma intrinseca negationẽ, vt vult hic auctor; siue esse connotatiuũ dicens in recto, & intrinsecè solum ens, & negationem extrinsecè, & in obliquo tanquam connotatum, vti nos putamus, constat vnum non posse obiectiuè præscindere ab ente; siquidẽ in vtraque sententia dicit illud intrinsecè. Sed quæstionis sensus est, vtrum ens possit obiectiuè præscindere ab *ipsa negatione*, ita vt concipiatur ens, *non concepta ex parte obiecti negatione illa*, per quam *in ratione vnius* constituitur. 15

Arriaga absolutè respondet negatiuè, & id multipliciter probat, vti videbimus. Ego verò pro decisione notatem obiectiuam præcisionem vnius ab altero duplicẽ esse: Alterã rigorosam: Alteram verò minus rigorosam. Prior reperitur inter illas formalitates seu *virtualitates* obiectiuas, quæ non distinguntur actu à parte rei, sed solum virtualiter, & quidem *in ordine* ad intellectum quo ad rem *nostram attinet, ita* vt vna sine altera *concipi possit; huiusmodi est* distinctio illa, quæ *inter animalitatem*, & rationalitatem habetur in sententia eorum qui obiectiuam distinctionem admittunt. Posterior verò est inter ea, quæ licet è parte rei nemine cogitante distinguantur, & vnum pendeat ab altero in cognoscẽdo secundùm aliquam considerabilitatem; secundum tamen aliam non sic pendeat; hoc enim, secundùm eam considerabilitatem, secundùm quam pendet, dicitur non præscindere obiectiuè ab alio præcisione hac minus rigorosa; secundùm verò eam secundam quam non pendet, dicitur hoc modo ab illo præscindere, sic Paries realiter quidem *distinguitur* ab albedine; sed quamuis *hoc præcisionis genere* non præscindat cõsideratus in ratione albi; præscindit tamen consideratus in ratione parietis. His prænotatis, sit.

Prima Conclusio: Ens non præscindit obiectiuè in ratione vnius per præcisionem obiectiuam rigorosè acceptum. Est procul dubio Arriagæ, & probatur *eadem ratione*, quam ipse inter cæteras *nu. 57.* adducit ad suam vniuersalem sententiam suadẽdam in hunc fere modum: Rigorosa distinctio obiectiua reperitur inter ea for-

Digitized by Google

formalitates, quæ á parte rei sunt vna, & eadem entitas; sed ens distinguitur à parte rei à negatione diuisionis: non enim putamus cum aliquibus negationem hanc, licet explicetur nomine negationis, re tamen vera esse aliquid positiuum inprescindibiliter ex parte obiecti identificatum cum ente; sed sustinemus eam esse rigorosam, & propriam negationem, vt ipse met Arriaga *num.* 26. fatetur, & probat. Potrò vera negatio à vero ente nemine cogitante distinguitur; ergo impossibile est quod ens præscindat obiectiuè hoc præcisionis genere á ratione vnius.

27 Secunda Conclusio: Ens potest obiectiuè præscindi à ratione vnius præcisione obiectiua minus rigorosa. Est contra Arriagam, vti videbimus ex rationibus, quas adducit ad suam vniuersalem conclusionem negatiuam suadendam.

Assertio nostra probatur, quia possum cognoscere ens pro vt habet possibilitatem ad existendum, prout differt à chymæra, alijsque nõ entibus &c. absque eo quod concipiam illud habere negationẽ diuisionis in sè sed ratio vnius formaliter in hac negatione diuisionis consistit. ergo possum obiectiuè præscindere ens à ratione vnius per præcisionem obiectiuam minus rigorosam. Consequentia constat ex dictis, & Minor supponitur paulò ante probata, ipso Arriaga fatente. Maior verò, in qua est difficultas, probatur, quia nulla ratio potest assignari, cur ego non possim obijcere mihi ens in ordine ad possibilitatem, vel ad alia extrema, nihil cogitando de negatione diuisionis, quam realiter habet in sè; gratis enim asseritur debere semper cognosci per ordinem ad hoc extremum negatiuum, ergo &c. Auctor *num.* 55. concedit posse nos concipere ens per ordinem ad existentiam, absque eo quod concipiatur per ordinem ad negationem multiplicitatis, sed negat sic ens præscindi obiectiuè à negatione; ait enim solùm ex parte modi concipiendi hac ratione ab ea præscindi. Sed contra est manifestè, quia tunc aliqua ratio ex parte modi cognoscendi præscindit ab alia, quando ex parte obiecti sunt vna simplex formalitas, & solùm per ordinem ad diuersa connotata diuersimodè concipitur, & sic variæ appellationes sortiuntur; vt in sententia negantiũ præcisiones obiectiuas sunt animalitas, & rationalitas in homine, quæ licet sint vna indiuisibilis formalitas ex parte obiecti: prout tamen concipitur per ordinem ad operationes sensitiuas appellatur animalitas, pro vt verò concipitur per ordinem ad operationes intellectuales, dicitur rationalitas. Atqui hoc non habet locũ in casu nostro: siquidem ratio entis, & ratio negationis diuisionis nõ sunt ex parte obiecti vna formalitas, sed differũt inter se nemine cogitãte, sicuti ens, & non ens. ergo falsum est quod ens præscindat à negatione ex parte modi cognoscendi, & non ex parte obiecti.

28 Dices: licèt ratio entis distinguatur nemine cogitante à negatione diuisionis; quia tamen ordinatur ad illam, hinc fit, vt non nisi ex parte modi cognoscendi possit ab illa obiectiuè præscindi. Sed contra est, quia vt ens constituatur vnum requirit solùm puram negationem in sè sine ordine ad illam; siquidem vel hic ordo esset superadditus, vel essentialis illi; non primum, tum quia de hoc ordine formalissimè accepto verificaretur quod esset ens, atque adeo per aliũ ordinem superadditum respicere deberet negationem diuisionis, & sic in infinitum: tum etiam quia obiectiuè ab eo præscinderet. neque secundum, tum quia ratio entis vt sic non est relatiua transcendaliter, aliàs sic etiam esset in Deo; tum etiam quia non magis essentialis esset enti hic ordo, si daretur, quam naturæ diuinæ exigentia subsistendi in tribus personis. sed hoc non obstante natura diuina censetur obiectiuè præscindere à tribus personis, & non ex parte modi concipiendi. ergo, & ens à negatione diuisionis, non obstante quod diceret ordinem trascendentalem ad illam; & recte, nam sic etiam, non per dictum ordinem sed per cõiunctionem cum illa constitueretur vnum, à qua coniunctione iam præscindere posset.

Obijcit primo. Arriaga *sub nu.* 52. Quidquid est in Petro V. G. distinguitur adæquatè à Deo. Sed si ratio entis obiectiuè præcisa non esset per se vna, & distincta à quolibet alio, quamuis identificaretur cum vnitate, non posset reddi distincta, & vna in Petro: ergo sè ipsa obiectiuè est vna, nec potest obiectiuè præscindi ab vnitate. Consequentia patet: Maior verò suadetur, quia totum quod est in Petro etiam ratio entis, est producibile, & annihilabile; nulla autem ratio habetur in Deo, quæ sit huiusmodi, ergo &c. Minor denique probatur exemplo, quia licet à forma vnita possit prouenire subiecto V. G. esse album, calidum &c non potest tamen illi prouenire à forma vnita esse plura subiecta aut vnũ, vt de sè patet. ergo licet esse ens per sè, possit prouenire enti à perfectate distincta obiectiuè vt à forma; non poterit illi prouenire distinctio, aut pluralitas á forma distincta. Confirmatur: diuina natura non multiplicatur realiter, quamuis cum personis realiter distinctis identificetur; nec personæ reddũtur una persona per hoc, quod cum vna natura identificentur. ergo pluralitas, vel vnitas non potest prouenire à forma etiam realiter identificata, obiectiuè tamen distincta, ens igitur vnitatem, & distinctionem non habet per aliquid obiectiuè distinctum, & sic non potest obiectiuè ab vnitate præscindi. 29

Respondeo ad obiectionem, distinguendo maiorem, quidquid est in Petro distinguitur adæquatè à Deo pro statu reali, concedo: pro obiectiuo, nego maiorem; nec aliud euincit eius probatio, quam quod quidquid est in Petro pro statu reali, adæquatè distinguatur à Deo, quia Petrus in sua entitate habet realiter negationẽ diuisionis in sè. & à quocumque alio. Sic distincta maiore, nego absolute minorem, & ad eius probationem nego assumptum. dico enim quod quemadmodum ab albedine prouenit subiecto, quod sit album: ita à negatione diuisionis prouenit enti, quod sit unum. Vbi notandum, quod sicuti albedo non ponit à parte rei totũ id, quod dicit album quia album, dicit duo subiectum, & formam illi unitam, & constat albedinem supponere subiectum suum, & non constituere illud: eodem modo negatio diuisionis non ponit

totum

totum id quòd dicit Vnum; hoc enim dicit ens habens negationem diuisionis in sè; solum igitur ponit illud in ratione vnius. Vnde sicuti potest concipi paries præscindendo ab albedine, per quam redditur albus, ita non est cur non possit concipi ens præscindendo à negatione diuisionis. Et miror hunc Auctorem negare negationem diuisionis respectu entis sè habere sicuti sè habet albedo respectu subiecti, cum ipse *sub n.* 41. expresse hæc habeat: Quãdo docemus Vnũ dicere negationẽ, nõ ostendimus ipsã negationem identificari cum entitate vnius, sed dicimus illam negationem fundari in entitate positiua, & ex hac entitate vt ex subiecto, & ex negatione vt ex forma resultare hoc concretum Vnũ, sicuti ex subiecto, & albedine resultat Album. Hæc ille; quamuis autem in nostra sententia negatio diuisionis non sè habet proprie vt forma vnius sed vt connotatum; tamen hoc parum in præsentia refert, sufficit enim ostendere quod Auctor hic in paucis contradictoria dicuisse videatur.

Ad confirmationem ex Trinitate desumptã, nego paritatem. Disparitas lata est, quia multiplicitas realis personarum in Deo, & vnitas naturæ non opponuntur ad inuicem, & ideo stat quod natura diuina sit vna, & tres, eius personæ: at quãdo dicimus, quod vnitas proueniat enti à forma negatiua, loquimur de forma, quæ opponitur multiplicitati ipsius entis, cuiusmodi est negatio diuisionis; vnde non est mirum si huiusmodi negatio reddat illud vnum, cum quo stat, quod negatio multiplicata faciat multitudinẽ entium; hæc enim multitudo non nisi per dictã negationem multiplicatam vltimò constituitur.

Obijcit secundo *num.* 54. licèt albedo V.G. possit materiam reddere formaliter albam, at 30
non potest illam reddere albedinem; & ratio est quia album est concretum, quod significat duo; vnde remanente materia secundùm sua prædicata, quę prius habebat, potest intelligi quod albedinis denominationem acquirat: at albedo est conceptus quidam omnino simplex, qui non potest intelligi haberi à materia, quin hæc mutet suam essentiam. Sed subiectum distingui ab alio, seu non esse aliud, non est conceptus compositus, sicuti esse album, sed simplex, sicuti esse albedinem. ergo distinctio, vnitas, & pluralitas non potest verè competere subiectis ab aliquo distincto. habent ergo id á sè ipsis formaliter. 31
Respondeo concessa maiore, negando minorem. dico enim subiectum esse distinctum ab alio dicere quidem in recto ipsum ens, hoc est suam essentiam, sed in obliquo sinè tamquam formam siuè tamquam connotatum importare negationem diuisionis à sè. Vnde fit vt sit conceptus compositus ex pluribus, & non simplex modo dicto. Et sane miror quomodo hic Auctor hoc argumento detexat id quod paulò ante contexuit; videtur enim eo furdere ens per sè ipsum & non per negationem reddere constitui vnum & distinctum ab alijs, eo quod esse vnum, & distinctum sint conceptus quidam simplex, ad eum plane modum, quo albedo, quæ quia est conceptus quidam simplex, non per aliquid aliud à sè distinctum, sed per sè ipsam constituitur in ratione albedinis, siuè disgregatiui visus; atqui hoc est expresè contrarium ei, quod ipse docuerat *subsectione præcedenti præsertim numer.* 41 & 45. 32

Obijcit tertio loco argumentum à nonnullis allatum ad suam sententiam comprobãdam, quod est huiusmodi: Ens pro vt obiectiuè correspondet nostro conceptui mentali, est aptum existere; atqui non est aptum existere nisi vnũ, ergo non potest obiectiuè ab vnitate præscindere.

Hãc rationem despicit ipse Arriaga, vt enerue- 33
rem, & recte id quidem; si quid enim probaret, euinceret etiam animal nõ posse obiectiuè præscindere à rationali, & irrationali, quia sicuti ens non potest existere, nisi sit vnum, ita neque animal, nisi sit rationale vel irrationale. Quod si dicant animal posse existere sine rationali aut irrationali determinatè, & hoc sufficere vt ab vtroque præscindat: at ens non posse existere sine vnitate determinatè; Contra est, quia in sententia præscindentium obiectiuè rationalitas non potest existere sine animalitate determinatè, & tamen obiectiuè præscindit ab illa. Quod si addant hoc prouenire ex eo quia animalitas potest existere sine rationalitate. Contra, tum quia non semper præcisio ex parte obiecti est mutua; animal enim præscindit obiectiuè ab homine, non verò homo ab animali; tum etiam quia, in sententia eorum, qui identificant rationalitatem cum risibilitate in homine, sicuti non potest existere rationalitas sine risibilitate, ita neque risibilitas sinè rationalitate, & tamen inter illas admittitur mutua præcisio ex parte obiecti. ergo quamuis ens non possit existere absque eo, quod sit vnum, potest tamen ab vnitate obiectiuè præscindere.

Digitized by Google

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVARTA

DE PRINCIPIO INDIVIDVATIONIS.

1 PRæcipua vnitas, quæ omnibus prorsus rebus independentibus ab operè intellectus, siuè spirituales sint, siue corporeæ: siue substantiales, siuè accidentales, est numerica seù indiuidualis; & ideò post disputationem de Vnitate, de Principio Indiuiduationis verba facimus. Quid autem sit Indiuiduum, & quomodo se habeat ad speciem, & cætera huiusmodi, ex his, quæ diximus in Logicis manifesta sunt. Porrò hic Indiuiduationis principium non sumimus in genere efficientis; neque enim quærimus vnde nam habeant causæ naturales vt ex multis effectibus numero distinctis intra eandem speciem, quos producere possunt: hic, & nunc hunc indiuiduum effectum potius, quã alium producant; de hoc enim egimus *in lib. de Generatione*. Sed sermo est de principio Indiuiduationis veluti radicali; quærimus enim vnde habeant res vt intra eandem speciem numero multiplicentur; dico intra eandem speciem, V. G. Hominum, Leonum &c. quia principium Indiuiduationum rerum diuersarum specierum constat non esse aliud à se ipsis; nam Deus per se ipsum est hoc numero ens, & ex suppositione quod Michael, & Gabriel differant inter se specie, sicuti se ipsis sunt essentialialiter distincti, ita se ipsis habent, quod sint duo indiuidua.

SECTIO PRIMA.

3 *An principium indiuiduationis rerum intra eandem speciem sit materia prima.*

2 CElebris Thomistarum sententia est, multiplicationem numericam rerum intra eandem speciem contentarum à materia prima affecta, & signata quantitate deriuari; Et si quidem sermo esset de solis rebus ex materia constantibus, cuiusmodi est Petrus V. G. Bucefalus &c. sine difficultate hoc admitti posset: siquidem compositum substantiale ex anima Petri, & corpore Pauli resultans, verè neque Petrus est, neque Paulus, sed tertium quoddam Indiuiduum, vt de se patet. Sed quæstio procedit de rebus simplicibus, cuiusmodi sunt formæ omnes substantiales, nec non etiam accidentales, á materia siue mediate siue immediate pendentes; harum enim omnium numericam multiplicationem Thomistæ non nisi ex materia affecta quantitate prouenire docent. Quod dupliciter intelligi potest: primò, vt ipsa materia sit ratio formalis intrinseca illas indiuiduans; secundò ita vt se habeat vt terminum extrinsecum, per ordinem ad quem formæ multiplicitatem numericam sortiantur. Quid autem de hac sententia sentiendum est, per sequente Cõclusiones declarabimus.

3 Prima Conclusio: Materia prima affecta quantitate non est ratio formalis intrinseca indiuiduans formas. Ita Arriaga *Disput. 1. metaph. sect. 3. sub sect. 4.*

Probatur supponendo animas rationales post separationem à Corpore existere sine miraculo: accidentia verò indiuinissima Eucharistia conseruari sine materia miraculosè; & multo magis sic conseruari posse formas substãtiales materiales; Hoc posito, est argumentum: si formæ tum substantiales tum accidentales indiuiduarentur á materia tanquam á ratione formali intrinseca: sequeretur, quod extra materiam existentes, vel non essent indiuiduæ, vel ad minus essent numero distinctæ á se ipsis materiã informantibus. sed neutrum habet probabilitatem. ergo &c. Maior patet paritate, nam hoc ipso, quod albedo est ratio formalis intrinseca parietis albi, paries separatus ab illa, vel non erit albus, vel si erit, per albedinem distinctã numero à præcedente albus esset, Minor verò probatur, & quidem non posse dici dictas formas extra materiam non esse indiuiduas patet, quia quidquid existit, indiuiduum est, alioquin posset terminari actio, vel productiua, vel conseruatiua ad rem in specie, quod nemo dixerit. Neque sustineri posse extra materiam numericè á se ipsis in materia existentibus distinctas esse, probatur etiam: tum quia sic animæ, quæ sunt in Cælo, & in Inferno essent numero distinctæ ab his, quæ fuerunt in Mundo; atque adeò illa numero anima D. Petri, quæ in statu coniunctionis cum corpore passa est in cruce, non esset in gloria, sed alia numericè ab ea distincta; neque illa numero anima Iudæ, quæ Christi Domini traditionem machinata est, cruciaretur in Inferno; sed illa

alia eius vices gerens. quo quid ab surdius? cum vtiam quia nequeat haberi effectus formalis sine sua ratione formali, atque adeo si formæ indiuiduarentur à materia quantaquam à ratione formali intrinseca, & animæ rationales in Cœlo, vel in Inferno essent indiuiduæ; deferent facerè vnam cum alijs corporibus, quod non minorem continet absurditatem.

4 Probatur secundò, quia rationes formaliter indiuiduantes materiam, & quantitatem non distinguntur à proprijs entitatibus ipsarum ex natura rei, sed sunt idem nemine cogitante cum illis: ergo idem dicendum est de rationibus formalibus intrinsecè indiuiduantibus formas. Consequentia patet, quia non minus reliquæ formæ proprias habent entitates, quam materia, & quantitas; Antecedens verò suadetur, quia si rationes formales individuales materiæ, & quantitatis á proprijs entitatibus distinguerentur, maximè quia materia indiuiduaretur formaliter intrinsecè per quantitatem, & quantitas per materiam; nihil enim aliud assignari posset, quia formæ omnes ab eis indiuiduationem expectant.

Sed hoc à Thomistis sustineri nequit; cum enim illi resolutionem vsque ad materiã primam in generationibus substantialibus admittant, negant consequenter eandem numero quantitatem esse in genito, ac in corrupto: concedunt verò esse eandem numero materiã, quia est commune subiectum, quod ab vno extremo transit ad aliud. sed si materia indiuiduaretur formaliter á quantitate, & quantitas á materia: hoc sustinere non possent, nã si eadem numero supponeretur remanere materia, eadem numero deberet remanere quantitas, quæ ab illa formaliter, & intrinsecè indiuiduaretur: quod si alia quantitas in genito, ac in corrupto reperiretur, impossibile esset eandem numero materiam primam perseuerare propter contrariam rationem. ergo &c. Ex quo deducitur sententiã Thomistarum primo modo intellectam esse penitus reijciendam. Verum autem intellecta secundo modo habeat veritatem, vt statuamus; supponendum, dupliciter adhuc intelligi posse formas per ordinem ad materiam affectam quantitate tanquam ad terminum extrinsecum indiuiduari: Primò, ita vt hæc forma per respectum ad hanc numero materiam affectã, hac numero quantitate, sit hæc numero forma: illa verò, quæ est eiusdem speciei cũ prima per respectum ad hanc aliam materiam affectam hac alia quantitate, sit hæc alia numero distincta á prima, & sic de reliquis. Secundò, ita vt hoc ipso, quod forma secundum suam speciem considerata essentialem ordinem ad materiam physicè diuisibilem importet, exigat in pluribus indiuiduis solo numero inter se distinctis existere posse; Quo posito, sit.

Secunda Conclusio: Formæ non indiuiduantur per ordinem ad materiam affectam quantitate tanquam ad terminum extrinsecum primo modo consideratam. Est etiam Arriagæ, & aliorum.

Probatur: quia in hac numero materia possunt successiuè dari plures formæ eiusdem speciei, non solùm accidentales, vt quando eadem manus sæpius calefit, & frigefit: sed etiam substantiales, vt quando eadem numero materia, quæ erat sub vna forma terræ V. G. post nõnullas transmutationes sub alia item forma terræ existere incipit. sed si hæc numero forma per ordinem ad hanc numero materiam quantam indiuiduaretur, hoc esset impossibile; cum enim prior, & posterior forma eandem numero materiam quantam respicerent, eandem indiuiduationem habere omnino deberent, & sic numericé non distingui. ergo &c. Quod si respectu formarum substantialium possunt quoquo modo se tueri Aduersarij ab hoc argumento, dicendo: resolutionem vsque ad materiam, quam in generationibus substantialibus ipsi tuentur importare, vt non remaneat eadem numero quantitas in genito, quæ erat in corrupto, atque adeò falsum esse, quod forma posterior eãdem numero materiam sub eadem numero quantitate respiciat, eo quod prior quantitas iam corrumpitur. At loquendo de formis accidentalibus nullum habent latibulum; tum enim externus calor, tum hodiernus in mea manu introductus à sole in eandem numero materiam extensam per eandem numero quantitatem existit; & tamen hi duo calores numericè distinguntur; ergo &c.

Tertia Conclusio: Posteriori modo intellecta secunda explicatio sententiæ Thomistarũ, habet veritatem; Dico enim, quod forma in specie considerata hoc ipso, quod importet essentialem ordinem ad materiam primam diuisibilem tanquam ad subiectum suum siuè immediatum, siue mediatum, per hoc præcisè exigit in pluribus indiuiduis multiplicari; & in hoc sensu verum est, quod materia affecta quantitate sit radicale principium indiuiduationis, non quidem qualiscunque, sed qualis est nostra, ratione cuius eadem natura specifica multiplicari potest.

Probatur autem, quia forma, quæ secundum suam essentiam respicit materiam primã modo dicto, vel requirit in ea heterogeneam dispositionem, vt forma equi: vel homogeneam, vt forma ignis: vel denique nullam, vt sunt ferè primæ qualitates. si heterogeneam ex suis intrinsecis exigit, vt quoties aliqua materia debitas sibi dispositiones, ac organizationem necessariam acquisiuit, non desit per ipsam, quo minus dictam materiam actuet, ac informet. sed ad hoc requiritur vt sit in pluribus indiuiduis multiplicabilis; possunt enim dari simul plures materiæ vltimò dispositæ ad illam respiciendam. ergo &c. Sin autem homogeneam dispositionem exigat, præterquam quod propter rationem assignatam multiplicabilitatem requirit, debet posse, quantum est de se, ad materiæ diuisionem diuidi in plures partes, quarum vnaquæque indiuiduum completum euadat, vt patet ex forma ignis materiam

Digitized by Google

veriam vlarem informante, quæ in innumeras penè formulas dispertitur, & sic in hoc indiuidua multiplicatur. Si denique nullam dispositionem determinatam in materia sibi vendicet, non solùm habet obligationem, seu exigentiam multiplicandi se ad diuisionem sui subiecti, sicut prior, sed etiam ob præcisam applicationem iteratam eiusdem, vel similis agentis ad materiam; alioquin esset essentialiter monstruosa, hoc sibi bene ab auctore naturæ in necessarijs prouisum esse.

7 Confirmatur. Conclusio, & simul ratio assignata magis exponitur: quia ex vna parte inductione facta per omnes formas nobis notas dicentes ordinem ad materiam primam quantificatam, non potest assignari aliqua, quæ non sit in plura indiuidua multiplicabilis: ex alia verò dicta inductioni admiscetur ratio à priùs deducta, vt supra vidimus ex visceribus diuisibilitatis ipsius materiæ; ergo rectè deducimus ordinem, quem important dictæ formæ ad materiam vt hoc, esse causam adæquatam in eis multiplicabilitatis numericè; ita vt si nulla alia illius causa supperetet, hæc sola sufficeret, cur in pluribus indiuiduis multiplicabiles essent. Veram autem huiusmodi ordo sit etiam causa necessaria: ita vt species, quæ dicto ordine carent, sint diuinitus in plura indiuidua immultiplicabiles, videbimus paulò post. Interim sit

SECTIO SECVNDA.

Dari possibilis aliqua natura specifica non dicens ordinem ad materiam, quæ neque per absolutam Dei potentiam in plura indiuidua multiplicabilis esse possit.

8 Conclusio est affirmatiua. Dico enim non repugnare essentiam aliquam ex his, quæ non respiciunt materiam primam tanquam subiectum suum, cuiusmodi esse V. G. essentia Gabrielis, quæ neque per absolutam Dei potentiam possit multiplicari in plura indiuidua Angelorum solo numero inter se distincta. Ita communis inter Thomistas contra Babalum *prima parte quæst. 50. art. quarto quæstiunc. prima difficult. vltima* quos secitur Molinam, Mesquer, Valentiam, Suarez, & alios, quos omnes docet, omnem naturam creatam indiuiduari per singularia, & dari esse essentias specificas diuersas. Verum ex his non rectè colligunt dictos Auctores, esse contrarios: potest enim rectè concipi singularitas ab essentia specifica distincta; ita tamen vt huiusmodi essentia dicat essentialem connexionem cum illa; atque adeò licèt sit separabilis ab ea per intellectum, sit tamen quoad latè patens etiam per absolutam Dei potentiam hoc illa est; quemadmodum licèt attributa diuina concipiantur distincta ab essentia diuina, realiter tamen æquè latè patent, ac ipsa essentia. In quo sensu sustineri potest sententia Caietani de specie, & de ente, & essentia cap. 5. docentis singulos quidem Angelos differre inter se specie, & esse numericè immultiplicabiles de quacumque potentia: hoc tamen non obstante posse vnius cuiusque naturam specificè à propria singularitate præscindi; quâuis id, quod subdit, nimirum huiusmodi naturam, sic abstractam, fore vniuersalem, non habet veritatem; quia vt bene notat Arriaga *in Logicis disp. septima sect. secunda*, vt verè natura aliqua sit vniuersalis, debet posse esse apta ad existendum in pluribus, & de illis verè prædicari. Scio Gfrerium id non probare *q. 4. Log. art. 3.* Verùm ipse, vti videtur, loquitur ex suppositione, quod differentia essentialis sit formalissimè eadem cum indiuiduali. Sed quidquid sit de mente horum auctorum.

9 Probatur primò assertio nostra, quia dupliciter intelligi potest aliqua species Angelica in plura indiuidua immultiplicabilis: Primò ita, vt indiuiduatio intelligatur aduenire, atque adeò sit extra eius essentiam, licèt sit cum ea essentialiter connexa, vt adæquata proprietas, sicuti paulò ante dicebamus. Secundò ita vt vltima differentia, per quam constituitur, habeat essentialiter indiuiduationem imbibitam. in quo sensu dixit D. T. *prima parte quæst. tertia art. tertio* Si fortes per id esse homo, per quod est hic homo, non possent esse plures homines; sicuti non possunt esse plures Sortes. vtroque modo sumatur dici potest, quod essentialiter indiuiduatio pertineat ad huiusmodi speciem, cuius possibilitatis prima probatio sic procedit: In speciebus, quas præmissibus habemus, alia est ratio subijcibilitatis, & alia ratio prædicabilitatis de pluribus; siquidem differentia essentialis, quatenus contrahit genus, est causa primæ rationis: quatenus verò est vltimus multipliciter contrahibilis, est causa secundæ; posse autem primam rationem in aliqua specie haberi sine secunda patet ex diuersitate definitionum, quæ his duabus rationibus dantur in Logica; quarum prior nullo modo dicit essentialem connexionem cum posteriore; ergo potest dari aliqua species, quæ non prædicetur de pluribus minoribus, sed de vno tantum prædicabilis sit.

Probatur secundò principaliter, quia non potest assignari repugnantia cur, eadem substantialis differentia Angelica, quæ contrahit genus, speciemque constituit, nequeat esse simul constituens indiuiduum, sed formaliter, hæc non sequitur, per hoc scilicet, quod sit essentialiter cum determinata indiuiduatione connexa. ergo non est cur negetur species Angelica, quæ nè diuinitus quidem existere possit nisi in vno tantum indiuiduo determinato.

10 Verùm contra hanc rationem Objicies primò per retorsionem argumenti, assignata etiam qualibet substantia indiuidua, non implicat posse à Deo produci aliam illi similem in specie. ergo nequit dari substantia specifica, indiuidualiter immultiplicabilis. Consequentia patet, Antecedens euincitur, quia non potest assignari implicantia nisi asserendo nullam dari implicantiam in actum specifica indiui-

diuidualiter immultiplicabili. sed hic modus assignandi implicantiam est ridiculus: reddit enim inutile argumentum ductum á negatione implicantiæ ad rerum possibilitatem suadendam. ergo &c. Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem, nego maiorem: & dico rationem implicantiæ prouenire ex indiuiduatione determinata essentialiter pertinente ad naturam; vnde oritur, quod sicuti indiuiduo repugnat multiplicari, ita etiam repugnet speciei. Quod si neges dari posse indiuiduationem aliquam cum sua natura taliter connexam: vrgeo nullam á te afferri posse implicantiam, ob quam huiusmodi perfectio, quam in natura diuina confitemur, non possit stare cum ratione entis creati; quod igitur implicet omnem speciem esse multiplicabilem, non negatiuè, sed positiuè probo, quia scilicet dari potest aliqua immultiplicabilis; quam si neges, ad implicantiæ negationem recurro, quod rectè fieri posse sexcentis exemplis confirmare valeo.

11 Obijcies secundò: tam nos asserere non implicare speciem creatam immultiplicabilem numericè, quam Aduersarios non implicare omnem esse multiplicabilem; non est igitur maior ratio cur nos vtamur potius hoc argumento contra illos, quam illi contra nos.

Respondeo, distinguendo antecedens: tam nos asserere, & eodem modo, nego; & diuerso modo, concedo; & nego consequentiam; ac dico, quod dum nos asserimus non implicare speciem creatam immultiplicabilem, ponimus quo ad nos inter possibilia aliquem nouum gradum entis, quod rectè probamus; sicuti possibilitas cæterarum rerum ab omnibus probari solet, per non implicantiam, scilicet contradictionis; non enim positiuam prædicatorum realium connexionem in se ipsa cognoscere valemus, sed solùm eam à posteriori venamur. Contra verò dum Aduersarij assumunt non implicare omnem speciem esse numericè multiplicabilem, vt respondeant quæstioni, quam præ manibus habemus, debent significare: non implicare, quod hæc species immultiplicabilis implicet; Quare vides, quod illi, & non nos implicantiam per negationem implicantiæ, sic procedendo, probent; & ideò est maior ratio, cur nos potius vtamur dicto argumento conuenienter, non verò Aduersarij.

12 Obijcies tertiò: nos quoque, dum assumimus, quod non implicet substantia immultiplicabilis, asserimus non implicare substantiam, cui implicet habere aliam similem; sed hic modus argumentandi, vt modò diximus, non est admittendus. ergo probatio nostra deducta ex non implicantia non rectè procedit. Respondeo, quod etiam Philosophi dum assumunt non implicare speciem Atomam Leonis V.G. implicitè asserunt non implicare huiusmodi essentiam specificam, cui implicet multiplicari specificè. Fallacia verò in eo consistit in eo, quod ad quodlibet prædicatum positiuum possibile consequitur implicantia prædicati destructiui suæ possibilitatis. Non verò sicuti prædicatum destructiuum Petreitatis, est multiplicitas indiuidualis, quia tolleret ab ea vnitatem, atque adeò rationem entis: ita destructiuum speciei nostræ immultiplicabilis numericè, est habere posse plura indiuidua à parte rei solo numero distincta. Quare distinguo maiorem argumenti: dum assumimus, quod non implicet substantia immultiplicabilis, asserimus quod non implicet substantia, cui implicet habere aliam similem, asserimus (inquam) hoc formaliter, nego: asserimus virtualiter, & interpretatiuè per varias consequentias, concedo; & sic distincta minore, nego consequentiam. Per quod patet discrimen inter nos, & aduersarios; dum enim illi asserunt non implicare omnem substantiam esse talem, vt ei implicet immultiplicabilitas, probant implicantiam negatiuè, hoc est per negationem implicantiæ immediatè, & formaliter: contra verò nos mediatè, & consequtiuè, ad eum plane modum, quo si nos probaremus esse possibile animal, quod sit rationale, eo quod non implicet; ipsi impossibilitatē eiusdem animalis probarent sic: neque implicat, quod omne animal sit irrationale, vel neque implicat, quod animali vt sic repugnet rationalitas; nos benè, illi malè procederent.

13 Obijcies quartò: nobis incumbit onus probandi implicantiam multiplicabilitatis omnis prorsus essentiæ specificæ creatæ: non verò Aduersarijs implicantiam immultiplicabilitatis alicuius essentiæ specificæ Angelicæ. ergo nos malè vtimur argumento ex negatione implicantiæ deducto. Consequentia valet. Antecedens probatur: illi incumbit probare implicantiam, qui Dei omnipotentiam limitat, sed nos limitamus Dei potentiam, & non Aduersarij. ergo &c. Minor euincitur, quia immultiplicabilitas speciei impedit omnipotentiam in ordinè ad productionem infinitorum indiuiduorum similium.

Respondeo: quod quemadmodum recte quis probat implicantiam irrationalitatis omnis prorsus speciei animalis per hoc, quod probat possibilitatem hominis, ex eius non implicantia: ita nos rectè probamus implicantiam multiplicabilitatis omnis prorsus speciei creatæ, ex eo quod contendimus dari aliquam speciem immultiplicabilem, quam sufficienter probauimus ex eius non implicantia. Quare distinguo antecedens: & si quidem controuersia proponatur sub his terminis: An omnis prorsus species sit multiplicabilis, & nos arguamus contra Aduersarios, qui partem tenent affirmatiuam, concedo, modo supra explicato: si verò proponatur sub his alijs: An sit possibilis aliqua species immultiplicabilis, & Aduersarij arguant contra nos, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem distinguo maiorem: illi incumbit onus probandi implicantiam, qui Dei Omnipotentiam immediatè, & formaliter limitat, concedo; qui mediatè, & per multas consequentias, nego; & sic distincta minore, nego consequentiam. Ad minoris autem probationem aio, quod quemadmodum si hæc quæstio pro-

proponatur: vtrum implicet quod Diuina omnipotentia faciat omnes prorsus species animalis intellectuales, & ego arguam pro parte affirmatiua, quæ Diuinam omnipotentiam limitare videtur, teneor assignare pro ratione irrationalitatem essentialiter pertinere ad aliquam speciem equi V.G. quam speciem suppono ex non implicantia probatam: ita si mihi proponeretur vtrū implicet respectu diuinę omnipotētię omnē prorsus speciē multiplicari. At quæstio aliter proponitur: vtrū scilicet sit possibilis species Angelcia immultiplicabilis: quam rectè probo ex eo, quod non implicet indiuiduationē ad illam essentialiter pertinere, quidquid sit, si ex hoc limitatio diuinę Omnipotentię cōsequatur. Illud enim axioma: quod diuina Omnipotentia potius dilatanda, quam restringenda est, habet veritatem cęteris paribus, at in casu nostro cætera non sunt paria, vt patet. Dixi (quidquid sit &c.) quia inferius probabimus magis á nobis
14 per huiusmodi species immultiplicabiles diuinā Omnipotentiam dilatari, cum præsertim pōnātur essentialiter differre ab his omnibus, quibus Aduarfarij multiplicabilitatem concedunt.

Obijcies quintò: immultiplicabilitas est prædicatum negatiuum ergo probari debet per aliquod positiuum, in quo fundetur; sed hoc non potest esse negatio implicantiæ. ergo malè nos probamus nostram sententiam per negationem implicantiæ. Respondeo negando vltimam consequentiam, & dico duo: in hac specie immultiplicabili numericè considerari posse: primò positiuas eius perfectiones, indiuiduationē determinatam essentialiter importantes, secundò prædicatum illud negatiuum immultiplicabilitatis. Iā verò id, quod est de positiuo, probatur à nobis per non implicantiam; quod verò de negatiuo per positiuū iàm probatū. Quod si queras quodnam sit hoc positiuum, quod manifestam habeat connexionē cū illo negatiuo: dico illud esse in
15 diuiduationē essentialiter ad essentiā pertinentē: siquidē est de ratione cuiuscumq; indiuiduatis habere secum huiusmodi negationem adnexam.

Obijcies sextò: multiplicabilitas numerica est aliqua perfectio speciei, est enim exclusiua limitationis ad vnum tantùm individuum. ergo si haec species angelica illam non continet formaliter, continebit eminenter, sed hoc est absurdū, quia sequeretur quod dicta species esset infinita, eò quod haberet vnam indiuiduationē, quæ equiualeret infinitis, ergo &c. Respondeo negādo antecedens, vt enim euincitur ex diuinanatura, ouis immultiplicabilitas, & limitatio ad vnum tantùm individuum naturæ est summa perfectio. Neque ex hoc sequitur nostram speciā esse infinitā eminēter, quia nihil potest cōtinere id quod formaliter in sua cōtradictionē inuoluit, cuiusmodi est infinitudo indiuiduationum ad hanc speciem immultiplicabilem pertinentium. Insuper si daretur quantitas, quæ non posset dari alia similis, vtique esset infinita, quia obsorberet in se omnem possibilem quantitatem, ergo si daretur individuū, cui non posset creari aliud simile, eris profectò propter eandem rationem infinitum. Respondeo, concesso antecedente negando Consequētiam. Disparitas est, quia de facto quantitas est in infinitum multiplicabilis, & eius indiuidua possunt facere vnum extensiuè. Quare si nullum supereſt indiuiduum quantitatis extra quantitatem positam à parte rei, signum est quod hęc omnem possibilem continet, atque adeo sit infinita; at non est supponendum possibilia esse alia indiuidua similia individuo, de quo loquimur. 16

Obijcies septimò: malè quis sic argueret: non implicat ens, cui repugnet coexistere cum cæteris entibus creatis. ergo huiusmodi non est dabile; sed nos idem facimus, dum creaturam immultiplicabilem probamus per non implicantiam; ergo &c. Respondeo negando minorē. Disparitas est, quia qui probat possibile esse ens cui repugnet coexistere cum cæteris, non assignat determinatè prædicatum positiuum in dicto ente, fundans sufficienter huiusmodi repugnantiam, sed solum probat hanc repugnantiā per negationem repugnantiæ: Contra verò nos repugnantiam cum multiplicatione numerica fundamus in natura specifica essentialiter cum vna determinata indiuiduatione connexa, quam per non implicantiam probamus. Quod si instes, inde sequi, dari etiam posse naturam immultiplicabilem quo ad genus; concedam sequelam Recte enim ostendunt Logici genus primò intēsionaliter sumptum posse rectè in vna sola spe- 17
cie possibili conseruari, quantumuis reliquæ species contradictionem inuoluant. Atque hæc contra præcipuam rationem.

Contra verò Cōclusionē ipsam, objcies octauò ex Bubalo: auctoritatem Aristotelis adducente, qui ait: Indiuiduum creatum definiri non posse, eo quod definitio, quæ explicat essentiam rei, nullius indiuidui potest esse propria; sed si dabilis esset species diuinitùs immultiplicabilis, hoc falsum esset; quia huiusmodi indiuiduum recte definiri posset. ergo &c. Respondeo Philosophum loqui de indiuiduis, quæ præ manibus habemus; essentia enim specifica nulli eorum est propria priuatiuè sed cumulatiuè, eo quod est participabilis à pluribus, quare definitio, quæ est de tali essentia, nullius indiuidui indiuiduationem declarare potest. Contra vero quia essentia specifica immultiplicabilis ita est propria vnius indiuidui, vt nullius alterius propria 18
sit, rectè qui habet eius definitionem, habet saltem radicaliter definitionem illius indiuidui vt indiuiduum est.

Obijcies nonò multos articulos Parisienses, in quibus huiusmodi sententia de specie diuinitùs immultiplicabili damnatur, præcipuè nonagesimum sextum, vbi sic Dicere quod Deus non possit multiplicare indiuidua sub vna specie sine materia, error. ergo &c. Respondo articulos illos neque à Pontifice neque ab Ecclesia, neque ab vllo Concilio approbatos esse quo ad ea, quæ sunt contra doctrinam D.T. atque adeo non reddere sententiam oppositam nostræ plusquā probabilem; præsertim postea quam doctrina D.T. his articulis contraria vti, modo videbimus, ab Vrbano Papa, & omnium fere Theologorum consensu approbata est.

SECTIO TERTIA.

An omnis species non dicens ordinem ad materiam, qualis est omnis Angelica sit essentialiter immultiplicabilis numericè.

Conclusio est affirmatiua, & communis inter Thomistas, quos sequitur Granado *in*
19 *prima par. tract. 1. de essentia Angelorum cap. 4.* Maurus *quæst. philosophic. lib. 1. quæst. 41.* contra quamplures, Scotum videlicet, Albertum, Suarez, Valentiam, Vasquez, Hurtadum, Arrubalem, Tannerum, & Arriagam quos citat, & sequitur Comptonus *Disput. 2. metaph. sect 1. nu. 3.* Hanc conclusionem probat Maurus *loco citato* multipliciter, cuius probationes placet in hac sectione discutere. Primam ex Aristotelis auctoritate desumit, qui *12. methaphis. tex. 49.* sic habet: Quæ sunt numero plura, ea materiam habent: at quidditas primæ materiei est expers, est enim actus, id ergo, quod primum mouet; cum sit immobile, vnum est, & ratione, & numero. ergo per Aristotelem solæ substantiæ completæ, quæ materiam habent possunt solo numero distingui. Idem probat in decursu auctoritate Platonis, qui cum posuisset formas, siue Ideas à materia separatas, docuit eas esse immultiplicabiles in plura solo numero distincta.

Respondet Arriaga *disput. prima Metaph. nu.*
20 *72.* ad auctoritatem Aristotelis dupliciter: primò, quod sicuti nos admittendo visiones beatas solo numero distinctas, relinquimus Aristotelem, ita & ipse admittendo numericam Angelorum multiplicationem sub vna specie. Secundò addit se ab Aristotele non discedere, quia ille non dixit vnicum indiuiduationis principium esse quantitatem, sed affirmatiuè docuit esse principium, non excludendo alia.

Sed contra priorem responsionem facit, quia aliud est loqui de formis substantialibus, siue completis, vt sunt Angeli, siue incompletis, vti nostrates: & aliud de accidentalibus, vti inferius docebimus; & ideo neganda est paritas. Contra posteriorem verò, quia Philosophus loquutus est priuatiuè; ex eo enim quod primus motor est materiæ expers, intulit non posse numericè multiplicari. ergo putauit vnicum multiplicabilitatis indiuidualis principiũ sub vna specie esse solam materiam quantam.

Melius respondere possunt Aduersarij: Aristotelem, quando assumpsit, quod quæ sunt numero plura, materiam habent, nomine materiæ non intellexisse solam nostratem quantitate affectam, sed quamlibet potentialitatem, quæ cum in prima quidditate, hoc est in Deo, nulla sit, rectè infertur primam quidditatem, seu primũ motorẽ non esse numero multiplicabilem; & quidem quod nomine materiæ omnem potẽtialitatem intelligit patet ex citato textu; sic.n. concludit (Id ergo quod primùm mouet cum sit immobile, vnum est) ecce quomodo declarauit in quo sensu dixerit primam quidditatem esse materiei expertem, quia nimirum immobilis est, quod idem sonat, ac potentialitate carere. Quod verò potentialitatis carẽtia numericam multiplicitatem excludat, videtur euidens, quia ratio actus puri si esset multiplicabilis in plura indiuidua, non identificaret sibi in vnoquoque omnem perfectionẽ, quæ est in omnibus collectiuè acceptis, quatenus inter huiusmodi indiuidua posset esse oppositio voluntatum, & consiliorum, & sic vnumquodque illorum perfectissimo dominio careret. Ad auctoritatem verò Platonis dici potest, ideo Ideas ab eo positas fuisse numero immultiplicabiles, quia putauit eas esse vniuersales, vnas nimirum aptas in pluribus indiuiduis existere. constat autem naturam vniuersalem quatenus talẽ non posse numero multiplicari. atqui nos quando negamus naturam angelicam multiplicabilem esse, non loquimur de ea vt vniuersali, sed vt per singularitatem contracta, in quo sensu admittebat Plato suas Ideas V.G. naturam Hominis, Leonis &c. defacto multiplicari numericè. quare potius Philosophi huius auctoritas videtur esse contra nos.

Probat secundò idem Auctor nostram sententiam ratione, sic: Si possent dari plures Angeli solo numero differentes: vel essent omnino similes in omnibus prædicatis per se, & necessariò conuenientibus: & hoc non, quia nè numericè quidem differrent; vel essent dissimiles in aliquo prædicato per se, & necessariò conueniente: & hoc neque, quia, quæ sunt dissimilia in aliquo prædicato per se, & non in solo ordine ad primo essendum in diuerso subiecto, vel à diuerso agente, vel sub diuersis accidentibus loci, temporis &c. eo ipso differunt specie. sed Angeli essent dissimiles in aliquo prædicato per se, & non in ordine ad subiectum, neque in ordine ad diuersum agens, vel ad diuersa accidentia, vti patet. ergo iam differrent specie. 21

Verùm hæc ratio nõ est solida; possunt enim Aduersarij respondere primò æquè dubium esse num indiuidua eiusdem speciei per *ordinem ad* diuersas circumstantias subiecti, *loci, temporis* &c. indiuiduationem suam *sortiantur*: & num species angelicæ sint multiplicabiles numero atque adeò huius quæstionis decisiõnem non esse fundandam in decisione illius; cum præsertim multi defactò sint, qui negatiuam partem prioris quæstionis amplectantur, affirmatiuam verò posterioris. Potest etiam responderi secundò ab Aduersarijs directè ad argumentum, concedendo, quod Angeli à se positi essent dissimiles in aliquo prædicato per se, & necessariò conueniente: sed negando quod per hoc differrent species quia hæc dissimilitudo in eorũ differentijs indiuidualibus esset fũdata. Ad rationem verò in contrarium *dicerent, quod aliud* sit loqui de indiuiduis *materialibus* rerum generabilium, & corruptibilium: & aliud de Angelicis, in tantum enim indiuidua materialia indiuiduantur per adaptationem ad circumstantias subiecti, agẽtis, loci &c. in quantum eorum agentia naturalia quando debent agere, non possunt se determinare ad vnum ex eis producendum præ alijs; quia vel non sunt cognoscitiua, vel si sunt, illorum differentias discernere non valent; & ideo ne natura deesset

Digitized by Google

in neceſſarijs poſuit in ſingulis ordinem ad circumſtantias, quarum beneficio ad exiſtendũ determinarentur. At verò Angeli à ſolo Deo creari poſſunt, qui indiuidualem differentiam cuiuslibet optimè diſcernere valet, & ad illam pro libitu ſe determinare; vnde non fuit cur indiuiduationes angelicæ per ordinem ad diuerſas circumſtantias diuerſificarentur.

22 Argumentum ſuum tribus confirmationibus corroborat Maurus; quarum prima eſt huiuſmodi: Formę, quæ non ſunt ordinatæ ad informandum ſubiectum, non poſſunt differre per ordinem ad ſubiectum: adeoque ſi debent eſſe diſſimiles per ſe, debent eſſe diſſimiles in ratione formæ, præſcindendo ab ordine ad ſubiectum; ſed omnis diſſimilitudo formarum in ratione formæ eſt ſpecifica. ergo in formis ſeparatis non poteſt dari alia diſſimilitudo quã ſpecifica. Maior patet. Minor probatur inductione, quia diſſimilitudo, per quam figuræ differunt in ratione figuræ, præſcindendo ab ordine ad ſubiectum, eſt ſpecifica, vt patet ex figura rotunda, & quadrata vt ſic: licet rotunda aurea, & lignea ſolo numero differant idem dicendum de ſimilitudine, qua colores differunt in ratione coloris, præſcindendo ab ordine ad ſubiectum; & ſic de alijs. ergo &c.

Sed ab hac quoque ratione facile ſe expedire poſſunt Aduerſarij, diſtinguendo maiorem: formæ, quæ non dicunt ordinem ad ſubiectum, ſi ſunt diſſimiles, debent eſſe diſſimiles in ratione formæ, hoc eſt in ratione aliqua, quæ identificatur cum forma ſine ordine ad ſubiectum, concedent: in ratione formæ, hoc eſt in ratione aliqua, quæ ſit de eſſentia formæ, negabunt maiorem; & ſic diſtinguent eodem modo minorem: omnis diſſimilitudo, qua formę ſunt diſſimiles in ratione formæ, ſumpta ratione formæ ſecundo modo, eſt ſpecifica, concedent; ſumpta primo modo, negabunt minorem, & conſequentiam. Ad probationem verò minoris dicent, neque figuras neque colores, neque alias formas phyſicas præſcindi poſſe ab ordine ad ſubiectum in communi, ita vt remaneant in ratione formæ. figura enim vt videre eſt apud Comptonum *diſput. 17. Phyſ. ſect. ſecunda* ſecundum omnes definitiones quibus, à diuerſis Philoſophis definitur, ad corpus ordinatur, præſertim ſecundum illam, quæ dicit conſiſtere incoordinatione, & proportione partium corporis. Color verò, vt docet Ariſtoteles *de ſenſu, & ſenſili cap. 2.* eſt perſpicui in corpore determinato extremitas; idemque cum proportione de alijs formis Phyſicis dici debet. Quod ſi Maurus loquitur de ordine ad ſubiectũ in particulari, negabunt diſſimilitudinem, per quam figuræ differunt in ratione figuræ, præſcindendo ab ordine ad ſubiectum in particulari, ſemper eſſe ſpecificam; ſi enim præſcindamus rotunditatem ab aureo globo, & rotunditatem à ligneo, huiuſmodi rotunditates poſſunt ſic præciſæ ſuas differentias indiuiduales retinere in quo caſu erunt diſſimiles numero, & non ſpecie. Idemque dicendum de alijs formis phyſicis præciſis ab ordine ad determinatum ſubiectum.

Secunda confirmatio ſic procedit: Formæ intellectiuæ non ordinatæ ad materiam non poſſunt per ſe differre niſi in ratione formæ intellectiuæ; ſed differentia in ratione formæ intellectiuæ deſumitur ex diuerſo modo intelligendi. ergo intelligentiæ differunt ſolùm per differentias ex diuerſo modo intelligendi deſumptas. ſed huiuſmodi differentiæ ſunt ſpecificæ, ſicuti differentiæ formarum ſenſitiuarum deſumptæ ex diuerſo modo ſentiendi. ergo Angeli non poſſunt differre niſi ſpecie. 23

Verùm neque hæc ratio multum negotij facereſſe Aduerſarijs poterit; reſponderent enim ad maiorem, quod ſicuti ratio formæ, vti ſupra dictum eſt, dupliciter ſumi poteſt, ita & ratio formę intellectiuę: primò pro formalitate, ſeù conceptibilitate cum forma intellectiua identificata ſecundò pro formalitate, ſeù conceptibilitate, quæ ſit de eſſentia metaphyſica illius. Quare non ſolũ hoc ſecundo modo, ſed etiam primo differre inter ſe poterunt formæ intellectiuæ in ratione formæ intellectiuæ; ſic diſtincta maiore: ad minorem dicent, diuerſitatem quoque in modo intelligendi poſſe eſſe vel eſſentialem, vel indiuidualem; & quidem differentiam in ratione formalitatis indiuidualis identificatæ cum forma intellectiua ſumi ex modo intelligendi indiuidualiter: contra verò differentiam in ratione formalitatis eſſentialis ex modo intelligendi eſſentialiter diuerſo. Sic permiſſa prima conſequentia, negabunt abſolutè ſubſumptum, in quo ſubſumitur, omnem differentiam deſumptam ex modo intelligendi quomodocumque diuerſo eſſe ſpecificam.

Fertia denique Mauri confirmatio ſe habet ſic: Eo ipſo, quod aliquæ formæ ſunt per intellectum abſtractæ à materia, & ab ordine ad illam, & ad accidentia illius, conſtituuntur vnæ per intellectum non diuiſæ in plura indiuidua. ergo à pari eo ipſo, quod dentur formæ à parte rei ſeparatæ à materia, & ab ordine ad illam, erunt vnæ à parte rei, & *in plura* indiuidua indiuiſæ. atqui ſpecies Angelorum à parte rei ſunt ſeparatæ à materia, & ab ordine ad illam. ergo &c. Antecedens, quod ſolùm probatione eget, ſic ſuadet: hoc ipſo, quod concipiam albedinem, abſtrahendo ab, quod ſit albedo lactis, vel niuis cõſtituo illam per intellectum indiuiſam; idemque dicendum de quacumque alia forma ex noſtratibus. ergo &c. 24

Verùm ad hoc patet reſponſio ex dictis negari enim poteſt ab Aduerſarijs antecedens; & ad eius probationem dici, quod dupliciter poſſumus concipere albedinem lactis, & albedinem niuis, abſtrahendo ab eo, quod ſit lactis, vel niuis: primò, ſpoliando veramque propria indiuiduatione, quam habet, & ſic concedent, nos veramque vnam, & indiuiſam obiectiuè concipere. Secundò neutram ſua propria indiuiduatione exuendo, & ſic negabunt veramque vnã & indiuiſam per intellectũ euadere: dicentque, quod quamuis admittant ordinem ad materias diuerſas, & ad diuerſa accidentia pertinere ad indiuiduationem formarum materialium, de quo eſt dubium; negabunt tamen earum indiuiduationẽ in huiuſmodi ordine adæquatè conſiſtere;

sistere; atque adeò quamuis intellectus de huiusmodi ordine minimè certificetur, possit mihi tamen illas sibi vt individuas repræsentare.

SECTIO QVARTA.

Probatur efficaciter Conclusio de numerica specierum Angelicarum immultiplicabilitate.

SVperioribus igitur rationibus posthabitis, quibus probatur species non dicentes ordinem ad materiam non posse numero multiplicari. Hac ratione efficaciter hoc suaderi posse videtur: Multiplicabilitas in plura individua non est de primo conceptu essentiali illius rei, quæ multiplicabilis est, sed ab eius essentia tanquam proprietas, vel attributum intelligitur emanare. Atqui non intelligitur emanare nisi ab essentia rei dicentis ordinem ad materiam primam quantitate signatam. ergo non est proprietas nisi rerum dicentium ordinem ad huiusmodi materiam. Cum igitur species Angelicæ nullum dicant ordinem ad materiam, hac proprietate carent, & sic erunt immultiplicabiles numero. Vtraque consequentia est euidens, &c. Maior facilè suadetur ex eo, quia prius debet intelligi species in se ipsa constituta, & postea, quod sit in plura individua multiplicabilis: quod enim multiplicabile est, semper supponitur esse secundum eam rationem, secundum quam multiplicabile esse concipitur. Minor verò probatur: quia huiusmodi multiplicabilitas non debet intelligi à rerum essentis emanare temerè pro nostro libitu, sed debemus in eis semper assignare prædicatum aliquod, quod illam positiuè exigat. sed non possumus in essentijs aliud prædicatum assignare, quod positiue illam exposcat præter ordinem ad materiam; ergo &c.

Huius argumenti omnia patent, præter minorem, quæ duas videtur continere partes. Prima est, quod ordo ad materiam sit prædicatum positiuè exactiuum multiplicabilitatis, ita vt illæ essentiæ, quæ huiusmodi ordinem, non imbibunt, præcisè per hoc debeant posse numero multiplicari. Secunda verò quod nullum aliud prædicatum assignabile sit in essentijs rerum, quod dictam exposcat multiplicabilitatem; & quidem prior pars remanet probata ex his, quæ diximus *sectione prima huius disputationis Concl. 3.* Posterior verò fatetur ex eo, quia si quod aliud in essentijs rerum assignabile est prædicatum, quod multiplicabilitatem in individuis suis exposcat, maximè prædicata immaterialitatis, dicendo dictam multiplicabilitatem esse attributum transcendens per omnes essentias tam rerum *materialium* tū materialium. sed hoc temerè; nam quod essentia materialis multiplicabilitatem exposcat ex ordine, quem dicit ad materiam, euidenter deducitur: at in natura spirituali angelica nihil simile prædicatum. Dices fortasse esse rationem speciei creatæ vt sic. Atqui hoc gratis asseritur. Sufficientissimè enim intelligitur species creata potens existere per hoc, quod defectibilis sit, & à Deo in existendo dependens. totum autem hoc cum individuali immultiplicabilitate rectè associari potest, vt considerati patet. ergo &c.

Contra hoc argumentum videtur facere instantia Arriagæ *de Angelis disput 4. nu. 2* quæ est huiusmodi: etiam res materiales dicentes ordinem ad materiam non individuantur per eundem ordinem formaliter; nam circa eandē numero materiam dantur plura accidentia numero distincta, quæ successiuè talis materia habere potest; tum sic: illa individuatio horum accidentium non sumitur à materia, quia materia est vnica. ergo ipsa non dat oppositionem Individualem accidentibus. Quamuis igitur accidentia respiciant materias, non Individuantur tamen per hunc ordinem. quid igitur mirum si sine hoc ordine species Angelicæ individuentur? Verum hęc difficultas remanet soluta ex his, quæ diximus *sectione prima*. vbi ostendimus, quod quando asserimus formas materiales eiusdem speciei multiplicari numericè per ordinem ad materiam, non est sensus, quod hæc forma per ordinem ad hanc numero materiam, illa verò per ordinam ad illam constituenda sit, sed quod hoc ipso, quod aliqua species formarum materiam primam respicit tanquam subiectum, exigit habere sub se plura individua solo numero distincta. Qua posita explicatione tota oppugnatio corruit, concesso enim antecedente, in quo assumitur: individuationes formarum non sumi per ordinem ad vnam numero materiam, distinguo primū consequens: ergo materia non dat oppositionē individualem accidentibus: non dat formaliter, concedo, quia se ipsis opponuntur. non dat radicaliter, nego primam, & secundam consequentiam in sensu in nobis explicato.

Confirmatur nostra ratio fundamentalis in hunc ferè modum: multiplicabilitas numerica arguit imperfectionem in specie; per hoc enim differentiæ individuales à specificis discriminantur, quod specificæ sint generis pulchritudo, quatenus afferunt illi nouum gradum entis, nouum operationis principium; vnde est vt differentiæ formales appellentur, quatenus constituunt speciem, quæ est quid formaliter formosum, atque perfectum. Contra verò individuales respectu speciei, quam individuant, materiales, atque adeo potentiales dici solent, quatenus sunt infimæ, & vltimæ in perfectione, quia illam solum multiplicant, & ad plura extendunt. ergo huiusmodi differentiæ individuales sunt valdè similes diuisionibus materiæ primæ, quæ solum habent extendere, & multiplicare species, quas forma vt forma est rerum vniuersitati affert; prima enim materia infimum locum inter omnes substantias sibi vēdicat, & in comparatione formæ est quid turpe, potentiale, & ferè nihil. quid igitur mirum si ex solo ordine ad materiam multiplicitas individualis speciebus prouenire censeamus?

Dices, cum Arriaga *loco citato nu.* 10. falsum esse id, quod assumimus: nimirum individuationē esse infimam in perfectione, & vltimū inter omnes gradus quia ex vna parte quo magis

discen-

Digitized by Google

descendunt differentiæ, eò perfectiores sunt: indiuiduatio autem non habet post sè aliam differentiam; ex alia vero parte animalitas antequã intelligatur contrahi per rationalitatem, iam intelligatur indiuiduata, & sic indiuiduatio neque inferiora in perfectione est, neque vltima in ordine.

Sed contra est: quia opposita sententia est communissima, nec sine ratione, siquidem indiuiduatio neque affert nouum gradum entis speciei, quam indiuiduat, neque est in ea peculiaris operationis principium, sed solum illam extendit, simílemque reddit ipsi materiæ, & per hoc assimilatur materiæ primæ, in qua omnia composita materialia perfectè conueniunt. Portò rationes in contrarium ex Arriaga desumptæ non habent vim. Ad primam vnim dicendum, Axioma illud (quo magis descendunt differentiæ, eò suas perfectiones) ideo verum esse, quia loquitur de differentijs formalibus diuidentibus genus, & constituentibus speciem, cuiusmodi non sunt indiuiduales. Ad secundam verò aio indiuiduationem esse vltimam inter omnes gradus constare ex Arbore Porphirij, ex Aristotelis principijs constructa. Quod si aliquando animalitas intelligitur indiuiduata, prius quam concipiatur per rationalitatem, & irrationalitatem diuisa: illa indiuiduatio est eadem formalissimè cum ea, quæ intelligitur aduenire speciei animalis, licet obscurè, & confusè cognoscatur vt talis; alioquin in differentia indiuiduali assignari deberent gradus differentiales similes ijs, quibus rerum essentiæ constituuntur.

28 Confirmatur iterũ ratio supra posita; quia nõ aliter nos in assignandis alijs proprietatibus in quarto modo cæteris substantijs philosophari solemus, quã philosophati sumus, probãdo multiplicabilitatẽ in plura indiuidua solis formis dicentibus ordinẽ ad materiã cõuenire. Ideo enim scimus calorẽ, & siccitatẽ in summo esse propriũ ignis in quarto modo, & rugibilitatem in quarto modo conuenire Leoni &c. quia inductione facta à posteriori per omnia indiuidua ignis, & leonis videmus illis huiusmodi proprietates ita competere, vt assignemus rationem à priori ex eorum essentijs deductam, cur dictæ proprietates peculiariter illis conueniant. His enim duobus præsuppositis, constanter asserimus huiusmodi proprietates eis recte assignari esse, & implicare quod alicui alij ex possibilibus conuenire possint. Atqui nos eodem prorsus modo procedimus assignando multiplicabilitatem
29 formis dicentibus ordinem ad materiam tanquã proprietatem in quarto modo; quia ex vna parte videmus omnes esse multiplicabiles, & ex alia eas præcisè per eundem ad materiam id exigere: gratis igitur, & sine sufficienti ratione asseritur species etiam Angelicas huiusmodi proprietatem sibi vendicare; ad eum plane modum quo temere diceretur inter possibilia dari animal, quod non sit Leo, & tamen sit rugibile, vel corpus simplex, quod non sit ignis, & tamen calorem, & Siccitatem in summo exigat.

29 Vnum contra hunc nostrum philosophandi modum obstare videtur: videlicet, ex eo sequi naturas genericas ex solo ordine ad materiam esse in plures species multiplicabiles: atque adeo cum natura generica Angelorum non dicat ordinem ad materiam, recte deduci posse omnes angelos esse eiusdem speciei infimæ; quod est contradictorium ei, quod nos ex eodem principio deducere conati sumus. Sequela probatur, quia ex vna parte inductione facta per omnia genera dicentia ordinem ad materiam, videmus ea esse in plures species multiplicabilia, vt est genus corporum simplicium, genus mixtorum inanimatorum, genus animatorum &c. Ex alia verò parte per hoc præcisè, quod huiusmodi genera ordinem ad materiam importent, multiplicabilia in plures species esse debent, sicuti eorum species in plura indiuidua; ergo &c.

Ad hoc respondeo negando absolutè sequelam; & ad eius probationem concedo priorem partem, nimirum nos inductione facta per omnia genera dicentia ordinem ad materiam, videre quodlibet ex eis esse in plures species multiplicabile; sed nego posteriorem, nimirum per hoc præcisè, quod ordinem ad materiam importent, specificam multiplicabilitatẽ habere debere; si enim non daretur nisi vna species lapidũ, & vna metallorum, & vna planetarum, & denique vna animalium; hoc ipso quod huiusmodi species in plura indiuidua multiplicari possent, optimè actum esset cum diuisibilitate materiæ: nõ autem, si non daretur nisi vnum indiuiduum pro singulis speciebus, quæ de facto sub vno genere dantur; siquidem materia auri palmaris V. G. de sè exigit posse diuidi in duos semipalmos: non autem de sè exigit formam argenti, nisi ratione dispositionum illi debitarum, quæ, posita eius impossibilitate, ei minimè deberentur. non igitur per ordinem ad materiam, quem dicunt genera, quæ nouimus, multiplicabilitatem suarum specierum exigunt, nisi huiusmodi ordinem minus rigurosè sumamus, videlicet pro similitudine, ac proportione cum ipsa materia in quo sensu dixit Philosophus, Genus sumi à materia, & Differentiam à forma; sic enim verissimum est, quod genus præcisè per dictum ordinem exigat habere sub sè plures species, quia est ita incompletum, & informe, vt multiplici essentiali completione, atque formatione sit capax; sicuti materia comparata cum formis essentialiter diuersis. Iam verò quod hunc ordinem ratione similitudinis generibus Angelicis concedamus, nullum est inconueniens, vt dictum paret. Vnde rectè deduci potest singula eorum genera in plures species multiplicabilia esse.

Cardinali Pallauicino adeo numeria Angelorũ multiplicabilitas placuit, vt lib. 9. summæ assertionum Theologicarum vniu. docuerit omnes Angelos non solum de facto, sed etiam de possibili esse eiusdem speciei infimæ. Quã sententiam dicit Suarez de angelis lib. 2. cap. 12. num. 4. valde diuinæ Omnipotentiæ repugnare, & oppositam omnes Scholasticos pro cõperto habere; & recte id quidẽ, nulla enim ratione, aut repugnantia ex parte gradus completi intellectualis est assignabilis, cur dictus gradus in varias species multiplicabilis non sit, cum præsertim videamus in omnibus gradibus corporeis tot rerum species esse

esse producibiles. Duas assignat vbi dicti rationes Pallaicinus *loco citato*, quas æquum est dissoluere.

In priori supponit vnumquodque ens sortiri speciem à prædicato magis præcipuo, quod ita eo est, deinde sic arguit: Præcipuum prædicatum, quod est in Angelo est, quod intelligat secundum se totum per cognitionem innatam, & perfectam ex primo suæ creationis instanti: sed in hoc omnes Angeli conueniunt: ergo omnes conueniunt in specie infima. Minor, & Consequentia patent: Maior probatur: Illud, in quo Angeli differunt, cõstat solum in cognoscendis pluribus, vel paucioribus obiectis vna vel pluribus speciebus: sed plus, & minus facit differre solùm materialiter; sunt enim prædicata transcendentia recipientia mensuram æstimabilitatis ab eo prædicato, cui conueniunt, tanquàm à forma. Vnde fit vt differre duo secundum magis, & minus, sit differre in prædicato secundario, supponente primarium, à quo suam excellentiam sumunt.

31 Verùm hæc ratio non videtur habere multum roboris; quare ad eam responderem, admisso supposito, negando Maiorem: siquidem Angelum esse intellectiuum secundùm se totum per cognitionem innatam, & perfectam ex primo suæ creationis instanti, est prædicatum genericum Angeli, & non specificum. Ad probationem in contrarium, nego item maiorem, iudico Angelos primò differre inter se per differentias quasdam essentiales constitiuas prædicati illius, quod diximus esse genericum; quæ quidem differentiæ iuxta mensuram perfectionis propriæ reddunt Angelos magis, vel minus perfectos in ratione intelligendi non quidem magnitudine, & minoritate absoluta, vel extensiua accidentali, sed quidditatiua, & essentiali, quæ consistit in indivisibili, in quo sensu dicere solemus differentiam aliqui reddere æquum magis perfectum in ordine sensitiuo, quam differentiam alterius ipsum mutuam. Non negauerim tamen ex huiusmodi differentiis essentialibus omnia in Angelis ve nobiliores virtutes habeant intelligendi simul plura obiecta per paucissimas species, ignobiliores verò per plures. Ex quibus sequitur plus, & minus, esse prædicata transcendentia quatenus possunt tum his, quæ differunt numero, tum his, quæ differunt specie, imo & genere conuenire: nam in ingredientium essentias metaphysicas facium differre essentialiter subiecta, quæ quidem cõparantur, sicut minus numerice, & sic erunt prædicata secundaria.

Posterior ratio est huiusmodi. Intellectus Angeliti non differunt specie, ergo nec ipsi Angeli. Consequentia patet, quia quilibet intellectus proportionatur ei tantùm obiecto, quam proprietas essentiæ Angelicæ. Antecedens verò probatur: potentiæ specificantur ab obiectis mobilibus, vnde intellectus Diuinus, Angelicus, & Humanus differũt specie, quia Diuinus habet pro obiecto primario suum esse: Angelicus esse ipsorum creatum naturale, Humanus ens sensibile. Sed dicimus Intellectus Angelici conuenire in obiecto ratione eius; ergo omnes sunt eiusdem speciei infimæ: sicuti sunt omnes actus fidei vel visionis beatæ, qui habent idem formale motiuum. 32

Aliqui sunt, qui docent intellectus, & voluntates in Angelis positos, quod distinguantur ab eorum essentijs, non differre essentialiter, quamuis sic differãt inter se eorum naturæ inexistentes; & concesso antecedente, negando est cõsequentia; & ad eius probationem respondendum inter essentiam, & proprietatem sufficere proportionem aliquam, quod nimirum essentia Michaelis, quia est nobilior essentia Gabrielis V. G. habeat potentiam intellectiuam, & volitiuam magis intensam, quam sit illa Gabrielis. Sed melius respondẽdum videtur, negando antecedens, & concedendumque admissa distinctione reali inter essentias, & potentias in Angelis, quod quælibet potentia intellectiua eorum differt essentialiter à qualibet alia, quia non suscipiunt magis, & minus accidentaliter, sicut indivisibiles sunt. Ad antecedentis probationem distinguo maiorem, potentia specificantur ab obiecto motiuo tantùm, nego: ab obiecto modum proximè includente specialem modum, quo attingibile est, concedo. Et ad minorem dico obiectum maximum cuiuscunque intellectus esse verum vt sic, vnde si potentiæ intellectiuæ adæquatæ specificarentur à suo obiecto motiuo, essent omnes eiusdem speciei infimæ. Quare in eorum specificationem ingredi debent diuersi modus tendendi in huiusmodi veritatem, & quidem possit in Angelis multiplicari, sicut & potentiæ Angelicæ inter se specie differre possunt, sicuti differunt in nobis actus cognoscendi & incertus de eodem prorsus obiecto. 33

Quæres hinc argumentum, quo Granados illum citatum probat immediate, multiplicationem Angelorum ex propinquitate quam habent ad Deum habeat vim subsistendi. Respondeo affirmatiue si bene intelligatur contra Arriagam, qui *de Angelis sub sectione* omnino negat, ac illud parum pendit. Probatur ratio vltro prius argumenti *in forma*, & posito ad illius primum impugnabitur respondendo. Argumentum non tendit solùm ad genus actus subsistentis nihil esse à propinquum Deo quam substantia Angelica, ergo ficit Deus ob sui perfectissimam æquationem non solum dum potest multiplicari specie, sed nec numero quia Angelus, hoc quatenus diuina multitudinem non habet, possit multiplicari specie, quamuis tamen ad eã ita hoc genus magis quam cæteræ creaturæ accedit, non potest multiplicari numero.

Duas adhuc argumentum dissoluendum restant instantias Arriaga adducit. Prima est se mirare quod non sit dare Gabrielem Angelum, qui de specie multiplicari possit, eo quod Deus ab summam actualitatem non solum non possit multiplicari in numero, sed nec specie. Verũ hoc facile reijcitur dicendo, quod in tantum Deus nequit multiplicari specie, quia sic multiplicabilis esset, Deitas sit haberet in genere, atque adeo esset formaliter perfectibilis per differentias, quod est contra rationem Deitatis, quæ dicit cumulum omnium perfectionum, at verò

quod Angelus vt sic habeat rationem generis, & per consequens sit formaliter vlterius perfectibilis, non est contra eius prædicata essentialia, vt de se patet; quia cum perficiatur formaliter per vlteriores differentias, magis determinatur, magisque Deo appropinquat, & multo magis postea per immultiplicabilitatem numericam.

Instat Arriaga: magis repugnat summæ actualitati Dei multiplicabilitas in specie, quã in indiuiduo; ergo ex maiori propinquitate, quam dicit Angelus ad Deum summæ subsistentem in ratione actus, potius colligenda esset immultiplicabilitas specifica, quam numerica. Patet consequentia Antecedens probat: quia si per impossibile non repugnarent plures Dij, potius illi forent numero distincti, quam specie, quia numero distincti essent æqualis perfectionis, & facilius possent idem semper velle, & idem nolle; nec vnus careret perfectione alterius; contra verò si essent specie distincti. Sed neque hæc instantia procedit: primo quia falsum est antecedens, repugnantia enim consistit in indiuisibili; sicuti enim non datur maior, & minor repugnantia; tam enim repugnat Deo tanquam quid chimericum eum esse multiplicabilem specie: quam numero; sicut tam non posse facere omne factibile, quam non posse facere vnum culicem. Ad antecedentis probationem dicendum, dubium esse, vti superius notauimus, vtrum plura indiuidua differentia specie possint esse æqualis perfectionis; quare ex hoc capite nõ debent plus repugnare plures dij specie distincti, quam numero; neque rationem desumptam â facilitate idem semper volendi, & nolendi, si solo numero distinguerentur, esse solidam; constat enim numquam reperiri potuisse duos homines quamuis coniunctissimos, qui idem semper voluerint, idemque noluerint; & rectè, cum enim determinatio sit libera, conuenientia, vel differentia specifica nihil prodest.

Ad eandem Arriagæ instantiam respondeam secundo, permisso antecedente, negando consequentiam. Ratio potest esse, quia dato, quod magis repugnet summæ actualitati Dei multiplicabilitas in specie, quam in indiuiduo: quia tamen Angelus vt sic est essentialiter perfectibilis, ideo repugnat illi immultiplicabilitas quo ad speciem, non autem quo ad numerum, vti patet ex dictis.

Secunda Responsio Arriagæ ad Argumentũ principale Granadi est: Rationes, quæ ob summum Dei Dominium probant illum non posse vllo modo multiplicari, penitus cessare in Angelo, vt patet ex multiplicabilitate quo ad speciem, & sic ex propinquitate, quam habet Angelus cum Deo in ratione subsistentis, non bene colligit numericam eius immultiplicabilitatem. Sed contra etiam est: quia licèt multiplicabilitas Dei repugnet eius Dominio: repugnat tamen etiam eius summæ actualitati, atque perfectioni; quare licet multiplicabilitas numerica non repugnet Angelo ex eo, quia debeat habere perfectum dominium alicuius rei; repugnat tamen; quia non dicit ordinem ad materiam; ex quo deducitur rationem Granadi tandem aliquando debere resundi in nostram, & ab ea efficaciteatem suam desumere. Cæterum quemadmodum male quis argumentaretur sic: ex eo, quod in Deo est cumulus omnium perfectionum recte deducitur eum esse substantiam viuentem intellectualem; sed neque in Angelo, neque in homine est cumulus omnium perfectionum; ergo neque Angelus, neque homo est substantia viuens intellectualis: ita, & Arriaga, cæterique, qui ex perfectissimo dominio Dei eius numericam immultiplicabilitatem deducunt.

SECTIO QVINTA.

Affirmatur, & soluuntur quædam obiecta contrà Conclusionem principalem.

OBijcies primò ex Hurtado *disput. 12. metaph. sect. 3.* non implicat dari duos Angelos æqualis omnino perfectionis, atque virtutis; sed hoc ipso huiusmodi Angeli essent eiusdem speciei infimæ. ergo non implicat dari plures Angelos solo numero distinctos. Respondeo solucionem huius argumenti pendere ex illa quæstione: num æqualitas perfectionis, atque virtutis cum diuersitate specifica stare possit; qui enim partem negatiuam sustinet, negat consequenter maiorem, qui verò partem tuetur affirmatiuam, concessa maiore, negat minorem: vide in lib. de anima, quid de hac Controuersia constituimus. 31

Objicies secundo ex eodem: indiuiduatio & differentia specifica sunt idẽ ex parte Angeli; sed differentia specifica Angeli non dicit ordinem ad materiam; ergo nec numerica, poterũt igitur dari plures Angeli solo numero distincti. Respondeo concesso integro syllogismo, negando vltimam consequentiam. Dico enim differentiam specificam Angeli hoc ipso, quod non dicit ordinem ad materiam, non esse multiplicabilem in pluribus indiuiduis, atque adeo respicere vnicam differentiam indiuidualem, vel tanquam proprietatem suam, vel tanquam formalissimam rationem sibi formaliter identificatam actum dicentem ordinem ad materiam.

Objicies tertiò ex Molina: si dicamus multiplicabilitatis principium ex ordine ad materiam sumendum esse de lege ordinaria tantum: recte saluamus Angelos saltem de potentia Dei absoluta posse numero multiplicari; sed illud sine absurdo dici potest; ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; quemadmodum enim ex suppositione, quod probatum sit: Rugibilitatem esse proprietatem Leonis in quarto modo: implicat asserere de lege quidem ordinaria Leonibus competere: at de extraordinaria posse aliquod aliud animal ex possibilitate esse rugibile; ita cum nos supra probauerimus multiplicabilitatem numericam esse proprietatem in quarto modo formarum dicentium ordinem ad materiam; 36

riam, vanum est opinari posse diuinitus alteri competere.

Instabis: si quis dicat multiplicabilitatem numericam speciei non esse proprietatem ex ordine ad materiam procedentem, sed ex finitate physica entitatis, in qua existunt prædicata specifica ipsius speciei, quæ quidem entitas, quia finita est, absorbere nequeat omnem entitatem possibilem talium prædicatorum: si quis, inquam, hoc dicat, rectè saluat multiplicabilitatem numericam Angelorum intra eandem speciem, sed hoc dictum nihil continet absurdi, ergo &c.

Respondeo concessa maiore, negando minorem. dico .n. absurdum, quod hæc imaginatio continet, in petitione principij positum esse. supponit enim essentiam cuiuslibet speciei creatæ habere de possibili infinitas entitates, in quibus possit existere, & quia huiusmodi entitatum perfectionem extensiuam vna entitas numerica absorbere non possit, infert plures, & plures entitates eiusdem essentiæ specificæ possibiles esse. Porrò tota nostra controuersia in illa suppositione consistit, num videlicet essentia cuiuslibet speciei habeat de possibili infinitas ētitates, in quibus multiplicari valeat; cuius partem affirmatiuam, cū dictus modus philosophandi non probet, sed supponat: rectè reijciendus est, & amplectendus noster, quo partem negatiuam suasimus.

37 Subinstabis cum Amico *disput. 3. sect. 6.* Si naturæ Angelicæ non essent solo numero multiplicabiles: quodlibet indiuiduum contineret totam perfectionem possibilem suę speciei, sed sic quodlibet esset actu infinitè perfectum ergo &c. Maior, & Consequentia patent: minor verò probatur, quia ideo non possunt dari in diuinis plures Patres, plures Filij &c. quia quælibet persona est infinita in tota sua latitudine possibili. Contra verò ideo quodlibet genus est in plures species multiplicabile, quia quodlibet est finitum, aliter enim contineret omnem perfectionem possibilem suarum specierum, quæ est infinita.

Respondeo concessa maiore, supponendo, quod in ea sermo sit de perfectione per se, & substantiali identificata cum specie, non autē de accidentali, quæ potest adesse, & abesse ab illa: nego minorem, quia falsam includit suppositionem, nimirum perfectionem extensiuam substantialem speciei Angelicæ esse infinitam. Ad priorem minoris probationem ex diuinis personalitatibus desumptam, dico non rectè deduci ex earum immultiplicabilitate numerica infinitatem in tota sua latitudine possibili, sed è contra ex infinitate in tota sua latitudine possibili earum immultiplicabilitatem comprobari. Ad posteriorem verò de genere dicendum, quod si constaret Genus aliquod non habere sub se nisi duas tantum species infimas, & neutram esse multiplicabilem in plura indiuidua, ex hypotesi, quod genus hoc perfectionem suarum specierum formaliter contineret, profectò non esset in perfectione infinitum, ut de se patet. solum igitur esset huiusmodi ex hypotesi, quod plures ac plures species, & indiuidua in infinitum, quæ sub se defacto continet, in se formaliter includeret. Sed indiuiduum speciei Angelicæ non admittitur à nobis esse simile generi, hoc secundo modo accepto, sed solum primo modo considerato, quia dicimus non esse sub dicta specie possibile nisi vnum tantum indiuiduum. neutra igitur paritas adducta habet vim.

Sub instabis iterum contra hoc vltimum: 38
defacto omne genus Angelicum est multiplicabile in plures species: ergo, & omnis species Angelica erit multiplicabilis in plura indiuidua.

Respondeo me *sect. 2. huius Disputationis ad obiectionem septimam* admisisse genus primò intentionaliter sumptum vnam solam speciem habere posse. nunc veró vt ostendam paritatem ex genere deductam contra mé nullam esse, concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas esse potest, quia sub generis appellatione venit apud nos natura quædam essentialiter incompleta, & indeterminata, per plures species determinabilis, atque perfectibilis; nomine autem speciei intelligimus naturam essentialiter determinatam atque completam. non est igitur mirum si non possit dari natura generica, quæ non sit vlterius determinabilis, ac perfectibilis per plures species; possit verò dari natura specifica, quæ non sit vlterius determinabilis ac perfectibilis per plura indiuidua. de ratione enim speciei vt sic non est esse de pluribus prædicabilem; satis enim est, quod sit subijcibilis: contra verò de ratione generis est vt possit prædicari de pluribus differentibus specie in quid.

Obijcies quartò ex Arriaga *disput. 1. metaph. sub nu. 71. nec non etiam disp. 4. de Angelis num. 3.* & alijs communiter: Gratiæ habituales, visiones Beatificæ, imò & naturales cognitiones vnius eiusdemque Angeli, *quas successiuè habet de eodem obiecto, nullum dicunt* ordinem ad materiam; sed illæ solo numero differunt inter se. falsum igitur est distinctionē numericam intra eamdem speciem sumi per ordinem ad solam materiam. Respondeo distinguendo maiorem: duæ gratiæ habituales &c. nullum dicunt ordinem ad materiam realiter sumptam, concedo: æquiualenter acceptam, nego maiorem; & concessa minore, distinguo consequens: falsum est distinctionem purè numericam sumi per ordinem ad solam materiam realiter sumptam, concedo; siue realiter siue æquiualenter acceptā, nego consequentiam; & dico quod duæ gratiæ habituales, seù duæ cognitiones eiusdē Angeli de eodem obiecto hoc *ipso*, quod sunt formæ receptibiles, iam dicunt ordinem ad materiam æquiualenter acceptam, quia subiectum, quod illás recipere debet, earum numericam pluralitatem exigit, atque adeo æquiualet in ordine ad illas materiæ primæ, ad cuius exigentiam formæ, quę in ea recipiendæ sunt numericè plurificantur.

Instabis ex eodem Arriaga: si nomine materiæ

teria, in ordine ad quam multiplicantur numericè formæ, veniret etiam subiectum spirituale: sequeretur quod etiam natura Angelica numericè multiplicari posset. Quod sic euincitur: materia in nostra sententia potest per sè ipsam numericè multiplicari. ergo, & natura Angelica, quæ per nos est materia in ordine ad accidētia. (Propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis) Respondeo negando sequelam, ad cuius probationē distinguo antecedens: materia realis, & propria potest numericè multiplicari, cōcedo; materia per æquiualentiam, nego antecedens, & consequentiam. Axioma autem illud (propter quod vnumquodque tale &c.) ad hoc vt habeat veritatem præsupponit quod id, secūdùm quod fit comparatio, tum in causa, tum in effectu reperiatur; quare ex multiplicabilitate numerica, quam exigit in formis suis accidentalibus natura specifica Angeli, non rectè colligitur multiplicabilitas numerica eiusdem naturæ specificæ: sicuti neque ex ebrietate, quam inducit vinum, in eos, qui liberalius bibunt, ebrietas ipsius vini.

Pro explicatione verò distinctionis traditæ notandum, materiam primam habere duo prædicata: Vnum est subiectum primum formarum, quas recipit: Alterum verò habere multiplicitatem partium homogenearū sub quantitate existentium, & inuicem separabilium; quamuis autem ratione vtriusque prædicati exigat formas eiusdem speciei, dicentes ordinem ad ipsam, numericè multiplicabiles: non tamen ipsa multiplicabilis est numericè, nisi ratione posterioris. Et ratio est, quia cum prædicata essentialia cuiuscumque rei per numericam multiplicabilitatem veluti materializentur, & quodammodo inficiantur; non nisi aliqua ratione coacti debemus eam illis tribuere. Per hoc autē quod vnum ex prædicatis materiæ primę sit esse primum subiectum formarum suarum, licèt imponatur necessitas informis eiusdem speciei, vt sint numericè multiplicabiles iuxta exigentiam sui subiecti: at non imponitur huiusmodi necessitas ipsi materiæ primæ, quia rectè potest intelligi, quod vnum idemque subiectum pro diuersis temporibus exigat modò vnam, modò aliam formam eiusdem speciei. Contra verò ratione posterioris prædicati, per quod dicit materia multiplicitatem partium eiusdem rationis sub quantitate existentium, & inuicem separabilium, importatur necessitas multiplicabilitatis numericæ nō solum in formis eiusdem essentiæ, quæ sæpè exigentur à dictis partibus, sed etiam in ipsa materia; implicat enim vnam materiam palmarem V. G. posse diuidi in duos semipalmos quin eius essentia fiat numericè multiplicabilis; duo enim illa segmenta non nisi numericè differre possunt. Quoniam vero Angeli habent rationem materiæ per æquiualentiam ex eo, quod sint primum subiectum formarum accidētalium, quibus perfici possunt, hinc fit, vt licèt imponant necessitatem numericæ multiplicationis in dictis formis: non tamen per hoc habent ipsi necessitatem, vt numericè sub vna specie multiplicentur. Atque hæc est conuenientia rei extensæ cum Angelo in ordine ad tribuēdam individuationem numericam suis formis, quam Arriaga *num. 4. disputationis 4. citata* putat inassignabilem; & carpit Granadum, qui cum appellaret angelum materiam in ordine ad indiuiduanda sua accidentia; postea tamen negat eum posse numericè multiplicari; neque aliquid idem auctor proficit contra eundem Granadum, dum addit eius doctrinam esse sibi contrariam, quia, cum docuerit distinctionem numericam formarum ab infima parte physica originem suam trahere: ait postea eam etiam sumi ab Angelo, qui est substantia omnium creatarum nobilissima; facile enim ab hac calumnia illum vēdico dicendo: quod ratio, cur sola materia prima assignetur pro radice multiplicationis numericè, rerum est, quia in ea relucet primos & principaliter exigentia dictæ multiplicitatis tū in sè, tum etiam in formis suis; In Angelis vero non nisi per similitudinem, & incomparationem ad illam.

SECTIO SEXTA.

Reliqua obiectiones solutæ.

OBijces quinto ex eodem Arriaga *num. 5.* & quidem principaliter, & à priori, vt ipse dicit: materia prima, seù quantitas per se ipsam sine respectu ad aliam materiam numero distinguitur, ac multiplicatur. ergo etiam Angelus sine vllo respectu ad materiam poterit numero distingui, & multiplicari. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas patet ex dictis, quia materia prima, & quantitas important essentialiter multiplicitatem partium homogenearum, quæ ne per absolutam quidem Dei potentiam potest stare sine earum multiplicabilitate numerica, quamuis enim hic numero palmus materiæ quantæ non possit diuidi in plures palmos numero inter sè distinctos: quia tamen idem numero palmus potuit creari à Deo in mole materiæ maiori, & maiori in infinitum; hinc fit vt possit dictus palmus habere infinita indiuidua sibi similia; At vero Angelus est essentialiter indiuisibilis, atque adeo incapax multiplicabilitatis, quæ ex diuisione quantitatiua procedit. Quoniam vero etiam si Cælum esset corpus simplex, vt nōnulli autumāt, adhuc esset in partes diuinitus diuisibile, ideo eadem foret ratio de illo, ac de materia nostrate quantum ad numericam multiplicabilitatem vt sis. 40

Obijcies sextò: si species Angelorū non essēt numero multiplicabiles, sequeretur, quod eorū vltimæ differentiæ essent sicuti nostræ singularitates. ergo sicuti natura humana à nostris singularitatibus abstracta est specifica: ita, & natura abstracta ab Angelorum differentijs erit etiam specifica. Respondeo distinguendo sequelam: eorum vltimæ differentiæ essent sicuti nostræ, singularitates quò ad incōmunicabilitatē concedo; quò ad materialitatem, nego sequelam, & consequentiam. Ratio est, quia nostræ singularitates sunt materiales, non afferentes nouum gradum entis, nec principium nouæ operationis. At verò vltimæ Angelorum differentiæ propter contrariam rationem sunt formales. Vnde fit, vt ratio communis à pluribus Angelis 41

Digitized by Google

abstracta sit generica: ratio verò communis abstracta à pluribus indiuiduis humanis sit specifica.

42 Objicies septimò: si indiuiduatio esset de essentia Angeli, nullum, in Angelo daretur accidens commune, sed omne esset proprium. Consequens est absurdum, nam loquutio, motus localis &c. in omnibus Angelis reperiuntur. ergo &c Sequela maioris probatur quia accidentia communia, per hoc differunt à proprijs, quod propria mediante specie competunt indiuiduo, sic ideo Bucephalus est hinnibilis, quia equus est hinnibilis, & non è contra: at verò communia mediante indiuiduo competunt speciei; Sic ideo equus currit quia Bucephalus currit, & non è contra. ergo si indiuiduatio esset de essentia naturæ iã accidentia communia immediatè conuenirent naturæ specificæ, & sic essent, & non essent communia.

Respondeo: diuisionem illam accidentis in commune, & proprium factam esse à Philosophis in ordine ad species numerice multiplicabiles: cæterum quædam accidentia quæ in Angelis habentur ratione generis, vt intelligere, velle, mouere sè &c. optime dici possunt communia, eo quod primò, & per sè dicantur de indiuiduo, & eo mediante de natura vniuersali quæ in casu nostro est generica. Rectè enim dicitur ideo Angelus intelligit, vel mouetur, quia Michael intelligit, vel mouetur, quidquid sit si intellectio, & motus Michaelis differunt specie ab intellectione, & motu Gabrielis; quædam verò alia accidentia, quæ sequuntur rationem speciei atomæ, ita sunt illi propria, vt etiam sint propria indiuiduo, & ideo non possunt competere primò, & per sè speciei, & ea mediante indiuiduo eius, eo quod eadem prorsus est in illis differentia specifica, ac indiuidualis in nostra sententia, quam tanquam probabiliorem sustinemus.

43 Objicies octauò: rerum essentiæ sunt inuariabiles; sed singularia vt talia, sunt mutabilitati obnexia. ergo nulla singularitas potest esse de essentia alicuius naturæ creatæ; alioqui eadé essentia esset variabilis, & inuariabilis. Confirmatur ex Scoto *in 2. dist. 3. qu. 7.* Quælibet essentia creata concipi potest sine contradictione abstracta ab omni singularitate, ergo nulla rei speciei essentialiter singularitatem; aliquam. Respondeo distinguendo maiorem: essentiæ rerum sunt inuariabiles quò ad connexionem prædicatorum, concedo, quo ad existentiam, nego; & sic distincta eodem modo minore, nego consequentiam. Ad probationem dico non solum rerum essentias, sed etiam earum indiuidua quo ad connexionem prædicatorum suorum esse inuariabilia; mutabilitatem autem verisque competere ratione existentiæ, quæ est prædicatum verisque contingens, quare ex hoc capite non repugnat singularitatem esse de essentia naturæ, eam toto tamen hoc singularia dicuntur mutabilitati obnexia. non autem essentia, quia actiones, & passiones non nisi circa singularia exercentur. Ad confirmationem nego antecedens vniuersaliter, essentia enim creata quæ essentialiter indiuiduum non habet imbibitam implicat contradictionem quod sine indiuiduatione adæquatè concipiatur.

Instabis: impossibile est, vt existentia sit naturæ Angelicæ contingens, & non sit contingens id, ratione cuius ipsa existentia conuenit dictæ naturæ. sed indiuiduatio est id, ratione cuius Angelicæ naturæ conuenit existentia. ergo impossibile, est quod indiuiduatio competat illi essentialiter. Respondeo negando maiorem; siquidem actualis risus est quid contingens respectu hominis, & tamen competit illi ratione risibilitatis, quæ conuenit homini in secundo modo dicendi per sè; non est igitur cur indiuiduatio non possit competere Angelo in primo modo dicendi per sè, licèt existentia, quæ illam supponit, conueniat eidem per accidens, cum præsertim non profluat ex eius principijs intrinsecis, sed causetur illi ab extrinseco contingenter.

Objicies nonò: ordo ad materiam non solum 44
est de ratione indiuiduali, sed etiam de generica, atque specifica rerum materialium; & tamen inde nõ fit, vt in rebus spiritualibus ratio generica, & specifica siue benè per ordinẽ ad materiã. ergo nequeret quod in ijsdẽ ratio indiuidualis multiplicabilis esse debeat per ordinem ad materiam. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est quia ordo ad materiam, qui reperitur in ratione generica, & specifica rerum materialium, licèt pertineat essentialiter ad eam rationem vt talem, non tamen pertinet essentialiter ad eam, quatenus generica est, & specifica vt sic. Nam ratio generica, vt sic constituitur per hoc, quod sit vlterius perfectibilis per vlteriorem rationem, quæ afferat illi nouum gradum entis, & nouæ operationis principium; ratio verò specifica per hoc, quod ipsa sit hic nouus gradus entis, nouæque operationis principium. Contra verò ratio indiuidualis multiplicabilis est id, cuius beneficio natura specifica redditur *multiplex; quare nisi* desumatur per ordinem ad *materiam, nihil* rẽstat assignandum vnde *desumi* possit.

Objicies decimò; quando dicimus quod per 45
ordinẽ ad materiam indiuiduorum multiplicitas desumatur, non potest esse sermo de ordine vt sic, quia hic est de ratione generica rei materialis neque de ordine tali quo ad speciẽ, quia hic est de ratione specifica; & sic neuter potest distinguere numericè indiuidua materialia. ergo loqui debemus de ordine tali quo ad numerum. Sed hoc est impossibile, quia non est prius hic numero ordo ad materiam primam, quam hic numero res materialis, in qua est dictus ordo. ergo &c.

Respondeo negando antecedens quo ad veram que partem; dico enim, quod quando asserimur indiuiduorum multiplicitatem sumi per ordinem ad materiam, propriè sermo sit de ordine generico, & specifico, ratione cuius essentia illa constituitur materialis atque corporea. Ad rationem in contrarium, in qua dicitur non posse distinguere numericè indiuidua materialia dico eam verum esse, si loquamur formaliter, falsam verò si radicaliter. Porrò Aduersarij in hoc quoque decipiuntur, quod existiment

Digitized by Google

si mens nos asserere ipsum ordinem ad materiã constituere formaliter indiuiduationes puras rerum materialium: cum nos dicamus eas constituere radicaliter, per hoc scilicet quod hoc ipso quod aliqua essentia secundùm genus, seu speciem suam dicat ordinem ad materiam, exigit habere plura indiuidua possibilia, in quibus existere possit. Horum autem indiuiduationes, vt videtis, radicaliter sumuntur ab ordine; formaliter verò non habent vnde desumantur, quia forma non fit talis per aliam formam, sed per sè ipsam formaliter.

46 Obijcies vndecimò: potius diuina Omnipotentia est amplianda quam restringenda; sed dicendo Deũ non posse plures Angelos sub eadẽ specie infima producere, restringimus diuinam Omnipotentiam. ergo &c. Respondeo *sectione secunda huius disputationis ad quartum* me dixisse Axioma, quod in maiore assumitur, habere veritatem, quoties sunt cætera paria, quare; licèt nos dicendo non posse Deum sub eadem specie infima plures Angelos solo numero distinctos creare, restringamus diuinam Omnipotentiam: contra vero Aduersarij illam dilatent: quia tamen non sunt nobis cætera paria cum illis, eo quod rationem assignamus huius numericæ immultiplicabilitatis: non vero illi multiplicabilitatis suæ; ideo non peccamus contra commune Axioma; sicuti neque dum negamus Deum posse conseruare modum sine re, cuius est modus, dum huius dicti rationem adducimus. Nunc autem addo, falsum esse absolutè minorem argumenti: aio enim nos in hoc diuinam Omnipotentiam ampliare: contra vero Aduersarios illã restringere; Quod sic ostenditur aliqui primò: tunc diuina Omnipotentia ampliatur, quando conceditur illi aliquod maius, in quo magis eius virtus appareat; sed maius est posse producere species Angelicas ita perfectas, ac determinatas, vt nequeant vlterius determinari, atque compleri per plures indiuiduationes, quam posse illas producere vlterius determinabiles, atque complebiles; & magis diuina virtus ostenditur in dictis speciebus priori modo formandis, quam posteriori. ergo qui dicunt species Angelicas esse numero immultiplicabiles, magis diuinam Omnipotentiam dilatant, & qui eas multiplicabiles constituunt, magis restringunt. Maior, & Consequentia huius videntur certa. Minor verò probatur, tum quia perfectio speciei est formalis, atque adeò magis æstimabilis, quam numerica multiplicabilitas, quæ in eius comparatione remittit esse materialis: tum etiam quia species Angelicæ per hoc, quod sint immultiplicabiles numero, magis participant de diuina natura, quæ ita omnem numericam multiplicabilitatem in ratione naturæ à se excludit, vt propriam indiuiduationem tanquam prædicatum sibi essentiale includat, per quod remouet ab ea omnem materialitatem, reddítque illam omni ex parte formalem. ergo magis est posse producere species Angelicas immultiplicabiles, magisque in hoc Diuina Omnipotentia ostenditur, ac dilatatur, quam si posset multiplicabiles.

47 Verùm ego hoc idem in hunc fere modum suaderem secundò. Qui dicunt species Angelicas esse immultiplicabiles, ex vna parte non ponunt indiuidua Angelorum possibilia pauciora, quam Aduersarij, sed æqualia in numero, & ex alia sustinent ea omnia non solo numero, sed etiam specie inter sè differre. ergo Diuinam Omnipotentiam dilatant, eamque Aduersarij restringunt. hæc consequentia est euidens, quia cæteris paribus diuersitas essentialis creaturarũ possibilium, vt potè formalis, magis Diuinam Omnipotentiam extollit, quam sola numerica; quemadmodum enim minus æstimandus esset pictor, qui solos homines depingere sciret; & minor Diuina Omnipotentia, si solos Angelos numero distinctos creare posset: ita multo maior censenda esset, cæteris paribus, si quotquot creare posset specie distinguerentur, quàm si multi ex eis solo numero differrent. Antecedens verò euincitur: quia nos qui Angelorum numericam immultiplicabilitatem tuemur, recte dicere possumus: quotquot Angelos possibiles ponunt Aduersarij, nos etiam ponere, cum hoc tamen discrimine, quod aduersarij dicant quamlibet eorum differentiam numericam esse solum indiuidualem, & totaliter extra eorum essentiam: nos vero asseramus esse etiam specificam, quia putamus eam semper nouum gradum entis, nouæque operationis principium constituere. Vnde fit vt gradus illos quos Aduersarij dicunt esse specificos, & minimè vlterius formabiles nos teneamus esse genericos, & vlterius essentialiter perfectibiles. Concedere autem Diuinæ Omnipotentiæ hanc latitudinem, quis neget esse eam magis dilatare, & illam negare, restringere? hinc est vt quando dicimus Deum non posse facere plures Angelos solo numero differentes, modus hic loquẽdi quamuis grammaticaliter, & oretenus impotentiam sonet: philosophicè tamen, & rè vera multo maiorem significet potentiam, quam oppositus modus, quem vsurpant Aduersarij, asserentes Deum Angelos solo numero distinctos posse creare? sic sè habent similes loquẽdi modi: Deus non potest peccare, non potest mori, non potest animam rationalem in plures partes diuidere, cõparati cum his alijs: Deus potest peccare, potest mori, potest animam rationalem diuidere; priores enim potentiam in Deo, & posteriores impotentiam in rei veritate significant. Reliqua ab antiquioribus obiecta vide apud Fr. Modestum à Santo Gregorio Carmelitã discalceatũ *in suo 1 tract. Theolog. dis. 4. princ. §. 6. à num. 261. ad 291. & ad eadem soluta à num. 328. ad 396.*

SECTIO SEPTIMA.

Quid senserit D. Th. de Angelorum immultiplicabilitate numerica.

48 VNica Cœlestini sententia Doctoris Angelici semper fuit species Angelicas esse essentialiter numericè immultiplicabiles. Est contra nonnullos qui dicunt illum in hac materia parcè locutum esse, atque adeò de eius auctoritate non esse curandum: nec etiam contra nos existimare eam de recto sensu de lege ordinaria

Digitized by Google

dinaria negasse plures Angelos solo numero distinctos, nō autem de possibili, & per absolutam Dei potentiam.

Probatur assertio asserendo aliquos textus S.D. ex quibus eius mens circa hoc punctum aperte declaratur; nam *prima par. quæst. 75. art. 7. in corp.* in substantijs, inquit, in corporeis non potest esse diuersitas secundum numerum absque diuersitate secundum speciem. Præterea *de spiritualibus creaturis art. 8.* Impossibile, inquit, est fingere plures Angelos vnius speciei. *& ibidē circa finem*: hanc, ait, perfectionem in Angelis inueniri, vt vni indiuiduo nihil desit eorū, quæ ad totam speciem pertinent, & vt tota natura specifica sub vno indiuiduo claudatur. Vtrumque autem falsum esset, nisi omnis species angelica esset immultiplicabilis. Primum quia vni indiuiduo deessent cæteræ indiuiduationes, quę ad totam speciem pertinerent. Secundum, quia iam natura specifica extendi posset ad alia indiuidua, sicuti nostra. Tertio. *1. p. q. 13. art. 9.* docet, quod formæ subsistētes, quales sūt Angeli, si intelligantur secundum quod sunt in se ipsis nō possunt pluribus communicari, neque re, neque ratione, sed solum per similitudinem, sicuti dictum est de indiuiduis, quæ neque in apprehensione participari possunt à pluribus, sed solum per similitudinem, & veluti metaphoricè, vt cū Petrum V.G. appello Herculem propter fortitudinem, vbi nisi compararet naturam angelicā specificam cum cæteris indiuiduis, nihil noui de Angelis diceret. Denique *lib 2. metaph. sect. 11.* post quam docuit in substantijs materialibus non esse idem quod quid erat esse, & id cuius est, (hoc est vt ipsemet explicat non esse idem essentiam, & indiuiduum quod habet essentiam.) in fine sic concludit: substantiæ vero, quæ sunt formæ tantum subsistentes, non habent aliquid, per quod indiuiduentur, quod sit extra rationē speciei significantem quidquid est, & ideo in illis simpliciter verum est quod quælibet illarū est suum quod quid erat esse.

49 Sunt Nonnulli, inter quos Ægidius Romanus *quodlib. 2. qu. 2.* Ferrariēsis *2. contra g. cap. 93.* Capreolus *2. dist 3. art. 3.* & alij qui asserunt quod licet non implicet contradictionem species angelicas posse multiplicari numericè; de facto tamen iuxta ordinem naturæ factum esse, vt quotquot creati sunt, differant specie. Iuxta quorum opinionem respondent aliqui ad auctoritates D.T. eum locutum esse de lege ordinaria, cum quo stat, quod de absoluta Dei potentia species angelicæ sint numero multiplicabiles.

Sed contra est: quia hæc explicatio magnam infert, vim locis assignatis, vt patet discurrenti per singulos. Infert enim vim primo loco ex prima parte deprompto, quia ibi negatur Angelis diuersitas solum numerica eo, quia hæc habetur per ordinem ad materiam, sic enim subditur (quia cum non sint compositæ ex materia, & forma, sed sint formæ subsistentes: manifestū est, quod necesse erit in eis esse diuersitatem in specie) Atqui implicat de potentia absoluta Angelos dicere ordinem ad materiam. ergo &c. Secundo vero loco, quia iam indiuiduo de esset quæ ad totā speciem pertinent, & hæc non esset clausa in vno indiuiduo; tertio autem, quia ibi illa immultiplicabilitas datur naturæ Michaelis V. G. quæ est propria indiuidui, sed hæc est etiā in ordine ad Diuinam Omnipotentiā. ergo &c. Quarto denique loco, quia sufficit quod Angeli vnius speciei sint de potentia absoluta multiplicabiles ad verificandum quod habeant aliquid, per quod indiuiduentur, quod sit extra rationē speciei. sed hoc est expresse contra auctoritatem illam. ergo &c.

Obijcies primò D.T. *3. p. q. 2. art. 2.* ait quod in rebus quibusdam subsistentibus inuenitur aliquid non pertinens ad naturam speciei, ideſt accidentia, & principia indiuiduantia, & maximè in ijs, quæ sunt composita ex materia, & forma. tum sic: nisi inter res subsistentes, in quibus principia indiuiduationis non pertinent ad naturam speciei, connumeraret Angelos S. Doctor, frustra apposuisset particulam illam (maximè) cum præsertim ibi solum Deum expresse excipiat. ergo in eius sententia indiuiduatio Angelorum non pertinet essentialiter ad naturam eorum. 50

Respondeo, præter res subsistentes compositas ex materia, & forma dari etiam animas rationales extra corpus, quarum principia indiuiduantia certum est non pertinere ad naturam speciei. quoniam verò hoc clarius patet in ipsis compositis, quatenus constāt materia, ideo S.D. apposuit, particulam illam (maximè) Quare ad argumentum nego *antecedens*.

Obijcies secundo: *idem ibidem art. 3. ad tertiū* ait: In rebus creatis res singulares non poni in genere vel specie ratione eius, quod ad earum indiuiduationem pertinet, sed ratione naturæ. sed hoc falsum esset in Angelis, hoc ipso quod eorum indiuiduatio ad eorum naturam pertineret. ergo &c. 51

Respondeo concessa maiore, negando minorem; & dico quod licèt in Angelis *differentia* specifica, & indiuidualis sit eadem *formalissimè*, differunt tamen secundùm *implicitum*, & explicitum; vt specifica enim concipitur quatenus contractiua generis, & cōstitutiua speciei: vt indiuidualis verò, quatenus reddit naturam numericè incommunicabilem. Quo posito, aio sensum D.T. esse vltimā Angeli differentiā ponere Angelum in specie, quatenus explicitè æquiualet nostræ specificæ, & non nostræ *indiuiduali*.

Obijcies tertiò: idem *in 1. dist. 34 quæst. 1. art. 1.* hæc habet: In illis, in quibus alia est essentia, quam hypostasis, oportere quod sit aliquid materiale per quod natura communis indiuiduetur. Vnde illam determinationem materiæ vel alicuius, quod loco materiæ se habet, addit in creaturis hypostasis *supra* essentiam. Tum sic: suppositum in creatis addit aliquid materiale, per quod natura cōmunis indiuiduetur. sed hoc nequit esse nisi multiplex differentia indiuidualis. ergo etiā in Angelis habetur multiplex differentia indiuidualis determinans naturam communem. 52

Respondeo ex D.T. *1. p. qu. 29. art. 1.* & alibi, duplicem dari indiuiduationem: vna est transcendentalis, per quam natura vniuersalis determi-

Digitized by Google

natura, & redditur incommunicabilis alteri tamquam indiuiduo eiusdem naturæ. Altera specialis, & propria substantiæ, per quam natura substantialis redditur incommunicabilis alteri tamquam supposito. Vndè Boetius *lib. de duabus naturis* personam definiuit esse rationalis naturæ indiuiduam substantiam. Quò posito aio, in verbis citatis velle solũ S. D. quod in substantijs creatis in, quibus essentia est distincta realiter ab hypostasi, necesse est vt natura quantumuis essentialiter indiuidua indiuiduatione transcendentali habeat aliquam communitatem, beneficio cuius, saltem miraculosè possit subsistere vel in hac, vel in illa hypostasi, quæ cum se habeat vt determinatiuum, & plurificatiuum eiusdem naturæ, meritò dicitur à D. T. habere rationem materiæ, vel eius, quod loco materiæ se habet, eò quod in ordine ad has multiplices hypostases multiplicem indiuiduationem specialiter sumptam quælibet natura creata habere posse conuincitur.

Obijcies quartò: idem *Opus. 16. contra Auerroistas* eorum argumenta soluere incipiens: Valdè inquit ruditer argumentantur ad ostendendum, quod Deus facere non possit, quod sint multi intellectus eiusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem; nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicuius, quod tamen habeat illud ex alia causa. Quid clarius pro Aduersarijs? Vndè est, quod ex dictis verbis colligit Suarez sententiam de Angelorum immultiplicabilitate numerica in ordine ad diuinam potentiam non solùm falsam esse, sed etiam valdè rudem ac proinde improbabilem Diuum Thomam existimasse.

Responder Granadus *loco citato numero 16.* S. D. loqui contra Auerroistas, qui negabant posse dari plures intellectus, seù; quod idem est, diuersas animas rationales eiusdem speciei in diuersis hominibus, vt patet ex eorum obiectione, ad quam ipse verbis citatis respondet: nos autem non negare numericam animarum pluralitatem, sed Angelorum.

Sed contra hanc explicationem facit, quia de illo intellectu videtur loqui D. T. *loco citato* quem ponebat Auerroes esse formam assistentem, & non informantem, & de hoc loquendo infert, quod licèt non esset naturaliter multiplicabilis, foret tamen multiplicabilis diuinitus, quod de anima rationali dici nequit, nam hac de lege ordinaria multiplicatur defactò.

Respondeo igitur, quod licèt Auuerroes posuerit suum vniuersalem intellectum formam assistentem, & non informantem: voluit tamen eum habere aliquem ordinem ad materiam ratione cuiusdam continuationis, quam dicebat illum habere cum phantasmatibus, quatenus erat illis affixus, & ab ijsdem intelligendo pendens; vt testatur S. D. *eodem opusculo, & de spiritualibus creaturis art. 9. in quartum* ex hoc autem ordine benè sequitur, quod secundùm se dictus intellectus multiplicabilis quidem esset numericè, at non statim euincitur, quod multiplicabilis esset naturaliter, hoc enim ex alijs capitibus pendet: Quare comparata essentia huius intellectus ad totum ordinem vniuersi, potius putandus esset de lege ordinaria immultiplicabilis numericè, eo quod vniuersale bonum vniuersi ordinat multiplicationem indiuiduorum potissimum ad conseruationem speciei, vt docet Aristoteles *secundo de anima tex. 34. & 35.* Auerroes autem ponebat dictum intellectum incorruptibilem, & sufficientem ad discurrendum per assistentiam in omnibus, & singulis hominibus. Rectè igitur intulit D. T. contra illum valdè ruditer argumentatum esse, dum docuit, quod intellectus ille, qui, ratione incorruptibilitatis, immultiplicabilis erat naturaliter, sic etiam supernaturaliter esse debuerit; quia ratione ordinis, quem in eius sententia dicebat ad materiam, de se multiplicabilis erat numericè, saltem diuinitus.



DIS-

DISPVTATIO QVADRAGESIMA QVINTA

DE VERO.

VErum importat tamquam formam denominantem ipsam veritatem, quæ duplex est, altera formalis, & dicitur veritas in cognoscendo, ad quam reducitur veritas in significando; Altera verò entitativa, quæ appellatur veritas in essendo; prior reperitur primò, & per se in cognitione, de qua fusè egimus in libris de anima: posterior se tenet ex parte obiecti cognitionis, atque adeò ab omni eo, quod est cognoscibile participatur, & hæc est veritas transcendentalis, ac metaphysica, de qua nobis in præsentiarum sermo est.

SECTIO PRIMA.

Quid sit veritas transcendentalis.

VNica Conclusio: *Veritas transcendentalis est conformitas rei cum intellectu perfectè cognoscente.* Vndè est, quod verum, de quo quærimus, rectè definiatur, ens habens conformitatem cum intellectu perfectè cognoscente.

Explicatur Conclusio: dicitur primo (conformitas rei) duplex autem est conformitas, altera in essendo: altera in repræsentando. In essendo quando res est eiusdem essentiæ cum eo, cui dicitur esse conformis; in repræsentando autem quando intentionalitas tantum, & expressiua illi assimilatur. Rursus hæc conformitas in repræsentando dupliciter se habere potest: primò per modum aptitudinis ad intellectum perfectè cognoscentem: secundò permodum actualis confirmationis cum eodem intellectu actu cognoscente. Quamuis autem veritas transcendentalis consistat in conformitate in repræsentando tantum, & non in essendo cum intellectu: probabiliter tamen dici potest, quod tum in actuali, tum etiam in aptitudinali consistat; *in actuali* quidem ex parte intellectus diuini, qui necessario omnia entia semper perfectissimè cognoscit: in aptitudinali verò ex parte intellectus creati, qui cum non sit ens simpliciter necessarium, neque quo ad esse, neque quo ad operari, potest non cognoscere actu entia: in quo casu aptitudinaliter tantum, & non actualiter ei erunt illa conformia. Neque dicas quod etiam si per impossibile Deus non esset intelligens, adhuc ens esset verum, & tamen non conformaretur actualiter intellectui diuino: non id dicas, inquam, quia attributa non est necesse, vt competant enti, facta quacumque suppositione impossibili. Quare si per impossibile supponeres non dari negationem diuisionis, neque veritatem haberes. Linquo, quod facta hac suppositione dici debet veritatem consistere in aptitudinali conformitate tantum, & non in actuali.

Dicitur secundo (cum intellectu perfectè cognoscente) siue demum increatus sit, siue creatus, dummodo sit perfectè cognoscitiuus; si enim falli potest, tam id, quod re vera est tale, potest ei non esse cõforme: quam id, quod solum apparenter, & falsò tale est, eidem conformari potest. Vt si quis existimaret essentiam hominis esse V. G. animal bimanibile, cum profecto huic cognitioni non conformaretur verus homo, sed equus, qui si supponeretur habere aliquam cum vero homine in aliquo habitu similitudinem, solùm apparenter, & falsò talis esset. Conclusio autem sic explicata.

Probatur: quia veritas formalis consistit in conformitate, quam habet intellectus cum obiecto, non prout se habet in statu obiectiuo, sed prout est in statu *realis*: ergo & veritas entitativa, seu obiectiua esse debet in conformitate, quam habet res cum intellectu, non quomodocumque, sed perfectè cognoscente res, ficuti sunt in se, & habente verum cuiuscumque essentiæ conceptum. Confirmatur: quia in quæstione, quid res sit, ad probandum, quod re vera sit talis, qualem cognoscimus, vti solemus definitione *illius rei*; definitio autem nihil aliud est, quam cognitio recta, atque perfecta, quam habemus de tali re, & sic ad probandum, quod Petrus sit verè homo, vtimur definitione hominis. Res igitur sunt veræ per hoc, quod conformentur intellectui perfectè cognoscenti.

Obijcies primò: Entia rationis habent conformitatem cum intellectu perfectè cognoscẽte, & tamen non habent veritatem; ergo veritas non consistit in conformitate cum intellectu perfectè cognoscente. Consequentia patet. Antecedens verò probatur quo ad priorem partem: quia quando intellectus aliquis cognoscit Chimæram; Chimæra conformatur conceptui formali, qui tunc de illa à cognoscente formatur. Quo ad posteriorem verò par-

Digitized by Google

tem est euidens; veritas enim per nos est passio entis, & per consequens soli enti competat necesse est.

Respondeo, distinguendo antecedens quo ad priorem partem: entia rationis habent conformitatem primò, & per se cum intellectu perfectè cognoscente, nego: secundariò, & per accidens concedo; & concessa posteriore parte, nego consequentiam. Ad prioris autem probationem dico, quod conformitas obiecti cũ intellectu sequitur cognoscibilitatem eiusdem obiecti; quia verò ens reale est id, quod primo, & per se cognoscibile est, id circo ei primò, & per se competit esse conformabile cum intellectu. At entia rationis non nisi secundariò, & per accidens, quemadmodum etiam secundariò, & per accidens cognoscibile est ab intellectu. Iam verò passio entis est veritas illa, quæ consistit in conformitate per se, & primaria.

5 Obijcies secundò: intellectus perfectè cognoscens, supponit veritatem in rebus; ergo veritas non consistit in conformitate cum huiusmodi intellectu. Consequentia est bona. Antecedens probatur, quia omnis cognitio supponit suum obiectum esse:

Respondeo distinguendo antecedens: Intellectus perfectè cognoscens supponit veritatem fundamentaliter sumptam in rebus, concedo antecedens; supponit veritatem sumptam formaliter, nego antecedens, & consequentiam; Et ad probationem dico cognitionem supponere suum obiectum esse secundum eam rationem secundum, quam habet rationem obiecti, entia autem realia sunt obiectum intellectus, non prout formaliter vera sunt, sed tantummodo in quantum vera sunt fundamentaliter.

Instabis: transcendentalis veritas formaliter sumpta est prior veritate, quæ dicitur formalis, scilicet in cognoscendo, & reperitur in intellectu perfectè cognoscente. ergo nulla distinctio. Antecedens probatur dupliciter, primò, quia valet argumentari à veritate formali ad transcendentalem, non autem è contra; valet enim dicere: Hoc ens habet veritatem formalem; ergo habet veritatem transcendentalem. non autem valet: Habet transcendentalem: ergo, & formalem. Ex quo patet veritatem transcẽdentalẽ esse priorem in subsistendi consequentia veritate formali. Secundò verò, quia veritas transcẽdentalis est passio communissima entis vt sic, & per consequens debet antecedere ad quodcumque accidens competere rebus. Porrò veritas formalis est accidens intellectus, vt de se est manifestum.

Respondeo negando antecedens: Ad priorem autem eius probationem, dico eam, si quid euincere, probare solùm veritatem transcendentalem esse priorem veritate formali secũdùm aliquam rationem peculiarem, scilicet in subsistendi consequentia; per hoc autem non tollitur veritatem formalem secundùm aliam rationem esse illa priorem, quatenus scilicet est id, in ordine ad quod ipsa transcendentalis veritas explicatur. Ad posteriorem verò, nego veritatem formalem respectu cuiuscumque intellectus se habere vt accidens. manifestum siquidem est esse de essentia intellectus diuini, & per consequens ipsius met Dei. Quoniam verò etiam si res ita se habeat, tamen argumentum videtur adhuc habere posse vim, & intendere, quod sicuti ens, ita passiones entis debent competere rebus antecedenter ad constitutionem earumdem secundùm proprias rationes: ideò ad hoc respondeo negando paritatem ab entis ratione desumptam. Disparitas est, quia ens in sua adæquata constitutione secundũ id, quod dicit explicitè, non potest dependere ab aliquo ente in particulari secundùm propriam essentiam explicitè considerato: benè tamen possunt aliqua eius attributa, cuiusmodi sunt veritas, & bonitas. 9

Obijcies tertiò: veritas, quæ est in intellectu perfecto, diciturque formalis, explicatur per ordinem ad veritatem entitatiuam, seù transcendentalem, vt patet ex eo, quod cõmuniter dicitur: quod ex eo quod res est, vel non est, ò ratio est vera, vel falsa. ergo veritas transcendentalis malè explicatur per ordinem ad intellectum pefectè cognoscentem. Consequentia patet, quia sic committeretur circulus vitiosus.

Respondeo, distinguendo antecedens: veritas formalis explicatur per ordiuem ad veritatem entitatiuam fundamentaliter sumptã, concedo Antecedens, sumptam formaliter: nego antecedens, & consequentiam; quamuis enim veritas transcendẽralis formaliter sũpta per ordinem ad formalem intellectus veritatem sumatur, tamen hæc formalis intellectus veritas explicatur, & sumitur per ordinem ad ipsam veritatem transcendentalem fundamentaliter acceptam, scilicet per ordinem ad ipsum ens. Ex quo constat nullum á nobis committi circulũ vitiosum. Quod si de veritate transcendentali, quæ in cognitione ipsa reperitur, sit sermo, aio eam, sicuti veritates ceteras, consistere in conformitate cum cognitione non errante, & indicante, quod cognitio illa habeat omnia requisita ad essentiá cognitionis. Porrò hanc veritarem habet omnis cognitio etiam falsa, quia hæc licet non sit conformis cognitioni diuinæ in ratione veri veritate formali, quia non conformatur obiecto; est tamen illi conformis in ratione veri transcendentaliter.

Instabis: si veritas consisteret in conformitate cum cognitione, in cognitionibus daretur processus in infinitũ: Semper n. deberet assignari alia cognitio, cui cõformaretur illa cognitio, de qua loquimur, ad hoc vt esset vera.

Respondeo negando sequelam; omnis enim cognitio creata habet, quod sit vera per hoc, quod Diuinæ cognitioni conformatur: Diuina verò cognitio per hoc, quod sibi ipsi sit conformis; cum enim ex vna parte sit virtualiter reflexiua supra se ipsam, & ex alia sit prima regula veritatis, non debet aliundè sumere veritatem suam.

SECTIO SECVNDA.

Quid importet Verum de formali.

EX dictis constat rationem Veri consistere in conformitate, quam dicit ens cum intellectu perfectè cognoscente; sed adhuc videndum restat in quo nam formaliter ista conformitas posita sit. Pro qua rè sit.

7 Prima Conclusio: Verum supra ens non addit intrinsecè aliquid positiuum, siuè rè, siuè ratione distinctum ab ente. Est Suarij, & aliorum communiter.

Probatur autem, quia positiuum hoc iam esset ens, & per consequens esset verum. Tum est argumentum: vel hoc ens verum est se ipso, vel per aliquam aliam rationem positiuam illi superadditam. secundum dici non potest, nè procedamus in infinitum. ergo primum. sicuti igitur hoc positiuum se ipso potest veri rationem habere, ita etiam eam habere poterit ipsum ens.

8 Secunda Conclusio: Verum supra ens neque negationem addit, neque relationem rationis. Probatur primò quantum ad priorem partem, quia si negationem aliquam adderet, maximè negationem entis ficti, vt asserunt meliores huius sententiæ auctores. sed hoc dici nequit. ergo &c. Minor probatur, quia fictio se habet vti priuatio, veritas autem vt forma; iam verò licèt priuatio rectè explicetur per formam: forma tamen non benè per priuationem explicatur. Sicuti igitur si quis diceret, lucem esse illã, quæ negationem tenebrarum importat, sensus esset: lucem esse lucem: duæ liquidem negationes affirmant; ita qui dicit Verum esse id, quod negationem habet entis ficti; cum enim ens fictũ idem sit ac ens non verum, sensus erit Verum esse id, quod Verum est, & sic idem per idem explicaretur. falsum igitur est Verum fictionis negationem importare. Confirmatur, quia verum sumptum pro eo, quod negationem apparentis importat, necessariò conformitatem cum intellectu perfectè cognoscente præsupponit. ergo saltem non est vna ex primis tribus passionibus. Probo antecedens, nam quando dico: Aurum hoc est verum aurum quia non est apparens tantum: intelligo quod præter apparentiam habeat etiam essentiam, ad quam significandam vox illa (Aurum) imposita est. ergo negatio illa supponit Auri essentiam cogitam, imò denominatam à cognitione illam cognoscente sicuti oportet. Vide Arriagam *disput. prima Metaph sect. 5. à num.* 102. benè hoc, quod dicimus, explicantem.

Probatur secundò Conclusio quantum ad posteriorem partem, quia ens antecedenter ad quamcumque fictionem nostri intellectus, verum est: & si per impossibile nullus intellectus relationes rationis formaret, adhuc entia per conformitatem ad intellectum veri rationem haberent. ergo Verum non addit supra ens relationem rationis.

Obijcies tamen contra hoc, quod dicimus: 9
Verum supra ens addit conformitatem; sed conformitas relationem rationis importat. ergo verum supra ens addit relationem rationis. Minor probatur, quia quoties nos intelligimus aliquid habere pertinentiam, & connexionem cum alio, huiusmodi pertinentiam atque connexionem per modum cuiusdã relationis concipimus; sed conformitas est aliqualis pertinentia atque connexio. ergo intelligenda est per modũ relationis, & per consequens relationem rationis importat.

Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem: quoties intelligimus aliquid habere pertinentiam, & connexionem cum alio, dictam pertinentiam atque connexionem per modum cuiusdam relationis concipimus, ita vt hæc relatio se teneat ex parte rei conceptæ, nego: ita vt se teneat ex parte nostri modi imperfectè concipiendi, concedo maiorem; & concessa minore: distinguo eadem modo consequens. ex qua distinctione solum sequitur, conformitatem, quam addit verum supra ens, ex nostro modo imperfecto concipiendi importare relationem rationis: ex se autem esse quid ab illa absolutum.

Tertia Conclusio: Verum supra ens addit 10
solum extrinsecam connotationem ad intellectum perfectum; quare in recto dicit ipsum ens, in obliquo autem connotat intellectum perfectè cognoscentem, cui tale ens, vel actu conformatur, si cognoscitur, vel potentia, quando scilicet cognoscetur. Ex quo sequitur, conformitatem cum intellectu perfecto, in qua ratio veri posita est, esse ens connotatiuum, dicens in recto entitatem, & in obliquo intellectus perfecti cognitionem, vel actualem, vel potentialem, per quam talis entitas repræsentatur pro vt est in se. Videtur esse contra Vasquez *prima parte disp. 33.* existimantem per eamdem veritatem *formalem* seù in cognoscendo, quæ est in *intellectu*, denominari intrinsecè quidem *cognitionem* veram, extrinsecè autem, atque causaliter ipsum ens, quatenus est causa cognitionis veræ. Sed nostra sententia defenditur à P. Suarez *loco cit.* & alijs communiter.

Probatur autem, quia transcendentalis veritas cum sit entis attributum, addere debet aliquid supra ipsum ens, sed non potest addere aliquid intrinsecum, siuè reale, siuè rationis, vt supra vidimus. ergo debet addere aliquod extrinsecè connotatum; sed hoc nequit esse aliud, quam intellectus perfectè cognoscens. ergo &c. Quod autem huiusmodi intellectus non se habeat vt forma extrinsecè denominans ipsum ens verum, sed vt merum extrinsecum connotatum, probatur est absurdis, quæ aliàs sequerentur. Si enim esset denominatio extrinseca, sequeretur primò, quod æquè posset enti, & nõ enti ratio veritatis cõpetere, sicuti æquè vtrique competit esse cognitũ quatenus ad hoc, quod per denominationẽ extrinsecã importatur. Secundò, quod veritas in omnibus entibus esset æqualis con-

Digitized by Google

contra Aristotelem 2. *met. text.* 4. dicentem, vt secundùm esse vnumquodque sè habet, ita etiam secundùm veritatem : quibus verbis significat veritatem iuxta diuersos gradus perfectionis entium diuersitatem in eisdem entibus habere. Tertiò denique sequeretur, quod veritas formalis intellectus deberet esse denominatio extrinseca à veritate obiecti eiusdem intellectus desumpta, non enim est maior ratio de vna quam de alia, atqui hoc est manifestè falsum, siquidem formalis veritas est ipsa entitas cognitionis, quatenus connotat obiectum suum ita sè habere à parte rei quemadmodum à se representatur. ergo &c. Ex quibus sequitur falsum esse sententiam Hurtadi §. 21. existimantis veritatem non esse passionem entis, sed verum; nàm veritas supra ens addit connotationem intellectus perfectè cognoscentis, si igitur veritas non est passio entis; ergo erit passio ipsum ens formalissimè sumptum, quod repugnat.

Obijcies primò: Verum supra ens adderet connotationem ad intellectum perfectum, vel connotaret huiusmodi intellectum tamquam sui causam atque mensuram : vel connotaret illum tanquam ab eo mensuratum atque causatum; neutrum dici potest. ergo &c. Sequela videtur certa: quia dupliciter intellectus sè habere potest ad rem intellectam, primo speculatiuè quatenus illam tantummodo exprimit per suam cognitionem, quæ quidem cognitio cum sit imago sui obiecti, ab eo causatur, & regulatur. Secundò practicè, quatenus est regula, & Idæa, cui res intellecta conformatur, vt mensuratum suæ mensuræ. *Minor* verò probatur, quia non potest dici, quod verum connotet intellectum tamquam causam atque mensuram, siquidem Deus est verus, & tamen neq; ad sui neq; ad aliena cognitionem comparatur tamquam mensuratum ad mensurã vt docet D. Thomas *quæst. 1. de veritate art. 3. & 2. par. quæst. 16. art. 5.* quinimò ipse Deus est aliquo modo sua propria cognitionis mensura, in quantum essentialiter habet vt sit cognoscens. Neque dici potest, quod verum connotet intellectum tamquam à sè mensuratum, atque causatum, siquidem res per ordinem ad diuinam cognitionem maximè dicuntur veræ, & tamen respectu illius non habent rationem mensuræ, neque causæ.

Respondeo negando maiorem; dico enim verum transcendentale dici de ente, quatenus ens connotat intellectum perfectum in ratione repræsentatis ipsum ens, sicuti est in sè, præscindendo à quocumque ordine causalitatis tam ex parte intellectus, quam ex parte ipsius entis, quod habet rationem veri.

Obijcies secundò: Verum supra ens addit cognitionem; sed hæc est ens. ergo addit ens supra ens. Respondeo distinguendo maiorem: verum supra ens addit cognitionem in recto, nego: in obliquo, concedo maiorem; & concessa minore, distingo eodem modo consequens.

Instabis: cognitio importatur à vero in recto, quia est ens; ergo non in obliquo. Respondeo distinguendo antecedens, importatur à vero in recto sumpta in ratione entis, concedo. sumpta explicitè in ratione repræsentantis obiectum, nego antecedens, & consequentiam; quia vt repræsentans obiectum connotatur in obliquo à veritate transcendentali per quod differt à veritate formali, quæ dicit in recto ipsam cognitionem sumptam explicitè in ratione repræsentationis, & in obliquo connotat obiectum, quod ideo extrinsecè denominatur verum veritate formali, intrinsecè verò veritate obiectiua, seu transcendentali.

SECTIO TERTIA.

Explicantur quædam dubiola.

PRimo Arriaga *loco cit. num.* 106. quærit ab ens obiectiuè præscindat à vero iuxta nostram sententiam explicato; & negatiue respondet, quod sic probat: ens quantumcumque præcisum est cognoscibile, neque potest ita præscindi, vt cognosci nequeat. ergo non potest præscindere à vero. Deinde cautè sibi obijciens, quid ergo, inquit, addit verum supra ens? & respondet addere supra ens cognitionem possibilem de ipso. Verùm hæc duo non videntur sibi cohærere; si enim verum supra ens addit cognitionem, seu conceptum intellectus perfectè cognoscentis : cui ipsum eius conformari debet profectò quis non aduertat sè posse cognoscere ens absque eo quod vllo modo cogitet de eius veritate; quis enim est, qui non possit concipere Petrum possibilem, & Paulum existentem &c. nihil prorsus cogitando de cognitione vera, cui huiusmodi entia debeant conformari; quare absolutè dicendum est ens obiectiue à vero perfectè præscindi posse, dummodo nomine veri veniat id, quod veritas supra ipsum ens importat, & non totum, quod significat vt de sè patet sicuti diximus in simili de Vno.

Secundò Quiedus *contro. 3. metaph. pun. 3. n. 9.* postquam nostram sententiam de veritate transcendentali amplexus est, dicens se probasse veritatem obiectiuam dicere cognitionem extrinsecam obiecti, & ita rationem veri formaliter non esse illi adæquatè intrinsecam, dubitat de vero fundamentaliter: an videlicet cognoscibilitas purè sè tenens ex parte obiecti sit extrinseca ipsi obiecto.

Ad quod negatiuè respondeo cum eodem Quiedo *num.* 2. Puto enim esse illi formaliter intrinsecam, & essentialem quod est contra Hurtadum *disp. 7. sect.* 1. oppositum existimantem. Meam autem sententiam probarem primò, quia per hoc differt ens reale ab ente rationis, quod ens reale supponitur ab intellectu esse in sè cognoscibile intrinsecè, contra verò ens rationis ab intellectu cognoscibilitatem suam expectat, quatenus ex fœcunditate illius habet, sicuti posse esse ita, & posse cognosci. Secundò, quia non minus ens habet ex suis intrinsecis, capacitatè, & proportione, vt intelligatur, quam sonus vt audiatur, color vt videatur, &c. Sed constat hæc ex intrinsecis suis habere capacitatem, & proportionem vt sentiantur à suis potentijs. ergo & ens, vt intelligatur. Neque

dicas cum Harrado: hoc ipso quod cognitio terminatur ad obiectum non obiectū esse capax illam terminare; quia capacitas terminandi cognitionem est duplex: altera præsupponitur in obiecto ad cognitionem: altera communicatur illi ab ipsa cognitione. Porrò capacitas entis realis primo modo sè habet per quod distinguitur à capacitate entis rationis quæ sè habet secundo modo.

15 Tertiò quæri potest an cognoscibilitas fundamentalis, quam vidimus intrinsecè & essentialiter competere enti, importet essentialem connexionem cum intellectu, ita vt si intellectus euaderet impossibilis, etiam omne ens inciperet esse impossibile, atque chimericum. Affirmatiuè respondet Arriaga *loco citato subsect.* 2. Contrà verò Oviedus *num.* 11 negatiuè, cum quo ego etiam sentio, non tamen eius euidamento nixus; quasi verò existimem omnes huiusmodi connexiones esse impossibiles, & implicatorias, si quidem, vt *in libris de generatione* probaui, dantur de facto inter causam, & effectum; sed quia puto omnia sine dicta connexione saluari posse. Nam si dicamus dictam cognoscibilitatem esse positam esse in capacitate quadam, & aptitudine positiua terminandi per sè ipsum cognitionem, vtique saluamus eam ita esse enti essentialem, vt si implicaret intellectus, adhuc ens suam retineret realitatem; sed hoc recte dicere possumus. ergo &c. Minor patet: quia non potest assignari huius dicti ratio in contrarium; si quis enim assignabilis esset, maximè sumeretur ex paritate causæ, quæ essentialiter cum suo effectu connectitur; sed hæc ratio nulla est: nam causa non solum est apta effectum suum producere, sed etiam illum in sua virtute continet, quod non habet ens respectu intellectionis. Maior verò probatur à *paritate*: quia capacitas, & aptitudo, quam habet domus defendi hominem ab iniurijs temporum sine connexione essentiali cum illo; quamuis enim supponamus hominem implicare, per hoc tamen non sequeretur, quod implicaret domus: non enim potest assignari ratio, cur in illa hypothesi non posset ab Angelis construi. Quemadmodū igitur de essentia domus est, vt quantum est de sè, defendat hominem ab iniurijs temporum, siuè de reliquo sit impossibilis homo siue nō: ita dicendū de ente, quod ita sit ex suis intrinsecis

16 cognoscibile, vt siue cognitio sit possibilis, siue repugnans, non curet.

Obijcies ex Arriaga *num.* 107, obiecta data esse à natura virtus productiua specierum; ergo habent connexionem essentialem cum speciebus, & consequenter cum cognitionibus quæ sunt dictarum specierum effectus. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: ergo obiecta habent connexionem essentialem cum cognitione, si sumantur in ratione principij effectiui, concedo: sin verò in ratione obiecti terminatiui, nego consequentiam; & dico obiectum formaliter vt cognoscibile constitui solū per capacitatem terminandi cognitionem, non autem per vim productiuam specierum; & ideo vt cognoscibile nō esse cū cognitione connexū.

Vltimo aduerterem non bene ab aliquibus dici veritatem transcendentalem adæquatè consistere in dicta cognoscibilitate intrinseca: quod patet ex eo, quia hæc cognoscibilitas intrinseca non distinguitur ab ipsa ratione entis. ergo implicat, quod sit eius attributum. Sumenda igitur est per ordinem ad cognitionem modo dicto, siuè demum dicta cognitio possibilis sit siue impossibilis, ita vt illam connotet in obliquo, vt habeat rationem attributi, vt supra nouimus.

SECTIO QVARTA.

Quid sit falsitas transcendentalis, & an detur possit à parte rei.

17 PRima Conclusio. transcendentalis falsitas recte describitur: dissormitas, aquidissonantia rei ad intellectum perfectè cognoscentem. Probatur: quia falsitatis nomine hic intelligimus id, quod veritati transcendentali opponitur, sicuti igitur hæc in conformitate cum intellectu perfectè cognoscente posita, sic illa non nisi in disconuenientia ab eodem intellectu consistet.

Secunda conclusio. Non datur, nec dari potest transcendentalis falsitas. Probatur: quia implicat contradictionem rem aliquam non conformari cum intellectu illam perfectè cognoscente; perfectio enim cognitionis consistit in eo, quod representet obiectum eo prorsus modo, quo est in sè, & non aliter; quod si aliter representet illam, manifestum est, hoc ex eius imperfectione prouenire; atqui falsitatem transcendentalem vidimus consistere in disconuenientia obiecti ab intellectu perfectè cognoscente; Falsitas igitur transcendentalis impossibilis omnino est, atque chymerica.

18 Obijcies primo quilibet res est dissormis à cognitione prouenient ab intellectu perfectè cognoscente aliam rem: *Ergo homo est dissormis à cognitione, quā habet Deus de lapide, & sic de cæteris: quælibet igitur res transcendentaliter habet falsitatem. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam: falsitatem* transcendentalem enim falsitatem non solum requiritur quod res sit à cognitione dissormis, sed insuper necessum est, vt eadem res habeat aptitudinem, ac debitum conformandi se dictæ cognitioni, etiam si autem quælibet res sit dissormis à cognitione quam perfectus intellectus habeat de alia re; quia tamen illa non exigit, neque apta est illi cognitioni sè conformare, sed ei tantummodo, quæ vnicuique est propria: ideirco non potest dici cū veritate falsa, sicuti neque cognitio illa.

19 Obijcies secundo, datur falsitas quæ sit opposita veritati formali, sed in cognitione, ergo dabilis est falsitas opposita veritati transcendentali & in essendo. Respondeo concesso antecedente negando Consequentiam: disparitas est, quia imperfecta cognitio esse potest dissormis obiecto, cui exigit conformari, & hoc ideo, quia proueniet ab intellectu deficiente, at obiectum nunquam esse potest à perfecta cognitione dissormis. sicuti igitur implicat dari falsitatem formalem in intellecto perfecto; ita, & implicat dari obiectitam; hæc enim supponit intellectum

per-

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEXTA
DE BONO

HAEc est vltima entis proprietas, quam omnibus prorsus entibus competere patet ex *Gen. primo*, vbi haec habentur: Vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona. Iam verò in quanam eius ratio consistat, & quid addat supra ens, hoc est, quod explicandum est in praesenti.

SECTIO PRIMA.
Quid sit Bonum Transcendentale?

1 PRima Conclusio; Recte Bonum ab Aristotele 1. *Eth. cap.* 1. describitur: esse id quod omnia appetunt. Pro cuius definitionis explicatione:

2 Aduerte primo: appetitum esse duplicem, vt in physicis cum de materia, Innatum alterum, alterum elicitum: elicitus est proprius eorum

Aduerte

Aduerte secundò: ordinem, quem ad appetitū innatum dicere debet bonum, esse conuenientiæ, & congruitatis ad illud; quidquid ordo per rationem appetibilis explicatur. Vnde est quod D. Tho: 1. *par. quæst.* 5. *art.* 1. dixerit rationem boni consistere in eo, quod aliquid sit appetibile; sicuti igitur verum constituitur per conformitatem ad intellectum: ita bonum per appetibilitatem, seù, quod idem est, per conformitatem ad appetitum innatum.

Aduerte tertiò: sensum definitionis non esse, quod quælibet res quodlibet bonum appetere debeat; constat enim neque aquam appetere bonitatem caloris, neque ignem bonitatem frigoris, neque ouem lupi, neque leporem canis, sed quod quælibet res aliquod peculiare bonū sibi proportionatum appetat, ita vt impossibile sit dari bonum, quod non sit respectu alicuius entis appetibile, eique conueniens. Atque ex his explicata remanet, & probata simul descriptio, quam rectè dicit D. Tho: *loco cit.* esse à posteriori, non solum quia prius est rem esse appetibilem, quam appeti de facto; sed etiam quia prius est eam esse bonam, quam appetibilem vt ait Gaet. 1. *par. quæst.* 5. *art.* 5. quod verum est, loquendo de appetibili, quatenus extrinsecè denominatur ab appetitu, non verò quatenus ex suis intrinsecis importat conuenientiam, & proportionem cum ipso appetitu, quia sic ab illo supponitur; quare restat adhuc quærenda alia explicatio boni transcendentalis, quæ licet non habeat leges perfectè definitionis, quia hoc est impossibile, tamen per aliquid prius illud nobis manifestet. Pro qua re sit.

Secunda Conclusio. Bonum transcendentale rectè describitur: esse Ens, quatenus dicit conuenientiam quamdam, & proportionem, ratione cuius habet quod appetibile sit. Ita Suarez. *disput.* 10 *de bonitate sect.* 1. *sub num* 17.

Probatur, quia de ratione boni est, quod sit ex intrinsecis suis appetibile; sed hæc appetibilitas non potest consistere in alio, quam in conuenientia, & proportione, quam appetitus in illo præsupponit; ergo rectè à priori definitur per hoc, quod sit ens dicens conuenientiam, & proportionem, ratione cuius habet, quod appetibile sit, appetibilitate videlicet extrinseca, ab appetitu, proueniente, qui intrinsecam præsupponit.

Verùm in hac definitione explicandum remanet quid sit illud, per ordinem ad quod bonum definitum est conueniens, & proportionatum: nam bonum in communi duplex esse potest: aliud bonum in sè, ratione, cuius res dicitur bona in sè ipsa: aliud bonum alteri eo, quod prodest alteri realiter à sè distincto: quæritur ergo, quodnam sit illud, cui bonum transcendentale debet esse conueniens. Pro quo sit.

Tertia Conclusio: Id, cui bonum transcendentale debet esse conueniens, non debet distingui realiter ab ipso bono, sed quodlibet ens reale, quatenus est sibi ipsi conueniens atque conforme dicitur bonum bonitate transcendentali. Est contra Suarez *disput.* 10 *sect.* 1. *num.* 14. Fonseca 4. *met. c.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 6. & alios. Duo habet Conclusio, primum est, quod bonum transcendentale constituatur per hoc, quod ens sit conueniens sibi ipsi. Secundò quod non constituatur per hoc, quod sit conueniens alteri realiter à sè distincto.

Prima igitur pars Conclusionis probatur primo ex Aristotele *secundo de Genere tex.* 59. vbi asserit: Rerum naturam appetere suum esse potius quam suum non esse; per quod patet: ipsum esse appetibile esse ab eo, cuius est esse, & sic respectu illius habere rationem boni, atqui nihil realiter à sè ipso distinguitur. ergo &c. Neque dicas Philosophum *loco cit.* agere solùm de esse verbali seù existentiæ, non autem de esse nominali, ac essentiæ. Ne id dicas, inquam, siquidem quemadmodum rei existenti prout existenti nihil est magis conueniens quam existentia, ita rei sumptæ secundum essentiam nil est conformius ipsa essentia; sicuti igitur res existens vt existens inclinat ad sui existentiam, cum qua saltem inadæquatè identificatur, ita essentia rei inclinat ad suum esse essentiale, à quo minimè distinguitur, esse igitur essentiale habet rationem boni respectu eius, cuius est essentiale, & tamen ab eo minimè realiter distinguitur.

Probatur secundò eadem prima pars, quia bonitas transcendentalis Dei primò, & per sè constituitur per hoc, quod sit conueniens, & proportionata ipsi Deo. ergo & bonitas transcendentalis creaturarum, atque adeo bonitas ipsarum in communi per hoc, quod sit conueniens rei cui quia identificatur. Dico primò, & per sè, quia certum est quod secundario, & per accidens constituatur per ordinem ad alia à sè realiter distincta, vt patet ex ipso Deo, qui non solum est sibi bonus, sed etiā aliis omnibus creaturis. Consequentia patet paritate rationis. Primum autem antecedens conceditur communiter ab Aduersarijs, & facilè suadetur ex eo, quia nihil est extra Deum præter creaturas: eas verò non posse esse terminum, per ordinem ad quem Diuina bonitas primò, & per sè constituatur, constat tum quia ipsemet sunt *diuinæ bonitatis participationes, atque imitationes imperfectæ, & per* consequens illam *constituentem supponunt*: tum etiam quia *etiam si nulla Creatura* esset possibilis, adhuc Deus esset in sè formalissimè summè bonus.

Secunda verò pars Conclusionis probatur, quia si bonitas transcendentalis constitueretur per hoc, quod esset conueniens alteri realiter à sè distincto, sequeretur primò quod entia non minus dici possent mala quam bona, & sic non sola bonitas, sed etiam malitia deberet existimari passio entis, quod ab omnibus reijcitur. Sequela probatur, quia quodlibet ens in particulari quamuis sit alicui enti proportionatum, est tamen semper etiam alteri improportionatum, vt Calor V. G. licet sit conformis naturæ ignis, est tamen difformis à natura aquæ, ac illi disconueniens; non igitur magis deberet dici aliquid bonum quā malum. Sequeretur secundò quod entia essent bona secundùm quid tantum, siquidem id quod in sè bonum est, bonum simpliciter dicendum esse videtur: Id autem, quod alteri bonum est, cum addito, & secundùm quid, scilicet respectu alterius erit bonum; in quo sensu dixit D. T. 3. *par. quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 3. accidens non

Digitized by Google

non esse bonum, vt habés bonitatem, sed quia cedit in bonum subiecti.

7 Objicies primò: res Mathematicæ appetūt se ipsas, & tamen ex Aristotele 3. *met. text.* 3. non sunt bonæ. bonum igitur non consistit in eo, quod ens sit sibi conueniens. Respondeo, concessa prima parte antecedentis, explicando dictum Aristotelis; ipse enim *loco cit.* non negauit absolutè rebus Mathematicis bonitatem, sed solum negauit scientiæ Mathematicæ vsum causæ finalis in suis demonstrationibus; in fine autem ratio boni maximè attenditur in scientia.

8 Objicies secundò: D. Tho. *p par. quæst.* 5. *art.* 1. *ad primum, & quæst.* 1. *de malo art.* 2. *in corpore* docet, bonum, & perfectum idem esse; ergo bonitas aliud nihil est, quam intrinseca rei perfectio. Confirmatur ex D. Dionysio, qui *lib. de diuinis nominibus cap.* 5. ait: bonum esse ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Id autem, quod integrum est perfectum est. Confirmatur iterum, quia in eo debet ratio boni consistere, in cuius priuatione consistit ratio mali, quod priuatiuè opponitur bono; sed mali ratio in defectu perfectionis posita est. ergo ratio boni in ipsa perfectione, atque integritate consistit. Minor probatur, quia si quod ens caret aliqua rè, quæ ad eius perfectionem, & integritatem pertinet, statim á nobis dicitur esse malum.

Respondeo: perfectum dupliciter sumi posse: Primò strictè, pro eo scilicet, cui nihil deest ex ijs, quæ possunt illud aliquo modo perficere in eo genere, in quo dicitur esse perfectum. Secundò, latè, quatenus significat id quod in se habet aliquid perfectionis. Iam verò si primo modo sumatur, manifestum est, illud non esse transcendentalem passionem entis; innumera enim entia sunt, quibus multa desunt ad suam perfectionem absolutam. si verò secundo modo sumatur, erit ipsa essentia entis realis, non autem eius passio; & ratio est, quia nihil est magis essentiale enti reali, quam habere aliquid perfectionis. imò nihil concipiatur aliquid cum aliqua perfectione, non concipitur vt ens reale. Quare quæ est differentia inter ens, & perfectum hac ratione sumptum, magis erit in etymologia, quam in re significata; quia ens sumptum est ab actu essendi, perfectum autem à perfectione, quam formaliter in se essendi actus includit. His autem prænotatis, ad auctoritatem Santi Thomæ dico: quod bonum idem est ac perfectum hoc modo sumptum, quatenus bonum realiter identificatur cum ipso ente. Ad confirmationem autem ex S. Dionysio dico: ibi bonum non significare passionem entis, sed vsurpari pro perfecto strictè sumpto, quod á D. Thoma bonum simpliciter appellari solet. Vbi obiter aduerte cum Suarez *loco cit. num.* 16. per D. Thomam aliter latè comparari in creaturis ens simpliciter, & secundùm quid: ac bonum simpliciter, & bonum secundùm quid; rès enim habet, quod sit ens simpliciter per esse substantiale: secundùm quid verò per esse accidentale; habet autem quod sit bona secundum quid per esse suum substantiale: sit autem bona simpliciter per accidentale, in quantum hoc coniunctum substantiali bono tribuit rei absolutam, & rigorosam perfectionem. Ad posteriorem verò probationem dico: aliud esse loqui de bonitate transcendentali: aliud verò de bonitate accidentali, siuè naturali, siuè morali; bonitas enim transcendentalis cum identificetur cum ente, cuius est attributum, impossibile est, vt eius oppositum, scilicet ratio mali, consistat in aliquo, quod respectu eiusdem entis se habeat vt priuatio. quare distinguo minorem: ratio mali oppositæ bono accidentali sita est in defectu perfectionis, cōcedo: ratio mali oppositæ bono transcendentali, nego minorem, & consequentiam formaliter, & adæquatè loquendo: Ad minoris probationem dico, quod quando aliquod ens caret aliqua perfectione, quæ ad sui integritatem, & absolutam perfectionem pertinet, dicitur quidem malum, non tamen malitia, illa, quæ opponitur bono transcendentali, sed illa, quæ opponitur bonitati accidentali, siuè, vt tum D. Thoma loquar, quam opponitur bonitati simpliciter, seù rigorosæ perfectioni, in quo solum sensu gladius hebes dicitur malus gladius, & oculus lippus dicitur malus oculus. Atque ex his habes malè Arriagam *loco cit. sect.* 6. docere bonum supra rationem entis solum addere, quod nihil illi deest ad illam rationem, quam habet; V. G. materiam dici bonam, quia nihil illi deest, vt sit materia; item formam, quia nihil illi deest, vt sit forma: & sic de quo libet alio ente. Cur autem hoc non benè dicatur, rationem assignat Suarez *loco cit. num.* 17. quia videlicet, bonum hoc modo sumptum est idem formaliter cum perfecto latè sumpto, quod supra vidimus formaliter dici ab ente. Alia ratione ego assignarem, quia nimirum (nihil deesse) duplicem negationem importat, atque adeò significat aliquid positiuum, quod quidem aliud esse non potest, nisi entis ipsius essentia. Vnde idem est dicere bonum addere supra ens, quod nihil illi deest ad illam rationem, quam habet ac habere rationem entis; in quo non posse consistere entis passionem patet, quia non est transmissibile posterior.

9 Objicies tertiò: esse bonum alteri realiter à se distincto, ex vna parte competit omni enti, & sic cum ente conuertitur: ex alia verò est conceptus aliqua ratione ab ipso ente distinctus est; ergo passio entis. cum autem entis passiones, seù attributa non sint plures, sequitur bonum consistere in eo, quod sit conueniens alteri realiter à se distincto. Consequentia placet. Antecedens verò quoad posteriorem partem eiusdem est: quoad priorem autem probatur, quia omne ens accidentale est bonum enti substantiali, in quantum illud perficit: substantiale autem increatum est bonum omni enti creato, in quantum illud efficienter, ac finaliter causat: substantiale verò creatum non solum est bonum ipsi acci-

accidenti, quatenus est causa materialis, & finalis illius, sed etiam ipsi enti increato, in quantum est effectus illi consentaneus, inseruiens ad eius bonitatis potentiæ, atque naturæ ostensionem. ergo esse bonum alteri realiter à se distincto competit omni enti.

Respondeo: transeat antecedens quo ad vtramque partem. Dico, transeat, quia esse bonum alteri realiter á se distincto, licèt competat omni enti in particulari, non tamen videtur posse enti in communi competere; sed quidquid sit de hac rè, distinguo consequens: ergo esse bonum alteri est passio entis secundaria, & consequens passiones alias, concedo: est passio primaria, & principalis, nego consequentiam. Ad id autem, quod consequenter infertur, Dico, quod etiam si ratio boni non consistat in hoc, quod sit conueniens alteri realiter à se distincto, non sequitur tamen, quod entis attributa sint plura tribus; siquidem in hoc numero sola attributa primaria comprehenduntur, ad quæ alia secundaria reducenda sunt. Iam verò idcirco esse bonum sibi primariò pertinet ad ens, alteri verò realiter á se distincto non nisi secundariò, quia scilicet respectus prius in ordine ad se, quã in ordine ad aliud constituitur, maioreque necessitate ad se ipsam, quam ad aliud ordinatur.

Instabis: ens creatum per prius est bonum, & conueniens Deo, quam sibi ipsi. ergo falsum in ordine ad ens creatũ tradita definitio nulla est. Antecedẽs probatur, quia appetitus diuinus est prima regula, atque idea omnis appetitus creati. ergo ens creatum per prius dicere debet ordinem, & conuenientiam ad appetitum diuinum, quam ad se ipsum, quod est quid posterius, & regulatum.

Respondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem concesso Antecedente quo ad vtramque partem, nego consequentiam. Ratio autem negationis est, quia licèt appetitus diuinus sit prior appetitu creaturæ: in eo tamen priori non respicit nisi esse diuinum, quia in eo priori non intelligitur creatura possibilis, in secundò autem posteriori, in quo intelligitur creatura possibilis, iam intelligitur in eodem signo esse appetitum eiusdem creaturæ; quia verò illius esse, est magis ei proportionatum, atque conueniens, quam alterius, hinc fit vt, siuè in eodem signo secundo inadæquatè sumpto, siuè in tertio per prius intelligatur creatura esse conueniens sibi quã Deo. Contra quod nihil facit, quod appetitus diuinus se habeat vt Idea respectu appetitus creaturarum; bonum enim transcendentale respicit appetitum cum quo identificatur proximè, & immediatè, ideam verò talis appetitus non nisi consequenter, & remotè; vnde per prius bonum creatum est sibi ipsi conueniens, quam appetitui diuino.

SECTIO SECVNDA.

Quid importet de formali bonum transcendentale esse sibi ipsi conueniens.

PRima Conclusio: Nõ importat aliquid absolutum, siué realiter, siuè formaliter distinctum ab ente. Est contra Henricũ *quolib. 3. quæst. 2.* Et nõnullos Scotistas, vt refert Capreolus *in secundo dist. 3. quæst. prima* Defenditur tamen à Suarez *disput. 10. sect. prima num. 5.* Fonseca 4. *Met. cap. 2. quæst. 7. sect. 2.* Vasquez *prima parte disput. 23. & alijs.* 1

Probatur autem eodem argumento, quo supra probauimus, neque Vnum, neque Verum posse addere supra ens aliquod absolutũ positiuum. Et confirmatur ex eo, quia præcisa quacumque alia ratione absoluta, si concipiamus ipsam met rationem entis vt conuenientem, & proportionatam ipsi enti, statim habemus adæquatum bonitatis conceptum; sed in hoc non habemus aliquid absolutum, siuè rè, siuè ratione distinctũ ab ente. ergo &c.

Secunda Conclusio: Conuenientia dicta de formali non importat relationem conuenientem enti superadditam, siué demum huiusmodi relatio sit realis, vt videtur sentire Duradus *in primo dist. 34. quæst. prima*, siuè rationis, vt Capreolus *in secundo dist. 34. quæst. item prima*; Et quidem quantum ad relationem realem res videtur esse manifesta: tum quia nihil dicere potest realem relationem ad se ipsum: tum etiam, quia ipsa relatio realis in se ipsa bona est: tum denique quia Deus ab æterno fuit bonus bonitate tribus diuinis personis communi; in Deo autem nulla est realis relatio communis omnibus personis diuinis. 2

Quantum verò ad relationem rationis probatur: tum quia sic formalis *conformitas ab intellectu* actu concipiente *dependeret*, quod videtur absurdum: tum *etiam*, quia Deus ab æterno fuit summe bonus, & quidem formaliter, & tamen non fuit ab æterno aliquis in eo relationem rationis concipiens: tum denique, quia bonum est realis passio entis, vt colligitur ex Aristotele 6. *met. tex. 8.* relatio autem rationis est solum per intellectum.

Tertia Conclusio; Bonum transcendentale esse sibi ipsi conueniens de formali importat ipsa prædicata essentialia rei connotando capacitatem, inclinationem, & exigentiam, in eadem rè talium prædicatorum. Quamuis enim huiusmodi prædicata non sint ex natura sua distincta à rè, *quæ illa habet*: à nobis tamen concipiuntur, ac significantur per modum distinctorum, videlicet per modum formæ affectus illi rei bonitatem, & per modum subiecti illam recipientis. Vnde est, quod fundamentum, vt distinguatur bonum ab ente non quidem ex parte obiecti, siquidem tum in recto, tum in obliquo importat ipsum ens, sed ex solo modo concipiendi.

Patet Conclusio ex dictis, & præterea patitate eorum omnium, quæ concipiuntur, vt con-

Digitized by Google

nonconvenientiam à se distinctam. Nam secundum illa, & improportionatum sibi dicitur malum honestum in eo, quod dicitur convenire, detestatur, & fugiens ergo natura malum transcendens hominis operationalitatem, est in quantum bonum naturale rectè tractatum, sic acceptus habet rationem inclinationis. Secunda Conclusio implicat dari in rebus 14
nam, & connexionem quandam cum dicto bono malum transcendentale. Debet esse communicatio, & sic de bono vtili, & delectabili ergo &c. Probatur autem quia implicat dari rem quæ habeat aliquam sibi dissonantiam, ac improportionatam; esset enim sic sibi ipsi mala, & inimica, quod est impossibile; quodlibet ens quantumuis sit malum alteri habet, semper quod sibi ipsi sit bonum.

SECTIO TERTIA.

Quid sit, an sit malum transcendentale.

13 MAlum transcendentale appello illud, quod bono transcendentali apprehenditur esse contrarium, de quo quærimus duo: In quo consistat: & num in rerum natura existere possit.

Quòd ad primum sit prima Conclusio: Malum bono transcendentali oppositum rectè describitur, esse ens, quatenus dicit disconvenientiam quandam, & improportionem in ordine ad sè ipsum, ratione cuius habeat quod sit sibi odibile, & detestandum.

Patet ex definitione, & explicatione boni oppositi; & quidem quod illud quod dicitur malum debeat esse ens, suadetur ex eo, quia opposita versari debent circa idem subiectum; bonum autem, & malum transcendentaliter accepta sunt opposita; sicuti igitur conceptus boni, ita & mali versari debet circa ens, quod verò huiusmodi ens, qua malum importare debeat disconvenientiam, & improportionem respectu sui ipsius, ratione cuius habeat esse tibi fugiendum ac detestandum suadetur etiam, quia agimus de malo transcendentali; ergo per ordinem ad se ipsum, & non per ordinem ad aliud à sè distinctum debet esse tale; sed non potest intelligi aliquid esse sibi ipsi malum nisi per hoc, quod concipiatur habere essentiam, & prædicata sibi dissonantia, & improportionata; ergo &c.

Obijcies ex Ouiedo, quod malum transcedentale est id, quod caret perfectione sibi debitæ; sed mors hominis, & non esse cuiusque rei est carentia totius entitatis, ac proinde totius perfectionis illius; ergo est malum transcedentale. Respondeo: maiorem supponere bonum transcendentale consistere in prædicatis essentialibus, quibus entitas constituitur, quod, vt ipse fermonatur, *puncto præcedente iuxta* 1. à nulla entitate adhuc diuinitus separari potest, quatenus nulla entitas sine sua essentia esse potest. Quam posita explicatione negandæ est minor; mors enim hominis, & non esse cuiuscunque rei est carentia solius existentiæ illius, non verò essentiæ: quamuis enim de Petro V. G. mortuo negemus quod existat: affirmamus tamen eum esse animalem, atque adeo falsum est quod mors sit carentia totius perfectionis illius; quamuis enim existentiali perfectione careat, habet tamen insuperabiliter, quantum est de sè, essentialem, dico, quantum est de sè, quia solum in ordine ad intellectum eam potentiam terminet oppositum obiectiuum tantum, vnde dicimus quod Petrus identificatus cum eo non est ens reale, sed chymæra cum. Verùm hoc vti de sè patet, nil nostræ assertioni obstat.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA SEPTIMA

DE MALO MORALI.

IAm res non possint esse malæ malitiæ bonitati transcendentali oppositæ, possunt tamen esse huiusmodi infectæ malitia bonitati tùm physicæ, tùm morali contrariæ. Multa enim dari in mundo mala tum in genere naturæ, tum in genere moris, non solùm ex sacris litteris, sed etiam experientia ipsa comprobatur. Vnde Augustinus *lib. 1. contra Iulianum*: Si nulla, inquit, darentur mala, frustra Deum in oratione Dominica precaremur, vt nos liberaret à malo. Iam verò de huiusmodi malo, quod datur in rebus, recte communiter definitur: Id quod rebus transcendentaliter bonis est incongruum, & disconueniens, agit Suarez *in metaphy. disp.* 11. post quam de Bonitate transcendentali disputauit, & de eo præcipuè quærit, quid tandem illud sit, positiuum ne an potius negatiuum? Quoniam verò recentiores Theologi quæstionem hanc ad solum malum morale culpæ actualis coarctarunt, idque solùm in disceptationem ardentibus animis, agentes de vitijs & peccatis, adducunt; placuit mihi præsentem disputationem instituere, vnum interim præmittendo, malum scilicet culpæ actualis, seu

quod idem esse, actum peccatum esse duplex: alterum commissionis, alterum omissionis: quæstionem autem non procedere de peccato omissionis, constat enim eius malum in negatiuo consistere, quale est eius esse: Sed de peccato commissionis, quod in se est actus positiuus, vt odium Dei, Homicidium, Furtum &c. sic de eo quæri num eius ratio formalis, per quam tanquam per formam in ratione mali intrinsecè constituitur, & formaliter opponitur dictamini rectæ rationis, substantia intellectualis liberè operantis, & malitia moralis conuenienter appellatur, num, inquam, sit aliquid positiuum, siue distinctum, siue indistinctum ab ipso actu, qui denominatur malus, an potius negatiuum? His positis, sit

SECTIO PRIMA.

In quanam consistat ratio formalis Peccati commissionis.

2 PLures circa hanc quæstionem circumferuntur opiniones, quæ omnes ad tres commodè reuocantur. Prima est eorum, qui putant consistere in relatione disconuenientiæ actus peccaminosi cum natura rationali liberè operante, quam quidem relationem Canus apud Medinam dicit esse realem: Vasquez verò putat esse rationis, vt habetur *disput. 95. cap. 10.* licet nonnulli eum explicent de relatione rationis fundamentaliter acceptæ, consistente in denominatione extrinseca dissonantiæ ab extrinseca regula rectæ rationis cui dissonus est, prouenientem ex quod colligunt ex his, quæ habet ipse Vasquez *1. part. disput. 120.* & alibi.

Secunda sententia est Caietani *1. 2. q. 17. art. 6.* & *q. 18. art. 5.* volentis eam esse aliquid positiuum; siue demum sit quid distinctum ab ipso actu voluntatis, vt putant aliqui, siue indistinctum, vt alij malunt.

Tertia denique sententia est Suarij *in metaph. disput. 11. sect. 2.* & *in 1. 2. tract. 3. disput. 2. sect. 3. & 4.* Valentiæ, Bellarmini, & aliorum communiter, qui omnes existimant rationem malitiæ moralis peccati commissionis in carentia rectitudinis, seu perfectionis debitæ actui positiuo positam esse. Pro decisione autem sit

3 Prima Conclusio: Malitia Peccati commissionis non consistit in relatione disconuenientiæ modo dicto.

Probatur, quia vel hæc relatio ponitur esse realis, siue prædicamentalis, siue transcendentalis: vel rationis; neutrum dici potest; ergo &c. Probo minorem quo ad primam partem, quia si hæc relatio realis est, iam hæc prima opinio cum secunda coincidit; quare ex his, quæ contra eam dicemus, satis superque impugnabitur. Quo ad secundam verò multipliciter suadetur: & primò quidem quia peccatum debet esse tale nemine de eo cogitante reflexè, alioquin si non fieret illud ens rationis à nobis, non haberetur peccatum. Secundò quia in priori ad huiusmodi relationem haberetur tota ratio disconuenientiæ peccati ad naturam rationalem, & legem æternam. Tertiò quia quidam negant ens rationis, secundùm quos malitia peccati non daretur: quidam verò putant ens rationis fieri solùm per intellectum, & in horum sententia peccatum non fieret à voluntate, sed ab *intellectu* tantùm. Quod si alij probabilius sustinent etiam per voluntatem ens rationis fieri posse, saltem iuxta horum sententiam, & principia, per prius fieri deberet peccatum ab intellectum, quam à voluntate, sicuti per prius ens rationis habet esse obiectiuè in intellectu, & postea in voluntate; quæ omnia quam sint absurda nemo non videt.

Iam verò si nomine relationis rationis denominationem extrinsecam cum aliis intelligimus, probatur nostra Conclusio, tum quia cum hæc denominatio extrinseca sit realis, iam hæc opinio cum sententia Caietani coincidit: tum etiam quia antecedenter ad quamcumque extrinsecam denominationem actus odij Dei V. G. liberè eliciti contra dictamen rectæ rationis, est formaliter malus moraliter. Quod si dicas cū Arriaga *disput. 21. num. 54.* huiusmodi denominationem consistere in ratione liberi, & rectæ rationis dictamini repugnantis, nihil non positiuum affingas.

Secunda Conclusio: Malitia peccati commissionis non consistit in aliquo positiuo, sed in negatiuo importante carentiam rectitudinis debitæ modo infra explicando. 4

Probatur primò Conclusio ex illo Ioannis 1. Sine ipso factum est nihil: hoc est peccatum, vt explicat Maldonatus cum locum ex communi SS. Petrum interpretatione, præsertim Augustini, qui *in soliloquijs c. 5.* (Nihil, inquit, aliud est malum quam priuatio boni, sicut nihil aliud est cæcitas, quam priuatio luminis, malum itaq; nihil est, quia sine Verbo factum est, sine quo factum est nihil). & paulo post: (malum igitur nihil est, quia factum non est; sed qualiter malum est, si factum non est? quia malum priuatio boni est, per quod factum bonum est) Confirmatur ex illo *Psalm. 72.* (Ad nihilum redactus sum, & nescivi) quod non potest *habere veritatem*, nisi intelligatur de *peccatis formaliter* vt talibus, quatenus scilicet *peccator est*, in quo sensu loquutus est Petrus Damianus in Epistola ad Desiderium. Qui abeo, inquiens, qui vere est recedit, necesse est vt non sit, quia ad nihilum tendit.

Probatur secundò ex Patribus communiter. Nam Dionysius *cap. 4. de Diuinis nominibus* differtis verbis testatur: malum esse priuationem boni, sicut tenebræ sunt absentia lucis: nec esse vt quid existens, sed vt defectum, & nihil eorū, quæ sunt; & nullam rem esse malam, nisi quatenus illi deest naturalis conditio, & conuenientiæ apteque compositionis ratio. Ac demum concludit Dæmones, & peccatorū animos malos fieri defectu bonarū operationū, & qualitatū: ex his autē vltimis verbis apparet veridica explicatio Arriagæ *in 1. 2. disput. 20. sect. 3. subsect. 2.* dū ait S. Dionysium loco citato velle solum nullā substantiam esse malam, vel non dari causam per se mali, quasi verò effectus realis hoc ipso quod habet causam per accidens, amittat esse positiuum reale, & acquirat esse nihilum, ac non ens.

Præterea Basilius *Hom. 9.* ex professo pro- 5

bans,

bans, quod Deus non sit author malorum: (Malum, inquit, boni priuatio est: Oculus creatus est, cæcitas ex oculorum perditione prouenit) & post pauca: (si omnia ex Deo, quo modo malum ex bono? non enim turpe ab honesto, neque vitium à virtute. Lege mundi creationem, & inuenies ibi cuncta bona, imò valdè bona.)

Præterea Nissenus *orat. cat.* ait, quod improbitas in boni priuatione suam habet formam, & caracterem, cum per se non sit. Item Damascenus *secundo de fide cap. tertio* Vitium, ait, nihil est aliud, quam boni secessio; sicut caligo, lucis absessus) & *cap.* 4. (Malum nihil est aliud, quam priuatio, sicut tenebræ lucis orbitas.) denique Anselmus *de Concep. Virg. cap.* 5. dicit opus malum esse nihil, sicuti est cæcitas: & quemadmodum iniustitia nihil est aliud, quam absentia iustitiæ debitæ, ita malum aliud non est, quam absentia debiti boni. Qui plura desiderat, legat Salas, Vasquez, Suarium, & alios, qui hac in re nobiscum sentiunt.

6 Tripliciter ad has auctoritates respondet Arriaga *loco supra citato*: Primo Patres maximè agere contra Manicheos admittentes naturas aliquas malas, & illarum causam etiam malam.

7 Sed contra est primò: quia falsum est D. Dionysium loqui contra Manicheos, siquidem horum hæresis eius temporibus non dum orta erat. Contra secundò: quia si de reliquis Patribus loquamur, admitto, quod Manicheos confutent, sed non video qua alia via poterant manifestius illos de falsitate cõuincere, quam malitiam in priuatione boni constituere. Quare sic argumentor: Patres ad naturas, & substantias malas, quas admittebant Manichei, excludendas hoc medio vsi sunt: quod nimirum malum formaliter est nihilum, & secessio, ac absentia boni; sed si per hæc dicta non excludebant à malo rationem entis positiui, nihil concludebant; contra verò optimè, si intelligebant illud vltimò in priuatione verè consistere; ergo hoc effugium non solùm non fauet, sed etiã obest Arriagæ. Maior, & consequentia patent. Minor verò suadetur: quia quandiù à malitia rationem entis positiui non excludebant, alioquin probandum illis erat non dari substantias de se malas; contra verò assumendo eam in carentia rectitudinis debitæ positam esse, ergo &c.

Respondet secundò: quod si Patres de peccato tractarunt, voluerũt significare adnexam illi semper esse priuationem gratiæ, cæterorumque donorum; & per hunc effectum nobis magis notum, peccati essentiam explicasse. Sed contra est: quia id, cuius ratio materialis, & formalis in aliquo positiuo essentialiter consistit, etiam si ad illud plures consequantur negationes, falsò dicitur, quod sit aliquid negatiuum, & nihil; sic enim omnia entia positiua possent inter entia negatiua saltem nominaliter computari, quia ad quodlibet infinitæ negationes consequuntur.

Respondet denique tertiò: se etiam habere Patres, qui nulla facta priuationis mentione per res positiuas peccatũ definiant, vt Hyeronimum, qui *lib.* 2. *in Amos*. (Nequius est, inquit, odisse iustitiam, quam non fecisse.): Et Cassiodorum, qui peccatum commissionis per positiuum à peccato omissionis distinguit. Sed contra, quia hæc dicta non continent definitionem malitiæ: & rectè saluari possunt etiã si ea in priuatione consistat, vt infra videbimus. Quod si Augustinus definiuit peccatum: Dictum, factum, & concupitum contra legem æternam: quod per *ly* (contra) oppositionem intellexerit priuatiuam ad legem æternam, ex citatis locis lucè clarius est.

8 Quartam responsionem quidam Recentior laudat, nimirum, quod Patres non negabant malitiam actus in positiuo consistere, sed bebè hoc positiuum per negationem logicam explicabant; sicuti multi sustinentes distinctionẽ compleri formaliter per aliquod positiuum, explicant; eam consistere in hoc, quod vna res non sit alia, quatenus res positiua est huius negationis tractiua.

Sed contra hoc facit primò, quia sic Patres verbis tantum errorem Manichæorum impugnassent, in rei autem veritate illum reliquissent intactum. Contra etiam est secundò, & suppono verba Augustini *loco supra citato*, vbi sic: (Omnia per Verbum facta sunt, quæcumque facta sunt; & qualia facta sunt? Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Sed malum est, vbi non est vllum bonum, quod vtique nihil est, quia nihil aliud est malum, quam priuatio boni.) Tum sic: falsum est apud Auctores volentes distinctionem in positiuo consistere, quod ea non importet de formali vllum ens, quia nihil est, & priuatio entis; ergo è pari.

9 Probatur tertiò principaliter ex D. Th. pluribus in locis *prima secundæ quæst.* 18. *art.* 1. (Omnis, inquit, actio in quantum habet de esse, in tantum habet de bonitate; in quantum verò deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit á bonitate; & sic dicitur mala.) *quæst. verò* 85. *art.* 4. (Est, inquit, etiam quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus, quod etiam habet suum modum, speciem, & ordinem, & huius priuatio est essentialiter ipsum peccatum.) Item *quæst.* 1. *de veris. art.* 8. *ad duodecimum* (Peccatum, ait, dicitur esse priuatio modi speciei, & ordinis, secundùm quod in his consistit bonum virtutis.) Et *q. prima de malo art.* 1. dicit in malo, quale est peccatum, dari rationem materialem, & formalem, & primam dicit esse aliquid, secundam verò esse priuationem alicuius particularis boni, atque hoc triplici probat argumento, & *in* solutionibus, ait malum, & bonum opponi priuatiuè: Præterea *prima parte quæst.* 48. *art.* 1. *ad secundum*, agens de malo morali docet: malum constituere speciem in moralibus, non per se, sed in quantum est remotio debiti finis, quatenus talis remotio adiungitur fini indebito. Et

in primo dist. 26. quæst. vnica art. 3. ait: malum non esse partem vniuersi, quia neque habet naturam substantiæ, neque accidentis, sed priuationis tantum. Denique *in scripto super lib. secundo dist. 34. art. 1. in C.* ait malum dupliciter accipi: in abstracto: & in concreto: abstractè accipiendo malum, inquit, hoc modo est; sicut & aliæ priuationes sunt, vt cæcitas, aut surditas; nam malum nihil est aliud, nisi priuatio boni. Accipiendo malum concretè, aliquid erit; non in quantum malum, sed in quantum tale, vel tale ens, sicut dèr tenebrosus aliquid est, non in quantum est tenebrosus, sed in quantum corpus quoddam. Si quis autem dicat Sanctum Doctorem hìc loquutum esse de malo physico, non de morali, legat *distinctionem 35. art. 2. in C.* vbi sic habetur: (Malum culpæ consistit in hoc, quod creatura rationalis destituitur bono propriæ operationis, cuius est domina; hoc autem bono potest destitui dupliciter, vno modo, quia operatio debita totaliter tollitur, & sic est peccatum omissionis, alio modo, quia operatio debita bonitate priuatur; & hoc est peccatum commissionis.)

10 Dices: malum á D. T. vocari nihil, & priuationem non physicè, sed moraliter; eò quod pro nihilo habendum sit; sicut Apostolus vocauit Idolum *prima ad Corinth. 8.* quando dixit: (Scimus, quia nihil est idolum in mundo.)

Respondeo: verba D. T. sumenda esse dogmatice, atque adeò absolutè secundum quod sonant, & mirum, quod nullibi hunc aduersariorum sensum explicauerit, cum semper, & vbique eodem tenore verborum loquutus sit. Ad illud D. Pauli: Respondeo eo eodem S. T. Apostolum ob tria Idolum appellasse nihil; primo quantum ad formam; licèt enim eius materia aliquid sit, scilicet aurum, vel argentum &c. eius tamen forma ab idololatris putata est deitas, quæ est fictitia, & impossibilis. Secundò quantum ad cõflatum ex simulacro, & maligno spiritu inhabitante, ex quibus nequit fieri vna persona subsistens, quemadmodum Ethnici existimabant. Tertiò quantum ad rem repræsentatam, eo quod repræsentaret Deum, qui nullus est. Quemadmodum igitur in hac triplici acceptione Idolum, etiam physicè dicitur esse nihilum, non verò moraliter tantum, ita, & malum quandò appellatur á D. T. nihilum.

11 Probatur quarto nostra Conclusio ratione fundamentali: si malitia in positiuo consisteret, sequeretur Deum esse causam physicam dictæ malitiæ, atque adeò peccati secundùm suam propriam, & formalem rationem; sed hoc est absurdum, ergo &c. Sequela probatur, quia licèt Deus non excitet ad malum, & non intendat illud nè materialiter quidem, nè dum formaliter; vnde dicitur permittendo ad illud concurrere: non potest tamen negari, quin omne ens reale saltem per generalem concursum pendeat ab illo, tanquam á causa prima; sufficere autem huiusmodi concursum, vt Deus dicatur vera causa illius effectus, patet ex tota scriptura, præsertim ex illo *Sapientiæ 1.* (Omnia per ipsum facta sunt.) tum sic: Concursus, quo Deus generaliter in omnes res creatas influit, satis est, vt Deus dicatur illas verè causare, & conseruare; ergo si ratio formalis peccati est entitas aliqua positiua, per hoc, quod Deus in illam generali concursu influere debeat, odiendus odio suæ causæ. Confirmatur: quia ex eo Patres probant Deum non esse causam peccati, quia huius malitia non est ratio aliqua positiua; igitur si positiua esset, negari non posse eum esse causam illius.

Hoc argumentum adeo euidens est, vt Caietanus, dictæ sententiæ de positiua malitia auctor, non ausus sit eius negare sequelam. Sed in contrarium reclamant Patres, & piæ Catholicorum aures refugiunt; & rectè id quidem, nam si Deus nihil odit eorum, quæ fecit, sed diligit omnia, quæ sunt, vt habetur *Sapientiæ 11.* (odio autem illi sunt impius, & impietas eius) *ex Sapientiæ 14.* necessario infertur Deum non posse esse causam impietatis.

Caietani verò sententiæ fautores negant primò sequelam; inter quos Medina rationem negationis assignans: licet, inquit, malitia sit entitas positiua, est tamen deficiens, & rectitudinis priuationem includens. Sed contra est, quia vel esse entitatem deficientem importat esse formaliter aliquid negatiuum, & hæc est nostra sententia, vel significat esse quidem entitatem realem formaliter, sed deficientem à regula, & quam necessario negatio conuenientis rationis cum recta ratione comitetur; & sic non potest negari eius causam esse Deum, sicuti cæterorum entium, quæ cum finitam habeant perfectionem, semper negationem alicuius alterius perfectionis habent adiunctam; dicere autem, quod imporet intrinsecè, & essentialiter vtrique de formali, *est facere per plura, quod* per pauciora *fieri potest.*

Respondet *secundò Arriaga*: huiusmodi ar- 13
gumentum etiam à nobis soluendum esse, quia non aliter ab homine fit priuatio rectitudinis, quam entitatem physicam producendo, ad quã consequitur illa priuatio; cum igitur Deus Physicam entitatem actus in omnium sententia producat, erit etiam causa priuationis rectitudinis illius.

Sed contra, quia falsum est, quod assumitur. Ad eius vero probationem distinguo antecedens: non aliter fit ab homine priuatio rectitudinis, quam entitatem physicam actus quomodocumque producendo nego, producendo *illam speciali modo*, hoc est determinando *ad illam*, cum obligatione rectitudinem oppositam ponendi, concedo Antecedens, & nego consequentiam. Ratio negationis est, quia cum carentia sit non ens, non agnoscit propriè sui causam efficientem, *sed illi soli* tanquam causæ tribuitur, quod potest, & debet oppositam formam positiuam ponere, huiusmodi autem est sola voluntas humana; non verò diuina: ergo &c.

Neque dicas primo; hoc ipso quod offert Deus concursum suum ad vtrumlibet censeri debet

debet causa peccati, sicut censetur homo, qui exhibet se ad alium hominē adiuuandū, siue bene, siue male operari voluerit. Cōtra enim est: quia per oblationem indifferentis concursus Deus, non est, nisi causa permissiua peccati, in quantum cum possit illud impedire, non impedit; Hoc autem non est Deo culpabile, quia non tenetur suum denegare concursum creaturis, & sic impedire peccatum; imò ratione causæ primæ, & vniuersalis tenetur ad oppositum; videlicet libertatem creatam in sua indifferentia conservare. Per quod patet disparitas inter Deum, & hominem, qui se exibeat adiuuare alium ad vtrumlibet; hic enim non solum in ea exhibitione peccaret, sed etiam peccaret; quando cum illo ad actum peccaminosum concurreret, eo quod nulla lege teneatur exibere illi suum concursum indifferentem, quia est causa particularis, & in eodem ordine cum illo.

14 Neque verum addas hinc sequi Deum non esse causam peccati, etiam si illud prædefiniret, eo quod in exequutione non præberet voluntati creatæ, nisi concursum suum indifferentē. Nego enim sequelam, quia licet non esset causa ratione exhibitionis concursus: esset tamen ratione prædefinitionis, tum quia afficeretur determinatè erga actum malum, non minus, quam peccator ipse, tum etiam quia esset auctor illius, dando determinationem remotam in ordine ad illum, sicuti propter eandem rationem censetur auctor actus honesti, quem præuidit. Non negauerim tamen in tali casu impossibili hominem etiam fore peccaturum, quia liberè se ad peccandum determinaret.

Quodsi replices tertiò, quod est causa causæ, est causa causati, atque adeò non posse voluntatem creatam esse causam malitiæ peccati, quin Deus ipse etiam sit causa illius.

15 Respondeo ex D. Thoma *in scripto parno lib. 2. dist. 35. art. 4. in c.* vbi sic habet (id quod est à Deo tripliciter: secundum quod eius causa est Deus, est etiam a Deo; quod autem est à voluntate secundum aliquid, cuius causa non est Deus, non erit a Deo:) in peccato autem est duo considerare, scilicet naturam actionis, & deformitatem actus, natura autem actionis est à voluntate, secundum quod est quædam actiua potentia, & ad bonum ordinata, cum nihil agat nisi ad bonum respiciens, vt ait Dionysius; sed difformitas peccati causatur à voluntate secundum defectum, qui eam consequitur; secundum quod est ex nihilo; nihili autem Deus non est causa, qui tamen causa est cuiuslibet actiuæ potentiæ, & ordinis ad bonum; & ideo substantia actus peccati est à Deo non autem deformitas; ex his patet negandam esse consequentiam argumenti.

Respondent Alij tertiò, ex doctrina quam modo tradidimus contra Arriagam sic: Illi imputanda est malitia peccati tanquam causæ, qui ad eam concurrit determinando cum obligatione ad oppositam rectitudinem introducendam; sed quamuis malitia sit forma positiua; Deus non concurrit ad illam determinando &c. sed ponius vt determinatus ab homine habente obligationem; non erit ergo causa illius.

Sed contra est primò, quia licet vera in malitia, posito quod malitia in priuatione consistat, falsam tamen esse, & constitutis aliquo positiuo: patet ex eo, quod Deus ad omnes effectus cum naturales, tum liberos concurrit vt causa prima & vniuersalis, quia (vt dictum fuit) non est causa vllius effectus, qui ita malus sit, vt &c. Ergo est secundò, quia sic eodem modo Deus causaret physicè malitiam, sicuti causat omnia, ad quæ concurrit determinatus à causis secundis, sed hoc constanter negatur a Sanctis Patribus, & Scriptura, ergo &c. Confirmatur tertiò, quia vt docet Augustinus, malitia non habet causam efficientem, sed deficientem, hoc autem falsum esset in hac sententia, ergo &c. 85

Dices: Ex entitate actus oritur est causa Deus, ac est homo, ergo si secundum ordinem primationis referendis consecutiue causa homicidij censeri debet Deus, quia militat in vtroque eadem ratio, sim. in primum, ergo sicuti ex diuersitate influxus Diuini ex modo Deū à malitia in primatiua dissentē &c. non eximes illum, tametsi in positiuo consistere. 16

Respondeo concessa maiore, eligendo primum membrum: Ad probationem in contrarium nego consequentiam. Disparitas ratio est, quia malitia in priuatione consistens eximit Deum à ratione causæ; contra vero si in positiuo posita sit. Hoc patet ex eo, quia Deus diuerso modo concurrit in effectus creatos, qua creatura, & tamen hæc diuersitas non tollit ab eo munus causæ primæ &c. ergo

Respondent Alij quartò distinguendo sequelam illam: quod scilicet Deus esset causa peccati, sic, esset causa absolutè, & per se, negant per accidens, & permissiuè concedunt. Sed negant hoc secundum esse absurdum, nam ex eo non sequitur Deum absolute esse causam actus mali, dicitur enim simul cum voluntate nostra influere, ad eum planè modum, quo licet Pater in Diuinis influat in Filium, non sequitur, quod sit causa filij: & ratio huius est (inquiunt) quia causa peccati non dicitur omne id, quod qualitercumque est causa actus mali, sed quod est causa, vel intendens, vel inclinans, vel determinans; & quidem hoc verum putant, non solum loquendo de causa morali, sed etiam de causa physica. Quare consequenter absolutè negant Deum esse causā physicam per se, & absolutam actus mali, etiam si sermo sit de causa physica vniuersali, siquidem de ratione causæ primæ, & vniuersalis dicunt esse, propendere in bonum, dum causas secundas adiuuat; sed Deum quando nobiscum concurrit ad actum malum esse vlla propensione cōcurrisse, ergo &c. 17

Sed contra hanc Responsionem multa inuoluentem absurda, multa solida argumenta facere videntur. Primum contra id, quod dicitur: Deum non esse causam absolutè, & per se actus mali secundum totum id, quod de positiuo dicit, sic: quia Deum influere immediatè, & per se in omnem actionem creaturæ ita communi est, vt negari sit contra communem in fide, vt ex profes-

fesso

ſſo probat Suarez *in metaph. diſput. 22. à num. 7.* ex Scripturis, Patribus, atque Scholaſticis, quos ait tanquam dogma fidei id recipere. Et rectè id quidem: ſi enim Deus non influit abſolutè, & per ſe in omnem actum poſitiuum creaturæ; ergo ipſe actus poſitiuus vt ſit, non poſtulat abſolutè per sè, & eſſentialiter influxum Dei; ſed hoc implicat; ergo ſi malitia in poſitiuo conſiſteret, Deum eſſe cauſam abſolutè, & per ſe peccati negari catholicè non poſſet. Sequela maioris fundatur in principio illo certiſſimo, quod Deus vt rectè exerceat munus cauſæ primæ, debeat ſe accommodare exigentiæ ſuarum creaturarum, aliàs inſufficienter illud exerceret.

38 Secundum facit contra aliud membrum diſtinctionis, in quo conceditur Deum eſſe cauſam per accidens actus mali, ſecundùm quod malus eſt, ſic: cauſa per accidens ex dictis *in Phyſic. diſp. 28. ſect. 2.* eſt duplex: altera, quæ ſe tenet ex parte cauſæ, & eſt illa quæ cum cauſa perſe alicuius effectus contingenter coniungitur, cuiuſmodi eſt muſica reſpectu ædificij, ſi contingat eum, qui ædificat, eſſe muſicum: Altera quæ ſe tenet ex parte effectus, & eſt quæ præter intentionem cauſat aliquem effectum, qui rarò, & contingenter cum effectu per ſe ab ipſa cauſa intento coniungitur, cuiuſmodi eſt ignis reſpectu ruinæ domus, quę nitebatur lignis, quæ ab eo per ſe comburuntur; & ſubnitur ex Ariſtotele *in phyſicis lib. 2.* ſed neutro modo Deus eſſet cauſa malitiæ poſitiuæ cum actu malo identificatæ; non enim sè haberet, ſicuti muſica reſpectu ædificij, quia ſic non influeret in illam: neque vt ignis reſpectu ruinæ domus, quia ſic caſu Deus operaretur; quod eſt expreſsè contra Auguſtinũ *lib. 33. qq. q. 24.* vbi ſic: Quidquid caſu fit, temerè fit, quidquid temerè fit, non ſit prouidentia; ſi ergo caſu aliqua ſiunt in mundo, non prouidẽtia vniuerſus mundus adminiſtratur. Nihil dico de cauſa per accidens, quatenus ſignificat per aliud; quia hæc acceptio negare videtur cum Durando influxum immediatũ Dei in creaturas.

39 Tertium militat contra exemplum ex Verbi Diuini productione deſumptum: quia præterquam quod videtur indignum: profundiſſimum productionis Verbi myſterium ad rem tam abiectam, ſicuti eſt peccatum, transferre: ſic argumentor: In tantum Pater non dicitur cauſa Filij, licet influat eſſe in Filium, in quantum eandẽ numero naturam, quam habet in ſe, illi communicat, vt probauimus *in phyſicis diſp. 11. ſect. 1.* vel, vt alij putant, quia non dat illi naturam defectibilem: ſed neutrum dici poteſt de Deo in ordine ad actum malum; ergo poſito quod abſolutè influit in actum malum ſecundùm rationẽ vltimam malitiæ conſideratum, non poteſt negari eum eſſe abſolutè cauſam illius. Addo quod Verbum diuinum reſpectu nullius eſt effectus, contra verò peccatum.

40 Quartum denique opponitur rationi, quam adducunt Aduerſarij aſſerentes cauſam peccati non dici id, quod quomodocumque influit in actum malum, ſed ſolum id, quod eſt cauſa, vel intendens vel inclinans, vel determinans ad illum, cuiuſmodi dicunt non eſſe Deum. Contra quod ſic argumentor, & quidem, vt negatiua partis falſitatem prætream, ſic inſurgo: ſi malitia in poſitiuo conſiſteret, licet Deus non eſſet cauſa determinans peccatorem ad actum malũ, eſſet tamen intendens, & inclinans ad illum; ſed hoc ſufficit, vt cenſeatur cauſa illius abſolutè, & per ſe, vt patet ex actu bono liberè ab homine facto, nec non etiam ex actu de sè indifferenti; ergo &c. Probo maiorem, quæ ſola probatione eget, & primò quantum ad id, quod intenderet: ſupponendo cum omnibus, qui de intentione agunt, quod intentio eſt voluntas efficax finis: Tum ſic: implicat vt Deus præbeat de facto ſuum concurſum, ad actum malum, abſque efficaci voluntate præbendi illum, quia omnia, quæ Deus operatur ad extra, liberè, & ex efficaci voluntate illa operatur; cum igitur finis per sè, & eſſentialis exhibitionis concurſus ſit actus poſitiuus, in ordine ad quem exhibetur, poſito quod malitia in ipſo actu malo conſiſtit, implicat Deum non intendere illam; quia eo modo quo aliquis prudenter operans vult medium eſſentiale, & per ſe ordinatum ad finem, vult etiam ipſum finem: alioquin operaretur aliquid, illud minime intendendo, quod eſt proprium agentis neceſſarij, vel imprudentis; Neque dicas quod ad operandum liberè ſufficiat permiſſiuè sè habere. Contra enim eſt, quia cauſa permiſſiua non eſt cauſa phyſica, ſed ſolum moralis, qualis eſt Princeps in republica Meretrices V. G. ad vitãdum maius malum permittens; implicat enim quod qui phyſicè aliquid operatur, in ordine ad huiuſmodi effectum permiſſiuè tantum ſe geras, & non etiam influxiuè. Ex quo deducitur non poſſe ſuſtineri Deum eſſe cauſam permiſſiuam peccati, hoc ipſo quod peccatum ſumptum in ratione malitiæ in poſitiuo, & non in negatiuo conſiſtit.

Eandem verò Maiorem probo quantum ad id, quod ad Dei inclinationem pertinet, quia inclinatio in vniuerſum eſt duplex: altera *innata*, altera elicita; ſed ſi malitia in *poſitiuo conſiſteret*, vtraque inclinatione *Deus in illam inclinaret*; ergo non poſſet *negari eum eſſe cauſam* abſolutè, & per sè dictæ malitiæ. Maior patet, & Minor euincitur; & quidem quo ad inclinationem elicitam conſtat ex dictis, quia per efficacem voluntatem in illam influeret; quę ad verò innatam ſuadetur, quia innata inclinatio Dei ad creaturas non eſt alia ab omnipotentia per quam conſtituitur actu potens *in illas influere*; ſed ſi malitia in poſitiuo conſiſtit, ſicuti Deus per omnipotentiam ſuam actu *in illam influit*: ita per eandem conſtituitur potẽs in illam influere; ergo iam Deus per innatam *inclinationem in malitiã inclinaret*, & per conſequẽs non eſſet ratio, cur *reſpectu illius non* exerceret munus cauſæ primæ, & vniuerſalis. 41

Ex quibus patet falſam eſſe ſententiam Raynaudi *in morali diſciplina diſt. 4. q. 3. art. 2.* docẽtis quod licet actus peccaminoſus in ſe conſideratus non ſit malus, eſt tamen malus pro vt à creatura liberè cauſatur, atque adeo malitiam *in ipſa* dependentia actus à libero arbitrio poſitam eſſe, ſeu, quod idem eſt, *in ipſa* actione, pro vt eſt à creatura; quo pacto certum eſt eam minime cauſari à Deo. Contra enim eſt primo

quia

Digitized by Google

quia neque illuminatio prout est à sole, est à Deo, neque actus amoris Dei, prout est ab homine; Deus n. neque est sol, neque homo; & tamen Patres concedũtiones effectus positiuos causari à Deo, non tamen peccatum; plus igitur negandũ est Deo in ordine ad malitiã peccati, quam in ordine ad actionem, pour est á causa secunda libera. Contra est secundò, quia hoc ipsum, quod est actionem peccaminosam esse ab homine tanquam á determinante, pendet à Deo in genere causæ efficientis, & idæalis. ergo est participatio Diuini esse, & diuinæ bonitatis, & sanctitatis, &c. sic non potest esse Deo odibilis, vtpotè ei similis, ab eoque originata, vt probat August. *lib. 12. de ciu. cap. 2.*

Respondent denique alij quintò cum Tannero *disput. 2. q. 5. dub. 2. & 5.* duplicem dari malitiam, vnam absolutam, & in se; aliam respectiuam, & in ordine ad subiectũ; primam docent consistere in carentia rectitudinis; secundam verò aiunt esse rationem quamdam positiuam non physicam, sed moralem, quæ consurgit in actu ex rationibus physicis illius, prout connotant aduertentiam rationis, & ideò non causari à Deo, sed solùm à creatura.

22

Sed, præterquamquod actus malus non est malus moraliter in se, nisi respectu hominis à quo libere producitur, contra hanc sententiam facit, quia malè de malitia respectiua discurrit, siquidem moralitas hæc positiua, in qua per Tannerum peccati malitia consistit, vel primò est distincta à rationibus physicis, tum negatiuis, tum positiuis, siuè intrinsecis, siuè extrinsecis actui; & hoc non, quia præterquamquod idem dicendum esset de bonitate actus honesti, quod tamen falsum est per omnes: si possemus formalitatem peccati saluare dicendo, quod sit à parte rei, & independens à nostra cogitatione reflexa, eam in actu peccaminoso quamuis prudenter fingendo, deberemus; sed possumus, asserendo, quod in priuatione rectitudinis debitæ consistat. ergo &c.

23

Vel secundò dicta moralitas ponitur intrinsecè imbibita in negatione physica rectitudinis, quam habet actus peccaminosus; sic hæc quidem sententia in rè, non differt à nostra, vti videbimus, sed solùm in modo loquendi, dum dictam moralitatem positiuam appellat, cum dici potius debeat negatiua, eo quod forma moralis suum esse positiuum, vel negatiuum ab esse sui proximi fundamenti, cui identificatur, desumit, vt benè notat P. Suarez *in prima secunda tract. 2. disput. 7. sect. 4.*

Vel denique ponitur tertiò moralitas hæc imbibita in rationibus physicis positiuis ipsius actus; & hoc videtur impossibile, quia iam ratio formalis peccati penderet á Deo, ponitur enim moralitas hæc identificari cum positiuis rationibus physicis, quas omnes causari à Deo lucè clarius est.

24

Neque dicas, quod penderet quidem hæc moralitas physicè à Deo, non autem moraliter. Contra enim est, quia Patres negarunt eam pendere á Deo, quia nihil est, non verò quia moralis est. Quod si replices dictam moralitatem esse physicè nihil. Contra, quia physicè per se identificatur cum rationibus physicis positiuis actus; non igitur physicè loquendo nihil est. Quod si addas te loqui de ea forma morali formaliter, qua tali, quomodo non potest esse quid physicum. Contra etiam est, quia sic bonitas actus honesti esset etiam physicè nihil, quia ipsa quoque esset moralitas, ex rationibus physicis positiuis actus boni resultans, posita aduertentia intellectus &c. Atque adeo si negant Patres causalitatem Dei in peccatum, eo quod moralitas peccati formaliter non est quid physicum, deberent etiam negare eius causalitatem in opus bonum, quia quantum ad hoc paria essent; quamuis aliunde Deus dici possit causa moralis operis honesti, in quantum ad illud suasionibus, consilijs, pollicitationibus, & auxilijs nos induceret. Verùm hoc est expressè contra communem sensum Patruum, dicentium ideò peccatum non causari à Deo, quia eius malitia nihil est, contra verò opus honestum causari ab illo, eo quod eius bonitas est quid positiuum, ac reale.

25

Probatur denique quintò assertiò nostra. Quia omne ens positiuum est essentialiter participatio quædam diuinæ bonitatis; sed actus malus secundùm quod importat de malitia, non potest esse huiusmodi; ergo actus malus secundùm quod importat de malitia, implicat, quod in aliquo positiuo consistat. Maior patet auctoritate D. Augustini *lib. 83. q. 9. q. 24.* vbi sic: Omne quod est, in quantum est bonum est, summè autem est illud bonum cuius participatione sunt bona cætera; & omne, quod mutabile est, non per se ipsum, sed boni immutabilis participatione, in quantum est, bonum est. Porrò illud bonum cuius participatione sunt bona cætera, quæcumque sunt, non per aliud, sed per se ipsum bonum est; ergo &c. Minor verò suadetur discursu D. T. *de potentia q. 2. art. 1. in corp.* vbi sic: Dicendum, quod natura cuiuslibet actus est, quod se ipsum communicet quantum possibile est. Vndè vnumquodque agens agit secundum quod est in actu; agere verò nihil aliud est, quam communicare illud, per quod agens est actu, secundum quod est possibile; Natura autem diuina maximè, & purissimè actus est; vndè & ipsa se ipsam communicat quantum possibile est: communicat autem se ipsam per solam sui similitudinem creaturis, quod omnibus patet; nam qualibet creatura est ens secundùm similitudinem ad ipsam. Tum sic: implicat, quod Diuina natura communicet se ipsam per similitudinem actui malo, qua malus est; ergo implicat actum malum, qua talem esse participationem diuinæ bonitatis. Hoc argumentum solidissimum est, sed quia nos ad reliqua properamus, ideò inefficaciam solutionum, quibus aduersarij illud declinare conantur, patefacere non curamus.

SE-

SECTIO SECUNDA:

Solumtur obiectiones.

26 OBijcies primò peccatū commissionis ortum secundum entitatem suam est disforme rectæ rationi: ergo eius malitia in negatione positiua consistit. Confirmatur ab Arriaga ex physicis, quia mala respectiua, seu mala alteri, sæpe consistunt formaliter in positiuo: ergo, & mala moralia etiam in positiuo consistere possunt. Consequentia patet paritate; antecedens probatur, quia error est malus intellectui, non solùm quia primæ scientiæ, sed per suam mere entitatem positiuam, sicuti etiam dolor, & si non priuet delectatione, malus erit. Respondeo distinguendo antecedens: peccatum commissionis secundùm suam entitatem cōsideratum est disforme fundamentaliter, & denominatiuè rectæ rationi, concedo; formaliter, & ex se, nego antecedens, & consequentiam; hoc enim habet beneficio priuationis rectitudinis debitæ. Ad confirmationem verò ex physicis, nego ea, quæ sunt mala alteri tamquam subiecto, consistere formaliter in positiuo. Ad probationem in contrarium dico: errorem esse malum intellectui ex eo præcisè, quia illum priuat rectitudine, quam in suis actibus cognoscitiuis habere postulat; quæ quidem priuatio cum primò, & per se afficiat ipsos actus, multò peior censenda est, quam priuatio scientiæ vt sic, vti dicemus. Quod attinet ad dolorem, quidam dicunt, illum esse bonum naturæ sensitiuæ; est enim actus vitalis, quo natura animalis refugit à malo præsenti: quæ sententia confirmari potest ex indolentia, quæ est mala animali, & ex stupiditate prouenire solet. sed quidquid sit de hoc, dici etiam potest, dolorem esse malum, & in priuatione constitutionis debitæ animali, hoc ipso quod sentiat, eius malitiam positam esse. Idem docet Salas *q. 17. tract. 13. disput. 2. sect. 3.* de tristitia, quia ipsa priuat delectatione, quam quis caperet de carentia mali, & pugnat cum salute, & bona corporis dispositione ad viuendum; quamuis enim non excludat formaliter vitam, inhabilem tamen reddit animum ad eius opera, quia tenet mentem ligatam in malo, quod patitur; quibus priuationibus exclusis, docet tristitiam non esse malam, sed potius bonam, & expetibilem ex suppositione mali illati: quia de proprio, vel de aliorum malo dolere, natura ipsa & charitas postulare videtur.

27 Instabis ex eodem Arriaga *num 50.* magnus nasus est malus faciei, & causat turpitudinē; sed non priuat forma positiua: ergo &c. Respondeo negando minorem; priuat enim figura debita homini, quæ est quid positiuum. Idem dicunt alij, dum asserunt huiusmodi nasum priuare hominem pulchritudine. Neque dicas pulchritudinem ea ex parte consistere in negatiuo, scilicet *in eo, quod* non habeat plusquā *proportio faciei requirat*; falsum enim hoc esse, patet ex eo, quia eodem modo dici etiam posset, quod essentia hominis in negatiuo cōsisteret, id est, in eo quod non habeat plusquam humana natura requirat, quod est apertè falsum. eodem modo respondendum est exemplo ex artificialibus desumpto, quo vtitur idem auctor *num. 51.* sic: Idem lapis, qui hic & nunc nullam habet formam hominis, si immotus, nihil prorsus positiuum recipiens ab Angelo per ablationem superfluarum partium, poliatur, constituet profecto perfectā imaginem. ergo ratio illa imaginis consistet inadæquatè in carentia partium superfluarū; & sic malum, qua patet imagini opponitur cōsistet in redundantia dictarum partium superfluarum. Respondeo enim, casum esse impossibilem; hoc enim ipso, quod Angelus partes superfluas lapidi detrahit, resultat in eo nova superficies, quæ dicitur figura; & in sententia Aristotelis est de genere qualitatis. Atq; hoc stando in ea responsione, quod etiam malum physicum in negatione consistat, si quidem alij sunt, qui probabiliter cognoscunt, huiusmodi malum consistere posse in aliquo positiuo, non verò malum morale; cuius disparitatis rationem assignant, quia malum physicum potest sine absurditate vlla habere Deum, vt causam sui, non verò malum morale.

28 Obijcies secundò: actus constituitur formaliter malus per ordinem ad obiectum malum; ergo per ordinem ad aliquid positiuum. Consequentia patet. Antecedens euincitur, quia ex bono, vel malo obiecto, habet actus quod sit bonus, vel malus, quatenus specificatus habitu.

Respondeo, negando antecedens, si loquamur de ordine transcendentali, per quem non eus respicit obiectum; per huiusmodi enim ordinem constituitur actus in sua specie physica, atque morali, quæ species sunt *fundamentum* malitiæ. Ad Antecedentis *probationem* dico, obiectum malum *sumi posse dupliciter*: fundamentaliter, & *formaliter*, sicuti etiam potest & actus. *primo modo sumptum*, est quid positiuum: secundo vero consistit in negatiuo vti vidimus; vtroni autem modo sumatur ei correspondet actus cum pari malitia. quare quādo Aristoteles dixit bonū, & malū esse differentias actuum moralium, loquutus est de malo fundamentaliter sumpto; actus enim liber secundùm vltimam differentiam, quam per ordinem ad obiectum desumit, potest dupliciter considerari: physicè, & moraliter; physicè sumitur secundùm suam entitatem: moraliter verò pro vt censetur á principio libero, & prout est fundamentum comparabilitatis cum regula *rectæ rationis*, atque adeo quatenus est fundamentum formalis malitiæ, vel bonitatis.

29 Obijcies tertiò ex Arriaga: conformitas cū præcepto negatiuo habetur per quid negatiuum. ergo, & transgressio huius præcepti per quid positiuum habebitur. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia habetur per carentiā conformitatis. ergo habetur per carentiam carentiæ, quæ non potest nisi in positiuo consistere.

Res-

Respondeo; virtutes per præcepta negatiua prohibere malos actus, & per affirmatiua præcipere bonos; præceptum autem quodcumque duplex habet obiectū, immediatū, & mediatū, seu proximum, & remotum; proximum affirmatiui obiectum est actus positiuus præceptus; remotum verò eius rectitudo formalis. At vero negatiui proximum est actus positiuus prohibitus: remotum verò priuatio rectitudinis, quæ in dicto actu positiuo prohibito reperitur; in tantum enim actus odij Dei V. G. prohibetur, in quantum caret debita rectitudine; vnde fit vt vtrumque obiectum præcepti negatiui sit negatiuum, & vtrumque affirmatiui, affirmatiuū. Hac doctrina posita, concesso antecedente, distinguo consequens: transgressio præcepti negatiui habetur per quid positiuum sita vt hoc positiuū sit obiectū prohibitionis proximū, concedo; ita vt hoc positiuum sit obiectum prohibitionis remotum, nego consequentiam. Ad cuius probationem concesso item antecedente, & prima consequentia, nego secundam; ac dico priuationem seu carentiam alicuius formæ dupliciter posse tolli: primò per positionem formæ oppositæ; secundò vero per ablationem subiecti, in quo ipsa priuatio reperitur; quamuis autem carentia carentiæ, primo modo ablatæ, habeatur per quid positiuum; at non ablata secundo modo. Iam verò præceptum negatiuū non est de tollenda carentia rectitudinis ab actu per positionem ipsius rectitudinis, sed per ablationem actus, qui à dicto præcepto immediatè prohibetur.

20 Similè argumentum formatidem Arriaga nu. 42. sic: lex prohibens furtum vel odium Dei, non exigit à me aliquid aliud, quam carentiam odij vel furti; ergo non aliter violo dictam legem, quam habendo ipsum odium, vel voluntatem furandi; transgressio igitur huiusce legis formalissimè consistit in positiua positione odij vetiti; sicuti si esset lex aliqua mandans formalissimè tenebras, formaliter illi opponeretur homo producendo lucem. Cuius solutio patet ex dictis; concesso enim antecedente, & prima consequentia, nego secundam; transgressio enim formalissima legis habetur per positionē illius obiecti, quod ipsa formalissimè detestatur; hoc autem in casu posito est priuatio rectitudinis debitæ in actu odij; ergo &c. Ad illud de lege mandante tenebras, neganda est paritas; ratio disparitatis est, quia odium vetitum non se habet vt tenebra, sed potius vt aer tenebrosus; sicuti igitur si esset lex, quæ prohiberet tenebrosum aerem, huiusmodi legi satisfieret per ablationem dicti aeris, & tamen tenebra in priuatione lucis consistit; ita & in casu nostro.

33 Instabis ex Quiedo *tract. 4. in primam secundæ cont.* 1. *nu.* 69. malitia consistit in oppositione ad dictamen rectæ rationis; sed hæc oppositio est quid positiuum, & non priuatiuum. ergo &c. Maior patet. Minor enincitur, quia opponi dictamini, est facere oppositum eius quod dictamen præscribit; sed oppositum, quod præscribit in præceptis negatiuis, est ipsemet positiuus actus. ergo huiusmodi oppositio in alieno positiuo consistit.

Respondeo eodem modo, sicuti supra, negando maiorem. Ad cuius probationem dico quod dictamen rationis intimantis voluntati sibi subditæ esse faciendum, habere quidem pro obiecto proximo sibi opposito ipsum actum positiuum fugiendum, at verò pro remoto carentiam rectitudinis, quæ huic actui vetanti circa bonum adhæret. Sic concesso maiore distinguo minorem, oppositum ei, quod dictamen præscribit ipse actus fugiendus; oppositum inquantum mediatum, & proximum, concedo; mediatū, ac remotum, nego minorem & consequentiam. Neque dicas Quiedo, malitiam consistere in proxima, & immediata oppositione; nam hæc est solum malitia fundamentalis; siquidem formalis est illa, quæ se ipsa, & non ratione alterius prohibetur; huiusmodi autem est carentia rectitudinis, non vero entitas actus malè; vt de se patet; siquidem si hæc conformis esset, iam non diceres oppositionem ad dictamen rectæ rationis. 41

Obijcies quarto ex eodē Quiedo *n.* 75. si dicamus malitiā consistere in aggregato actus, & principiorum pertinentiū ad libertatē, non sequitur Deū esse causam malitiæ, etiā si sit causa illorum principiorum. ergo non est cur malitia non consistat in positiuo. Consequentia patet. 23 Antecedens probatur, quia aggregatum illud imputandum est tantum principio creato libero actus, quod est voluntas, & non principio, á quo cætera libertatis principia causata sunt, quod constat ex eo, quia illud censetur causa aggregati, quod est causa illius, per quod vltimò constituitur, tuo etiam illius partis, quæ cæteras alias præsupponit; sed huiusmodi est solus homo, non autem Deus; ergo &c. 22

Respondeo: negando antecedens, & ad eius probationem, nego item antecedens; ad cuius confirmationem admissa maiore, nego minorē; si enim id per quod vltimò huiusmodi aggregatum constituitur esse positiuum, impossibile est, quod ita illius homo, vt causa, vt etiam non sit causa ipse Deus; quia vti supra, notauimus, ad excludendum Deum à ratione causæ rerum positiuarum, non sufficit quod ipse determinatus ad dictas res à causis secundis cum illis concurrat.

Obijcies quinto ex Arriaga *nu.* 44. malitia moralis debet esse in se immediatè libera, & voluntaria; sed si malitia commissionis in aliquo negatiuo consisteret, non posset esse huiusmodi; ergo &c. Minor patet. Maior enincitur paritate actuum externorum, qui non sunt formaliter boni, & mali, sed solum denominatiuè, eo quod denominatiuè tantum sunt liberi. 33

Respondeo, negando maiorem; Ad cuius probationem nego paritatem, non enim sic recte comparatio; siquidem ex parte actus voluntatis consideratur formalitas eius malitiæ: ex parte vero actus externi entitas ipsius actus; & per hoc patet disparitas, quod si debitè comparentur, assimilando denominationem formalem, quæ est in actu voluntatis, cum in ordinatione obiectiua, quæ est in actu externo, argumentum est potius contra nos, quidem negā- 44

fatente hoc auctore num. 48. volitio comedendi carnes die veneris V. G. non fertur in trãsgressionem externam, sed in ipsam comestionem; & rectè id quidem, nemo enim intendens in malum operatur. sicuti igitur malitia obiectiua actus externi non potest esse in se immediatè libera, & voluntaria: ita neque malitia formalis actus interni voluntatis.

34 Obijcies sextò habitus malus constituitur in suo esse per aliquid positiuum. ergo, & peccatum commissionis. Consequentia probatur; non enim potest assignari disparitas, cum ambo ab eodem specificentur obiecto.

Respondent aliqui negando consequentiam. Disparitatem assignant in eo, quod ex vna parte habitus malus positiuè inclinat, & facilitat potentiam in ordine ad actus malos secundum suam essentiam positiuam consideratos: ex alia verò non reddit habentem, Deo inuisum, & inimicum, vndè est, quod Deus possit esse causa habitus mali; neutrum autem in peccato commissionis habetur. sed melius negatur antecedẽs, sicuti enim obiectum per nos malum, in ratione mali constituitur per carentiam positiuæ conformitatis cum natura reali, ita, habitus malus, quatenus malus est homini, per similem carentiam constituatur necesse est.

35 Obijcies septimò pro malitia relatiua: actus malus formaliter importat disconuenientiam cum recta ratione, sed disconuenientia est relatio, siuè realis, siuè rationis. ergo malitia commissionis in relatione consistit.

Respondeo distinguendo maiorem; actus malus formaliter importat disconuenientiam relatiuam cum recta ratione nego; priuatiuam concedo; & sic distincta minore, nego consequentiam; & dico, quod relatio resultat semper posito fundamento, & termino; vel igitur fundamentum relationis disconuenientiæ est sola entitas positiua actus mali, vel defectus aliquis, qui in ea est. Non primum, quia si per impossibile, nullus in ea esset debitæ perfectionis defectus, vtique esset rectæ rationi consentanea, ad eum planè modum quo, si homo mõstruosus suam debitam perfectionem haberet nõ esset fundamentum relationis disconuenientiæ ad suam idæam. ergo secundum: tum sic: Antecedenter ad relationem disconuenientiæ habetur eius fundamentum priuatiuum in actu, sed in eo tota essentia malitiæ saluari potest rectè, & dici, quod actus malus formaliter huiusmodi priuatiuam disconuenientiam cum recta ratione importet, relatiuam verò consequenter tantum. ergo &c.

36 Instabis peccatum definitur per hoc, quod sit contra legem æternam, sed esse contra, formalem relationem importat. ergo &c. Respondeo ipsum esse contra, posse sumi relatiuè, fundamentaliter: & formaliter. Primo modo sumptũ licèt inuoluat transcendentalem ordinem ad legem æternam, est tamen prædicamentaliter quid absolutum, fundans relationem prædicamentalem disconuenientiæ ad dictam legem; quam importat secundo modo acceptum. Quo posito aio peccatum definiri per hoc, quod sit contra legem æternam relatiuè fundamentaliter. Sic ad minorem, dico huiusmodi contrarietatem cum lege æterna, dicere quidem relationem formalem, sed tamquam quid consequens, non verò vt quid essentialiter importatum. Quare, nego consequentiam.

SECTIO TERTIA.

De termino per malitiam negato deque eius subiecto.

VNica Conclusio: terminus positiuus negatus per malitiam peccati commissionis est rectitudo, seù honestas debita in esse actui peccaminoso, pertinens ad illam virtutem, circa cuius materiam actus ille versatur. 37

Explico Conclusionem, quælibet virtus sibi determinat specialem materiam, circa quam versatur; V. G. misericordia, miseriam alienam, vt subleuabilem: iustitia ius alienum vt adæquabile; Vniuscuiusque verò munus est perficere actus humanos circa propriam materiam versantes per rectitudinem, tum physicè, tum etiam moraliter positiuam, physicè quidem in quantum affert actui perfectionem ei debitam, qua actus humanus est, circa talem materiam versans; moraliter verò quatenus affert eidem actui conuenientiam cũ debito operantis. Quãuis enim homo non teneatur aliquando operari actum iustitiæ V. G. tenetur tamen ex suppositione, quod velit operari circa rem alienã; & ad minus dicere, nolo illam inuito Domino; ideoque eadem est materia, circa quam, & virtus rectè operatur, & vitiũ oppositum à rectitudine recedit, vt habet D. Th. *in prologo secundæ secundæ*; Vndè fit vt actus peccaminosus in ratione mali constituatur per carentiam rectitudinis illius virtutis, circa cuius materiam versatur. Conclusio autem, sic explicata, est primo contra eos, qui volunt dictum terminum positiuum esse actum bonum, & honestum, qui opponitur actui malo, & peccaminoso: Est secundo contra alios qui putant dictum terminũ esse capacitatem, quã alias haberet voluntas rectè operãdi, nisi in actu malo occuparetur. Tertiò denique cõtra eos, qui sustinet terminum negatum esse rectitudinem, quam in operando debet habere voluntas.

Nostra autem sententia probatur primo impugnando singulas oppositas; & primam quidem, quia si terminus positiuus per malitiam negatus esset actus virtutis oppositæ, quoties haberetur in voluntate negatio dicti actus, toties haberetur malitia peccati commissionis, sed cõsequens est manifestè falsum. ergo. Secundam verò, quia non minus redditur in capax ad rectè operandum homo, qui libere omittit, id quod facere debet, quam ille qui libere committit, id quod non debet. ergo si malitia peccati commissionis in negatione capacitatis posita esset, non distingueretur á malitia peccati omissionis; sed hoc est etiam manifestè falsum. ergo &c. Quod si dicas commissionis malitiam differre per hoc à malitia omissionis, quod per peccatum commissionis, benè operandi capacitas excluditur à voluntate per aliquid 38

quid positiuum, omissionis verò per aliquod negatiuum, scilicet per omissionem actus positiui. Contra est quia, quando quis ita in ludo V. G. occupatur die festo, vt sacrum omittat, excludit à se capacitatem satisfaciendi præcepto per positiuum actum, & tamen non peccat nisi peccato omissionis; ergo differentia assignata nulla est. Tertio denique sic: quia negatio rectitudinis in operando, vel intelligitur esse in voluntate præcisè ratione influxus vt sic, quo actum positiuum in se produxit; & hoc non, quia influxus est bonus, vel malus per ordinem ad actum, quem causare debet; vel etiam ratione actus, & hæc est nostra sententia; vel denique cum præcisione ab vtroque, & hoc dici nequit, quia quando voluntas peccat peccato commissionis in tantum est mala, inquantum operatur actum malum. ergo si ab huiusmodi actu præscindas, habebis illam indifferentem.

32 Probatur secundò: carentia rectitudinis, in qua malitia peccati commissionis posita est, non est immediatè in voluntate, sed in eius actu. ergo terminus per dictam malitiam negatus est honestus, qua caret actus malus pertinens ad illam virtutem, circa cuius materiam ille versatur. Consequentia est euidens. Antecedens probatur multiplicater, & primò quidem ex D. Thoma *qui qu. 21. art. 1. ad secundum* dicit peccatum esse actum debito in ordine priuatum: *qu. vero 18. art. 1.* sic habet: Actio in quantum deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit à bonitate, & dicitur mala. Secundò, quia odium Dei V. G. non solùm est malum causaliter, quia scilicet priuat voluntatem actu amoris Dei; sed etiam formaliter, quatenus scilicet habet in se carentiam rectitudinis, & est disconueniens naturæ rationali. ergo &c. Tertio, quia voluntas non est mala formaliter, nisi per actum defectuosum; actus igitur est, qui primò, & per se malus est, & in se habet carentiam rectitudinis. Quartò denique, quia malitia opponitur priuatiuè honestati; sed honestas non est in potentia, nisi mediante actu. ergo, & malitia in ipso actu immediatè residere debet, & eo mediante in potentia.

33 Obijcies primò: vt carentia rectitudinis in actu odij Dei V. G. malitiæ rationem habeat, debet se habere per modum priuationis moralis respectu dicti actus, sed hoc est impossibile. ergo &c. Minor probatur, quia priuatio ex parte subiecti importat aptitudinem, & capacitatem ad habendam formam oppositam; sed actus odij Dei est incapax moralis rectitudinis, quæ est forma opposita malitiæ; ergo &c.

Respondeo, negando minorem; & ad eius probationem concessa maiore, ad minorem dico, quod licèt actus odij Dei sumptus secundùm suam specificam, & indiuidualem rationem sit incapax moralis rectitudinis; at verò si sumatur secundùm rationem genericam actus humani, non solum est illius capax, sed etiam exactiuus, cui ipsa rectitudo debeatur.

Instabis primò ex Ouiedo *tract. 4. contr. 5. punct. 3.* si odium Dei secundùm rationem specificam est incapax rectitudinis. ergo secundùm rationem specificam non est priuatum rectitudine; igitur secundùm rationem specificam, secundùm quam formaliter constituitur in ratione odij Dei, ne fundamentaliter quidem malum est. 41

Respondeo distinguo primum consequens, odium Dei secundùm rationem specificam non est priuatum rectitudine, secundum quod esse priuatum dicit de aptitudine ad habendam rectitudinem, concedo; secundùm quod dicit de carentia rectitudinis, nego primum, & secundam consequentiam. dico enim quod vt differentia specifica odij Dei sit formalis malitiæ fundamentū, non requiritur, quod ipsa sit apta recipere rectitudinem, sed sufficit, quod ad eam consequatur negatio rectitudinis in actu, qui vt humanus est, possit, imo debeat esse rectus.

Instabis secundò cum Arriaga *disp. 20. sect. 3. subsect. 4. nu. 78.* ex hac doctrina sequitur hominem habere propriam priuationem perfectionis Angelicæ, eo quod quatenus intellectiuus est, capax est Angelicæ quidditatis; consequens est absurdum. ergo &c. 42

Respondendum, negando sequelam, & rationem assignant aliqui, quia inquiunt, ad constituendam propriam rationem malitiæ non requiritur propria priuatio, sed sufficit impropria, quam quia habet actus odij, ita dici potest, quod eam habeat homo in ordine ad Angeli cā perfectionē recipiendā, si intellectiuus vt sic consideretur. Solidiorem verò afferunt alij, quia nimirum priuatio moralis præter qualemcumque capacitatem subiecti debet addere exigentiam perfectionis illius, cuius est priuatio, quam quidem exigentiam habet odium Dei, quatenus actus humanus est, nam sic exigit esse rectus, at verò homo etiam si sumatur vt intellectiuus vt sic, non exigit perfectionem Angelicam.

Instabis tertiò cum eodem ex Suario: si consideretur actus odij Dei secundùm suam rationem genericam, non potest illi esse debita vna potius differentia, quam altera, eo quod ad vtramque habet indifferentiam: ergo &c.

Respondeo, quod licet physicè loquendo verum esset antecedens (quod tamen non cōcedo) falsum tamen moraliter, quia actus humanus debet esse honestus potius, & non inhonestus; vnde actus odij Dei sumpto secundum rationem genericam, debetur potius vna quam altera differentia. Atque per hoc patet non habere veritatem id, quod Ouiedus *loco supra citato nu. 17.* assumebat, non posse videlicet prædicatum genericum exigere id, quod repugnat speciei: neque differentiam contractiuam habere posse repugnantiam cum illo, quod suum exigit genus; oppositum enim videmus in omni eo, quod à multis dicitur malum absolutè, & simpliciter, quod scilicet omni prorsus subiecto est disconueniens, vt in actu erroris, qui prout intellectiuus est,

exigit conformari cum suo obiecto, & sic habere veritatem, per ordinem ad quam intellectus specificatur; & tamen veritas est differentia atoma erroris opposita.

43 Insiabis quartò cum Arriaga ibidem, quia ex hac doctrina sequitur, quod omnia omnino peccata essent eiusdem rationis, quod hereticum est; probas sequelam: actus odij Dei secundum rationem genericam eiusdem planè bonitatis est capax, cuius est capax quius alius actus peccaminosus. ergo spectata ratione generica, eadem honestas, quæ debetur actui furandi V. G. debetur odio Dei; omnia igitur peccata iam essent eiusdem rationis, atque adeo æqualia.

Respondeo: nego sequelam; ad cuius probationem distinguo antecedens: actus odij Dei secundum rationem genericam actus humanis præscindendo à materia, circa quam versatur, concedo; spectata materia circa quam, nego antecedens, & consequentiam; sit ratio est, quia debitum adæquatum non resultat, nisi ex determinatione materiæ spectantis ad virtutem propriam. Pro quo nota, in omni peccato attendendam esse materiam, quam semper inuenies ad peculiarem virtutem spectantem, non quod non possit homo circa illam materiam ex motiuo aliarum virtutum operari, sed quia ad illam solam virtutem determinatam pertinet præscribere regulas, quibus homo debet circa materiam præscriptam operari. V. G. quamuis homo possit ex motiuo Charitatis, vel Pænitentiæ rectè operari circa delectabilia sensus; ad virtutem tamen solius temperantiæ pertinet præscribere conditiones, & circumstantias circa huiusmodi materiam. Quoniam verò, posito quod homo circa materiam temperantiæ operatur, habet quidem debitum operandi iuxta regulas temperantiæ, non autem ex eius vel alterius virtutis motiuo determinatè, sed satis est si seruet conditiones ab ea præscriptas in tali materia, & inducatur ex aliquo honesto motiuo ad operandum: hinc fit vt actus intemperantiæ solam inhonestatem intemperantiæ habeat, & non aliorum vitiorum, idemque dicendum de actu odij Dei, qui non honestas iustitiæ debetur, vel fortitudinis, sed solius charitatis, contra cuius regulas homo operatur circa Deum.

44 Instabis denique quintò: ratio specifica, & generica sunt omnino idem in sententia negantium præcisiones obiectiuas. ergo implicat actum odij Dei secundum rationem genericam esse capacem rectitudinis, & secundum specificam incapacem.

Respondeo primò ad hominem: vt voluntas liberè operetur circa aliquod obiectum debet hoc per omnes proponi ab intellectu in ratione boni, & mali, seu conuenientis, & disconuenientis, etiam si non dentur præcisiones obiectiuæ, ergo multo magis idem actus poterit concipi secundum rationem genericam capax rectitudinis, & secundum specificam incapax, non obstante &c. Probo consequentiam, quia si qua esset disparitas, maximè quia obiectum V. G. ieiunium proponitur vt bonum homini secundum, quod rationalis est, vt malum verò secundum, quod est sensitiuus: sed per te ratio sensitiui, & rationalis sunt vnica formalitas ex parte obiecti, ergo &c.

Respondeo secundò: permisso antecedente, negando consequentiam; & dico distinctionem nostram de ratione generica, & specifica stare inconcussam, siue admittatur præcisio obiectiua, siue non: in eo enim sensu in quo omnes dicimus quod homo secundum, quod animal est, est capax hinnibilitatis, & non exigit risibilitatem; quatenus verò rationalis est, hinnibilitatis quidem est incapax, sed exactiuus risibilitatis: in eodem sensu loquor ego de actu malo.

45 Obijcies secundò: ad priuationem moralem præter aptitudinem subiecti requiritur debitum, & exigentia; nemo enim dicitur malus nisi faciat contra id, quod debet, & contra moralem exigentiam, sed neutrum horum reperitur in actu malo, ergo &c. Minor probatur, quia debitum non est, nisi in voluntate; ipsa enim est quæ obligatur, & tenetur ponere actum bonum: exigentia verò est in sola recta ratione, si quidem hæc exigit à voluntate actum cum rectitudine.

Respondeo, negando minorem; ad cuius probationem dico: debitum morale esse quidem in voluntate radicaliter, seù primò, & per se, quia voluntas est, quæ tenetur vel ponere absolutè operationem rectam, vel rectitudinem in operatione ex suppositione, quod operetur: at vero formaliter, & dependenter à voluntate est in ipso actu; nam hic est, qui debet habere rectitudinem, & conformitatem cum natura rationali. Idem proportionaliter de exigentia asserendum est, quæ primo, & per se est in natura rationali, & ex ea resultat debitum in voluntate operandi iuxta illam; vnde fit vt actus ipse exigat ab eadem voluntate produci iuxta regulam rationis; Sic distincto assumpto, nego consequentiam.

46 Instabis cum Arriaga: debitum quod habet homo bene operandi, casu quo operatur, non tam arguit priuationem in actu, quam in potentia, quia non denotat debuisse hunc numero actum esse bonum; hoc enim implicat; sed debuisse voluntatem omittere malum, & facere bonum.

Respondeo, negando assumptum; ad cuius probationem dico: hunc numero actum sumptum secundum rationem genericam, habere etiam debitum transfusum à voluntate habendi rectitudinem; quod si implicat eum esse rectum, hæc implicantia oritur ex eius ratione specifica, & non generica; atque adeo sumptus secundum genericam non est cur non habeat debitum, & exigentiam rectitudinis, ad eum plane modum quo Talpa sumpta in ratione animalis exigit habere visum, & Ostea potentiam relinquendi & acquirendi nouum locum, quibus carent ratione vltimæ differentiæ, cuius maleficio imperfectè participant rationem genericam, non quidem

quidem quo ad perfectionem metaphysicam, & essentialem, sed quo ad physicam, & materialem; similiter modo potest ex differentia individuali haberi aliquid, quod sit contra exigentiam speciei, & sic potest aliquis carere aliquo sensu, ita vt ratione suæ vltimæ individuationis dictus sensus illi repugnet. Ex quo sequitur huiusmodi carentiam habere rationem privationis aliquo modo; in tantum enim in materia prima datur privatio formæ absque exigentia, in quantum materia dicit ordinem transcendentalem ad illam; at vero in rebus alijs, in quibus est sola non repugnantia, vt negatio habeat rationem privationis, debet supponere aliquam exigentiam, & ideo carentia rectitudinis iustitiæ in lapide, quam iustitiam lapis, vt ens est, habere posset, non comparatur illi vt privatio, eo quod quatenus ens lapis est, non dicit exigentiam habendi iustitiam. Contra vero carentia rectitudinis temperantiæ se habet in actu intemperantiæ, quarenus exigitur ab illo talis rectitudo.

47 Instabis iterum cum eodem *num.* 29. conditionalis obligatio bene operandi est implicatoria. ergo &c. Antecedens euincitur, quia vel habetur casu, quo homo velit operari male: & hoc non, quia ad impossibile nemo tenetur; impossibile autem est, posito quod homo male operetur, quod bene operetur: vel habetur hæc obligatio casu, quo homo velit bene operari, & hoc neque; quia licet verum sit, quod posito, quod quis velit bene operari, teneatur ad sic operandum; quando tamen peccat, cessat conditio, subqua tenebatur; vel denique habetur ex suppositione, quod velit operari vagè, vel bene, vel male, & hoc neque; quia casu, quo homo operatur actum malum, repugnat, vt bene operetur. Falsum igitur est, quod tenetur ad bene operandum casu, quo vel actum bonum, vel malum operari velit.

Respondeo primo: argumentum hoc ab omnibus soluendum esse; casu enim, quo Deus proponatur voluntati cum indifferentia contrarietatis in ordine ad amorem, vel odium, voluntas habet obligationem illum amandi, tum sic: vel hæc obligatio habetur posito, quod velit odio habere Deum, & hoc non; nemo enim tenetur ad impossibile; vel posito, quod velit amare, & hoc neque; quia quando odio habet, cessat h. c. conditio, & tamen tenetur homo ad non odio habendum; vel denique habetur ex suppositione, quod velit operari vagè, & hoc neque propter rationem supradictam.

48 Respondeo secundo directe: conditionalem obligationem bene operandi, nulla ex illis tribus conditionibus explicandam esse, sed hac alia in hunc modum proposita: posito, quod velit homo operari circa materiam pertinentem ad virtutem temperantiæ V. G. circa delectabilia sensus, debet iuxta regulas temperantiæ operari, posito, quod velit circa materiam iustitiæ, scilicet circa ius alienum, debet regulas, quas præscribit iustitia obseruare &c. Materia autem ad virtutem aliquam pertinens, est indifferens vt bonam, vel malam terminet operationem; sicuti oratio potest attentè, & distractè fieri; at posito, quod quis orare velit, tenetur orare cum attentione. Neque valet ad hoc exemplum instantia dissimilitudinis. Arrigas; quia videlicet in tali casu ponitur oratio, quæ est res aliqua individualis, certa, & determinata, quæ possit fieri cum attentione, & hæc ea tanquam extrinseca circumstantia; ideoque habere potest illa obligatio conditionalis: at vero in casu nostro ponitur solum ratio generica operandi, quæ non potest habere nisi in hoc, vel illo individuo. Contra enim est primo: quia licet id, quod dicitur, sit verum agendo de oratione vocali; falsum tamen est de mentali, saltem in sententia eorum, qui negant actum supernaturalem posse esse malum. Contra secundo: quia posset Deus præcipere Michaeli, V. G. imo de facto præcipit, vt casu, quo velit operari circa Gabrielem actu potius amoris, & non actu odij, feratur circa illum: in tali casu ratio amoris, vel odij, pertinent ad essentialem constitutionem actuum, & nihilominus stat conditionalis obligatio, cum huiusmodi diuersitate, ergo &c.

Instabis tertio. ex eodem *num.* 33 esse, velit homo operari circa aliquod obiectum, nempe circa Deum: non est tamen obligatus ad eliciendum actum amoris Dei, quia potest enim dicere nolo nunc Deum odio habere, nec amare, qui actus vel indifferens est, vel otiosus; ergo ex suppositione, quod velim ego operari circa Deum, falsum est, quod tenear illum amare; falsum igitur erit, quod actus odij Dei in carentia perfectionis amoris debitæ consistat, quantum ad malitiam. 49 50

Respondeo actum, quo quis dicit nolo Deum odio habere, nec amare, non versari circa eamdem materiam, circa quam versatur actus amoris, vel odij, Dei; respicit enim tanquam materiam ipsos actus; contra vero hi respiciunt ipsum Deum; Quare distinguo antecedens: non est obligatus ad eliciendum actum amoris Dei, posito quod velit operari circa materiam charitatis, quæ est Deus ipse, nego; posito, quod non velit, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Instabis quarto: potest dari casus, in quo homo careat auxilijs necessarijs ad amandum Deum amore supernaturali, & habeat auxilia solum ad non odio habendum illum, tum sic: hic homo odio habens Deum peccat absque debito ponendi in actu illo rectitudinem amoris, quia tunc est impossibilis. ergo ad peccandum peccato odij non requiritur debitum, & obligatio ex suppositione, quod circa materiam determinatam operetur. 51

Respondeo: admisso casu, distinguendo antecedens: hic homo odio habens Deum peccat absque debito ponendi in actu illo rectitudinem amoris supernaturalis, concedo; quia supponitur dictus amor esse illi impossibilis; rectitudinem amoris naturalis, in ordine ad quem habet potentiam physicam, nego antecedens, & consequentiam. Quod si Deus non proponatur homini, cum indifferentia in ordine ad odium, vel amorem, sed in ordine ad odium, vel non odium: homo habet quidem absolutè debitum non operandi, ex suppositione autem, quod operatur rectitudinem amoris in suam operationem inducere debito quodam connaturalitatis,

tis; eo, quod homo semper quoties operatur, peccati rectè; ad hoc autem, vt huiusmodi debitum morale sit, sufficit, si homo possit non operari, quoties modo debito operari nequit, ita Suarez *de bonitate, & malitia hum. act. disp. 5. sect. 5.* Neque dicas cum Caietano *num. 46.* posito, quod obiectum per se talis obligationis sit perfectio amoris, non autem negatio odij, nisi in quantum est rectitudinis amoris exclusiua; nequit intelligi huiusmodi obligatio, absque eo, quod perfectio amoris sit vndequaque possibilis, & libera respectu voluntatis. Ne id dicas inquam, quia licèt hoc verum sit si obligatio esset absoluta, falsum tamen est posito, quod sit ex suppositione orta ex quodam debito connaturali, quod habet homo ad benè semper operandum posito, quod operetur. Neque iterum addas *cum eodem num.* 46. obligationem hanc ex suppositione, nihil esse aliud, quam obligationem non habendi odium, quia in tantum homo tenetur cum rectitudine charitatis hic, & nunc operari, vt actum odij non eliciat; hæc autem exclusio odij æquè benè haberi potest per actū charitatis, ac aliarum virtutum ergo &c. Nè id dicas, inquā, quia obligatio primo, & per se est de ponēda rectitudine charitatis, quoties quis versatur circa eius materiam, secundariò verò est de excludendo odio; quare nego maiorē.

31 Instabis quintò supponendo probabilitatem sententiæ illorum, qui dicunt dari posse actum negatiuè indifferentem, non solum in ratione meriti, & demeriti, sed etiam in ratione bonitatis, & malitiæ moralis, tum sic: in huiusmodi actu indifferente habetur carentia rectitudinis illius virtutis, circa cuius materiam versatur; & tamen nulla habetur malitia, quamuis si sumatur secundum genericam rationem habeat rectitudinis illius capacitatem. ergo &c. Respondeo: dato supposito, negando Antecedens tamquam de subiecto non supponente; qui enim dictos actus indifferentes admittunt, asserere debent eos non attingere propriam alicuius virtutis materiam, cuiusmodi sunt fricare barbam, atterere manus ad pellendum frigus, sputum abijcere, oculos detergere &c. quod si materiam virtutis alicuius attingant, statim debent ad minus conformari regulis illius virtutis, vt esset cōmestio, auditio sacri &c. transeat, si adhuc indifferētiam habeant ratione motiui.

32 Obijcies tertiò: casu, quo Deus præciperet Angelo, vt per horam ab omni actu etiam honesto cessaret; tunc si Angelus actum religionis eliceret, vtique peccaret peccato cōmissionis; & tamen eius actus nulla rectitudine priuaretur, haberet enim rectitudinem religionis, circa cuius materiam ille versatur. Respondent aliqui primo: casum illum à multis negari, qui putant esse irrationabile, atque adeò impossibile Deo esse præceptum, quo omnis actus honestus creaturæ intellectuali prohibeatur. Sed eo admisso, negant secundo alij probabiliter etiam secundam antecedentis partem, aiuntque huiusmodi actum in illo casu ratione prohibitionis pertinere ad materiam obedientiæ, cuius rectitudinem, hoc ipso, quod existit, iam priuatur. Quod veritatem habet, etiam si dictus actus supponatur esse non religionis, sed obedientiæ, quo Angelus dicat: Volo tibi Domine obedire. licèt enim per hunc actum Angelus signatè pareret Deo, exercitè tamen illi inobediens esset.

Instabis: huiusmodi actus secundum nullam rationem genericam habet capacitatem, & debitum rectitudinis obedientiæ, quia illo præcepto præcipitur negatio omnis actus. ergo eius malitia nequit consistere in priuatione rectitudinis sibi debitæ. Respondent distinguendo antecedens: huiusmodi actus secundum nullam rationem genericam positiuam habet capacitatem, & debitum rectitudinis, concedunt; secundum nullam rationem genericam præscindendo à ratione positiua, & negatiua, negant antecedens, & consequentiam. Cum enim casus positus fundetur in sententia eorum, qui admittunt puram omissionem liberam, tenentur admittere rationem genericam liberi vt sic, in qua pura omissio, & actus ille positiuus conuenit, secundum quam rationem actus positiuus consideratus habet capacitatem, & debitum rectitudinis obedientiæ.

Subinstabis: hæc obedientiæ rectitudo in dicto casu nequit esse positiua, quia habetur per negationem omnis actus; malitia igitur illius actus religionis ab Angelo positi nequit consistere in negatione aliqua. Respondent distinguendo antecedens: nequit esse positiua physicè loquendo, concedunt; moraliter negant antecedens, & consequentiā; dicunt enim, quod sicut subiectum huiusce rectitudinis est solùm moraliter positiuum, quatenus importat rationem liberi, & voluntarij vt sic, quæ potest per actum, siuè positiuum, siuè negatiuum physicè loquendo contrahi, ita, & ipsa rectitudo. 33

Respondent denique alij tertiò ad argumentum: casu, quo Deus Angelo præciperet, vt per horā ab omni actu liberè abstineret: quod pura illa omissio libera, non esset *absolutè meritoria*, vt sustinent illi, qui *admittunt huiusmodi* omissionem, atque adeò non esse absolutè loquendo bonā, quare Angelus eliciens hunc actum religionis, peccaret non per hoc, quod actus ille carentiam rectitudinis puræ omissionis liberæ haberet, sed quia faceret actum bonum cum mala circumstantia temporis indebiti; atque adeò actus ille esset malus, quia haberet carentiam circumstantiæ temporis debiti; nam posita illa prohibitione, tota hora esset tempus indebitum; quemadmodum igitur qui tempore indebito facit sacrum, peccat ratione carentiæ circumstantiæ debitæ, ita hic in casu nostro Deus enim per illud præceptum non faceret vt actus boni sint intrinsecè mali, sed solùm extrinsecè ratione temporis, quo duret prohibitio. Verùm hæc responsio procedit ex suppositione, quod libertas sit extrinseca actui.

34 Obijcies quartò: circa eandem materiam quam plures virtutes versari possunt, ita vt ad quamlibet pertineat tradere regulas peculiares benè operandi circa illam; vel igitur dicendum est in vno actu peccaminoso versante circa eandem materiam plures malitias reperiri; vel malitiam non consistere in priuatione rectitudinis debitæ

Digitized by Google

debitæ actui, eo quod circa materiam determinatam versatur. Consequentia patet, probatur antecedens: nam circa Deus versari potest religio, fides, spes, &c. ita vt ad quamlibet pertinent præscribere conditiones, benè operandi circa illum, quarum omnium rectitudinibus careret quilibet actus malus V.G. infidelitatis, desperationis &c. Respondeo, quod quemadmodum in artificialibus duplex datur materia: vna remota: altera proxima; & eamdem quidem materiam remotam plures artes respicere possunt, vt ferrum, quod est materia remota frenifactoriæ, clauifactoriæ &c. Non verò eamdem materiam proximam, nam ferrum vt frenifactibile, non nisi à frenifactoria consideratur; ita & in moralibus; quare distinguo antecedens; circa eamdem materiam remotam, versari possunt plures virtutes, concedo; circa eamdem materiã proximam, nego antecedens, & consequentiam. Ad antecedentis probationem dico: Deum vt sic esse materiam remotam in ordine ad virtutes dictas; cum quo stat quod vt colendus, sit materia proxima religionis, quæ exigit in nostris actibus erga Deum reuerentiam, & prohibet contemptum: vt bonum arduum sit materia spei, circa quod spes docet sperandum, & non desperandum esse, per quæ patet responsio ad argumentum, vbi aduerterem quod licèt in omni peccato sint carentiæ perfectionum, quas virtutes exigunt generales V.G. obedientiæ; gratitudinis &c. malitia tamen specifica non sumitur per ordinem ad virtutes hasce, nisi quando materia est peculiaris illarum; sed solùm in ordine ad eam virtutem particolarem, ad quam peculiariter pertinet regulare actiones humanas circa materiã illam proximam, eo quod virtutes generales in ordine ad particulares se habent vt prædicata generica, & vniuersalia, atque adeò non vrgent nisi mediis illis.

55 Obijcies quintò: velle benè viuere, seù velle malè viuere est speciale peccatum, & tamen nullius specialis virtutis rectitudine caret; ergo falsum est rationem formalẽ peccati in priuatione rectitudinis propriæ virtutis positam esse. Respondeo concessa priore parte antecedentis, negando posteriorem: dico enim, quod sicuti actus hic (Bene viuere Volo) habet specialis virtutis rectitudinem, ita & actus qui illi opponuntur dicta rectitudine caret, vt benè notat Salas cum Azorio &c. Quod si quis neget actum volendi benè viuere pertinere ad specialem virtutem: sicuti hic actus esset honestus per hoc præcisè, quod rectitudinem virtutum omnium abstractè respiceret, ita dicendum esset, quod actus volendi malè viuere erit turpis per hoc præcisè, quod rectitudine in communi pertinente ad omnes virtutes careat.

56 Obijcies sextò ex Arriaga num. 37. odium Dei longè grauius peccatum est, quàm priuatio amoris Dei ergo actus odij Dei non habet malitiam in priuatione rectitudinis amoris constitutem. Antecedens patet, quia etiam casu, quo sit præceptum de amando Deum: minus malum est non amare, quam odio illum habere. Consequentia euincitur, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis. ergo si odium malum est propter carentiam rectitudinis amoris: ipsa amoris omissio saltem æquè mala esse deberet, sed odium habet plus malitiæ. ergo ad minimum plus illud debet in eius differentia positiua consistere.

Respondeo negando consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod licèt malitia commissionis, & omissionis conueniant in eo, quod in carentia formæ debitæ naturæ rationali cõsistant; differunt tamen inter se essentialiter, quia formæ quibus priuat diuersæ omnino sunt, sicuti etiam subiecta, quæ priuantur; nam malitia commissionis priuat actum rectitudine, omissionis priuat voluntatem substantia actus; quod verùm est, etiam si sint contra eamdem virtutem, sicuti ignorantia, quæ est per puram priuationem, & illa, quæ est per positiuam operationem, quæ dicitur prauæ dispositionis differunt inter se essentialiter. Vndè fit vt si quis quando tenetur facere actum fidei circa mysterium incarnationis V. G. illud omitteret, non censeretur hæreticus, sicuti censeretur fidelis, qui actum positiuum infidelitatis eliceret.

Instabis in vtroque peccato habetur carentia rectitudinis amoris; & tamen actus odij plus habet de malitia, quam omissio amoris; malitia igitur actus odij non est saltem totaliter petenda à carentia rectitudinis amoris. Respondeo negando consequentiam, sicuti enim eadem priuatio rectitudinis diuerso modo applicata habere potest diuersam rationem malitiæ, ita poterit etiam maiorem, & minorem. Maioritas autem in peccato cõmissionis prouenit ex maiori exigentia, quam habet natura realis rectitudinis suarum operationum, quam suæ voluntatis, homo enim non tenetur habere semper voluntatem rectè operantem; tenetur autem habere semper rectitudinem in operationibus voluntatis; ita vt quoties liberè operatur operetur rectè, vndè est, vt priuatio rectitudinis caritatis, sit peior in actu, quam in voluntate ipsa carente actu caritatis, quem tenetur ponere; strictiori enim, & validiori exigentiæ contrariatur. Præterea eadem priuatio in actu multiplici exigentiæ opponitur; vndè non est mirum si peior sit; nam quando voluntas caret actu caritatis, quem debet habere, carentia, contrariatur vni tantum exigentiæ, quam habet in se voluntas. At verò quando odio habet, contrariatur etiam illi, quam habet actus, vt rectitudine caritatis V.G prædictus sit. Linquo quod per actum odij magis videtur volita, vt quo, cæ rentia rectitudinis amoris, quã per purã omissionem amoris, licèt enim indirectè vtroque casu volita sit, prior tamen est volita positiuè.

Obijcies septimò peccata extremè opposita vt actus prodigalitatis, & auaritiæ carent eadẽ rectitudine liberalitatis, & tamen habent malitias specie diuersas. Non igitur malitia in carentia rectitudinis explicata consistit. Respondeo quod licèt virtus liberalitatis posita sit in indiuisibili, non tamen est in se indiuisibilis, sed constatur duabus veluti partibus, seù prædicatis essentialibus, quorum vnum consistit in largitione

Digitized by Google

gitione bonorum vsque ad certam mensuram, alterum in conseruatione, & retentione eorundem; quæ supersunt vltra illam mensuram. Iam verò auaritia mala est, quia caret primo prædicato; prodigalitas verò, quia caret secundo; quare licèt opponantur eidem liberalitati, distinctas tamen habent carentias. Duplicem enim actum habet liberalitas: vnum dandi, alterum retinendi; priori opponitur auaritia, prodigalitas posteriori. Neque dicas auaritiam etiam opponi moderatæ retentioni, nec nō prodigalitatem largitioni moderatæ; Ne id dicas, inquam; nam alterum ex his actibus vtrumque actum amplectitur, largitio enim moderata qua moderata sine largitione stare non potest; quare duplex liberalitati munus assignari debet; sic: vt primum sit largitio tantæ pecuniæ V. G. secundùm verò conseruatio reliquæ; contra primum est auaritia; prodigalitas contra secundùm.

39 Obijcies octauò ex Vasquez: eidem virtuti iustitiæ opponuntur furtum, homicidium, adulterium, in quibus malitiæ secundùm speciem diuersæ reperiuntur; sed huiusmodi malitiæ non possunt in priuatione consistere. ergo &c. Maior patet. Minor probatur: quia nulla potest assignari rectitudo iustitiæ, cuius priuationem habeant dicta peccata; si qua enim esset, maximè consisteret in conseruatione iurium, quæ habet proximus in suis rebus externis, in propria vita, & in vxore; sed huiusmodi conseruatio in persona priuata non pertinet ad iustitiam, alias quoties non defenderet homo dicta iura proximi, teneretur ad restitutionem, ergo &c.

Respondeo furtum, homicidium, adulterium esse peccata diuersa, eo quod priuant hominem diuersis rectitudinibus ad iustitiam pertinentibus. Quare nego minorem. Ad cuius probationem, nego assumptum. Et ad eius confirmationem dico duplicem conseruationem bonorum proximi ad nos spectare posse, alteram positiuam, alteram priuatiuam: positiua est, qua quis cōoperatur ad illorum conseruationem positiuè; priuatiua verò, vt non lædatur in bonis suis; licet autem nemo priuatus teneatur ex iustitia ad priorem, tenetur tamen ad posteriorem.

Instabis: priuatiua conseruatio consistit in 60
eo, quod homo non lædat positiue proximum in suis bonis; ergo rectitudo huius conseruationis consistit in negatiuo, & sic carentia illius erit quid positiuum. Respondeo priuatiuam hanc iurium proximi conseruationem posse fieri per negationem actus, & per actum positiuum, quo quis dicat: Nolō rem alienam proximi vsurpare. licet autem non teneatur quis absolutè ad conseruationem negatiuam iuris alieni per actum positiuum; tenetur tamen ex suppositione, quòd voluntas sit positiuè operatiua circa tale ius; vnde actui malo debetur illa rectitudo positiua, quæ in priuatiua conseruatione facta per positiuum actum reperitur; cuius multis actibus externis teneri hominē ex iustitia aliquando seruare ius alienum, illa- sum.

DISPVTATIO QVADRAGESIMA OCTAVA

VTRVM IMPLICET CONTRADICTIONEM PECCATVM Ex suis intrinsecis à Deo Irremissibile.

1 DIsputationi de malo Morali libenti animo præsentem subiecto, quæ paucis ab hinc annis in nostra Panormitana Academia exagitari cepit; eo vel maximè, quod cum totaliter fundetur in connexione, vel inconnexione, quam aliquis actus peccaminosus habet cum obiecto essentialiter remissionis excluſiuo, inter philosophicas non immerito connumerari potest.

SECTIO PRIMA.

Aperitur status Quæstionis, & sententia negatiua proponitur.

2 PRo controuersiæ intelligentia sciendum primò: dupliciter intelligi posse peccatum aliquod irremissibile esse à Deo: primo ab extrinseco ex libero decreto, quo Deus statuit nolle vnquam illud condonare, secundo ab intrinseco, hoc est ex suis prædicatis essentialibus, ratione quorum exigat essentialiter Diuina condonationis carentiam, non solum in actu primo, & quantum est ex se, sed etiam in actu secundo, & omnibus pensatis; ita vt implicet contradictionem ipsum per Dei remissionem aboleri, ad eum plane modum, quo homo exigit ex suis prædicatis carentiam annihilitatis etiam quo ad actum secundum, ita vt homo cum annihilitate in rerum natura

coniun-

coniunctus sit quid fictitium, atque chymæricum.

Iam, quæstio præsens non est de peccato irremissibili primo modo; constat enim omnia peccata, quæ Deus absolutè decreuit nolle remittere, cuiusmodi sunt peccata damnatorum, esse ab extrinseco irremissibilia; cum enim Deus sit immutabilis, implicat quod aliquando huiusmodi peccata, quatenus semel affecta sunt illo decreto, remitti valeant. Procedit ergo quæstio de peccato irremissibili secundo modo.

3 De quo sciendum secundò, dupliciter etiam posse concipi peccatum ex suis intrinsecis irremissibile: primò ratione grauitatis, eò quod sit adeo graue, vt omnem remissionem à se excludat; & de hoc non est sermo in præsentia, cum cautum sit ab Ecclesia contra Nouatum, aliosque Hæreticos nullum peccatum quantumuis grauissimum, nullumque peccatorum cumulum quantumuis supra numerum arenæ maris auctum, haberi posse, de quo homo per pœnitentiam à Deo remissionem nequeat obtinere. Secundò, peccatū potest concipi ab intrinseco irremissibile, siue demum sit leue, siue graue, ratione connexionis essentialis, quam habeat cum diuino decreto de non remittendo illud, & cum reuelatione facta à Deo de tali decreto modo infra explicando; & quidem de huiusmodi peccato procedit quæstio, quia nihil de eius remissibilitate ab Ecclesia definitū est; vnde relinquitur cōtrouersiæ locus.

Pro qua melius intelligenda, sciendum tertiò dupliciter quæri posse, num huiusmodi peccatum implicet? Primò in hac rerum serie, & iuxta diuinam prouidentiam, qua Deus reuelauit homines ad finem beatitudinis defacto ordinasse, & certa quædam, ac determinata media ad huiusmodi finem obtinendum illis exhibuisse; & in hoc sensu certum debet esse apud omnes implicare contradictionem dari aliquod peccatum ab intrinseco irremissibile ratione connexionis ad decretum, alioquin falsum esset quod Deus de quocumque peccatore loquens, dixisset, Quotiescumque ingemuerit peccator, suorū peccatorum non recordabor amplius; & rectè id quidem, ex vi enim illius voluntatis vniuersalis, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, tenetur impedire huiusmodi peccata, quæ propter connexionem cum diuino decreto de non remittendo ab intrinseco irremissibilia sint; vade si non impediret, faceret cōtra id, ad quod se obligauit, quod implicat. Secundò, potest esse quæstio, num huiusmodi peccatum in alia serie, & iuxta aliam prouidentiam repugnet; quod est idem ac quærere, an circumscripta reuelatione, qua Deus promisit remittere vere pœnitentibus omnia, & quæcumque peccata, implicet dari aliquod peccatum ex intrinsecis suis propter meram connexionem, quam habeat cum decreto, irremissibile.

Sic statu quæstionis explicato; Prima sententia est negatiua, de qua Bardi *in regulas iuris canon. Regula 4. cap. 4.* Hæc docet, non apparere vllam implicantiam, imo valde probabile esse dari aliqua peccata in alia rerum serie, quibus per sua essentialia ita repugnet remissio, vt nec per baptismum, nec pœnitentiam, aut aliud quodcumque medium tolli possint. Porro huius sententiæ auctores pro se citant Cardinalem de Lugo *de panit. disp 7. sect. 5. num. 73. & disput. 8. sect. 1. num. 4* Martinon *disput. 44. de Panit. sect. 4.* Esparsam *de actibus humanis q. 14. ad 5. & de iustitia quæst. 11. ad 8.* Giattinum *in log. quæst. 4. art 7.* Et multos alios recentiores quibus fauet Eriee: *disput. 11. cap. 3.* & Dicastillo *de panit. disput. 2. dubit. 1. 1.* & nouissime Arriaga *de panit. disp. 12 sect. 3. num. 26.*

Verùm nullum ex his auctoribus hāc sententiam docere patet, discurrendo per singulos; & quidem quod pertinet ad Cardinalem de Lugo, ipse *loco citatis*, quærens vtrum omnia peccata possint per pœnitentiam deleri, postquam respōdet affirmatiuè in hoc ordine rerum, addit in alia rerum serie non repugnare dari peccatum, quod ex suis intrinsecis per pœnitentiam irremissibile sit. Iisdem fere verbis loquitur Martinon. Dicastillum verò cum eadem restrictione loquutum fuisse fatentur, aduersarij eumque reprehendunt, quod sine valido argumento cohærentiam reliquerit; de quo nos paulo post.

Cæterùm quod dictus auctor non sit hac nota notandus, probatur; quia ipse ex duplici sequela absurda euincit implicare contradictionē dari posse peccatum in aliqua rerum serie ex suis intrinsecis irremissibile per omne medium, quarum neutra ex peccato irremissibili per vnū tantùm medium deduci potest. Prima est, quia aliter sequeretur quod plura imo infinita peccata possibilia essent, quæ non possent à Deo vlla ratione remitti, & sic ab eius misericordia, & à valore meritorum Christi subtraherentur: tum quia quilibet homo ex possibilibus eo peccati genere irremissibili sæpe sæpius peccare posset: tum etiam quia potuisset Deus condere aliquem primum hominem cæterorum caput quò ad transfusionem gratiæ, & peccati originalis, idque proponere illi credendum cum pacto quòd si non crederet, tum ipse, tum eius omnes posteri in particulari priuandi essent in perpetuum gratia. Ipse verò dictæ reuelationi discrederet. Secunda verò sequela, qua idem suadet Dicastillo, est, quia permissio huius peccati argueret in Deo imprudentiam, & minus pronidam gubernandi rationem; quia ad summam prudentiam supremi Numinis pertinet, ita disponere res suarum creaturarum, vt non repugnet ex parte obiecti exercere talis gubernationis opera, quæ maximè decent ipsum gubernatorem supremum, qualia sunt iustificationis, remissionis peccatorum &c. Quoniam verò neutra sequela, vt de se patet, deduci potest ex peccato intrinsecè irremissibili per vnicum medium in particulari: rectè deducitur hunc auctorem non posse in re nostra de incohærētia reprehendi. Atque hęc de Dicastillo.

Hericius vero *disput. 11. cap. 3.* nihil aliud docet, quam quod dari possit iudicium, cuius essentiæ repugnet sequi appetitionem, posito quod Deus decernat non concurrere ad actum appetendi cuiuscumque creaturæ; & hoc decretum reuelet Angelo, qui dictæ reuelationi credat, eo quod huiusmodi falsi iudicium esset ex suis intrin-

trinsecis cum dicta reuelatione connexum. Iam verò Esparsa *loco citato de iustificatione* tantummodo ait, quæ peccata committuntur præluceute notitia reuelationis, de illis non remittendis sine præuia dispositione peccatoris, quod ea non possint remitti sine hac præuia dispositione, non prouenire ex magnitudine malitiæ eorum, sed ex sola intentionali connexione cum reuelatione facta de non condonando sinè dispositione, quæ falsificari nequit. Porrò ex his doctrinis solùm deducitur huiusmodi Auctores sustinere dari posse nonnullos actus nostros connexos cum decreto aliquo Dei non verò quod dari possit cônexus ille, de quo nos loquimur, quia de eo est longè diuersa ratio, vti videbitur.

Locus vero eiusdem Esparsæ *de actibus humanis* solum dicit peccatum infidelitatis V. G. essentialiter ineuitabile absque auxilio gratiæ supernaturalis esse intrinsecè connexum cum dicto auxilio, non tamen ob id esse supernaturale, sed potius infra naturale. Porrò dictum hoc ne ex longinquo quidem ad peccati irremissibilitatem facere videtur.

Ad hæc Arriaga *loc cit. de pœn. quæst* 12. *sect.* 3. postquã docuit, per actũ pœnitentiæ posse deleri omnia peccata esse Catholicam veritatẽ: Obijcit sibi *n.* 26. non repugnare peccatum infidelitatis, quod sit essentialiter connexum cum decreto, & reuelatione à parte rei positis de non remittendo illud; ergo &c. Ad quod respondet negando antecedens, multisque rationibus ex propria sententia huiusmodi reijcit connexionem. Tandem in fine *n.* 32. sic addit: Denique si adhuc contendatur non repugnare eam dependentiam peccati alicuius à reuelatione vt in se existente: dici debere illud peccatum fore irremissibile. Si autem ex his verbis posset Arriaga pro sententia aduersariorum citari, non esset doctor adeo eorum opinioni contrarius, qui pro eadem citari nequiret, quia omnes dicimus ex suppositione connexionis ita fore.

Quod denique ad Gaetanum attinet, duo ipse *loc. cit.* hac de re asserit: vnũ est ex possibilitate actus fidei ex suis intrinsecis immultiplicabili non benè deduci possibilitatẽ actus peccaminosi ab intrinseco irremissibilis; eo quod circa immultiplicabilitatem actus fidei Deus aliquam exercere potest libertatem; nullam verò circa irremissibilitatem peccati. Alterum verò est: decretum de non remittendo actum aliquem peccaminosum posse reddere illum ab intrinseco incondonabilem ex suppositione tantum, quod talis actus ex suis intrinsecis huiusmodi decretum vt realiter existens attingere valeat, quia sic erit intrinsecè connexus cum illo. Vtrum autem hæc suppositio sit purificabilis nec ne, nihil determinat, sed sub dubio totum relinquit, & in hoc etiam sensu loquutum esse nostrum Cardinalem affirmat. Cum autem nostra quæstio circa hanc suppositionem versetur; euidenter sequitur hunc auctorem per neutram contradictionis partẽ citari posse; quod si deberet, potius pro nostra citandus esset, quatenus negat aduersarijs ex sententia, quam tuetur de possibilitate actus fidei ab intrinseco immultiplicabilis, sequi dari posse actum peccaminosum ab intrinseco irremissibilem.

Sed quidquid sit de probabilitate extrinseca, veniamus, si placet, ad rationem, in qua à suis assertoribus fundatur. Ea, ni fallor ducitur ex formatione casus, qui ferè talis est: Decernat absolutè Deus se nullum peccatum condonaturum Petro in posterum peccanti, eique huiusmodi decretum ad exterrendum illum à peccando, reuelet tanta euidentia credibilitatis, quanta necessaria est, vt ipse obligetur ad eliciendum actum fidei diuinæ, quo propter reuelationem habitam credat Deum huiusmodi decretum habere: Petrus verò actum discredentiæ eliciat, quo neget Deum tale decretum habuisse. Tum sic: Hic actus infidelitatis potest esse connexus ex suis intrinsecis cum diuina reuelasione, & decreto de non remittendo. ergo potest esse ab intrinseco irremissibilis. non implicat igitur dari posse in alia saltem rerum serie peccatum ex intrinsecis suis irremissibile. Hæc secunda consequentia est euidens. Prima verò suadetur, quia hoc ipso quod talis actus discredentiæ esset ab intrinseco connexus cum diuina illa reuelatione, & decreto, ex suis intrinsecis non posset existere nisi existentibus illis, ac positis iam à parte rei; sed ea sunt essentialiter exclusiua remissionis; aliàs decretum Dei efficax frustabile esset, & diuina reuelatio falsificabilis. ergo huiusmodi actus ab intrinseco haberet non posse cum remissione coniungi. sed hoc est eum formalissimè ab intrinseco imremissibilem esse, sicuti esset ab intiinseco necessarius iile actus, qui non posset nisi à voluntate necessitata ac prædeterminata produci. ergo &c Primum verò antecedens, in quo tota difficultas consistit, suadetur tripliciter: & primò quidem auctoritate aliorum doctorum supra citatorum. Secundò, quia dari possunt quamplures actus essentieliter connexi cum existentia suorũ obiectorum, aut principiorum, *sic multi cum Hurtado* ponunt ex actibus *intellectus quosdam esse* ex suis intrinsecis *veros, & quosdam* ex suis intrinsecis falsos. Alij verò, secundò, possibiles saltem esse actus voluntatis ex suis intrinsecis liberos. Alij tertiò admitrunt dari posse actum malum voluntatis essentialiter connexum cum aliquo supernaturali; vt si quis superbè gauderet de actu V. G. fidei quem in se experitur. Alij quartò asserunt volitionem pendere vel saltem posse pendere in genere causæ efficientis à cognitione dirigente illam, & tunc data in meo intellectu reuelatione vel actu fidei, volitionem illam discredentiæ posse esse connexam cum eo actu, aut reuelatione, à qua per se pẽdet. Suadetur denique tertiò principale antecedens, quia peccatum infidelitatis ita connexum cum decreto non videtur importare repugnantiam, nec debet negari libertati creatæ posse illud producere, cum præsertim non implicet actus ex se intrinsecè liber, & possit peccatum licet naturale, vt aliqui dixerunt, mereri cruciatus supernaturales, quales putant esse illos, quos patiuntur damnati.

7

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Eligitur sententia affirmativa, & nonnulla argumenta illam urgentia expediuntur.

8 SEcunda sententia priori contraria, quam nos verissimam esse censemus, est affirmans dari posse peccatum, quod ex sua natura, & ex solum in hac rerum serie, sed etiam quavis alia possibili data posse peccatum ex sua natura irremissibile. In hac Conclusione explicanda fuit conuenire omnes Patres, & Theologi, qui absolute docuerunt aliquod posse dari peccatum, quod à Diuina Misericordia per condonationem, aut remissionem nequaquam superari, quum enim illi huius, & alterius prouidentiæ ordinem distinguere nequeunt, nos distinguere debemus. Expresse verò eam docet Quiroga *in primam secundæ tract. 8. controu. 4. puncto 8. num. 114.* Arriaga *de pœnit. disput. vltima sect. 3. à num. 29.* & huius Franciscus Bardi *in Regulam iuris sancti Regulæ quarta cap. 4.* cum aliis Recentioribus communiter, qui in assignanda implicantia contradictionis huius peccati varias aggrediuntur vias. Nos in hac sectione quatuor implicantias à quibusdam allatas expendemus, quibus rejectis, solidiores in sequentibus Deo fauente assignabimus.

9 Primò itaque quidam sic discurrunt: Si huiusmodi peccatum ab intrinseco animi habitu dari posset, vtique esset possibile decretum, quo Deus decreret: Nolo omnino peccatum Petri, quo hoc meo decreto discredat; sed hoc implicat; ergo &c. Maior est certa, quia actus hic discredentiæ non aliunde, quam à connexione, quã supponitur habere cum decreto essentialiter excluditur sua remissionis incondonabilitatem habere potest. Minor verò probatur, quia sic decretum reflecteret supra se ipsum, sicuti enim diuina reuelatio quod repugnat; nam neque actus intellectus, neque voluntatis possunt habere pro obiecto se ipsos. Verùm hæc implicantia leui nititur fundamento: potest enim aduersarius respondere non implicare actus reflexionis talem inadæquatè, qui nimirum non sibi se ipsos, sed aliquid aliud à se distinctum habeant pro obiecto; sicuti est hoc iudicium (omnes actus intellectus subt spirituales); sicuti est etiam hic amor (amo omnes prorsus actus honestos meæ voluntatis) non minus enim inter omnes actus intellectus de quibus spiritualitas affirmatur, comparandus est ille idem actus iudicij affirmationis, quam inter omnes actus amoris, quorum honestas amatur, ille idem actus amoris, qui eum benè afficiatur circa honestatem, 11 cõsiderat est honestus. Ex quo deducitur quod dato, quod non possit Deus dicere: Nolo remittere peccatum discredentiæ, quæ fiet à Petro contra hoc numero decretum, non-ne potest tamen dicere: Nolo remittere illũ peccatum, quandiu posterum fuerit. Reuera non-ne missurus est, quia sic decretum non solùm reflectit supra se, sed etiam supra reliqua de-

creta, quibus peccata Petri prohibentur. Atqui hoc sufficit, vt dari possit diuersa peccatorum relationis huius decreti, eius peccatum irremissibilem irrefragabiliter, ergo &c.

10 Secundo Quiroga *loco citato, ex prima secundæ num. 144.* & alii, quod licet peccatum illud discredentiæ non possit essentialem connexionem habere cum diuino decreto, & reuelatione veris ac realibus; casu tamen quo eam haberet, adhuc non esset dicendum obstitisse irremissibile, eo quod non magis repugnaret remitti, quam quilibet alius peccatum, sed tantum esset aliter connexum cum reuelatione, non implicaret connexio cum remittere, non ratione peccati, sed ratione veracitatis diuinæ, seu intrinsecæ veritatis, quam essentialiter importaret quis propter si reuelatio illa falsificari posset, peccato illi specialiter remisso minimè repugnaret. Vndè fit, vt dictum infidelitatis peccatum, licet remotè, & cum addito irremissibile esset, absolutè tamen, & in se foret remissibile.

Sed neque hæc implicantia solida est; potest enim Aduersarius ad eam benè respondere, sicuti respõdet ex Quiroga *tract. 1. disp. 33. n. 28.* in præsenti quæstione supponi nomine peccati irremissibilis venire illud, quod ratione connexionis cum decreto, & reuelatione de non remittendo nequeat cum remissione coniungi. Quamuis igitur huiusmodi irremissibilitas sit mediata, atque remota, qui eam ipsi concedit, iam dat manus, & ipsum irremissibile esse in sensu, quo disputantes doctoribus, affirmato. Sed ego ad eam aliter respondeam: supponendo duplicitèr aliquam reperiri posse connexionem cum termino; primò merè identicè, & veluti materialiter; secundò formaliter, & essentialiter. Quo posito dicerem, quod si immutabilitas ad decretum, & infallibilitas ad reuelationem primo modo pertinerent, verum esset peccatum, quod cum eis connecteretur, mediatè solùm, & remotè incondonabile fore. Verùm ea competunt aliis secundo modo. Vndè fit vt dictum peccatum immediatè, & proximè irremissibile censeri debeat. Prima pars huius dictionis est euidens, & 12 concedetur: Secunda, inquã, est difficultas, suadetur, & quidem, quod immutabilitas formaliter, & essentialiter in diuino decreto includatur, sicuti etiam infallibilitas in diuina reuelatione, videtur indubitatum; circumscripto enim quibuscumque aliis, præcisè per hoc, quod habeamus aliquod decretum Liberum de re aliqua faciendã, per nullam potentiam esse frustrabile, & reuelationem de re infallibilem, formalissimè inferimus verumque esse diuinum, quod quidem signum est, dictas rationes essentialiter ad illa pertinere. Quod verò ex hoc sectæ colligatur peccatum illud infidelitatis proximè, & immediatè esse irremissibile probatur, quia ordo oppositionis quem actus ille peccaminosus dicit ad diuinum decretum, & reuelationem constituit ipsum proximè, & immediatè in ratione peccati infidelitatis irremissibilis, connexi

cum illis. ergo idem ordo debet eundem proximè, & immediatè in ratione peccati intrinsecè irremissibilis constituere. Antecedens patet. Consequentia suadetur: quia sicuti diuinum decretum, & reuelatio per hoc, quod terminent immediatè actum illum peccaminosum, eum reddunt immediatè, & formaliter sub tali specie: ita etiam debent reddere illum immediatè, & formaliter irremissibilem; ex quo apparet falsum esse, quod Oviedus assumit nimirum casu, quo dictum peccatum supponeret essentialiter reuelationem de sua non remissione, adhuc non esse dicendum intrinsecè irremissibile, sed tantum habere connexionem cum reuelatione, cui per ipsum repugnaret cum eius remissione coniungi; nam sicuti esset censendum intrinsecè connexum cum decreto: ita, & intrinsecè irremissibile, quatenus eodem modo à diuino decreto talem speciem peccati, ac irremissibilitatem ab eius immutabilitate reciperet; siquidem decretum non est aliquod à sua immutabilitate contradistinctum, sed eam essentialiter in suis prædicatis quidditatiuis explicitè includit. Constat etiam non minus falsum esse, quod addit: videlicet: quod si reuelatio diuina falsificari posset, peccato illi specialiter non repugnaret remissio; eo enim ipso, quod falsitas cum reuelatione diuina coniungi posset, peccatum infidelitatis cum illa connexum esset speciei diuersum ab eo, quod nunc est; siquidem esset connexum cum termino, qui secundum eam rationem, secundù quam formaliter terminat, differret essentialiter á termino formali alterius infidelitatis, quæ cum reuelatione infalsificabili connecteretur.

11 Tertia implicantia peccati ab intrinseco irremissibilis sumi potest ex doctrina, quam tradit Bardi *loco citato num.* 44. vbi supponit: omne intrinsecum prædicatum malum, quod esset in infidelitate illa connexa, desumendum esse per ordinem ad diuinam reuelationem immediatè, cui homo discredit. Omne verò prædicatum, quod esset in reuelatione transfutiuum malitiæ in infidelitatem, accipiendum per ordinem ad decretum, cuius est manifestatiua. Ex quo fit, vt prædicata infidelitatis in diuinum decretum tanquam in primam radicem resolui debeant, quo posito, sic arguit: decretum positum ab Aduersario terminatiuè fertur tantum in negationem remissionis tanquam in obiectum, non verò in negationem remissibilitatis; est enim voluntas non remittendi. ergo prædicatum, quod media reuelatione, infidelitas illa sortitur, est, quod sit irremittenda; non autem, quod sit irremissibilis. Cum igitur adhuc admisso ordine, remaneat ab intrinseco remissibilis; implicat, quod eius beneficio irremissibilitatem etiam ab intrinseco sortiatur; quia sic esset, & non esset irremissibilis: esset, vt supponitur, non esset, quia intrinsecè remissibilis esset.

Sed neque hanc implicantiam probare possum. Quamuis enim, quod auctor supponit, admittam, & concedam etiam Antecedens enthymematis, videlicet decretum initio positum terminatiuè ferri tantum in negationem remissionis; nego tamen consequentiam, nimirum: prædicatum, quod infidelitas illa media reuelatione sortitur, esse, quod sit irremittenda, non autem, quod sit irremissibilis. Huius consequentiæ negatæ rationem assignat Arriaga *in tertia parte disp.* 12. *sect.* 3. *num.* 33. Quia, inquit, cum supponatur peccatum illud existere non posse, nisi ex suppositione decreti de non remittendo; posito autem tali decreto, constet ipsum nõ posse remitti, rectè deducitur dictum peccatum irremissib. le esse. Verùm ad hoc posset respondere Bardi negando hanc vltimam illationem, & dicendo: ex duplici capite peccatum aliquod ab intrinseco non posse remitti, primo: quia repugnet illi actus primus remissionis. Secundo, quia licèt habeat actum primum, repugnet tamen illi actus secundus. Quoniam verò peccatum infidelitatis, de quo agimus, propter secundùm caput non potest remitti, & non propter primũ; non rectè deducitur: quod irremissibile sit, sed solùm, quod sit irremittendum; irremissibilitas enim excludit actum primum remissionis, qui quidem actus tam in casu nostro haberi supponitur.

12 Ad infringendam igitur hanc, & similes distinctiones, totumque auctoris discursum labefactandum: solidè probandum est principiũ illud: videlicet, hoc ipso, quod alicui ex suis prædicatis intrinsecis repugnat actus secundus; repugnare etiam ei ex eisdem prædicatis actum primum illi secundo correspondentem, huius enim axiomatis veritas solidata, manifestè deducitur, quod si actus ille infidelitatis propter essentialem connexionem, quã habet cum decreto, est essentialiter irremittendus: sic etiam essentialiter irremissibilis. Iam verò principium illud multiplicitèr fundari potest; & primo quidem inductione: videmus enim Chimeræ ita ex *suis prædicatis intrinsecis repugnare existentiam realem*, vt repugnet etiam ex eisdem *prædicatis realem* essentiam, quæ comparatur ad existentiam, vt actus primus ad secundum, idemque apparet in cæteris entibus fictitijs; loquendo verò de realibus: videmus homini ita repugnare ex suis prædicatis intrinsecis identitatem in actu secundo cum Angelo, vt etiam illi repugnet actus primus, seù potentia ad huiusmodi identificationem. Angelo verò ita ab intrinseco repugnare corruptionem, vt sit ab intrinseco incorruptibilis: & sic videbimus discurrendo per omnia entia realia. Vniuersaliter igitur concludendum est hoc ipso, quod alicui ex suis prædicatis essentialibus repugnat actus secundus, repugnare ipsi ex eisdem prædicatis actũ primũ illi secundo correspondentem.

13 Respondet ad hanc inductionem Aduersarius *num.* 46. hoc ideò in reliquis veritatem habere; quia in eisdem ratio repugnantiæ viget pro vtroque actu, tum primo, tum secundo: sic in Chimæra V. Gr. ratio, cur ei repugnet existentia realis est essentia ficticia, quæ quidem essentia est etiã ratio, cur illi realis essentia repugnet; & sic discurrendo per singula:

singulari; at vero in casu nostro ratio repugnantiæ viget solum pro actu secundo, id est pro irremissione, non vero etiam pro actu primo, nempe pro irremissibilitate: quia decretum est solùm de non remittendo. Sed contra est: quia istamet eadem ratio repugnantiæ viget in reliquis pro utroque actu, in quantum radicatur in eorum essentijs, quæ sicut excludunt à sè actum secundum, ita debent etiam excludere actum primum, sed etiam repugnantia, quam actus infidelitatis connexus haberet cum actu secundo remissionis, in essentia radicaretur, ratione connexionis, quam includit cum decreto, ergo &c. Maior inductione suaderi potest. Confirmatur autem paritate actus fidei divinæ, quo quis crederet Deo reuelanti decretum de non remittendo actum enim illicitè repugnaret actus secundus falsitatis, vt etiam repugnaret actus primus; 81 esset enim infallibilis, sed non nisi quia ratio repugnantiæ in eius essentia connexa cum reuelatione radicatur, licet vltimo ab ipsa reuelatione procedat: ergo &c. Minorem verò nostri argumenti videtur negare Bardi num. 47. dum ostendere intendens quomodo remissibilitas actus infidelitatis non esset vana: ait quod licet hic, & nunc non posset ex suppositione decreti reduci in actum, nihilominus si per impossibile remoueretur decretum illud, aut si non fuisse supponeretur, remaneret idem numero peccatum infidelitatis ab intrinseco remissibile, cuius potentia de facto in actum secundum reduci posset. Verum hæc doctrina destruit totam suppositionem, quam ab initio §. 11. fecerat cum Cardinali num. 43 & 45. nimirum peccatum illud esse essentialiter cum decreto connexum, & ideo per sua prædicata intrinseca esse tale, vt per nullam pœnitentiam deleri valeret; sic enim arguo: suppositio illa non potest loqui de connexione cum decreto possibili tantùm, vt patet. 82 neque cum decreto frustrabili, quia non essemus in casu, sed cum decreto existente diuino, atque adeo inuariabili. ergo si per impossibile remoueretur decretum, aut si non fuisse supponeretur, non remaneret idem numero peccatum infidelitatis; falsum igitur est, quod erat ab intrinseco remissibile, eiusque potentia cũ remissione de facto coniungi poterat; & recte, connexio enim, quam importaret ex vna parte esse ad decretum existens inuariabile; ex altera vero esset essentialis; ad cessationem igitur decreti implicaret, vt illud numero peccatum durare cẽseatur, & cum actuali remissione de facto coniungi. Quod si supponamus ad hoc per impossibile dictum peccatum perseuerare, licet esset terminatiue remissibile propter variationem decreti; entitatiue tamen irremissibilitatem suam conseruaret, quia iam hoc prædicatum sibi essentiale esse supposuimus.

14 Suadetur secũdo illius axiomatis veritas explicatione terminorum, quibus constat, sic: Aliquid habere repugnantiam ex suis essentialibus cum aliquo actu secundo, nihil aliud significat, quam habere essentiam impeditiuam, & exclusiuam dicti actus, ne ponatur in rerum natura; sed hoc imbibit necessario repugnantiam cum actu primo; ergo qui repugnat actus secundus debet etiam repugnare actus primus. Maior videtur certa, aut patet ex nostro casu; non enim potest explicari in quonam alio consistat repugnantia, quam actus ille infidelitatis cũ actuali remissione ex suis intrinsecis prædicatis haberet, nisi quod esset essentialiter impeditiuus, & exclusiuus illius à parte rei, vt per nullam potentiam cum effectu remissio illius haberi possit. Minor vero probatur: quia actus primus debet esse talis, vt semper exigat actum secundum, si ille non sit exclusiuus, & impeditiuus illius, nè ponatur à parte rei; importat enim de sè portentiam ad illum; de concepto autem omnis phœnitentiæ videtur esse, vt non sit impeditiua sui actus.

Dicta voluntati nostræ liberè amanti obiectũ aliquod, repugnat actus secundus odij eiusdem obiecti; licet non repugnet actus primus, quia hoc ipso, quod libere amat libertate contrarietatis, vt supponitur, debet esse potens ad odio habendum; ergo axioma illud iam non est vniuersaliter verum. Respondeo nos semper de dicto axiomate loquutos esse cum restrictione sic: quod habet ex suis essentialibus repugnantiã ad actũ secundum, ex exceptis enim exemplis sunt, in quibus sine huiusmodi restrictione acceptum habet falsitatem; sic homini sedenti, dum sedet, repugnat actus secundus ambulandi, licet potentiam habeat ambulatiuam; item dormienti repugnat vigilia, licet potens sit vigilare; sic in casu posito libere amanti licet competat potentia ad odio habendũ obiectum, quod amat, repugnat tamen, cõ ingente defacto base potentiam cum actu secundo. Vniuersalis ratio, cur in his omnibus fallit regula, est, quia eis non repugnat actus secundus ex suis essentialibus, sed aliunde, sedenti quidem ambulatio ratione sessionis, dormienti vero vigilia ratione somni, amanti denique odium ratione amoris, eo quod dicti actus sunt incompossibiles in eodem subiecto; vnde est, vt libere amans dicatur potens potestate antecedenti odio habere, impotens vero potestate consequenti, hoc est, ratione amoris, quem exercet. At quod aliquid ex suis prædicatis intrinsecis excludat à sè actum secundum, & ex ijsdem prædicatis importet actum primum, videtur impossibile, vti probauimus; quoniam vero hoc haberet actus infidelitatis si simul esset ex suis essentialibus irremittendus, & remissibilis: hinc fit vt repugnantia aliqua contra peccatum irremissibile nulla sit.

Quartam implicantiam dederunt Alij quinque absurdis, quæ sequerentur ex huiusmodi peccato irremissibili. Quorum primũ est posse dari peccatum ex suis intrinsecis impunibile, casu, quo Deus decernat non punire peccata Petri, & sufficienter illi hoc reuelando, Petrus reuelationi discredat; hic enim actus discredentiæ connecteretur cum decreto de non puniendo; ergo iam esset impunibilis contra principia luthine naturæ notum omne malum ex suis intrinsecis habere quod iuste puniri possit à Deo. Sequeretur secundo dari posse opus supernaturale, liberum impœnitabile, etiam si proueniat à natura creata intellectuali hypostatiè Deo vnita casu, quo Deus decerneret nullum dare præmium huic creaturæ bene operanti, & hoc

illi

illi reuelet, ipsa vero eliciat actum fidei, quo huic Dei reuelationi credat; contra aliud principium, quod omne bonum honestum est de se præmio dignum. Tertiò sequeretur dari posse actum, qui essentialiter exigat suam corruptionem post certum tempus V. G. post annum, & alium, cui essentialiter repugnet corrumpi per totam æternitatem à parte post, atque adeo sit ab intrinseco diuinitus indestructibilis casu, quo quis crederet Deo dicenti nullum actum fidei duraturum, nisi per annum, vel omne per totam æternitatem à se conseruandum esse; contra tertium principium, quod omnis creatura quo ad destructionem, & conseruationem sui subditur totaliter dominio Dei. Quartò sequeretur 21 quod si homo ille, qui peccatum irremissibile iniit, mitteretur, annihilaretur à Deo, adhuc eius peccatum perseueraret, quia culpa non nisi remissione deleretur, quam excluderet à se peccatum illud; contra aliud principium destructis primis substantijs, impossibile est aliquid illorum remanere; sed hæc omnia videntur implicare contradictionem. ergo &c.

17 Verum neque hæc implicantia aduersarius premit; ex quatuor enim sequelis, discurrendo consequenter ad sua principia, priores tres concedere possūt, negando, quod sint absurda; quartam vero possūt negare, eius absurditatem concedendo. Vtrumque breuiter ostendo: nam ex suppositione quod actus ille infidelitatis ratione connexionis, quam habere supponitur cum decreto de non remittendo, irremissibilis intrinsecè euadit; cur non etiam euadet impunibilis ab intrinseco actus infidelitatis ratione connexionis cum decreto de non puniendo? non enim videtur disparitas assignabilis. Præterea si dicti actus mali possūt à suis decretis irremissibilitatē, & impunibilitatē intrinsecā hausire; quāobrem actus illi fidei non poterunt intrinsecā impremiabilitatē, seu indurabilitatē post annū, aut indestructibilitatem per æternitatem à parte post à decretis suis, cum quibus essentialiter connectuntur, obtinere? certe in vtrisque par ratio militat; illa ergo principia, quod videlicet malū sit ab intrinseco punibile à Deo, & bonum essētialiter præmiabile, interpretabuntur aduersarij veritatem habere, quoties bonum, & malum sunt absoluta à connexione, & neque malum connectatur cum decreto de non puniendo illud, neque bonum cum decreto de non præmiando ipsum; quod non haberetur in casu nostro. Simili modo explicabunt illud aliud principiū, quod omnis creatura quo ad destrui, & conseruari subditur totaliter dominio Dei, quod videlicet, sermo sit de creaturis absolutis, & inconnexis, cum quo stat, quod possint aliquæ ex connexione cum decreto de non conseruando, reddi ab intrinseco inconseruabiles, aliæ vero connexæ cum decreto de non destruendo ab intrinseco indestructibiles; atque hæc de tribus sequelis. De quarta vero potest dici, quod licet sit absurda, quatenus infert peccatū irremissibile ab intrinseco posse de facto aliquando remitti, non tamen sequatur; quia posita annihilatione peccatoris, licet peccatum illud cessaret, non tamen quia ipsum condonaretur, sed quia subiectum eius destrueretur; & sic saluatur axioma: destructis primis substantijs &c. Verum si peccator iterum reproduceretur à Deo, peccatum illud ratione irremissibilitatis essentialis, quam haberet, deberet resumere, resumeret. Quod si decretum Dei non fuisset de non remittendo, sed de nō destruēdo illud peccatum, vna infidelitas, illa non solum esset ab intrinseco indestructibilis, sed etiam redderet ab intrinseco indestructibile subiectum, à quo in esse essentialiter dependeret. Quintam denique sequelam absurdam alij deducunt, quia ex suppositione, quod Deus decerneret non odio habere vllum peccatum Petri V. G. actu infidelitatis, quo Petrus discrederet reuelationi, esset inodibilis, quod videtur repugnare essentiæ peccati, quæ licet possit actu non odio haberi à Deo, at implicat non esse ab eodem odibilis.

Verum propter hoc ipsum posset aduersarius 18 negare casum, ac dicere, quod cum ex hac connexione sequatur, quod idem esset peccatum, & non esset peccatum, id circo implicat; Idemque dici posset de impunibilitate peccati, & impremiabilitate boni operis, ex suppositione, quod sint proprietates essentialiter exactæ à suis principijs, nimirum ab actu peccaminoso, & meritorio; ex hoc autem non sequi peccatum irremissibile implicare; quia adhuc esset peccatum, & quidem ab intrinseco punibile. Verum contra hoc instari recte posset, non minus esse de ratione peccati punibilitatem, & odibilitatem quam remissibilitatem, vt ex dicendis patebit.

SECTIO TERTIA.

Probatur efficaciter peccatum ab intrinseco suo irremissibile contradictionem involuere ex Auctoritate.

19 Vtpatet igitur probationibus tanquam inefficacibus post habitis, implicantia contradictionis peccati ab intrinseco irremissibilis, probatum efficaciter. Primo auctoritate Scripturarū & earum interpretatione. Scriptura enim sæpè Diuinam Misericordiam tanquā omni humanæ malitiæ possibili maiorem commendant. Exodi enim 34. *num.* 4. Moises Deum videns sic exclamauit: Misericors, Clemens, patiens, multæ miserationis, qui affers iniquitatem, scelera, & peccata; quæ verba expedens Lyranus, iniquitatem, dicit, importare peccata commissa in proximum, scelera autem commissa contra Deum, peccata verò, quæ facit homo contra seipsum; vt nullum esse peccati genus, quod à Diuina Misericordia superari nequeat, significaret. Esset autem aliquod peccatum irremissibile concederetur; nam omne peccatum infidelitatis est directè contra Deum. Secundo Bernardus *serm.* 5. in Natiuitate Domini exponens illud Pauli: 21
Pater misericordiarum: Benè, inquit, Pater misericordiarum dicitur, & non iudiciorum; si quidem misereri dicitur suam, & originem sumit ex proprio; ex se enim sumit materiam & velut seminarium miserendi; Iudicandi verò & vlciscendi magis ex nostro. Tum sic: si aliquod peccatum irremissibile esset, quoniam propinquius

Dei

Dei, nempè misereri, superaretur ab eo quod est proprium nostrum, idest peccare, quod videtur impossibile, multo magis, quam diuinam misericordiam peccato adæquare, & tamen Augustinus *serm. 15. de Verbis Domini*: Ille diffidat, inquit, qui tantum peccare potest, quàtum Deus bonus est, quod nullus facere potest; Item Sapientiæ *cap. 11. 24.* dicitur Misereris omnium, quia omnia potes. vbi notant sacri Interpretes particulas illas, (omnium, & omnia) vt significetur tanta amplitudine se extendere Dei misericordiam in ordine ad misserendum, quanta se extendit Dei potentia ad operandum: sed hoc falsum esset, si posset Deus facere hominem, cuius aliquod peccatum nequiret remittere, ergo &c.

20 Denique Ioelis *secundo* inuitantur peccatores ad Deum illis potissimum rationibus: Quia inquit, benignus & misericors est, patiens, & multæ miserationis, & præstabilis super malitia: quæ postrema verba Cyprian. *lib. 4. epist. 2. & serm. 5. de lapsis* legit: (Et qui sententiam flectat aduersus malitiam) noster verò Ribera ex Hebræo exponit: Qui præstat malitiæ. Melior est malitia, non finit se ab ea vinci: non posset autem sententiam flectere aduersus malitiam, neque ei præstaret, nec illa superior esset, neque denique non sineret se ab ea vinci, si qua malitia irremissibilis à Deo ex suis intrinsecis esset.

Porrò quamuis iuxta Hieronymum malitia hìc pro supplicio, & pœna sumatur, non fauet tamen aduersarijs, qui eodem modo existimant non repugnare peccatum ab intrinseco impunibile, sicuti irremissibile, casu quo decretum Dei vtrum quo essentialè connexionem haberet esset de non puniendo illud. Ex quibus omnibus cõstat sententiam, quæ docet dari posse peccatum irremissibile esse contra Scripturas & Interpretes Sacros.

21 Ad hæc Respondent Aduersarij Scripturas, & Patres loqui de Diuina misericordia in ordine ad peccata quantumuis grauissima, & in infinitum multiplicata quatenus talia; cum enim respectu eorum sic acceptorum Bonitas Dei sit incomparabiliter maior, sequitur quod non solum in alijs seriebus possibilibus, sed etiam in præsenti ea omnia remittere possit; sicuti propter eandem rationem Omnipotentia absolute influere in omni factibile, & sapientia scire omne scibile. Verùm his non obstãtibus subdunt, quod cum detur aliqua peccata, quæ sunt cum Diuino decreto, & reuelatione de nõ remittendo essentialiter connexa, ideoque exigunt ab intrinseco indispensabiliter coexistere cum destructiuo, & carentia remissionis sui: idcirco non est mirum, si circa huiusmodi peccata non possit Diuina misericordia se immiscere; quia ipsa per sua essentialia ab illa se subtrahũt, non quidem quatenus peccata sunt, sed quatenus sunt connexa cum diuino decreto, & reuelatione, ex quorum certitudine & infallibilitate eis dicta irremissibilitas oritur.

22 Sed contra est primò, quia si semel restringamus hoc pacto dicta illa Scripturæ, non apparet cur non potuisset Nouatus, eiusque Sectatores hæretici illa intelligere de peccatis non grauissimis, vel quæ cumulum aliquem non attigerint. Hoc enim ipso quod vniuersalis propositio aliquam exceptionem patitur, non est maior ratio cur vnam, & non alteram patiatur. Quod si dicas in hoc recurrẽdum esse ad definitionem ecclesiæ: Contra est secundo, quia ex suppositione quod posset veritas Scripturarum cum peccato ab intrinseco irremissibili cohærere, possent hæretici in hunc fere modum impugnare Catholicos: si Ecclesia sufficiẽs habuit fũdamentum definiendi, nullum esse peccatum adeò graue, nec cumulum peccatorum adeo ingẽtem, quæ à Diuina misericordia remitti non possint, maximè ex dictis vniuersalissimis Scripturarum, & Patrum. sed stat eorum veritas per nos inconcussa, etiam admissis peccatis ab intrinseco irremissibilibus ratione connexionis: ergo poterit etiam stare, admissis peccatis item ab intrinseco irremissibilibus ratione grauitatis, & multitudinis, quia tum grauitas intrinsecè competit peccato graui, tum multitudo peccatorum cumulo. Quare ego existimarẽ, quod si antiqui hæretici asseruissent dari posse peccatum ab intrinseco irremissibile propter connexionem cum decreto, sicuti asseruerunt dari posse propter grauitatem, & multitudinem æquè damnati ab Ecclesia fuissent; eo quod in vtroque casu eadem prorsus ratio militare videtur.

Contra tertiò; & vrgeo paritatem de Omnipotentia, & Scientia Dei: Est contra Scripturas 23
asserere, quod detur aliquod ens reale positiuum defectibile, quod ratione alicuius prædicati intrinseci, relinquentis illud in ratione entis positiui, subtrahatur ab obiecto diuinæ Omnipotentiæ, ita vt non possit ab illa produci; sicuti est etiam asserere, quod detur aliquod scibile, quod ratione alicuius intrinseci prædicati, eius scibilitatem minimè destruentis, à Diuina scientia non cognoscatur; ergo erit etiam contra Scripturas asserere, quod detur peccatum aliquod, quod ratione alicuius prædicati sibi intrinseci consociabilis cum ratione peccati non sit intra obiectum diuinæ Misericordiæ. Antecedens patet. Consequentia suadetur, quia sicuti ens reale defectibile V. G. hoc solo nomine ab obiecto diuinæ Omnipotentiæ excludi potest, quod euadat chymæricum: & non aliter scibile à Diuina scientia subtrahi, quam quod euadat incognoscibile; ita neque peccatum ab obiecto diuinæ bonitatis excludi poterit, quam amittendo rationem peccati.

Quod si dicas eorum peccata, quæ Deus decreuit nolle finaliter remittere, siue viatorum sint, siue damnatorum cum absoluta irremissibilitate coniuncta esse; aliter decretum Dei posset frustrari: & tamen non excludi ab obiecto diuinæ misericordiæ. ergo idem dici posse de peccato infidelitatis intrinsecè connexo. Contra est quartò, quia falsitas consequentiæ patet ex simili enthymematis, sic: Alius Adam, quem Deus decreuit nolle vnquam producere, cum absoluta improducibilitate coniunctus est, alioquin decretum Dei esset frustrabile, & tamen non excluditur ab obiecto diuinæ Omnipotẽtiæ. ergo idem dici potest de eodem Adamo ex suppositio- 24

positione, quod prædicata equiuocatis intrinsece haberet. Ratio falsitatis vtriusque consequentiæ est prorsus eadem, quia decretum Dei de non remittendo non tollit intrinsecam remissibilitatem peccati, sed solum extrinsecam; sicuti decretum de non producendo non tollit intrinsecam alterius Adæ producibilitatem, sed solum extrinsecam. Quare si decreta illa frustrari possent, omnibus pensatis & peccatum remitteretur, & alius Adam produci de facto posset; quod nō eueniret si ab intrinseco peccatum esset irremissibile, & Adam improducibilis. Sufficere autem intrinsecam rationem obiectiuam quamuis desit extrinseca ad constituendum obiectum alicuius potentiæ sexcentis exemplis confirmari potest. sed sufficiat illud trium puerorum in fornace ignis ardentis; ex eo enim quod Deus absolutè decreuit vt neque eorum Corpora, neque vestes tunc comburerentur ab igne: nemo dixerit eos non fuisse ab intrinseco combustibiles. erant ergo intra obiectum potentiæ combustiuæ contentos. Idem dicam de peccatis damnatorum, & similium.

25 Quod si addas circa peccatum irremissibile misericordiam Dei versari posse, quatenus adhuc posset illud punire & non punire, & posito quod puniret, punire illud circa condignum.

Contra est quintò, tum quia Scripturæ & interpretes maximè de remissione culpæ loquuntur, tum etiam quia posito quod dari posset peccatū irremissibile solum ratione connexionis cum decreto de non remittendo, non videtur, cur dari nequiret irremissibile simul, & impunibile ob connexionem cum decreto, quod Deus faceret de non remittendo simul & non puniendo aliqua peccata; sed hoc posito iam huiusmodi peccatū non contineretur intra obiectum Misericordiæ Dei, & tamen esset humanarum miseriarum maxima; quamuis enim Aduersarius hac ratione coactus, posset admittere huiusmodi peccatū esse implicatorium, non vero irremissibile tantum; quia tamen sic dicendo cogeretur concedere diuinam Misericordiam in ordine ad irremissibile tantum saltem coarctari, quatenus non posset in eius remissionem se immiscere, hoc solo nomine audiendus non esset. In nulla enim alia re magis Dei Bonitas secundum eloquia Scripturarum, & Patrum triumphare videtur, quam in condonando hominum peccata quò ad rationem iniuriæ & offensæ, quam habent contra Deum.

26 Quod si denique addas: ideo Scripturas, & Patres sic loquutos esse quia in hoc rerum ordine Deus constituit nulla permittere peccata ab intrinseco irremissibilia, Contra hoc diuerticulum faciunt tria absurda valde periculosa; quorum primum est, idem posse consequenter asseri de multitudine, & grauitate peccatorum; nimirum à Scriptura, & Patribus solum affirmari, quod stante hac prouidentia dari nequeat peccatum adeo graue aut multiplex, quod à Diuina misericordia remitti non possit; cum quo stat quod iuxta aliam rerum prouidentiam dari possit, nulla enim in hoc potest assignari disparitas. Secundum verò est, eadem modo eludi posse loca Sacræ Scripturæ, in quibus encomia excessuum diuinorum attributorum prædicantur; magis enim Dei Bonitas, & Misericordia, quam reliqua eius attributa in Scriptura laudantur; ita vt illorum operationes, siue fine propriæ Potentiæ, siue Sapientiæ siue Iustitiæ, illi attribuantur toto fere Psalmo 138. si igitur excessus, quo Misericordia nostram malitiam dicitur superare, ad hunc rerum ordinem restringi potest: non esset cur non posset etiam ad eundem ordinem restringi excessus, quo eius Potentia, Iustitia, & Veritas supra nostram potentiā, iustitiam, & veracitatem se extollere dicitur. Tertium denique absurdum est, quod Dei Clementia malitiam nostram in hac serie superaret, non præcisè, quia clementia Diuina est, malitia verò humana; nam concedit aduersarius, quod in alia rerum serie succumberet, quatenus dari posset malitia ab ea incondonabilis, sed hoc est expressè contra communem Patrum consensum, inter quos Chrisost. *Hom. 3. de pœnit.* §. Malitia tamquamcunque tandem fuerit, humana est malitia; Dei autem benignitas erga homines nullo eloquio enarrabilis est; (& paulò inferius:) Quòd tum scintilla ad pelagus collata, tantidem est hominis malitia, si eam componas cum benignitate Dei, imo vero non tantidem, sed tanto amplius præcessit clementia Dei, Pelagus enim & si exiguæ sit magnitudinis, suum tamen habet modū; Dei autem clementia nullo clauditur fine. Breuius Augustinus *in lib. de meditationibus cap. 9. init.* Quantum namque est superior Deus homine, tanto mea malitia est inferior eius bonitate in qualitate, & quanticate.

Ex dictis huc vsque hoc Theologicum argumentum formari potest: In quæstionibus in quibus verum aliquid sit possibile vel impossibile, quæritur, nisi aliud obstet, inclinare debemus ad eam partem, quæ nobilius Dei attributum anget: vnde fit vt communiter creatura ab intrinseco iudestruibilis negetur esse possibilis, eo quod quamuis diuinam omnipotentiam ampliare videatur, deroget tamen *eius dominio absolutissimo*, quod est Omnipotentia dignius, ac æstimabilius. sed dum quæritur de peccati intrinsece irremissibilis possibilitate, sententia negatiua Dei misericordiam ampliat, *quatenus* omne malum morale possibile eius *ditioni* submittit. ergo hæc sententia absolutè tenenda est. 27

Ad hoc posset aduersarius respondere: peccatum ab intrinseco irremissibile diuinæ misericordiæ subdi, si non immediatè, at saltem mediatè: tum quia ipsa decretum de non remittendo impedire valet: tum etiam quia adhuc, eo posito, cohibere potest Omnipotentiam ne in talem actum peccaminosum concurrat. Sed *contra est*, quia subiectio immediata *maiorem perfectionē* arguit in eo, respecta *cuius est subiectio*, quam mediata; ob nihil enim aliud negamus accidentia, & operationes creaturarum substantialium dependere à Dei potentia solùm mediantibus ipsis Creaturis, quia subtraheremus illa à subiectione immediata, qua Omnipotentiæ Dei submitti debent. cum igitur nos ex Scripturis, & Patribus teneamur omnem excogitabilem perfectionem Dei *Misericordiæ* concedere, debemus asserere quod dari nequeat Peccatum quod me-

Digitized by Google

mediare rationum divinæ misericordiæ subdi valeat, & non etiam immediatè ratione remissibilitatis intrinsecæ.

Ad hoc caput ex auctoritate desumptâ reduci posset quæ sequela quæ cum ab omnibus auctoribus catholicis cèleatur absurda, ex adversariorum tamen sententia deducitur. Quarum prima est, dari posse peccatum essentialiter impunibile; quod certè omnes qui statuunt omne peccatum ex suis intrinsecis iustitiæ Dei punitivæ esse subiectum. Sequela probatur: casu enim quo Deus revelaret Titio se velle eius peccata in posterum committenda punire, & Titius huiusmodi revelationi differederet per differentiam cum illa connexam; iam hæc discredentia esset impunibilis ex sua essentia, sicut illa alia irremissibilis, quia eadem ratio militaret pro utraque. Secunda sequela est, dari posse peccatum licet gravissimum, quod ex suis intrinsecis exigeret à Deo actualem remissionem, quam ei Deus negare non posset propter eandem rationem, contra omnes doctores qui agentes de peccato grauiori dicunt illud de se exigere perpetuam inimicitiam peccatoris cum Deo offenso. Tertia denique est, dari posse opus iustum ex suis essentiis impræmiabile contra omnes Theologos docentes, quod licet Deus posset illud non præmiare, tamen de se semper præmiabile esset. Sequela patet, casu quo Deus decerneret non præmiare actum bonum Titii, & hoc illi revelaret; Titius verò huiusmodi revelationem credens. Sed de singulis satis.

SECTIO QUARTA.

Peccatum esse inexcusabile implicantium. Peccatum ab intrinseco irremissibile, quia de facto deberet non remitti, aliis in circumstantiis aliter loquendo.

29 SI peccatum ab intrinseco irremissibile de possibilium aliarum rerum serie non implicaret, sequeretur quod in præsenti serie de facto dari deberet; sed hoc repugnat doctrinæ Ecclesiæ asserentis nullum dari posse peccatum, quod non divinam misericordiam sentiri queat. Ergo &c. Omnes parent præter Magistrum quam Arriaga vera sibi de peccatorum [illegible] & Quiedus loco citato secundum efficaciter probant illo principio communiter in Theologia recepto: malitiam scilicet vel honestatem actus non desumi ex ipsa lege secundum suam existentiam, sed ex oppositione vel conformitate cum dictamine ipsius legis ex quo infertur idem numero peccatum committere eum qui comedit carnes die dominico, certo sibi persuadens esse diem veneris, quod committeret si ipsa die veneris carnes comederet, & idem numero peccatum perjurii contrahere illum qui hodie juraret se hesternon vidisse Petrum quem vidisse putat, licet re vera non viderit, quod committeret, si juraret se non vidisse solum quem vidisse putat, sed re vera vidit; idemque numero peccatum adulterii ille qui accederet ad suam putans esse concubinam, ac si re vera concubina esset, & id cognosceret. In hoc principio nixi dicti auctores, sic maiorem illam evincunt: posse in hac rerum serie quis ex conscientia erronea invincibiliter persuadere ubi sufficeret propositam esse revelationem divinam circa non remittendo in posterum vllo eius peccata, denique potest de facto huiusmodi revelationi discredere, sed discredendo peccare eodem numero peccato infidelitatis, quod omitteret, si re vera talis revelatio existeret, ibique sufficienter proposita esset; ergo illud peccatum infidelitatis ab intrinseco irremissibile propter connexionem cum diuina revelatione à parte rei posita in alia rerum serie non implicaret; sequeretur quod in præsenti serie de facto daretur. Consequentia huius est manifesta. Maior vero & Minor non videntur posse alia qua probabilitate negari; quis enim negaverit posse in hac rerum serie Parochum ad coercendum rusticum perditæ vitæ in posterum peccata proponere illi tanquam quid credendum fide diuina, Deum revelasse nullum peccatum iocabile se ei remissurum esse, & quis etiam nobis concedat rusticum illum, cum ei inuincibilitas existimet habere sufficientia motiva credibilitatis ad id credendum, posse de facto discredere? Ergo non datur Maioris & Minoris veritas inconcussa.

Nihilominus tamen existimarem hoc argumento hac ratione proposito, non esse maiorem illam principalem nostræ probationis adeo efficacem probatam, quia posset aduersarius se ab illo tueri dicendo, quod quando assumitur peccatum infidelitatis in casu posito in hac rerum serie commissum à rustico esse idem numero cum illo qui committeretur in alia serie, in qua revelatio de non remittendo rè vera foret exhibita, hoc intelligendum sit moraliter, hoc est spectatis solum illis quæ à libera hominis voluntate in huiusmodi peccatis refunduntur; & hoc sufficere ad salvandam communem Theologorum proloquium, existimantium peccata non sumi immediate à lege sed à iudicio, quod peccator de se sibi formet; cum hoc tamen stante duo alia peccata infidelitatis physicè considerata inter se differre, eo quod verum ex eis esset ab intrinseco cum diuina revelatione connexum, falsum verò connexum [illegible]

Secundò ad principalem illam maiorem probandam posse dici: De facto in hac rerum serie 30 habetur decretum & voluntas Dei de non remittendo peccata adultorum sine pœnitentia, sed quidam hodie sunt hæretici, qui hanc revelationem non credunt, asserentes pœnitentiam non esse necessariam ad salutem aduersus illum sensum peccato mortali sed sufficere ei fidem vel prodilectionem. Ergo si peccatum infidelitatis ab intrinseco irremissibile in alia rerum serie non implicat, concedendum est de facto in præsenti serie dari posse tale peccatum, hac tamen differentia, quod illud alterius serie esset ab intrinseco irremissibile per omne medium sine vlla exceptione: hoc verò seriei præsentis esset remissibile per reliqua media, & irremissibile solum per pœnitentiam.

Verùm neque hæc probatio videtur solida, quia posset aduersarius concedere in hoc sen-

si consequentiam, nimirum dari posse peccatum infidelitatis iuxta hanc prouidentiam ab intrinseco irremissibile per plura media, licet nó per omnia, sed negare deinde, hoc esse cóntra doctrinam Ecclesiæ; siquidem illa docet solú, nó dari peccatum ab intrinseco irremissibile per omne medium, eo quod ex scripturis, & Patribus clarè colligitur, quodlibet posse remitti in hoc rerum ordine. At vero sequela tantùm euincit, dari posse in hac prouidentia peccatú ab intrinseco irremissibile per pœnitentiam dumtaxat; tale autem peccatum non repugnare Scripturis, patet, quia non nisi secundum quid, & cum addito potest censeri irremissibile absolutè tamen, & simpliciter remissibile dici debet, quia ad veritatem propositionis affirmatiuæ sufficit si subiecto competat vna ex pluribus formis, quæ illam verificare possunt; ad veritatem verò negatiuę requiritur exclusio omnium, vt habetur in sumulis Verùm scripturæ docent non aliter in hoc rerum ordine spiritu posse peccata nisi per pœnitentiá (Nisi pœnitentiá egeritis, omnes simul peribitis) quare si in hoc rerum ordine datur peccatum ex intrinsecis suis irremissibile per pœnitentiam, falsificatæ remanent scripturæ. His igitur probationibus posthabitis.

81 Probatur tertiò à nobis illa prima Maioris ejusmodi ex non implicantia peccati ab intrinseco in alia rerum serie irremissibili rectè deduci huiusmodi peccatum iuxta præsentem prouidentiam dari debere de facto, connaturaliter loquendo, sic: Potest Deus pro Titio V. G. perditæ vitæ in hoc ordine rerum statuere, sè nelle in posterum ei condonare vllum peccatú graue, quod forte committat, & hoc ipsi Titio sufficienter reuelare ad illum deterrendum à peccando, & ad sè per mutationem vitæ conuertendum; potest item Titius, non obstante quod ratione motiuorum euidentis credibilitatis, ad credendum dictæ reuelationi se videat obligatum, diffidere, committendo peccatum infidelitatis contra Deum: sed hoc peccatum esset in hac rerum serie ab intrinseco irremissibile. ergo si non implicat peccatum in alia serie ex suis intrinsecis irremissibile, poterit dari de facto in hac rerum serie; quod erat probandum. Maior huius probatur quo ad singula, & quidem quod potuerit Deus decretum illud edere etiam pro hac rerum serie suadetur, paritate similium decretorum, quæ constat edita ab eo de facto fuisse, non solum respectu damnatorum, de quibus non potest esse dubium, sed etiam respectu illorum viatorum, quos in flagranti crimine morte mulctauit. Hæc enim punitiua voluntas cum fuisset in Deo ex suppositione peccati, necesse est includat hoc decretum: si Titius commiserit hoc vltimum peccatum, non dabo ei spatium pœnitendi, atq; adeo non remittam ipsi tale peccatum. ergo præsens prouidentia cum huiusmodi decretis associari potest. Quod verò etiam cum eorum reuelatione facienda ipsi Titio possit, constat primò, quia multi dicunt non repugnare præsenti prouidentiæ, quod Deus reuelet alicui peccatori decretum, quod ab æterno fecerit eum damnandi propter delicta iam ante reuelationem commissa; & tamen hęc reuelatio cum spe excludat ab ipso Titio, videtur multo maiorem repugnantiam habere cum præsenti prouidentia, quam ea, de qua agimus. Secundò, quia hæc reuelatio potest esse medium aptum, imo vnicum ad continendum Titium ne in posterum peccet, & ad inducendum illum ad pœnitentiam; non est igitur cur dicatur præsenti prouidentiæ repugnare, in qua Deus voluit, vt miserationes eius super omnia opera eius emicarent. Quod denique Titius posset dictæ reuelationi diffidere, & infidelitatis peccatum de facto committere, est etiam manifestum, quia ex vna parte actus fidei licet sit intellectus, liberè tamen à voluntate imperatur; ex alia vero potest reuelatio illa, sic ad credendum Titium obligare, vt ipse sit liber ad credendum, & diffidendum dictæ reuelationi; si ergo supponamus quod diffidat, infidelitatis peccatum de facto committet. Atque hæc quantum ad Maiorem probationis nostræ. Quo ad vero eius Minorem, in qua subsúpsimus dictum Peccatum fore de facto ab intrinseco irremissibile ex suppositione non implicantiæ infidelitatis in alia rerum serie essentialiter talis, probatur ex eo, quia non potest assignari in quo differant huiusmodi infidelitates, vt ex dicendis melius constabit. ergo &c.

Ad hoc argumentum respondent aduersarij 32
dupliciter. Primò iuxta eos, qui casum à nobis positum concedere videntur in hac rerum serie, licet non absolutè in statu viæ, eo quod illú statum respectu Titij æquiparant statui termini, hoc ipso quod Deus illi dictam faceret reuelationem. Quare in forma ad argumentum: concessa maiore, & minore secundum hos, distinguendum est consequens sic: si non implicat peccatum ab intrinseco irremissibile in alia rerum serie, posset dari de facto in hac rerum serie, ita vt qui illud committit sit in termino, 82
concedo; ita vt sit viator, nego consequentiam. Porrò Ecclesia quando definiuit omne peccatú esse per pœnitentiam remissibile, loquuta est de peccatis, quæ à viatoribus committuntur.

Sed cõtra hanc responsionẽ facit primò, quia falsum est Deum per huiusmodi reuelationem constituere in termino hominem, cui illam proponit, tum quia exigit ab illo fidem, tum quia proponendo ei dictam reuelationem, eius conuersionem intendit. Porrò actus fidei, & conuersionis non ab eo, qui est in termino, sed qui est in via expeti possunt.

Quod siquis aduersario traditam responsione accomodet dicendo, quod homo ille constituatur in termino nõ ratione reuelationis præcisè, sed maxime ratione sui actus infidelitatis quem, elicit aduersus illam. Contrà est secundò, quia non repugnat præsenti prouidentiæ, quod aliquis in eodem instanti in quo peccat, à Deo finaliter damnetur in pœnam illius peccati, quod tunc committit, vt multi putant, in quo casu licet ratione dicti peccati constituatur in termino, siquis, tamen dixerit posse peccatum illud esse ab intrinseco irremissibile, videretur definitioni Ecclesiæ esse contrarius; ergo non minus videri debet eidem fide-

Digitized by Google

definitioni contrarius qui concedit actum infidelitatis commissum à Titio aduersus reuelationem esse ab intrinseco irremissibilem; eo quod, ratione illius, Titius ponatur in termino. antecedens huius probatur, quia licet definitio ecclesiæ de peccatorum remissibilitate cadat supra peccata, quæ à viatoribus patrantur; per hoc tamen quod homo ille in eodem instanti, in quo peccat sit damnatus non tollitur quin sit in via, quia instans illud potest diuidi in duo signa naturæ. vnum in quo peccat, quod est prius; & alterum, in quo damnatur, quod est posterius. cum damnatio sit effectus peccati illius. sed in priori signo libere peccat, & ita peccat vt potuerit non peccare, imo mereri. ergo hic homo in eo priori quatenus peccat censendus est in via, & non in termino; eius igitur peccatum debet sub definitione Ecclesiæ contineri, ac censeri ab intrinseco remissibile; consequentia principalis paritate probatur. quia licet Titius in sententia aduersarij in eo instanti in quo dictæ reuelationi discredit ratione illius peccati constituatur interno; quia tamen liberè discredit, & in priori naturæ est simul potens ad credendum, & discredendum, eius peccatum censendum est ab eo vt à viatore commissum, atque adeo inter reliqua, quæ comprehenduntur sub definitione Ecclesiæ connumerandum. Atque hæc ex suppositione, quod non repugnet aliquem damnari pro eodem in statu pro quo peccat: quod quæ Titius per infidelitatis actū demeritorie constituatur, in termino; quod quia non caret difficultate. idcirco

34 Contra sit tertio supponamus Deum absolutè decreuisse se nolle partem Titio imposterum peccanti. tum sic: per hoc quod Titius flagitium aliquod committeret, non censeretur in termino constitutus. ergo neque per hoc quod illum actum infidelitatis contra reuelationem sibi factam operetur. antecedens videtur certum, alioqui, plures, qui in præsenti seculo viuerent etiam si ignorarentur à nobis, reuera tamen essent in termino; quatenus Deus statuerit se nunquam remisserum eis peccata, quibus in præsentia defecdantur, quod non videtur sane dictum. Consequentia vero euincitur paritate. si qua enim esset disparitas maximè, quia infidelitas illa esset ab intrinseco irremissibilis, reliqua vero peccata, quæ statuit Deus nolle vnquam aliquibus peccantibus remittere solum extrinsece. sed hoc non potest ab aduersarijs pro disparitate adduci, si discurrere consequenter ad sua principia velint. ipsi enim nullum aliud argumentum frequentius ad probandam intrinsecam peccati irremissibilitatem adducunt, quam quod dentur defacto multa peccata ab extrinseco irremissibilia. si ergo peccatum ab extrinseco irremissibile non constituit peccatorem in termino. neque constituet, peccatum ab intrinseco.

35 Verum de hoc ipsi viderint; interim ego probo quod ex suppositione quod aliquis peccatum ab intrinseco irremissibile commisisset, & post illud in vita duraret, absolute loquendo non esset in termino, sed in via. Duplicem enim potest aliquis dici in termino, primò formaliter, dum certum est illum non esse, quia non adhuc est signum, in quo tandiu in perpetuum cruciandus. Secundò equiualenter, & sic, neque esse hominem, qui peccauit peccato irremissibili euincere est, eo quia ille censetur esse hoc pacto in termino, qui deceat adhuc in præsenti seculo viuat, tamen neque pro se, neque pro aliis mereri aut demereri aliquid possit, sed peccatum de quo loquimur, non esset huiusmodi, quia quantum ad meritum posset adhuc ille vt sic. Sic docet Arriaga *Tract. de pœnit. sectione 8. subsumma*, eligere actum veræ contritionis de peccatis suis, & Deum diligere super omnia quibus actibus licet nunquam sibi remissionem illius peccati defacto obtineret, posset tamen de congruo alia bona mereri, quo adueniente demeritum, posset etiam alia atque alia scelera perpetrare quibus maiori postea supplicio esset perpetuo afficiendus. ergo peccatum præcisè, quodquis peccatum ab intrinseco irremissibile committat, non est censendum, saltem in termino. sed ad summum secundum quid quatenus non potest illius remissionem saltem de congruo sibi mereri.

Secunda aduersariorum responsio, quam solidiorem præcedente putant ad nostram principalem probationem infringendum esse, 36
Deum vel non reuelare vnquam illi homini sufficienter suum decretum de non condonando ei peccata in posterum committenda; vel si reuelaret non concurrturum ad actum connexum cum eo decreto, cum ex scripturis, & patribus constet peccatoribus omnibus ante mortem peccata quæcumque, & qualiacumque, quantum est de se, remitti posse.

Verum hæc responsio duas habet partes, secundam nec eram autem aliquid solidioris mihi præferre videtur.

Contra priorem enim, in qua dicitur Deus nunquam reuelaturum esse sufficienter illi homini suum illud decretum, 37
supra probauimus id non repugnare. nunc vero vlterius confirmamus ex eo, quia certum est huiusmodi reuelationem sufficienter propositam ex suis intrinseci non implicare. ergo si implicat solum ab extrinseco implicabit quatenus videlicet esset Contraria alteri reuelationi, qua Deus sufficienter manifestauit de cuiuslibet peccati, quod in hac rerum serie committitur, intrinseca remissibilitate; sed hæc repugnantia non oritur alibi, quam ex suppositione non implicantis peccati ab intrinseco irremissibilis. nam si hoc implicaret, veritas vtriusque reuelationis cum sufficienti propositione obligantes ad credendum stare posset simul; eo quod infidelitas qua homo discrederet priuata reuelationi sibi factæ, quantumuis defacto nunquam remitteretur à Deo, ex suis tamen intrinsecis remissibilis esset, & sic non redderet falsam vniuersalem reuelationem Ecclesiæ factā. 38

Quoniam igitur alterutrum asserendum est implicare, nimirum vel peccatum ab intrinseco irremissibile, vel positionem vtriusque reuelationis cum sufficientibus motiuis obligãtibus ad Credendum, videndum restat quid sit rationabilius dicere. Profecto omnis, qui est sanæ mentis, respondebit, opinor, rationabilius esse tenere, quod implicet primum, quã secundum; si enim nobis recta ratio dictat, vt semper in dubijs humanæ libertatis partem sustinemus, quanto magis in præsentia dicta debit sustinere debere partes libertatis diuinæ, atque sententiæ, quæ defendis posse Deum ponere ex parte rei in sensu composito vtramque reuelationem cum sufficientibus motiuis, non posse rationabiliter negari, quin plurimum fauere diuinæ libertati, eo quod illam exteudi ad posse velle compatibi duo hæc obiecta. Contra vero sententiam, quæ defendit dari posse peccatum ab intrinseco irremissibile, diuinæ libertati aduersatur, si quidem reuera consequenter negare Deum velle posse in sensu composito vtramque reuelationem à parte rei cum sufficientibus motiuis ponere; & sic restringit diuinam libertatem, & pauciorum obiecta, circa quæ versari potest, assignat. Irrationabiliter igitur hæc responsio negat in hoc rerum ordine posse Deum Titio reuelare cum sufficientibus motiuis eum obligantibus ad credendum se statuisse non remittere illi peccata, quæ in posterum forte committet. Atque hæc quantum ad priorem partem secundæ responsionis.

38 Posterior verò, in qua affertur Deum posito quod sufficienter decretum suum reuelaret non concursurum ad actum connexum cum dicto decreto, duplicem sensum habere potest. primus est Deum in eo casu negaturum Titio concursum suum ad actum infidelitatis efficiendum; Secundus verò, quod præstabit quidem concursum, non tamen ad actum infidelitatis cum decreto connexum, sed ad alium in connexum; & quidem in primo sensu intellecta responsio est manifestè falsa; nam ex suppositione, quod Deus exigat à Titio actum fidei cum intentione eum obligandi ad talem actũ. Titius debet esse liber ad operandum; sed nequit esse talis, nisi Deus offerat illi concursum indifferentem, & proportionatum libertati, quam exercere debet, ergo &c.

39 Secundus verò sensus datæ responsionis est proprie ad mentem aduersariorum, qui supponunt circa eandem numero reuelationem de non remittendo Titio vllum peccatum, quod forsan committet in posterum, posse dari duplicem genus actuum discredentiæ; quosdam connexos cum illa; quosdam verò inconnexos, quo posito dicunt, quod si dicta reuelatio exstitisset in alia serũ serie, potuisset de facto Titius per actum discredentiæ connexum versari circa dictam reuelationem; at verò in hac serie non posse nisi per actum inconnexum, ratione decreti, quo Deus voluit vt omne peccatum in præsenti serie de se remissibile

40 esset.

Verum structuræ non sibi satis cohærenti ad nihil inseruiunt fulcimenta; per hanc enim distinctionem vanitas sententiæ peccati irremissibilis in lucem prodit. Age, iam; concedis igitur circa eandem numero reuelationem non implicare duos actus infidelitatis, quorũ alter sit ab intrinseco irremissibilis, alter verò ab extrinseco tantũ; & quia totam irremissibilitatem intrinsecam refundis in connexionem actus cum decreto, seu reuelatione, & totam remissibilitatem intrinsecam in inconnexione, concedas consequénter oportet circa eandem numero reuelationem, seu decretum posse versari duos actus infidelitatis, quorum alter sit connexus, alter verò inconnexus. Et quidem quod possit inconnexus tecum conuenio; quod verò possit etiam connexus inter me, & tẽ præsens diffidium est; quare sic contra te argumentor: essentialis connexio vnius rei cum altera non debet probari per meram non implicantiam, etiam loquendo de possibili; male enim quis assereret dari duplex genus hominum, alterum eorum, qui sunt defacto in hoc ordine rerum & hos esse inconnexos cum existentia Leonis V. G. alterum possibilium in alia rerum serie, & hos essentialem connexionem habere cum eadem Leonis existentia, vt implicent contradictionem existere non existente Leone. Ratio huius est, quia connexio non est aliqua perfectio per se intenta à natura, quemadmodum est rationalitas, hinnibilitas, & reliquæ huiusmodi, quæ ad genera & species constituendas deseruiunt; sed est potius, veluti per accidens, hoc est per aliud in aliquo positiuo prædicato necessario imbibita, vt patet ex connexionibus nobis notis, nimirum ex ea quam habet creatura ad Deum, actus vitalis ad suum principium &c. ergo nisi assignetur in re, quæ defenditur esse cõnexa cũ alia, prædicatum, quod in suo conceptu huiusmodi connexionem includat, nunquam probabitur intentum; alioquin si sufficeret mera non repugnantia, non esset assignabilis species, quæ bifariam diuidi non posset; in eam videlicet quæ in hoc ordine rerum sit inconnexa, & in eam quæ in alio ordine sit connexa, quod quã sit absurdum nemo non videt. hoc igitur principio tanquam solido fundamento iacto, sic contra aduersarium argumentor: in nullo actu infidelitatis circa diuinam reuelationem versante ex possibilibus in alia rerum serie potest assignari prædicatum, quod connexionem cũ dicta reuelatione sibi vendicet; ergo fictitiè ponitur actus infidelitatis in alia rerum serie ex suis intrinsecis cum reuelatione connexus. consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur, quia omnia prorsus prædicata, quæ habentur in quolibet ex actibus possibilibus inueniuntur in actu infidelitatis, qui in hac serie, fatentibus aduersarijs, est inconnexus, vt patet per singula discurrenti; si quidem supponimus omnes procedere ex eodem principio effectiuo, videlicet, ex voluntate humana liberè operante, & ad idem obiectum nempe ad eandem reuelationem veram terminari, & denique habere eundem prorsus modum tendendi nempe obscurè, & non euidenter. cum

ergo.

Digitized by Google

ergo nullum ex huiusmodi prædictis inferat in actu infidelitatis huius seriei connexionem, cum reuelatione nullum etiam poterit assignari in possibilibus cuiuscunque alterius Seriei.

41 Verum pro actu infidelitatis possibili sic posset aliquis per tria assignata capita discurrendo eius connexionem cum decreto probare: principium adæquate effectiuum actus tum connexi, tum inconnexi non est sola voluntas humana, sed etiam ipse Deus, qui per liberum decretum omnipotentiam suam applicat ad concurrendum cum illa, sed diuersum est decretum, quo Deus vult vt producatur potius actus connexus, quam inconnexus; ergo vtriusque actus principia iam sunt diuersa. Deinde licet obiectum vtriusque actus infidelitatis ad duas series positas pertinentis, defacto sit reuelatio vera posita á parte rei; quia tamen infidelitas præsentis seriei supponitur habere pro obiecto reuelationem, siue veram, siue apparentem; alterius vero solam veram: hinc fit, vt licet materialiter conueniant in obiecto; formaliter tamen habeant differentiam sufficientem ad fundandam connexionem, & inconnexionem cum decreto à parte rei posito. deniq; eundem modum tendendi obscure non inferre, quod amborum actus inconnexionem habere debeant, suadetur paritate actus fidei naturalis, & supernaturalis, quos circa mysteria reuelata exercere possumus, qui licet obscure tendant in idem obiectum: alter tamen nempe naturalis est inconnexus cum veritate obiecti, alter vero supernaturalis connexus.

42 Nulla tamen ex assignatis difficultatibus eluincit intentum. Ad primam enim dicendum, quod licet Deus constituerit cum voluntate vnum adæquatum principium effectiuum actus connexi, si hic esset possibilis: quia tamen se haberet vt causa prima, non posset esse primum determinans cur potius stante eadem causa secunda, & obiecto, in hac rerum serie actus infidelitatis inconnexus, in alia vero possibili connexus produceretur; quemadmodum enim repugnat muneri causæ primæ, vt stantibus eisdem causis, & circumstantijs in specie, ad libitum ipsius immediatè modo effectus vnius speciei, modo alterius produceretur: ita repugnat in casu nostro, quod ad Dei beneplacitum voluntas nostra, modo actum infidelitatis inconnexum, modo connexum connaturaliter eliceret; neque dicas variari circumstantias ratione diuersæ seriei, quia diuersitas seriei est mere ad libitum Dei, vt de se patet, atque adeo nequit inducere diuersitatem intrinsecam, & essentialem inter effectus qui in vna, & in altera série producuntur, neque illos determinare; alias dici posset, quod pro diuersitate baculi existentis, modo in hoc, modo in alio angulo, huiusmodi actuum diuersorum productiones determinari possent.

43 Ad secundam vero dico: non posse negari essentialem ordinem ad reuelationem vt determinate veram, & essentialem ordinem ad reuelationem siue veram, siue falsam sufficere ad inducendam diuersitatem intrinsecam in actus infidelitatis vtriusque seriei; addo tamen discrimen hoc non prouenire primario ex diuersitate connexionis vt sic, sed ex diuersitate obiectorum formalium nempe reuelationum, quæ terminando & specificando dictos actus, facerent illos essentialiter inter se differre. His vero non obstantibus dico implicare actum infidelitatis, qui habeat pro obiecto formali reuelationem vt veram; & ratio á priori huius rei est, quia omnis prorsus actus infidelitatis essentialiter habet versari circa diuinam reuelationem cum in euidentia, & obscuritate; si enim reuelatio euidenter intellectui appareret, necessitaret illum saltem quo ad specificationem actus ad sibi assentiendum. & non sineret se per actum infidelitatis adeo negari. sed hoc ipso, quod aliquod obiectum obscure, & inuidenter attingitur per aliquem actum, non potest attingi vt determinate verum. quia quandiu eius veritas non refulget, intellectus cæco modo in eam feratur necesse est, atque adeo cum indifferentia, num obiectum vere tale sit, quale iudicatur, an solum appareat tale. ergo implicat actum infidelitatis, qui habeat pro obiecto formali reuelationem vt veram. Confirmatur id, quod dicimus paritate: implicat dari duplex genus opinionis circa aliquod obiectum, quorũ alterum respiciat ipsum obiectum formaliter vt verum, alterum cum indifferentia ad veritatem, vel falsitatem; sed hoc non nisi, quia opinio de se obscure, & inuidenter fertur circa suum obiectum; vnde est, quod essentialiter semper illud attingat cum formidine saltem radicali, num ita sit, quale ipsum esse existimat. ergo implicabit pariter propter dictam rationem duplex assignatum genus infidelitatis. Quod si de eadem conclusione scientifica potest haberi vnus actus, qui essentialiter eam respiciat, vt determinatè veram, alter vero cum indifferentia ad veritatem, & falsitatem, etiam si per idẽ medium vterque actus illam attingat; hoc meæ fauet sententiæ; nam actus qui eam respicit vt determinatè veram, est scientificus, atque adeo talis, vt illi veritas euidenter refulgeat. Contra vero actus qui eam respicit cum indifferentia, est proprie opinatiuus, quia cum non percipiat efficacitatem, quam habet motiuum formale ad eius veritatem necessario inferendam, non curat, num dicta conclusio sit vera, vel falsa, sed solum quod appareat vera. Ex hoc autem colligo, quod cum actus infidelitatis siue huius, siue alterius seriei, qui versatur circa reuelationem non sit scientificus, nequeat illam vt determinate veram respicere.

Ad tertiam denique difficultatem dicendum 44
paritatem desumptam ex actu fidei diuinæ non fauere aduersario, in tantum enim licet hic actus sit obscurus, vendicat sibi pro obiecto formali reuelationem rerè facta à Deo, & positam á parte rei; quia cum sit actus supernaturalis non solum non exigit determinari quo ad existentiam à causa creata ordinis naturalis, sed neque potest; impossibile enim est, quod anima absque eo quod discernat discrimen, quod intercipitur inter actum fidei Diuinæ, & actum fidei humanæ, seu naturalis, de eodem mysterio possit ad libitum determinare se ad vnum, po-

potius actum quam ad alium eliciendum, quare sibi relicta necessario erumpet in actum fidei humanæ, actum vero fidei diuinæ vt pote super naturam elicere non poterit, nisi vt determinata à Deo, qui cum circa supernaturalia non operetur vt causa vniuersalis tantum, sed etiam vt particularis, poterit sine præiuditio ordinis naturalis esse primum determinatiuum illius actus: at verò id non potest existimari de Deo quo ad effectionem actus infidelitatis cum suo decreto cõnexi, si enim multi existimant repugnare bonitati eius determinare voluntatem ad indiuiduationem actus peccaminosi: quanto magis existimandum est eidem repugnare eam ad speciem malitiæ determinare; cum præsertim specifica malitiæ talis actus procedere supponatur à Diuino decreto communicante illi vltimam rationem specificam, per quam à qualibet alia infidelitate inconnexa discriminaretur; atque hæc est disparitas cur possint circa eandem reuelationẽ dari duo actus fidei vnus connexus, alter inconnexus; non vero duo similes infidelitatis; quam disparitatem sic vlterius explicarem. In tantum actus fidei diuinæ, quamuis obscurus, potest determinate ferri in reuelationem vt veram, in quantum habet Deum tanquam primum determinatiuum suæ existentiæ & positionis à parte rei, qui optime nouit discrimen quod inter ipsũ & actum fidei humanæ intercipitur; nec eum latet, num reuelatio vere, & realiter à parte rei posita fuerit, atqui in ordine ad actum infidelitatis respicientem reuelationem, vt veram, homo neutram cognitionem habet, nam neque eum discriminare valet à non connexo, neque scit num diuina reuelatio re vera extiterit: aliunde vero non est assignabile primum determinatiuum existentiæ dicti actus, si hominem excipias, quia neque possumus recurrere ad Deum vti vidimus; neque ad causas secundas sine electione in his, vel in his determinatis circumstantijs operantes; nam eadem voluntas in quibus vis circumstantijs ponatur quantum est de sè posset reuelationi à parte rei positæ tam per actum connexum, quam per inconnexum discredere. ergo.

SECTIO QVINTA.

Affertur tertia implicantia ex impossibilitate connexionis cum decreto.

85 TErtia probatio pro sententia nostra sic procedit: Si actus infidelitatis, quo Titius Dei reuelationi de non remittendo in posterum vllo eius peccato, discredit, posset esse ab intrinseco in alia rerum serie irremissibilis, maxime propter connexionem essentialem, quam habere posset cum dicta reuelatione, sed hæc connexio illi essentialiter repugnat; ergo &c. Maior, & consequentia videntur certa, quia in hac sententia tota irremissibilitas intrinseca peccati in infidelitatis refunditur in connexionem, quam habere potest cum decreto tanquam in radicem. Minor vero, quę sola negotium nobis facessit, probatur, quia sub nomine actus infidelitatis peccaminosi, quod ad rem nostram facit, duo actus venire possunt; vnus voluntatis, quo homo non solum non vult credere sed etiam vult discredere diuinæ reuelationi sibi sufficienter propositæ, & hoc intimat ac imperat intellectui, alter vero est iudicium quod intellectus à voluntate illa determinatus elicit, contrarium ei, quod exigebat diuina reuelatio, quodque est huiusmodi (Deus non reuelauit mihi non remittere in posterum vllum peccatum quod fortasse committam) Atqui neuter ex his actibus potest in vlla rerum serie esse cum decreto seu reuelatione connexus; ergo hæc connexio omni actui infidelitatis essẽtialiter repugnat; Maior huius est certa, & explicatur exemplo actus credendi, in eo enim duo actus potissimum includuntur: alter est, voluntatis, quo quis vult credere, qui in obsequium fidei intellectũ captiuat, alter vero est ipse actus fidei ab eodem intellectu determinato à voluntate productus. ergo à pari. Minor vero duas continet partes, & quidem quo ad priorem quod videlicet actus voluntatis, qui determinat intellectum ad actum infidelitatis eliciendum, & est formaliter malus non possit esse cum decreto reali connexus, hoc, inquam, suadetur dupliciter. Primo quia per hoc differt actus voluntatis ab actu intellectus vti supra ex Arriaga, ex Quiedo dicebamus, quod bonitas actus intellectus consistit in eo, quod conformetur cũ obiecto pro vt est in sè, turpitudo vero in eo quod sit difformis ab illo, ité pro vt est in sè: at vero bonitas actus voluntatis, quod conformetur obiecto pro vt à dictamine rectæ rationis ipsi voluntati proponitur: malitia vero quod sit difformis ab illo, eodem modo, considerato; & ratio à priori huius est, quia dictamen hoc, est regula proxima bonæ voluntatis, cui ipsa tenetur conformari, irrationabiliter enim obligaretur sè conformare rebus pro vt sunt à parte rei; ergo de ratione etiam huius actus peccaminosi voluntatis, quo homo vult discredere, non potest esse connexio cum reuelatione posita à parte rei, sed ad summum cum illa vt à dictamine rectæ rationis sibi proponitur, antecedens patet inductione. Consequentia vero probatur quia quoties facta inductione cum admixtione rationis á priori statuitur aliquid esse prædicatum essentiale alicuius generis actuum, toties tenendum est quod sit etiam prædicatum essentiale cuiuslibet in particulari sub illo genere contenti, sed facta inductione, & addita ratione à priori inuenimus bonitatem, & malitiam actus voluntatis liberæ in genere pendere ab obiecto, non pro vt est vere in sè, sed pro vt à dictamine rationis proponitur; ergo actus malus voluntatis non potest connecti cum reuelatione prout à parte rei posita; sed ad summum prout est sibi proposita ab intellectu. Confirmatur, & explicatur id, quod dicimus: quia ratio, quæ nos cogit asserere actũ uoluntatis desumere suam malitiam ab obiecto non prout in sé est, sed prout appreheuditur esse difformis rectæ rationi, militat etiem pro actu, quo uoluntas non uult credere, uel uult discredere reuelationi. ergo eodem modo discurrendũ est de hoc actu uoluntatis ac discurrimus de reliquis, & quidem sic propositum hoc argumentũ uidetur habere multum roboris.

Dices: dupliciter actum infidelitatis cum 46

reali

reali reuelatione connexum considerari posse: primò physicè: secundò moraliter. Porro licet moraliter acceptus suam malitiam moralem desumat à reuelatione, proutà dictamine rectæ rationis proponitur: tamen physicè consideratũ essentiam suam accipere à reuelatione posità à parte rei. Sed contra hoc effugium facit, quia remissibilitas vel irremissibilitas actus mali cõsequuntur ipsum actum, pro vt est malus moraliter; nam physicè acceptus non est capax remissionis neque irremissionis. ergo si moraliter sumptus non est ex suis intrinsecis cum diuina reuelatione à parte rei posita connexus, nullo modo cum illa sic accepta connexus est. quod si ad hoc respondeas, moralem malitiam talis actus fundari in physica entitate illius, quæ, quia connexa est cum decreto, reddit ipsam malitiam moralem irremissibilem; contra hoc facit id, quod sectione præcedenti dicebamus, videlicet, nihil assignari posse specialiter in entitate physica huius actus, quod hanc sibi connexionem vendicare possit.

47 Eadem prior pars maioris principalis suadetur secundo, quia actus quo voluntas vult prudenter credere, & imperat intellectui actum fidei, non potest esse ex suis intrinsecis cum diuina reuelatione à parte rei posita connexus. ergo neque actus quo voluntas vult discredere, & imperat intellectui actum infidelitatis, potest esse cum eadem diuina reuelatione ex suis intrinsecis connexus. consequentia videtur euidens, quia ex his duobus actibus voluntatis si quis posset habere connexionem cum decreto, potiùs ille posset, qui inclinat in decretum, & ex eius amore imperat intellectui, vt illi credat, quam ille qui ab eo refugit, & ex eius auersione imperat intellectui, vt ipsi discredat. ergo si prior actus voluntatis nequit connexionem habere cum decreto, multo minus poterit posterior. Antecedens igitur probatur. quia omnis actus, quo voluntas vult prudenter credere, & imperat intellectui, vt eliciat actum fidei, se-
48 cundum sua intrinseca consideratus respicit diuinam reuelationem cum indifferentia, num sit posita à parte rei, an non? ergo nullus potest esse connexus cum illa determinatè posita à parte rei, hæc consequentia claret; eius verò antecedens euincitur ex eo, quia rusticus quando à Parocho instruitur de rebus fidei eadem pia affectione imperat sibi prudenter actum fidei, siue id, quod ei proponit Parochus sit vere reuelatum, siue non: & eodem modo honestus est, & meritorius, imò & supernaturalis ille actus voluntatis, eo quod habet ex parte obiecti eandem honestatem, quam habet actus, qui verum fidei actum imperat, vt docet Cardinalis de Lugo *de fide disput.* 10. *sect.* 3. *num.* 67. sed hoc falsum esset, si respiceret diuinam reuelationem vt veram. ergo &c.

48 Dices, quod quemadmodum actus voluntatis discredendi in hoc quidem rerum ordine sunt inconnexi: sed non implicant dari in alio ordine alij connexi: ita dicendum est de actibus voluntatis prudenter credendi. Sed contra est, quia si quis ex his dari posset connexus maximè deberet esse ille, qui fuit in hac serie, siue in alia actum veræ fidei supernaturalis imperaret, cum enim huiusmodi actus fidei sit cum reuelatione reali connexus, non deberet actus voluntatis, qui illum imperat, ferri in reuelationem putatam tantum, & non verè exhibitã à parte rei. sed hoc videtur absurdum. ergo nulla responsio. sequela patet; minor vero, præter quam quod omnium Theologorum suffragijs comprobatur asserentium actus voluntatis honestos, quibus nos ipsos determinamus ad credendum mysteria, quæ nobis vt euidenter credibilia proponuntur, esse de se indifferentes ad actus veræ fidei, aut putatæ, imperandos, vt patet ex rusticis: suaderi potest ex eo, quia superfluè, & fictitiè ponitur in dictis actibus dicta connexio, nec aliquod prædicatum in eis ostẽdi potest, quod sit exactiuum illius. atque hæc quantum ad priorem partem minoris principalis.

Quo ad verò posteriorem, in qua dicebamus actum intellectus, quo dictæ reuelationi homo discrederet, non posse esse ex suis intrinsecis cũ illa connexum, sic Probatur; Huiusmodi actus intellectus negat existentiam reuelationis. ergo non potest cum illa vt verè posita à parte rei esse connexus, sed ad summum poterit cum eius apparentia imprudenti, quam antecedenter habuit in ipso intellectu, & secundum quam apparuit voluntati non esse vere posita à parte rei. antecedens huius est manifestum, ob. nihil enim aliud hic actus est obiectiuè seù terminatiuè malus, nisi quia negat existentiam Diuinæ reuelationis, cum eam affirmare debuerit, quatenus rè vera extitit. consequentia vero probatur, quia si quod iudicium potest connecti cum suo obiecto, maximè per hoc connecti posset, quod illud sic exprimeret sicuti esset, & sic ei conformaretur, vt implicaret obiectum aliter se habere, & iudicium illud existere; vt patet ex actu fidei diuinæ, qui cum diuina reuelatione non alio modo connectitur, nisi quod ita illam affirmando exprimit, eique conformatur, vt impossibile sit, actum fidei existere, & obiectum illius aliter se habere. sed actus intellectus, quo quis discredit reuelationi à parte rei positæ, est iudicium, quod est difforme, atque contrarium, enuncians eam non esse positam à parte rei. ergo impossibile est vt cum eius positione á parte rei connexus sit. Confirmatur & explicatur am- 50
plius quod dicimus. Iudicium intellectus non potest habere aliud prædicatum, quod fundet in eo essentialem cõnexionem cum suo obiecto, nisi conformitatem cum illo; nullo autem modo difformitatem, quia difformitas potius dissociat & disiungit ea ab inuicem, quam connectat. sed actus intellectus, quo homo discredit reuelationi, est illi difformis, atque contrarius, ergo impossibile est vt possit cum illa connecti; & quidem per hoc argumentum euincitur, nequ actum, quo voluntas imperat intellectui discredendi actum, posse esse cum reuelatione connexum; habet enim oppositionem, & aduersionem saltem interpretatiuam cum illa.

Dices. connexionem de qua loquimur per- 49
tinere ad esse actus, non vero ad expressionem obiecti; & ideo licet actus intellectus, quo

Homo

Digitized by Google

homo, Dei reuelationi habet fidem de non remittendo, discredat, sit dicta reuelationi intrinsecum, & formaliter inesse: potest tamen esse illi obiectum, & inesse: sed contra est, quia si haec doctrina esset vera, sequeretur quod connexio huius syllogismi esset euidens, quod actus infidelitatis non posset existere, nisi praecesserit decretum, quia pertineret solum ad esse actus, & non ad exercitium alterius; quae admissione videtur probandum esse hoc esse, minorem repugnantiam habere lignum V. G. ad esse dictum cum dicta reuelatione connexum, quam actum infidelitatis eliciti ab intellectu; sed repugnantia huius connexionis in ligno, aliquo modo esset alienabilis, quia posset vel cum dicta reuelatione, vel cum qualibet alia re quamuis disparata esse connexa; ergo &c. Maior, quae sola probatione egeat, suadetur quia actus infidelitatis pugnat repraesentando cum ipsa reuelatione, quod non habet lignum, aut quodlibet aliud res siue existens siue possibilis; quod si addas actum infidelitatis habere praeterea quod versetur circa ipsam reuelationem, quam negat: hoc autem non habere lignum. Contra est, quia etiam ipsa essentia habet quod versetur circa formam positivam, cuius est essentia, & tamen hoc modo versari, non solum non facit connexionem eius cum dicta forma, sed illam necessario excludit; ob nihil enim aliud essentia formae est intrinsece cum forma, cuius est essentia quo ad existentiam, nisi quia circa eam versatur excludendo illam tum à se tum à subiecto. Confirmatur principalis impugnatio, quia connexione, quod esse actum, contentus esset actus, posset ipse remitti postquam physice erupisset. Nam hoc ipso quod non existeret, non deberet habere amplius in Deo obligatio illum non remittendi: haec enim tota quaestio est, fundabatur in eius entitative connexione, quae destructa, cessat connexio necesse est; sed hoc est manifeste repugnare doctrinae aduersariorum; ergo &c.

SECTIO SEXTA.

Affertur quarta, & vltima implicantia Peccati intrinsece irremissibilis in habente gratiam, quam ipsum ipse habet.

50 Restat vltimo loco examinandum, quo ratione infidelitas illa possit intrinsecam irremissibilitatem a decreto posito ab aduersariis sibi accidentalem ex eo quod secum ipsa pugnet, & sibi contradicat; aliquod tractandum sic arguerem.

Infidelitatis actus, qui decreto de non remittendo discredit, vel continetur intra obiectum terminans dictum decretum, vel non continetur. Vtrumuis dicatur, secum ipse pugnat, sibique contradicit; ergo implicat huiusmodi actus absque intrinseca irremissibilitate. Maior, & consequentia clarae. Minor vero probatur quoad vtrumque membrum, & quidem quo ad primum sic: Non potest dici, quod contineatur, quin sit ab intrinseco irremissibilis, & euadet solum irremissibilis ab extrinseco, sicuti reliqua peccata hominis, quae Deus decreuit nolle remittere; hoc autem est euincere: Implicat dari decretum Dei irritum, & frustratorium circa aliquod obiectum, quod eo de prorsus modo se habeat siue sit, siue non sit tale decretum circa ipsum, cuiusmodi esset illud volo, vt ex anima rationali vnita corpori humano resultet homo: nolo vt ex natura humana, & equina tertia quaedam irrealis natura consurgat; & similia; frustratoria enim, & nullius vtilitatis essent huiusmodi decreta, & sic imprudenter fierent, & sine consilio; quia siue ponerentur, siue non, eodem prorsus modo se haberent obiecta, circa quae versantur; atqui si actus ille infidelitatis esset ab intrinseco irremissibilis, & contineretur in obiecto decreti de non remittendo, huiusmodi decretum, per ordinem ad illum, vanum, & frustratorium esset. nam etiam si Deus non decreuisset illum non condonare, & per consequens non incluſus fuisset in obiecto decreti, ad huc incondonabilis esset; ergo non potest dici, quod contineatur in obiecto decreti; Quod vero neque dici possit non contineri, quod erat secundum membrum minoris principalis, sic ostendo: si non contineretur, cessaret omnino ratio, quae mouit aduersarios ad irremissibilitatem intrinsecam illi concedendam; quia, nimirum, alias frustrabile posset esse Dei decretum, & falsificabilis reuelatio, hoc enim non sequeretur, nisi ex suppositione, quod actus iste in obiecto tum decreti tum reuelationis contineretur: quemadmodum enim ex eo quod Peccatum Petri V. G. non comprehenditur in obiecto decreti de non remittendis peccatis Pauli, recte deducitur, quod dictum peccatum neque intrinsecè neque extrinsecè irremissibile sit ex vi talis decreti, etiam si ferretur circa ipsum decretum per discredentiam, & incredulitatem: sic ex eo quod Peccatum discredentiae ipsius Pauli non continetur in decreto de non condonandis eius peccatis, neque intrinsecam neque extrinsecam irremissibilitatem habebit. Ex quo deducitur Peccatum ab intrinseco irremissibile secum ipso pugnare, & se ipsum interimere; quod erat probandum.

Duas ad hoc argumentum responsiones aduersariorum inuenio, quas diligentius oportet expendere. Prima est, actum illum infidelitatis contineri intra obiectum decreti, non quia Deus absolutè dicat: nolo remittere illum, sed quia conditionatè, ita vt decretum illud aequiualeat actui simul absoluto, & conditionato; absoluto quidem in ordine ad reliqua peccata; conditionato vero, in ordine ad peccatum infidelitatis circa ipsum decretum, quemadmodum enim potest Deus habere hoc decretum: Nolo producere vllam substantiam siue realem siue chimericam, si chymerica esse realis, ita pari modo habere hoc aliud: Nolo remittere vllum peccatum Paulo, siue ex sè sit remissibile, siue irremissibile, si hoc remitti posset. Porro vtrumque obiectum habet decretum positum.

Sed contra hanc responsionem facit, quia decretum illud, quo Deus absolutè statuit, nolle remittere vllum peccatum committendum à Paulo, necessario etiam continet hoc aliud conditionatum: & si per impossibile illud numero peccatum, quod committet Petrus vel etiam quilibet alius, committeretur à Paulo, nolo illud remittere;

tere; sed per hoc non fit peccatum Petri à decreto illo de facto aliquam irremissibilitatem obtinere; ergo etiam si actus infidelitatis ipsius Pauli conditionatè à decreto attingeretur, non rectè dicit aduersarius, eum per hoc irremissibilem euadere ab intrinseco. Omnia quæ sunt in hoc argumento probatione egent, probo prius maiorem sic: Per hoc precisè quod Deus efficaciter statuit nullum Pauli peccatum in posterum committendum, se velle remittere, implicitè etiam, & imprescindibiliter decernit ex suppositione impossibili, quod peccatum faciendum á Petro esset peccatum Pauli, neque illud sè velle, vnquam remittere; cuius rei euidens signum est, quod ex purificatione illius suppositionis Peccatum illud Petri ex vi decreti absoluti præcisè remanet irremissibile; siquidem decretum erat de non remittendo vllo peccato Pauli; sed hoc ipso quod purificatur suppositio, peccatum Petri vere est Peccatum Pauli, ergo hoc quoque redditur irremissibile, alioquin decretum, in ordine ad aliquod Peccatum Pauli esset inefficax, & frustratorium; siquidem de hoc peccato absolutè verificatur iam quod sit Pauli, & non Petri; stet igitur decretum illud absolutum de non remittendo vllo peccato Pauli, necessariò, & imprescindibiliter continere illiud aliud conditionatum de non remittendo peccato Petri, si per impossibile euaderet peccatum Pauli, quæ erat Maior nostri argumenti. Ex quo vlterius colligitur decretum illud absolutum continere quoque conditionatum circa omnia prorsus entia, & non entia, quatenus æquiualet huic: Ita nolo remittere vllum peccatum committendum à Paulo, vt si per impossibile omnia prorsus entia, & non entia essent Peccata á Paulo committenda, nollem illa remittere; non est enim maior ratio de vna suppositione impossibili, quam de alijs.

52 Instabis: decretum illud de non remittendo vllo Pauli peccato posse esse tale, vt respiciat sola peccata à Paulo committenda sine vlla suppositione impossibili; ergo non necessariò includit illud aliud conditionatum decretum de nõ remittendo peccato Petri ex suppositione quod euaderet peccatũ Pauli. Respondeo distinguẽdo antecedens, ita vt tale decretum non possit explicari per hæc verba: nolo remittere vllum peccatum à Paulo committendum, concedo: ita vt valeat explicari per hæc verba, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim nos loquutos esse huc vsque de illo decreto vniuersali, quo Deus statuit se nolle vllum peccatum committendum à Paulo in posterum remittere, & hoc probauimus inpræscindebiliter, & essentialiter includere decretum illud conditionatum, nimirum, si per impossibile peccatum Petri euaderet Peccatum Pauli, ad huc nollem illud remittere; cum quo stat quod Deus potuisset aliud decretum facere, sicuti dicitur in instantia; sed tale decretum non esset illud, de quo loquuntur aduersarij, quos nos impugnamus.

Subinstabis: ponamus decretum illud Dei de non condonando vllo Pauli peccato esse cum ea restrictione factum, vt includat tantum peccata, quæ sine vlla suppositione impossibili fuerint à Paulo committenda: huiusmodi decretum posset cum hac exceptione fieri (excepto peccato eius irremissibili, quod si per impossibile euadere remissibile, adhuc nollem ei illud remittere.) ergo peccatum illud infidelitatis iam continetur in obiecto decreti, non quatenus absolutum est, sed quatenus conditionatum. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: ita vt per hanc continentiam irremissibilitatem vllam acquirat, nego consequentiam; ita vt nullam acquirat, concedo; quemadmodum enim etiam si, eodem modo tale decretum conditionatè ferretur circa Peccatum, per quod Petrus discrederet dictæ reuelationi factæ Paulo, non idcò hæc infidelitas Petri euaderet irremissibilis: ita neq; infidelitas ipsius Pauli, vti melius numerò sequenti constabit. Sit probata, maiore principali.

Probo. Minorem, in qua subsumebam: peccatum Petri, per hoc quod circa illud decretum Dei de non condonando peccato Pauli conditionatè feratur, nullam ab eo irremissibilitatem obtinere; si quam enim obtineret maximè conditionatam; sed hæc non fauet aduersario; ergo &c. Maior huius patet, quia certum est Peccatũ Petri, ex eo quod intra obiectum decreti illius conditionatè contineatur, non attrahere sibi vllã absoluram irremissibilitatem, quia de facto non euadit irremissibile; ergo si quam sibi attrahit, hæc non est nisi conditionata. Minor verò probatur, quia hæc conditionata irremissibilitas cõsistit in eo quod tunc euaderet absolutè irremissibile, quando purificaretur suppositio illa impossibilis, quod nimirum relinqueret esse peccatum Petri, & euaderet Pauli; atqui aduersarius vult per hoc quod decretum de non remittendo vllo peccato Pauli feratur conditionatè circa infidelitatem illius, absolutam irremissibilitatem illi tribuere, & non conditionatam; ergo quod peccatum Petri irremissibilitatem conditionatam à decreto recipiat, non fauet aduersario. 53

Consequentia denique principalis argumenti, in qua colligebamus, per hoc quod actus infidelitatis Pauli conditionatè à decreto de non condonandis reliquis eius Peccatis attingatur, eum non euadere ab intrinseco absolutè irremissibilem, probatur sic: In tantum peccatum Petri non euadit absolutè irremissibile, in quantum conditionatè tãgitur à decreto, & conditio non purificatur; sed etiam infidelitas ipsius Pauli cõditionatè attingitur à nostro decreto, & conditio non purificatur; ergo dicta infidelitas non solùm non euadit intrinsecè irremissibilis, sed neque extrinsecè quantum est ex vi decreti conditionatè illam respicientis.

Confirmatur id, quod dicimus. Primò quia decretum conditionatum speculatiuè tantùm fertur circa suum obiectum, quamdiu non adimpletur conditio, quia conditio nihil ponit in esse & quando est impossibilis ostendit solum Dei affectum, ac animi dispositionem, vt patet in casu nostro. Dum enim Deus dicit: Ita nolo remittere vllum peccatum remissibile Pauli, vt si per impossibile id, quod est irremissibile, euaderet remissibile, adhuc nolo illud remittere; hoc, inquã, decretum speculatiuè tantum circa peccatum 54

Digitized by Google

irremissibile Pauli versetur, & nihil in eo operatur, sed solum ostendit affectum Dei circa illud; ergo impossibile est quod huiusmodi decretum reddat dictum peccatum ab intrinseco irremissibile, quia sic valde practice circa ipsum ferretur, & non mere speculative.

Confirmatur secundò paritate illius decreti, quod aduersarius ad suam sententiam confirmandam adducit de chymæra, sic: per hoc quod Deus dicat: Nolo producere vllam substantiam, siue realem, siue chymæricam casu quo chymærica euaderet realis; nihil intrinsecum de facto acquirit chymera, sed solum acquireret improducibilitatem extrinsecam casu, quo realis euaderet; ergo neque peccatum irremissibile poterit vllam irremissibilitatem per simile decretum obtinere, sed solum casu quo ex irremissibili euaderet remissibile; atq; hæc esset extrinseca, & nō intrinseca.

Confirmatur denique tertiò, ipsum decretum conditionatum positum ab aduersario expendendo: est enim huiusmodi: Et si peccatum irremissibile euaderet remissibile, nollem illud remittere); tum sic: conditio iam supponit ipsum peccatum constitutum, vel si mauis, constituendā in ratione irremissibilis, eo quod illud ex irremissibili in remissibile transire conditionaliter facit; ergo impossibile est quod per huiusmodi decretum conditionatum absolutam irremissibilitatem intrinsecam consequatur. Deinde conditio dicit: si remissibile esset; conditionatum verò, nollem remittere. Sed neutrum est aptum refundere in illud peccatum irremissibilitatem intrinsecam. Nam conditio illud potius remissibilitate afficit. Conditionatum vero extrinsece solum ipsum irremissibile reddit, & quidem conditionaliter; ad eum plane modum, quo decretum conditionatum de non remittendo peccato Petri, si per impossibile Pauli peccatum euaderet; ergo &c.

Secundam responsionem alij recentiores afferunt retorquen. es in primis argumentum nostrum sic: Decretum diuinum de præmiandis bonis operibus habet etiam pro obiecto actum fidei, qui fertur circa tale decretū, aliter hic actus non esset certò præmiandus à Deo; ergo bene decretum de non remittendo vllo peccato habere potest pro obiecto etiam peccatum infidelitatis, quod forte erit aduersus se ipsum. Verùm hæc retorsio in ipsum recidit retorquentem; Nā sicuti decretum de præmiandis bonis operibus supponit actum fidei, qui forte erit circa se ipsū, esse in se præmiabilem, & solùm constituit illum de facto præmiandum: ita decretum de non remittendo vllum peccatum Titio non potest constituere eius infidelitatem irremissibilem, sed irremittendam. Quoniam verò, hoc obtinere non potest ex essentiali cōnexione cū decreto, vt supra contra Oviedum ostensum est: hinc sequitur vt extrinsecè solùm beneficio dicti decreti consequatur.

Sed age iam veniamus ad directam responsionem: hæc concedit discredentiam Titij ab intrinseco irremissibilem absolutè in decreto concineri, & ad probationem in contrarium dicit; circa obiectum necessarium, necessitate orta, & dependente ab eodem decreto tanquam ab obiecto, non esse absurdum liberum Dei decretum versari, licet absurdum sit versari circa obiectū necessarium necessitate orta aliunde, & non dependente ab eodem decreto tanquam ab obiecto; Quoniam vero necessitas peccati ab intrinseco irremissibilis oritur ex decreto de non remittendo vllo peccato tanquam ex obiecto, hinc fit vt possit circa ipsum versari decretum: Cōtra vero Hircoceruus independenter à decreto Dei supponitur aliunde infactibilis, & ideo non potest, inquiunt, a Deo fieri decretum liberum, quod dicat: Nolo producere Hircoceruum.

Verùm contra hanc responsionem facit primò quia duo sunt in re nostra, quæ negotium facessere possunt: Alterum est num decretum Dei de non remittendo peccata Titio in posterum, forte committenda, attingat etiam peccatum discredentiæ, quo Titius dicat: Deus minimè hoc decretum habet. Alterum verò est, num hoc peccatum discredentiæ Titij ex huiusmodi attingētia irremissibilitatem intrinsecam consequi possit; Primum à me vtcro conceditur, quemadmodum enim decretum illud potest quodammodo supra se reflectere, ita & supra infidelitatem, quæ est aduersus ipsum, quatenus est vnum ex peccatis forte faciendis à Titio, quæ Deus non remittere statuit. Secundum verò, in quo nostræ controuersiæ cardo totaliter vertitur, constanter nego; contendo enim dictum decretum, ex eo quod huiusmodi infidelitatem comprehendat, non posse nisi extrinsecam irremissibilitatem illi tribuere, eo quia licet sit obiectum illius nequit tamen esse terminus vllius essentialis cōnexionis, quam habeat ad ipsum; sed si hoc euicero, corruit tota distinctio de necessitate orta à decreto tanquam ab obiecto vel aliunde; ergo &c. Minor, & consequentia patent. Maior verò suaderur: quia eodem modo decretum illud Dei cadit supra infidelitatem hanc, quam ponunt aduersarij ab intrinseco irremissibilem, ac supra aliam versantē circa idem decretum, quam concedunt esse incōnexam, & non nisi extrinsecam irremissibilitatē habere, eodemque modo ab vtrisque tanquam obiectum suum respicitur, hæc Maior vt planius intelligatur, supponit doctrinam aduersariorum, quod nimirum circa idem decretum de non remittendo vllo peccato Titij possit duplex genus infidelitatis ab eodem Titio committi, vti supra notauimus: vnum essentialiter cum illo connexū, alterum inconnexum. Sicuti de facto circa decretum de non remittendo adultis vllo peccato graui sine pœnitentia datur in hoc rerum ordine infidelitas inconnexa, licet in alio fustineāt quod dari posset connexa, non obstante quod vtraq; respiciat idem decretum tanquam obiectum discredētiæ suæ. Hoc pacto explicata maiore, subnecto minorem sic: Sed nulla necessitas, vel si mauis, nulla essentialis connexio prouenit à decreto in infidelitatem ab intrinseco remissibilē quantumuis respiciatur ab illa vt obiectum; ergo distinctio tradita nulla est; & recte id quidem quandiu enim decretum fertur in peccata discredentiæ, quæ sunt de se ipso, supponit illa iam in sua vltima specie constituta, sicuti cætera peccata Titij; & sicuti peccatum discredentiæ remissibilis, nec non etiam sicuti decretum de præ-

Digitized by Google

præmiando omne opus bonum, supponit actum fidei, quo creditur ipsum decretum: ergo implicat vt intrinsecam irremissibilitatem illi tribuat, sed solũ extrinsecam.

56 Contra eandem distinctionem arguo secundo, quia vndecunque proueniret dicta necessitas in obiecto decreti, semper saltem decretum liberum ferretur in dictũ obiectum; nam sicuti decretum liberum Dei primò, & per se libertatem importat, ita in suo obiecto primò, & per se contingentiam supponere debet quantum ad remissibilitatem: ergo chymerice irremissibilitatem intrinsecam illi ponitur communicare; destrueret enim id quod essentialiter à suo obiecto importatur: Quod si dicas necessitatem, quam haberet illa infidelitas, fore consequentem, hoc est ex suppositione decreti quam constat non excludere, absolutè loquendo, contingentiam: Cõtra etiam est tertiò, quia ex hoc deduceretur huiusmodi infidelitatem esse ex suis intrinsecis remissibilem, quia necessitas ex suppositione supponit rem, quam afficit esse in se contingentẽ, vt patet ex connexione Petri conditionata cum futura, quæ pro vt stat sub scientia conditionatorum, ita est necessaria, vt ex suis intrinsecis sit contingens.

57 Contra denique quartò, quia in eo priori, in quo Deus dicit nullum Titij peccatum in posterum ab eo committendum, volo remittere, non fertur confusè circa peccata Titij, sicuti nos ferremur, sed ad quodlibet in particulari. ergo descendit ad infidelitatem etiam irremissibilem; non igitur potest illam irremissibilem reddere, etiam si sit eius obiectum.

58 Ad hoc respondent nonnulli distinguendo primũ consequens: descendit ad infidelitatem irremissibilem, irremissibilem, inquam, specificatiuè, concedunt; reduplicatiuè, negant, quia decretum, inquiunt, non dicit (nolo remittere discredentiam irremissibilem:) sed nolo remittere etiam discredentiã quæ est circa me, non attingendo tunc talem irremissibilitatem, sed præcisiuè se habendo ad illam, quæ oritur in posteriori ab ipso decreto.

59 Verùm huiusmodi distinctio non satisfacit primò, quia si hæc præcisio aliquid iuuaret, ea deberet esse ex parte obiecti, non ex parte actus confusionem in ipso actu necessariò importat, quæ Deo repugnat; sed aduersarij, cũ quibus contendimus, obiectiuas præcisiones mordicus negant; ergo &c.

60 Non satisfacit secundò. Quia decretum hoc in eo signo, in quo ad huiusmodi discredentiã primò terminatur, præscindit per aduersarios ab eo, quod sit ab intrinseco remissibilis vel irremissibilis, quia si attingeret remissibilem, prudenter quidem factum esset; sed redderet illam solum ab extrinseco irremissibilem, si irremissibilem, decretum esset imprudens; ergo dum ab vtroque præscindit, dicendum est, quod præscindat etiam ab eo, quod sit prudens & imprudens. cum igitur insipienter hoc de Dei decreto affirmari possit, dicendum est, quod infidelitatem illam reperiat remissibilem & sit solum denominationem extrinsecam.

tam irremissibilem reddat. Antecedens, & secunda Consequentia videntur certa. Prima verò suadetur, quia ob nullam aliam rationẽ liberum posset huiusmodi decretum ab imperfectione, quam dicendo esse inadæquatum, & incompletum, expectans in posteriori aliud simile rerum complementum sui; sed hoc dici nequit, tum quia nullam habet necessitatẽ huiusce decreti: tum etiam quia si haberet, maximè illius, quo Deus diceret: Nolo remittere infidelitatem irremissibilem; quod cum dici nequeat vllo pacto, quod hoc secundum decretum sit positiuè imprudens, tenendum est primũ esse adæquatum.

Confirmatur, quia non minus decretum, 61
est obiectum tunc discendentiæ irremissibilis, quam discredentiæ decreti: sed discredentia irremissibilis non fertur in decretum illud præcisiue, sed in sua vltima specie consideratum, ergo neque decretum fertur in discredentiam præcisiuè irremissibilem, sed in illam iam in ratione irremissibilis constituram; quod est impossibile. Quod si dicas ea æquè primò inter se respicere, sicuti mutuo se respiciunt materia, & forma. ex hoc manifestè deducitur, quod sicuti materia respicit primò formam, vt forma est, ita decretum, infidelitatẽ vt irremissibilem: sed hoc secundum esset diuinum decretum; ergo &c.

Non denique satisfacit tertiò dicta distinctio principalis, quia vt decretum Dei libertũ 62
sit imprudens, non est necesse, vt feratur circa obiectum necessarium reduplicatiue sumptum vt necessarium, sed sufficit, si feratur circa necessarium specificatiue acceptũ; ergo ad liberandum illud ab imprudentia non sufficit asserere, quod non feratur circa irremissibile ab intrinseco reduplicatiue, sed specificatiue solum. Consequentia patet. Antecedens suadetur quia vt decretum, quod dicit: Nolo producere chymæram, sit imprudens, non oportet vt feratur circa chymæram reduplicatiuè sumptã, sed chimæ est, si loquatur de illa specificatiue, dicendo nolo produce obiectum chymæricum, vndecunque tandem ipsi ratio chymærici proueniat; ergo &c.

SECTIO SEPTIMA.

Soluuntur argumentis aduersarij in fine sectionis primæ adductis.

AD primum ex auctoritate desumptum, dico: nullum esse auctorem, qui sententiã de possibilitate peccati irremissibilis absolutè 63
defendat, quantumuis ad aliam rerum seriem coarctetur; & constat ex eo, quia si qui essent, maximè illi, quos pro sè citant aduersarij; sed eos singillatim adductos vidimus non esse in hac sententia; ergo &c.

Ad secundum, in quo, ex eo quod non implicent plures actus essentialiter connexi cum suis obiectis, infertur dari etiam posse actum infidelitatis Pauli essentialiter connexum cũ decreto de non remittendo vllo eius peccato; neganda est consequentia; Et ratio negationis

est, quia implicantiæ, quæ militant contra peccatum ab intrinseco irremissibile, non militãt contra reliquos actus assignatos, neque alię, vt suppono; quod si militarent, negandæ essent. Adde: auctores ponentes actus dictos essentialiter connexos cum suis principijs, vel obiectis, velle implicare similes non connexos. Vt vero aduersarij ponunt infidelitatem circa decretum eadem principia, & idem obiectum respicientẽ esse in hac rerum serie ab intrinseco inconnexam, in alia verò connexam; quasi verò ad libitum essentialis connexio haberi posset.

§3 In tertio denique; quatuor assumuntur: Quorum primum est, peccatum ab intrinseco irremissibile non implicare; ad quod satis superque dictum est supra. Secundum autem, non debere negari libertati creatæ posse producere huiusmodi peccatum; Et ad hoc dicendum, esse contrarium doctrinæ aduersarij docentis, non stare per hominem ponere in hac rerum serie peccatum ab intrinseco irremissibile: Quod si addat: libertatem hominis á diuina misericordia impediri, ne erumpat in huiusmodi peccatum in hac serie, in qua vult omnes homines saluos fieri: Respondendum: potuisse Dei bonitatem absque diminutione libertatis humanæ impedire huiusmodi peccata, si voluisset; quare non est credendum, in potestate hominis positam esse talium peccatorũ effectionem, si esset possibilis; & rectè id quidẽ; cum enim posita eius possibilitate, non posset homo naturaliter agnoscere discrimen, quod inter infidelitatem connexam, & inconnexam reperitur; impossibile esset, vt valeret se ad vnam, vel alteram pro libitu determinare. Tertium est: Non implicare actum ex se intrinsecè liberum. Sed quid tum? Si non implicat hic actus, at implicat alius, de quo est controuersia; quare nego consequentiam. Quartum denique sic procedit: peccatum licet naturale meretur pœnam supernaturalem, qualem multi dicunt esse illam, quam patiuntur in inferno damnati. ergo &c. Verùm fateor, me non videre quo modo ex hoc deducat auctor peccati intrinsecé irremissibilis possibilitatem; nam hæc pœna, si talis est, qualis supponitur, non respicitur essentialiter à peccatis damnatorum; vt euidens est. Non rectè igitur ex eius existentia, peccati intrinsecè irremissibilis non implicantia deducitur; nisi quis temere dicat Peccata damnatorum esse ab intrinseco irremissibilia, & ideó deberi illis huiusmodi pœnam. Constat enim peccata, quibus æterna supplicia demeriti sunt damnati, fuisse illa, quæ ab eis in præsenti vita commissa sunt, quæ fide constat ab intrinseco remissibilia esse.



Digitized by Google

DISPVTATIO QVADRAGESIMA NONA

DE ESSENTIA, ET EXISTENTIA ENTIS.

PER hoc Deus à Creaturis suis maximè differt, quod eius essentia non est aliquid ne ratione quidem, vt meliores sentunt, ab existentia distinctum; est enim Deus, quippe ens maximè necessarium, existens per essentiâ suam; in primò modo dicendi per se, non minus, quam homo sit per essentiam suã animal rationale, & non minus quam ipsemet Deus est per essentiam substantia spiritualis, quod non obscurè significatur illis verbis de se ipso loquens *Exodi tertio*. Ego sum, qui sum. qui est misit me ad vos.) superque Athanasius *Epist. de Synodis Arimini* Seleuciæ celebratis, Cum audis inquit, ego sum qui sum, non aliud quidpiam, sed ipsam simplicem, & beatam, & incomprehensibilem eius, qui est, essentiam intelligimus. & *in orat. Contra idola*. Deus est ipsa essentia, nullis partibus coalescit; qua propter, & eius ratio ipsum esse est. Vbi ratio pro definitione, atque essentia vsurpatur. At verò in creaturis essentia, & existentia esse debent conceptibiliter inter se aliquo modo distincta, ita vt creatura non sit essentialiter existens; alioqui necessariò esset, & sic eius essentia, à libera Dei voluntate minimè penderet, quemadmodum, neque ea, quæ ad eius essentiam pertinent, ab illa dependent; quod est impium asserere. De his ergo duobus conceptibus quo modo se habeãt ad inuicem in creaturis, & quid importent, in præsenti disputatione agendum est, supponendo nomine essentiæ non venire sola prædicata, quidditatiua secundùm se considerata, sed cum propria individuatione, quam antequam intelligatur existere, aliquo modo habere supponitur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit essentia, quid existentia rerum creatarum.

2 PRO intelligentia, sciendum primo, ens, dupliciter sumi posse, vno modo vt est nomen, qua ratione significat esse essentiæ: altero, secundo, vt est participium, quo pacto significat existentiam. Primo modo sumptum, est quasi concretum nomen, cuius abstractum est essentia. Secundo verò est participium etiam concretum, cuius abstractum est existentia.

Sciendum secundò: quod sicuti ens, quod est nomen, commune est decem prædicamentis, ac omnibus rebus: ita essentia, quæ est illius abstractum, significat esse essentiæ, quod de creatis rerum omnium quidditatibus essentialiter prædicatur. vnde est quod si vim nominis, species, essentia significat formam entis, qua res dicitur esse: esse, inquam, non quidem simpliciter, & actu extra suas causas (hoc enim proprium est existentiæ) sed esse ens negationibus, ac chymæris oppositum, & extra nihil, etiamsi adhuc existentiam non sit adepta, & intra causas suas, atque ab æterno consideretur.

Sciendum tertiò: quod existentia à philosophis dici solet simpliciter, absolutè, & sine vllo addito Esse; quia res non existentes ita sunt vno modo, nimirum essentialiter, vt & modo etiam non sint alio modo, scilicet existentialiter; res verò existentes vtroque modo sunt, & sic non illæ, sed hæ debuerunt dici simpliciter esse. Existentia igitur, quæ est abstractum entis participialiter sumpti, est id, per quod ipsum in esse simpliciter, & extra causas constituitur; sicuti enim res antequam existat, & sit actu producta, dicitur existere, & contineri in suis causis: ita statim ac existentiam est consequuta, actu, & extra suas causas esse perhibetur. Quare essentiæ nomine venit ratio, qua res est, non quidem actu, & simpliciter, sed aliquid, & extra purum nihil, siue actu existat, siue nõ; nomine verò existentiæ, venit ratio, qua res est actu, & extra causas suas atque simpliciter; Vt autem sciamus vtriusque quid rei, sit.

3 Prima Cõclusio. Essentia est id quod per se primò de rè dicitur, seu, quod idẽ est, id, quod per se primò rei competit. Sumitur ex Aristotele 7. *meth. cap.* 4. & quidem dicitur primò, (id quod,) quæ verba accipienda sunt præcisè, vt contracta ad solum ens reale, dicitur secundò, (quod per se primò de re dicitur) ad denotandum, quod essentia sit intrinseca, & formalis cuiuscumque rei ratio, quæ per se primò competit rei, hoc est non per aliud, medium aut principium prius, vt risibilitas homini; neque accidentaliter, vt eidem albedo. Quia verò ipsum (per se) dupliciter sumi potest: primò logicè, qua ratione distinguitur ab eo, quod

Digitized by Google

quod rei competit per accidens: secundò metaphysicè, quo pacto tum ab eo, quod per accidens, tum etiam ab eo quod per aliud conuenit differre solet; vt essentiam neque accidentaliter, neque per aliud prius principium rei cuius est essentia conuenire sciremus; atq; adeo ipsum, per se, in definitione cadere metaphysicè vsurpari intelligeremus. post particulam (per se) particulam (primo) addit Aristoteles. Conclusio autem sic explicata.

2 Probatur quia ex vna parte essentia per se primò competit rei, cuius est essentia, vt esse animal rationale homini; ex alia verò nihil aliud assignari potest, quod rebus per se primo conueniat. ergo &c.

3 Secunda Conclusio, existentia est rerum omnium vltima actualitas. Ita Sanctus Thom. *in quæst. disput. de Anima art. 6. ad secundum, & prima parte quæst. 3. art. 4.* quem sequitur Caietanus *de ante & essentia cap. 5. qu. 19.* & alij communiter: huius autem descriptionis sensus est quod existentia sit vltima rerum perfectio non quidem quomodocumque, sed veluti substantialis, & per generationem acquisita; perfectiones enim, quæ post existentiam, & rei productionem acquiruntur, accidentariæ sunt siquidem omne id quod aduenit enti in actu, accidentis rationem habet respectu illius, cui dicitur aduenire.

4 Probatur autem Conclusio: quia cæteræ omnes rationes, quæ competunt rebus antecedenter ad existentiã, sunt potentiales, nec illas extrahunt absolutè, & simpliciter à potentia ad actum. ratio enim corporis, viuentis, animalis &c. non constituunt hominem in actu, sed illum si erat in potentia, in illa reliquunt, at verò ratio existentiæ est id, quo primò posito quælibet res simpliciter, & absolutè intelligitur in actu; Existentia igitur recte dicitur esse vltima cuiuscumque rei actualitas; & confirmatur quia illa censenda est vltima rerum actualitas, qua primò posita res ipsæ intelliguntur absolutè, & simpliciter esse in actu; & qua primo ablata, absolutè, & simpliciter in potentia; sed sic se habet existentia. ergo &c. quoniam verò vltima rei actualitas est illa, quæ prima omnium quæ sunt in ipsa re se se offert intellectui, hinc fit vt recte definiri possit esse primum conceptum, quem possumus formare de ipso ente, sicuti docet Giactinus *qu. 6. log. art. 2.*

5 Obijcies primò contra secundam conclusionem existentia appellatur communiter prima actus rerum; ergo non debet in definitione per rationem actus vltimi explicatur. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; siquidẽ existentia alia, atq; alia ratione considerata dici potest primus, & vltimus actus, & (quidem) dicitur primus actus quadrupliciter primo simpliciter, quatenus cũ sit actualitas omnis actualitatũ, quæ sunt in cõposito existenti nihil eorum, quæ in illo sunt sine illa, actus, & simpliciter esse dicuntur, sed tantum cum primum existentiam sunt adepta; secundo quatenus est id per quod primò res ex eo quod erat in potentia suarum causarum fit actu extra illas. Tertiò quatenus sicuti forma dicitur primus actus physicus in compositione physica, ita existentia in compositione metaphysica; quæ quidem compositio seu potius constitutio ex essentia, & existentia tanquam ex potentia & actu coalescit. Quartò denique quatenus præsupponitur ab operationibus ab essentia procedentibus nec non ab accidentibus seu formis accidentalibus subsequentibus ipsum esse, quæ dici solent actus secundi; cum quibus tamen stat quod respectiuè, ratione scilicet generationis, & formæ, cæterorumque graduum essentialium dici debeat vltima actualitas.

6 Obijcies secundò: existentia non est ens; ergo non datur; antecedens probatur, si enim esset ens, vel esset substantia, vel accidens; sed neutrum dici potest. ergo &c. Respondeo distinguendo antecedens: existentia non est ens nominaliter, hoc est, essentia, concedo; non est ens verbaliter, seu participaliter; adhuc subdistingo, non est huiusmodi ens sumptum formaliter, pro vt scilicet importat formam denominantem, nego: non est huiusmodi ens sumptum materialiter, siue etiam in concreto materialiter scilicet, ac formaliter; concedo ens enim participaliter si materialiter sumatur censetur esse omnino idem ac ipsum ens essentiæ. Qua distinctione tradita, nego consequentiam; & ad probationem antecedentis dico, id, quod diuiditur in substantiam, & accidens, & in decem, prædicamenta distribuitur esse ens nominaliter, & non verbaliter, & sic existentiam propriè neque accidens esse, neque substantiam, neque materiam, neque formam, neque potentiam, neque actum, siue primum siue secundum; hæc enim nomina imposita sunt ad ens essentiæ significandum dici tamen actualitatem seu formam ex nostro modo intelligendi; impropriè tamen loquendo existentia substantiæ appellari potest substantia, quia ad substantiam *perficiendam* intrinsece pertinet existentia verò accidentis propter consimilem rationem accidens, & quia se habet respectu essentiæ vt perfectiuum respectu perfectibilis, dici aliquo modo potest forma, & actus siue primus siue vltimus iuxta superius dicta.

7 Obijcies tertiò, id quod plura prædicata essentialia in se continet, quorum vnum se habet vt genus, & perfectibile, alterum verò vt differentia, & perfectiuum, non potest absolute dici vltima actualitas; ex vltima enim actualitate potius est compositum; sed existentia est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur: accipiamus enim existentiam Angeli V. G. tum sic: huiusmodi existentia continet tanquam prædicatum genericum rationem existentiæ vt sic: tanquam verò prædicatum specificum ac differentiale rationem existentiæ Angelicæ, ergo dicta existentia continet plura prædicata in se, quorum vnum se habet vt genus, alterum vt differentia.

Respondeo concessa maiore, negando minorẽ; ad cuius probationem dico existentiam Angeli,

&

Digitized by Google

& cui soli quæ alterius rei in particulari non habere in se nisi vnicam, & simplicissimam formalitatem, quæ consistit in eo, quod sit ratio constitutiua rei illius in actu, & extra causas; quæ quidem ratio, siue formalitas si minus expressè, & in confuso concipiatur, habet rationem existentiæ in communi; sin autem clarè, & distinctè ac magis expressè, rationem existentiæ in particulari, angelicæ, scilicet, vel humanæ. In quo negotio procedendum est, sicuti procedimus in ente, cum dicimus rationem eius formalem non esse distinctam à ratione formali substantiæ, & accidentis nisi secundum implicitum, & explicitum conceptum.

8 Obijcies quartò: existentia rerum creatarum antequam dictæ res existant, est in potentia, ergo falsum est, quod sit rerum vltima actualitas. Respondeo distinguendo antecedens: existentia rerum creatarum, antequam dictæ res existant, est in potentia extrinsecè, concedo; intrinsecè, nego antecedens, & consequentiam. Per hoc enim differt essentia rei creatæ, antequam existat, ab eius existentia, quod ipsa intrinsecè, & in se dicitur possibilis, & in potentia, at verò eius existentia dicitur possibilis, & in potentia solùm extrinsecè, ratione scilicet essentiæ, in quantum primum ipsa essentia est in potentia ad illam recipiendam. Et ratio huius disparitatis est, quia id propriè dicitur esse in potentia ad aliquid intrinsecè, seu per intrinsecam denominationem, quod non solum habet potentiam illud habendi, verùm etiam habet negationem illius; loquor autem hic de esse in potentia habitualiter, non autem formaliter, vnde tunc propriè dicitur paries esse in potentia ad albedinem, quando habet carentiam albedinis, cuius habet capacitatem. Iam verò quia essentia antequam existat, ita existere potest, vt dicat in se existentiæ negationem, idcirco dici rectè potest, esse intrinsecè in potentia ad existendum; at verò quia existentia prius quàm essentia existat, non habet in se negationem existentiæ (nihil enim dicere potest negationem sui ipsius), ideo non potest dici quod in se, & intrinsecè sit in potentia ad existendum, sed ad summum quod sit in potentia per extrinsecam denominationem, in quantum aliud scilicet ipsa essentia est ad illam in potentia; Propter similè rationem hominis essentia numquam est in potentia ad essendum essentialiter hominem, hoc enim essentialiter illi competit; bene tamen esse potest in potentia, ad essendum hominem existentialiter, quia rationem existendi contingenter, & non essentialiter, participat. Scio nonnullos esse, qui concesso absolutè antecedente quartæ huius obiectionis, negant consequentiam, & dicunt quod potentialitas illa, quam existentia ante sui productionem participat, actualitati non obstet, quia eius actualitas consistit in eo, quod dum illa primò est, reliqua actu sint: cum verò ipsa non est, sint solum in potentia. Est autem dicta existentia, quando exercet suum munus faciendi essentiam existere, non est autem quando illud non exercet; vnde tunc dicitur in potentia. Verum licet hæc responsio bene intellecta habere possit veritatem, prior tamen videtur expeditior, ac planior.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum essentiæ Creaturarum ab Æterno ante existentiam habeant aliquod esse Positiuum Reale Actuale, vbi de earum Possibilitate.

NOn loquimur hic de esse existentiæ. Manifestum enim est quod creaturarum essentiæ, prius quàm exterius existentiam non habuerint præsertim ab æterno; quando fide constat nihil Deum ad extra operatum fuisse; sed loquimur de esse essentiæ, de quo dubium est inter Philosophos, an illud actu creaturæ habuerint ab æterno in se ipsis nec ne? & num sit verum dicere, quod dictæ creaturæ ab æterno actu fuerint ens nominaliter; ita vt Ly (actu) non teneat ex parte prædicati, sic enim idem significaret ac ens existens, sed ex parte copulæ; atque adeo sensus sit, quod cum creaturis sit ab æterno connexum prædicatum entis nominaliter sumpti. 9 11

Prima sententia docet rerum creatarum essentias, antequam producantur à Deo, nullum habere esse actuale reale, non solum existentiæ, sed ne quidem essentiæ, & sic esse omnino nihil, quatum ad esse actuale in se ipsis, bene tamen habere esse potentiale in suis causis. Ita Herueus *quodlib.* 11. *quæst.* 1, Soncinas *9. met. qu. ult.* 4. Capreolus *in 2. dist. 1. quæst. 2 art. 3.* Suarez *disp. 31. sect. 2.* Hurtadus *disp. 8. sect. 1.* Arriaga *disp. 2. sect. 1.* Ouiedus *Contro. 2 punct. 1* & alij communiter.

Est tamen nostra Conclusio cum secunda sententia, quæ docet oppositum, videlicet creaturarum essentias, antequam existant, non esse omnino nihil, neque habere esse solum potentiale in causa, sed actu habere ab æterno esse essentiæ, seu rationem entis nominaliter sumpti sibi identificatam, ita vt dici aliquo modo possint cum veritate ens reale.

Explico Conclusionem: Dico primò essentias creaturarum non esse omnino nihil, quia nihilū opponitur enti. Vnde quemadmodum datur duplex esse, essentiæ, scilicet, & existentiæ: ita duplex nihilum, seu, quod idem est, duplex non ens habetur dandum est, alterum, quod opponitur enti essentiæ, seu nominaliter sumpto, & significat id, quod contradictionem implicat vt existat, huiusmodi sunt negationes &c: alterum quod opponitur enti existenti, seu verbaliter sumpto, & significat id, quod non existit, vnde est quod possit dici etiam de ente essentiæ prius quam existat, & sic de Rosa anni venturi potest cum veritate à nobis affirmari, quod sit nihilum, & non ens hoc secundo modo sumptum, licet de reliquo sit ens primo modo acceptum; quæ quidem ratio nihilis, seu non entis, quia vt videtis accidentaliter competit Rosæ, & ab illa abesse potest: ideo appellatur nihilum denominatiue, & accidentale, ad distinctionem nihili primo modo sumpti, quod dicitur purum nihil, seu nihilum essentiale; quamvis igitur velim rerum essentias, antequam existant esse *nihilum* accidentaliter, quia tamen existimo eas non esse nihilum essentia- 10

Digitized by Google

cialiter, ob hoc cum hac fecũda sententia teneo, eas non esse nihil.

Dico secundo, (neque habere esse solum potentiale in causa) quia non negant aduersarij nostri creaturarum essentias ab æterno habere esse reale, sed volunt huiusmodi esse eas habere solùm per potentiam extrinsecam Creatoris, in quantum sunt in ipso tanquam in causa potente illas producere; vnde est quod cum illo identificentur. Ego verò existimo quod dictæ essentiæ præterquam quod existant in Deo tanquam in causa, habeant actu esse reale essentiæ in seipsis.

11 Dico denique (Ita vt dici aliquo modo possint ens reale) quia vi sectione præcedenti nostri, ens reale simpliciter, & absolutè sumitur pro ente existente. Ad quod respicientes quidam ex sectatoribus nostræ sententiæ, illud esse essentiæ quod nos creaturis ab æterno concedimus, appellarunt esse diminutum, & veluti medium inter nihilum, & ens reale. Conclusio autem sic explicata est S. Thomæ *in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad primum* vbi distinguit triplex esse in creatura, essentiæ scilicet, existentiæ, & veritatis propositionis; quod autem loquatur de esse essentiæ actuali in sè, non autem de esse potentiali in causa, clarè colligitur *ex art. 2. Quodl. 8.* vbi docet esse essentiæ abstrahere ab esse tũ existentiæ, tum obiectuio, seù veritatis propositionis, & cõpetere naturæ secũdũ sè. Est etiã ex parte. Scoti *in 1. dist. 39. quæst. 1.* & absolutè Henrici *in summæ art. 2. quæst. 23.* & *Quolibeto 9. quæst. 1.* & 2. AEgidij *in opusc. de ente*, & essentia, Capreoli *in 3. distinct. 1. quæst. 2.* Soncinatis *4. met. quæst. 13.* & Caietani *de ente, & essentia cap. 1. quæst. 11. ad 1.* Vbi pro sè citat Alfarabium, Albertum, & alios in eadem sententia ex nostris sunt Albertinus *tom. 2. in prædicam. substantia disp. 1. quæst. 2. concluſ. 1. num. 12.* Mazziotta *tom. 1 select. q. quæst. 15. à num. 340.* & alij.

12 Probatur autem primò nostra Conclusio: essentiæ creaturarum antequam existant, actu habent in sè potentiam radicalem ad existendum; sed in ea consistit ratio entis realis nominaliter sumpti, vt supra vidimus; ergo creaturarum essẽtiæ ab æterno actu habent esse reale essentiæ in sè ipsis. Minor, & Consequentia videntur certa. Maior vero probatur, quia de illis antequam existant, huiusmodi potentia cum veritate affirmatur; ergo actu illam in sè habent. Antecedens huius suadetur, quia verè dicitur de Antichristo nunc, quod possit existere. Neque dicas huiusmodi potentiam esse logicam, & consistere in mera non repugnantia, quia logica potentia est formalis, atque adeo radicalem præsupponere debet, in qua esse essentiæ seù esse nominaliter sumptum positum est; quare si nunc actu hanc potentiam habent, sequitur quod actu nunc habeant esse, quod à nobis apellatur essentiæ. Consequentia verò sic suadetur; & quidem quod actu illam habeant patet, quia si possibiliter tantùm haberent, ex vna parte falsa esset propositio, per quam affirmaretur de creaturis ante sui existentiam, quod possint existere; ex eo enim quod res sit, vel non sit, oratio censetur vera vel falsa; ex alia vero parte daretur processus in infinitum; quæri enim posset de illa possibilitate quam habent ad radicalem hanc potentiam habendi, num sit ens; & si quidẽ illam actu habent, habemus intentum; sin minus habebunt procul dubio illam in potentia, & sic in infinitum.

Quod verò dictam potentiam in sè habeant. Probatur etiam, quia nihil magis est intrinsecum rei quam esse rei, sed vidimus, hanc potentiam importare esse essentiale rei saltem præsuppositiue, & actu haberi; ergo res possibiles illam habent in sè intrinsecè. Aduersarij hoc argumento pressi in varias abiere sententias, ex professo quærentes quid sit rem actu esse possibilem, siue demum existat, siue non. Placet eorũ responsiones singillatim expẽdere, vt eas parum soliditatis habere patefaciam. Cum illis autem conuenio in eo, quod non sit semper necesse, vt subiectũ existat, ad hoc vt denominationẽ aliquã obtineat; constat enim nunc Antichristum denominari cognitum, & Adamum præteritum, quamuis neuter in præsenti habeat existentiam; quare supposito, quod possibile, id quod importat in recto, sit ens, quod sic denominatur V. g. Antichristus, tota controuersia est circa formam denominantem nunc illud possibile, posito quod nunc non existat, neque realem essentiam habeat.

Prima sententia est eorum, qui dicunt, huiusmodi formam denominantem esse Diuinam Omnipotentiam potẽtem illud producere; atque adeo creaturam dici possibilem per meram extrinsecam denominationem. 11

Verùm hanc sententiam maior pars aduersariorum improbabilem existimat; & rectè id quidem, quamuis enim Omnipotentia Dei possit aliquam possibilitatem extrinsecè rei possibili tribuere, at non omnem; supponere enim necessariò in ea debet quandam aliam sibi intrinsecam, & veluti radicalem, quæ reddat illam dictæ denominantis extrinsecæ ab omnipotentia prouenientis capacem. Ad eum *planè modum* quo laratum licet *denominari possit extrinsecus* sibile à potentia *visus*, *quæ illud videre* necessario tamen habere debet intrinsecam quãdam habilitatem ad actus dictæ potentiæ terminandos, vt de sè patet. Porrò Diuina Omnipotentia supponitur infinita in causando, atque adeo debet, quantum est de sè, posse ad omnia siuè entia siuè non entia sè extendere; quare quod denominet quædam possibilia, & non reliqua, non est nisi quia possibilitatem quandam intrinsecã in illis supponit, quã non supponit in reliquis, & de hac est cõtrouersia, quid importet.

Giattinus *quæst. 6. leg. art. 3. in responsione ad tertium* concedit quidem creaturam præter Omnipotentiam Dei illam extrinsecè denominantem habere aliquid intrinsecum, quod sit suæ possibilitatis verificatiuum: negat tamen hoc sè habere tanquam aliquid prius respectũ Omnipotẽtiæ; sed potius dicit esse posterius. Rationẽ huius dicti assignat, quia (inquit) totum esse creaturæ est de suo conceptu esse participatum, & quod postulat ab alio esse; ergo nunquã possumus concipere esse creaturę, quin concipiamus illud cum hoc intrinseco prædicato, quod sit aliquod subsequens ad esse diuinum, Verùm

hæc

hæc ratio probat solum, omne, quod est in creatura, esse participatum à Deo; ad quod verificādum non est necesse, vt esse possibile intrinsecam creaturæ pendeat à priori ab omnipotentia Dei, sed sufficit, quod sic pendeat ab essentia diuina, quatenus est imitabilis ab ipsa creatura. Quod si communiter dicitur creaturas non posse intelligi possibiles, ante quam intelligatur Deus potens illas producere: hoc intelligendum est de possibilitate adæquata, & formali, non autem de inadæquata, & radicali, siquidem hanc omnipotentia Dei debet supponere in creaturis ad hoc, vt intelligatur absolutè, & omnibus penſatis, potens illas producere, & per consequens denominare possibiles; alioquin non esset ratio, cur potius redderet possibilem hominem, & non chymeram.

14 Secunda sententia potest esse dicentium: denominationem possibilis prouenire à voluntate conditionata Dei, quod si Deus velit, vt creatura existat, ipsa erit existens.

Verum hæc sententia duo dicit: vnum est, possibilitatem rei importare statum conditionatum, & existentia absolutum; alterum verò denominationem possibilis tribui à voluntate Dei sub dicta conditione posita. Contra primum agemus inferius; breuiter nunc impugnamus secundum instando: præcedens argumentatum sic: Dei voluntas supponit in creaturis possibilitatem quandam intrinsecam, non minus, quam potentia; si enim per impossibile ponamus Deum velle creare chymæram, non ideo chymera existeret, voluntas enim Dei nō

21 potest ad libitum rerum essentias mutare, sed illas necesse est vt conformetur; ergo per prius est rem esse in se intrinsecè possibilem, & deinde habere, quod si Deus voluerit, existat. quid autem sit hoc prius, controuersia nobis est cum aduersarijs.

Tertia sententia est eorum, qui dicunt propositionem hanc: Antichristus est possibilis, esse veram se ipsa essentialiter, atque adeo non indigere obiecto illo verificatiuo, & determinatiuo, per quod verificetur, idemque dicunt de omnibus alijs propositionibus æternæ veritatis.

Sed neque hæc sententia procedit: quia si veritas esset huiusmodi propositionibus totaliter intrinseca, sequeretur, quod Angeli de omnibus possibilibus certam, & euidentem cognitionem habere possent; siquidem singulas cognitiones, quas de singulorum possibilitate formarent, euidenter cognoscerent esse veras; omnis enim angelus suas naturales cognitiones comprehendit, perfectissimeque omnia earum prædicata discernit. Quod si dicas excipiendū esse prædicatum veritatis: præter quam quod gratis id asseras, hoc ipso cognitionibus huiusmodi prædicatum superfluè concedis; non enim posset assignari finis ob quem dictæ cognitiones illud exposcerent. Deinde fac eas esse essentialiter veras, quando, affirmant possibilitatem alicuius rei, certum est, quod non habeant pro verificatiuo se ipsas, neque remipsam, quam supponimus non existere; ergo adhuc remanet, data hac sententia, explicandum, quid importet rem esse possibilem.

Quarta sententia, quæ à nonnullis tribuitur Scoto, sed perperam, vt probant Suarez, & alij, dicit: esse possibile importare quoddam esse diminutum medium inter ens reale, & rationis, quod habent creaturæ ab intellectu diuino, à quo productæ fuerunt ab æterno in esse intelligibili absoluto, sibique intrinseco. Hoc enim ipso (inquiunt) quod diuinus intellectus cognouit essentiam suam tanquam creaturarū exemplar, per huiusmodi cognitionem habuerunt creaturæ esse terminum huius exemplaris & sic redditæ sunt intelligibiles, atque adeo reales, quandoquidem intelligibilitas realitatis est passio; & quia omne, quod reale est, capacitatem ad existendum importat; ideo creaturæ redditæ sunt possibiles, non quidem extra intellectum diuinum, sed intra illum tantum; quandoquidem hic, quantum est de se, non est productiuus ad extra, sed hoc est solius omnipotentiæ proprium. 15

Contra hanc sententiam multa ab auctoribus afferri solent; ego verò illam sic impugnarem Primo: quia hoc esse intelligibile, quod diuina cognitio creaturis ab æterno communicauit, non fuit sola denominatio extrinseca ab ea illis prouenies, quia hoc sibi etiam vendicarunt ipsarum creaturarum carentiæ, quæ fuerunt ab æterno à Deo cognitæ; ergo fuit denominatio illa intrinseca; tum sic: vel fictitiè eam illis intellectus diuinus communicauit, sicuti meus communicat naturæ hirci, & cerui identitatem realem, quando dicit: Hircocerus est possibilis; vel verè: neutrum dici potest; ergo &c. Probo minorem: non fictitiè, quia intellectus diuinus non extraheret illas à puro nihilo, vt patet paritate mei intellectus, dantis aliquod intrinsecum esse rei, quam cognoscit, quo illa verè caret; neque verè: quia vel habet aliquod fundamentum dandi huiusmodi denominationem intrinsecam creaturis, & non earum carentijs, vel non habet, sed pro libitu suo id facit; hoc secundum non est dicendum; alioquin potuisset Deus reddere hominem fictitium, & hircocerum realem, si voluisset; quod nemo dixerit; ergo primum; patet ergo vlterius: hoc fundamentum, vel in ipsis creaturis fuit, vel saltem in ipsa diuina essentia; sed vtrumuis dicatur, sequitur creaturas habuisse suum esse possibile in se ipsis extra intellectum diuinum; ergo tota sententia corruit. Maior huius est certa; in nullo enim alio huiusmodi fundamentum rationabiliter admitti potest; Minor verò suadetur: & quidem si intellectus diuinus hoc fundamentum in ipsis creaturis inueniat, cum hoc fundamentum sit aliquod esse, quod non habent carentiæ, rectè deducitur creaturas in se ipsis ab æterno habuisse aliquod esse extra intellectum diuinum, & independenter ab illo; sin autem dicatur fundamentum hoc in ipsa diuina essentia extitisse, quatenus est exemplar innumeris vijs immitabile, & participabile à creaturis; ex vna parte melius sentimus de diuina essentia si

dicamus eam fuisse fundamentum adeo perfectum possibilitatis creaturarum, vt statim ac intelligatur existere ab æterno per se ipsam, independenter ab intellectione, quam habebat de creaturis, eam illis communicauerit, & ex alia nihil in contrarium potest obijci, quod non soluatur facile vt ex dicendis constabit; ergo dicendum est creaturas in se ipsis habuisse suũ esse intelligibile, atque possibile, quod diuinus intellectus in eis inuenit, & non posuit.

16 Quinta sententia, quæ est hac tempestate communis, eamque docet Suarez, Vasquez, Hurtadus, Arriaga, Ouiedus, quos citat, & sequitur Giattinus *disp. 6. log. art. 4.* hi existimant id, quod importat in recto possibile, esse ipsam creaturam secundum totam suam entitatem, quam habet, si existeret; id verò, quod dicit in obliquo tanquam formam denominatem, esse carentiam duorum contradictoriorũ non quidem absolutè, sed ex suppositione, quod existeret; ita vt Antichristus possibilis nihil aliud sit, quam ipse Antichristus sub hac conditionata propositione: *si existeret, non sequerentur duo contradictoria*. Porrò hanc sententiam optime omnium Giattinus exponens, notat: dupliciter nos aliquid V. G. Petrum posse cognoscere: absolutè, & conditionatè; absolutè est tali modo tendendi illum concipere vt ab eo possimus determinari ad dicendum: Petrus existit, & hoc vel quia habemus species illum intuitiuè representantes, vel quia habemus sufficientia motiua inducentia intellectum ad id affirmandum; conditionatè verò Petrum cognoscere ex parte obiecti est ipse met Petrus, nimirum illud ipsum, quod cognoscimus absolutè, sed per diuersum modum tendendi in illum; quam diuersitatem explicat per hoc: quod per absolutam affirmamus aliquid, & habemus pro verificatiuo illius ipsam Petri existentiam: per conditionalem verò nihil affirmamus, & nulla habetur in ea veritas, neque falsitas, atque adeo non indiget verificatiuo, sed se habet vt mera apprehensio vnius termini abstractiuè, vt in hac: si Petrus existeret; quoniam verò ex his, quæ hoc secundo modo cognoscuntur, hoc est cõditionatè, quædam habent determinare intellectum ad negandum, sequi duo contradictoria quædam verò habent determinare illũ ad id affirmandum: vult hæc sententia possibile importare ipsum ens cognitum modo illo tendendi conditionatè (si existeret) quatenus est determinatiuum intellectus ad dicendum non sequi duo contradictoria.

17 Verum hæc sententia non placet primo: quia aliud est rem possibilem, si conditionaliter cognoscatur existere, esse aptam determinare intellectum rectè dispositum ad negandum; ex ea sequi duo contradictoria aliud verò rationem possibilitatis in hoc consistere primum est verum, sed non facit ad rem; secundum verò falsum, quod sic probo: Antichristus nunc est possibilis; si igitur eius possibilitas importat cognitionem conditionatam versantem circa ipsum Antichristum, vel illam importat de possibili, sicuti obiectũ, vt denominetur cognoscibile, dicit cognitionem: vel actu, sicuti cognitum; neutrum dici potest; ergo ratio possibilitatis creaturæ non bene definitur per hoc, quod si cognoscatur, non inuoluet duo contradictoria. Maior huius patet, quia dupliciter aliquid cognitionem aliquam importare potest: primò ita, vt eius actualitas cum cognitionis possibilitate sit connexa; secundo vt ad eius actualitatem actualitas ipsius cognitionis circa se versantis necessaria sit, vt patet exemplo cognoscibilis, & actu cogniti. Minor verò probatur; & quidem non posse dici primum patet: quia difficultas, quæ fit de Antichristi possibilitate, militat eodem modo contra possibilitatem cognitionis conditionatè circa illum versantis; quid nimirum sit illud esse, quod nunc habet cognito illa conditionalis; ratione cuius nunc dicitur possibilis, posito, quod nunc non habeat esse essentiæ; siquidem nihil penitus illius est, neque essentiale, neque existentiale, & sic dabitur processus in infinitum; Quod verò neque possit dici secundum, videtur certum; nam independenter ab omni cognitione actuali de Antichristo, & nemine de eo cogitante, nunc Antichristus est possibilis; ergo &c.

Negat hoc vltimum antecedens Giattinus *in respons. ad primum*, dicendo, quod sicuti esse conditionatum, seu quod idem est, status cõditionatus rei non habetur, nisi á denominatione extrinseca, proueniente ab actuali cognitione conditionata: ita neque esse possibile, præscindendo á modo tendendi conditionatè cognitionis actualis in obiectum, haberi potest.

Hæc tamen responsio impugnatur; quia sic 18
cognitio, qua quis dicit: Antichristus est possibilis, esset reflexiua, quemadmodum illa, quæ dicit: animal est vniuersale, deberet enim cognoscere Antichristum sub modo tendendi conditionatè cognitionis in illum; *nam sicuti* vt sit possibilis, debet stare sub *hoc modo: ita*, vt expresse cognoscatur vt *possibilis, sub eodẽ* modo cognosci necessario *deberet; non quod* dicta cognitio formaliter *hunc modum tendẽdi conditionatè in se ipsa requirat*, quia absolute prædicat possibilitatem de Antichristo, sed bene obiectiuè, eo quod ipsa possibilitas illum modum tendendi includit in se, quod expresse docuit idem Giattinus *in respons. ad 3.* vbi sic: formalis prædicatio, qua prædicatur possibile de altero mundo V. G. non est prædicatio conditionata *in se*, sed *prædicat ex* parte obiecti mundum vt stat sub conceptu cõditionato, idem enim significat esse possibilẽ, ac determinare, seu verificare hanc propositionem conditionatam: si alter mundus existeret, non sequerentur duo contradictoria. *sic ille*: verum ex hoc euidenter apparet *improbabilitas* huius sententiæ; experientia enim constat nos in affirmanda rei possibilitate non cognoscere prius rem per apprehensionem conditionatam, quæ dicat: si existeret; neque præmittere hanc conditionatam enunciationem: si existeret, non sequerentur duo contradictoria; & multo minus reflectere supra dictas conditionatas cognitiones siue á nobis elicitas ab alio quouis; imo exp[illegible]

ndo intellectus noster in dicto Iudicio formando procedat, ac in reliquis affirmatiuis propositionibus, quæ non sunt reflexiuæ. explodendus igitur videtur hic modus explicandi rerum possibilitatē, qui non est in alium finē inuentus, nisi ad negandum earū essentijs aliquod esse ab æterno; & quidē si aliqua probabilitate id præstaret procul dubio permittendus foret, licet sinè vlla necessitate tot cognitiones multiplicet; nunc verò quoniam habet expresse contra sè experientiam, non videtur vlla ratione tolerabilis.

19 Dices: quando quis enunciat de Antichristo, quod sit possibilis, possibilitas in huiusmodi enunciatione venit in actu signato, & non in actu exercito; ergo non est necesse, vt intellectus formet, & exerceat conditionalem illam: si Antichristus existat, non sequitur contradictio; sed sufficit, si eam obiectiuè apprehendat, quod fecit implicite; Consequentia patet, quia iam nō illam format, sed formatam supponit, & obiectiuè speculatur; Antecedens verò suadetur, quia signanter sibi possibilitatem repræsentat. Respōdeo distinguendo antecedens: venit in actu signato, & non in actu exercito, formaliter, concedo: præsuppositiuè, nego antecedens & consequentiam; Ad probationes aio, quod licèt dicta enunciatio speculatiuè, quantum est de se, circa possibilitatem versatur, quia tamen ita versatur, vt affirmet eam de Antichristo; ergo iam supponit Antichristum esse nunc possibilem; atque adeo ex parte obiecti haberi nunc totum id, quod ad rationem possibilitatis constituendā necessarium est; Quoniam verò nunc non est necessaria ad hoc existentia Antichristi, sed bene

20 est necessarius modus conditionatè tendendi per intellectum circa ipsum; siquidem, vt idem author fatetur in responsione ad secundum, possibilitas alterius mundi est forma quædam, quæ de præsenti dicit talem modum tendendi apprehensiuum; ergo nisi præsupponatur hic modus tendendi actu versari circa ipsum Antichristum, non potest fieri illa enunciatio, & si fiat, falsa erit.

Contra eandē sententiam argumentor secundò, quia si possibilitas Antichristi cognitionem conditionatam circa ipsum Antichristum, versātem importaret: sequeretur quod ideo Antichristus possibilis esset, quia conditionatè cognosceretur; sed hoc est absurdum; ergo &c. Sequela patet in hac sententia. Minor verò probatur, quia prius est Antichristum esse possibilem, quā cognosci.

Ad hoc respondet idem Giattinus *hoc sensu* distinguendo sequelam maioris, & si quidem particula (ideo) importet rationem adæquatam possibilitatis, negat: si inadequatam concedit. quemadmodum, inquit, si dicam: Ideo mundus est amabilis, quia cognoscitur; non significo cognitionem dare mundo bonitatem; sed solum quod sit requisita, vt eius bonitas amari possit. ita dicendo: Ideo mundus est possibilis, quia conditionatè cognoscitur, non significo modum conditionatè tendendi in mundum dare illi posse determinare intellectum ad iudicium conditionatum de eo formandum; hoc enim habet de se mundus, siue existat, siue non; sed solum quod sit conditio, qua posita habet mundus, quod ad dictum iudicium se determinet;

Sed hæc responsio non satisfacit: quia vt argumentum procedat, satis est, si cognitio conditionata importet rationem inadequatam possibilitatis alterius mundi; hoc enim admisso, sequitur veram esse causalem illam: ideo mundus est possibilis, quia cognoscitur; ad huiusmodi enim propositionum veritatem non requiritur, quod afferatur ratio adæquata, sed sufficit inadæquata, vt de se patet. sed hoc esse falsū patet, quia, si quis quærat rationem à priori: cur alter mundus affirmetur à mè non implicare, & implicare chymæra? rectè responderem, & quidem à priori, quia ex vna parte mundus in se non implicat, contra verò chymæra ex alio vero habeo motiuum sufficiens vtramque veritatē cognoscendi. ergo &c. Paritas autem ex cognitione amabilitatis desumpta videtur potius facere pro nobis, quam contra nos; tum quia alius mundus est bonus, & amabilis in se absq; eo, quod proponatur ab intellectu voluntati vt talis, at verò non est possibilis in sententia aduersariorum, absque eo quod conditionatè cognoscatur existere: tum etiam quia cognitio, quæ proponit voluntati mundum bonum, reddit illum proximè amabilem: at cognitio conditionatè cognoscens ipsum mundū, reddit illum absolutè possibilem; proximè enim redderetur talis per decretum; quod Deus fecisset de volendo creare illum in tempore. Quare si quis ita argueret: cognitio mundi est inadæquata ratio, cur mundus reddatur proximè amabilis à voluntate, & tamen voluntas nè inadæquatè quidem ipsam cognitionem amat. ergo licet modus tendendi conditionatè in mundum sit inadæquata ratio possibilitatis ipsius mundi; nō sequitur quod intellectus cognoscens mundum possibilem, debeat inadæquatè supra suum modum tendendi conditionatè reflectere. Facile responderem, concesso antecedente, negando consequentiam. disparitas lata est quia cognitio bonitatis obiecti nè partialiter quidem est ratio motiua voluntatis, sed solum sè habet vt conditio requisita, vt obiectum bonum constituatur in actu primo proximè motiuum ipsius voluntatis, at verò modus tendendi conditionatè in obiectum possibile est ratio inadæquatè constitutiua ipsius possibilitatis per aduersarios, & ideo non est mirum si voluntas amando mundum possibilem, non amet inadæquatè cognitionem illius, quia amat illum in se ipso, & non quatenus est proximè motiuum sui; At intellectus dum dicit: mundus est possibilis, cognoscit possibilitatem illius; quare si dicta possibilitas inadæquatè modum tendendi conditionatè ipsius intellectus importat, implicat non cognoscere dictum modum, & quidem haberi actu ex parte mundi.

Contra eandem denique sententiam argumē- 21
tor tertiò: Hæc definitio rei possibilis; quod nimirum sit id, quod ex hypotesi quod existat, non sequuntur ex ea duo contradictoria, debet competere etiam rei impossibili in sententia aduersariorum. ergo ab ipsis quoque reijcienda est. Antecedens probatur, supponendo duo. V-

Digitized by Google

huius est, quod quando aduersarij dicunt possibile esse id, quod si existeret &c. loquuntur de vera, ac reali existentia, & recte id quidem; non enim possunt loqui de fictitia, seu præscindenti vtraque, alioquin non determinaret intellectum ad negandam de ente possibili contradictionem, vt de se patet. Alterum verò, quod ipsi, cum quibus agimus, nullam distinctionem agnoscunt ex parte obiecti inter essentiam, & existentiam, sed putant esse vnam, & eandem omnino formalissimam rationem diuerso modo conceptam: His positis sic argumentor: Conditionalis illa (si existeret chymæra) per aduersarios non solum eius existentiam, sed etiam eius essentiam, atque adeo totam chymæram ex modo tendendi apprehendit realem; ergo non potest determinare intellectum ad affirmandum, quod ex illa hypotesi sequerentur duo contradictoria; sed potius quod non sequerentur. Antecedens patet; nam aduersarij ponunt, quod existentia sit vna, & eadem formalissima ratio cū essentia ex parte obiecti; ergo hoc ipso quod supponunt chymæram existentiam habere realē, debent necessariò supponere etiam realem essentiam illi competere; non enim agnoscunt inter vtramque distinctionem vllam, nisi eam, quam apprehendimus in eadem existentia, quando nō est à parte rei, & quando est. Consequentia verò tenetur, quia facta illa suppositione, quod tam existentia tum essentia chimeræ sit realis: tam realis erit tota chymæra, quam homo, eo quod dicta suppositio, impræscindibiliter trahit secum naturas reales componentes chimeram habere aptitudinem, & proportionem ad inuicem, vt in vnam naturam coalescant, quæ de sè est realis; ergo illa conditionalis suppositio potius determinare deberet intellectum ad negandum ex ea sequi duo contradictoria, quam ad affirmandum. At verò in sententia eorum, qui ponunt rerum essentias ab æterno, atque adeo inter illas, & earum existentias distinctionem ex parte obiecti; recte apprehendi potest chymæra, retinendo sua omnia essentialia, quæ habet, quando fingitur ab intellectu, realem acquirere existentiam. Neque potest assignari ratio, cur sic apprehensa non determinaret intellectum bene dispositum ad affirmandum de ea duo contradictoria; ergo &c.

42 Dices cum Comptono *disput. 4. metaph. sect. 2.* ex nostra sententia sequi etiam chymærarum essentias fuisse ab æterno; sed hoc repugnat; ergo &c. Minor patet, quia sic chymæræ non haberent esse obiectiuè tantùm in intellectu, dum actu cognoscuntur; Sequela verò probatur quia verum fuit ab æterno dicere: chymæra est impossibilis, chymæra habet importē etiam ad existendum &c. Respondeo negando sequelam, & ad eius probationem dico chymæram esse quid fictitium, atque adeo nullum habere esse in rē nisi ex suppositione, quod actu ab intellectu fingatur; quare propositiones dictæ veræ sunt, posito quod intellectus de ea cogitādo, naturas incompossibiles, illas in statu obiectiuo componentes sibi repræsentet, quod de essentijs realibus, vt supra vidimus, dici nequit. Neq; addas chymeram, antequam cognoscatur, esse cognoscibilem, & antequam fiat factibilem, & sic habere suam possibilitatem ab æterno, sicuti essentiæ reales. Respondeo enim verum quidem esse prædicata illa cognoscibilis, factibilis, atque possibilis, obiectiuè existere, competere chymæræ ab æterno, sed per meram denominationem extrinsecam ab intellectu potente illam facere prouenire; quare nisi essentia intellectus haberetur ab æterno, nulla ratione dicta prædicata chymæræ ab æterno competerent.

Sexta denique sententia de rerum possibilitate est propria Giattini *quæst. 6. logicæ art. 3.* quam *initia art. sequentis* tesseratus sè in tertio Cursu suæ philosophiæ in Romano Collegio docuisse, consistit autem in eo, quod putet optimè dici posse, quod possibilitas Antichristi consistat in hoc disiuncto: Vel ipse Antichristus existit, vel eius negatio; vnde concedit possibilitatem desumi posse per denominationem intrinsecam rei possibilis contradistinctam ab omnipotentia Dei, & actualiter ab æterno existentem, quod in hunc fere modum probatur: Datur ab æterno á parte rei actualiter veritas obiectiua huius disiuncti de singulis entibus defectibilibus: Vel ipsum existit defectibiliter, vel eius negatio existit defectibiliter; in hac autem veritate obiectiua consistere rerum possibilitatem euincit ex eo, quia nomine possibilitatis potest bene intelligi esse illud, quod si existat non trahat duo contradictoria; sed hoc optime verificatur per existentiam illius disiuncti, siquidem hoc ipso quod alterutrū existit defectibiliter, rectè colligitur *id*, quod positum est, non trahere, si existat, duo contradictoria, ergo &c. 23

Sed neque hæc sententia, quamuis ingeniosè excogitata, satisfacit, primò quia tota quanta est, fundatur in principio à nobis paulo antè reiecto: quod nimirum nomine possibilis rectè significatur id, quod si existat, non trahat duo contradictoria. Secundò quia *licet hoc disiunctum semper de quocumque ente creato verificetur*, videlicet quod vel *ipsum existit, vel eius negatio defectibiliter; in eo tamen non potest consistere possibilitatem illius*, probo ex eo, quia possibilitas entis creati est quid antecedens ad eius existentiam, sicuti etiam ad existentiam suæ negationis defectibiliter; nam ideo verum est quod vel Antichristus V. G. existit defectibiliter vel eius negatio: quia Antichristus est possibilis defectibiliter; ergo nō benè explicatur possibilitas illius per hoc disiunctum. 24

Tertiò denique impugnatur eadem sententia: quia aliud debet esse verificatiuum potentiæ ad actum defectibilem, & aliud verificatiuum ipsius actus defectibilis; siquidem potentia differt ab actu: ita verificatiuum potentiæ differre debet à verificatione actus; at qui possibilitas entis creati consistit in potentia, in ordine ad actum defectibilem, qui est existentia, quare comparantur ad inuicem sicuti potentia, & actus; ergo si disiunctum illud est verificatiuum actus defectibilis existentiæ entis creati, impossibile est, quod sit verificatiuum possibilitatis eiusdem saltem formaliter; Esse autē verificatiuum dicti actus probatur, & quidem, ni fallor, apertè, quia interroganti quid importet existentiam Antichristi esse defectibilem, recte respondemus importare

quod in quotcunque differentia temporis verum sit, quod vel exsistat ipse Antichristus, vel eius negatio, & non necessario, per hoc enim formalissime explicatam habemus existentiam defectibilem eiusdem, scilicet per hoc, quod nunc verum sit, quod ego vel loquor, vel non loquor, & neutrum horum necessitate, habemus quidem explicatum non requirere meam esse contingentem: at non habemus explicatam meam potentiam loquitiuam impossibile igitur est quod disiunctam illud sit veritas summa possibilitatis Antichristi. Atque hæc quidem ad primam probationem nostræ Conclusionis.

SECTIO TERTIA.

Percurruntur aliæ rationes, quibus probatur esse non probabiliter habuisse ab æterno suum esse positivum.

25 Probatur eadem Conclusio secundo: quia, si essentiæ rerum essentiæ antequam existant, excludunt à se purum nihil, seu quod idem est, nihilum essentiale; ergo actu sunt aliquid reale in se ipsis. Consequentia patet: quia purum nihilum non excludit actu, nisi à suo oppositum quod est ens reale essentiæ. Antecedens vero probatur, quia ante existentiam, de huiusmodi essentiis verum est dicere, quod non sint purum nihil, quæ propositio quantum ad rem significatam non potest accipi præcisiuè, quasi vero essentia creatura præscindat ab eo, quod sit, vel non sit purum nihil, sic enim posset sequendo suam essentiam cum puro nihilo coniungi, quemadmodum sunt, ex quæ ab aliquibus rationibus præscinduntur N. G. homo, qua præscindit ab eo, quod sit albus, vel niger, verax, vel mendax, &c. sed accipienda est negatiuè, ita vt importet exclusionem puri nihili; per quæ patet veritas antecedentis.

Probatur tertiò: non potest assignari alia ratio cur lapis antequam existat, non habeat repugnantiam ad existendum, & illam habeat chimera, nisi quia illa habet in se actu esse reale essentiæ, hæc autem non habet, ergo &c.

Dices rationem huius rei esse hoc est hoc, & illud est illud: Contra tamen est, quia per hoc dicitur vel explicatur ipsum esse actuale lapidis, vel esse lapidis potentiale in causa? si primum, habeo intentum, quia hoc esse actuale non potest esse existentiæ, ergo erit essentiæ; si autem secundum: quæro cur chimera non habeat etiam hoc esse potentiale in causa? non potest dici, quod hoc proueniat ex defectu causæ, quia hæc infinita est in omni genere, etiam in causando, ergo dici debet, quod proueniat ex eo, quod lapis habeat aliquod esse in se, quod non habet chimera ipsa. Neque dicas hoc esse importare intrinsecam connexionem prædicatorum, quam non habet chimera; nec dicas, inquam, quia hæc connexio prædicatorum, est intrinseca vel possibili, vel igitur secundum esse actuale est ab æterno, & habemus intentum, vel non, & sic remanet explicandum, quid sit actu id, ratione cuius hic, & nunc lapis non existens dicatur habere intrinsecam complexionem suorum prædicatorum, quod non habet chimera.

Probatur denique quarto Conclusio, quia vera est ab æterno hæc propositio, & per consequens necessaria: Homo est animal rationale. ergo ab æterno homo habet actu in se esse essentiæ; non enim dicitur posse esse, sed est animal rationale? 26

Dices primò: huiusmodi propositiones solum obiectiuè in intellectu diuino habere veritatem æternam, non autem in quo &c.

Contra tamen est, quia huiusmodi veritatem obiectiuam habent etiam propositiones de impossibili, vt de chimæra. Vel quos autem loquimur de veritate propositionis, quæ requirit ex parte hominis verificatiuum sui, quod non potest esse aliud, quam identitas cum animali rationali. Neque potest assignari alia ratio quare à Deo cognoscatur vt vera, nisi quia confundatur intentionaliter obiecto suo: igitur negari non debet hominem ab æterno suam rationem essentiam habere.

Dices secundò: necessarium illius propositionis non esse absolutam, sed conditionatam, seu respectiuam, ita vt sit ad hunc sensum: homo existat, necessario est animal rationale. 27

Contra tamen est, quia huiusmodi conditionata reperiri etiam potest in propositione illa, in qua prædicatum non habet necessariam connexionem cum suo subiecto, sed hoc concesso, sequitur propositiones contingentes esse veras, etiam si extrema non existerent, quod nemo vnquam dixerit. propositio igitur hæc, Homo est animal rationale est vera ab æterno, non quia conditionata necessitatem inuehat, sed quia homo ab æterno actu in se habet suum esse intrinsecum essentiale. Omnia patent præter Maiorem, quæ sic suadetur: in his propositionibus: Petrus conseruetur à Deo efficienter: Petrus est in loco: Petrus est in tempore, prædicata non habent connexionem necessariam cum subiecto, requiritur enim existentia in Petro ad hoc vt de illo verificentur, quare existimanda sine de tertio adiacente, & tamen ex vi præcisæ conditionalis existentiæ non magis necessaria est hæc propositio Si homo existit, est animal rationale, quam necessaria sint hæ aliæ: Si Petrus existit, dependet à Deo efficienter: si existit, est in loco, & in tempore (pono enim cum communi, quod creatura non potest existere sine hoc, quamque potest sine dependentia à Deo in genere causæ efficientis) & sine præsentia temporis, & loci. Ratio autem huius est, quia ex supposito quod existentia hominis implicat, quod Petrus non pendeat à Deo, & non sit alicubi, & aliquando, quam quod non sit animal rationale, sicut enim non potest existere sine hoc, quamque potest sine dependentia à Deo in genere causæ efficientis, & sine præsentia temporis, & loci, sic non potest existere sine dependentia à Deo, & sine præsentia temporis, & loci, & sic de alijs. 28

Hoc argumento pressus Arriaga non veretur disputatiuè, seu ex concessis dicere, quod in rigore non sit falsum absolutè dicere, Homo est animal, quam asserere, Homo ab æterno dependens à Deo est in hoc loco, tempore &c. quia ab æterno cum homo non sit, non est verum dicere cum animali non includatur, vt sic cum dependentia à Deo, & cum tempore, aut loco &c. Dicit autem propositionem illam esse necessariam, quia necessarium est vt

si sit

si fit homo, fit etiam animal. Quod si inferas: ergo hæc propositio erit etiam ab æterno vera: Homo est dependens à Deo efficienter, et in loco ac tempore. Respondet in rei veritate id ita esse: ex communi tamen acceptione quia hæ propositiones sumuntur in sensu absoluto: ideo censentur falsæ. Verùm hoc pacto respondere est omnem philosophiam peruertere, & nihil ratum, & firmum relinquere veritati; confunditur enim veritas propositionis absolutæ cum veritate conditionatæ, quæ inter se essentialiter distant; quis enim non videt aliam esse veritatem huius propositionis: Petrus est sapiens, & aliam huius: Si Petrus studeret, esset sapiens? & quis ignorat non sufficere veritatem secundæ ad verificandam primam: non est igitur credibile, quod idem significet apud nos: Petrus est animal, ac: Si existeret Petrus, existeret animal.

Confirmatur, quia vt omnes fatemur, rerum essentiæ, præscindendo ab existentia, ponuntur in recta linea prædicamentali; sunt præterea scientiarum obiecta, & quidem absolute, & non conditionaliter, vt constat ex scientificis propositionibus, quando illis absolutè formantur. Denique ab omnibus recipitur illa diuisio entis in ens nominaliter, ac verbaliter sumptum. Neque compositio illa metaphysica ex esse, seu existentia, & essentia resultat. sed hæc omnia in rigore falsa essent, sinuo Arriagæ responsione, quia res præscindendo ab existentia nullam prorsus rationem entis in eius sententia absolutè haberent, vnde dictæ propositiones absolutæ quæ de illis formantur, in rigore philosophico veritate carent; Quis id ferat?

SECTIO QVARTA.

Afferuntur, & soluuntur argumenta in contrarium.

89 OBijcies primò: *ex Aristotele cap. de substit.* habemus, Corruptis primis substantijs, nihil aliorum remanere. ergo essentiæ rerum Creatarum non habent actu in se ipsis aliquod esse. Confirmatur *ex primo phys. text.* 12. vbi habetur, quod subiectum debet existere prius ijs, quæ sunt in subiecto. ergo ante existentiam hominis nulla prædicata sunt in homine, & sic nequit dici de homine, quod sit ens.

Respondeo Philosophum *loco cit.* loqui de remansione quantum ad existentiam, & velle solùm quod deperditis primarum substantiarum existentia, non remaneant existentes secundæ substantiæ, vt existimabat Plato. nego igitur Consequentiam. Ad confirmationem dico Aristotelem loqui de prædicatis accidentalibus, non autem de essentialibus subiecti; licet enim accidentalia supponant subiectum existens: essentialia tamen cum illud constituant, neque in esse essentiæ, neque in esse existentiæ ipsum præsupponunt, sed se ipsis suntur in esse essentiæ ad illud ponendum, & in esse existentiæ simul cum illo de potentia ponuntur.

90 Obijcies secundò ex Suarez: nemo essentias non sunt, à Deo ab æterno factæ, quia sic contingat, Deum omnia fuisse operatum in tempore, sed quidquid non est factum à Deo, vel est ipse Deus, vel est nihilum. Cum igitur rerum essentiæ ante quam existant in se non sint Deus; sequitur necessariò quod sint nihilum. Confirmatur, quia nisi essent actu nihil, sequeretur quod actu daretur infinitum cathegorematicè; quia ex vna parte res possibiles nõ sunt tot quin plures, & ex alia omnes essent actu, quamuis enim essent in potentia ad existendum; tamen quantum ad actualitatem essentiæ assimilarentur partibus quantitatis actu distinctis, quæ licet essent in potentia ad diuisionem, essent tamen actu infinitæ. Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem: vel est nihil siue denominatiue siue essentialiter, concedo essentialiter solũ nego minorem. Et sic distinguo secũdam partem consequentis: sequitur necessariò, quod rerum essentiæ sint nihilum denominatiue concedo, hoc est existentialiter: sint nihilum essentialiter, nego consequentiam. Cum autem essentialiter opponantur puro nihilo, sequitur consequenter quod in se sint ens nominaliter. Ad confirmationem dico actu dari infinitum cathegorematice actualitate essentiali nihil absurdi continere; neque repugnare sententiæ illorum, qui negant infinitum cathegorematicum à parte rei detecta; quia id quod est à parte rei non solùm essentiã sed etiam existentiam importat, at non importat diuisionem; Per quod patet disparitas inter essentias ab æterno, & partes quantitatis actu distinctas.

Obijcies tertiò: Si essentiæ antequam existerẽt haberent aliquod esse: sequeretur creationem non esse productionem ex nihilo, & annihilationem non esse destructionem in nihilum; sicuti enim ad creationem præcederet esse essentiæ, ita post annihilationem rei remaneret; sed hoc est inconueniens; ergo Confirmatur, quia esse essentiæ compararetur ad esse existentiæ non solum tanquam terminus à quo *productionis*, sed etiam tanquam potentia *receptiua*; *non igitur* dici possent res existentes *aliquando creari*; non enim fierent ex nihilo, *siue demum nihilum* importet terminum à quo, siue negationem subiecti; Respondeo distinguendo sequelam: sequeretur creationem non esse productionem ex nihilo essentiali, neque annihilationem destructionem in nihilum essentiale, concedo sequelam (Deus enim quando creat aliquid non facit vt id, quod prius contradictionem inuoluebat in suis prædicatis, seù dicebat repugnantiam ad existendum, postea non inuoluat illam, nec repugnet; neq; quando aliquid annihilat, facit vt id, quod prius contradictionem non inuoluebat, postea annihilationis beneficio illam inuoluat) sequeretur creationem non esse productionem ex *nihilo* denominatiue, & existentiali, neque annihilationẽ destructionem in nihilum item denominatiue, & accidentaliter sumptum, nego sequelam; Et distincta pari ratione minore; nego consequentiã; sufficit enim ratio nihili denominatiuè; hoc est existentialis ad conceptum creationis, seu annihilationis habendũ. ex hoc autem non sequitur formam ignis de nouo productam posse dici creari; quia dicta forma prærequirit, vt meretur, fieri ante cedentem dispositionem, & modis dispo-

sitioni-

Digitized by Google

sitionibus illam exigat; vnde non potest intelligi quod fiat ex nihilo. Ad confirmationem verò dico, quod essentia etiam si comparetur ad existentiam vt potentia receptiua ad actum improprium: ex hoc tamen non sequitur quod ipsa essentia non dicatur creari, sed solum sequitur ad summum, quod non possit dici creari existentia; hoc autem nihil continet absurdi, quia creatio est propria rei subsistentis. Iam verò existentia neque dicitur educi, quia non fit dependenter ab essentia præexistenti, quemadmodum propter eamdem rationem neque ipsa essentia dicetur mutari; nō enim in termino à quo transitus de non esse ad esse præsupponitur existere.

32 Obijcies quartò, hoc esse essentiæ si daretur ab æterno, vel necessarium esset, vel contingens; rursum, vel esset creatum, vel increatum; denique vel intra Deum esset, vel extra Deum reperiretur; nullum ex his dici potest; ergo non datur; Maior patet, quia diuisiones illæ entis realis communiter ab omnibus Philosophis recipiuntur. Minor verò probatur quo ad singula; non enim potest dici primum, quia nihil aliud præter Deum est ens simpliciter, & formaliter necessarium. Neque secundum quia id quod est contingens, á libera Dei voluntate dependet; sed esse essentiæ, si datur, non potest esse huiusmodi; non enim à libertate Dei pendere potest, quod homo sit animal rationale, vel quod lignum ex quatuor elementis componatur; Neque tertium, quia impossibile est quod aliquid prius quam creetur creatum sit; omnis enim creatio fuit in tempore; Neque quartum aut quintum dici potest, quia quidquid est increatum, & intra Deum, est idem cum Deo; Neque denique sextum, tum quia si essentia Antichristi V. G. esset, extra Deum, assignari posset vbi, & in quo loco esset, quod tamen falsum omnino est; tum etiam quia nihil est extra Deum independenter à libera eius voluntate.

33 Respondeo concessa maiore, negando minorē; ad cuius probationē Dico primò, essētiam creaturæ possibilis esse ens formaliter necessarium, sed differre à necessario Dei, tum quia Deus est necessariò existens; creaturæ verò essentia, licèt sit necessaria quantum ad connexionem prædicatorum positiuorum, vel quantum ad possibilitatem, contingenter tamen illi competit existentia; tum etiam quia esse Dei est independens ab alio: hæc verò est essentialiter dependens à Deo in genere exemplaris. Dico secundò illud esse essentiæ creaturæ posse dici creatum, in quātum nomine entis creati non solum venit omne quod existit dependenter à Deo, sed etiam omne id, quod vt existat indiget, dependere à Deo efficienter; posse etiam dici increatum priuatiuè, in quantum ita non est creatum, vt sit creabile, non autem substantiuè, siue positiuè; esse enim hac ratione increatum denotat perfectionem existentem cum exclusione dependentiæ ab alio, quæ soli Deo competere potest. Quare diuisio entis in creatum, & increatum, vt sit adæquata, sub ente creato debet comprehendi omne creabile, & sub increato id tantum, quod positiuè tale est; alioqui si creatum sumitur pro solo existente cum dependentia, diuisio non est adæquata, quia indiget tertio membro, quod comprehendit ens creabile. Dico tertio, quod dictum esse essentiæ creatæ quamuis si radicaliter sumatur, dici debet esse intra Deum, in quantum Dei essentia est eius causa, atque radix; tamen si sumatur formaliter, asserendum est esse extra Deum; extreitate tamen improprie dicta, quia esse extra aliud propriè dicitur de rebus existentibus quemadmodum de illis etiam affirmari potest esse in loco. Propriè igitur dicendum est, quod esse essentiæ creatæ possibilis non sit intra Deum; cum autem petunt: vbinam sit, respondendum est esse in ipsa Creatura, & hanc esse in se ipsa; cum verò replicant quod nihil sit extra Deum independenter à libera eius voluntate; distinguenda est propositio: & si quidem de eo, quod est extra propriè, cuiusmodi est solum ens existens, sermo, sit, concedi debet; sin autem de eo, quod impropriè est extra, propriè autem solum non est intra, cuiusmodi est ens essentiæ, absolutè neganda est. Et ratio huius est, quia sicuti tempus, situs, color, & figura: ita & locus non competit essentijs, nisi existentibus, quia facit illas tales, hoc scilicet tali, vel tali loco esse; quod non nisi de rebus existentibus verificari potest; sicuti esse in hoc, vel illo tempore, hoc, vel illo colore imbutas &c.

Obijcies quinto: si daretur hoc esse essentiæ 34
huc vsque propugnatum: sequeretur, quod creatura posset quasi contra Deum gloriari, quod ex se haberet aliquid independenter ab ipso Deo, & solum indigeret illo quantum ad modum quemdam existentiæ habendum; hoc autē videtur impium efferre. ergo &c. Respondeo negando sequelam; ratio negationis est, quia esse essentiæ creaturæ possibilis licet non sit dependens à Deo in genere causæ efficientis: est tamen dependens ab illo in genere exemplaris; pro quo sciendum est, quod prius quam intelligatur esse essentiæ creatæ possibilis, debet intelligi Deus, secundum suum esse absolutum, quod sit tantæ fæcunditatis, vt sit ratio multipliciter imitabilis ab alio; postea verò concipiendæ sunt creaturarum essentiæ habere quamdam rationem positiuam intrinsecam imitatiuā, & exemplatam, atque adeo causatam à Deo in genere causæ formalis extrinsecæ; in tertio autem signo intelligendus ipse Deus relatiue potens essentias illas producere; & in quarto ipsæ creaturæ ad dictam potentiam relatæ sub denominatione extrinseca producibiles atque possibiles. In secundo enim signo producibiles, & possibiles erant absolutè, seu fundamentaliter tantum, & per intrinsecam denominationem.

Instabis ex Ouiedo: implicat aliquid, quod 35
productum non est á principio effectiuo, ab aliquo tanquam ab exemplari dependere; sed esse essentiæ ab æterno non dependet ab efficiente; ergo neq; ab aliquo exemplari. Minor videtur certa, quia idea est id, ad quod respiciens agens operatur, & pertinet ad genus causæ efficientis. Respondeo distinguendo antecedens. implicat aliquid, quod productum non est à principio effectiuo, ab aliquo tanquam ab exemplari dependen-

Digitized by Google

pendere quantum ad existentiam, concedo: quãtum ad essentiam tantum, nego; sic concessa minore, nego consequentiam. Ad probationem minoris aio: non dici ad conuertentiam esse exemplar, & esse ideam; exemplar enim magis late patet; ad constituendam enim rationem exemplaris, sũ prototypi sufficit ratio imitabilitatis veluti influxiua, sed ad rationem ideæ requiritur, vt dicta ratio sit forma in mente existens &c. in ordine ad ponendum effectum à parte rei, vnde est, quod ratio ideæ diuinæ supponat essentias creaturarum iam possibiles ad existendum.

36 Instabis iterum; si creaturarum essentiæ haberent à Deo, quod essent imitatiuæ illius, non posset assignari disparitas, cur hoc esse imitatiuum non haberetur à chymæra; ergo &c: Respõdeo negando sequelam. Pro disparitate autem dico, quod dependentia essentiæ creaturarum ab essentia Dei consistit in eo, quod sint participationes illius, quatenus eminentissimè omnes illarum perfectiones essentiales in se continet, ita, vt si per impossibile illa repugnare, etiam ipsæ in se repugnantiam haberent; ex quibus sequitur entia chymærica non pendere ab essentia Dei tanquam ab exemplari, quia cum sint nihilũ non continentur in illa vt participationes: ibus quemadmodum enim prædicata hominis, ex eo quod non habeant repugnantiam radicalem inter se in essentia diuina: sequitur quod non habeant repugnantiam formalem intrinsecam in se ipsis: ita & prædicata chymeræ radicaliter in essentia diuina habent, quod inter se formaliter repugnent, nimirum propter oppositionem, quæ intercedit inter diuinam essentiam, & inter essentiam ipsius chymeræ; hoc enim ipso, quod diuina essentia est ratio imitabilis naturæ humana, & naturæ æquinæ tanquam naturarum cõpletarum, radicaliter opponitur possibiliter chimeræ, quæ constat ex dictis naturis tanquam partibus incompletis, ex quibus vna natura ipsius completa constituatur, & ideo chymera habet suam impossibilitatem per oppositionem ad naturam diuinam, quatenus imitabilem. Atq; ex his patet disparitas inter omnipotentiam, & essentiã Dei; essentia enim vt potè primũ ens, atq; adeo prima radicalis regula omnis entitatis, est id, vnde rerum essentijs dicta possibilitas emanare intelligitur.

37 Instabis tertiò: hoc esse actuale essentiæ fuit abæterno causatum à Deo tanquam à causa exẽplari; ergo fuit propriè, extra suam causam hoc est extra Deum in ratione exemplaris, quod paulo ante á nobis negatum est. Respondeo cõcesso antecedente: distinguendo consequens: ergo fuit extra causam suam, hoc est extra Deum aliquo peculiari modo extreitatis, concedo; absolutè, & simpliciter fuit extra causam suam, hoc est omni modo extreitatis, quo esse poterat extra illam, nego consequentiam; esse enim essentiæ rei producibilis esse potest extra Deum etiã in genere causæ efficientis, recipiendo ab illo existentiam; ideoque ab æterno non dicitur absolutè, & simpliciter fuisse extra Deum; sed tantum vno modo, & cum addito, sumendo scilicet Deum in genere exemplaris; in hoc autem sensu explicata nostra sententia neque Fidei neque rationi naturali est parum consona, sicuti putat Arriaga *loc. cit. sub num.* 23. quia ex vna parte sicuti ab æterno essentiæ non sunt extra Deum absolutè: ita verificatur, quod docet Fides nihil fuisse ab æterno extra Deum; ex alia verò ratio naturalis dictat id, quod est ipsa potentia, & indifferentia ad essendum, debere præsupponi ad ipsum esse.

Obijcies sexto: posse esse non importat aliquod esse actuale; sed essentiæ possibiles dicunt tantummodo posse esse; ergo nullum dicunt esse actuale. Respondeo distinguendo maiorem: posse esse non importat esse actuale essentiæ, seu nominale, nego maiorem; non importat esse actuale existentiæ, seu verbale, concedo; & sic distincta minore, nego consequentiam; quia essentiæ dicunt esse actuale nominaliter, cuius beneficio distinguntur inter se actu methaphysicè, scilicet secundum prædicata quidditatiua, nec non realiter realitate essentiæ: potentia verò physicè realitate existentiæ. 38

Obijcies septimo: essentia existentiæ quatenus est vltima actualitas cuiuscumque rei, non potest habere esse actuale, ante quam existat; ergo neque huiusmodi esse habuerunt cæterarum rerum essentiæ; consequentia patet ex paritate rationis antecedens verò probatur: tum quia, si essentia existentiæ, antequam existeret, habet esse actuale: existentia ipsa existeret ab æterno, & per consequens essentia cuiuscumque rei, respectu cuius ipsa existentia se habet vt actus, iam ab æterno fuisset existens; tum etiam quia in illo existere in actu exercito, quod denouo aduenit essentiæ existenti, quando res fit extra causas suas, posset adhuc distingui ratio essentialis, & existentialis, de qua rediret difficultas paulo ante facta, & sic procedendum esset in infinitum; ergo nequit existentia formaliter dicere ordinẽ ad existendum. Respondeo primo: *antecedens videri de subiecto non supponente etiam in sententia aduersariorum, qui, si dicunt existentiam habere suam essentiam: quæri potest ex eis, verũ* dicta essentia sit ens *nominaliter, an verbaliter*, seu quod idem est, potentiale, an actuale; si primum: præter quam quod existentia non opponeretur enti nominaliter, & sic diuisio entis latissime sumpti in potentiale, & actuale, nulla esset, quatenus vnum membrum contineretur in altero; iam in illo existere, quod denouo aduenit huic esse nominaliter, quando hoc fit extra causas suas, posset etiam distingui ratio essentialis, de qua rediret quæstio, & sic procederetur in infinitum; sin autẽ dicatur secundum contra est primo: quia ens verbaliter sũptũ opponitur enti essentiæ, sed existentiæ essentia per illos est essentia; ergo non est ens verbaliter. Contra est secundo quia essentia existentiæ per aduersarios non esset vltima actualitas, siquidẽ per illos, prius quam res creata existat, dicta essentia non est ens actuale, & sic vlteriorem actualitatem expectat, sed ens verbaliter est vltima actualitas; ergo &c. vnde fit, vt minus 39 40 41

minimè; quia hæc est id, quo rerum essentiæ existunt, sicuti dulcedo id, quo aliquid dulce est; quare quemadmodum dulcedo ipsa non dicitur esse id, quod dulce est, ita neque existentia id, quod potest existere; & sic pon essent mirum, si ratio formalis existentiæ non deberet poni ab æterno, sicuti ponuntur aliæ essentiæ, nam aliæ essentiæ sunt existentiæ susceptiuæ: atque adeo possibiles, & in se non repugnantes existere, nullum autem horum propriè de existentia verificari potest.

Respondeo secundo, quod quando loquimur de essentia existentiæ, de duplici essentia agere possumus; prima, quæ habeat suum esse actuale independenter ab actuali exercitio existendi, imò sub negatione illius, & hæc est ipsissima essentia rei V. G. Antichristi, ad quã existentia comparatur vt actus, per cuius esse nominale ipsa existentia prius quam Antichristus existat, constituitur potens existere; quod quidem esse est quidem intrinsecum ipsi essentiæ Antichristi, existentiæ verò extrinsecum. non enim est necesse supponere aliud esse nominale intrinsecum existentiæ rei, vt hæc dicatur possibilis, sed ad hoc sufficit solum esse essentiæ eiusdem rei. Hoc enim esse facit, vt ipsa res non repugnet existere: ita facit ne eius existentia repugnet, quæ se habet vt terminus illius non repugnantiæ, quæ includit esse nominale proprie dictum; vnde quando asseritur, quod essentia existentiæ Antichristi nunc sit possibilis, quodque sit radicale principium essendi actu, & quod non habeat repugnantiam ad existendum, proprius, & verus sensus est, quod essentia ipsa Antichristi sit possibilis per ordinem ad existentiam, & quod eadem essentia illius non repugnet, & sit radicale principium recipiendi in se ipsam existentiam; ita vt dicta prædicata quasi per denominationem extrinsecam de existentia verificentur.

Ratio huius rei est, quia totum esse intrinsecum existentiæ consistit in esse verbali formaliter accepto, atque adeo in actuali exercitio ponendi esse nominale rerum à parte rei, & extra causas; ita, vt esse nequeat nisi faciat actu existere; at verò esse essentiæ habetur antecedenter ad actuale exercitium existendi per ordinem tamen ad illud; & hinc fit, vt habitudinem dicant inter se, atque respectum similem illi, qui inter materiam, & formam reperitur, vt quemadmodum actus materiæ essentialiter est forma, & subiectum formæ non est, nisi materia, & neutra per se sumpta resolubilis est in duas partes, quarum vna se habeat vt materia, altera vt forma; ita actus existentialis essentiæ est essentialiter existentia, & actus essentialis existentiæ non est alius, nisi essentia, & neutra per se sumpta resolubiles est in duos conceptus distinctos; quorum vnus sit essentiæ, alius verò existentiæ, & hoc non nisi propter oppositionem, quæ inter duos hosce conceptus intercedit, quorum vnus est essentialiter vlterius complebilis, alter verò vltimo completiuus.

Alia essentia quam considerare possumus in existentia, est illa, quæ consistit in ipso esse verbali formaliter sumpto, & in ipso exercitio constituendi essentias à parte rei, Hanc non habet existentia, vt vidimus, nisi quando actu ponit res extra causas suas, nam verò si argumentum loquitur de essentia existentiæ primo modo sumpta, non est ad rem; nego enim antecedens, & ad eius probationem dico huiusmodi essentiam existentiæ distingui realiter ab ipsa existentia, atque adeo non sequi, quod si vnum est ab æterno, sit etiam aliud; ad secundam verò dico, quod existentia actualis non potest in essentiam, & existentiam distingui, alioquin non erit vltimus actus essentiæ; sin autem argumentum loquitur de essentia existentiæ posteriori modo sumpta, concesso antecedente, nego consequentiam; disparitatis verò ratio est, quia essentia existentiæ intrinseca est ipsissimum esse verbale exercitum formaliter acceptum illius, & sic non habetur in ea esse nominale distinctum, quod esse possit ab æterno; At verò essentia cæterarum rerum posita est in esse nominali à verbali distincto, & sub eius negatione perseuerare valens.

SECTIO QVINTA.

Quomodo distinguantur inter se eiusdem rei essentia, & existentia.

LOquimur de essentia indiuidua, non quando adhuc est in statu possibilitatis, sed quando est sub actuali existentia; siquidem auctores, qui existimant rei essentiam nullum prorsus habere esse ante sui productionem, consequenter respondent eam tunc ab existentia distingui realiter priuatiuè tamquam non ens ab ente; quia volunt de nouo in tempore produci totam entitatem tum essentiæ, tum existentiæ; sed quæstio præsens procedit de essentia, quando est actualiter extra omnes suas causas, de qua quærimus quomodo ab existentia, per quam redditur formaliter existens, distinguatur.

Et quidem prima sententia censet non distingui realiter, ita Alensis, Gabriel, Durandus, Ariminensis, Herueus, Henricus, Aquilinus, & alii quos sequuntur Suarez *in met. disp. 31. sect. 6. num. 16.* Vasquez *in tertiam partem disp. 72. cap. 2.* Hurtadus præterea, Arriaga, Oniedus, & recentiores communiter, quos citat, & sequitur Comptonus *disput. 5. metaph. sect. 1. num. 4.*

Secunda verò sententia realem distinctionem inter essentiam, & existentiam creaturarum agnoscit, dixi primo realem distinctionem, non illam, quæ est inter rem, & rem, sed illam, quæ est á parte rei nemine cogitante; addidi secundo creaturarum, quia extra controuersiam est duo hæc in Deo esse idem realiter, & hoc vel propter infinitam diuinæ naturæ perfectionem, qua omnia, quæ in ea sunt, sibi identificat, vel propter rationem deitatis, quæ esse existentiæ quidditatiuè, & essentia-

liter inuoluit. In hac autem secunda sententia est sine controuersia S. Thomas *secundo contra gentes cap.* 12. *& de ente & de essentia cap.* 5. *& opus* 6.30. *& 69. & qualibet. secundo art.* 3. *& alibi sæpe*, quem omnes fere Thomistæ sequuntur, inter quos est Capreolus *in primo dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Aegidius item *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 4. *art.* 1. Caetanus *de ente, & essentia cap.* 5. *quæst.* 11. Ferrariensis *secundo contra gentes cap.* 12 *& ex nostris* Fonseca 4. *met. cap.* 2. *quæst.* 4. *sect.* 2. Pererius *lib.* 8. *cap.* 14. Mazziotta *tom.* 1. *quæst.* 15 *sect.* 99. *à num.* 353. Maurus *lib.* 2. *quæst. physol. quæst.* 6. Albertinus *in prædic. subst. disp.* 2. *quæst* 2. Molina *p. p. quæst.* 3 *disput.* 2. Conimbricenses 1. *phys. cap.* 9 *quæst.* 6. *art.* 2. his adde Scotum *in primo dist.* 6. *quæst.* 1. cum Scotistis, qui licet quantum ad explicandum distinctionis actualis gradum discedant à Thomistis, & à reliquis, conueniunt tamen in eo, quod existiment essentiam distingui actu à parte rei, & plus quam ratione ratiocinata ab existentia, per quam existit, vt mirum sit duas hasce doctissimorum virorum scholas in reliquis inter se alioqui contrarias, in hac sententia conuenisse. Cum his igitur sit.

45 Nostra conclusio. Essentia, & existentia in rebus creatis plus quam ratione, atque adeo realiter in sensu explicato inter se distinguntur. Probatur primò ex Aristotele 2. *post. text.* 7 vbi ait: Quid autem est homo, hoc est essentia hominis & esse hominem, hoc est eius existentia, aliud est; & paulo post: Ipsum autem esse nulli est substantia *secundo vero de anima* dicit, quod aliud est esse carnem, & aliud carnis esse, & *tertio de anima tex.* 9. aliud esse magnitudinem, & aliud magnitudinis esse. Quibus verbis patet Philosophum voluisse essentias, & existentias rerum esse aliud, & aliud, hoc est realiter inter se distingui; quamuis enim dictæ auctoritates ab aduersarijs explicari quoquo modo possint de distinctione rationis: certum tamen est eas maxime sententiæ nostræ fauere; siquidem in illis absolutè semper loquitur Philosophus, & nullibi limitationem aliquam apponit; ea verò tantum absolutè loquendo distinguntur, quæ distinguntur realiter; rationis enim distinctio est solùm distinctio secundum quid & cum addito. Et ratio huius rei esse potest, quia propositiones, quibus asseritur, quod duo sint aliud, & aliud, seu quod inter se distinguantur, licet quo ad modum significandi, & logicè sumptæ affirmatiuæ esse videantur, tamen quo ad rem significatam, & metaphysicè acceptæ sunt negatiuæ, quia multitudo formaliter, & completiuè sumpta per negationem identitatis vnius cum alio constituitur. Quoniam verò negatio est malignantis naturæ, per eam propositionem, in qua duo absolutè, & sine vlla limitatione aliud atque aliud esse dicuntur, negatur de illis omnis identitas absoluta, realis scilicet; quemadmodum ad hoc vt cæcitas affirmetur de Alexandro, cum veritate absolute loquendo neque essentialiter, neque accidentaliter illi visus competere debet.

46 Probatur secundò nostro celebri principio alibi demonstrato quod sumitur ex Aristotele 7. *top. cap.* 5. *circa finem*, quotiescumque duo ita se habent, vt vnum possit esse sine altero, toties illa duo realiter, seu plusquam ratione inter se distinguntur; sed essentia cuiuscumq; rei creatę ab existẽtia separari potest; ergo &c. minor probatur tum quia essentia habuit suum esse actuale nominaliter ab æterno, & de nouo *in* tempore acquisiit existentiam: & rursum acquisitam iam potest illam deperdere, & cũ eius negatione coniungi; tũ etiã quia nisi essentia creata potuisset ab existentia separari, per totam æternitatem debuisset existere atq; adeo esset ens simpliciter necessariũ, eus inquã verbaliter, & non solum nominaliter sumptum, hæc autẽ absurda sunt; ergo &c.

Confirmatur quia si essentia hominis V. G. 47
fuisset ab æterno per realem coniunctionẽ cum sua existentia realiter coniuncta, extitisset sine dubio ab æterno; multo igitur magis ab æterno debuisset existere si fuisset cum eadem identificata, siquidem identificatio est coniunctionum omnium maxima, ac perfectissima.

Neque dicas existẽtiã in tua sententia idẽ- 48
tificari cum essentia actuali, & non cũ essentia possibili, atq; adeo argumẽtũ contra te non habere vim; Nè id dicas inquam, quia actualis essentia est eadẽ numero cum possibili; idẽ enim numero Antichristus, qui nunc possibilis est, erit pro sua differẽtia tẽporis existens, & non alius si igitur existens cum sua existentia identificaretur, etiã possibilis deberet cũ illa idẽtificari, & per consequens eius rationẽ formalẽ participare, atq; adeo ab æterno existere, & esse extra causas suas, & quidẽ necessariò. Rectè igitur D. Thomas *de ente, & essentia cap* 5. *& 2. contra gentes c.* 52. *& p. p. qu* 3. *art.* 4. ex indistinctione existentiæ ab essentia creata intulit tanquã absurdũ illimitationem, & infinitatẽ eiusdẽ existentiæ; cuius illationis vis in eo posita est, quod scilicet nisi existẽtia esset actus receptus, & per cõsequens nõ esset plus quã ratione *distinctus* ab essẽtia, sequeretur, quod non *esset ab illa separabilis*, & sic necessariò, & *independenter ab* alio ei cõpeteret; quẽ *admodũ Deitati propriũ* competit existẽtia; esset igitur existẽtia creaturæ illimitata, atq; infinita, hoc autẽ ne dicere cogamur, asserere debemus quod sicuti ex limitatione creaturæ oritur, quod nõ identificatur cũ cæteris suis actibus V. G. cũ actu currendi, intelligẽdi, volẽdi &c. ita multo magis quod á suo actu essendi nemine cogitãte distinguatur.

Probatur tertiò: essentia aliquando est *in po* 49
tẽtia ad existẽdũ; ergo essentia, & existentia plusquam ratione distingũtur. Antecedens patet, probatur consequẽtia, quia nihil est in potẽtia ad se ipsum, homo enim nequit esse in potentia ad essendũ hominẽ, neq; *lignũ* ad essendum lignum; Neque dicas *principium* hoc esse verũ de potentia *subiectiua*, quia verè nihil potest recipere se ipsum, non autẽ verum esse de obiectiua potentia, siquidẽ tota illa entitas creaturæ, quæ erat in potentia obiectiua creantis potest actu esse extra illam, & per consequens esse hoc modo in potentia ad se ipsam; Ne id dicas, inquã, quia á nobis dictum principium de potentia subiectiua vel quasi subiectiua, & non de obiectiua vsurpetur; essentia enim

crea-

Digitized by Google

SECTIO SEPTIMA.

Proponuntur, & solvuntur quædam hæreticalia.

OBJICIES primò: Aristoteles, & cæteri, ait: quidem sunt homines, & ego homo; ergo per Philosophum existentia hominis (cum bene sicut homo) est eadem realiter cum eius essentia. Eadem quæcumque, inquit, eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, sunt unum, & idem: ergo essentia, & existentia se habent; ergo &c. Respondeo Philosophum priori loco velle solum hominem possibilem, & existentem non differre inter se essentialiter, & individualiter: quia existentia dicit tantum actualitatem, non tamen constituit illam in alia specie, seu in alia ratione formali, & tantum eam, quæ erat in potentia, eam transitionem assumit; imposterum verò loco dicto sumagere de rationibus formalibus; omnibus inest compositionem ex essentialibus, & existentialibus, quia &c. Eadem ratione non possunt essentia, & existentia; sed bene animal, & rationalitas in homine. Unum, cum quod eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, sunt unum, & idem: ergo essentia, & existentia sunt unum, & idem.

Objicies secundò: quædam alia eiusdem Philosophi loca, quibus asserit Angelos esse ab æterno, non esse substantias separatas, sed materiales, & compositas ex materia, & forma, quæ materia sit ipsa substantia spiritualis, & forma sit ipsa essentia, seu quidditas, quæ sit in potentia ad existentiam, quæ actus sit, & perficiat materiam, & formam, ut sic constituant unum ens per se, & non per accidens. Ergo mente primi Philosophi loquendo, ut solum essentia, & existentia sunt unum, & idem, & non distinguuntur realiter, sed solum ratione, & secundum quid, & non simpliciter, & absolutè, sive in concreto, sive in individuo

o ordine ad corruptionem, qua docet Angelus carere. Ad tertium verò aio, ideo Intelligentias dici statim esse vnum quid, quia vnitatem suam non sumunt per ordinem ad materiam, quemadmodum sumunt illam formæ substantiales. Ideo verò dici statim esse ens, quia existimantur dictæ intelligentiæ ab eodem Philosopho esse entia necessaria; & hinc fit vt quando illis negatur causa, ex interpretatione D. Thomæ, negetur solum causa formalis propria; & efficiens, non quæcumque, sed illa, quæ per transmutationem materiæ de vno esse in aliud illas produxerit.

95 Obijcies tertiò, quando extrema in aliquo constituto existunt vnica existentia, tunc ratione ratiocinata tantùm inter se distinguuntur. sed in casu nostro essentia, & existentia existunt per vnicam, eandemque existentiam. ergo &c. Minor patet; Maior verò probatur; non enim assignari potest aliud signum distinctionis rationis ratiocinatæ, præter illud.

96 Respondeo, maiorem ad summum esse veram, loquendo de extremis illis, quæ ambo existunt denominatiuè, & subiectiuè. Dico, ad summum esse veram, in hoc sensu, quia in nostra sententia, in qua volumus materiam, & formam existere per vnicam existentiam, est etiam in hoc sensu falsa. At si sermo sit de extremis, quorum vnum existit denominatiue, vt est in casu nostro essentia; alterum verò formaliter, seu vt quo, quemadmodum est existentia, negari debet maior; & ad eius probationem dicendum, quod signum distinctionis rationis ratiocinatæ est, quando ea, quæ distinguntur, vel sunt vna formalissima ratio ex parte obiecti diuerso modo concepta, vel si sunt duæ, ita veram adæquatam essentiam constituunt, vt præcisè per hoc neutra possit produci, & corrumpi absque alterius productione, & corruptione; quare si duo ita se habent, vt vnum indispensabiliter pendeat ab alio, non sequitur, quod sint realiter indistincta: quia non præcisè per vnitatem inseparabilis sunt modo dicto. iam verò in casu nostro essentia præterquam quod fuerit ab æterno sine existentia: potest per aliam actionem produci ex existentia, vt vidimus in Physicis cum de materia prima.

97 Obijcies quartò: Ideo dicimus essentiam creaturæ, & eius existentiam esse realiter inter se distincta, quia creatura est indifferens ad existendum & non existendū. sed hæc indifferentia potest etiā ipsi existentiæ conuenire (siquidē existentia aliquando est, aliquādo verò nō est) ergo debet esse realis distinctio inter existentiam, & inter suum existere actu. sed hoc est impossibile: siquidem idem omnino argumentum posset fieri de ipso existere actu; & sic procedi in infinitum; quemadmodum igitur existentia existit se ipsa, ita se ipsa existere debet essentia, atque adeo cum sua existentia identificari. Ita fere Arriaga tertio quoque verbo *disput. 2. sect. 2. sub n. 3.*

98 Ad hoc argumentum respondeo dupliciter, & primò quidem distinguendo causalem illam; ideo dicimus essentiam creaturæ, & eius existentiam realiter distingui, quia creatura est indifferens ad existere tanquam ad aliquid de nouo aduenies suæ essentiæ ex intrinsecis suis potenti existere, concedo; tanquam ad aliquid, quod formaliter sit ipsa essentia, nego. & sic distingo minorem: indifferentia hæc potest competere existentiæ, ita vt ipsa existentia sit formaliter se ipsa in actu, concedo; ita vt sit in actu per rationem aliquam præsupponentem in ea intrinsecam potentiam, & indifferentiam ad existendum, & non existendum, nego minorem, & consequentiam. existentia enim quàtus secundùm esse conceptum sit indifferens ad esse in actu exercito, & ad non esse: quia tamun rationes formales, quæ faciunt tale, non debent fieri tales per alias rationes formales, sed se ipsis; idcirco existentia non debet existere per aliam existentiam; sicuti neque actu fieri per aliam actionē; & hinc fit vt ipsum exercitiū existendi nō distinguatur ab ipsa existentia; sed distinguatur ab essentia, cuius potētia ad existendum non solùm denominat intrinsecè ipsam potentē existere, sed etiā extrinsecè eius existentiam, quæ licet per se ipsam sit contingens, atque adeo per se ipsam possit esse, & non esse; impossibile tamen est quod in se ipsa habeat potentiam ad essendum se ipsam.

99 Instabis ex Ouiedo *Controu. 2. punct. 2.* indifferentia, quam habet existentia ad essendum in actu exercito, & non essendum, non infert distinctionem realem inter eius essentiam intrinsecam, & eius actuale exercitium existendi, ergo neque in homine dicta indifferentia infert eius essentiam distingui ab existentia. Respondeo primò: si argumentū hoc valeret, conuinceret, indifferentiam, quā habet homo ad essendum loquentē, & non loquentē; & nō videtē, & videtem &c. non inferre distinctionē inter se, & suā loquutionem, visionem &c. eo quod indifferentia, quam habet loquutio ad essendum, & non essendum, non infert eam à se ipsa distingui; sicuti neque indifferentia, *quam habet visio*, & similes formæ. Respondeo *secundò directè* negando consequentiam. *Disparitas est, quia* essentia hominis non consistit in esse verbali, sed in nominali tantummodo, quod se habet per modum subiecti indifferentis respectu negationis existentiæ, quando homo non existit, & ipsius existentiæ, quando homo existit. At verò essentia intrinseca existentiæ in esse verbali tantùm ponitia est; quod quando non est, habetur in rerum natura eius negatio, quæ quidem negatio, quando essentia hominis V. G. transit de non esse ad esse, non quidem conuertitur in existentiam, sed se habet vt mere terminum à quo transitus eiusdem essentiæ. Hoc autem dici nequit de ipsa essentia, quæ cum habeat rationem primi subiecti, nō supponit aliud ante se, sed ipsa per se ipsā esse debet per sua prædicata quidditatiua potēs recipere actū existentiæ.

100 Secunda responsio ad obiectionem principalē est per negationem *minoris*; Ratio est, quia nihil est indifferens ab aliqua duo, quorum alterum est sui ipsius essentia: esse autem actu seu existere vt quo competit essentialiter ipsi existentiæ, quemadmodum *igitur, quia esse* essentiæ est de conceptu essentiali *ipsius* essentiæ sequitur, vt dicebamus

cebamus, quod essentia non habeat indifferentiã ad illud habendum; ita & existentia ad essendũ actu, quia essentialiter est vltimus actus.

61 Instabis: ab æterno fuit verum dicere, quod existentia Antichristi sit possibilis, sit modus naturæ, & sit vltima essendi actualitas; ergo ab æterno habet aliquod esse, ratione cuius sit indifferens ad existendum, & non existendum; Respondeo existentiam Antichristi dici ab æterno possibilem non per ordinem ad habendum aliquem actum, quo abæterno careat, quemadmodum dicitur possibilis eiusdem Antichristi essentia, vti supra notauimus; sed primò dici possibilem possibilitate essentiæ ad ipsam terminata, vt diximus; secundò possibilitate respectiua, in quãtum ab æterno actu est in sua causa. tertiò possibilitate, quæ sit formalissime eadem cum ipso actuali exercitio faciendi existere; Et hæc quantum ad primam partem antecedentis: distinguo postea secũdam, quod scilicet ab æterno verum fuit dicere existentiam esse modum essentiæ, & vltimam rerum omnium actualitatem: ita vt illud esse importet aliquod esse nominale distinctum ab esse verbali, nego: ita vt illud esse importet ipsissimum esse verbale, quod consistit in actuali exercitio modificandi essentiam, & illi vltimam actualitatem tribuendi, concedo. Et sic nego consequentiam; in tantum enim Antichristi essentia habet ab æterno aliquod esse, ratione cuius sit indifferens ad existẽdum, quia existentia non est de eius quidditate; possum enim essentiam Antichristi bene percipere, & illam scire, absque eo quod aliquid de eius existentia intelligam; hoc autem dici nequit de ipsa existentia, vt de se patet; Et hinc apparet lata disparitas inter essentiam & existentiam quantum ad esse ab æterno; quia si huiusmodi esse tribuatur existentiæ per hoc, quod possit esse, & non esse, datur processus in infinitum; at ex eo quod tribuatur essentiæ nõ sequitur dari huiusmodi processus.

62 Obijcies quintò: inter essentiam, & existentiam nulla est realis compositio à parte rei; ergo nulla realis distinctio; Consequentia patet, quia realis compositio aliud nihil est, quam duorum distinctorum vnio; Antecedens verò probatur, quia ad realem compositionem efficiendã requiruntur extrema ex vna parte ambo actualia; ex alia verò quorum vnum non sit constitutum, seù compositum intrinsecè ex altero extremo, alioquin idem erit totum, & pars; atqui essentia in dicta compositione vel non est actualis, vel si est, includit alterum compositionis membrum, quod est existentia; ergo &c.

63 Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem concessa maiore, nego minorem; fusè enim supra probatum est rerum essentias antecedenter ad existentias habere esse actuale essẽtiæ in se ipsis. Quod si in argumento sermo sit de esse actuali existentiæ, potest etiam concedi Maior, & negari Minor; essentia enim etiam vt distincta ab existentia potest dici existens, & actu, non quidem per se ipsam formaliter, sed per existentiam à se distinctam; ad eum fere modum quo substantia materialis etiam vt distincta à quantitate, colore &c. est quanta, & colorata, non se ipsa, sed per quantitatem, & colorem à se distinctum, seu, quod idem est, denominatiue non autem formaliter. Iam verò sufficit hanc actualitas ad realem compositionem habendam, & non requiritur alia maior, vt patet in simili; nam corpus verè cum colore componit coloratum, ita vt ipsum sit denominatiuè tale; color verò sit tale formaliter. Cæterum, sicuti ad componendum coloratum sufficit, si corpus antecedenter sit subiectum colorabile, & color actus reddens ipsum corpus coloratum: ita in casu nostro sufficiens erit vt essentia sit existibilis, existentia verò actus reddens illam formaliter existentem. Quod si quæras num ad hanc compositionem faciendam requiratur vnio Respondeo affirmatiuè, dummodo nõ sit disiuncta ab extremis, vt suo loco vidimus. Neque dicas vnionem prærequirere extrema actualia; quia hoc verum est de ea vnione, quæ non est via ad reddendum vnum extremum actuale, sicuti est illa de qua loquimur. huic enim satis est supponere dictum extremum actuabile, seù existibile; sicuti quantitas supponit subiectum suum extendibile.

64 Instabis: illud quod resultat ex compositione, & vnione duorum, vel est vnum per se, vel vnum per accidens. sed id quod ex compositione, & vnione essentiæ; & existentiæ resultat, neutro modo est vnum. ergo &c. Maior patet. Minor probatur, non potest dici quod sit vnum per se, quia existentia accidit essentiæ, vt docet Hilarius *sexto de Trinit.* & recte id quidem; adest enim, & abest absque eius destructione essentiali. Neque potest dici, quod sit vum per accidens, quia essentia creata existens potest esse terminus generationis substantialis, quæ non potest habere pro termino suo adequato nisi aliquod substantiale, quod sit vnũ per se. ergo &c.

65 Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem dico, illud, quod resultat ex essentiia substantiali, & existentia verè esse vnum per se propter rationẽ in argumento adductã. Ad probationẽ verò in contrariũ dico, existentiã dici accidens essentiæ lato modo, sicuti etiam dicimus accidens materiæ primæ forma substantialis; non quod propriè ex intrinsecis suis sit accidens, sed per quandam similitudinem, & proportionem; quatenus, sicuti accidens est extra rationem subiecti, ita existentia est extra rationem essentiæ; ex eo autem quod adsit, & absit absque essentiæ corruptione, solùm sequitur quod logicè tantum, & ex modo prædicandi naturam accidentis imitetur; cum quo fiat quod ex suis intrinsecis sit actualitas quædam substantialis; vnde non est mirum si ipsa in huiusmodi cõpositione sè habeat vt actum, essentia verò vt potentiam, non quidem puram, sicuti est materia prima, sed impuram, quia includit in se actum determinatiuum ad essentiam completam vt de se patet.

66 Obijcies sextò: si essentia ab existentia distingueretur, in omni generatione darentur duo termini totales, & duo composita, alterum ex materia, & forma, alterum ex essentia, & existentia constans; sed hoc videtur contra Aristotelem, qui vnicus motus vnum

ad

esse terminum dicamus ergo &c. Respondeo compositum ex essentia, & existentia vt sic non esse proprium terminum generationis, neque dici simpliciter generari; hoc enim proprium est solius compositi ex materia, & forma; quæ tanquam pars essentiæ præsupponit alteram comparatem. Aut loquamur de composito physico, neganda est maior; quia compositum ex materia, & forma non potest concipi habere rationem termini generationis, nisi imbibitam habeat existentiam, vt enim docet Aristoteles generatio est progressus de non esse ad esse non quidem essentiale, sed existentiale, vt de se patet.

SECTIO SEPTIMA.

Reliqua dubia omnium terminata concluduntur.

67 OBijcies septimò: si non esset nostra sententia: deberet vnique existenti præcipi ipsam essentiam; sed hoc est falsum; ergo &c. Sequela patet. Minor verò probatur quia sic Gabrielis existentia vt Gabriel esset dependenter ab eiusdem essentia, atque adeo tolleretur concursus creationis Gabrielis; non enim fieret ex nihilo. Ita fere Arriaga *loco citato*. Respondeo hoc argumentum, vt diximus in physicis, ad summum conuincere existentias non posse creari quod nobis vltro concedimus; siquidem possent creari proprium esset earum subsistentium. Addo tamen, quod licet dicta Gabrielis existentia non creetur dici potest non creari; ad conceptum enim totius creationis sufficit, vt res illas quæ concreari dicuntur ad productionem alicuius terminus producatur, vt existentiæ fabricatæ nimirum fiat. Vbi obijcies existentiam non esse proprie formam; hoc enim nomen solæ essentiæ perfectæ competere solere; non posse dici proprio, quod fiat dependenter a subiecto; & sic neque quod concreetur; benè tamen quod sit vltima actualitas essentiæ quam in se recipiat, non quod subiectum recipiat accidens, sed sicuti materia prima formam substantialem.

68 Obijcies quarto: admissa distinctione a parte rei inter essentiam substantiæ, & eius existentiæ; deberet etiam admitti inter existentiam, & existentiam illius actionis per quam substantia producitur; sed hoc videtur absurdum. ergo &c. Sequela patet paritate rationis. Minor verò probatur quia existentia actionis, & eius essentia realiter distinguerentur; danda esset alia actio, per quam dicta actionis essentia sub propria existentia produceretur; non enim esset maior ratio, cur ad priorem compositionem ex essentia substantiæ, & existentia detur actio, non autem detur ad hanc posteriorem. Iam verò de hac secunda actione eadem argumenta posset fieri, quod probaretur per aliam actionem secundam ad existentiam huius essentiæ sub debita proportione; & sic admitteretur esse processus in infinitum.

69 Respondeo dari maiorem, negando minorem; ad cuius probationem nego [illegible] negationis est quia actio est essentialiter actio vnde non indiget alia actione, ad hoc, vt essentiæ existentia coniungatur, sed se ipsa agens actione sub illa constituitur, ad eam plane modum quo existentia existit se ipsa; Aliquin ad actionem concedendam esset actio, vt benè inferet obiectio quod est impossibile.

70 Obijcies nono: essentia constituitur in esse actuali per existentiam, sicuti dulce in esse dulcis per dulcorem; ergo sicuti dulce non distinguitur a dulcore, ita neque essentia alijs ab existentia. Respondeo, quod sicuti dulce fieri potest tripliciter primo quidem concretiue, pro vt aqua primo dicit formam, aq; subiectum secundo verò formaliter, pro vt dicit solam formam: tertio autem materialiter, quo pacto importat subiectum ipsum dulcedinis; & quidem primo modo sumatur, distinguitur realiter inadæquatè ab ipsa dulcedine; sin autem secundo est ipsissima dulcedo; si verò tertio, realiter adæquate ab ea quam in se habet, distinguitur: ita essentia existens totidem modis vt supra potest; & totidem distinctionibus ab entitatibus ab existentia distingui; a nobis autem cum dicitur distingui realiter, sumitur tertio modo, hoc est materialiter, seu pro subiecto, quod denominatur existens.

71 Obijcies decimo: non potest existere essentia sine existentia; ergo non distinguitur realiter ab illa. Respondeo primo quod licet essentia non possit existere sine existentia, potuit tamen habere suum esse essentiæ ab æterno absque eo, quod cum actu existendi coniuncta fuerit; vnde concesso antecedente, nego consequentiam.

72 Respondeo secundo distinguendo antecedens: essentia existere nequit sine omni existentia concedo; si quidem existere est effectus formalis illius existere nequit sine hac vel illa existentia, nego antecedens; defacto enim natura humana Christi Domini in sententia Sancti Thomæ existit non per propriam existentiam, sed per existentiam verbi, & materia per nos sine hac, vel illa forma, atque adeo sine hac, vel illa existentia; ad realem autem distinctionem hoc tantummodo sufficiens est; quare nego consequentiam; pro cuius negationis certitudine aduerte, quod licet verum sit, vt quando vnum existere potest sine alio, constet illa duo realiter inter se distingui: falsum tamen est absolute loquendo, quod si vnum non possit existere sine alio, tunc illa duo realiter identificentur; personæ enim diuinæ realiter inuicem distinguuntur; & tamen certum est vnam sine alia existere non posse; sic etiam indiuisibilia distinguntur realiter a quantitate, nec tamen possunt etiam per absolutam Dei potentiam secundum aliquos existere separata.

73 Obijcies vndecimo: si existentia, & essentia creata distinguuntur, vel producuntur per vnicam actionem; vel per duplicem; neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet; Minor probatur non posse dici, quod per vnicam; quia vnius actionis vnus debet esse terminus; neque per duplicem; quia de illa actione, quæ ad essentiam terminatur, quæri potest, vtrum det aliquod esse ipsi essentiæ, nec ne; non potest dici

Digitized by Google

dici, quod non det: quia omnis actio essentialiter ordinatur ad dandum esse; igitur debet dici, quod det; tunc sic: vel hoc esse est distinctum, vel indistinctum ab ipsa essentia: si primùm datur processus in infinitum, vt de se patet; si autem secundum; ergo iam existentia identificatur cum essentia.

74 Respondeo concessa maiore, & ad minorem dico essentiam, & existentiam produci per vnicam actionem, si aliunde non obstet; ad id autem, quod contra hoc asserebatur, dico, quod vnius actionis vnus est terminus vt quod, non autem vt quo; terminus autem vt quod est ille, qui constat ex essentia, & existentia; dixi (si aliunde non obstet) quia si essentia transit ex vna ad aliam existentiam non dicitur proprie produci, quia ad conceptum productionis temporaneæ requiritur transitus de non esse simpliciter ad esse simpliciter.

75 Obiicies duodecimò essentia creata est realis ex se; sed inter constitutiua realitatis numeratur existentia; ergo essentia creata existit ex se, & non per aliquod distinctum est existens. Consequentia patet. Maior verò probatur: quia essentia creata ex se habet, vt distinguatur à chymæra, quæ fictitiam habet essentiam; & Minor suadetur: quia non nisi id, quod actualiter est, dici potest esse realiter. Respondeo supponendo duplicem dari realitatem vnã essentialem, alteram existentialem, prior deriuatur á nomine, res rei: posterior ab eo, quod intelligimus, cum dicimus á parte rei. Suppono item dari duplicem actualitatem vnam pro nenientem ab actu essentiæ, alteram ab actu existentiæ; quo posito distinguo maiorem: essentia creata est realis ex se realitate essentiali, concedo: existentiali, nego; sic distincta minore nego consequentiam. Ad probationem maioris dico essentiam creatam per realitatem essentiæ distingui à chymæra, quatenus includit prædicata inter se connexa, & proportionata, quæ inferunt non implicantiam, quod non habet chymæra. Et ad minorem aio non nisi id, quod actualiter est, dici posse esse realiter, dummodo sumatur realitas, & actualitas in eodem sensu, non autem indiuerso; siquidem id, quod est actu actualitate essentiæ potest non existere, & per consequens non esse à parte rei.

76 Obijcies decimatertiò: non potest assignari quo genere distinctionis essentia, & existentia à parte rei distinguantur; ergo sola ratione distinguntur. Consequentia patet. Antecedens probatur: non enim potest dici, quod distinguantur realiter distinctione reali rigorosa, quia hæc datur solum inter extrema, quæ ambo sunt res, cuiusmodi non est existentia, quæ nõ ponitur in recta linea prædicamentali; neque formaliter: tum quia hæc distinctio non datur, tum etiam quia: si datur, ea est solum inter plures formalitates vnam essentiam constituentes; neque denique modaliter: quia non est modus essentiæ; modus enim supponit subiectum in actu, multo magis, quam accidens, quia est illo ignobilius; at existentia est actualitas, à qua habet essentia, quod actu sit.

Respondeo negando antecedens; & dico: quod modaliter distinguantur; eo, quod existentia cum consistat in actuali exercitio, quo reddit essentiam actu existentem, est verè modus illius. Ad probationem in contrarium, nego omnem modum supponere subiectum suum in actu existentiali; quod si hoc habet omne accidens, est: quia accidens non consistit in actuali exercitio, quo subiectum afficiat; quamuis autem modus accidentalis sit ignobilior accidente; at non modus substantialis, qui extrahit formaliter essentiam à statu possibilitatis ad statum actualitatis. 77

Obijcies decimoquarto ex Arriaga *loc. cit. num.* 54. nihil potest fieri ens intrinsece formaliter per aliquid á se distinctum; sed essentia per existentiam fit formaliter in actu, vt patet; ergo non distinguitur à parte rei ab illa; Minor, & consequentia patent. Maior probatur: quia vel illud, quod recipit existentiam vt adæquatè distinctam ab illa est ens, vel non: non secundum, alias non posset recipere realiter ipsam existentiam; ergo primum; & sic existentia, quæ dat essentiæ esse ens, non distinguitur ab illa. Respondeo distinguendo maiorem: nihil potest fieri ens intrinsecè nominaliter per aliquod á se distinctum, concedo; nihil potest fieri ens intrinsecè verbaliter &c. nego maiorem; & sic distincta minore, nego consequentiam. Explico distinctionem: ens nominaliter constituitur per esse essentiæ; implicat autem, quod aliquid essentiam suam habeat formaliter ab alio; nam de ratione essentiæ est, quod sit prima radix omnium, quæ sunt in re, porrò non esset huiusmodi, hoc ipso, quod haberetur per formam distinctam; eo quod illam habens, atque recipiens præsupponeretur ad illam; implicat igitur, quod res fiat ens nominaliter ab alio tanquam a forma; at verò ens verbaliter constituitur formaliter per esse existentiæ, quæ est vltimus actus rei, atque adeo de sua ratione formali est præsupponere rem habere sua prædicata essentialia; vnde bene potest intelligi, quod essentia fiat hoc modo ens per actum à se nemine cogitante distinctũ. Ad probationem maioris dico: id, quod recipit existentiam vt contra distinctam ab illa esse ens nominaliter, non autem esse ens verbaliter; Et ad probationem in contrarium aio, quod non esse ens verbaliter non solum non impedit receptionem existentiæ, quin imo est necessario prærequisitum ad illam; si enim res existeret, non posset in se recipere existẽtiam, vt patet. 78

Obijcies denique decimoquintò pro complemento totius disputationis: non potest determinari, num in omnibus prorsus entibus defectibilibus, & à Deo dependentibus essentia sit plus, quam ratione distincta ab eorum existentia; an in aliquibus tantum; ergo in nullo. 79

Respondeo negando antecedens; dico enim omnia prorsus entia creata habere essentiam nemine cogitante distinctam ab existentia, & quidem quando in substantijs, & accidentibus ita se res habeat, manifeste colligitur ex dictis; quod verò etiam in entibus modalibus 80

tra-

Digitized by Google

tradit, doctrina de distinctione procedat suadetur ex eo, quia hæc quoque entia suam habent essentiam contradistinctam ab essentia cuiuscumque alterius rei; ergo non est, cur in illis quoque ab eorum existentia plus, quam ratione non distinguatur. Neque obstat, quod modorum essentia dicatur in actuali exercitio posita; per hoc enim tantum innuitur, quod essentialiter habeant modi, vt hoc ipso, quod existant, exerceant munus, ad quod á natura instituti sunt: vnde est quod indispensabiliter relatio V. G. existens debeat actu referre vnum ad aliud, & actio dare esse effectui & sic de reliquis; contra verò substantia potest saltem diuinitus existere absque eo, quod actu substentet aliquod accidens, & accidens absque eo, quod actu informet vllam substantiam: ex quo deducitur in sola entitate modali existentiæ non posse distingui à parte rei essentiam, & existentiam: tum quia respectu essentiæ, cuius est existentia, comparatur vt vltimus actus: tum etiam quia eius essentia non potest esse alia ab ea, cuius verè, & propriè est existentia: tum denique quia alias daretur processus in infinitum in huiusmodi distinctionibus in ipsa existentia; nam si haberet suam essentiam ab essentia cuius est existentia, & ab existentia, per quam ponitur extra causas distincta: etiam in hac secunda existentia deberet admitti distinctio suæ essentiæ & existentiæ: cùm non appareat disparratio; ne igitur hoc, dicamus debemus sistere in ipsa existentia, & non agnoscere in ea aliam essentiam præter illam, respectu cuius comparatur vt existentia; quæ omnia cum non militent in reliquis entitatibus modalibus, dicendum est in eis essentiam, & existentiam plusquam ratione distingui.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA

DE CARENTIIS.

NOmine carentiæ nihil aliud intelligimus, quam negationem, seu non esse rei, cuius dicitur esse carentia, rei, inquam, non sumptæ secundum essentiam vt sic, sed bene secundum existentiam regulariter loquendo; per carentiam enim lucis V. G. non significamus negationem negantem lucis possibilitatem, sic enim implicaret dicta carrentia, sed negantem lucis possibilis existentiam, siue simpliciter, sicut fuit initio mundi, vti habetur Genesis primò: *& tenebræ erant super faciem abissi*; siue secundum quid, vt est, *quando sol recedens* à nostro emispherio causat in eo noctem; *& hinc fit, vt carentia in* communi recte definiatur: *formalis, & immediata exclusio rei existentis*; contradictorie enim illi censetur opponi, ita, vt implicet contradictionem simul cum ea existere, vel, ea non existente, non existere; quare non est mirum, si post quam de rerum existentijs disputauerimus, de earum carentijs disseramus. Pro quibus sciendum, rectè carentiam in communi diuidi in impossibilem, necessariam, & contingentem; impossibilis est illa, quæ implicat absolutè dari à parte rei, habet enim pro termino negato *aliquod* positiuum, quod necessario existit, quoniam verò huiusmodi est solus Deus; hinc fit, vt sola Dei carentia censeatur impossibilis. Non negauerim tamen carentiam impossibilem dici etiam posse illam, quæ excluderet à statu possibilitatis rem possibilem, vt alium mundum &c. carentia verò necessaria est illa, quæ ita suo modo existit à parte rei, vt implicet contradictionem non existere, & hæc habet semper pro termino negato aliquod impossibile; quod, cum per absolutam Dei potentiam existere nequeat, illam nullatenus expellere valet; contingens denique illa, quæ potest suo modo esse, & non esse, quæ nimirum habet pro termino negato positiuum quid, quod potest existere, & non existere, cuiusmodi est carentia cuiuscunque creaturæ, hæc enim est indefferens, quantum est de se, ad habendam, vel non habendam existentiam.

Porrò esset alia diuisio carentiæ in communi in negationem scilicet; & priuationem, quæ, si physicè sumatur, importat connotationem subiecti formarum oppositarum, & siquidem non esse formæ positiuæ est in subiecto capaci illius formæ, dicitur priuatio: sin autem est in subiecto incapaci dictæ formæ, dicitur negatio; quod si dicta diuisio metaphysicè accipiatur, est diuisio carentiæ absolutæ possibilis; & negatio quidem dicitur illa quæ excludit terminum impossibilem hoc est chymericum; priuatio verò illa, quæ excludit terminum possibilem hoc est creaturam; vnde fit, vt negatio cum carentia necessaria: priuatio verò cum contingenti confundatur; nihilominus nos in hac disputatione primam diuisionem sequemur, notando, quod negationis nomen cum carentia in communi confundi solet, quemcumque tandem terminum negatum habeat.

ShC-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

An dari possint obiectiuè in suo effectu negationes impossibiles ab omni ente reali positiuo contradistincta.

Conclusio est affirmatiua; puto enim intellectum nostrum posse negationes impossibiles ab omni ente reali contradistinctas concipere, non solum illas, quæ enti mere possibili opponuntur, sed etiam eam, quæ si existeret, ens summè necessarium quo ad existentiã, cuiusmodi est Deus, è mundo excluderet, atq; negaret. Est communis, contra nonnullos recentiores, qui asserunt intellectum nostrum semper habere pro obiecto tum partiali, tum totali aliquod ens reale positiuum, denominationem verò impossibilis in aliquibus eius obiectis formaliter, & constitutiuè haberi à iudicio essentialiter falso, quod ita denominat illa obiecta cognita, vt de illis verificetur hoc aliud iudicium: obiecta ita cognita per iudicium essentialiter indebitum non possunt existere vt sic cognita extra intellectum; quare dicunt, quod cum dicit Atheus (non est Deus) non habet aliud pro obiecto nisi Deum, eiusque existentiam realem, sicuti habet Catholicus quando dicit: Deus est; & differunt solum in eo, quod prioris iudicium habet modum tendendi indebitum circa Dei existentiam: posterioris verò debitum; quod si ex eis huius discriminis vlteriorem rationem exposcas: assignant pro ratione ipsam existentiam diuinam, quæ cum sit realiter necessario coniuncta cum Deo, petit in iudicio, quod versatur circa se, & Deum, modum tendendi affirmatiuum, seu coniunctiuum; & repellit negatiuum, ac disiunctiuum; vnde fit, vt posterius iudicium, quod dicit: Deus est, confestatur verum; prius verò, quod dicit: Deus non est, falsum; & sic rectè dicatur negatio Dei impossibilis, ideſt quæ non potest existere extra intellectum, sed necessario exigat esse subiectiuè in ipso intellectu: vtpotè operatio immanens illius; ex quibus deducitur omnia, quæ importat huiusmodi iudicium tum ex parte sui, tum ex parte obiecti esse realia.

Nostra verò conclusio probatur primo: quia si hoc iudicium (Deus non est) non obstante, quod omnia, quæ attingit ex parte obiecti, essent realia, atque adeo vera: nihilominus falsum diceret: sequeretur, quod conformaretur, & non conformaretur suo obiecto; sed hoc implicat; ergo dicendum est, quod præter illa obiecta realia nimirum Deum, eiusque existentiam attingat etiam ipsam negationem existentiæ diuinæ, quæ est impossibilis. Non est igitur, cur non possint obiectiuè in intellectu dari carentiæ impossibiles. Vtraque consequentia est euidens; & minor claret: quia implicat, quod eadem propositio simplex sit vera simul, & falsa; sed si conformaretur obiecto suo esset vera: si non conformatur falsa; ergo &c. Sequela verò maioris duas habet partes: prima, quod non conformaretur, atq; hæc conceditur ab aduersarijs, & rectè; quis enim neget iudicium hoc: Deus non est: esse falsum. Secunda verò, quod: simul conformaretur, probatur: quia conformari obiecto nihil aliud importat, quam exprimere obiectum sicuti est; sed Deus est cum existentia sua, & huiusmodi iudicium sic illum exprimeret: alioquin si sine existentia iam haberet pro obiecto negationem dictæ existentiæ, quia id exprimit, quod cognoscit. ergo &c.

Ad hunc vltimum syllogismum Respondent aduersarij: negando maiorem; dicunt enim ad veritatem iudicij præter expressionem obiecti, sicuti est in se, requiri etiam, vt eo modo ipsum iudicium tendet in obiectum, quo modo exigit obiectum, & eius meritum exposcit; quoniam verò Deus existens meretur, vt iudicium affirmatiuo modo, & non negatiuo tendat in se: Ideo iudicium illud falsum est.

Sed contra: quia non potest assignari, cur Deus existens exigat iudicium affirmatiuum, & respuat negatiuum, nisi quia affirmatiuum est cõpositio intentionalis prædicati cum subiecto, negatiuum vero diuisio, vt dicunt Logici; ergo ideo exigit affirmatiuum, & respuit negatiuum, quia illud exprimit identitatem prædicati cum subiecto, nimirum existentiæ cum Deo: negatiuum vero negationem identitatis inter vtrumque. Antecedens huius conceditur ab aduersarijs. Consequentia verò probatur: quia ideo iudicium affirmatiuum importat cõpositionem prædicati cum subiecto, quia iudicat ea identificari ad inuicem; intellectus enim dicendo (Deus est existens) veluti definit, ac sententiam suam pronunciat, quod inter Deum, & existens sit identitas; & ideo iudiciũ negatiuũ dicitur diuisio prædicari à subiecto, quia illa ab inuicem separat, siquidem intellectus dicendo: Deus non est existens, decernit; ac apud se statuit, inter Deum, & existentiam esse negationem identitatis. ergo si Deus existens exigit iudicium affirmatiuum, & respuit negatiuum, est quia illud exprimit identitatem inter Deũ, & existentiam, hoc vẽro negationem identitatis. Confirmatur id, quod dicimus exemplo satis idoneo; si quis quærat, cur Cæsar exigat, vt imago, quam de illo format pictor, referat compositionem corporis cum capite suo, & non diuisionem: profecto non aliud responderi potest, quam quia imago debet exprimere suum exemplar, sicuti est; cum ergo exemplar habeat compositionem corporis cum capite, id circo exigit, vt imago huiusmodi compositionem præseferat. ergo à pari.

Probatur secundo conclusio: vera est hæc propositio (Deus non potest coexistere cum verificatio huius propositionis: Deus non est) sed huiusmodi verificatiuum non potest esse aliquod positiuum, quia nullum positiuum est possibile, cum quo Deus existere nequeat. ergo erit negatio Dei chymerica, & sic dari poterit obiectiuè in intellectu carentia impossibilis,

Respondetur primo ab Aduersarij, maiorem reddere hunc sensum: existente Deo; necessario existere falsificatiuum huius propositionis: Deus non est; cum igitur huiusmodi falsificatiuum sit existentia identificata cum Deo, recte deducitur omnia, quæ in dicta propositione reperiuntur, esse realia. Quod autem hic sit dictæ propositionis sensus, probatur tum quia: si ea sic reso-

resoluatur, nullum sequitur inconueniens; tum etiam quia penuria vocabulorum idem diuersis phrasibus explicare solemus, vnde propositionē essentialiter falsam vocamus inuerificabilem.

9 Sed contra hanc responsionem facit: quia, licet verificatiuum vnius propositionis contradictoriæ sit formale falsificatiuum alterius; implicat tamen, quod respectu eiusdem propositionis contradictoriæ idem omnino sit verificatiuum, & falsificatiuum; implicat; ergo, quod verificatiuum huius propositionis (Deus non est) sit idem omnino cum falsificatiuo eiusdem; alioquin duo contradictoria possent esse ambo simul vera. Quamuis igitur falsificatiuum dictæ propositionis, Deus non est, sit Deus existens: aliquid aliud verificatiuum illius importare necessario debet; sed non nisi Deum sub negatione chimerica existentiæ; ergo &c: Per quæ patet responsio ad duas rationes in contrarium adductas; ad priorem enim dico inconueniens ex dicta explicatione proueniens esse, quod huic propositioni (Deus non est) non posset assignari, neque concipi obiectum verificatiuum, sed falsificatiuum tantum, nimirum, Deus existens, quod est obiectum verificatiuum suæ contradictoriæ. Præterea, quod neque posset assignari obiectum falsificatiuum dictæ contradictoriæ nimirum, Deus est, nisi Deum ipsum existentem: siquidem falsificatiuum huius est formalissime verificatiuum illius; vtrumque autem videtur absurdissimum. Ad posteriorem vero dicendum, diuersitatem phrasium eandem prorsus rem explicantium non vocabulorum penuriam sed abundantiam præseferre, vt patet ex exemplo adducto de propositione illa, quæ & essentialiter falsa, & inuerificabilis dici solet; cæterum quærenti, quodnam sit verificatiuum huius propositionis, Deus non est, non bene responderi esse, quod, existente Deo, existat dictæ propositionis falsificatiuum: patet ex eo, quia verificatiuum debet esse formalis ac essentialis exclusio falsificatiui. Male igitur per existentiam falsificatiui, quid sit verificatiuum dictæ propositionis, explicatur.

10 Secunda Resp̄ntio procedit per distinctionem maioris sic: vera est hæc propositio: Deus non potest coexistere cum verificatiuo huius propositionis: Deus non est: cum verificatiuo, inquam, existente intentionaliter, & subiectiue intra intellectum, negat; existente realiter, & extra intellectum, concedit. Et sic distinguit minorem, sed huius verificatiuum non potest esse aliquod positiuum existens realiter extra intellectum, concedit; existens intentionaliter subiectiué in ipso intellectu, negat minorem, & consequentiam; & dicit, quod hæc verba verificatiuum huius propositionis, Deus non est, sunt loco nostri Conceptus mentalis attingentis in recto omnia verificatiua realia aliarum propositionum in confuso, qui conceptus comparando deinde dicta verificatiua cum hac propositione, Deus non est: attingit in obliquo huiusmodi propositionem ita, vt hoc rectum, & hoc obliquū importetur ab ipso modo tendendi ipsius actus, cum quo actu Deus est incompossibilis, seù non potest coexistere à parte rei extra intellectum: bene tamen potest cum illo existente intentionaliter, & subiectiuè in intellectu.

Sed contra hanc responsionem facit: quia, 11
admissa distinctione de verificatiuo propositionis, Deus non est, in qua concedit aduersarius, Deum esse compossibilem cum verificatiuo existente subiectiuè in intellectu; negat verò esse compossibilem cum verificatiuo existente realiter extra intellectum: tum sic argumentor: verificatiuum dictæ propositionis, Deus non est, extra intellectum realiter existens, cum quo Deus est incompossibilis, & coexistere nequit, non potest esse, nisi carentia Dei chymerica; sed hoc verificatiuum est obiectiuè in intellectu; ergo dari potest obiectiuè in intellectu carentia chymerica. Consequētia claret. Maior vero probatur: quia non potest assignari aliud pro verificatiuo huius propositionis, Deus non est, cum quo existente à parte rei Deus existere nequit, nisi negatio chymerica ejusdem Dei; quamuis enim Deus sit incompossibilis cum reliquis entibus fictitijs, siue negatiuis, siue positiuis, à parte rei existentibus: nullum tamen ex eis potest esse verificatiuum primarium huius propositionis, Deus non est, sed de sola Dei carentia id affirmari cum veritate potest, quod nimirum ex hypotesi impossibili, quod à parte rei existeret, Deus cum illa coexistere non posset: quatenus esset formalis exclusio sui. minor verò videtur certa quia quando dico: vera est hæc propositio: Deus non potest existere cum verificatiuo huius propositionis (Deus non est) de illo verificatiuo loquor, quod illam verificat; sed hoc per aduersarium est illud, quod debet existere extra intellectum; ergo de illo loquor; atqui non possum de illo loqui, nisi illud haberem obiectiue in intellectu; ergo &c. Et sane mirum est, quod cum omne, quod est *in intellectu, vel subiectiue est in illo, vel obiectiue, cum constet hoc verificatiuum esse in intellectu, aduersarius neget esse subiectiuè, & non concedat esse obiectiuè in illo. Atque ex his patet falsum esse: verificatiuum huius propositionis:* Deus nō est importare nostrum conceptum mentalem attingentem in recto omnia verificatiua propositionum in confuso, & in obliquo actum intellectus, quo dico, Deus non est. Deus enim non solum potest à parte rei coexistere cum hoc cōceptu posito extra intellectum, si quidem non implicat dictum conceptum posse à Deo poni in lapide, seu ligno, vt probabilior sententia tuetur; sed etiam coexistere potest cum omni eo, quod tum in recto, tum in obliquo ex modo tendendi dictus conceptus dicitur ab aduersario importare.

Dices: verificatiuū huius *propositionis*, Deus 12
non est, importare modum tendendi diuisiuum respectu Dei, eiusque existentiæ, qui quidem modus hoc ipso, quod conformaretur obiecto, iam dictum verificatiuum existeret extra intellectum.

Sed contra: quia vel *hic* modus tendendi di- 13
uisiuus dictæ propositionis huiusmodi: diuisionē applicat obiecto *suo*; vel non applicat; si primum, ergo eam cognitio, quæ dicit (non est

Deus

Digitized by Google

Deus) repræsentat Deū sub negatione existētiæ sin autē dicatur secundum: falso dicitur, quod Deus hanc negatiuā propositionē respuat tanquā indignā se, & merito suo nā visione, qua beati vidēt Deū, habet modū tēdēdi potētialē in ipsū Deū, & tamē Deus nō repellit illā á se tanquā suo merito indignā, eo quod potētialitatē illā nō applicat Deo, sed intrāsitiuē sibi eā retinet. præterea actus fidei habet modū tēdendi obscurē circa Deū, & tamē nō repellitur ab ipso Deo tāquā indignus se, quia obscuritatē illā nō transfert in Deū, exprimēdo, quod Deus sit obscurus in seipso. Sic igitur Deus repellit à se propositionē illā habērē modū tēdēdi diuisiuū, nō est ideo, quia huiusmodi diuisionem applicat ipsi Deo exprimēdo Deū ab existentia diuisum, quod intendebat argumentum.

24 Obijcies primò: non implicat, quod cognitio qua negatur Deo existentiam, feratur in obiectū vtale, nempe in ipsum Deum existentem, quēmodum fertur cognitio, qua dictam existentiam de Deo affirmat, & quod differat ab ea solum per diuersum modum tendendi: per hoc videlicet, quod negatiua ferat se in Deum existentem recedendo ab eo, & distinguendo intentionaliter ab illo existentiam; Affirmatiua verò ferat se in idem prorsus obiectum accedendo ad illud, & componendo intentionaliter cum Deo existentiam; ergo non sunt admittendæ negationes impossibiles obiectiue tāsum in intellectu á quocumque ente positiuo distinctæ.

Ad hoc argumentum responderet aliquis: 25 quod licet antecedens verum sit: non tamen sequitur ex eo consequentia; quia dici posset intellectum duplex genus iudiciorum negatiuorum facere posse, alterum quidem sicut ponitur in antecedente ab aduersario, quod scilicet differat ab affirmatiuo per solum modum tendendi diuisiuum; alterum verò, quod præter hunc diuersum tendendi modum habeat pro obiecto aliquod negatiuum fictitium. Sed ego absolutè respondendum censeo negando antecedens, & hoc propter rationes superius assignatas; nam iudicium negatiuum non est, sicuti odium, cui sufficit esse fugam ab obiecto sed debet importare præterea expressionem illius, atque adeo dum dicit: Deus non est existens: debet in se necessario exprimere carentiam diuinæ existentiæ, quod volens, nolens concedit aduersarius, dum fatetur, quod dictū iudicium feratur in Deum existentem diuisim tendendo intentionaliter ab eo existentiam, diuisio enim intentionalis prædicati à subiecto essentialiter importat expressionem negationis identitatis inter vtrumque.

26 Obijcies secundo: repugnat intellectus, qui sit illusio sui, qui videlicet ita certificetur per vnam cognitionem de aliqua veritate, vt per eandem cognitionem minimè certificetur; sed huiusmodi esset potentia intellectiua cognoscens carentiam impossibilem Dei distinctam à quocumque alio ente positiuo; ergo &c. Maior patet: quia finis intellectus est assequtio veritatis. Minor verò probatur supponendo ex nostra sententia carentiam chymericam importare simultatem contradictoriorum, vel esse tractiuum talis simultatis, atque adeo negationem Dei esse obiectum impossibile eo, quod est exclusio & nō exclusio entis summe necessarij, sēpe Dei exclusio quidē, quia est carētia illius, exclusio autem, quia non potest tollere á Deo necessitatem existendi. Quo posito sic ad probationem minoris proceditur: si potentia intellectiua attingeret negationem Dei, hæc esset obiectum simplex necessario tractiuum duorum contradictoriorum, & non esset tractiuum illorum. sed hoc repugnat; ergo &c. Minor patet. Maior probatur, & quidem quod esset tractiuum supponitur; quod verò non esset, suadetur, quia binarium contradictoriorum se ipsum destruit, nam existere quodlibet ex eis, est formaliter non existere reliquum, & sic existere vtrumque est formaliter existere neutrum; atque adeo eorum simultas est eorumdem exclusio simultatis. ergo negatio Dei non potest esse tractiua duorum contradictorium; si enim hæc non sunt trahibilia, quomodo potest concipi tractiuum illorum.

Respondeo primò retorquendo argumentum 17 quando dicit aduersarius, quod si daretur intellectus cognoscens carentiam Dei per eandem cognitionem simul certificaretur, & non certificaretur de illa carentia; vel putat, quod vtrumque haberetur, vel quod non; primum esset falsum in eius sententia quia binarium contradictoriorum se ipsum iugulat, & positio vnius est ipsa formalis exclusio alterius; si secundum, vel neutrum haberetur, vel vnum tāsum; quod neutrum haberetur; hoc est, quod neque certificaretur, neque non certificaretur eodem modo implicat: sicuti quod simul certificaretur, & non certificaretur; nam ex duabus propositionibus contradictorijs implicat, quod vna non sit vera, & altera falsa; quare recurrio argumentum: nam, vel vtrumque esset verum, quod neutrum haberetur, & non haberetur: vel non esset verum vtrumque, & sic in infinitum. Denique si aduersarius dicat: quod haberetur vnum tantum, hoc non solum nihil continet absurdi, sed etiam necessario admittendum est, vt patet. Soluat igitur ipse suum argumentum prius, quam illud contra nos dirigat. Neque dicat se negare negationes impossibiles à quibcumque ente positiuo distinctas; argumentum autem factum valere contra eos qui illas propugnant. Contra enim est nam licet ipse dictas negationes neget: tamen sic argumentatur: si intellectus illas attingeret per eandem cognitionem, simul certificaretur, & non certificaretur; Putat igitur verā fore hanc suam propositionem; & recte, ad veritatem enim conditionalis non requiritur necessario veritas simplicium, ex quibus constat sed sufficit, vt sit bona; & apta consecutio, qua vna colligitur ex alia; hoc autem sufficit, vt aduersarius suum argumentum soluere teneatur: siquidem explicare debet, quomodo per eandem cognitionem intellectus certificaretur, & non certificaretur, cum constet binarium contradictoriorum iugulare se ipsum, & positionem vnius esse formalissime exclusionem alterius; ex quo patet non solum ipsi, sed omnibus

bus alijs, qui adhoc agendum aliquid vnutur hoc die ex implicantia contradictionis deducto incumbere onus soluendi argumentum contra nos factum; quod est manifestum fallaciæ eius indicium.

18 Respondeo secundò ad illud directè concessa maiore, repugnare nimirum intellectum, qui se ipsum illudat; negando minorem, quod scilicet huiusmodi esset ille, qui carentiam dei necessariam cognosceret; ad cuius probationem dico dupliciter (quod facit ad rem nostram) Dei carentiam cognosci posse: primo affirmando illam dari saltem de possibili secundo cognoscendo tantum, quid sequeretur si illa daretur. Iam verò ad hoc, vt intellectus primo modo illam cognoscat non solum non est necesse adnotare, quod sit duorum contradictoriorum tractiua; imo necesse est hoc non aduertere: cum enim impius, quando dicit in corde suo: non est Deus) aduertisset negationem Dei contradictionem inuoluere, nunquam ad id affirmandum potuisset induci; quapropter ex huiusmodi cognitione intellectum simul certificari, & non certificari; cum enim in astruenda dicta ostendi possibilitate decipiatur, solum sequitur quod non certificetur; quare cum hoc sufficiat vt carentia impossibilis obiectiuè in intellecto existat, nescio quo modo ex oppositione, quã habeat inter se termini contradictorij in ordine ad affirmationem, & negationem colligat aduersarius, impossibilem esse cognitionem huiusmodi carentiam fingentem.

19 Quod si agamus de cognitione, quam essentiam negationis chymericæ intuspiciat: dico per eam intellectum non illudi, sed certificari, quod si existeret, esset duorum contradictoriorum tractiua; nam re vera ita esset, non verò non tractiua. Ad argumentum, quo probatur, quod simul non esset tractiua: Respondeo, concesso antecedente, binarium videlicet, contradictoriorum se ipsum destruere, distinguendo consequens: ergo negatio Dei non posset esse tractiua duorum contradictoriorum omnibus pensatis, concedo: quantum est ex vi solius connexionis præcisè, nego consequentiam; & ad rationem in contrarium dico, quod licet non possit concipi, quod aliquid, omnibus pensatis, sit tractiuum non trahibilium: potest tamen bene concipi, quod sit tractiuum illorum, quantum est ex vi solius connexionis præcisè. Tractiuum alicuius, omnibus pensatis dicitur id ex quo ita sequitur aliquid, vt si ponatur à parte rei, nihil in se contineat absurdi, cuiusmodi est existentia solis respectu luminis; ita enim sol existens est tractiuus luminis, vt si hoc ex vi solis existat, nullum sequatur inconueniens; at verò tractiuum alicuius ex vi solius connexionis præcisè dicitur, ex quo ita sequitur aliquid, vt si ponatur à parte rei, aliquod contineat absurdi; & hoc modo negatio Dei est tractiua duorum contradictoriorum; nihil enim absurdius fingi potest, quam quod duo contradictoria simul à parte rei existant. nam hoc ipso neutrum illorum existeret: & hoc est, quod dialectici docent conditionalem propositionem posse esse veram, etiam si simplices ex quibus constat sint falsæ; vt si dicas: si homo est equus, est hinnibilis. Rationem autem huius rei assignantes dicunt esse: quia dictæ propositionis veritas in sola consecutione consistit; vnde fit, vt si bona sit consequentia enunciatio sit vera, quamuis partes, ex quibus constat, sint falsæ; si autem mala, sit falsa, licet veræ sint partes; neque hoc modo respondere tenentur omnes illi, qui ad probandum aliquid esse impossibile, vtuntur argumento, quod si existeret, ex eo duo contradictoria sequerentur.

Porrò aduertant in formatione sui argumenti decepti sunt in eo, quod sibi persuaderent, nos omnibus pensatis, simultatem contradictoriorum trahi posse à carentia chymerica concedere, quod falsum esse, ex hoc argumento, quod nos formare solemus, neque ipse negare audet, conuincitur: si daretur carentia Dei, sequerentur duo contradictoria; sed hoc est impossibile: ergo non datur. Maior huius solam hanc connexionis præcisè per nos importatæ, & minor de contradictorijs omnibus pensatis, iudicat; quo pacto ergo in hoc poster intellectus illuditur.

20

Instabis: quamuis hæc soluto procedat, hoc quando quando obiectum impossibile est aliquod simplex tractiuum contradictionis vt est carentia Dei; at non quando est compositum constans ex esse, & non esse: sicuti est Hircocervus constans ex esse, & non esse hirci, & cerui; ergo saltem huiusmodi enota chymerica non possunt habere esse obiectiuum tantum in intellectu. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia nulla potentia intellectiua attingens aliquod obiectum potest ex vi expressionis eiusdem obiecti certificari de eo, quod obiectum non habet; sic attingens equum non potest ex vi expressionis certificari de Angelo, sed coniunctio ex esse, & non esse hirci non est coniunctio eorum extremorum, quia existere, quodlibet ex eis est non existere reliquum, & sic existere vtrumque est existere neutrum. ergo &c. Respondeo *negando antecedens*, & ad eius probationem, *eodem modo quo supra* distinguo *maiorem: nulla potentia intellectiua* attingens *aliquod obiectum potest ex vi expressionis certificari de eo*, quod obiectum non habet, *si non habet* neque omnibus pensatis, neque ex vi solius connexionis præcisè, concedo: si non haberet quidem omnibus pensatis, sed habet ex vi connexionis præcisè, nego maiorem. Et ad minorem hoc, quod licet coniunctio ex esse, & non esse hirci non sit coniunctio eorundem extremorum omnibus pensatis; quia positio vnius est formalis exclusiua alterius: est tamen coniunctio illorum, si considerentur ex vi solius connexionis præcisè, quatenus vtrumque contradictoriũ, quantũ est ex vi positionis existentiæ hircocerui, haberetur; quod si non haberetur, id aliunde procederet, nimirũ quia se inuicem interimerent, atque excluderent; vnde impossibilitas hircocerui rectè colligitur.

21

Subinstabis: implicat potẽtia effectiua duorũ contradictoriorũ simul; ergo, & potẽtia cognoscitiua eorũdẽ. probo cõsequẽtiã paritate; nam ideo implicat potẽtia factiua thymeræ; quia hoc ipso, quod suũ effectũ poneret, illũ tolleret; sed scire simultatem contradictoriorũ est ipsã ignora-

re, & circa illa fallit; ergo &c. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiã; ad cuius probationem nego paritatem. disparitas est: quia potentia effectiua omnibus pensatis attingit effectum secundum omnia, quæ includit: at verò intellectiua potest attingere illum solum ex vi connexionis quam importat. defacto enim tu negas posse dari intellectum, qui simul certificetur, & non certificetur per eandem cognitionem de eodem obiecto: concedis tamen quod si cognosceret negationem chymericam Dei, posset vtrumque simul habere. Cæterum hæc assero ex suppositione, quod intellectus cognoscat de chymera quod sit; quod si eam solum facere deber, disparitas tota est: quia intellectus potest non aduertere quod chymera ita ineludat esse suarum partium vt simul includat non esse illarum, imo quando existimat eam esse possibilem, id faciat, necesse est: quare respectu illius chymera est cognoscibilis, at respectu potentiæ effectiuæ nunquam ens factibilis quia hæc ad sola factibilia se extendit.

SECTIO SECVNDA

An dentur Carentiæ necessariæ extra intellectum, ab omni ente positiuo contradistinctæ.

33 LIcet non dentur Carentiæ necessariæ sumptè passiuè, hoc est res impossibiles quarum sunt carentiæ: dari tamen carentias actiuè acceptas hoc est ipsum non esse, quod res ipsas impossibiles excludit, & tollit, certo certum est. hoc enim ipso, quod dantur propositiones quædam negatiuæ æternæ veritatis, vt V. G. homo non est equus. hinc cernus non potest existere &c. necesse est fateri dari ab æterno verificatiua dictarum propositionum, quæ non possunt esse nisi carentiæ necessariæ rerum, quarum sunt carentiæ; & rectè id quidem: omnis enim denominatio, quæ aliquo modo habetur á parte rei, ab aliqua forma, quæ sit aliqualiter à parte rei, proueniat necesse est. cum ergo à parte rei suo modo sit denominatio chymeræ necessario non existentis, debet necessario á parte rei dari suo modo carentia necessaria dictæ chymeræ, quæ se habeat vt forma denominans illam non existentem. Controuersia tamen est: vtrum huiusmodi Carentiæ sint entia abusiua ab omni ente positiuo contradistincta: an verò sint entia positiua; & quidem, quod non possint esse aliquod positiuum creatum, esse debet indubitatum: tum quia ab æterno dictæ carentiæ extiterunt; verum enim fuit abæterno dicere: non datur alius Deus: chymera non est possibilis &c. cum tamen certum sit nihil creatum extitisse ab æterno: tũ etiam quia omne ens creatum ita est in tempore vt possit non esse; at verò nulla ex his carentijs est huiusmodi, alioquin omnis esset contingens, & non necessaria. circa hanc autem controuersiam.

24 Prima sententia est quorundam recentiorum, quos sequitur Maurus *lib. 1. qu. physiophic. q. 49.* dicentium negationes æternas, & necessarias impossibilium identificari cum diuina essentia, atque adeo Deum ipsum necessario existentem esse se ipso exclusiuum omnium entium chymericorum, & verificatiuum omnium propositionum negatiuarum necessario verarum.

Secunda sententia est Giattini in sua logica *qu. 6. art 6. in resp. ad secund obiect.* putantis huiusmodi negationes non esse aliquas res determinate acceptas, sed esse disiunctum necessarium duorum terminorum. 25

Tertia denique sententia communis docet dictas negationes esse ab omni ente positiuo contradistinctas, & importare quoddam esse abusiuum necessario existens ac etiam per absolutã Dei potentiam inamouibile modo infra explicando. 26

Nostra vnica conclusio est cum hac tertia sententia. Et probatur quia dantur huiusmodi negationes necessario existentes, quæ de præsenti verificant propositiones negatiuas æternæ veritatis; sed non possunt identificari cum diuina essentia, neque cum disiuncto necessario terminorum contradictoriorum. ergo sunt entitates quædam abusiuæ modo dicto ab omni ente reali positiuo contradistinctæ. Maior patet ex dictis, & consequentia est bona. Minor verò duas continet partes; & primo quidem probatur quo ad priorem sic: ex hypotesi impossibili, quod Deus nõ existeret nulla negatio necessaria desineret esse. ergo nulla huiusmodi negatio identificatur cum diuina essentia. consequentia patet, quia quoties duo inter se identificantur implicat quod pereunte vno remaneat alterum. antecedens verò suadetur quia ex hypotesi, quod Deus deficeret adhuc prædicata chymerarum remanerent incompossibilia inter se, & datoi, quod compossibilitatem acquirerent; nulla dari posset causa efficiens quæ illis existentiam tribuere valeret. ergo facta illa hypotesi nulla negatio necessaria desineret esse. Quo ad posteriorẽ verò partem eadem minor suadetur ex eo, quia ens impossibile non est coniunctum duorum terminorum contradictoriorum. ergo negatio necessaria opposita huic enti impossibili non potest in disiuncto necessario dictorum contradictoriorum consistere. 27

Consequentia patet: nam ex duobus terminis contradictorijs si negatiuus est disiunctum aliquod: affirmatiuus erit coniunctum oppositum, vt expresse tuetur Giattinus *loc. cit.* & rectè, nam alioqui dicti termini non se inuicem formaliter excluderent; non enim potest recurri ad negationem dissensi dicendo terminum contradictorie oppositum, esse huiusmodi negationem, quia disiunctum est terminus negatiuus, implicat autem eiusdem contradictionis vtrumque terminum esse negatiuum. ergo &c. antecedens verò nostri enthymematis, in quo assumpsimus: esse impossibile, non esse coniunctum duorum contradictoriorum, euincitur; quia aliud est, esse tractiuum duorum contradictoriorum, aliud verò esse coniunctum illorum. Porrò ens impossibile habet solum de necessitate, quod sit tractiuum contradictoriorum, quatenus si existeret de eo verificaretur esse, & non esse; at ex nullo capite probari potest quod sit necessario coniunctum illorum, quodq; absolutè constet ex esse, & non esse eiusdem rei. quamuis 28

Digitized by Google

nis enim aliqui admittunt posse ab intellectu aliquid ens chymericum hoc modo formari: omnes tamen negant id esse necessarium, vt patet ex constato duarum naturarum incompossibiliū ex quarta persona Sanctissimæ Trinitatis, & similibus, quæ patet non constare ex esse, & non esse sed solum ex esse consicto.

29 Pro prima sententia obijcies primo si darentur
61 carentiæ necessariæ distinctæ à Deo sequeretur, quod Deus non esset sufficiens sibi, & creaturis, sed hoc non est sentiendum de Deo. ergo &c. minor patet: quia debemus Deo tribuere quid quid melius excogitari potest. sequela verò quo ad primam partem probatur: quia Deus ad suam felicitatem habendam indigeret dictis carentijs; ergo non esset sibi sufficiens, consequentia claret. Antecedens suadetur, quia vt esset de sua felicitate securus, necessariæ sibi essent carentiæ aliorum Deorum chymericorum, qui, vel æque, vel magis perfecti, ac ipse est, confingi possunt. quo ad verò secundam partem eadem minor euincitur, quia Deus per se debet esse sufficiens creaturis; sed si darentur carentiæ reliquarum chymerarum ab illo distinctæ, non esset huiusmodi. omnis enim creatura expectare deberet suam possibilitatem à carentia illius chymeræ, quæ si daretur, illam redderet impossibilem eique suum esse acceptum referre deberet.

30 Respondeo negando sequelam maioris. Ad cuius priorem probationem nego antecedens. & ad eius confirmationem dico aliud esse Deum ad suam fælicitatem habendam necessario exigere carentias aliorum Deorum fictorum, & aliud indigere illis. primum maximam in Deo perfectionem importat, & ideo concedendum: secundum verò ex opposito, quia imperfectionem arguit, denegandum; & rectè id quidem, nam primum significat Deum sibi vendicare ius, vt omne prorsus ens verè positiuum à se tum quo ad essentiam, tum quo ad existentiam procedere debeat, atque adeo vt quodlibet positiuum excogitabile distinctum à se independens ab eo, sit impossibile, atque chymericum; porrò ex hoc perfectissimo iure oritur in Deo alia exigentia: nimirum vt necessario existat suo modo carentiam cuiuscumque alterius Dei imaginabilis, atque confícti; quatenus quilibet ex eis essentialiter importaret independentiam ab illo At verò secundum: hoc est indigentia importat in indigente necessitatem alicuius rei ortam ex impotentia quam habet indigens ad hoc vt sibi per se ipsum de tali re prouidere valeat. quoniam verò in Deo non est huiusmodi necessitas in ordine ad carentias aliorum Deorum; siquidem ex sua perfectione habet de illis sibi prouidere: hinc fit vt ad suam felicitatem habendam non indigeat illis. quāuis necessario illas suo modo existere exigat. ad posterioris verò eiusdem minoris partis probationem distinguo maiorem: Deus per se debet esse sufficiens creaturis formaliter, & immediatè nego; radicaliter, & mediatè concedo, & sic distincta minore; nego consequentiam, & ad minoris probationem dico: omnem creaturā ita expectare suam possibilitatem à carentia illius chymeræ, quæ si daretur, illam redderet impossibilem: vt dictæ carentiæ existentia radicaliter exigatur ab essentia diuisa, hoc enim ipso, quod Deus est origo possibilitatis omnium creaturarum, posito, quod ad completam possibilitatem illis communicandam requirantur Carentiæ chymerarum, quæ si existerent illas impossibilitarent: quis non videat, essentiæ diuinæ incumbere onus huiusmodi carentias necessitandi, quemadmodum igitur non obstante, quod Deus ex sua essentia exigit, quod aliquod positiuum sit possibile, atque à se creabile: adhuc tamen ipse est sibi, & omnibus rebus sufficientissimus, ita &c.

Obijcies secundo: nullum ens reale distinctū à 31
Deo potest esse necessariū, & æternā ergo multo minus poterit esse huiusmodi ens purè abusiuum cuiusmodi esse putamus carentiam rei chimericæ. antecedens patet ex fide; & vlterius confirmatur ex eo, quia si quod necessario existeret, deberet à Deo necessario amari amore efficaci; nihil autem hoc modo potest esse amabile à Deo, quin sit summe perfectum, hoc enim ipso quod aliquid habet imperfectionis debet posse contemni ab ente vnde quaque perfectissimo. Consequentia verò suadetur: quia minus distat ab ente vnde quaq; perfectissimo ens reale positiuum, aliquam continens perfectionem, quam omnem à se perfectionem excludens; sed huiusmodi essent carentiæ abusiuæ chimerarum in nostra sententia, si darentur: ergo si nullum ens reale distinctum à Deo potest esse necessarium, & æternum: multo minus poterit esse huiusmodi ens abusiuum.

Respondeo primò argumentum hoc soluendum prius esse abaduersario, qui cum omnibus bene sentientibus putat Deum non posse Identificari cum entibus realibus positiuam imperfectionem includentibus, vt cum Angelis, hominibus &c. quo posito sic argumentum contra ipsum retorquerem: *nullum ens reale essentialiter includens aliquam positiuam perfectionem limitatam, atque finitam potest identificari cum* Deo. ergo *multo minus poterit identificari* cū illo *carentia rei chymericæ*. Probo consequentiam minus distat à summa Dei perfectione ens positiuum essentialiter includens aliquam positiuam perfectionem quamuis limitatam atque finitam, quam id quod nullam prorsus de suo conceptu positiuam perfectionem importat; sed carentia chymeræ est huiusmodi; si enim ad sua essentialia attendamus nihil aliud habet quam non esse chimeræ. ergo si Deus non potest identificari cum ente finito: multo minus poterit cum carentia chimeræ, verum quid ad hoc respondeat ipse viderit.

Ego vero Respondeo secundò directè ad ar- 32
gumentum concesso antecedente, negando consequentiam. ad cuius probationem concessa maiore, & minore, nego Consequentiam. ac dico ex minori distantia, quæ est inter Deum, & creaturas: quam sit inter ipsum Deum, & Carentiam chimeræ potius deduci nullam creaturam posse esse necessario æternam; posse verò esse huiusmodi omnem carētiam rei chymericæ. Ratio est quia hoc ipso, quod Creatura habet suam perfectionem positiuam participatam à

Deo, debet de necessitate subiici perfectissimo eius dominio, non subiiceretur autem si esset necessario existens; siquidem non posset Deus denegare illi existentiam: hoc autem, quis non videat redundare in præiudicium dominij illius; atque adeo arguere imperfectionem in ipso Deo, quatenus esset excogitabilis alius Deus, qui de suarum omnium creaturarum existentia libere disponere valeret, & sic perfectiori dominio in illas dominari. quo quid absurdius. At verò carentia chymeræ nihil omnino perfectionis ex suis intrinsecis importat. vnde ex hoc capite est indigna vt inter ea quæ subiiciuntur perfectissimo dominio Dei connumeretur. Aliunde verò omnia prorsus vera entia positiua ab huiusmodi subiectione eam excludant; non solum Deus ipse qui si suo imperio negationem aliorum deorum fictorum subiectam haberet, hoc ipso esset destructibilis, & sua deitate priuabilis. sed etiã reliquæ creaturæ quatenus ex hac subiectione sequeretur, quod euadere possent chymericæ ergo &c.

34 Instabis esse necessarium, & æternum aliquid perfectionis importat, quam non habet id quod est contingens, vel impossibile; sed omnis perfectio vel Deus est, vel à Deo originem trahit. ergo cum carentiæ chymerarum hanc perfectionem non possint habere originatam à Deo, debent necessario identificari cum illo.

35 Respondeo distinguendo maiorem; & siquidem esse necessarium, & æternum competit enti positiuo, concedo; sin autem enti abusiuo, nego maiorem; & concessa maiore: nego cõsequentiam. ratio disparitatis est in quia quoties ens positiuum habet necessitatem essendi, illam ex suis intrinsecis habeat necesse est; vt patet in Deo, qui ideo est ens summe necessarium, quia est actus purissimus nullam in se continens potentialitatem. at necessitas essẽdi quam habet carentia chymeræ competit illi per extrinsecam denominationem prouenientem sibi radicaliter quidem à diuina essentia: formaliter verò ab impossibilitate illius, cuius dicitur esse carentia; quod patet ex eo quia si per impossibile hodie chymera inciperet nõ implicare, eius carentia intrinsecè immutata amitteret necessitatem essendi. Vnde patet hanc necessitatem essendi potius in ea arguere imperfectionem, siquidem importat se esse rei omnino impossibilis ac repugnantis carentiã.

36 Subinstabis: si darentur hæc entia abusiua quoquomodo necessaria: sequeretur quod Aristoteles, qui posuit mundum necessario existentem ab æterno posset contra nos catholicos sic argumentari: Non est absurdum ponere entia abusiua ab æterno existentia. ergo multo minus erit absurdum ponere ab æterno mundum qui sit cum carentijs chymerarum identificatum. ergo &c. Respondeo negando huiusmodi argumentum posse fieri ab Aristotele, quia ipse expresse putauit implicare contradictionem ens identificari cum non ente, vnde principium illud quod 11. *metaph. cap.* 4. appellat fere omnium naturalium decretum; admirum: Nihil ex non ente fieri, hoc est componi perpetuo approbauit loquendo de non ente quod carentiam entis importat vt videre est 4. *metaph. tex.* 2. si igitur ens per Aristotelem non potest ex non ente componi, quanto minus poterit cum illo identificari? Cæterum á quocumque dicta instantia facta procedat, cõcesso antecedente neganda est consequentia. Disparitas est quia ex necessaria positione entis abusiui ab æterno non sequitur diminutio diuini dominij in creaturas, sicuti sequitur ex positione necessaria mundi vt de se patet.

Obiicies tertiò rationem fundamentalem Mauri: Essentia diuina est prima, & necessaria necessitas, vt non detur alius Deus, & reliquæ chymeræ; sed prima, & necessaria necessitas vt non detur alius Deus, & reliquæ chymeræ est ipsum non esse alterius Dei, & chymerarum. ergo &c. maior patet, minor probatur. nam non esse alius Dei & chymericum est ipsa formalis exclusio alius Dei, & chymerarum, & formale verificatiuum propositionis dicentis: non est alius Deus, nec vlla chymera sed necessitas vt nõ sit alius Deus, nec vlla chymera per se ipsam excludit aliũ Deum, & omnem chymeram, ac dictam propositionem verificat. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem concessa maiore: distinguo minorem: necessitas vt non sit alius Deus nec vlla chymera per se ipsam radicaliter excludit alium Deum &c. concedo; per se ipsam formaliter quasi verò sit eorum carentia nego minorem, & cõsequentiam. dico enim quod idem est proprie aliquid esse primam, & necessariam necessitatem vt non sit alius Deus, nec vlla chymera; ac esse primam ac necessariam necessitatem, vt detur formalis carentia alius Dei, & cuiuscumque alterius chymeræ; nam vt fatetur auctor, non esse alterius Dei, & chymerarum, est idem formalissimè cum eorum carentia. atqui prima, & necessaria necessitas radicalis vt sit dicta carentia formalis distinguitur ab ipsa carentia; siquidem se habet vt radix, & principium exactiuum illius. falsum igitur est quod necessitas vt non sit alius Deus nec vlla chymera per se ipsam formaliter excludat alium Deum, omnesque chymeras. 37

SECTIO TERTIA.

De Carentijs contingentibus varia referuntur sententia, & statuitur contra primam sententiam non esse entia positiua creata opposita rebus quarum sunt carentia. 38

DAri suo modo á parte rei carentias contingentes non videtur posse negari abhis qui significatum harum vocum intelligunt. significant enim non esse illarum rerum creatarum, quæ cum existere possint: non tamen existunt, quis autem dubitet non dari à parte rei multas creaturas possibiles? iam hoc ipso quod huiusmodi creaturæ non dantur, cum nihilominus dari possint, absentiæ illarum nomine carentiarum contingentium apellantur, quatenus ita concipiuntur esse, vt nihilominus

aus per aduentum creaturarum, quarum sunt absentiæ, possint non esse. Iam verò quid sint huiusmodi, carentiæ in præsentia cum recentioribus controuertimus. circa quod quinque sententiæ circumferuntur.

39 Prima est cuiusdam innominati apud Giattinum in sua logica *qu. 6. art. 2. fol. mihi 265.* hic putauit dari singula positiua, cum quibus identificentur carentiæ contingentes, quæ sint oppositæ rebus singulis, quarum hæ sunt carentiæ, & sic negationem luminis identificari cũ aliquo positiuo oppositio lumini, & incompossibili cum illo, cum alio verò positiuo identificari negationem Petri, & cum alio negationem Bucephali, & sic de reliquis.

40 Secunda sententia est Aneroli, Gabrielis, Soti, & aliorum, quos sequitur Moncæus *disp. 2 cap. 3.* apud Comptonum *disp. 17. log. sect. 1. num. 3.* hi putant carentias contingentes aliud nihil esse, quam res ipsas positiuas possibiles, quarum dicuntur carentiæ & sic carentiam V. G. Antichristi esse ipsum Antichristum possibilẽ, carentiam alterius mundi alium mundum possibilem, & sic de reliquis.

41 Tertia sententia est quorumdam recentiorũ quos ex parte sequitur Maurus *lib. 1. qq. physophic qu. 49. dicto 3.* hi existimant carentias contingentes identificari cum decretis diuinis excluſiuis rerum contingentium, quarum sunt carentiæ; vnde dicunt negationem mundi, quæ ab æterno exstitit, nihil aliud fuisse, quam decretum, quo Deus dixit: nolo mundum vsque ad certum tempus; sic Ribadineira *disput. 6. de scientia Dei num. 10.* & alij apud Quiros *in suo cursu disput. 107. sect. 1. nu. 4.*

42 Quarta est nonnullorum asserentium carentias rerum contingentium esse prorsus nihil, & nullam includere realitatem, neque positiuam, neque negatiuam, quæ sit à parte rei independenter ab intellectu.

43 Quinta denique sententia docet: carentias rerum contingentium esse entia purè abusiua & dari suo modo á parte rei à quolibet ente positiuo distincta tanquam non ens abente: ita Giattinus *in sua logic. loc. cit.* & defenditur à Scoto, Caietano, Molina, Suarez, Vasquez, Rubio, Mursia, Conimbricensibus, Hurtado, Arriaga, & alijs quos citat, & sequitur Comptonus *sect. cit. num. 5.* quibus positis sit.

44 Prima conclusio: implicat dari necessario debere singula positiua, cum quibus identificẽtur carentiæ contingentes: est contra primam sententiam.

45 Hanc conclusionem triplici ratione probat Giattinus *loc. cit.* primo: quia opposita sententia, dum carentias contingentes reales tollere nititur, eas videtur admittere, quod sic suadet: positiuum incompossibile cum lumine V. G. per suum esse positiuum aliquid exigit; sed hoc est non esse lumen: ergo cum nihil possit se ipsum exigere, sequitur non esse lumen ab hoc positiuo distingui: Secundo quia si non existens lumen formaliter aliud nihil est, quã existere positiuum oppositum: nullum esset inconueniens verificari duas propositiones contradictorias; sed hoc non est dicendum. ergo &c. Probat sequelam: quia propositiones cõtradictorias verificari formaliter in hac sententia esset existere duo positiua; sed in existentia duorum positiuorum, nisi vnum trahat negationem alterius, nulla apparet contradictio. ergo &c. Tertiò denique: quia sententia opposita ponit actu tot entia positiua, quot sunt entia possibilia, & sic semper essentialiter eadem entium multitudo deberet existere; sed hoc patet esse dissentaneum rationi. ergo &c.

46 Verum nulla mihi ex his rationibus, vt iacet, sententiam oppositam radicitus eradicare videtur, nisi vlterius corroboretur; ad primam enim dicere potest aduersarius se non negare carentias contingentes reales, sed solum esse à quolibet ente positiuo distinctas; & ad suasionem incontrarium responderet primo per retorsionem sic: carentia lucis, quæ per se consistit in ente abusiuo, aliquid exigit; sed non exigit se ipsam. ergo exigit non esse lucis á se distinctũ, quod est euidenter falsum. Responderet deinde secundo directè negando maiorem, ac dicendo contradictorium carentiatiuum, vt ita dicam, non comparari ad aliud contradictorium per modum exigentiæ, quæ importat actum primum, sed per modum excluſiui formalis, quæ importat actum secundum, & negat formaliter suum contradictorium esse, seu existere defacto, cum possit.

47 Ad secundam negaret sequelam. Ad cuius probationem distingueret maiorem: propositiones contradictorias verificari formaliter in hac sententia esset solum existere duo positiua qualiacumque, negaret; duo positiua incompossibilia, quæ inuicem se excluderent essentialiter, & indispensabiliter á parte rei, concederet; & sic distincta minore, negaret consequentiam; ac diceret quod, quemadmodum iuxta communem sententiam *in existentia simultaneæ lucis, quæ est ens positiuum, & tenebrarum, quæ sunt ens abusiuum absque eo* quod vnum *trahat negationem alterius, appareret contradictio, eo quod ipsæ tenebræ censẽtur* esse negatio lucis: sic in sententia aduersarij absque eo, quod positiuum oppositum luci trahat negationem ipsius lucis, dabitur cõtradictio, quatenus ipsum positiuum cum dicta negatione identificatur. Ad tertium deniq; concedet aduersarius sequelam, nimirum tot dari entia positiua, quot sunt creaturæ possibiles, atque adeo tantam entium multitudinem à parte rei existere, quanta est possibilium sed negabit minorem, videlicet id esse dissentaneum rationi. His igitur rationibus post habitis.

48 Hoc modo nostram conclusionem suaderem si quoties non datur aliqua creatura ex possibilibus, deberet necessario dari aliquod positiuum, cum quo illius creaturæ carentia identificaretur: sequeretur, quod non minus esset creatura ipsa carentia, quam res illa, cuius dicitur esse carentia; sed hoc tum fidei principijs, tum etiam rectæ rationi repugnat; ergo &c. sequela maioris probatur quia in hac sententia, positiua, quæ dicuntur singulis creaturis

turis opponi non ſunt entia abuſiua, ſed propria, alioquin hæc ſententia confunderetur cũ ea, quam quarto loco poſuimus. tum ſic: omne poſitiuũ proprium, vel creatum eſt, vel increatum; ſed hæc poſitiua non eſſent ens increatum, aliter non eſſent contingentia, & indifferentia ad exiſtendum, & non exiſtendum, neque ad multiplicationẽ rerum, quarum ſunt carentiæ, multiplicarentur. ergo erunt ens creatum, & ſic non minus eſſet creatura ipſa carentia, quam res illa, cuius diceretur eſſe Carentia. Minor verò principalis ſuadetur: primo quo ad prioſem partem: quia fide conſtat, nihil creatum, extitiſſe abæterno, ſed omnem creaturam productam à Deo fuiſſe in tempore atqui hoc repugnaret per aduerſarium, quia hoc ipſo, quod negaret ille, vt fidelis, mundi creationem factam fuiſſe à Deo ab æterno, deberet concedere abæterno creata fuiſſe omnia poſitiua, quæ creaturis in mundo exiſtentibus opponuntur. ergo &c. Secundo ſuadetur quo ad poſteriorem partem, quia recta ratio dictat, vt tribuamus diuinæ libertati in ordine ad operationes ſuas ad extra omnem maiorem perfectionem, quam poſſumus; ſed perfectior eſt illa libertas, quæ poſſit nullam prorſus rem creatam ponere ad extra, ſi velit, quam ea, quæ ex ſuppoſitione, quod nolit ponere vnam, ſit neceſſitata ad ponẽdam aliam illi oppoſitam; ſi quidem inde ſequeretur, quod non haberet Deus perfectiſſimum dominium ſupra creaturas ſuas, quia non poſſet pro ſuo libito omnibus, ſed vel his, vel illis exiſtentiam denegare. ergo ſententia de ſingulis poſitiuis rebus ſingulis oppoſita, eſt rectæ rationi contraria.

49 Primam hanc ſententiam huc vſq; impugnatam videtur primo modificaſſe Maurus in ſua Logica qu. 49 *citata*. dum ait, quod licet non habeat veritatem, loquendo de carentijs contingentibus æternis, quas ipſe exiſtimat idẽtificari cum diuinis decretis, vt vult tertia ſententia; eſt tamen vera, loquendo de temporalibus, quæ ſunt ſubiectis intrinſecæ, & ſi quidem huiuſmodi carentiæ ſunt priuationes excluſiuæ perfectionis indebitæ, dicit eſſe veluti ſubſiſtentias quaſdam, & terminos poſitiuos perfectionis debitæ; & ſic tenebras, quas noctis tempore habet aer, eſſe terminum quemdam poſitiuum accidentalem excluſiuum lucis, per quem aer ſiſtit in ſua perfectione ſine luce: ſin autem dictæ carentiæ ſint priuationes perfectionis debitæ, quæ reſpectu ſubiecti habent rationem mali, eas eſſe impedimenta quædam poſitiua boni debiti ipſi ſubiecto, quæ licet ſint ei mala: ſunt tamen bona agenti, quod ea introducit, & huiuſmodi eſſe calorem excludentem ab aqua perfectionem debitam frigiditatis, qui licet malus ſit aquæ, eſt tamen bonus igni agenti. Per quæ vitat duo abſurda, quæ contra principalem ſententiam inferebamus: nimirum extitiſſe creaturas ab æterno, & extitiſſe in tanta multitudine, in quanta erant creaturæ poſſibiles non exiſtentes ab æterno.

50 Verum hæc modificatio non procedit, quia ſine neceſſitate, vti ſuo loco videbimus, & quia contra communem ſenſum hæc entia poſitiua multiplicat, quis enim vnquam ſomniauit aerem noctis tempore conſtitui tenebroſum per terminum quemdam poſitiuum excluſiuum luminis, quem poſtea, ſole aduentante deperdat, aut cæcitatem formaliter conſiſtere in impedimento poſitiuo viſum excludente: nullus profecto. Deinde vtramque partem dictæ modificationis ſpecialiter impugno, & primo poſteriorem ſic: ſi calor eſſet priuatio frigoris reſpectu aquæ, ſequeretur, quod implicaret contradictionem informare vna cum frigore eandem aquam; ſed hoc eſt falſum; non enim poteſt aſſignari implicantia, cur non poſſit diuinitus eſſe aqua intenſe calida, & intenſe frigida. ergo falſum eſt carentias perfectionis debitæ eſſe impedimẽta poſitiua dictæ perfectionis.

51 Contra priorem verò ſic argumentor: ſi priuatio excluſiua perfectionis indebitæ eſt veluti ſubſiſtentia quædam, & terminus poſitiuus perquem ſubiectum in ſua perfectione quieſcit; ergo conſiſtit in indiuiſibili, ſicuti reliqui termini ſiue ſint ſubſtantiæ, ſiue qualitatis, aliunde verò debet eſſe intenſibilis, & remiſſibilis. nam perfectiones indebitæ ſunt huiuſmodi, alioquin vel quando aer V.G. illuminatur vt vnum tantum; hic terminus totaliter recedit ab aere, & hoc non, quia non eſſet formalis priuatio reliquorum gradum; vel cum primo gradu perſiſtit, & hoc neque, quia non eſſet formalis priuatio illius. Ad hæc quodlibet ſubiectum quam pluribus perfectionibus indebitis caret. Quæro ergo: vel pro ſingulis dantur ſinguli termini excluſiui, vel vnus tantum pro omnibus: non poteſt dici primum, quia perfectiones indebitæ, quibus Deus quamlibet ſubſtantiam creatam perficere diuinitus poteſt, ſunt finitæ in infinitũ, vti docent Theologi; quare hi termini oppoſiti eſſent cathegorimaticè infiniti, vt pote omnes actu. Neque ſecundum: quia vel ad aduentum vnius perfectionis remaneret, & ſic non eſſet Carentia illius, vel deſtrueretur, & ſic non eſſet carentia reliquarum.

52 Tria video poſſe hũc auctorem ad hæc reſpõdere: primò dicendo hunc terminum eſſe vnum diuiſibiliter, & differre à reliquis aſſignatis per hoc, quod illi non ſunt excluſiui diuerſarum perfectionum diuiſibilium; ſecundò eſſe quidem indiuiſibilem, ſed ad aduentum vnius perfectionis deſtrui, ac conſurgere alium, qui reliquis perfectionibus ſecluſa ea, quæ aduenit, aduerſetur. Tertio denique, quod non ſit formaliter, ſed virtualiter tantũ diuiſibilis, ita vt ad aduentum vnius perfectionis ceſſet ſecundum virtualitatẽ illi oppoſitam, non verò ſecundum entitatem ſuam, & alias virtualitates, per quas opponitur reliquis perfectionibus poſſibilibus.

53 Sed nullum ex his ſubulis eſt totum. non primum: tum quia non poſſet explicari quo modo excluſiones tot diuerſarum formarum vnam excluſionem totalem componere valerent; non verò poſſint hoc præſtare formæ ipſæ, à quibus dictæ excluſiones poſitiuæ ſpecificantur; tum etiam quia inde ſequeretur hunc terminum fore cathegorematicè infinitum; ſuppono enim ex communi Theologorum ſententia gratiam ſanctificantem ſicuti etiam viſionem bea-

Digitized by Google

beatam posse in infinitum á Deo intendi, ita vt nulla sit finita intensio assignabilis, supra quam Deus non possit aliam intentiorē producere, sed hoc supposito sequitur, quod tot gradus æquales actu habeat in Petro V. G. terminus iste positiuus exclusiuus gratiæ, seù visionis: quot posset habere in eo ipsa gratia, seu visio. ergo hæc entitas positiua, quam terminum aduersarius appellat, erit infinita cathegoremetice.

54 Neque est magis tutum secundum, quia esto quod in continua productione alicuius qualitatis V. G. Gratiæ per horam termini, qui sibi inuicem in productione, & corruptione continuò succederent, non essent infiniti in numero, at quilibet esset talis in perfectione essentiali; quod probo ex eo, quia quotiescumque datur entitas, quæ continet in se actu, & formaliter perfectiones maiores, & maiores finite in infinitum, illa est actu infinita; sed huiusmodi esset terminus indiuisibilis, si daretur. ergo &c. maior supponitur probata Disput: de comprehēsione in lib. de Anima. Minor verò suadetur: quia terminus exclusiuus omnium qualitatū indebitarum contineret formaliter perfectionem termini exclusiui duarum qualitatum, & perfectionem termini exclusiui trium qualitatum, & perfectionem termini exclusiui quatuor, & sic in infinitum; qui quidem termini ita se haberent, vt vnus esset perfectior alio; & idem dicendum de termino indiuisibili, qui visionem Dei, vel gratiam infinite intensam excludat ab anima. ergo &c.

55 Multo magis denique est tutum tertium latibulum; quia inde sequeretur, quod daretur in creatis distinctio virtualis in ordine ad prędicata realia; si quidē idem prorsus terminus positiuus, qui prius erat à parte rei formalis exclusio, & carentia vnius formæ, beneficio distinctionis virtualis aduenientе illa forma, nemine cogitante non esset amplius huiusmodi, & sic á se ipso realiter differret intrinsece absque eo, quod realiter acquireret, vel deperderet aliquid de nouo, quo semel ad misso omnis productio saltem substantialis tolli posset è mundo, semper ad virtualē distinctionē contingentiū recurrendo; quod quam sit absurdum, nemo non videt.

56 Eadem prima sententia videtur secundo modificari posse ex quadam doctrina, quam Pallauicinus *assertionum Theologicarum lib. 8. cap. 40.* agens de complemento diuini actus liberi tradit; ibi enim duo asserit: vnum *num. 305.* nimirum in omni sententia admittendas esse aliquas veritates obiectiuas æternas non necessarias, & nihil perfectionis formaliter addentes vlli enti: alterum *num. 307.* hoc est, huiusmodi veritates obiectiuas non identificari realiter cum vlla existentia, atque adeo esse distinctas à Deo, & à quolibet ente potente existere: quibus positis dici potest: singula positiua, cum quibus identificantur carentiæ contingentes esse huiusmodi veritates obiectiuas, quia sunt verificatiuæ propositionum, quæ ab æterno rebus contingentibus existentiam negant. Iam verò contra huiusmodi veritates non habet vim argumentum nostrum, quia cum non sint capaces existentiæ, non habent propriè rationē neque entis creati, neque increati, & sic non contradicunt fidei doctrinæ, docentis nihil creatum extitisse ab æterno.

Sed neque hæc posterior modificario habet 57
probabilitatem; nam veritates obiectiuæ æternæ non necessariæ à Deo distinctæ ideo communiter conceduntur, quia omnes admittunt ab æterno dari rerum positiuarum contingentium carentias, quæ sint entia merè abusiua, quæq; sint verificatiuæ propositionum contingentium ab æterno veritatem habentium. Sed hæc sententia negat huiusmodi carentias; ergo non potest se tueri per has veritates obiectiuas. Minor, & consequentia videntur certa. Maior verò probatur, quia ideo censemus hanc propositionem (mundus habebit in tempore existentiā) habere ab æterno suam veritatem obiectiuam, quia per totam æternitatem à parte ante ita extitit negatio mundi, vt importaret pro aliqua differentia temporis existentiam mundi positam à parte rei. Et id circo putamus hanc aliā propositionem (Alius mundus non erit futurus) ab æterno etiam suam peculiarem veritatem obiectiuam habere, quia per totam æternitatem tum à parte ante, tum à parte post habebitur existentia negationis illius sine vlla interruptione durans; & quidem de his veritatibus obiectiuis sic acceptis verissimum est, quod non identificentur realiter cum vlla existentia; neque aliquid perfectionis vlli prorsus entitati addant, eo quod dicunt in recto carentias, quæ non habent verum esse, sed abusiuum tantum. Pallauicinus verò non solum ab hac nostra doctrina non dissentit, sed eam maximè approbare videtur, dum *num. 305.* Sententiam de admittendis veritatibus obiectiuis æternis non necessariis probat ex eo, quia qui tueantur actus Dei liberos compleri per aliquod extrinsecum, concedunt ab æterno *negationes vt complementa actuum negatiuorum. Iam verò cum* omnis actus liber *Dei de re in tempore futura* habeat multum *de negatiuo, quatenus non* vult illam rem *existere, nisi in certo tempore*, loco &c. hinc fit, vt id circo veritates obiectiuæ, per quas ab æterno verificantur propositiones de existentia rerum futurarum, in tempore, admittantur ab æterno, quia supponuntur importare negationes earumdem rerum per totam æternitatem à parte ante suo modo existentes, & quidem in hoc sensu loquuntur Augustin. *lib. 26. contra Faustum cap. 5.* & Anselmus *in Monologio cap. 17.* ab eodem auctore dicto *num. citi.* Ponentes veritates æternas distinctas ab omni ente, per quas verificatur res contingentes esse futuras.

Dices: Pallauicinum putare has *veritates* obiectiuas æternas non necessarias à Deo distinctas, & non intrinsecas illi, esse *ens*, vt patet *ex num. 307.* vbi hoc probat ex Aristotele qui *9. metaph cap. 12.* triplicē diuisionē entis agnoscit: primā quidē in decē prædicamenta, secundā in ens actu, & ens potentia, tertiam deniq; in verū, & falsum. Vnde concludit dari per philosophū aliquod ens contingens, quod consistit in sola veritate, aut falsitate, quodq; neque pertineat ad decem prædicamenta, neque sit vel potentia, vel actus. 58

Respon-

Digitized by Google

59 Respondetur Pallauicini sententiam distinguendo, & siquidem putat huiusmodi veritates obiectiuas æternas non necessarias extra Deum secundum id quod dicunt in recto, esse ens abusiuum, eam libenter admitterem quia cum huiusmodi veritates importent ab æterno existentiam carentiarum rerum contingentium, quæ vti videbimus sunt ens abusiue: recte dici possunt æternæ absque vlla vera existentia: sin autē existimet huiusmodi veritates æternas extra Deū obiectiuas esse ens reale positiuum, eā pænitus reijcio. quia inuehit in rerū naturā quoddā genus entis huc vsque omnibus incognitum, & in intelligibile, quod nimirum aliquid sit ens reale positiuum, & nihilominus sit ab æterno quid contingens non identificatum cum Deo, nullam existentiam habens; omne enim ens contingens distinctum à Deo ad hoc vt sit, indiget ab eius omnipotentia dependere. omnipotentia autem non aliter operatur, quam communicando existentiam rebus, circa quæ operatur. ergo implicat has veritates obiectiuas esse entitates æternas a Deo distinctas, & tamen non existere.

60 Ad auctoritatem autem Aristotelis, quam ad suam sententiam confirmandam Pallauicinus adducit, aio: tertiam illam distinctionem entis non importare verum, & falsum obiectiuum; nam impossibile est quod falsitas obiectiua sit entis species; sed verum, & falsum formale, quod in nostris intellectionibus habetur, quas constat esse reales; veritas enim, & falsitas quia reperiuntur in compositione prædicati cum subiecto, quæ per verbum, est á nobis explicatur, rectè inter differentias diuisiuas entis connumerari possunt. hoc autem quod dicimus constat ex ipso philosopho, qui *loc. cit.* tertium hoc diuisionis membrum explicans subdit: hoc autem in rebus est compositione, & diuisione vnde *D. Th. ad mentem philosoph. in 2. scripto lib. 3. dist. 6. qu vnica art. 2. in 2. p. corporis* distinguit triplex esse, rationis, essentiæ, & existentiæ, porro primum membrū correspondere tertio Aristotelis luce clarius est. sed melius hoc constat *ex quolib. 9. art. 3.* vbi sic esse dicitur, vt patet per philosophum vno modo secundum quod est copula verbalis significans compositionem cuiuslibet enunciationi, quam anima facit. vnde hoc esse non est aliquid in rerum natura; sed in vsu animæ componentis, & diuidentis; & sic esse attribuitur omni ei, de quo potest propositio formari siue sit ens, siue priuatio, dicimus enim cæcitatem esse quid clarius contra Pallauicinum.

61 Vrgebis ex *num. 310. D. Th. p. p. qu. 34. art. 3. ad 2.* admittit relationes Dei ad creaturas quæ non sequantur actionem immanentem qualis est scire, & velle, & sint ab æterno; cum igitur concedas huiusmodi relationes esse reales, & neget illas realiter esse in Deo, rectè colligitur, quod admittat veritates obiectiuas æternas cum dictis relationibus identificatas. Respondeo per *D. Th.* relationes reales rigorosè acceptas debere esse intrinsecas fundamentō vt vidimus in logicis cum de relatione, atq; adeo cum has neget esse in Deo, constare, quod nō agat de relationibus proprie acceptis, quo posito dico: nihil aliud per eas intelligere, quam denominationes extrinsecas, quas habent creaturæ ab æterno, ex eo quod diuina volitio, & scientia versantur circa illas; per hoc enim creaturæ rectè dicuntur ab æterno volitæ, & scitæ, non obstante quod in se ipsis nihil sint actualiter per totam æternitatem á parte antea in propria mensura: ex hoc autem non bene colligi dari veritates obiectiuas contingentes, quæ in se ipsis sint entia realia æterna; sed non existentia, nemo non videt.

SECTIO QVARTA.

Statuitur contra secundam sententiam carentias contingentes non identificari cum rebus possibilibus quarum sunt carentia.

62 SEcunda conclusio: repugnat carentias contingentes esse res ipsas positiuas possibiles, quarum sunt carentiæ. est contra secundam sententiam, propugnatur tamen per extensum à Comptono *disput. 18. log. 2. & 3.*

63 Probatur primò quia res possibilis est eadem cum re existente; idem enim mundus V. G. qui fuerat ab æterno possibilis, positus fuit à Deo in tempore á parte rei, & non alius; alioquin Deus non posset producere rem illam, quæ est possibilis, sed aliam. atqui carentia rei existentis non potest esse eadem cum ipsa re existente: alioquin eadem res simul esset, & non esset: ergo implicat vt carentiæ contingentes identificentur cum rebus possibilibus, quarum sunt carentiæ.

64 Probatur secundò, quando dicitur quod carentia Antichristi identificatur cum Antichristo possibili, vel possibile sumitur pro potente existere vel sic, siue demum existat, siue non, vel pro pure possibili; neutrum dici potest, ergo &c. maior patet quia terminus possibile in vtramque habet significationem, vt supra vidimus. Minor verò probatur, & quidem quo ad priorem partem videtur certa, nam de Antichristo pro sua differentia temporis existente cum veritate affirmatiua quod sit possibilis in prima accepsione, sed implicat vt verificetur de eo tunc quod sit carentia sui ipsius, ergo &c. quo ad posteriorem verò partem eadem minor suadetur, quia pure possibilis potest potentiam ad existendum dicere puritatem, sed hæc puritas nil aliud importare potest, nisi carentiam existentiæ, alioquin assigna mihi cur hic mundus nunc existens non possit dici pure possibilis, possit verò dici pure possibilis alius mundus, qui numquam existet; ergo carentiæ contingentes rerum creaturarum non in earum possibilitate vt sic, sed in earum absentia á statu existentiæ consistunt.

65 Propter hæc, & alia argumenta quidam dicunt huiusmodi carentias contingentes esse quidem res ipsas possibiles non absolutè, sed pro vt connotant propositiones negatiuas, quæ de ipsis rebus existentiam negant, esse veras V. G. carentiam alterius mundi esse quidem alterum mundum possibilem, sed non, nisi cum

notantem veritatem huius propositionis, quæ dicit: alter mundus non datur: ita nonnulli apud Quiros *disput. 46. num. 8.*

66 Verum hæc modificatio non procedit, quia vt hæc propositio (alius mundus non datur) vera sit, necessario ex parte obiecti suum verificatiuum habere debet; cum enim sit in materia contingenti, non potest sustineri quod eius veritas sit totaliter sibi intrinseca, sed debet esse partim intrinseca, & partim extrinseca; sed mundus possibilis, quatenus importat potentiam ad existendum, non est sufficiens verificatiuum dictæ propositionis; nam etiam si existeret, adhuc posset existere, & tamen propositio esset falsa; aliunde verò dicto verificatiuo ex parte obiecti semel habito, non est necesse ad veritatem formalem negatiuæ propositionis confugere. ergo non saluatur carentia alterius mundi per eius possibilitatem connotantem veritatem propositionis negantis illum existere.

67 Confirmatur: quia mundum existere non importat mundi possibilitatem connotantem propositionem, quæ de eo affirmet existentiam esse veram; sed importat positionem sui à parte rei, quam beneficio existentiæ obtinet; ergo & mundum non existere neque importabit eius possibilitatem connotantem propositionem, quæ de illo negat existentiam esse veram; sed non esse mundi, quod per negationem existentiæ à possibilitate, & propositione distinctam habeatur. Consequentia patet paritate. Ratio verò à priori eum antecedentis, tum consequentia est, quia veritas propositionis, quæ de mundo affirmat, vel negat existentiam, est quid posterius ad eius existentiam vel carentiam existentiæ; nam ex eo, quod res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa. ergo est impertiens ad ponendum mundum sub existentia, vel sub negatione existentiæ.

SECTIO QVINTA.

Determinatur carentiæ contingentes non esse decreta Dei nolitiua rerum, quarum sunt carentiæ.

68 TErtia conclusio: implicat contradictionem carentias contingentes rerum non existentium esse formaliter ipsa diuina nolitiones liberas, & efficaces, quibus Deus efficaciter non vult ipsas res contingentes esse. Giattini *in suo Cursu quæst. 2.* Quiros in suo cursu *disput. 46. num. 9.* & alii. Quoniam verò oppositam sententiam aliqui recentiores valde promouent, ita vt prudenter vereor me paulatim in reliquorum animos irrepsisse, eosque ad sensibilitatem adduxisse, ideirco operæ pretium duxi eorum plurimas argumentationis impetere, quod per sequentes subsectiones præstare conabor, solando quo hæc tenus aliquibus fuit explicentes, pro dicunt carentias esse quas ipsas positiuas connotantes talium rerum Dei circa eas voluntatem, nemen ipsa earum decreta identificant & res positiuas, vt earum obiecta requirantur videre est apud Quiros *loc. cit.*

SVB SECTIO PRIMA.

Proponuntur tria argumenta, quorum primum ex scripturis, reliqua vero ex natura decreti liberi deducuntur.

PRobatur primo nostra conclusio omnibus illis Sacræ scripturæ locis, in quibus ea, quæ dicuntur de tenebris, impossibile est, quod verificentur de decretis Dei nolitiuis, quibus efficaciter non vult lucem; deberent autem verificari, si carentiæ contingentes, cuiusmodi sunt tenebræ, cum dictis decretis identificarentur *Iob. 17. in tenebris stravi lectulum meum.* hic autem locus bene verificatur de loco, vt habente in se carentiam luminis; nulla autem ratione de eodem loco vt habente decretum Dei nolitiuum; tum quia non habet illud intrinsecè: tum etiam quia, si quoquo modo habet in eo vt affecto tali forma, morari materiam potius gaudij, quam mœroris, ei debuisset afferre. *Psal. 81.* reprehenduntur impij quod in tenebris ambulent. Profecto si tenebræ sunt decreta Dei, laudandi potius essent, quod ambularent in illis, quam vituperandi. *Eccles. 2. transitiui ad contemplandam sapientiam, errores que, & stultitiam; & vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* iam si stultitia est carentia contingens sapientiæ, & tenebræ lucis, hoc ipso, quod carentiæ sunt decreta Dei stultitia deberet dici, quod præcederet sapientiam, & tenebræ lucem, & non è contra; quo modo enim verum esse potest, quod creatura Creatorem, suum præcedere valeat. 69

Neque dicas sapientiam & lumen præter se ipsa importare decreta Dei volitiua illorum, & in hoc sensu posse dici *meliora nolitionis*, quæ non important aliud *præter se ipsa*. Contra enim est: nam Creaturæ neque totaliter, neque partialiter *sunt decreta Dei, sed ea præsupponunt; atque adeo sumi nequeunt vt includentes ipsa decreta. Ioan. 3. dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* quamuis autem hoc dictum spiritualiter intelligendum sit: si tamen tenebræ essent decretum Dei, & consequenter quid incomparabiliter melius lumine importarent: male ad explicandam hominum dementiam dictum fuisset eos magis tenebras dilexisse quam lucem; sic enim operando se prudentissime gessissent. *2. ad Corinth. 6. quæ societas lucis ad tenebras, quæ autem conventio Christi ad Belial.* Porrò si vera esset aduersaria sententia, potuissent Apostolo respondere Corinthij, quod Christus, qui est lux mundi habet magnam Societatem, imo identitatem cum tenebris: nil ergo mirum si conuentionem habeat ad Belial. Denique *primæ Ioan. 1. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* hoc autem esset aperte falsum si tenebræ materiales essent decreta eius nolitiua. Neque dicas sensum horum verborum esse allegoricum, & significare in Deo non esse cognitiones confusas, & ignorantiam rei aliquius

Digitized by Google

cuius. tum quia propositio est vniuersalis negatiua, atque adeo omnes prorsus tenebras tam materiales, quam spirituales excludit à Deo: tum etiam quia licet tantum allegoricè pro tenebris spiritualibus intelligerentur; adhuc falsa esset, nam vt consequenter loquantur aduersarii, debent etiam asserere, quod etiam carentiæ rerum spiritualium contingentes sint decreta diuina nolitiua, & sic ignorantia, & inscitia omnium prorsus hominum, & angelorum cum omni proprietate esset in Deo; quo quid absurdius?

72 Confirmatur vlterius, id quod dicimus, supponendo ex scripturis formalem malitiam peccati in priuatione rectitudinis debitæ positam esse vt patet ex dictis, tum sic; Implicat, quod summa bonitas possit esse formalis malitia tum quia nisi excluderet à se omnem rationem mali non esset summa. tum etiam quia malitia formalis primo, & per se reddit malum habentem: sicuti bonitas bonum, atqui diuina nolitio vtpote idem realiter cum Deo est summa bonitas per essentiam; ergo &c.

72 Probatur secundò ratione ex decretis eructa: decreta libera Dei siue volitiua sint, siue nolitiua non sunt totaliter Deo intrinseca alioquin haberetur contingentia, & defectibilitas in entitate diuina, sed vltimo complentur per aliquod contingens extra Deum; atqui in hoc extrinseco dici debet, quod adæquatè consistant carentiæ contingentes. ergo implicat quod cum ipsis decretis nolitiuis Deo intrinsecis huiusmodi carentiæ identificentur. Minor huius argumenti est euidens, ex suppositione enim quod nolitio, qua Deus noluit alium mundum, completur per aliquod extrinsecum, hoc non potest esse quid positiuum, vti supra vidimus, & melius apparebit ex dicendis *sect. 6.* ergo erit necessario negatiuum, & quidem conting ens, & sic carentiæ contingentes non identificabuntur cum diuinis nolitionibus Deo intrinsecis; sed cum extrinsecis connotatis illarum. Propter hoc aduersarii negant maiorem, aiuntque se supponere decreta Dei libera esse totaliter intrinseca ipsi Deo, & addere supra entitatem eius necessariam, perfectionem quandam virtualiter distinctam, quæ in se ipsa sit virtualiter contingens, & defectibilis.

73 Verum hæc sententia de decretis Diuinis totaliter intrinsecis nunquam mihi placere potuit, quia ex ea, vt videtur, tria sequuntur absurda summæ necessitati diuinæ valde repugnantia. primum est, quod aliquid, quod defacto realiter est Deus, potuisset realiter non esse. Secundo, quod aliquid, quod defacto realiter non est, potuisset realiter esse Deus. Tertio denique quod pro quacumque creatura siue volenda siue nolenda, diuersa entitas Dei realiter assignanda sit; quæ si semel aduersarij dicant non esse absurda, eaque ratione virtualis distinctionis, & contingentiæ deuorent; adstringendi sunt cur nō etiam deuorent: Deum cum omnibus suis creaturis defacto identificari, & solum virtualiter ab illis distingui, quamuis successu temporis generentur, & corrumpentur? eadem enim prorsus ratio militare videtur, vt infra probabimus. Deinde singulas sequelas breuiter probo; & primam quidē sic: nolitio, qua Deus ab æterno noluit alium mundum, quamuis defacto sit virtualiter ab eo distincta, realiter tamen est idem cum Deo, atque adeo in sensu reali Deus est; sed si Deus ab æterno voluisset alium mundum, dicta nolitio realiter non fuisset. ergo aliquid, quod defacto realiter est Deus, potuisset absolutè non esse. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur: si enim fuisset: vel virtualiter distincta ab entitate Dei, vel virtualiter indistincta fuisset; etenim quodcumque est identificatum alteri, alterutro ex his modis identificatum illi esse debet, vt de se patet. atqui dicta nolitio non fuisset in Deo virtualiter ab illo distincta, aliter in Deo extitissent duo contradictoria formaliter, velle, scilicet, & nolle efficaciter idem prorsus obiectū, nempe alium mundum; neque fuisset in eo virtualiter indistincta propter eandem rationem, quia quandiu vnum ex contradictoriis existit, siue demum ponatur distinctum virtualiter ab aliquo alio, siue indistinctum, implicat, quod existat alterum contradictorium; alioquin non esset formalis exclusio illius; & defacto aduersarij ponunt carentiam alterius mundi ita identificatam cum nolitione Dei de illo, vt nè virtualiter quidem distinguatur ab ea, & nihilominus dicunt exercere cum dicto mundo formalem contradictionem. ergo &c.

Quod verò etiā sequatur secundum absurdū 74
ex eo, patet quia defacto realiter nō est in Deo volitio alterius mundi, sed casu, quo Deus voluisset alium mundum: esset in eo dicta volitio, atque adeo identificaretur illi, ergo aliquid, quod realiter nihil est, vere potuisse realiter esse Deus. Omnia potent præter maiorem, quæ ex modo dictis facile euincitur: nam si dicta volitio defacto esset realiter in Deo: vel esset virtualiter distincta ab illo, vel virtualiter indistincta. vtrumuis dicatur sequitur, quod Deus modo efficaciter vellet, & nollet existentiam alterius mundi, & sic in eo essent duo contradictoria formalia, quæ contradictionem suam inuicem exercerent. ergo &c.

Dices volitionem alterius mundi realiter esse 75
in Deo, sed beneficio distinctionis virtualis illū non constituere volentem: sicuti paternitas realiter est in filio, & tamen non constituit illum Patrem. Verum in hoc est lata disparitas, quia paternitas inuenit in filio positiuam incapacitatem ad essendum patrem, at volitio alterius mundi nullam incapacitatem in Deo reperit: si quidem aque ab eo distinquitur, ac nolitio. Linquo paritatem procedere à secundum quid ad simpliciter. Paternitas enim licet nō constituat secundam personam patrem: at constituit primam. sicuti igitur implicat esse realiter paternitatem in Deo, & nullam personam constituere patrem, ita esse volitionem alterius mūdi, & non constituere Deum volentem.

Tertium denique absurdum, quod pro qua- 76
cumque creatura siue volenda siue nolenda diuersus numero Deus assignandus esset, si decreta essent Deo totaliter intrinseca; probatur etiā quia facta illa hypotesi, quod decreta essent Deo tota-

Digitized by Google

totaliter intrinseca, & virtualiter ab illo distincta: alia esset entitas Dei si vellet Petrum, & alia, si nollet illum; alia si vellet Paulum, & alia si illum nollet; & sic discurrendo per singulas Creaturas possibiles. ergo pro quacumq; creatura, siue nolēda siue volēda diuersus numero Deus assignandus esset. Consequētia videtur certa, quia diuersitas numerica, & alietas entitatis ponunt, & tollunt se adinuicem. antecedens vero suadetur, quia facta illa hypotesi: si Deus vellet Petrum existere, eius entitas identificaretur realiter cum decreto volitiuo Petri, & distingueretur nemine cogitante à decreto nolitiuo eiusdem; è contra vero si nollet Petrum existere, identificaretur cum decreto nolitiuo, & distingueretur à volitiuo illius, sed per aduersarios huiusmodi decreta sunt formaliter contradictoria in Deo; ergo alia esset entitas Dei si vellet Petrum, & alia si illum nollet existere; Consequentia hæc suadetur, quia entitas illa, quæ identificatur cum vno contradictorio contingente est necessario diuersa ab entitate, quæ idētificatur cum altero vti supra vidimus, non obstante virtuali distinctione.

77 Confirmatur, quia qui sustinent diuinam omnipoaentiam esse essentialiter connexam cum singulis creaturis, non possunt negare, quod si per impossibile aliqua creatura V.G. Bucephalus euaderet impossibilis, Deus deberet esse alius numero, ab eo, qui nunc est. ergo qui sustinet diuinam entitatem esse identificatā cum efficaci volitione Petri totaliter accepta, multo magis tenetur concedere, quod casu quo Deus noluisset efficaciter Petrum: Diuina entitas deberet esse alia numero ab ea, quæ nunc est. probo consequentiam, quia intantum implicante Bucephalo Deus esset alius, in quantum connexionem intrinsecam, quam cum eo defacto habet in illo casu impossibili amitteret; sed casu quo Deus noluisset efficaciter Petrum, non solum virtualitatem intrinsecam quam defacto habet de illo efficacitet ponendo, non haberet; sed etiam haberet aliam oppositam. ergo multo magis tenetur concedere huiusmodi alietatem entitatis diuinæ, qui decreta totaliter intrinseca in Deo ponit. scio multos ingeniosissimos viros, qui adeo putarunt absurdum incasu illo impossibili de Bucephalo implicante concedere alium numero Deum habendum necessario esse: vt hoc solo nomine negauerint Deū cum creaturis esse connexum. quanto maius absurdum existimandum est asserere, quod defacto pro quacūq; creatura, siue volēdasiue nolēda alius assignādus sit Deus, & quod vnus numero sit ille qui vult vnam creaturam. & alius ille, qui non vult eandem. prefecto mihi horret animus id asseuerare.

78 Respondent aliqui primò. Tres has sequelas, quas ego ex dicta opinione intuli, habere veritatem ex suppositione, quod aduersarij concederent, casu quo Deus voluisset alium mundum: nolitionem quam defacto habet de illo nunc, realiter non esse extituram; sed hoc ipsi negant, & solum docent non esse extituram formaliter in ratione nolitionis.

79 Verum hæc responsio destruit principium illud ab omnibus communiter propugnatum: implicare nimirum contradictionem, quod vna formalitas possit esse totaliter intrinseca alicui entitati per identitatem; & nihilominus entitas illa eadem realiter perseueret, siue demum dicta formalitas pereat formaliter siue non, & rectè nam inde sequeretur, quod formalitas esset simul, & non esset illi entitati identificata. esset quidem vt supponitur, non esset autem, quia entitas illa, siue eam haberet, siue non, eadem numero prorsus remaneret, quemadmodum igitur non patet aditus ijs qui ponunt essentiā Dei esse intrinsece cum creaturis connexam ad virtualem distinctionem recurrere: ita neque aduersarijs.

Respondent alij secundo: posito quod decreta Dei libera in virtualitate quadam Deo adæquate intrinseca consistunt, & solum virtualiter ab eo distinguantur sequi: duplex esse in ipsis reperiri: alterū ab ipsis omnino indistinctū, & solum virtualiter distinctum à Deo: alterum è contra omnino indistinctum à Deo, & virtualiter solum ab ipsis decretis liberis distinctum. Propterea negant huiusmodi decreta absolutè, & simpliciter posse deficere; & contingentiam habere sed solum concedunt posse deficere, & esse contingentia secundum quid, eo quod ad absolutam deficientiam, & contingentiam, inquiunt, necesse est vt secundum vtrūque esse deficere, seu contingere valerent, quod impossibile est. eandem distinctionem applicant ad primum esse eorumdem decretorum virtualiter à Deo distinctum, dicunt enim illud non posse deficere seu contingere nisi tantum secundum quid; non vero absolutè, & simpliciter, quia licet non existat necessario ratione sui, existit temen necessario ratione alterius esse ab ipso Deo omnino indistincti, & per hanc distinctionem putant aduersarij se nostris tribus sequelis absurdis satisfeciſſe. 80

Verum eos in re tam euidenti his involucris 81
se palpare, & nobis mera verba dare sic suaderem: Quando dicunt *decreta Dei libera non potuisse deficere absolutè sed solum secundum quid*, quæro ex eis num particula illa, secundum quid, alienet terminum (deficere) à propria ad impropriam significationem, vel non, sed tantum illud restringat seu diminuat. si primū; ergo nulla erit vera contingentia sed solum ficta, & vmbratilis sicuti quando dicimus homo mortuus, vel pictus est in aula: nullum verum hominem significamus, quia per illa adiuncta, homo, non amplius animal rationale significat, & sic argumenta facta in suo robore perseuerant: sin autem dicatur secundum: contra est quia tum restrictio tum diminutio propriam termini significationem relinquit cum hac tamen differentia, quod prior coarctat illam, sicuti quando dicimus omnis homo doctus. vox (doctus) significationem veri hominis relinquit sed non sinit eam ad omnes homines excurrere. Posterior vero, eam diminuit vt quando dicimus Aethiops est albus secundum dentes: additum (secundum dentes) veram importat albedinem, & solum facit significare terminum album non absolute sicuti deberet sed secundum quid, hoc est, secundum partem; sed vtrumuis dicatur

Digitized by Google

catur vera deficientia atque contingentia in entitate Dei concedenda esset ab aduersarijs; ergo tradita distinctio nulla est.

82 Contra etiam est secundo: ex suppositione, quod decretum volitiuum mundi non fuisset in Deo, sed potius nolitiuum fuisset: vel omnia prorsus, quæ de facto realiter nunc sunt in Deo, fuissent tunc, vel non: si primum ergo, decretum volitiuum mundi, & nolitiuum sunt prorsus idem, nec habent per quod inuicem discriminentur, quod quam sit absurdum nemo non videt. sin autem dicatur secundum: ergo aliquid realiter Deus habet nunc, quod tunc non habuisset & è contra. si hoc concedit loquendo de aliquo secundum quid.

83 Contra est tertio, quia hoc aliquid secundũ quid non est prorsus nihil, ergo verum importat esse, quo careret Deus, casu quo noluisset hunc mundum. sic personalitas cum diuina natura comparata potest dici habere esse secundum quid: ergo si per impossibile Patris personalitas non fuisset in Deo, aliquid realiter Deo deesset, ita in casu nostro.

84 Contra denique quartò quia tertiò hoc ipso quod duplex esse in decreto Dei volitiuo mundi recognoscis, & concedis primum esse, ab eo omnino indistinctum, non esse fictitium: cogeris concedere, illud esse reale. ergo dum dicis secundum hoc esse huiusmodi decretum potuisse deficere, non potes negare aliquid realiter in Deo potuisse nõ esse; quæ cõsequẽtia cum ex positione virtualitatis contingentis in Deo euidenter sequatur: dicendum est implicare contradictionem aliquid contingens posse esse enti summè necessario identificatum secundum totum, quod importat & solum virtualiter distinctum ab illo, Atque hæc occasione accepta ab aduersarijs.

85 Probatur tertiò principalis conclusio: etiam si decreta libera Dei sint illi totaliter intrinseca implicat carentias contingentes cum nolitionibus eius efficacibus identificari; ergo &c. antecedens sic suaderem: implicat quod carentia alicuius rei simul existat cum re cuius est carentia; Sed nolitio, qua Deus noluit per totam æternitatem à parte antea hunc mũdum existere, non ablata est quando hic mũdus postea in tempore creatus fuit, sed existit, & existet per totam æternitatem à parte post. ergo implicat quod carentia contingens mundi identificetur cum dicta nolitione, & idem dico de reliquis carentijs contingentibus. maior patet, quia de essentia contradictoriorũ est, vt ad aduentũ vnius recedat alterum alioquin nõ se inuicẽ formaliter excludunt. Minor verò probatur quia decreta Dei libera quãuis ab æterno potuerint non esse in Deo, posito tamen quod semel fuerunt, non possunt per totam æternitatem non existere. aliter Deus mutabilitatem in sua voluntate subiret, modo volendo, & modo non volendo eandem rem.

86 Ad hoc argumentum respondeti potest dupliciter, & primò quidem supponendo sententiam Giattini *in Physic. qu.* 14. *art.* 2. necnon etiam Lineci *lib.* 7. *Physic. tract.* 1. *cap.* 4. asserentium quod licet rei, quæ nunquam existeret detur duplex carentia: altera, quæ sit ipsius rei, altera verò quæ sit durationis illius; rei tamen quæ aliquando existit non detur nisi carentia durationis illius, quo posito negant implicare carentias contingentes cum nolitionibus diuinis identificari; & ad eius probationem concedunt maiorem: nimirum implicare carentiam rei existere simul cum re cuius est carentia; sed ad minorem dicent: nolitionem, qua Deus noluit per totam æternitatem a parte ante hunc mundum existere, non fuisse carentiam mundi sumpti secundum substantiam, sed in ratione durantis per totã æternitatem à parte antea, atque adeo excluisse tantum durationes æternas à parte ante; cum quibus nunquam verificari potest, quod simul extiterit, sed bene cum alijs, quas habuit mundus quando cepit durare, quarum nulla fuit in Deo nolitio; sed potius volitio omnium, & sic implicat carentiam vllius rei posse existere cum re, cuius est carentia.

Verum hæc responsio falsum supponit quia 87
mundus per totam æternitatem á parte ante vsque ad instans A, in quo creatus est, non solum non fuit durans, sed etiam non fuit simpliciter alioquin non ipse secundum substantiam suam productus esset in instanti A; sed eius duratio tantum, & sic deberet dici: creaturas, quæ aliquando extituræ sunt, esse ingenerabiles, & incorruptibiles, secundum se, & non nisi secundum durationes suas generalitati, & corruptibilitati esse subiectas, quod si etiam secundum se, ergo quandiu non sunt adhuc productæ, & postea quam destructæ sunt, non solum carentia durationis illarum, sed etiam sui ipsarum concedenda est; denique non potest assignari quid habuerit mundus ab æterno, ratione cuius debuerit excludere ab æternitate à parte antea, carentiam sui secũdum substantiam considerati, nisi decretum Dei affirmatiuum de creando illum in tempore; sed ex hoc sequitur quod huiusmodi decretum sit formalis inclusio mundi, sicuti dicunt aduersarij, quod negatiuum sit formalis exclusio; ergo, cum hæc sequela non sit concedenda vt patebit ex dicendis: tenendum est per totam æternitatem á parte ante non solũ extitisse carentiam durationis mundi, sed etiã carentiam substantiæ eius.

Obijcies fundamentum oppositæ sententiæ: 88
Affirmatiua propositio (mundus est) habet pro suo verificatiuo existentiam mundi; contra verò negatiua, (mundus non est) carentiam dictæ existentiæ. sed posita existentia mundi propositio affirmatiua simpliciter vera est; & falsa negatiua; ergo ita datur verificatiuũ affirmatiuæ, vt nullo modo detur verificatiuum negatiuæ. alioquin simul verum esset mundus est, mundus non est. sola igitur carentia durationis mundi antecedenter ad eius creationem præcessit.

Respondeo supponendo quod ita propositio 89
affirmatiua habet pro suo verificatiuo existentiam mundi, vt eadem pro falsificatiuo habeat carentiam existentiæ illius; contra verò negatiua

Digitized by Google

gatiua ita habet pro suo verificatiuo carentiã existentiæ, vt habeat etiam pro suo falsificatiuo existentiam. quare cum mundus aliquando non fuerit, & aliquando fuerit; neutra propositio habere potest determinatam veritatem, vel falsitatem, nisi in ordine ad determinatum instans temporis imaginarij: & siquidem in eo est mundus, affirmatiua erit vera, & negatiua falsa; contra verò si in eo non fuit mũdus, negatiua vera, & falsa affirmatiua; nec mirum, est enim vtraque indefinita in materia contingenti; quare prius exponenda est, vt vera, vel falsa esse pronuncietur. Iuxta hanc traditam doctrinam, distincta maiore; distinguo etiam minorem: posita existentia mundi, affirmatiua vera est, & negatiua falsa: si vtraq; cadat supra illud instans, in quo existit mundus, concedo; si vtraque cadat supra illud instans, in quo mundus non existit, vel supra instantia diuersa, nego minorem, & consequentia. Ad cuius probationem dico non esse absurdum, simul mundum esse, & non esse, simultate imò identitate se tenente ex parte mundi in ordine ad diuersa instantia; absurdum verò esse mundum simul esse, & non esse simultate se tenente ex parte mundi in ordine ad idem instans; & ratio est quia ad saluandã terminorum contradictionem necessaria est eorum constantia, vt summulistæ docent, hoc est, vt seruetur identitas temporis, loci, & reliquarum similium circumstantiarum.

90 Vrgebis primò: negatio est malignantis naturæ. ergo vt propositio, mundus non est, sit vera, nunquam per totam æternitatem debet baberi mundus sub existentia. ergo é contrario, vt sit semper vera affirmatiua, sufficit si existat aliquando mundus. ergo nulla est distinctio tradita.

91 Respondeo distinguendo antecedens: & siquidem negatio sumatur secundum totam suã vim, concedo: sin autem eius vis coarctetur, nego antecedens; & sic distinguo eodem modo primum consequens: vt propositio (mundus non est) sit vera, nunquam debet existere mũdus, si sumatur negatio secundum totam suam vim, concedo si restringatur eius vis: nego primam consequentiam. Distinguo postea secundum consequens: vt sit semper vera affirmatiua, sufficit si existat aliquando mundus: posito, quod restringatur ad significandum determinatum tempus, in quo existit mundus, concedo; si extendatur ad quodcumque aliud tempus, nego secundam, & tertiam consequentiam; à qua, vt incipiam, dico in propositionibus contradictorijs de subiecto singulari in materia contingenti negationem non solere sumi secundum totam suam vim, vt patet in his: Petrus non loquitur; quis enim ad huius negatiuæ veritatem vnquam requisiuit, quod Petrus nunquam loquutus, nec loquturus sit; quoniam verò huiusmodi erant illæ propositiones: mundus existit: mundus non existit: id circo nil mirum, si determinationem in ordine ad idem tempus in vtraque seruandum esse indistinctione tradidimus; quod si negationem huius propositionis: mundus non existit, secundum totam suam vim velit accipere aduersarius: concedo eam esse absolutè falsam, quia æquiualet vniuersali, respiciendo quodcumq; tempus, & per hoc semper veram esse eius contradictoriam: mundus existit, quæ æquiualet particulari. Quoniam verò sic accepta ad suam veritatem perpetuo habendam satis est, si determinatum tempus, in quo existit mundus, respiciat (si enim respiceret aliud, in quo non existit, esset proculdubio falsa) hinc fit, vt, ex eius veritate pro quocumque tempore habita, male colligatur antecedenter ad mũdi creationem non fuisse, nisi carentiam durationis illius; fuit enim vtraque, carẽtia vt patet atq; hæc quantum ad primam responsionem.

Ad idem principale argumentum respondent secundò aduersarij, negando antecedens, & ad eius probationem distinguunt maiorem: implicat, quod carentia alicuius rei simul existat cum re, cuius est carentia, pro eo tempore, pro quo exercet rationem carentiæ, concedunt, pro alio tempore, pro quo carentiæ rationem minimè exercet, negant: vt sic distinguunt minorem: nolitio, qua Deus noluit mundum ab æterno, non fuit ablata, existente in tempore mundo; & tunc temporis non exercebat, nec postea exercuit rationem carentiæ, concedunt; & tunc temporis exercebat dictam rationem, negant minorem, & cõsequentiam. Ad probationem autem maioris distinguunt eodem modo propositionem illam: de essentia contradictoriorum est, vt ad aduentum vnius recedat alterum, pro eo tempore, pro quo contradictoriè opponuntur, concedunt: pro alio tempore, pro quo non seruatur contraditio, negant. Et ad probationem minoris dicunt, quod licet decretum illud nolitiuum mundi per totam æternitatem à parte ante fuerit formalis carentia, & exclusio mũdi, ita, vt implicaret pro eodem æterno tempore mundum existere: *aduenientè tamen instanti A. in quo Deus decreuit creare mundum, non fuit amplius, neque erit per totam* æternitatem á parte post formalis carentia, & exclusio ipsius mundi.

Sed contra hanc solutionem facit, quia 93
non potest assignari quid de nouo aduenial in instanti A. ratione cuius decretum Dei nolitiuum non amplius contradictoriè opponatur cum existentia mundi, nisi vel ipsum instans A. vel ipsa mundi existentia: neutrum soluit difficultatem. ergo &c. Maior patet. Minor probatur quo ad primum; quia vel nomine instantis A. intelligunt instans reale, & hoc non, quando quidem instans reale supponit mundum existentem, in quo subiectari debuit, vel instans imaginarium? & hoc neque: quia cum hoc non sit quid positiuum creatum vel cum esse necessario Dei, vel cum eius decreto identificari debet per aduersarios, & sic redit argumentum: quid de nouo sit in instanti A. ratione cuius nolitio Dei, non amplius cõtradictoriè cum existentia mundi opponatur.

Quod ad secũdum verò eadem minor suadetur, quia existentia mundi non sufficit; alioquin posset quis dicere quodlibet existens es-

Digitized by Google

ſit carentiam cuiuslibet non exiſtentis, & quãdiu hoc non exiſtit, exercere contradictionẽ ſuam cum illo, eo verò aduentante non exercere illam amplius. Confirmatur quia ſi videremus calorem in ſummo exiſtentem in ſubiecto ad aduentum frigoris non ceſſare: male quis defenderet calorem eſſe contrarium frigori, dicendo quod licet contrarietatem non exerceat pro eo tempore, pro quo exiſtit frigus, exerceat tamen illam pro eo tempore pro quo non exiſtit. ergo á pari. Propter hæc & ſimilia argumenta aduerſarij dicunt: id quod aduenit de nouo in inſtanti A ratione cuius diuinum decretum nolitiuum mundi non fuit amplius excluſio mundi; fuiſſe nouam partem durationis Dei æternæ tali determinato tempori affixam, ac correſpondentem. putant enim æternitatem Dei eiuſque durationem conſtare ex partibus fluentibus virtualiter inter ſe, & abſque Dei entitate diſtinctis, beneficio quarum tum Deus, tum eius decreta diuerſis partibus temporis correſpondeant; quo poſito dicunt: decreto illi nolitiuo quo Deus ab æterno noluit exiſtere mundum, id quod de nouo aduenit in inſtanti A. ratione cuius ceſſauit eſſe carentia excluſiua mundi; fuiſſe durationem illam virtualiter diſtinctam dicto inſtanti correſpondentem, & ſic decretum illud non quomodocumque acceptum eſſe carentiam excluſiuam mundi, ſed pro vt durans per totam æternitatem à parte ante vſque ad illud inſtans A excluſiue, & hoc beneficio durationis virtualiter diſtinctæ, quam denouo, habet in hoc inſtanti, ſub qua exiſtens incipit non eſſe amplius carentia mundi.

95 En quo modo ad laxiora paulatim progrediuntur Aduerſarii: ex diſtinctione enim virtuali decretorum immutabilium in Deo tranſeunt ad diſtinctionem virtualem durationum ſucceſſiuarum, quæ virtualiter in tempore varientur in illo; quod quam ſit indignum séeire de Deo, nemo eſt qui non videat: quamuis enim aduerbium illud, virtualiter, mutationi additum ſit particula diminuens: quia tamen dat cauſam impingendi Deo impune quaſcumque abſurdiſſimas notas, id circo quantum fieri poteſt, ſalua fide, exterminandum videtur; probo cauſalem: ſi ſemel concedamus Deum poſſe ſubire virtualiter mutationẽ intrinſecam in durationibus, non poteſt aſſignari cur eandem mutationem virtualem ſubire nequeat in actibus intellectus, & voluntatis, & de non ſciente, ac non volente aliquid fieri in tempore, ſciens, & volens illud, ſed hoc eſt abſurdum, vt de ſe patet. ergo &c. Probo ſequelam quia non minorem perfectionem debet habere Deus ab æterno in ratione durantis; quam in ratione ſcientis, & volentis. ergo ſi ab æterno potuit non habere ſimul totam ſuam durationem intrinſecam: non eſt cur ab æterno non potuerit nõ habere ſimul totam ſcientiam, & totam determinationem voluntatis. ſi dicant maiorem rationẽ eſſe quia ab æterno fuiſſet ignorans, & indeterminatus. Contra: quia non eſt abſurdum per aduerſarios, quod ab æterno fuerit virtualiter potentialis in ordine ad durationes temporaneas. ergo neque debet eſſe abſurdum, quod fuerit virtualiter ignorans, & indeterminatus: ſiquidem quod eſt ignorantia diuino intellectui, & indeterminatio voluntati, hoc eſt potentialitas diuinæ entitati vt de ſe patet.

SVBSECTIO SECVNDA.

Adducitur quartum argumentum ex mutatione deſumptum.

PRobatur quarto concluſio; ſi Deus efficaciter nollet Gabrielem nunc exiſtere: profecto deberet dari in hoc inſtanti aliqua mutatio deſtructiua ſubſtantiæ Gabrielis, & productiua carentiæ eius. ſed hæc mutatio deberet eſſet neceſſario extra Deum. ergo carẽtia Gabrielis non poteſt conſiſtere in decreto nolitiuo ipſius; conſequentia patet, & maior eſt certa: quia iuxta hanc ſententiam, quam impugnamus, iam carentiæ contingentes conceduntur; minor verò ſuadetur quia ſi qua mutatio daretur in Deo: ea non eſſet formalis ſed virtualis, quatenus intelligeretur Deus de volente ipſius exiſtentiam Gabrielis, in hoc inſtanti tranſire in nolentem. ſed mutatio deperditiua Gabrielis eſt formalis, nam re vera ſubſtantia Gabrielis, quæ prius erat. non eſt amplius in rerum natura. ergo dicta mutatio debet neceſſario eſſe extra Deum, alioquin omnia in mundo remanerent ſicuti prius. 96

Ad hoc argumentum reſponderi poteſt primo: conceſſa maiore, diſtinguendo minorem: hæc mutatio deberet eſſe neceſſario extra Deũ quatenus eſt deſtructiua ſubſtantiæ Gabrielis concedo, quatenus eſt productiua carentiæ illius nego minorem, & ad eius probationem, conceſſa item maiore, diſtingui poſſet eodem modo minor ſic; mutatio deperditiua Gabrielis eſt formalis pro vt eſt deſtructiua exiſtẽtiæ Gabrielis, concedo: pro vt acquiſitiua carentiæ illius nego minorem, & conſequentiam. 97

Sed hæc reſponſio impugnatur ex eo, quia mutatio illa formaliſſime pro vt intelligitur eſſe deſtructiua Gabrielis, debet eſſe productiua carentiæ illius; ergo repugnat quod vno modo accepta ſit mutatio formalis, & alio virtualis. conſequentia patet, & antecedens euincitur. quia per hoc præcisè quodquis intelligat mutationem illam vt deſtructiuam Gabrielis, & quouis alio circumſcripto, habet conceptum, quod per eam Gabriel habeat in nihilum; ſed mutatio, per quam res poſitiua abit in nihilum, cum habeat pro termino ad quem ipſum nihilum, per hoc præcisé intelligitur acquiſitiua ipſius nihili; ergo &c. 98

Reſponderi poteſt ſecundó ad idem argumentum, diſtinguendo alio modo minorem: mutatio illa debet neceſſario eſſe extra Deum pro vt ſe tenet ex parte termini á quo, concedent: pro vt ſe tenet ex parte termini ad quem, negabunt; & ad probationem in contrarium: conceſſa maiore, ad minorem dicent mutationem deperditiuam Gabrielis eſſe quidem formalem pro vt ſe tenet ex parte termini à 99

Digitized by Google

bi à quo; qui annihilatur; non autem pro vt se tenet ex parte termini ad quem; qui est decretum nolitionis Dei; atque adeo quid totaliter Deo intrinsecum; posse enim rem aliquam mutari formaliter intrinsece per formam extrinsecam incompossibilem; patet ex casu posito; nam in communi sententia Gabriel si annichilaretur mutaretur quidem intrinsecè. sed carentia abusiua; quæ ex tali mutatione haberetur; non reciperetur intrinsecè in illo quia ille non esset.

100 Verum contra hoc; quod vltimo loco dictum est, facit, quod licet in mea sententia in qua sustineo dari rerum essentias ab æterno saltem sit in annihilatione Gabrielis carentia abusiua, quæ ex tali mutatione consurgeret; non recipi intrinsece in eius essentia; id tamen admisso iuxta communem sententiam; & loquendo de carentijs priuatiuis respectu subiecti existentis; vt de carentia luminis in aere; falsum est eas non esse suis subiectis intrinsecas; sicuti enim verè de aere tenebroso dicitur quod intrinsecè non habet lucem: ita, & verè quod intrinsecè habet carentiam lucis quod si hic discursus non valet in Gabriele annihilato; ratio est quia in eo non habetur constantia subiecti; contra verò habetur in aere; & sic saltem carentiæ priuantes subiecta aliqua forma debent esse illis intrinsecæ; quia posita subiecti existentia; ex his propositionibus contradictorijs; vel habet intrinsecè formam vel non habet intrinsecè formam; alterutra verificari debet.

101 Deinde contra responsionem principalem sic insurgo ex membro concesso; mutatio illa debet necessario esse extra Deum pro vt se tenet ex parte termini à quo; ergo & pro vt se tenet ex parte termini ad quem. consequentia probatur: nam ideo debet esse extra Deu pro vt se tenet ex parte termini à quo; quia terminus à quo debet formaliter desinere, sed etiam terminus ad quem debet formaliter incipere; ergo &c. Maior per aduersarios debet esse certa, vt patet ex creatione ipsius Gabrielis; cuius mutationē de non esse ad esse dicunt debere esse extra Deum vice uersa, pro vt se tenet ex parte termini ad quē, & non à quo, eo quod terminus ad quem debet formaliter incipere; ergo &c. Minor verò suadetur: quia formalis desitio Gabrielis nihil aliud est quā formalis inceptio suæ carentiæ; loquor in hac sententia carentias concedente; nam per hoc formaliter definit aliquid; quia nimirum eius carentia incipit formaliter esse. ergo si mutatio annihilatiua Gabrielis debet esse extra Deum pro vt se tenet ex parte termini á quo; etiam debet esse extra Deum pro vt se tenet ex parte termini ad quem; nimirum ex parte carentiæ; saltem ad vitanda multa Deo indigna, quæ alioqui affirmanda de eo necessario essent; nimirum quod ipse Deus esset nichilū Gabrielis, & cuiuscumque creaturæ; insuper quod esset mors ipsa formalissima temporalis omnium hominum; & denique quod esset per se ipsum immediatè mors æterna omnium damnatorum. siquidem mors æterna illorum est pœna damni, quæ in priuatione visionis Dei formalissime consistit. profectò ab his dictis omnes piæ aures refugere debent; & rectè; videtur enim turpe hæc sentire de Deo. Sed vt redeamus ad argumentum modo factum dico; illud etiam valere ad suadendum mutationem illam deperditiuam Gabrielis ex parte termini ad quem, esse quoque formalem; siquidem in tantum pro vt se tenet ex parte termini à quo est formalis; inquantum dictus terminus à quo debet formaliter transire de esse ad non esse. sed hoc ipso eius terminus ad quem debet à contrario formaliter transire suo modo de non esse ad esse: dico suo modo, vt præscindam ab esse proprio, & abusiuo. ergo &c.

Ad probandam hanc minorem in qua tota 102
difficultas consistere videtur suppono: me non contendere terminum ad quem dictæ mutationis annihilatiuę Gabrielis, debere esse Gabrieli intrinsecum; id enim in præsentia non facit ad rem; solum ergo intendo suadere terminum ad quē, hoc est carentiam Gabrielis inmutatione dicta debere formaliter transire suo modo de non esse ad esse, quod sic præstarem: carentia Gabrielis, casu quò annihiletur Gabriel, debet necessario aliquo modo transire de non esse ad esse; sed non sufficit vt transeat virtualiter. ergo debet transire formaliter. Maior videtur certa quia in eo casu debet dari de nouo verificatiuum huius propositionis: Gabriel non existit; quod non habebatur antea; quia antea existebat. ergo carentia illa debet necessario aliquo modo transire de suo non esse, ad suum esse. Minor verò suadetur supponendo quod transitus virtualis dictæ carentiæ in sententia aduersariorum consistit in eo; quod decretum quo Deus ab æterno noluit Gabrielem existere in instanti A. V. G. incipiat habere de nouo durationem virtualiter distinctam dicto instanti correspondentem, ratione cuius incipiat esse formalis exclusio seu carentia Gabrielis. Tum sic: in annihilatione Gabrielis non sufficit vt terminus ad quē qui est eius carentia; dicto modo transeat de non esse ad esse; quod probo: quia in dicta annihilatione terminus ad quem debet transire de non esse ad esse secundum substantiam suam, & non secundum partem virtualem suæ durationis tantum; sed iuxta explicationem traditam terminus ad quem, qui est diuina nolitio Gabrielis transiret secundum partem suæ durationis tantum. ergo non sufficit vt terminus ad quem dicto modo transeat; maior; quæ sola probatione eget; euincitur. nam terminus ad quem in dicta mutatione debet esse contradictoriè oppositus termino à quo sed terminus à quo nempe Gabriel transit de esse ad non esse secundum substantiam suam, & non secundum partem durationis; sic enim transiret de esse sub duratione B. V. G. ad non esse sub eadem duratione. ergo vt terminus ad quem contradictoriè illi opponatur non secundum partem durationis tantum, sed secundum substantiam suam debet transire de non esse ad esse. Explicatur id quod dicimus. Ad saluandum, quod Gabriel transeat per

crea-

creationem de non esse, vel per annihilationem de esse ad non esse, non sufficit, quod mutetur formaliter secundum durationem tantum; ergo neq; in casu nostro sufficiet, vt eius carentia mutetur virtualiter secundum durationē tantum.

103 Dices: Carentia Gabrielis secundum se non opponitur contradictoriè ipsi Gabrieli secundum se, nisi per ordinem ad idem instans: non enim est absurdum: quod pro vno instanti sit Gabriel, & pro alio eius carentia. ergo nil mirum, si decretum Dei nolitiuum de nolendo Gabrielē in instanti A. non nisi pro vt virtualiter durans in eodem instanti intelligatur inducere rationem contradictorij negatiui ipsius Gabrieli.

104 Respondeo, distinguendo antecedens: carentia Gabrielis non opponitur contradictoriè Gabrieli nisi per ordinem ad idem instans, si faciat hunc sensum, vt pro omni, & quolibet instanti, pro quo existit carentia, debeat contradictoriè opponi Gabrieli existenti, concedo; si vero faciat hunc alium sensum, quod sufficiat, si opponatur pro certo quodam, & determinato instanti; nego antecedens, & consequentiam. Explico: quando dicitur, quod carentia Gabrielis in ordine ad idem instans opponitur cōtradictorie Gabrieli, non est sensus, quod ad contradictionem saluandam sufficiat, si pro certo quodam, & determinato instanti illum excludat; hoc enim falsum est, quia inde sequeretur, quod in reliquis instantibus posset existere simul cum illo, absque eo quod contradictionem exerceret; sed sensus est, quod pro omnibus, & singulis instantibus, in quibus dicta Gabrielis carentia existit, excludat ab illis omnibus, & singulis Gabrielem. Quoniam verò decretum, quo Deus non vult existentiam Gabrielis, non est huiusmodi, siquidem est determinatum ad excludendum illum ab vnico tantùm instanti, quod parti durationis æternæ correspondet: ideo non potest habere rationem carentiæ illius.

105 Respondebunt forte: hoc ipso, quod Carentia Gabrielis ponitur identificata cum diuino decreto negatiuo, necessario deduci, ad substantiam talis carentiæ pertinere determinatam durationem, alioquin dicendum esset Deum in tempore se determinare ad volendum, vel nolendum aliquid, quod est manifestè falsum. Verum hæc responsio obfirmationem animi, non argumenti solutionem manifestat. Hoc enim ipso, quod ex vna parte videamus terminū contradictorium proquolibet instanti, pro quo existit, contradictionem suam exercere, neque sibi vendicare specialem durationem, vt in ratione contradictorij constituatur; & ex alia, quod decreta nolitiua Dei non sunt huiusmodi: debebant potius colligere aduersarij dicta decreta non opponi cum rebus contingentibus contradictione, quam asserere ex speciali priuilegio sibi vendicare, quod pro certo tantum, & determinato tempore cum illis contradictionem exerceant.

SVB SECTIO TERTIA.

Quintum, & Sextum argumentum ex decreto nolitiuo depromptum.

PRobatur quinto eadem assertio: si decretum nolitiuum esset formale exclusiuum rei nolitæ, sequeretur, quod nolitiuum esset formale inclusiuum rei volitæ; consequens est absurdū, ergo &c. Minor est euidens: quia sic nulla daretur res, quæ vere & propriè esset creatura; omnia enim realiter identificaretur cum Deo. Sequela vero maioris probatur paritate; & vltrius confirmatur ex eo, quod minus distat decretum Dei volitiuum à formali inclusione rei volitæ, quam nolitiuum à formali illius exclusione. si quidem volitiuum conuenit cum formali inclusione in eo; quod vtrumque sit quid positiuum, at formalis exclusio cum sit non esse rei, distat à diuina volitione, sicuti non ens ab ente; quod si contendas formalem exclusionem esse etiam quid reale, adhuc debes disparitatem assignare: cur hæc identificari possit cum diuina nolitione, non autem formalis inclusio cum volitione. 106

Duplex disparitas ad hoc argumentum à paritate desumptum afferri potest: prima est, quia formalis exclusio rei contingentis non potest esse causata per realem influxum ab omnipotentia, & solum essentialiter importat incompossibilitatem cum re, quam formaliter excludit. Quoniam vero vtrumque de diuina nolitione verificatur: hinc fit, vt cū ea formalis exclusio identificetur. contra vero formalis inclusio rei contingentis, cum non distinguatur ab ipsa re contingente, debet physicè à diuina potentia per realem influxum dependere: atque adeo esse quid imperfectum, atque finitum; quæ omnia diuinæ volitioni, quæ est realiter idem cum ipso Deo, conuenire non possunt. Vnde non est mirum, si hæc duo debeant necessario realiter inter se esse distincta. 107

Sed contra hanc responsionem facit primo, quia incausabilitas, quæ rerum carentijs tribuitur, arguit in illis maiorem imperfectionem ea, quam habent res, quarum sunt carentiæ: eo quod causabiles sunt, nam oritur ex eo, quod cum sint non entia, non possunt ad dependendum à Deo per physicum influxum assurgere; contra verò incausabilitas, quæ competit Deo, maximam in eo perfectionem importat, quia oritur ex eo, quod Deus sit ens à se; quare tantum abest, vt carentiæ possint identificari cum Deo propter incausabilitatem, quam habent, vt hoc solo nomine maiorem importent repugnantiam ad huiusmodi identificationem, quam res ipsæ, quarum sunt carentiæ: siquidem hæ, quamuis creaturæ sint, atque adeo finitæ, & limitatæ perfectionis; habent tamen, quod sint ens reale positiuum valde cum essentia diuina connexum, & ab illa participatum, quod de carentijs affirmari non potest. Aliunde verò tanta efficacitate pollit res contingentem à parte rei decretum nolitiuum: quanta ponit illam volitiuum. ergo ex parte formalis exclusionis rei contingentis incausabilitas, & incompossibi- 108

Digitized by Google

litas non bene assignetur pro maiori ratione, ob quam formalis exclusio identificari debeat cum diuina volitione, non autem formalis inclusio cum volitione.

109 Contra tandem responsionem, quatenus assignat ex parte formalis inclusionis pro disparitate dependentiam physicam ab omnipotentia: sic argumentaretur. Hoc ratio euincit multo minus formalem exclusionem rei contingentis cū diuina volitione identificari posse. ergo male assignatur ab aduersarijs pro ratione cur inclusio formalis cū diuina volitione minime identificatur; consequentia videtur certa, antecedens vero probatur: quamuis formalis exclusio, quia importat non esse, non pendeat per physicum influxum ab omnipotentia, tamen pendet ab illa indirectè, siquidem hoc ipso, quod omnipotentia per decretum volitiuum Dei intelligitur claudi, & determinari, ne in rem aliquā contingentem influat, statim formalis exclusio dictæ rei intelligitur suo modo ab illa producta & per hoc indirectè ab ea pendere. ad eum plane modum quo, hoc ipso, quod eadem omnipotentia per decretum volitiuum intelligitur aperiri, & determinari ad rem illam producendam; statim inclusio formalis dictæ rei intelligitur per physicum influxum ab illa producta & per hoc directè ab ea dependere. ergo formalis exclusio habet totam eam subiectionem, ac subordinationem ad diuinam omnipotentiam, quā habet formalis inclusio præter physicam dependentiam. cum igitur certum physicæ dependentiæ maiorem argat imperfectionem, quam in formali inclusione dependentia ipsa physica; rectè deducitur quod ratio ducta ex physica dependentia ad probandum formalem inclusionem cum diuina volitione minimè identificari, conuincit, multo minus formalem exclusionem cum volitione eadem identificari posse.

110 Atque ex his patet quam longe aduersariorum sententia à veritate absit. nam prima notio carentiæ, seu, quod idem est, formalis exclusionis rei positiuæ contingentis essentialiter importat per se ipsam formaliter, & in eodem signo, in quo intelligitur existere, rem positiuam excludere. Porrò hoc de nolitione diuina verificari non posse satis ex dictis probatum videtur. Nam ibi debet aliquam nolitionem, & exclusionem rei bonæ inesse præcedere debere omnipotentia, quæ vt determinata per ipsam nolitionem debet à re opportuna productione abstinere, si supponitur quòd illa producta, vel si producta ab eius conservatione cessare, & sic indirectè alias carentias suo modo producere. Atque hoc quidem postrema amplius declaratur supponendo, quod Deus Gabrielem conseruauerit vsque ad instans x. exclusive, & quod in eo instanti efficaciter & libere voluerit cessare. cum sic hæc nolitio vt intelligatur excludere Gabrielem à rerum natura, ab aliquo priori signo præcedere debet, quod omnipotentia huic nolitioni obediat, ac ampliùs Gabrielem conseruet, quare si per impossibile Deus non pareret illi præcedenti nolitiuo Dei, Gabrielem in eo instanti non amitteret existentiam, clarum est igitur dictam nolitionem per se formaliter, & immediatè exclusiuam Gabrielis, sed media omnipotentia, quatenus videlicet illam sibi perfectè subordinat, atque determinat, ne amplius influat in Gabrielem, vt de fit vt nolitiones Dei in rigore loquendo non formaliter, sed causaliter solum determinando videlicet omnipotentiam, res contingentes excludant: sicuti volitiones illas includunt: dixi, in rigore loquendo, quia non nego posse etiam concipi diuinam nolitionem vt formam extrinsecè denominantem Gabrielem nolitum, & sic conceptam esse essentialiter exclusiuam existentiæ illius; sed solum contendo: oppositionem, quam habet cum illa non esse priuatiuam seu contradictoriam, sed formalem tantum, sicuti est ea, quæ inter consensum, & dissensum, ac amorem, & odium efficax eiusdem obiecti reperitur atque adeo Gabrielem destructum non esse effectum formalem primarium dictæ nolitionis, sed secundarium tantum.

111 Secunda verò disparitas ad principale argumentum supponit omnem actum voluntatis diuinæ debere semper circa aliquod à se realiter distinctum tanquam circa obiectum directum indispensabiliter versari, alioquin si esset volitio, (inquiunt) nihil vellet, si nolitio nihil nollet, hoc enim ipso quod vellet, vel nollet seipsam, deberet explicari quid esset ly se ipsa quod fieri nequiret, nisi explicando idem per idem. Hoc supposito, inferunt volitionem, si est efficax, debere obiectum suum directum ponere. atqui volitio non potest obiectum suum directum formaliter ponere per se ipsam, quia supponitur illud esse realiter distinctum à Deo cum quo ipsa identificatur. ergo debet illud ponere causaliter ingenere efficientis. Contrariò, nolitio non est cur non possit obiectum suum per se ipsam formaliter tollere, quia nihil contingit absurdi, quod quid creatum tollatur formaliter per aliquid increatum. Atque hæc ratio disparitas cur volitio diuina non sit formalis inclusio rei volitæ; sit verò formalis exclusio nolitio rei nolitæ.

112 Verum neque hac disparitate quidquam proficit Aduersarius. nec mirum: falsò enim nititur fundamento: omnem scilicet actum voluntatis diuinæ debere semper circa aliquod realiter à se distinctum tanquam circa obiectum directum indispensabiliter versari. si quidem nemo negat Deum necessario amare se ipsum tanquam obiectum directum, & tamen hic actus vt potè est intrinsecus non potest non esse realiter identificatus cum ipso Deo. quemadmodum igitur sufficit distinctio rationis inter hunc actum, & eius obiectum, & per hoc saluatur, quod dictus actus non velit formaliter se ipsum, neque sit volitio directè sui ipsius: ita dici potest quòd sufficiat similis distinctio in casu nostro. discedo hoc disparitatis gradus fundamento, facili negotio fabrica super imposita dissoluetur: dico enim quod semel admissa diuinam nolitionem posse ipsam formaliter nolitore obiectum suum directum, non sic euidenter volitio non ponat per se ipsam formaliter sui. Iam enim haberetur sufficiens distinctio rationis inter ipsam, & obiectum directum, quatenus esset volitio inclusiui formalis mundi V. G. si vel-

vellet mundum; Angeli, si Angelum &c. nam alia est ratio volitionis mundi, alia vero formalis inclusionis illius. per priorem enim se haberet vt actus, per posteriorem verò vt obiectum, & ei è diametro corresponderet nolitio, quatenus haberet pro obiecto directo, à quo fugeret, volitionem mundi V. G. & esset formale exclusiuum illius, quatenus illa esset formalis inclusio mundi. en in quas ineptias hæc sententia inducit sequentes se, eos nimirum adstringit vt, haritate rationis coacti, concedant, quod sicut omnis carentia rei possibilis contingentis identificatur realiter cum Deo, & solum virtualiter ab illo distinguitur; eodem modo omnis res positiua sit idem realiter cum eo, & virtualiter solum distinguatur ab illo, quoniam, vero hoc secundum est valdè à principijs fidei alienum, & omni bonæ philosophiæ repugnans: viderint aduersarij quid de primo sentiendum sit, ex quo illud secundum tanquam consequétia necessaria abstrahendo à fide procedere videtur.

113 Probatur denique sexto conclusio ad homines contra aduersarios: quia ipsi tuentur, quod diuina nolitio mundi sit carentia diuinæ volitionis eiusdem mundi. ergo implicat, quod sit carentia mundi. Probo consequentiam: quoties vnum essentialiter est aliud esse, toties implicat, quod carentia vnius sit carentia alterius. sed volitio mundi non est mundus ipse: distinguuntur enim realiter inter se ista duo. ergo hoc ipso quod nolitio mundi sit carentia volitionis mundi, implicat quod sit carentia mundi.

114 Respondent concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem distinguunt maiorem: quoties vnum non est aliud, & non connectuntur essentialiter inter se quo ad existentiam: toties implicat quod carentia vnius sit carentia alterius, concedunt: quoties vnum non est aliud, & essentialiter in existendo connectuntur, ita vt implicet vnum existere non existente alio, negant maiorem, & sic distincta minore, negant consequentiam. dicunt enim quod licet volitio diuina mundi non sit mundus; verumque tamen simul poni, & simul tolli necessario debeant quo ad existentiam; vnde non apparet cur non possint vnum exclusiuum formaliter simul habere.

115 Verùm contra hanc responsionem facit primo, quia non potest assignari ratio cur, mutua connexio inter decretum nolitionis mundi, & ipsum mundum non valeat identificare eorum entitates: valeat autem identificare eorum carentias. ergo &c. Contrà secundo non magis distinguuntur essentialiter diuina volitio mundi, & ipse mundus, quam eorum carentiæ si quidem hæ sumunt suam specificationem intrinsecam à rebus, quarum sunt carentiæ. ergo sicut essentialis distinctio prohibet nè mundus, & volitio diuina mundi identificentur: ita debet prohibere nè identificentur eorum carentiæ. Contrà denique tertio etiam si mundus, & volitio mundi sint essentialiter connexa: volitio tamen vt potè determinatiua omnipotentiæ ad mundū causandum se habet vt prior natura respectu illius. ergo casu, quo Deus nollet mundū

amplius existere, nolitio mundi deberet in priori naturæ excludere ipsam volitionem, quam mundum. deberet enim verificari hæc causalis: ideo mundus cessat, quia cessat volitio, quæ omnipotentiam determinabat ad conseruandum illum. atqui nolitio opposito modo se habere deberet si esset exclusio vtriusque, nam illius deberet esse primo, & per se exclusiua, quod primò, & per se respicit, tanquam obiectum directum per modum fugæ: id autem est mundus, si quidem huius est nolitio; à volitione verò conseruatiua illius, tanquam ab obiecto indirecto deberet refugere, quatenus esset conseruatiua mundi, & sic in posteriori deberet esse exclusiuà illius, sed hoc repugnat; nam sic cessatio volitionis in eodem genere causæ conseruantis mundum, esset prior, & posterior cessatione mundi. ergo non opponitur contradictorie vtrique. neque recurrat aduersarius ad diuersum ordinem intentionis scilicet, & executionis, nam formalis exclusio solum arguit ordinem executionis.

116 Nihilominus posse vnam negationem contradictorie opponi pluribus positiuis in hunc fere modum probant aduersarij in sententia admittentium durationem distinctam, si non esset vna, & eadem carentia Petri eiusque durationis hodiernæ, alterutra ex eis non haberet id quod contradictorie opponeretur. Consequens est absurdum vt patet. ergo &c. probant sequelam, carentiam durationis hodiernæ solum tollit formaliter Petrum à tempore hodierno, & sic esset contradictoria durationi hodiernæ. carentia verò Petri secundum se simpliciter non tollit à rerum natura eius hodiernam durationem; alioquin vnaque carentia eidem contradictorie opponeretur. ergo tollit Petrum secundum se, sed in hoc esset, semel quod daretur hæc carentia, numquam posset haberi entitas Petri pro statu reali. ergo non datur hæc carentia. omnia patent præter subsumptum, quod suadetur ex eo, quia carentia Petri secundum se sumpta, & ipse Petrus secundum se acceptus contradictorie opponuntur.

117 Respondeo me in physicis durationem distinctam negasse, & per hoc corruere totum argumentum in mea sententia, sed illa in præsenti data, nego sequelam maioris, & ad eius probationem concessa prima antecedentis parte, distinguo antecedens secundæ, carentia Petri secundum se non tollit à rerum natura eius hodiernam durationem formaliter concedo, non tollit consequenter nego; cum enim duratio vt potè mundus implicet existere sine rè, cuius est duratio, quamuis carentia Petri sit realiter à carentia suæ durationis hodiernæ distincta, & hoc ipso quod hodie est carentia Petri primo, & per se tollit quidem à rerum natura Petrum, at consequenter, & secundario tollit etiam eius durationē. Distinguo posteà consequens eiusdē secundæ partis. ergo carentia Petri tollit Petrum secundum se, hoc est eo ipso quod sit in aliquo instanti, habet vim illum excludēdi à quocumque alio consequenti, nego. hoc ipso quod sit in aliquo instanti, habet vim excludendi illū ab eodem instanti concedo consequentiam; & sic

sic distinguo subsumptum: & siquidem carentia Petri secundum se haberet vim excludendi Petrum in sensu negato, concedo; quod si semel haberetur hæc carentia, nunquam posset haberi entitas Petri: posito, quod habeat vim excludendi Petrum secundum se, in sensu concesso, nego subsumptum, & consequentiam; dico enim carentiam Petri dupliciter intelligi posse excludere Petrum secundum se; primo: ita vt posito, quod detur in vno instanti, habeat vim, & exigat excludere Petrum à quolibet alio instanti; secundo ita: vt posito, quod detur in vno instanti, exigat excludere illum ab eo instanti, non vero ab alijs, nisi ex suppositione, quod detur in illis.

118 Primus intellectus est falsus, imò impossibilis: quia cum eius carentia extiterit ab æterno reddidisset Petrum impossibilem in tempore: secundus verus, sed non fauet aduersarijs; quia ex eo sequitur carentiam Petri à carentia durationis hodiernæ eiusdem esse distinctam, eo, quod possit Petrus creari cras, & sic expellere carentiam sui secundum se acceptam à rerum natura absque eo, quod expellat carentiam durationis hodiernæ, quia iam non durat hodie. Verum autem carentia durationis hodiernæ cras sit eadem cum ea, quæ est hodie, nonnullus negauit; eo quod ea, quæ existit hodie, habet excludere aliquid possibile, nempe durationem hodiernam ab hodie; illa verò, quæ existit cras, habet excludere aliquod impossibile, quandoquidem implicat cras hodiernam durationem existere. Sed ego cum communi affirmatiuè respondeo, & hac ratione vtetur, quæ esset etiam contrarij argumenti solutiua: carentia durationis hodiernæ siue existat hodie, siue etiam cras habeat pro suo termino contradictorio eandem numero durationem possibilem; ergo falsum est, quod ratione diuersorum terminorum diuersificetur; consequentia patet ex doctrina aduersarij; antecedens probatur: quia duratio Petri hodierna cras non amittit suam possibilitatem, quam habet hodie; ergo est eadem numero. Probo antecedens: quia in sententia durationem admittente distinctam circa possibilitatem illius eodem modo discurrendum est, sicuti discurrunt illi, qui negant potuisse dari creaturam ab æterno. Quemadmodum enim hi contendunt fuisse veram per totam æternitatem à parte ante hanc propositionem: mundus est possibilis, quamuis non potuerit ab æterno cum existentia coniungi: ita hi contendere debent, quod licet duratio hodierna non potuerit diuinitus existere antecedenter ab hodie, neque consequenter possit: semper tamen cum veritate de ea prædicari valeat, quod sit possibilis; & ratio est: quia ad rem possibilem astruendam non est necesse, vt cum existentia in quacumque suppositione, & sub quacumque conditione coniungi possit; sed satis est, si possit aliquando; quod verificatur de duratione hodierna per ordinem ad hodie. Quemadmodum igitur dicta duratio hodie nō potest dici impossibilis ex eo, quod non possit diuinitus existere cras: ita neque cras, quia eras verificatur, quod possit existere hodie. Quod si dicas maiorem rationem esse: quia hodierna duratio hodie verè potest existere hodie, & cras neque hodie, neque eras potest.

Contra est: Quia dupliciter intelligi potest, quod eras non possit existere hodie: primo in sensu composito cum die crastina: secundo in sensu diuiso; quamuis autē in primo sensu nō possit sed solum in secundo: hoc tamen nihil refert, sicuti neque quod aliqua res possibilis non possit existere in quo vis instanti in sensu composito cum sua carentia, & tempus diuisibile in instanti, & instans in tempore; alioquin res subinde propriam essentiam mutarent, dum modo inter possibilia, modo inter impossibilia connumerarentur. 119

SECTIO SEXTA.

Carentia rerum contingentium non sunt prorsus nihil.

HAec est quarta conclusio: dico enim carentias contingentes rerum creatarum non esse prorsus nihil, sed aliquam realitatem independentem ab intellectu in se habere, ratione cuius sunt formale exclusiuum rerum contingentium, quarum sunt carentiæ, atque adeo huiusmodi nihilum confictum ab aduersarijs esse quid fictitium, atque chimericum. Probatur vnica ratione: si carentia alterius mundi esset prorsus nihil: existente iam altero mundo, hæc duo contradictoria: alter mundus existit: alter mundus non existit essent simul vera; sed hoc implicat; ergo & huiusmodi carentiæ non sunt prorsus nihil. *Minor*, & consequentia patent. *Maior vero probatur & quidem quoad primam partem est euidens: quia supponimus alterum mundum existentiam habere, & à Deo fuisse creatum. Quoad verò secundam partem suadetur ex eo: quia ad verificandum dictam propositionem absolutam negatiuam, si carentiæ contingentes nihil prorsus essent, non posset assignari, quid desit; ergo &c. Antecedens probatur; si posset, hoc maximè esset negatiua conformitas cum suo obiecto, quæ consistit in eo vt à parte rei non detur aliquod, quod sit falsificatiuum illius, cuiusmodi est existentia alterius mundi; sed hoc admisso, adhuc sequitur propositionem illam: alter mundus non existit, fore veram: ergo &c. Maior est aduersariorū doctrina, & consequentia liquet. Minor verò constat ex eo quia:* 120

Si quæris ex aduersarijs, quid importet non dari à parte rei aliquod, quod sit dictæ propositionis falsificatiuum: Respondent importare nihilum alterius mundi nullo modo existens. ita, vt ad verificandam negatiuè dictā propositionem, sufficiat, quod ea existente, nihilū alterius mundi nullo modo existat; tum sic argumentor: Potest existere alter mundus, & simul cum eo negatiua illa propositio, & nihilominus nihilum alterius mundi nullo modo exi- 121

existere. ergo existente altero mundo adhuc esset vera negatiua illa propositio. consequentia est euidens cum prima, & secunda partes antecedentis; tertia vero sic euincitur: quia id quod neque verè neque abusiuè existere potest, nullo modo est existens; sed per aduersarios nihilum alterius mundi neque verè neque abusiuè potest existere. ergo existente altero mundo, adhuc verificatur quod nihilum illius nullo modo existat.

122 Confirmatur quia ex hypothesi, quod existente altero mundo fiat hæc propositio: alter mundus non existit; vel significatum particulæ non se tenet totaliter ex parte cognitionis, & sic existente cognitione, vera esset propositio: vel se tenet totaliter ex parte mundi existentis, & similiter vera esset propositio, quia existeret id, cum quo significatum dictæ particulæ identificatur: dicere autem, quod se teneat ex parte vtriusque, in eandem difficultatem incurrit: quia iam ponimus existere vtrumque. si ex parte neutrius: præter quam quod non potest explicari ex parte cuius se teneat, inexplicabile est quid tandem significet.

123 Quiros in suo cursu *disp. 46. num. 15.* censet dari carentias ab omni ente positiuo distinctas: dari inquit, & distingui non cathegorematicè sed syncathegorematice. licet autem ex eius doctrinæ decursu manifeste appareat eum velle huiusmodi carentias ex parte rei esse nihil: placet tamen eius rationem, qua abstrusam de esse earum syncathegorematico probat, expendere: cum præsertim in summulis *Disput. 2. num. 13.* ipse docuerit: id quod in syncathegorematicum & cathegorematicũ diuiditur: esse solum terminum propositionis formalis: non vero, quæramus de eo, quod venit ex parte obiecti nomine carentiarum.

124 Iam vero fundamentalis eius ratio sic procedit. potest aliquis conceptus dari syncathegorematice, quin detur cathegorematicè. sed pro carentijs sufficit syncathegorematica existentia ergo &c. maiorem probat primo paritate conceptuum formalium, qui aliquando sunt syncathegorimatici tantum, ergo potest aliquis obiectiuus esse huiusmodi: probat secundò, quia hæc veritas obiectiua: nihil corrumpit Deum, non est cathegorematice vera; quasi Deus corrumpatur à nihilo, sed solum syncathegorematice, quatenus non est ens corrumpens Deum. ergo &c.

125 Verum in hac ratione assumit Quiros, vt patet, quod dentur ex parte rei carentiæ, & quod suo modo existant, de quo in præsentia controuertimus, & solum negat quod existant cathegorematice, quæ vt patet, est alia quæstio. quèadmodum enim alia est quæstio, in qua quæritur vtrum Blyeri sit terminus formalis: & alia vtrum possit obire rationem termini absoluti, seu chategarematici in propositione aliqua. Quare ad argumentum concessa maiore, & minore, distinguo consequens: si habeant ex parte sui ipsarum aliquod esse abusiuum siue cathegorimatice siue syncathegorematice, concedo: ita vt sint purum nihilum, nego consequentiam, & per hæc patet responsio ad paritatem ex conceptibus formalibus desumptam. Ad id quod dicitur de illa propositione: nihil corrumpit Deum: dico eam si vt habeat veritatem debere esse negatiuam, sic autem sumpta eius negatio debet affirmare Dei corruptionem: ita vt sensus sit: omne quod concipi potest non corrumpit Deum, vt constat ex supradictis: quoniam verò carentia corruptonis Dei habetur à parte rei recte dicetur posse, quod dicta propositio, si non logicè, at philosophicè cathegorematicè significet.

Pergit Quiros eodem *num.* 13. solum necesse 126
est admittere pro carentia lucis contradictoriũ, existentiæ eiusdem lucis. sed adhoc non requiritur, quod cathegorematice detur lucis carentia, sed sufficit, quod detur syncategorematicè ergo &c. Respondeo data minore nego consequentiam. Verum de obiecto contradictoriarum ex professo agemus infra.

Confirmat: illud conferur esse syncathegore- 127
matice, quod ratione sui non est, nisi coniunctum alteri; sed tenebræ in se non sunt, neque explicari possunt nisi mutuandò intrinsecè ens positiuum nempè lucem, vnde dicitur, quod priuatio non est cognoscibilis nisi per habitum; ergo &c.

Respõdeo: quod si per esse syncathegorematice, 128
intelligitur esse impropriũ, & abusiuum quod ad sui plenam explicationem alio indiget adiuncto, vt propositionem constituat, concedo carentias esse syncategorematice. sed cum hoc stat quod habeant independenter ab intellectu suum esse improprium, & abusiuum, vt patet, ergo &c.

Num. 14. Sic instat: nihil Angeli includit ipsum angelum; non cathegorematice. ergo syncathegorematice. Probat maiorem, quia si nihil, seu non esse foret aliquis conceptus distinctus adæquate ab esse: non esset cur non posset Deus conseruare non esse Angeli in præsentia existentiæ eiusdem Angeli.

Respondeo distinguendo maiorẽ: nihil Angeli 129
includit ipsum Angelum, tanquam partem, vel totũ, nego; tanquam terminum essentialem, cui connetitur concedo, & ad probationem in contrarium nego maiorem; cum enim non esse Angeli contradictorie opponatur existentiæ ipsius angeli, implicat, quod Deus ad præsentiam dictæ existentiæ illud conferret. cætera, quæ ab hoc auctore congeruntur, facile ex dictis, ac dicendis dissolui possunt.

SECTIO SEPTIMA,

Defendo carentias contingentes habere suum esse abusiuum à quocumque alio positiuo distinctum.

QVinta denique; Cõclusio sit carentias cõtingentes constitui per suum esse abusiuum negatiuum, quod habent à parte rei ab omni ente reali positiuo contradistinctum. 1

Probatur: quia non minorem habent repugnantiam ad identitatem realiter inter se habẽdam lux, & tenebræ, vita, & mors, Deus & negatio Dei &c. huiusmodi: quam res positiua, & carentia contingens; sed implicat lucem idẽtificari

Digitized by Google

tificari cum tenebris, vitam cum morte &c. ergo & rem positiuam cum carentia contingente. Maior huius, quæ sola probatione eget, suadetur quia repugnantia, quam habent lux, & tenebræ ad identitatem, oritur ex contradictione quam inter se exercent vt patet: sed non minorem contradictionem exercent inter se carentia, & res positiua; ergo nequem morem repugnantiã ad identitatem hæc habebunt.

132 Ad probandam huius minorem, in qua tota vertitur difficultas suppono, ideo tenebram contradictorie opponi lumini, & mortem vitæ quia tenebra importat non esse luminis, & mors non esse vitæ. iam verò carentiam de suo conceptu importare non esse entis positiui quodcunque tandem illud sit, suadetur multipliciter: Primo quia non ens in communi diuiditur in non ens simpliciter, & non ens secundum quid; sed non ens secundum quid est id, quod à

131 se aliquam tantum rationem entis excludit, vt est materia prima, quæ de se excludit rationem actus, & res merè possibilis, quæ à se excludit existentiam. ergo non ens simpliciter, cuius modi est carentia, erit illa, quæ de se excludit omnem rationem entis.

Secundo quia quodlibet positiuum habet sui

133 contradictorium negatiuum, cuius sit formale exclusiuum; ergo & ens reale positiuum habet suum quod formaliter excludat, sed hoc non est nisi carentia; ergo &c.

Secundo quia sæpe *D. T. tertia præsertim de potentia qu. 17. ad 4.* docet non ens simpliciter esse infinitum, & ex parte sui à quolibet ente

134 positiuo siue infinito esse finito infinite distare, inquantum omnem defectum qui cogitari potest excedit; sed nisi carentia excluderet à se omnem rationem entis hoc falsum esset; ergo &c.

Quartò quia repugnat aliquid esse ens positiuum in specie, absque eo quod includat ra-

135 tionem entis positiui generice; ergo repugnat etiam quod aliquid sit non ens in specie, absque eo quod includat rationem non entis generice, sed ratio non entis generice nequit identificari cum ente positiuo generice, quia opponitur illi contradictorie, & quidem per primam, & vniuersalissimam oppositionem, ergo neque ratio non entis in specie poterit identificari cum ratione entis generice sumpta, & sic carentia V. G. lucis quæ importat rationem non entis in specie implicat quod identificetur cum aliqua re positiua quod erat probandum.

Quintò denique quia quo maior est distantia

136 inter duos terminos: Maior est repugnantia vt identificentur; sed maior est distantia inter rem positiuam, & negatiuam; ergo si repugnat quod homo identificetur cum equo; accidens cum substantia, & sic dereliquis. multo magis repugnabit vt carentia contingens cum aliquo ente positiuo nemine cogitante identificetur dixi, vt aliqua carentia contingens, quia de contingentibus nobis in præsentia sermo est. cæterum eadem ratio militat de necessariis quare nullum est argumentum quo aliqui recentiores vtuntur ad probandum carentias necessarias non esse ab omni ente reali positiuo distinctas, eo quod nulla sit assignabilis huiusce distinctionis necessitas. summa enim necessitas oritur, ex implicantia, quod aliqua vera carentia quæ nemine cogitante datur a parte rei, sit cum ente positiuo realiter identificata, vt patet ex dictis.

Dices primò suppono, vt diximus in 137
physicis, dari duplicem rationem non entis, vnã per non inclusionem entis: alteram per exclusionem: Tum sic: licet id quod est non ens per exclusionem entis non possit identificari cum ente: at id quod est non ens per non inclusionem bene potest, vt patet ex ratione principii; quæ quia est non ens per non inclusionem, identificetur cum forma, quæ est ens; sed potest rectè dici, quod carentiæ contingentes sint non ens per non inclusionem entis; ergo nostrum argumentum, negando minorem, nihil concludit. Respondeo admissa suppositione, & concessa maiore argumenti, negando minorem. ratio disparitatis est quia omnis carentia contingens habet vt secundum vltimam suam differentiam specificam sit determinatè non ens per exclusionem alicuius entis in particulari V. G. tenebra, luminis, mors vitæ &c. ergo secundum suam rationem genericam habere debet vt sit exclusiua entis in communi; aliter non esset non ens simpliciter, nec infinite distans ab ente. Contra vero non omne principium habet vt sit determinate non ens per exclusionem entis defacto enim forma est principium, & tamen est ens, quod si habet hoc in priuatione, est per accidens, sicuti per accidens est quod sit contradictorium entis, ratione videlicet *status* præcisiui quam habet beneficio *intellectus*.

Dices iterum res positiua est negatio suæ ne- 138
gationis. ergo potest carentia identificari cum re positiua. Respondeo distinguendo antecedens fictitiè, & ex nostræ apprehensionis imbecillitate, concedo: verè, & proprie nego antecedens & consequentiam; dico enim *rem positiuam per* suam formalissimam rationem *opponi contradictorie* suæ *negationi; sed quia noster intellectus* propter suam *imperfectionem rerum negationes* admodum rei *positiuæ concipere solet: hinc fieri* vt postea res positiuas tanquam negationes suarum negationum ad saluandam oppositionẽ contradictoriam concipiat.

Instabis contra hanc responsionem: in re po- 139
sitiua verè datur carentia carentiæ, sed hæc nõ est distincta ab ipsa re positiua; ergo nulla distinctio. minor videtur certa, tum quia nulla est necessitas hanc secundam carentiam distinguendi: tum etiam quia daretur processus in infinitum carentiarum inuicem sub ordinatarũ. nam sicuti datur carentia primæ carentiæ ita dari posset carentia secundæ & carentia tertiæ in infinitum. maior verò probatur quia cæcitas est carentia, sed in pariete non datur cæcitas; ergo in pariete datur carentia carentiæ.

Respondeo supponendo carentiam carentiæ 140
posse sumi dupliciter primo disparate seu contrariè secundo contradictorie, & primo quidẽ modo non est dubium dari carentiam carentiæ nam verè cecitas non est tenebra item mors vnius hominis non est mors alterius hominis, & sic de reliquis. sed hoc non faciet aduersarios,

quia

Digitized by Google

quia ſicuti cæcitas per hoc, quod importet carentiam viſus non identificatur rei poſitiuæ, ita neque per hoc quod importet carentiam tenebrarum. in ſecundo verò ſenſu faueret quidem, quia contradictoria maximè inter ſe diſtare debent; nihil autem magis à carentia diſtare poteſt, quam res poſitiua. quare in hoc ſenſu nego maiorem argumenti, & ad eius probationē dico cæcitatem importare duo: vnum in recto, hoc eſt carentiam viſus; alterum in obliquo, nēpe ſubiectum exigens ipſum viſum. ſic diſtincta maiore, & minore nego conſequentiam. quia in pariete, ex eo quod non detur cæcitas, nō ſequitur quod in eo detur carentia carentiæ viſus, ſed ſolum quod detur carentia viſus in ſubiecto non habente exigentiam ad videndum, atque adeo quod in eo ſit carentia viſus per modum negationis.

SECTIO OCTAVA.

Proponuntur, & ſoluuntur obiecta contra prædicta.

141 OBijcies primò: Ariſtoteles *primo poſter. cap.* 2. ait quod non eſt, non ſcitur: ſed carentiæ ſciuntur, ſcimus enim noctis tempore tenebras eſſe in aere, & Petrum diem ſuum obiiſſe &c. ergo carentiæ ſunt aliquid poſitiuum. Reſpondeo aduerſarios ſuſtinere carentiam lucis eſſe non eſſe lucis; ſed quod non eſt, non ſcitur, ergo ſibi etiam incumbit explicare Ariſtotelem quem ego explico dupliciter: primo quod loquatur de rigoroſa ſcientia; hæc enim cum ſit cognitio rei per cauſam per ſe, repugnat quod ſit de vlla carentia; rectè enim *D. T. p. p. qu.* 104. *art.* 3. *ad primum* dicendum inquit, quod non eſſe non habet cauſam per ſe, quia nihil poteſt eſſe cauſa, niſi in quantum eſt ens, ens autem per ſe loquendo eſt cauſa eſſendi, quod ſi contendas eum loqui de quacumque certa cognitione: explico ſecundo quod per illud (quod non eſt) intelligat falſum; quod enim falſum eſt, non poteſt certo cognoſci niſi in ratione falſi, dicendo V. G. Homo non eſt equus, quomodo non eſt falſum ſed verum.

142 Obiicies ſecundo: Danielis *tertio* inuitari tenebras ad benedicendū Domino; ergo quia ſunt quid poſitiuum. Reſpondeo benedictionem Dei proprie à ſola creatura intellectuali procedere poſſe. Hinc fit vt tenebris ſolum actribuatur, quatenus dant nobis occaſionem benedicendi illum; ſic etiam dixit Philoſophus viſum eſſe lucis, & tenebrarum, auditum verò audibilis, & non audibilis, éx eo enim quod viſus eſt potentia habens pro obiecto lucem, & auditus ſonum: occaſionaliter ille eſt circa tenebras, & hic circa ſilentium, eo quod intellectus aduertens dictas potentias non eſſe impeditas, & nihilominus ſua obiecta non attingere, arripit occaſionem iudicandi in aere neque lucem eſſe, neque ſonum.

143 Obiicies tertiò non poteſt Deus neceſſitari niſi ad ea quæ ad ſui perfectionem intrinſecam pertinent; ſed ſi carentiæ diſtinguerentur à diuinis nolitionibus non pertinerent ad ſui perfectionem intrinſecam, &
Deus vel ad eas ponendas,
poſitas; ergo non diſtinguu

668 testimonia

Reſpondeo hoc argument
poſitiuas à diuinis volitionil
ſed quid quid ſit de hoc, diſtin
tem minoris: neceſſitaretur
vel carentias, vel res illis opp
que directe, & per poſitiuum
carentias indirecte, & per influ
res verò poſitiuas directe, & p
ſitiuum, concedo; & ſic nego co
dico enim in tantum Deum dici ponere carentiam contingentem cuiuſmodi eſt V. G. tenebra: quatenus determinat omnipotentiā ſuā ne influat in lucem; hoc enim ipſo intelligitur reſultare tenebra; Vnde fit vt quaſi indirecte, & per negatiuum influxum à Deo intelligatur effluere. hoc autem nullam neceſſitatem ſed ſummam libertatem in Deo arguit. quemadmodum in nobis quando ſtat per nos facere, vel non facere aliquid ſi determinētur ad non faciendum illud.

Obiicies quartò ſi rerum carentiæ à diuinis 145
nolitionibus diſtinguerentur: ſequeretur, quod Deus poſſet eſſe cauſa puri defectus Phyſici. conſequens eſt abſurdum; ergo &c. ſequela patet quia dictæ carentiæ non eſſent niſi puræ excluſiones rerum poſitiuarum ſibi oppoſitarum quas Deus poſſet intendere V. G. mortem hominis, tenebras aeris &c. minor ſuadetur quia repugnat quod Deus ſit cauſa deficiens phyſice; ſed ſi eſſet cauſſa puri defectus phyſici, eſſet cauſa phyſice deficiens; ergo &c.

Reſpondeo ſupponendo in argumento agi de 146
cauſa impropria, & indirecta, non autem de propria, & directa, quæ operetur per realem influxum, huius enim pura carentia eſt incapax, vt patet: hoc poſito, conceſſa ſequela maioris; nego minorem; ad cuius probationem, conceſſa maiore, nego item minorem, quemadmodum enim ex eo quod Deus ſit cauſa auditionis meæ non ſequitur, quod ſit audiens: ita ex eo quod ſit cauſa puri defectus phyſici non rectè deducitur quod ſit cauſa phyſica deficiens. Ratio eſt quia de ratione cauſæ deficientis phyſicæ eſt habere in actu primo aliquod impedimentum ad directè cauſandum ſuum effectum poſitiuum, contra quod nequeat prævalere, cuiuſmodi eſt aqua quando ad præſentiam ignis validiſſimi non poteſt producere frigiditatem. non ſic autē Deus ſe habet quando non influit in lumen; ex ſuo enim beneplacito ſe determinat ad non cauſandum illud, & ideo nil mirum ſi dici nequeat cauſa phyſicè deficiens.

Neque dicas diſparitatem eſſe quia priuatio 147
frigoris in eo caſu non tribuitur aquæ tanquam cauſæ, ſed potius igni, quatenus per ipſum ſtat ne aqua frigefaciat: at carentia luminis quando ſtat per Deum ne producatur, non niſi ipſi tribuitur; Contra hoc enim facit quia ignis quatenus impedit aquam ne frigiditatem producat, non eſt cauſa deficiens, ſed potius prævalens contra ipſam aquam; quare licet illi propter hoc tribuatur priuatio frigoris, debet etiam tribui ipſi aquæ, quatenus ſecundum ſe ſpectata habet obligationem ex vna parte producendi

Digitized by Google

ducedi frigus; & ex alia careat viribus, quibus re-
sistentiam agentis contrarij valeat superare;
neutrum autem affirmari potest de Deo, quando
negat influxū lumini: quia ipse nulla lege pro-
priè obligatur ad influendū; alioquin verò habet
vires infinitas nullius agentis resistentia impe-
dibiles.

147 Obijcies quinto: carentia alterius mūdi nō cō-
sequitur ad decretum Dei nolitiuum. ergo est
ipsum decretum. Consequentia videtur bona.
Antecedens probatur: quia si sequeretur, esset ne-
cessaria; sed est contingens, vt supponimus. er-
go non sequitur. Maior huius fuit data: Im-
plicat, posito decreto, mundum esse; sed carentia
rei implicantis est necessaria. ergo si sequeretur
decretum, esset necessaria. Respondeo negando
antecedens, ad cuius probationem distinguo ma-
iorē: esset necessaria in sensu composito cum de-
creto, concedo; in sensu diuiso, nego maiorem;
& distinguo eodem modo minorem: est contin-
gēs in sensu diuiso á decreto, cōcedo: Cōpulsiue,
nego minorem, & consequentiā. Ad maioris pro-
batiorē dico, quod quemadmodū posito decreto
nolitiuo alterius mundi alter mundus non im-
plicat existere, nisi in sensu composito cum de-
creto: ita eius carentia non fit necessaria, nisi in
eodem sensu accipiatur. quamuis enim conse-
quatur ad decretum, non est cur non possit in
sensu diuiso ab illo considerari, quia hic sensus
consistit in eo, quod ita posito decreto sit, vt
illa eadem potuisset non esse, si in locum illius
decreti negatiui fuisset contrarium affirmatiuū,
sicuti sine vllo absurdo potuisset de facto esse.

148 Obijcies sexto: Si daretur pura carentia, se-
querentur, quod aliquando melior esset caren-
tia suo opposito positiuo; sed hoc videtur ab-
surdum. ergo &c. Sequela probatur: quia me-
lius est carere errore, quam errare, melius ca-
rere odio Dei, quam odio Deum habere; ergo
&c. Respondeo distinguendo sequelam: carentia
secundum se consideratа melior esset suo oppo-
sito, nego; in ordine ad subiectum, in quo
recipitur, concedo, & sic distincta minore,
nego consequentiam; & ad probationem seque-
la dico, quod licet tum error, tum odium Dei se-
cundum se considerata sint meliora suis caren-
tijs, quatenus important rationem entis, & sunt participationes quædam diuinæ bonitatis,
quia tamen natura rationalis, quatenus est in-
tellectiua, longius recedit à veritate, ad quam
consequendam est instituta, per errorem, quam
per simplicem nescientiam: ideo magis ab illo
abhorret, quam ab ista. & quia eadem natu-
ra, quatenus est volitiua, tenetur sequi regu-
lam rectæ rationis, quæ dictat abstinendum po-
tius esse ab operatione inhonesta, quam illam
effectiue: id circo melius iudicamus carere odio
Dei, quam illud operari.

149 Obijcies septimo: si darentur huiusmodi ca-
rentiæ, sequeretur, quod in orco essent actu in-
finitæ; consequens est absurdum. ergo &c. Pro-
bo minorem: tum quia non datur infinitum ca-
tegoreumaticum: tum etiam quia: qui diceret se
non videre, deberet infinitas carentias in se co-
gnoscere; infinitum autem est incognoscibile
à nobis.

Respondeo: concessa sequela, nego minorem; 150
ad eius primam probationem dico, quod qui
infinitum categoreumaticum negant à parte rei,
loquuntur de positivo creato. Caterum hoc ip-
so, quod id non est à parte rei, necessario eius
negatio æqualiter illi correspondens admitten-
da est. Ad posteriorem vero: concedo sequelam;
& ad rationem in contrarium aio: quod licet
infinitum sit incognoscibile à nobis cognitione
distincta, confusa tamen non est cur nequeat co-
gnosci; quod dicerent omnes, qui carentias in-
Dei nolitionibus constituunt; qui enim affir-
mat se nihil videre, debet profectò cognoscere
aliquo modo nolitionem, qua Deus constituit,
se ad nullam ex visionibus possibilibus velle,
cum cæco concurrere; quoniam verò huiusmo-
di visiones sunt infinitæ: hinc fit, vt inconfuso
infinitum cognoscat.

Obijcies octauo ex Mauro *lib. 1. quæst. 49.* vel 151
huiusmodi carentiæ ponunt aliquam perfectio-
nem in vniuerso; vel non. si primum; ergo sunt
partes participantes diuinæ bonitatis, neque adeo
entia positiua: sin autem dicatur secundum: er-
go frustra dantur, & sunt omnino superfluæ.
Respondeo concessa maiore: dicendo, quod quā-
tum est de se nullam ponant in vniuerso perfe-
ctionem, neque ad eius pulchritudinem faciunt
sed solum per accidens, quatenus sunt exclu-
siones illarum formarum positiuarum, quæ sunt
exclusiuæ illius perfectionis; & pulchrum in-
quam defacto mundus exigit. ex quo patet fal-
sum esse consequentiam contra secundum mem-
brum illatā. non autem frustra dari, & esse omi-
no superfluas; hoc enim ipso, quod sint forma-
les exclusiones eorum oppositorum, cuius par-
tes in rerum vniuersitate exequuntur, atque ad
deo non sunt omnino frustratoriæ, & superflua.

Obijcies nono ex eodem: *necessitas ponendi* 152
*carentias repugnat Deo, casu, quo nolit produ-
cere res illis oppositas, ergo non dantur distin-
ctæ à decretis diuinis nolitiuis. Consequentia*
patet. *Antecedens probatur multiplicitèr: pri-
mo, quia Deus est ens sufficientissimum, &
tunc aliquid est sufficiens, cum non necesse est
aliud esse præter ipsum. ergo non necesse est
dari carentias extra diuinas nolitiones; secundò,* 153
Deus videns se continere omnem perfectionem
potest dicere nolo me aliquam imperfectionem
ab defectuosis facere, sed non potest, ponendo eas
negationes distinctas. ergo &c. tertiò: Deus ob
ita primus homo, qui fuit omnibus, potuit
sic illum totaliter claudere, faciendo id, quod
quam omnino effugere, sed deus falsum esset, si
rerum carentia aliquas oppositas illis semper
semper ponenda esset à Deo. ergo &c. quar-
tò denique: quia necessitas ponendi aliquem
mundum Deo repugnat, ergo multo magis po-
nendi eius negationem. Probat consequentiam:
quia quo aliquid est imperfectius, atque ad
minorem habet vim relationis Dei ad suā po-
sitionem: eo magis repugnat, vt Deus ad illud
ponendum necessitetur; sed negando mundū est
multo imperfectior mundo. ergo multo magis
repugnat ad illam necessitari, quam ad mundum.

Respondeo negando antecedens, & ad primū 153
eius

eius probationem concedo maiorem: hoc est Deum esse sufficientissimum, sed distinguo minorem: tunc aliquid est sufficiens cum non necesse est aliud esse verè, & proprie, concedo. abusiuè, & improprie, nego minorem; & distinguo eodem modo consequens; ac dico si carentiæ haberent verum, & proprium esse, deberent excludi á sufficientissima ratione diuini esse; sed ipsæ habent esse impropriè solum, & abusiue. aliunde verò cum inter contradictoria non detur medium, alterutrum ex illis Deus in exercitio suæ libertatis admittere necessario debet: sic, non obstante, quod ex se diuina essentia sit ens sufficientissimum: necesse tamen est, vt sint creaturæ possibiles, & quod ad illas volendas, uel nolendas. se determinet.

154 Ad secundam aio: Deum, ex eo quod sit infinitè perfectus; posse dicere: nolo vt sit aliquid imperfectum, & defectuosum, supra quod habet dominium, sed supra distunctum ex contradictorijs constans non habet dominium, neque ad aliud adæquatè ponendum, neque ad illud adæquatè tollendum; sicuti, neque in sententia aduersarij ad volendum, & nolendum efficaciter aliquid. ergo &c. Ad tertiam eodē modo distinguo maiorem: potest Deus liberè claudere fontem totius esse etiam in ordine ad contradictoria nego. nam hoc ipso quod claudit fontem existentiæ mundi, necesse est vt indirecte illum aperiat ad carentiam existentiæ; non negauerim tamen hanc non esse, propriè aperitionem, sed improprie solum, iuxta alibi dicta. Ad quartam denique distinguo antecedens: necessitas absoluta ponendi aliquem mundum Deo repugnat, concedo, necessitas ex suppositione quod non velit ponere eius negationem, nego antecedens; & sic distinguo eodem modo consequens; multo magis repugnat Deo necessitas absoluta ponendi negationem mundi, concedo: necessitas ex suppositione, nego consequentiam, ad cuius probationem eodem modo distinguo maiorem; quo aliquid est imperfectius eo magis repugnat vt Deus necessitetur absolutè ad ponendum illud, concedo, eo magis repugnat, vt necessitetur ex suppositione, nego maiorem. & dico indubitatum esse, quod si Deus deberet habere absolutam necessitatem, vel ponendi mundum, vel vel eius carentiam, sibi vendicaret necessitatem ponendi primum, & non secundum; quia melior esset conditio creatoris, & conseruatoris creaturarum, quantumuis necessarijs quam non creatoris nec conseruatoris item necessarij: & loquendo de necessitate ex suppositione orta ex contradictione terminorum, qui eligi debent: æqualem perfectionem arguit in Deo, quod sit necessitatus ad vnum contradictorium, ac ad alterum, quia supponit quod ad alterutrum pruius se libere determinauerit, quodque ad reliquum postea, propter oppositionem; quam habet cum alio, necessitetur.

155 Vnde sic vt argumenta quæ adducuntur contra nos ex necessitate, quam haberet Deus ad ponendas carentias ex suppositione, quod res positiuas illis oppositas creare nolit, nullius sint momenti. cum præsertim eodem modo militent contra aduersarios, siquis, probare volens rerum carentias non consistere in decreto nolitiuo illarum rerum, sic eos redargueret; si Deus nollet existere suum decretum nolitiuū de creando alio mundo, necessitaretur ponere contradictorium dicti decreti, sed contradictorium illius per aduersarios est decretum positiuum de volendo mundum; ergo necessitaretur ponere alium mundum, nempe aliquid extra se. atqui si nos dicamus contradictorium illius decreti nolitiui consistere in eius carentia, per hoc quod Deus nollet decretū illud, non sequitur quod necessitaretur ponere mundum. ergo debet negari decretum nolitiuum esse formalem carentiam; quemadmodum igitur illi ad hoc respondérent id sequi ex vi contradictoriorum, & non esse absurdū, ita & nos respondemus.

156 Obijcies nono: non potest explicari quid sit esse abusiuum puræ carentiæ. ergo omnis pura carentia est fictitia, & consequenter non datur. consequentia patet. antecedens probatur quia esse competit solum rebus positiuis ergo non conuenit puræ carentiæ.

157 Respondeo: nego antecedens, ad cuius probationem dico, quod licet vox, esse, primo, & per se imposita sit ad significandum esse positiuum: vsurpatur tamen à nobis propter penuriam vocabulorum ad significandum esse negatiuum, licet in diuerso sensu, non sine tamen, aliqua similitudine, quam habet cum positiuo. Porrò hæc similitudo consistit in eo, quod sicuti res positiua contingens habet suā essentiam, & existentiam, ita eius carentia; consistit autem essentia carentiæ in eo quod sit pura exclusio alterius á suo consortio, ita vt ex suis intrinsecis nihil aliud habeat nisi excludere á parte rei rem positiuam, cuius est carentia. per hoc enim adæquate à quolibet alio positiuo essentialiter distinguitur, quatenus omne positiuum præter exclusionem sui contradictorij habet aliquid perfectionis per se ipsum in mundo ponere, ita fere Pallauicinus *p. 2. disput. 3. qu. 2. art. 2.* Aliter ex Giattino *qu. 6. logicæ* Potest definiri carentia, vltimum determinatiuum iudicij negatiui. vt autem vtraque definitio ad carentiam contingentem conficetur; priorem sic restringerem: est pura exclusio rei positiuæ contingentis á suo consortio, posteriorem verò sic: est vltimum determinatiuum iudicij negatiui contingenter veri: dicitur autem vltimum quia licet aliquid positiuum possit nos determinare ad aliquid negandum: id tamen quod vltimo determinat, est semper ipsa carentia. Porrò de existentia carentiæ cum eadem proportione nos loqui debemus, sicuti loquti sumus de existentia rei positiuæ, dicendo quod sit vltimus actus seu prædicatum quod habere potest ipsa carentia, vel quod sit primus conceptus quem de carentia formare possumus, ita vt quilibet alius conceptus assignabilis, vel æque clarus sit, vel obscurior illo. Iam verò vtrumque esse carétia appellatur communiter abusiuum, & impropri-

proprium quia non ens verè, & propriè non habet esse.

158 Instabis si inter carentias, & res positiuas haberetur aliqua conuenientia, atque similitudo: sequeretur quod inter contradictoria daretur medium, in quo conuenirent, sed hoc videtur absurdum. ergo &c.

159 Respondeo in sententia ponentium carentias contingentes in positiuo consistere multo maiorem conuenientiam inter res contingentes, & suas carentias admittendam esse, vt supra probatum est. sed ipsi viderint. distinguo ego sequelam: inter contradictoria sumpta quo ad veritatem, & falsitatem daretur medium, nego: quo ad alias rationes, concedo. sequelam, & sic distincta eodem modo minore, nego consequentiam; & dico quando negatur inter contradictoria dari medium, sensum esse, quod alterum ex illis de qualibet re necessario verificari debeat, & alterum falsificari, vnde est quod propositiones contradictoriæ dicantur se destruere logice, quia hoc ipso quod vna est vera, altera debet esse falsa: non sic se habet res inter contraria; constat enim non de quolibet debere necessario verificari quod sit album, vel nigrum; quod sit calidum, vel frigidum: de substantijs enim spiritualibus neutrum verificari potest, de materialibus verò, etiam si possit, neutrum tamen sæpè defacto verificatur; nihilominus tamen contradictoria (cum hac medij negatione posse in aliqua ratione conuenire patet, quia de vtroque verificatur ratio contradictorij, ratio verificatiui, vel falsificatiui iudicij circa se versantis, ratio contingentis, & similes.

SECTIO NONA.

An in propositionibus contradictorijs obiectum propositionis affirmatiuæ sit idem omnino ac obiectum negatiuæ.

160 CONclusio est negatiua cum communi, contra nonnullos recentiores, quos citat, & sequitur Gaspar de Ribadineira *de scientia Dei cap. 6. num.* 14. qui vt apparentius videantur defendere carentias contingétes esse prorsus nihil, sustinent intellectum informandis propositionibus contradictoriis idem omnino obiectum respicere; & totam diuersitatem harum propositionum se tenere ex parte ipsorũ actuum intellectus, quatenus habent diuersũmodum tendendi in idem prorsus obiectum; cum affirmatiua tendat in illud per modum prosequutionis, & accessus; negatiua verò per modum fugæ, & recessus.

161 Probatur primo nostra assertio ex Aristotele *cap. de oppositis*, paulo ante medium; vbi postquam docuit id quod sub affirmatione, & id quod sub negatione est, non esse affirmationem & negationem: sic subdit: dicuntur autem hæc esse opposita ad inuicem tanquam affirmatio, & negatio. nam in his modus oppositionis idem est; sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod sedet ei, quod non sedet: sic & res quæ sub vtroque est, opponitur, scilicet, sedere aliquem, & non sedere. tum sic argumentor: propositiones formales contradictoriæ, quæ hic appellantur affirmatio, & negatio, non sunt omnino idem, sed opponuntur inter se, sed obiecta illarum eodem modo ab Aristotele dicuntur esse inter se opposita; ergo obiecta propositionum contradictoriarum non sunt omnino idem. confirmatur quia Philosophus ait sedere, & non sedere hic & nunc Petrum V. G. eundem modum oppositionis habere, ac propositiones ipsas, quibus id affirmamus, & negamus. sed propositiones implicat, quod sint omnino idem inter se. ergo implicabit quod eorum obiecta non sint al quo modo diuersa. Confirmatur iterum: Petro sedente, propositio (Petrus sedet) est vera, & propositio (Petrus non sedet) falsa: e contrario, eo non sedente; ergo hæ propositiones habent diuersa obiecta; consequentia suadetur quia ex eodem Aristotele *cap.* de substãtia in fine: ex eo quod res est, vel non est, propositio est vera vel falsa.

Ad hæc aduersarii respondere possunt obiectum propositionum contradictoriarum dupliciter considerari posse: primo secundum se, secundo pro vt stat sub affirmatione, & negatione. Porrò licet secundo modo consideratum differat à se ipso, quatenus affirmatur, vel negatur, quia sic est affectum propositionibus essentialiter diuersis: tamen consideratum primo modo est formalissime idem, siue demum affirmetur, siue negetur. quoniam verò Aristoteles, loquutus est *in secundo sensu*: controuersia verò procedit *in primo*, hinc fit, vt Philosophus non sit contrarius illis. 162

Sed contra est: quia si obiectum propositionum contradictoriarum solum pro vt stat sub dictis propositionibus differret: non proueniret ex ipso obiecto cur vna esset vera, altera falsa; nam tota diuersitas deberet refundi in propositiones; sed hoc est, vti dicebam, contra Aristotelem *receptum ab omnibus, docentem* ex eo quod *res est, vel non est, propositionem* esse *veram vel falsam*; ergo &c. 163

Distinguunt hoc Axioma aduersarii in hunc fere modum; ex eo quod res est, vel non est realiter sicuti enunciatur, oratio est vera, vel falsa, concedunt: ex eo quod res est in se, vel non est in se, oratio est vera, vel falsa negant. 164

Contra tamen hanc distinctionem facit, quia rem esse, vel non esse realiter sicuti enunciatur importat duo; vnum est: rem esse vel non esse realiter, seu nemine cogitante: alterum verò est: rem esse similem aut dissimilem intentionaliter cum enunciatione affirmatiua, vel negatiua. iam licet aliud sit rem esse, vel non esse in se, & habere similitudinem, vel dissimilitudinem intentionalem cum enunciatione: est tamen idem formalissime cum hoc, quod est: rem esse, vel non esse nemine cogitante, quare vt membra distinctionis non videantur idem prorsus affirmare, & negare, secundum membrum debet sumi sine similitudine, & correspondentia intentionali; ita vt sensus illius sit; eo quod res est, vel non est in se 165

Digitized by Google

in se tantum, seù præcisè per hoc, oratio est vera, vel falsa nego, sed hæc negatiua stat cum hoc, quod obiectum propositionum contradictoriarum secundum se sit diuersum; solum enim importat quod ad earum veritatem, vel falsitatem requiratur conformitas, vel difformitas cum obiecto, de quo non est dubium; ergo falsum est obiectum contradictoriarum solum differre pro vt stat sub ipsis contradictorijs: ex concessis enim constat differre etiam secundum se acceptum, quod erat probandum; & quidem quis neget nemine cogitante, haberi diuersitatē à parte rei, si Petrus existat, ac si non existat; si sit albus, ac si non sit albus. &c.

166 Probatur secundo ratione: non est omnino idem verificatiuum, ac falsificatiuum huius propositionis: Petrus sedet; sed verificatiuum est obiectum dictæ propositionis: falsificatiuum verò est obiectum suæ contradictoriæ; ergo obiectum propositionum contradictoriarum, quarum vna est affirmatiua, altera negatiua non est omnino idem; consequentia huius argumenti patet; maior verò probatur, quia ad verificandam propositionem hanc: Petrus sedet, requiritur vt Petrus habeat formam sessionis; contra verò ad illam falsificandam necesse est vt idem Petrus careat dicta forma; sed habere, & non habere vnam, & eandem formam sunt, nemine cogitante, inter se diuersa, & opposita; ergo nō est omnino idem verificatiuum, & falsificatiuū huius propositionis: Petrus sedet; Confirmatur quia si esset omnino idem: non esset assignabilis ratio cur dicta propositio Petrus sedet aliquando esset vera & aliquando falsa; sed Petro sedente est vera, Petro non sedente est falsa; ergo recte deducitur verificatiuum, & falsificatiuum illius esse diuersa; minor denique suadetur quia verificatiuum propositionis, Petrus sedet, est Petrum sedere; falsificatiuum est, Petrum non sedere; sed Petrum sedere est obiectum propositionis Petrus sedet; Petrum verò non sedere est obiectum suæ contradictoriæ; ergo verificatiuum est obiectum propositionis, Petrus sedet, falsificatiuum verò est obiectum suæ contradictoriæ, quod erat probandum.

167 Confirmatur quando quærimus an in propositionibus contradictorijs obiectum affirmatiuæ sit omnino idem cum obiecto negatiuæ; nemine obiecti non intelligimus solum subiectum, & prædicatum earum; certum est enim contradictorias ex eodem subiecto, & prædicato constare; sed maximè intelligimus id quod vltimo determinat intellectum ad existimandum verè prædicatum inesse subiecto, & verè prædicatū nomen esse subiecto; sed in casu nostro id, quod vltimo determinat intellectum ad existimandū verè sessionem inesse Petro, est verificatiuum dictæ propositionis, Petrus sedet; & id quod vltimo determinat ad existimandum verè sessionem non inesse Petro, est falsificatiuum illius; ergo &c.

168 Quod si quæras, quod nam sit vltimum determinatiuum ad existimandum, quod Petrus sedet; dico esse identitatem inter Petrum, & sedentem; quamuis enim multa media me inducere possint ad id iudicandum, cuiusmodi sunt auctoritas eius sessionem affirmantium, testimonium meorum oculorum idem mihi suadentiū, imbecillitas virium illum stare diutius vetantium, & similia: vltimum tamen, quod me determinat ad existimandum, quod verè sedeat, non est nisi identitas inter ipsum, & sedentem, quæ explicatur per particulam (est) quando dico: Petrus est sedens; quia enim hanc identitatem cognosco, vel cognoscere mihi persuadeo, ideo de illo affirmo quod sedeat; ex quo sequitur vltimum quoque determinatiuum ad existimandum, quod verè non sedeat, non esse nisi negationem identitatis inter ipsum, & sedentem.

Dices: identitatem inter subiectum, & prædicatum propositionis nihil aliud esse nisi actum intellectus prædicatum cum subiecto coniungentem: & negationem identitatis nihil aliud, quam actum intellectus prædicatum à subiecto separantem; atque adeo tum obiectum affirmatiuæ propositionis, tum obiectum negatiuæ esse omnino idem; & verbum, est, in vna; & verbum, non est, in altera, importare solum modum tendendi diuersum se tenentem ex parte intellectus, propositionum extrema coniungentis, vel diuidentis. 169

Verum hæc responsio duplicem sensum habere potest; prior est non dari ex parte obiecti inter subiectum, & prædicatum propositionis, neque identitatem, neque carentiam identitatis á parte rei; posterior verò dari quidem; sed neque pro elicienda propositione affirmatiua necesse esse cognoscere identitatem, neque pro negatiua carentiam identitatis; Primum sensum nullus catholicus affirmare audebit; quis enim neget in diuinis Personalitates, nemine cogitante, identificari cum natura diuina, & easdem personalitates inter se comparatas realiter abinuicem distingui? linquo solo lumine naturæ ductos homines aperte cognoscere inter animal & rationale in Petro dari identitaiem, non dari autem inter Petrum, & Paulum: & hoc nullo intellectu cogitante, quamuis ad hoc ipsum iudicandum intellectualis cognitio necessaria sit; Secundus verò sensus adhuc dupliciter intelligi potest: primo, ita vt nulla propositio affirmatiua quantumuis certa, & euidens attingat identitatem, quæ est inter prædicatum, & subiectum, & nulla negatiua carentiam identitatis, quæ est inter illa. secūdo verò ita vt dari possit aliqua affirmatiua, quæ dictam identitatem non attingat, & aliqua negatiua quæ eius carentiam nos agnoscat. primus sensus est aperte falsus: nam sequeretur, rationes obiectiuas identitatis, & carentiæ illius esse incognoscibiles à nobis; nam si aliquādo cognosci possent, maximè cum dicimus V. G in Petro animal, & rationale identificantur Petrus verò, & Paulus non identificantur; sed prior propositio philosophicè spectata est eadem formalissimè cum hac: in Petro animal est rationale, & posterior cum ea: Petrus, non est Paulus, cuius euidens signum est, quod eadem prorsus motiua quæ habentur pro asserendis prioribus propositionibus, sufficiunt pro asserendis posterioribus; ergo &c. 170

Iam

Digitized by Google

171 Iam verò secundus sensus illius dicti aduersariorum habet quidem veritatem, nam quando quis affirmat quod homo est lapis, non attingit aliquam identitatem, quæ sit inter hominem, & lapidem, quia nulla inter eos datur identitas, & quando dicit Christus non est Deus, propter eandem rationem, non attingit aliquam carentiam identitatis, quæ sit inter huiusmodi extrema; sed hoc non fauet aduersarijs; nam ad nostrum intentum confirmandum sufficit, si in his casibus, in quibus intellectus iudicat falsum, habeat pro obiecto identitatem, vel carentiam identitatis à se, vel à præcedentibus cognitionibus confictas; & per cognitiones illas expressas; hoc autem ita se habere suadetur: tum quia in materia contingenti eadem prorsus cognitio, quæ est vera, potuit esse falsa; sed quando est vera exprimit identitatem veré se tenentem ex parte obiecti; ergo si est falsa exprimet etiam identitatem, sed falsò se tenentem ex parte obiecti: tum etiam quia si verum iudicium attingit identitatem, vel carentiam identitatis, quæ est inter subiectum, & prædicatum: falsum verò nullam, neque veram, neque fictam attingit: præter quam quod hæc duo iudicia ex suis intrinsecis essentialiter inter se differrent; intellectus noster aduerteret diuersitatem aliquam in eis formandis, & multò magis postea in eis reflexe cognoscendis; dum videret ab vnò præter subiectum, & prædicatum exprimi etiam identitate, vel carentiam identitatis, quæ sit inter illa, ab alio verò non exprimi; sed solũ se habere respectu obiecti per modum inclinationis, vel auersionis; atque hæc quidem animaduersio si ab aduersarijs negaretur intellectui nostro propter hebitudinem, quam naturaliter habet: non posset tamen ab eis negari angelico; vnde Angelus hoc ipso quod eliceret iudicium de aliquo obiecto, posset immediate quidem reddi certus de eius veritate, & falsitate, & mediate deinde de veritate, & falsitate obiecti; quod nemo dixerit.

172 Audiui nonnullos docentes, iudicium hoc Petrus sedet, eo sedente, non ideo verum esse, quia attingit identitatem inter subiectum, & prædicatum: sed quia est iuxta exigentiam sui obiecti; contra verò hoc Petrus non sedet, esse falsum, quia est contra sui obiecti exigentiam; sed hi facile etiam redarguuntur, tum quia non possunt explicare quid aliud sit in casu nostro hæc exigentia, nisi identitas, quæ per particulam, est, exprimitur, & quid aliud importet negatio exigentiæ nisi carentia identitatis. tum etiam quia, vel hæc exigentia attingitur ab intellectu, quando dicit Petrus sedet: vel non: si primum iam habetur in contradictorijs diuersum obiectum, sicuti haberetur si esset identitas, vti probauimus. si nõ attingitur ad quid tot animaduersiones & examina in iudicandis rebus ne decipiatur? quamuis igitur hæc exigentia sit verificatiuũ, & carentia exigentiæ, seu repugnantia falsificatiuum; sequitur obiecta contradictoriarum propositionum inter se distingui.

SECTIO DECIMA.

Satisfit obiectis.

OBijcies primo: si in propositionibus contradictorijs obiectum affirmatiuæ non esset omnino idem, ac obiectum negatiuæ, maximè quia affirmatiua haberet pro obiecto identitatem subiecti cum prædicato; negatiua verò carentiam identitatis; sed hoc est falsum ergo &c. maior patet ex dictis: minor probatur communi illo axiomate affirmatio, & negatio debent esse de eodem obiecto, quod sumitur ex Aristotele *primo elenc. cap.* 5. vbi ait quod contradictio sit eiusdem ad idem, & confirmatur à D.T. *cap. de oppositis* dum ait: oppositionem affirmationis, & negationis fieri circa idem; sed si negatio, qua quis dicit Petrus non sedet, haberet pro obiecto carentiã sessionis, non esset de eodem obiecto, de quo est hæc: Petrus sedet; quia hæc haberet pro obiecto existentiam sessionis in Petro. ergo &c. 173

Respondeo concessa maiore, nego minorẽ. ad cuius probationẽ explico axioma illud, supponẽdo obiectũ propositionis esse duplex, alterũ adæquatũ, alterũ inadæquatũ: adæquatũ correspondet integræ propositioni: inadæquatum diuiditur in id, quod se habet vt quod, & in id quod se habet vt quo: primum importat extrema propositionis, quorum vnum est id, quod subijcitur, aliud verò id quod prædicatur: secundum verò est copula siue affirmata siue negata, quia est id, quo extrema inuicẽ coniunguntur, vel separantur. hoc autem posito aio; quod quando dicitur quod affirmatio, & negatio debeant esse de eodem obiecto, non agitur de obiecto propositionum adæquato, sed de inadæquato. *rursus non de* inadæquato quod se habeat, *vt quo; sed de* inadæquato, quod se habet *vt quod, atque* adeo in idem recidit *hoc axioma, ac illud,* quo dicimus: *contradictoria ex eodem subiecto*, & prædicato debere constare. iam verò hoc significauit Philosophus quando dixit: contradictionem esse eiusdem ad idem, hoc est eiusdẽ subiecti ad idẽ prædicatũ nec aliud voluit D.T. *lo. cit.* dicẽdo cõtradictionẽ fieri circa idẽ hoc est *in* ordine ad idẽ subiectũ, & prædicatum; Cæterum id quod se habet vt quo ex parte contradictoriorum obiectiuorum debere esse diuersum in vno, ac in alio, patet ex ipsis contradictorijs formalibus, quarum vna debet affirmare identitatem inter extrema: altera verò illam negare. 174

Obijcies secundò in hac propositione: Petrus non est rationalis, si habeo pro obiecto negationem identitatis: vel illam affirmo, vel illam nego; neutrum dici potest; ergo nullo modo illam habeo pro obiecto; maior patet. minor probatur; non potest dici quod illam negem, quia propositio non esset falsa; negatio enim identitatis negata affirmationem importat eiusdem identitatis; neque quod illam affirmem; sic enim idem esset negare identitatem; ac affirmare eius negationem; sed hoc 175

Digitized by Google

esse falsum probo ex eo, quia inde sequeretur
171 á parte quod affirmare identitatem, idem esse ac negare eius negationem; sequelam autem hanc esse absurdam suadetur duplicitèr: primo, ad homines contra nos, quia sic veraque propositio contradictoria haberet idem omnino obiectum videlicet identitatem, & negationem identitatis. secundo absolutè: quia veraque contradictoria esset affirmativa simul & negativa; quare male diuideretur iudicium in assensum, & dissensum, quia omnis assensus affirmativam propositionem importat, sicuti omnis dissensus negativam.

176 Respondeo negando absolutè maiorem; quia non omne id quod in propositione habetur pro obiecto, affirmari debet, vel negari; sed solum illud, quod habetur pro obiecto tanquam prædicatum. de facto enim in dicta propositione Petrus non est rationalis, Petrus se habet vt obiectum, & tamen neque affirmatur, neq; negatur; sed solum est id, de quo negatur rationalitas; nil mirum igitur si in eadem propositione negatio identitatis neque negetur, neque affirmetur.

177 Atque hæc loquendo in rigore de eo quod in propositionibus absolutè affirmatur, vel negatur, quod si minus rigorosè loquamur de eo quod affirmatur, & negatur, vt quo, quatenus est vltimum determinatiuum affirmandi, vel negandi prædicatum de subiecto, in hoc sensu potest concedi maior; sed neganda est minor, dicendumque eandem carentiam identitatis, quam habemus pro obiecto in dicta propositione, sub diuersa ratione posse dici affirmari, atque negari vt quo, affirmari quidem ex parte intellectus, negari verò ex parte obiecti; in quantum enim intellectus sibi persuadet eam reperiri inter Petrum, & rationalem dici potest affirmari vt quo, ex parte intellectus; quatenus verò est ratio cur inter Petrum, & rationalem excludatur identitas, potest dici quod negetur vt quo ex parte obiecti; contra hunc respondendi modum non faciunt rationes adductæ ab aduersario ad minorem principalem suadendam; ex eo enim, quod negetur vt quo, carentia identitatis, non sequitur, quod propositio illa sit affirmativa, & vera; sed maximè negativa, & falsa; quatenus est ratio cur prædicatum à subiecto excludatur; ex eo verò quod affirmetur vt quo, sequitur quidem quod idem sit negare identitatem negatione se tenente ex parte obiecti, ac affirmare negationem identitatis, affirmatione se tenente ex parte subiecti, seu intellectus, quia intellectus identitatem inter Petrum, & rationalem minimè negaret, nisi inter ea illius carentiam agnosceret; ex hoc autem male deducitur, quod affirmare identitatem, idem
178 esse ac negare eius negationem; quia quando dico Petrus est rationalis, tum ex parte obiecti, tum ex parte intellectus affirmo, vt quo, identitatem ex parte quidem intellectus, in quantum mihi persuadeo eam inter extrema reperiri; ex parte verò obiecti, quatenus est ratio cur affirmem de subiecto prædicatum; male etiam deducitur, quod vtraque propositio contradictoria esset simul affirmativa, & negativa, affirmatio enim, & negatio in propositionibus nō attenditur per ordinem ad intellectum; nam sic nulla negativa daretur; quoties enim intellectus iudicat prædicatum inesse, vel non inesse subiecto, toties vltimum determinatiuum, á quo inducitur saltem interpretatiuè ab eo admittatur necesse est, sed solum attenditur per ordinem ad obiectum. ita vt si propositio conformetur obiecto, identitatem inter prædicatum, & subiectum præferente, propositio censeatur affirmativa; sin autem conformetur obiecto carentiam identitatis inter prædicatum, & subiectum præferenti, negativa.

Instabis in hac propositione, Petrus non est rationalis, non negatur identitas inter extrema; sed rationalitas de Petro; quod posse fieri, licet vtrumque existat, patet: quia etiam quando nego de Petro, quod sit Paulus, tum Petrus tum Paulus existunt; ergo &c.

Respondeo distinguendo antecedens: non negatur vt quod identitas, sed rationalitas, concedo: vt quo nego, & eandem distinctionem ad paritatem adhibita, nego consequentiam; non enim est dubium sæpe subiectum, & prædicatum propositionis negativæ falsæ, existere á parte rei; sed præter hæc, datur id, quod in ea negatur vt quo; quæ est vltima ratio determinativa intellectus adnegandum, & hoc dico esse carentiam identitatis quam in propositionibus falsis intellectus sibi confingit.

Instabis iterum: in voluntate non sunt confundendi actus fugæ ab obiecto, & actus prosequutionis carentiæ ipsius obiecti; ergo neque in intellectu sunt confundendi actus dissentiendi ab obiecto, & actus assentiendi carentiæ illius; sed si hæc propositio (Petrus non est animal) haberet pro obiecto carentiam identitatis, actus assensus, & dissensus confunderentur, ergo &c. antecedens probatur quia aliud est odisse obiectum, aliud verò eius carentiam amare, prima verò consequentia patet paritate; subsumptum autem probatur; quia hoc ipso quod intellectus haberet carentiam identitatis pro obiecto, dum diceret (Petrus non est animal) illi assentiretur; ergo ille actus esset assensus; aliunde verò supponimus esse actum dissensus; ergo confunderetur vterque actus.

Respondeo concesso antecedente, & prima consequentia, nego subsumptum; ad cuius probationem distinguo antecedens: intellectus carentiæ identitatis assentiretur, vt quo, assentione se tenēte ex parte ipsius intellectus, concedo; assentiretur illi vel, vt quo, assensione se tenente ex parte obiecti, vel vt quod; nego antecedens, & consequentiam, vt patet ex dictis; quod actus sit assensus, vel dissensus pendet, vti diximus, solum ex eo quod affirmetur, vel negetur identitas subiecti cum prædicato; cæterum quemadmodum licet in rigore non sint idem actus fugæ ab obiecto, & actus prosequutionis carentiæ ipsius obiecti: nihilominus tamen censentur idem æquiualenter, quatenus non minus repugnat cum amore obiecti,

fuga

fuga ab ipso obiecto: quam prosequtio carentiæ ipsius; ita discurrendum est circa actum dissensus ab obiecto, & actum consensus in carentiam eiusdem obiecti; in ordine enim ad physicam oppositionem cum hoc actu V. G. aer est illuminatus, hic actus dissensus (aer non est illuminatus) æquiualet huic assensui (aer est tenebrosus) licet carentia luminis in priori negetur, vt quo, ex parte obiecti, in posteriori verò affirmetur vt quod tanquam prædicatū propositionis.

182 Obiicies tertiò idem prorsus obiectum est cum illud volo, ac cum illud nolo V. G. cum volo diuitias, & nolo illas, obiectum semper sunt diuitiæ; sed per actum volitionis illas amplector, per actum nolitionis ab illis refugio ergo à pari idem etiam erit obiectum cum illi assentior, & dissentior; consequentia patet: tum quia intellectus per actus assensus amplectitur obiectum; & per actum dissensus ab eo auertitur; tum etiam quia Aristoteles, & alij Phylosophi magnam inter actus intellectus, & voluntatis affinitatem agnoscunt.

183 Respondeo, distinguendo antecedens; idē prorsus obiectum est cum illud volo, ac cum illud nolo si loquamur de obiecto materiali, concedo: si de formali, nego antecedens; si quidem cum volo diuitias, obiectum formale est earum vtilitas; cum illas nolo est periculum, quod ereant æternam beatitudinem amittendi, vel quid simile; sic distinguo eodem modo consequens; ergo idem erit obiectum assensus, & dissensus: loquendo de obiecto materiali, quod subiectum, & prædicatum propositionis importat, concedo; si loquamur de formali, quod se habet vt vltimum determinatiuum assentiendi, vel dissentiendi nego consequentiam; per quæ patet responsio ad eius probationes.

184 Obiicies quartò: actum intellectus esse copulatiuum, vel disiunctiuum non sumitur ab obiectis, sed ab intrinseca illius tendentia in idem prorsus obiectum; ergo actum intellectus esse affirmatiuum, vel negatiuum non importat diuersum obiectum, sed diuersum modum sibi intrinsecum, & essentialem tendendi in idem prorsus obiectum.

185 Respondeo permisso antecedente, negando consequentiam; ratio disparitatis est, quia ex parte obiecti non habetur quid per particulam, &, quæ importat sensum copulatiuum, & quid per particulam (vel,) quæ importat sensum diuisiuum significetur, vti suppono ex eo quod in ipso antecedēte assumitur alias dicam falsum esse antecedens; contra verò habetur ex parte obiecti id, quod importat particula, est, in propositione affirmatiua vera nempe identitas subiecti cum prædicato, & id quod importat particula (non est) in propositione negatiua vera, nempe carentia identitatis, quod si non habetur in falsis, ideo est quia intellectus in eis fallitur existimando, quod habeantur ex parte obiecti, cum re vera desint; alioquin neque illæ veræ essent, neque hæ falsæ; quia veritas formalis in conformitate cognitionis cum obiecto, & falsitas in difformitate consistit;

Obiicies quintò: per nos quando dico: natura præcisa non est singularis, non habeo pro obiecto carentiam singularitatis: ergo neque quando dico Petrus non est albus, habeo pro obiecto carentiam albedinis. 186

Respondeo distinguendo antecedens quando dico natura præcisa non est singularis, ita non habeo pro obiecto carentiam singularitatum, vt habeam pro obiecto carentiam cognitionis dictas singularitates attingentis, concedo; ita vt neq; habeam pro obiecto dictam cognitionis carētiam, nego antecedens, & consequentiam, ratio distinctionis est quia status præcisiuus rei est intellectualis, at status realis competit rei nemine cogitante; quare idem est dicere in statu præcisionis nō habet differentias, ac natura non cognoscitur cum differentijs, sed secundum sua prædicata quidditatiua tantum; at quando ego dico Petrus non est albus, non intelligo eum pro statu reali præscindere ab albedine, quia non datur præcisio á parte rei, ergo intelligo eum carere albedine.

Obiicies sextò in motu locali ijdem sunt termini accessus, & recessus inuicem oppositi 187
ergo & incognitionibus affirmatiuis, & negatiuis eadem sunt obiecta; consequentia probatur: nam affirmatio habet rationem accessus ad obiectum: negatio verò recessus ab illo. Respondeo distinguendo antecedens in motu locali ijdem sunt termini remoti accessus, & recessus, concedo; proximi, nego antecedens & consequentiam, ad cuius probationem explico meam distinctionem: licet enim siue ego recedam Panormo, accedendo Messanam; siue recedam Messana, accedendo Panormum eosdem terminos habeam remotos, nempe duos hasce ciuitates: proximus tamen terminus recessus Panormitani est carentia meæ vbicationes Panormitanæ, & proximus terminus accessus est mea vbicatio Panormitana. idemq; proportionaliter dico de accessu, & recessu Messanensi; sic intellectus in propositione affirmatiua recedit à carentia identitatis subiecti cum prædicato, per hoc quod habeat pro obiecto determinatiuo identitatē illorum; in negatiua verò recedit ab identitate subiecti, & prædicati per hoc quod habeat pro obiecto determinatiuo carentiam identitatis illorum; quoniam verò accessus comparatur generationi propter terminum ad quem positiuum, & recessus corruptioni propter terminum ad quem negatiuū: hinc fit vt assensus, accessui; dissensus verò, recessui assimiletur.

SECTIO VNDECIMA.

An ad multiplicationem rerum positiuarum multiplicentur carentiæ.

DVo sunt genera rerum positiuarum, in ordine ad quæ multiplicatio carentiarum attendi potest; vnum est illarum, quarum ipsæ sunt formales exclusiones: alterum verò earum, quæ se habent vt subiectum, vel quasi subiectum ipsarum; sic respectu tenebrarum, ad primum genus pertinet lux, ad secundum verò aer; quia tenebræ, ita sunt formaliter exclu-

Digitized by Google

exclusiuæ lucis, vt aërem tenebrosum, sicuti forma positiua subiectum suum, denominent dixi, quasi subiectum, tum quia nullum ens positiuum est propriè subiectum carentiæ: tum etiam, quia res, quarum sunt exclusiuæ, quam plures carentiæ non habent subiectum, vt alter mundus, Antichristus &c. Quoniam verò carentiæ totum esse abusiuum, quod habent, est ratione horum positiuorum, recte dubitatur nũ ad eorum multiplicationem multiplicentur.

189 Prima Conclusio carentiæ ad multiplicationem specificam, ac numericam rerum, quarum sunt carentiæ specificè, ac numericè multiplicantur. Sic carentia luminis, & carentia hominis differunt specie, hoc est essentialiter (Latè enim nomen speciei in præsentia sumimus, pro vt nimirum importat essentiam.) carentia verò Petri, & carentia Pauli differunt tantum numero; est communis.

190 Probatur primo, quia carentiæ nihil aliud sunt, quam puræ remotiones rerum positiuarum, quarum sunt carentiæ. ergo totum suum esse abusiuum, siuè essentiale, siuè numericum, quod habent, ab ijsdem rebus accipiant necesse est. Sicuti enim per ordinem ad illas constituuntur: ita, & distinguntur. ergo si res quarũ sunt carentiæ differunt essentialiter: ipsæ essentialiter inter se differre debẽt; quod si numero, numericè.

191 Probatur secundo non aliter differunt inter se homo, & equus, quam carẽtia hominis, & carentia equi. sed illi differunt essentialiter: ergo & hæ. Maior suadetur ex eo, quia eadem differentiæ essentiales, quæ intrinsecè diuersificant hominem, & equum sunt termini extrinseci, ex quibus suam intrinsecam diuersitatem, & specificationem eorum carentiæ desumunt. Ad eum planè modum quo differentiæ essentiales, quæ intrinsecè diuersificant colorem, & sonum sunt termini extrinseci, ex quibus suam intrinsecam diuersitatem, & specificationem accipiunt potentia visiua, & auditiua: ergo non aliter &c. Præterea carentia Petri, & carentia Pauli ex vna parte separari possunt ad inuicem, & ex alia non habent vndè diuersificari debeant essentialiter. ergo hæ differunt tãtum numero.

192 Secunda Conclusio carentiæ ad multiplicationem specificam subiectorum non multiplicantur specie; sed siuè specie, siuè numerò subiecta differant, numericè tantum, quantum est ex parte subiecti, multiplicantur.

193 Duas habet partes assertio, & primo probatur quo ad priorem. Carentia luminis quæ est in aëre, & carentia luminis, quæ est in aqua, siuè in quolibet alio corpore non differunt essentialiter: sed aqua, & aër differunt specie. ergo carentiæ ad multiplicationem specificam subiectorum non multiplicantur specificè. Maior, quæ sola probatione eget, suadetur primo à pari, quia lumen, quod est in aëre non differe specie à lumine, quod est in aqua, siuè in quocumque alio corpore. Secundò à priori, quia carentiæ luminis essentialiter competit solùm excludere lumen à subiecto; excludere autem illud ab hoc, vel ab illo subiecto eam reperit in sua vltima specie constituram, quia hoc materialiter illi competit, & veluti per accidens. ergo non facit differre specie.

Eadem Conclusio: quo ad posteriorem partẽ, in qua diximus: carentias ad subiectorum multiplicationem numericè multiplicari, est contra Comptonum *disput. 18. log. sect. 8.* vbi ait: vnius rei non nisi vnam in vno spatio dari posse carentiã, & sic quando aër initio mundi à Deo sine lucè creatus est, nullam in eo nouam lucis carentiam emersisse, perquam denominaretur lucè priuatus, sed sufficisse priorem lucis, & vnionis carentiam, quæ in spatio imaginario extitit ab æterno, idemque dicendum esse si Deus modo aliquam aëris particulã extra mũdum in spatijs imaginarijs produceret. 194

Probatur autem assertio nostra, quia proprietates essentiales debent ad multiplicationẽ essentiarum, quarum sunt proprietates multiplicari. sed carentia identitatis cum Angelo est proprietas essentialis tum animæ, tum corporis Francisci. ergo quandiũ in vno spatio existunt anima, & corpus Francisci, duplex carentia identitatis cum Angelo in eodem spatio admittenda est, & sic ad multiplicationem subiectorum carentiæ multiplicantur. Maior patet, quia proprietas intelligitur profluere ab essentia. ergo ad multiplicationem essentiæ multiplicari debet, alias dicam vnam numero risibilitatem omnibus hominibus conuenire, vel saltem per eandem numero vnitatem, veritatem, & bonitatem, substantiam, & accidentia, quæ in ea sunt habere rationem vnius, veri, & boni. Minor verò suadetur, quia tum anima tum corpus Francisci secundum sua prædicata essentialia exigunt carentiam identitatis cum Angelo. ergo huiusmodi carentia est vtriusque partis secundum se consideratæ proprietas. 195

Nè autem Comptonus respondeat se non agere de carentijs necessarijs, sed de contingentibus. Probatur etiam nostra assertio in ordine ad contingentes, & primo quidem ex his, quæ docet Aristoteles primo Physicorum loquendo de principijs physicis *tex. enim* 50. ait contraria esse principia, non quomodocumque; sed prima, vt habet *tex.* 42. *tex. vero* 53. docet ijs contrarijs necessarium esse subijcere quoddam tertium, & hoc ait *tex.* 62. se habere, vt subiectum contrarietatis, ex quo contraria ipsa ad inuicem se expellant, & denique *tex.* 66. & 67. addit subiectum esse vnum numero cum priuatione, & propterea duo posse quodammodo dici principia, & quodammodo tria tum sic. Si materia prima per carentiam formæ, quam inuenit in spatio esset priuata forma; falsum esset in rigore, quod forma, & priuatio essent prima contraria, quia non se expellerent à subiecto. Nam priuatio esset veluti per se stans in spatio. Falsum quoque esset, quod materia se haberet vt subiectum respectu dictæ contrarietatis; nam priuatio non reciperetur in illa; Falsum denique quod eadem materia esset vnum numero cum priuatione, quia hoc importat esse vnum subiectũ cum illa. nam forma, quæ nullum habet esse ex se, eadem numerabilitatem cum subiecto suo habere debet, quod non posset verificari de priuatione in sententia opposita. ergo &c.

Digitized by Google

197 Probatur etiam secundo ratione: quia prius dicitur definitur carentia formæ in subiecto apto; ergo debet esse intrinseca subiecto, & sic ex vna parte nequit subiectum per illam carentiam, quæ in spatio reperit constitui primarum forma opposita: & ex alia quodlibet subiectum suam propriam carentiam eiusdem formæ habere deberet. Consequentiæ videntur necessariò sequi, & Antecedens ab omnibus admittitur.

198 Ad hoc argumentū tripliciter respondet Cōptonus *loco citato num.* 7. primò sic; priuationem esse aliquo modo in subiecto, quatenus est illi intimè præsens. Sed hæc responsio non procedit: nam si intima præsentia rei cum subiecto sufficeret ad verificandum eam in subiecto esse, sequeretur, quod de Deo qui omnibus subiectis intimè præsens est, possemus absolutè affirmare, quod esset in subiecto, quod nemo dixerit.

199 Respondet secundo, sensum illius definitionis esse, quod denominatio à priuatione proueniens cadere debet supra subiectum aptum ad formam oppositam, & ad eius effectum formalem recipiendum: non verò aptum ad ipsam carentiam. Verum contra hanc responsionem facit primò, quia accipere denominationem ipsam pro forma denominante est figurata loquutio; vt si quis dicat cognitionem, qua cognoscitur paries, esse in pariete, quatenus paries denominatur ab illa cognitus; sed definitiones non sunt in sensu figurato explicandæ; ergo dum dicitur: priuatio est carentia formæ in subiecto, male carentia prædenominatione sumitur. Contra etiam est secundo, quia licet verum sit, quod aptitudo, quā debet habere subiectum, ad hoc vt denominationem priuati obtineat, sit in ordine ad formam oppositam; & ad eius effectum formalem recipiendum, tamen non videtur, quomodo per hoc saluetur, quod carentia formæ insit subiecto. Summum enim, quod verificari potest, est, quod aptitudo insit illi, non verò, quod carentia: aliter dicam ego, quod Angelus, qui est intimè præsens corpori apto, si moueatur, sit in eo, vel in subiecto, dico, vt in subiecto, quia particulæ definitionis accipiendæ sunt in sensu formali. Si igitur male quis absolutè diceret in eo casu Angelum esse in subiecto, quia hoc habet aptitudinem ad hoc, vt moueatur ab illo; ita & in casu nostro.

200 Tertiò denique responsio est, definitionem hoc modo debere intelligi, nempe priuationem consistere in non esse formæ in subiecto apto, seu esse formam non esse in subiecto apto, seu esse exclusionem formæ à subiecto apto. Ex quibus colligit sensum definitionis non esse, quod priuatio debeat esse in subiecto si propriè loquamur: tum quia proprie in subiecto esse non potest, etiam, quia effectum suum non minus propriè habet, quam si inesset.

201 Verum, vt à corollario hoc incipiam: male supponit Comptonus eos, qui sibi aduersantur, dicere, quod priuatio sit propriè loquendo in subiecto; & perperam per hoc, quod oppositum euincat, canit sibi victoriam. Quot quot enim dicunt carentias contingentes habere esse impropriè, & abusiuè, non possunt, si consequenter loqui velint, asserere eas propriè esse in subiecto, cum constet, quod propriè loquendo prius aliquid debet esse in se ipso, quam in alio; quod si hoc solùm intendebat ille fundere, vacuo verbo ex dictis supra poterat se à quæstione expedire. Verùm præsens quæstio hoc alio modo intelligenda est: num, scilicet, plura corpora priuata lumine V. G. siue simul per absolutam Dei potentiam existans in eodem spatio imaginario compenetrata, siue successiue, num inquam per eandem numero carentiam luminis, quam supponunt in illo spatio existere impropriè, sint obscura; an verò quodlibet per suam peculiarem carentiam obscuretur, ita vt non sufficiat eisdem illas quæ erat in dicto spatio; & in hoc sensu accepta controuersia, negatiuam partem ego sustineo, quod, scilicet, non sufficiat; & quidem ipsemet auctor in eodem sensu videtur loqui dum oppositam sententiā propugnat, quod nimirum vna tantum sit sufficiens. Dum igitur nunc ad propriam inhærentiam recurrit, ostendit se coactum argumento ex priuationis definitione desumpto, cedere, ac dare manus; quod etiam ex tertia hac responsione deducitur, in qua vt se defendat, tres explicationes tradit definitionis adducit, quarum nulla illi fauet. Nam prima est, quod priuatio sit non esse formæ in subiecto apto, vel enim passiuè, in subiecto apto, referatur ad non esse formæ, vel ad solam formam. Si primum habemus intentum, vt patet ex dictis. Secundum non potest dici, quia cuilibet sensum facere definitio, eget enim expositione, dicendo, vel quod forma illa sit in subiecto, vel quod non sit. Nō potest dici, quod sit, ergo, quod non sit, per consequens, quod in ipso subiecto sit verificatum dicti, aut negatiui, alioquin si carentia formæ esset extra mundum, & in mundo subiectum informatum forma opposita, vellet denominari posset carere forma. Per quæ patet *impugnatio secundæ explicationis, in qua dicebatur definitio ligni esse, formam non esse in subiecto apto, quia de hoc ipso dederetur, quod sit in eo carentia propter contrarium subiecti, de quo prædicitur non esse in eo forma.* Idem dicendum de tertia, quod nimirum priuatio sit exclusio formæ à subiecto. Nullum enim ens creatum potest existere, aliud contrarium à communi subiecto, nisi per hoc, quod intelligatur eo modo esse in eo subiecto, illudque ex quo parat.

Obijcies primo fundamentum Comptoni: Non sunt multiplicanda non entia sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi nouam carentiam in subiecto, quod creatur hac forma; ergo sufficit carentia quam supponit in spatio, in quo creatur ad denominandum illud ex forma priuatum. Maior, & consequentia patent. Probo minorem: si producitur lux in spatio imaginario, in quo carentia lucis præexistebat, quando intelligitur durare lucis carentia, non potest dici de diuinitus quidem habere lucem, ergo nec per carentiam lucis, & vmbræ, quam in spatio reperit, denominabitur lucē priuatus. Antecedens huius suadetur: quia implicat rem, & eius carentiam simul in eodem spatio reperiri, ergo vbicunque fuerit lux, &c.

Digitized by Google

tio erit etiam exclusiuum eiusdem luminis à subiecto. Confirmatur, quia ideò dari simul naturaliter nequit duplex actio adæquata ad eundem numero effectum, quia altera esset superflua. sed carentia luminis in àère in spatijs imaginarijs producto esset superflua, vti probatum est. ergo &c.

203 Respondeo concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia carentia luminis in spatio imaginario habet excludere lumen à dicto spatio, quare ad expellandam huiusmodi carentiam, sufficit vt in eo spatio lumen existat, siuè enim extra subiectum existat, siuè in subiecto, vel hoc, vel illo alio parum refert, quia ad expellendam dictam carentiam verificari tantum debet, quod ibi sit lumen, ad eum planè modum quo ad expellendam carentiam Petri à cubiculo sufficit si in eo sit Petrus, siuè demum sedeat, siuè stet, siuè iaceat nihil interest. Ex hoc autem malè deducitur àèrem per carentiam quam reperit in spatio denominari lucè priuatum, quia non quæcumque præsentia lucis in dicto spatio sufficit ad excludendam ab eo priuationem oppositam, sed illa tantum beneficio cuius àèr redditur illuminatus, ad quod requiritur vt à lucè informetur, atque perficiatur, quandiù autem hoc non habetur, semper àèr erit lucè priuatus; etiam si in eodem spatio existat simul cum lucè, perquæ patet responsio ad confirmationem, concessa enim maiore nego minorem, & dico carentiam illam in àère receptam non esse superfluam, quia est formalis exclusio lucis àèrem perficientis, quod non competit carentiæ quam àèr quando producitur in spatio, reperit.

204 Instabis cum Comptono *loco cit. num. quarto* ex tradita doctrina sequeretur lucem, & carentiam lucis in eadem parte spatij simul existere posse. sed hoc implicat, quia lux simul esset, & non esset. ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam maioris, & siquidem sermo sit de existentia lucis, & eius carentiæ immediatæ in spatio, nego; sin autem sermo est de existentia lucis immediatè quidem in spatio, & de existentia carentiæ eiusdem lucis in eodem spatio mediatè, quatenus dicta carentia existit in àère concedo; & sic distinguo minorem; implicat quod lux, & carentia lucis sint simul in spatio immediatè concedo, sint quidem simul in spatio, sed lux immediatè, & eius carentia mediatè, nego minorem; & ad eius probationem in contrarium dico, immediata existentia lucis, & eius carentiæ in spatio rectè deducitur lucem simul esse, & non esse: non verò existentia immediata lucis, & mediata existentia carentiæ, quia ex hoc tantum deducitur esse lucem in spatio, ita vt non informet àèrem, nec ab eo carentiam per quam redditur formaliter tenebrosus excludat.

205 Subinstabis: sufficit in dicto casu si dicamus àèri deficere vnionem cum luce, & ideo non esse illa informatum. ergo superflue ponitur in eo carentia lucis; sed sufficit solum ponere carentiam vnionis existentem in dicto spatio, ad cuius exclusionem, ita in spatio esset lux, vt informaret àèrem.

Respondeo primo hac instantia non posse vti Comptonum, qui sectione sequenti defendit, quando res aliqua producitur, carentiam illius eo tantum loco tolli, vbi illa producitur, & in reliquis remanere, quemadmodum enim in eius sententia res, quæ est in vno loco non excluditur á reliquis locis per solam carentiam vbicationum, quæ eam dictis locis præsentem redderent; sed etiam per sui carentiam. Ita neque debet dici, quod lux excludatur ab illuminando àèrem per carentiam vnionis tantum, sed etiã per carentiam sui existentis in ipso àère. 206

Secundo respondeo negando absolutè antecedens. Ratio negationis est, quia àèr vt illuminetur debet perfici ab ipsa luce, & casu quo tenebrosus præexistit, transire à priuatione lucis ad formam lucis. ergo si producatur in spatio imaginario, in quo existat miraculosè per se lux, non potest dici, quod solum illi desit carentia vnionis ad lucem; sed dicendum, quod etiam ei desit ipsa lux, ad eum planè modum quo, si quis exuriens haberet præsentem cibũ non posset dici quod sola vbicatio cibi in stomaco illi desit, sed quod desit etiam ipse cibus. Ratio vtriusque est quia neque appetitus exurientis per solam vbicationem cibi, neque capacitas subiecti per solam vnionem cum forma satiatur. Vndè si per impossibile haberet exuriens cibi vbicationem sine cibo in stomaco, & subiectum vnionem ad formam sine forma; & ille restaret ieiunus, & hoc forma priuatum. 207

Obijcies secundo cũ eodem *num. quinto*: Noua in àère illo emergente carentia, vel manet prior carentia in spatio, vel perit. si primum, altera erit superflua, cum vtraque àèrem aeque priuet luce; secundum dici nequit, nam cum ea, quæ erat in àère æque potens sit ad effectum illum præstandum: non est, maior ratio cur hæc potius pereat, quam illa resultet. Respondeo dicendo, quod maneat, & ad probationem in contrarium nego alterutram esse superfluam eo, quod illa quæ fluit ab àère non excludit quomodocumque lucem, nè existat in illo spatio; sed excludit lucem nè perficiat, & informet ipsum àèrem. Quare licèt præsente carentia immediatè existente in spatio non possit àèr in eo existens illuminari: potest tamen illuminari alibi; & potest etiam bi non illuminari, quãdiù lux ab ipso sui carentiam non excludit. 208

Obijcies tertio vnius rei vnum debet esse nõ esse, sed non esse rei est eius carentia. ergo falsum est carentiam rei ad subiectorum vel quasi subiectorum multiplicationem, numero multiplicari. Respondeo distinguendo maiorem, vnius rei vnum debet esse non esse per se, & absolutè loquendo, concedo, respectiuè, & veluti per accidens, nego maiorem, & concessa minore, nego consequentiam, quia in ea fit transitus à non esse rei per se, & absolutè accepto, ad ipsum veluti respectiuè, & per accidens. Explico distinctionem, si consideretur vna res secundum se ipsam, & absolutè; non nisi vnum non esse habere potest; at si consideretur in ordine ad diuersa spatia, & ad diuersa subiecta: eius non esse multiplex est, quia de vno quoque verificari potest, quod ea ca- 209

reat; quoniam vero in maiori, non esse rei similitur vetuti per se, & absolutè, & in consequentia ratione diuersorum, ideò nullum est argumentum.

210 Obijcies quartò: implicat rem simul esse, & non esse; sed idem sequeretur, si eius carentia ad subiectorum multiplicationem multiplicaretur; ergo &c. probo minorem quando esset in vno subiecto, non esset in alio; ergo simul esset, & non esset. Respondeo nunquam absolutè loquendo verificari posse de eadem re, quod simul sit, & non sit; neque id sequitur ex nostra sententia, sed solum quod sit in vno subiecto, & in vno loco, non vero in alio subiecto, & in alio loco, iuxta paulo ante dicta; cum hoc tamen hac, quod ad hoc, vt dicatur absolutè, & simpliciter esse, sufficiat, quod sit in vno subiecto, vel loco; ad hoc verò vt dicatur absolutè, & simpliciter non esse, requiratur, vt in nullo prorsus subiecto, & in nullo prorsus loco existat; & hoc ideo: quia negatio est maligantis naturæ; quare si res alicubi sit, non potest de ea verificari absolutè, & simpliciter, quod non sit: contra verò vt verificetur, quod absolutè, & simpliciter sit, sufficit, si sit alicubi, seu in aliquo subiecto.

211 Instabis: esse rei absolutè, & simpliciter habetur per hoc, quod res sit alicubi, ergo à pari non esse rei absolutè, & simpliciter haberi debet per hoc, quod alicubi suo modo sit; sed habito absolutè, & simpliciter non esse rei, sequitur rem absolutè, & simpliciter non esse; ergo si carentia rei ad subiectorum multiplicationem multiplicaretur, sequeretur, quod eadem res eodem tempore absolutè, & simpliciter esset, & non esset. Respondeo concesso primo enymemate negando subsumptum; ratio negationis est, quia aliud est considerare non esse rei vt suo modo absolutè, & simpliciter existens: aliud verò est spectare illud vt absolutè, & simpliciter suum effectum formalem influens rei, cuius est non esse ad primum sufficere, suo modo sit alicubi, quia ad hoc rerum positiuarum natura fundatur, quæ ad hoc, vt dicantur absolutè, & simpliciter existere, aliud nil requirunt, quàm alicubi existentiam habere; at verò pro secundo, necesse est, vt vbique tribuat illum effectum formalem: alioquin non absolutè, & simpliciter ab ea excluderet existentiam, sed respectiuè, & secundum quid, hoc est in hoc, & illo loco, & non in omni; & sic non exerceret omnes vires suas in ordine ad illam; sed tales se habet res in casu nostro; ergo &c.

212 Atque ex his sequitur veram esse sententiam quam in physicis cum de vb, docuimus Philosophorum, per totum spatium diuisibile diffusam esse carentiam rei ante productionem ipsius rei, quando verò producitur, vbi tantum loco eius carentiam excludi, in quo producitur, quoties alicui loco ponitur applicatur, ideo quoque excludi succedente in locum, hac illa recedit alia carentia, quod mihi videtur valde probabile, quia ante quàm Petrus V. G. produceretur, erat Panormi eius carentia, ponitur autem quod producatur Messanæ, impossibile videtur, quod dicta carentia cesset Panormi, alioquin ipse simul esset Messanæ, & Panormi; neque sufficit, si dicamus: ideo Petrum non fore Panormi, quia Panormitanæ vbicationis carentiam haberet; nam Petrum esse Panormi importat duo: entitatem Petri, & entitatem vbi Panormitani, & quidem vtrumque debet esse Panormi, licet vnum per aliud, tanquam per formam; ergo sublata forma vtrumque auferatur necesse est, & per consequens vtriusq; carentia haberi debet. Quod confirmatur ex eo, quia quando consurgit vbi Mamertinum in Petro ibi producto, vel cessat Panormi carentia dicti vbi, vel non: primum dici non potest, quia hæc est inauferibilis à spatio Panormitano, eo quod implicat vbi Mamertinum esse Panormi; ergo secundum; sicuti igitur existente vbicatione Mamertina Messanæ, existit Panormi, & in reliquis spatiis eius carentia, & non per carentiam alterius vbicationis, quia hic non habetur distinctio inter rem, de qua agimus, & eius vbicationem: ita existente ibidem Petro, dicendum est existere Panormi, & in reliquis spatiis carentiam illius.

Verum hic quæri posset primo; an carentia 213
Petri, quæ erat in spatio Mamertino, & per creationem illius in eodem spatio expulsa est, an inquam, recedente postea Petro ab eodem spatio, reuertatur eadem numero, quæ erat prius.

Ad quod affirmatiue Respondeo: quod pro- 214
bo breuiter ex eo, quia cum ista carentia sit purum non esse Petri: totam suam vnitatem numericam obiectiuè quidem ab ipso Petro; subiectiuè verò à spatio desumit; quare hoc ipso, quod habemus eumdem numero Petrum, & idem numero spatium, dicendum nobis est eam esse eandem numero carentiam; alioquin non esset purum non esse Petri, sed haberet aliquod esse adiuuum numericum sibi peculiare, ratione cuius, ipsa quod semel desierit esse, deberet cedere locum alteri non esse, quod ab eo veniret peculiare ius ad suo modo existendum in rerum natura; quod tamen verò hoc gratis, & sine fundamento esse non debemus consequentia asserere eandem numero esse carentiam, quæ erat in spatio, ante quàm Petrus in eo existebat, cum ea, quæ recedente eodem Petro ab hoc spatio, postea succedit. Nec de eius diuersam esse causam efficientem numero vnius, & alterius carentiæ: quia tunc diuersitas causarum efficientium effectus numero diuersos sibi vendicare, quando per se directe in ipsos primo producuntur, non autem nostro casu carentia cum ita non sit per se directe producibilis, sed tantum indirecte, & per accidens, vt supra dictum est.

Quæres secundò, an fulgor, & tenebræ, quæ 215
hoc nocte fuerunt nocti præcedenti, eædem numero sint nocte consequenti? Respondeo affirmando; ratio est, quia aer hic non constituitur hac nocte tenebrosus per solam carentiam lucis die sequenti producendæ, sicuti non constitutus est nocte præterita tenebrosus per solam carentiam lucis die proximè succedentis non productæ; sed quotiescumque est tenebro-

Digitized by Google

nebrosus, carentias omnium formarum lucis possibilium tum existentium, tum non existentium habere debet; hoc enim ipso, quod vna ex eis siue naturaliter, siue miraculose habeat, non est amplius tenebrosus, sed illuminatus, si quidem negatio est malignantis naturæ; ergo dictæ tenebræ tum ratione obiecti, tum ratione subiecti eandem vnitatem numericam habent; sed hoc ipso sunt eædem numero, vti dicebamus; ergo &c.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA PRIMA

DE SVBSTANTIA.

EX dictis ijs, quæ ad absolutam intelligentiam entis communissime accepti necessaria erant, ad primam eius diuisionem descendimus, quam Suarez *disput. 28. metaphy. sect. 1.* docet esse eam, per quam ens in infinitum, & finitum diuiditur, intelligendo nomine entis infiniti solum Deum, qui infinitam habet perfectionem in omni genere; nomine verò entis finiti, creaturas. Porrò hanc diuisionem probat ille esse optimam, quia traditur per paucissima membra, maxime inter se distantia, & omnia prorsus entia in particulari sub se comprehendentia; addit præterea eam æquivalere alijs multis, quibus ens Philosophi diuidere consueuerunt. Et primo quidem ei, qua ens diuiditur in ens a se, & ens ab alio. secundo ei, qua diuiditur in necessarium, & contingens. tertiò ei, qua in ens per essentiam, & per participationem, quartò ei, qua in increatum, & creatum. quintò denique ei, qua diuiditur in purum actum, & potentiale. Verum ego licet eam non esse penitus reiiciendam existimem; censeo tamen cum Hurtado diuisionem, qua ens in substantiam, & accidens distribuitur, illi præferendam omnino esse, nomine substantiæ eam, quæ de creata, & increata dicitur, intelligendo. Ratio, quæ me mouet est duplex, prima quia illa Suarij traditur per terminum negatiuum, cuiusmodi est esse infinitum. quamuis enim per negatiuum hunc conceptum excellentissimi entis positiuam essentiam explicare intendimus; prima tamen diuisio vniuersalissimi conceptus, cuiusmodi est entis, exigere videtur, vt fiat per terminos valde notos, qui ex primaria sua significatione habeant explicare nobis, quid significent. secundò quia, vt in physicis ostendimus non repugnat infinitas in rebus creatis, etiam si essentialiter accipiatur, dummodo intra quoddam certum, ac determinatum genus clausa sit. ergo ad hoc, vt vnum membrum diuisionis non includatur in alio, Suarij partitio ita intelligenda est, vt prius membrum non importet quodcumque ens infinitum, sed solum infinitum in omni genere; posterius autem non solum omne finitum, sed etiam quodcumque aliud infinitum, quod aliquam finitatem, seu imperfectionem importet. Ex quo deducitur quòd, quamuis explicationibus egeat dicta diuisio, vt rectam intelligentiam nobis ingenerer. At verò partitio entis in substantiam, & accidens, ex vna parte expeditissima est, vt patet; ex alia verò omnia prorsus, quæ quomodocumque rationem entis participant, sub se comprehendit & distinguit adæquatè; ergo hæc prior, & melior diuisio existimanda est; & non illa Suarij.

Ex quibus patet primo me non fundare hanc meam sententiam in rationibus ab Hurtado contra Suarium adductis, quod nimirum membra diuidentia non debent communicare in aliquo alio nisi in toto diuiso, aliter demum, quatenus conuenirent in illo alio, confunderentur: nam hoc vt bene Arriaga *disput. 4 metaph. sect. 2.* aduertit, in huiusmodi diuisionibus vitari non potest; & multo minus, quòd diuisio entis in immediatas rationes essendi, quales sunt subsistentia, & inhærentia, fieri debet; tum quia nomine substantiæ, & accidentis non vtimur solum subsistentia, & inhærentia, alioquin diuisio esset manca: tum etiam quia ratio finiti, & infiniti eo modo, quo a Suario explicantur, immediatæ rationes essendi existimari possunt. Patet etiam secundò non bene ab Arriaga *dict. vt.* vtramque diuisionem æque bonam, & immediatam existimari, & solum ad diuersa intenta vnam esse alteri præferendam; cum ex dictis constet, omnibus pensatis communem illam in substantiam, & accidens esse alteram meliorem, eique præferendam. Vnde non est mirandum, si eam sequuti, disputationem de substantia instituamus. Quoniam verò ex dictis in logicis, tum de prædicamentis, facile constat, in quo conceptus essentialis substantiæ in nostra sententia consistat: ideirco ad eius proprium modum essendi, qui dicitur subsistentia præsentem

SEC-

SECTIO PRIMA.

Virum subsistentia in creatis addat supra naturam aliquid, nemine cogitante, ab illa distinctum.

PRo terminorum elucidatione supponerem primò: in ente substantiali, pro vt ab accidente stricte sumpto distinguitur, plures rationes á nobis considerari posse. Prima est natura, seu essentia, quæ constituit in prædicatis quidditatiuis, quorum beneficio entia substantialia sub proprijs generibus, ac speciebus collocatur: Secunda est individuatio, cuius munere natura substantialis redditur incommunicabilis pluribus inferioribus, tertia est existentia, per quá redditur formaliter extra causas, & in ratione entis simpliciter cõstituitur. Quarta denique est ratio quædam cuius munus est naturam substantialem vltimo terminare, eamque reddere per se, & in se subsistentem, non autem in alio, & per consequens constituere illam incommunicabilem alteri tamquam termino, hæc autem ratio appellatur a philosophis subsistentia, & videtur aliquo modo opponi inhærentiæ seu inexistentiæ, quæ competit accidenti, & facit illud existere in alio. 3

Supponerem secundo has quatuor voces subsistentia, suppositum, persona, & hypostasis diuersitatem aliquam in significando habere; nam subsistentia significat vltimum terminum cuiuscumque naturæ substantialis siue completa sit, siue incompleta. vnde est vt tũ anima rationalis in statu separationis dicatur subsistere, tum lignum, tum etiam Angelus, & cætera huiusmodi, quamuis autem subsistentia aliquando significet totum concretum ex natura, & forma per quam vltimo natura substantialiter terminatur: frequentius tamen vsurpatur pro forma ipsa, sicuti vsurpabitur á nobis. tria verò nomina sequentia dicuntur de solis substantijs completis incommunicabiliter existentibus, cum hoc discrimine, vt suppositum dicatur de quacumque natura substantiali completa vltimo terminata, siue intellectualis sit, siue non, quam multi dicunt cum Suarez nomine primæ substantiæ ab Aristotele appellatam esse; persona verò de sola natura substantiali completa intellectuali dicitur. vnde asserimus quod lignum sit suppositum, non autem persona. contra verò homo, & suppositum sit, & persona; porro tam suppositum, quam persona includit intrinsecé, tum naturam substantialem completam, tum subsistentiam. vnde forma, per quam constituitur suppositum, dicitur suppositalitas, forma verò per quam constituitur persona personalitas. licet aliquando dicta nomina in concreto accipiantur etiam pro formis abstractis. 4

Denique Hypostasis est Græca vox, quæ antiquitus æquiuoce significabat; & aliquando pro natura substantiali secundum se, aliquando verò pro concreto ex natura, & suppositalitate, sumebatur vnde idẽ sonabat ac suppositũ, hinc fit vt aliqui ex antiquioribus patribus negarent in Deo tres hypostases ne viderẽtur affirmare se tres essentias diuinas agnoscere. quoniam verò ab Ecclesia decretum est vt in secunda significatione sumatur, rectè dicimus dari tres hypostases in diuinis; cum præsertim nunc nomen hypostasis non tribui solet alijs suppositis quam intellectualibus. 5

Supponerẽ denique tertiò formas hasce nimirũ subsistentiã, suppositalitatẽ, personalitatẽ, & rationẽ hypostasis nõ necessario differre penes intrinseca, sed posse per sola connotata extrinseca naturarum diuersificari; eadem enim personalitas Verbi, quando terminabat animam Christi separatam in triduo mortis, reddebat illam subsistentem tantum, si verò terminaret naturam leonis redderet eam subsistentem simul, & suppositum, non verò personam; per hoc verò quod terminet naturam humanam non solum constituit illam subsistentem, ac suppositum, sed etiam personam, atque hypostasim; his autem pro terminorum explicatione præsuppositis, quærimus vtrum subsistentia increatis addat supra naturam aliquid, nemine cogitante, distinctum ab illa. vbi nomen subsistẽtiæ genericè vsurpamus pro vt cum suppositalitate &c. confunditur, sicuti pro nomen aliquid pro vt à re positiua, & negatione præscindit. 6

Conclusio est affirmatiua, & communis inter Catholicos contra Durandum *in prime dist. 34 quæst. 1, num. 15.* & Henricum *quod lib. 4. qu. 4.* existimantes naturam, & suppositum tota ratione inter se distingui in creatis, ex nostro videlicet modo concipiendi, in abstracto, & in concreto; sicuti inter se distinguuntur ens, & entitas; & naturam quidem significare per modum abstracti; suppositum verò per modum concreti, ac per consequens subsistentiam increatis non addere aliquid supra naturam plusquam ratione distinctum. 7

Probatur assertio nostra ab aliquibus quia si suppositum increatis *sola ratione distingueretur* à natura, *sequeretur quod Verbum Diuinum* non solum *assumpsisset naturam humanam* sed etiam humanum suppositum, atque personam, quod est aperte contra fidem vti demõstrat Suarez *tom. 1. in tertiam partem disp. 7. sect. 3.* sequelam probant quia ex duobus realiter identificatis, & sola ratione inter se distinctis non potest vnum assumi sine altero; siquidem assumptio cum sit realis non est præcisiua. ita fere Oviedus *contr. 6. punct. 2. num. 6.* Verum hæc ratio non videtur mihi adeo efficax, vt non possint se ab ea quoquo modo defendere aduersarii. 8

Respondere enim possent primò: multos ex recentioribus Theologis velle naturam creatam, retenta propria personalitate, assumi potuisse á Verbo diuino, absque eo quod potuerit assumi personalitas ipsa creata, eo quod hæc sit inassumptibilis. quemadmodum igitur personalitas creata distincta á natura in horum sententia quantum est de se ex vna parte non impedit vnionem naturæ ad verbum, & ex alia est inuisibilis: ita & indistincta; tunc enim verum est illud axioma: ex duobus realiter identificatis quid quid verificatur de vno, verificari etiam de altero; quoties alterum ex 9

sua

sub specie rationis non est incapax illius prædicationis in casu nostro esset incapax suppositum humanum vt assumeretur.

10 Respondere etiam possem secundò, quod quemadmodum in philosophia illi qui sustinent rationibus necessè plusquam rationis distincta à quantitate constare ex partibus diuisibus in infinitum, dicere cogebantur in contactu corporum superficies eorum realiter compenetrari, negare tamen compenetrari realiter ipsa corpora. ita se dicere quod in Christo non obstante identitate inter naturam humanam, & suppositalitatem creatam vnio tamen hypostatica terminata sit ad naturam, non verò ad suppositalitatem humanam, & hoc propter incapacitatem, quam habet suppositalitas humana dictam vnionem formaliter terminandi ad eam planè modum, quo propter eandem rationem quamuis natura diuina, & personalitas Verbi sint eadem realiter, & sola ratione distinguantur, dicta tamen vnio hypostatica terminata quidem fuit ad personalitatem Verbi, & non ad naturam.

11 Duplicem disparitatem ad hoc oblatam Christus nobis videtur afferre. Prima sumitur ex virtuali distinctione, quæ est inter diuinam naturam, eiusque personalitatem, de qua dictum est, quod sit impropriè dicta, sed communicabilitatem alterius personæ diuinæ, de personalitate verò quod sit prædicta secundum communicabilitatem personæ diuinæ, quæ quidem virtualis distinctio cum ex natura rei esse debeat, non est rebus creatis in hac ratione concedenda. Secunda verò est inter personalitatis Verbi eam naturæ diuinæ vnitæ quod immediatè quidem vnita personalitas, mediatè verò per eam vnio facta sit humanitati, non posse verificari quod vnio humanitatis immediatè vnitæ personalitati non sit immediata personalitatis.

12 Verum neutra disparitas videtur difficultatem solidè dissolvere, quia bò dicunt Theologi qui distinctionem virtualem intrinsecam inter [illegible] agnoscunt, sed agnoscunt, quia putant [illegible] quia [illegible] produci, & non produci verificari debere, quod non est necesse de natura & personalitate creata dicere, quæ [illegible] Durandus [illegible] sine [illegible] dari [illegible] dicere [illegible] vnio [illegible] vnio [illegible] vnio

men idem est ac suppositum, & hypostasis simpliciter addit quendam modum in natura existentiæ, vel dixerimus, ad quem errorem pertrahi videtur Scotus dum, secundum Suarezium, &c. Concilius dicunt in Christo unam eandemque subsistentiam reperiri, quia ratio subsistentiæ indifferenter dicitur de rebus dictis rationibus affirmatur, &c.

17 Dices pro Durando etiam dicamus personalitatem humanam identificari naturæ, sed hoc stare veritatem catholicam, eo quod quamvis essent in Christo duæ personalitates, una tamen, nempe divina, subsisteret in duabus & ex duabus naturis, quandoquidem personalitas humana non terminaret nisi naturam humanam & divina tum naturam humanam tum divinam.

18 Sed contra est quia concilia non loquuntur de veritate personæ in sensu compositivo tantum hoc est quatenus duplicem terminationem exercet, sed etiam in sensu divisivo, volentibus enim omnem aliam personalitatem in Christo excludere quod maxime expressit Innocentius tertius *in tertio decretalium*, ubi dicit quod in Christo persona divina consumpsit personam hominis, quæ verba exponens *D. T. 3. q. quinta art. 3.* dicendum, inquit, quod consumptio ibi non importat destructionem alicujus, quod prius erat, sed impedimentum ejus, quod aliter esse poterat. si enim humana natura non esset assumpta á divina persona, propriam personalitatem haberet, & propter hoc dicitur persona consumpsisse personam, licet impropriè, quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet. Hæc D. T. ex quibus patet falsitas expositionis a Durandi defensoribus traditæ.

19 Alia explicatione nonnullus eamdem Durandi sententiam tolerabilem reddere conatur, dicendo suppositum creatum esse duas entitates importare, scilicet naturam, & ejus incompletam, beneficio naturæ intellectæ subsistere ut sit non in alio suppositum. quoniam verò hoc secundum beneficio hypostaticæ unionis in Christo homine defuit, inde est ut in eo non fuerit suppositalitas, seu personalitas creata.

20 Sed contra est quia hoc secundum quod vi unionis defuit in Christo, vel fuit positivum vel negativum, si primum ergo in eo totalis suppositalitatis repugnabat, quia in Christo nulla alia entitas positiva defuit ex hoc quod perficiendam naturam humanam naturaliter sustinent, nisi sola subsistentia, quod si dicas secundum nimirum esse quid negativum, jam hæc sententia eadem cum opinione quæ sequenti sectione impugnabimus, nihil igitur dicendo favet explicatio de qua commentamur.

21 Obicies primò ex nostra doctrina contra Durandum tradita sequitur naturam humanam Christi Domini datum esse violenter à Verbo inclinare enim ad subsistentiam propriam quamquidem non haberet, quia esset aliqua perfectione quam non habemus, utrumque autem violentum absurdum.

22 Respondeo negando sequelam. Ratio negationis est, quia natura humana Christi Domini quamvis non haberet propriam subsistentia, loco tamen illius habet longe perfectionem aliam, nempe verbi, qua omnem faciat inclinationem, & asserit naturam perfectionem longe majorem ea, quam ex propria subsistentia traheret.

23 Obicies secundò Aristoteles *primo text. 22.* ait quidditatem esse idem cum re, cujus est quidditas, sed quidditas est natura, res autem cujus quidditas est, non est nisi suppositum, natura igitur non distinguitur realiter á supposito.

24 Respondeo Philosophum pro re cujus est quidditas, significare voluisse individuum substantiale. Porrò inducendo certum est quod identificetur cum natura, atque adeo á subsistentia distinguatur, ut patet ex mysterio incarnationis ibi enim Verbum assumpsit naturam humanam individuam, sine propria subsistentia; negando igitur est secunda pars minoris argumenti, & consequentiæ.

25 Obicies tertiò subsistentia distingueretur á natura, natura subiceretur illi, sed subjecta esset, potius ipsa natura haberet rationem subsistentiæ, ac suppositi respectu ipsius subsistentiæ, quam è contra; ergo &c. Respondeo cessa sequela, negando minorem, ad habendam enim rationem suppositi, vel subsistentiæ requiritur peculiaris incommunicabilitas, quam non habet natura, ut benefico subsistentiæ addo quod nomine subsistentiæ non intelligamus formam illam, quæ terminat ipsam naturam

26 Obicies quartò si subsistentia distinguitur á natura; ergo natura non est in se, dum subsistit per propriam subsistentiam, sed hoc est absurdum; ergo sequela probatur quia jam esset in sua subsistentia tamquam in termino. Respondeo negando sequelam, ad cujus probationem dico tantum hil aliud significare naturam esse in se, & non in alio, nisi quod natura propria, & non aliena subsistentia terminetur.

SECTIO SECUNDA.

Num subsistentia in creatis id quod addit realiter distinctum supra naturam sit aliquod negativum an positivum.

27 QVi nobiscum docent subsistentiam in creatis addere supra naturam aliquid ab ea, nemine cogitante, distinctum: in duas dividi sunt classes: quidam enim putant id esse quid negativum, alii verò quid positivum, & primi quidem habent pro se primo Joannem de Neapoli *quolib. 19.* existimantem suppositum addere supra naturam unam tantum negationem extrinsecam positivam, cui natura intrinsecè innitatur, ut ab illo sustentetur. Secundo Scotum *in 3. dist. 1. qu. 1.* cum suis asseclis, nec non etiam Nominalibus docentem suppositum supra naturam duplicem addere negationem, unam unionis actualis ad aliud suppositum, quod nimirum actu non dependeat ab alieno supposito, alteram unionis aptitudinalis, hoc est quod non habeat aptitudinem ad naturaliter dependendum ab illo ratione cujus posterioris negationis anima separata (inquit) quamvis sit subsistens

Digitized by Google

ctus non est suppositum, quia habet aptitudinem, vt sit in toto homine tamquam in supposito; quod si natura est apta vniri alteri supposito, quia tamen inquit Scotus, hoc habet per non repugnantiam, & non per positiuam aliquam aptitudinem, sicuti anima separata; hinc fit, vt natura hoc non obstante sit suppositum. Tertio denique habet pro se Gabrielem in 3. *distinct. prima quæst.* 1. qui præter duas Scoti negationes alias duas negationes docet importare subsistentiam, & alteram ait esse in hærentiæ alteram vero negationem constituendi cum alio aliquod vnum. verum vt aduertit Poncius Sotator Scoti in *Metaphisica quæst. 6. num. 9.* siue dicamus vnam esse negationem, siue plures à supposito importatas per inde est, quantum ad præsentem difficultatem, ego vero rursus adderem perinde etiam esse, siue dicant suppositalitatem, in recto quidem, dicere naturam, & in obliquo carentiam, siue solam carentiam absolutè importare. Iam vero in secunda classe numerantur omnes ferè Theologi ac Philosophi cum D. Thom. *prim. par. qu. 3. art. 3. & 3. parte quæst. 2. art. 4. & quæst. 4. art. 5.* quem sequuntur Thomistæ cum Suario, Vasquez, Valentia, Albertino, Hurtado, Arriaga, Quiedo, quos citat, & sequitur Comptonus *disput. 8. metaph. sect. 3. nu. 1.*

Nostra verò vnica Conclusio est cum his secundis: putamus enim id, quod suppositum supra naturam addit non esse quid negatiuum, sed positiuum; quoniam verò in probanda hac assertione doctores nostri non omnino inter se conueniunt, placet per distinctas subsectiones aliorum rationes prius adducere, deinde verò nostras subijcere, & tandem argumentis, quibus sententia Scoti innititur, satisfacere, sit igitur.

SVBSECTIO PRIMA:

Expenduntur tres rationes ab Arriaga allatæ.

PRobat Arriaga *Disput. 4. num. 81.* nostram assertionem specialiter contra Scotum Primo, quia in eius sententia suppositum alienum in creatis est aliquod negatiuum; ergo impossibile est suppositum creatum alienam naturam terminare. Male igitur, ait Scotus, rationem suppositi in negatione dependentiæ ab alieno supposito consistere; Probatur hæc consequentia, quia hoc est constituere rationem suppositi in negatione rei alias omnino repugnantis naturæ. Verum hæc ratio non procedit, quia stante veritate primi enthymentis negare potest Scotus secundam consequentiam, & ad eius probationem dicere primo, quod quēadmodum nō est absurdum rationē vnius in negatione diuisionis entis in se cōstituere, quamuis huiusmodi diuisio sit omnino enti repugnās, ac implicatoria; ita, & in casu nostro. Deinde addet, quod cum non omnia suppositа sint negatiua; sed sola creata: falsum sit rationem suppositi, creati constitui per negationem rei omnino repugnantis, quod enim natura creata terminetur supposito diuino positiuo constat non esse omni ex parte repugnans; sed solum naturaliter; denique fatebitur se existimare implicare contradictionem suppositum creatum alienam naturam terminare posse.

Probat idem Arriaga secundo *numero 82.* in hunc ferè modum vna negatio ex his, quas ponit Scotus, dicit nec diuinitus posse naturam alieno supposito terminari. ergo in hoc includitur, quod actu non terminetur; superflue igitur ratio suppositi in duplici negatione aptitudinalis videlicet, & actualis terminationis constituitur.

Sed neque hæc ratio quidquam euincit; falsum enim in sententia Scoti est Antecedens. nā ipse contendit negationem illam excludere tantum à natura aptitudinem naturalem, non verò etiam obedientialem ad essendum in alieno supposito; quam quidem negationem habet defectò natura humana Christi Domini, quamuis in Verbo diuino subsistat, ex quo deducitur negationem actualis terminationis non includi in negatione aptitudinalis; sicuti neque includitur negatio aptitudinalis in negatione actualis, vt patet ex anima separata, quæ licèt actu non sit in supposito humano, habet tamen aptitudinem essendi in illo.

Arguit tertio in sententia Scoti alienū suppositum est negatio, ergo in me negatio alieni suppositi est negatio negationis, quod est Chymericum; negatio enim necessariò terminum positiuum respicere debet.

Verùm ad hoc etiā facile respondetur, quod licèt alienum suppositum creatum sit quid negatiuum in sententia Scoti: at non increatum, cum ipse teneat omnes tres personas in Deo superaddere diuinæ naturæ aliquod positiuum ab illa distinctum.

Contra hanc responsionem inuehitur Arriaga trifariam: primo sic, eadem esset subsistentia humana, etiam si per impossibile diuina esset quid negatiuum, sicut in nobis, ergo. &c. Hæc tamen impugnatio non subsistit: primo quidem, quia in hac hypotesi impossibili ad huc remaneret negatio subsistentiæ positiuæ, cum hac differentia, quod modo est negatio alicuius positiui possibilis: tunc verò esset negatio alicuius positiui impossibilis, atque Chymerici, sicuti modo est negatio diuisionis entis in se, & à se. Quemadmodum igitur hoc non obstante rectè vnitas negationem dictæ diuisionis importat: ita, & in eo casu impossibili omne suppositum per negationem termini positiui implicatorij constitueretur; eadē impugnatio non subsistit; secundo, quia dicere posset Scotus, quod in eo casu impossibile esset naturam aliquam alieno supposito terminari. Vndè non esset, cur ratio suppositi deberet à parte rei à natura distingui, sed sufficeret, si distingueretur solum per intellectum, sicuti volebat Durandus.

Secunda Arriagæ impugnatio contra responsionem traditam est, quia si vera esset, sequeretur, quod ratio subsistentiæ, quatenus est quid superius ad diuinam, & creatam, præscinderet ab eo, quod esset ens vel negatio

Digitized by Google

entis. ergo non eſſet illis magis communis, quàm ratio entis communis enti poſitiuo, & negatiuo. ſed ſic creaturæ nullam haberent verè, & realiter ſubſiſtentiam, quod magis abſurdum eſt in ſententia Scoti ponentis prædicata vniuoca communia Deo, & Creaturis. Verum neque hæc impugnatio ſolida eſt, conceſſo enim antecedente, negari poteſt rectè conſequentia. eo quod ratio entis verè, & propriè de ente poſitiuo verificatur, & ſolum improprie, & abuſiuè de negatiuo. ex quibus apparet falſitas ſubſumpti quemadmodum enim etiam ſi ratio principij vt sic præſcindat ab eo, quod ſit ens vel non ens, vti vidimus in phyſicis, nihilominus tamen priuatio habet verè, & realiter rationem principij: ita, & creaturæ verè, & realiter rationem ſubſiſtentiæ, & quemadmodum in aliquorum recentiorum ſententia priuatio, & forma habent vnum principij vtriuſque conceptum entitatiuum, & in ſententia Scoti, aliunde non oriatur, ſuppoſitalitas creata, & increata in ratione ſuppoſitalitatis vt sic.

36 Tertia denique eiuſdem impugnatio quam dat *num.* 83. eſt quia ex Scoti reſponſione ſequitur *in* eius ſententia poni ſuppoſitalitatem in creatis ad negandam vnionem hypoſtaticam cum diuino ſuppoſito. ſed hoc eſt abſurdum, ergo &c. ſequela patet, minor probatur, quia hoc pacto poſſemus etiam in lapide ponere aliam ſuppoſitalitatem ad negandam vnionem illius cum homine, & in homine aliam ad negandam vnionem cum ſanctificatione diuinâ, & aliam ad negandam vnionem cum natura diuina, & ſic diſcurrendo per omnia prædicata Dei; ſed hoc eſt manifeſtè falſum. ergo &c. Sed huicquoque impugnationi facile fiet ſatis, negetur ſequela cum ſua probatione, dicaturque, non quacumque negationem vnionis cum alio in ſententia Scoti conſtituere proprium ſuppoſitum in entibus: ſed ſolam illam, quæ eſt excluſiua dependentiæ ab alieno ſuppoſito, qui indequidem per huiuſmodi dependentiam natura ſubſtantialis habet vt ſit in alio, & non in ſe. Quare negatio, quæ eſt in lapide vnionis cum homine non poteſt conſtituere ipſum lapidem in ratione ſuppoſiti, quia in ſenſu compoſito cum hac negatione poteſt vniri cum alieno ſuppoſito. Idemque dicendum de negationibus vnionum, quæ ſunt in homine cum aliis prædicatis diuinis: nulla enim ex illis reddit naturam humanam incommunicabilem diuinis perſonalitatibus, ſicuti reddit illam negatio ſocietas, ſtet igitur nullam ex aſſignatis rationibus habere ſolliditatem.

SVBSECTIO SECVNDA.

Propugnatur communis ratio dicta à Patribus Trium Diuinorum ſuppoſitorum.

37 PRobatur à nobis efficaciter noſtra Concluſio primo ratione communi, quia id, quod addit ſupra naturam ſubſiſtentia, ac ſuppoſitalitas in diuinis, eſt poſitiuum, & non negatiuum. ergo id, quod addit in creatis etiam quid poſitiuum, & non negatiuum. Conſequentia probatur, quia licet ea quæ ſunt in Deo vt, ex ſua ratione formali infinitatem perfectionis importent, non liceat transferre ad creaturas; qualia ſunt immenſitas, æternitas, & ſimilia, licet tamen transferre per participationem ad illas, quæ huiuſmodi infinitatem non inhibent, ſicuti defacto transfertur ratio ſubſtantiæ, viuentis, intellectiui, & cæteræ huiuſmodi, atqui ſubſiſtere poſitiuè præſertim per ſubſiſtentiam realiter diſtinctam non importat infinitatem perfectionis; vt de ſe patet ergo ſi ſubſiſtere poſitiuè conceditur Deo, dicam eſt cur negetur creaturis.

Duplex reſponſio ad hoc argumentum afferri ſolet: prima eſt Cardinalis de Lugo qui *diſp.* 12. de Incarnatione *num.* 10. poſſet inquit, ad illum reſpondere Scotus negando conſequentiam, & paritatem eo, quod natura diuina non habet à ſe ipſa formaliter negationem communicabilitatis, cum potius ipſa de ſe communicabilis ſit, vndè debuit habere aliquod poſitiuum ratione cuius incommunicabilis redderetur; creatura creata eſt de ſe incommunicabilis, & ideo non eget poſitiua entitate ſuper addita ad hunc effectum.

Porrò hanc Lugi ſolutionem *Arriaga num.* 80. fatetur ſe non intelligere. Probat hoc 39 quando aſſumitur, quod natura diuina eſt formaliter de ſe communicabilis non eſt ſermo de Communicabilitate alterî naturæ, vt de ſe patet; ergo de Communicabilitate ſuppoſitalitatis à ſe ſaltem virtualiter *diſtinctæ*, ſed ſic petitur principium; nam aduerſarius Scoti contendit naturam creatam eſſe *communicabilem* ſuæ ſubſiſtentiæ realiter *à ſe diſtinctæ*; Scotus verò ſatisfaceret *argumento aſſumendo eam eſſe* incommunicabilem.

Verùm *hæc impugnatio non habet vim; poteſt enim Cardinalis*, Scoti vices in hoc ſuſtinendo, reſpondere in ſolutione tradita non eſſe ſermonem de communicabilitate, quam habet natura diuina reſpectu vnius ſuppoſiti, ſed de ea, quam habet reſpectu triplicis. Fide enim conſtat eam ſubſiſtere in tribus perſonis realiter diſtinctis, quarum vna producatur ab alia, nimirum filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; ex hoc autem manifeſtè deducitur eam debere reddi incommunicabilem per ſuppoſitalitates poſitiuas; eò quod inter producens, & productum debet eſſe realis diſtinctio in aliquo poſitiuo, quod ſit in vno vt non ſit in alio. Quoniam verò *in creatis* non militat hæc ratio multiplicis communicabilitatis, cum nulla natura creata poſſit in pluribus ſuppoſitis ſubſiſtere, ſicuti diuina, hinc fieri vt nulla ſit petitio principij in ſua reſponſione. 40 41

Hac igitur impugnatione poſthabita, impugnare dictam Cardinalis ſolutionem eo quod ſolum aſſignat ſufficientem rationem cur induiti

nis suppositalitates sint positiuæ, non autem cur non sint etiam huiusmodi in creatis; nam incommunicabilitas pluribus suppositis, quæ ex parte naturæ creatæ assignatur pro ratione, non est sufficiens ad excludendam ab ea positiuam suppositalitatem; siquidem, quod hoc modo est incommunicabile, non repugnat, vt per positiuam terminationem in se ipso subsistat; quare stante imitabilitate naturæ diuinæ, quantum adhoc, non est adhuc assignata disparitas, cur etiam in creatis subsistentia non sit positiua. nam ex suppositione, quod possit esse talis, quod etiam ita esse debeat, à doctoribus Catholicis, quātum fieri potest, propugnandum videtur; quandoquidem ex opposita sententia mysterium Trinitatis multo difficilius creditu redditur, & maior infidelibus ansa datur illud validius impugnandi; dum sciunt à fidelibus doceri in creatis suppositum nihil addere supra naturam, nisi quid negatiuum, & nihilominus ab ijsdem sustineri in diuinis esse positiuum, & quidem triplex: quis enim non videat, quod quanto longius res quæ credenda proponitur à rebus nobis naturaliter notis, distare repræsentatur; tanto maior difficultas eorum mentibus, quæ eam credere debēt, ingeneratur. 41

Quod si aduersarij, vt boni catholici, dicūt se paratos esse hoc difficultatis impedimentum auferre, quoties via, ac ratio id præstandi sibi monstretur, eccum illam: Non repugnat naturam creatam, non obstante, quod non sit communicabilis pluribus suppositis, per suppositalitatem nihilominus positiuam terminari; ergo ita defactò dicendum est. Antecedens patet, quia si ex aliquo capite repugnaret, maximè ratione superfluitatis; sed hoc est falsum: nā suppositalitas positiua naturæ creatæ superaddita constitueret suppositum essentialiter diuersum ab eo, quod per negationem suppositalitatis increatæ constitueretur; aliunde verò suppositalitas creata positiua nullam in suis prædicatis contradictionem involuit. ergo &c. Consequentia verò suadetur supponendo id, quod docet D. Tho. 3. part. qu. 16. art. 5. cum Communi, nimirum, quod ideo quæ sunt propria diuinæ naturæ, possunt prædicari in concreto de filio hominis; & quæ sunt propria naturæ humanæ, possunt item in concreto prædicari de filio Dei, quia nomina concreta supponunt hypostasim naturæ. tum sic: Quemadmodum quando dico Pater Aternus est Deus, prædicatum, Deus, de eo verificatur, quod hypostasis Patris addit supra naturam diuinā: ita, & quando dico: Petrus est homo, prædicatum, homo, de eo verificatur, quod hypostasis Petri addit supra naturam humanam; sed hoc est impossibile, si id, quod hypostasis Petri supra suam naturam addit, est quid negatiuum, nam de negatiuo verificaretur, quod esset habens naturam humanam. ergo non solum possumus, sed etiam tenemur asserere substantiam creatam addere supra naturam aliquid positiuū. Confirmatur quemadmodum de Petro verificatur, quod fuerit Crucifixus: sic de filio Dei; sed ex dictis nomina concreta supponunt hypostasim naturæ; ergo quemadmodum ex parte filij Dei importat hypostasim, seu suppositalitatem positiuam increatam humanæ naturæ superadditam: ita etiam ex parte D. Petri debet importare hypostasim positiuam creatam propriā ipsius naturæ D. Petri; nisi ergo asserant aduersarij subsistentiam creatam implicare contradictionē (quod non faciunt, dum dicunt diuinitus esse possibilē) tenētur sustinere, quod detur defactò, quia nimirum, si defactò id, quod adderet subsistentia Petri supra naturam Petri, esset quid positiuum: non aliter de eo discurreremus, ac ratiocinaremur, quam defacto discurrimus, ac ratiocinamur.

Secunda Responsio, quæ ad nostrum principale argumentum dari solet, communiter, est per adductionem instantiæ. dicunt enim quod, quemadmodum non valet hic modus argumentandi, natura diuina subsistit per triplicem personalitatem, eamque relatiuam, beneficio cuius solius diuinæ personæ inuicem distinguuntur. ergo etiam natura creata terminatur triplici personalitate relatiua, quæ realem in ea distinctionē constituat, ita neq; ille alius: Subsistentia increata est positiua ergo, & creata Cōfirmatur ex his quæ habet Lugo loc. cit. sic, Subsistentiæ integrant principium operandi ad intra; in Patre enim principium generādi Verbum ex intellectu, & paternitate coalescit. ergo non est mirum, si subsistentiæ in Deo debeant esse positiuæ, cum sint principia operandi. 43

Verum neque hæc solutio procedit, si quid enim euinceret, nullum argumentum ex paritate desumptum haberet vim, quandoquidem constat semper inter ea, ex quibus paritas aliqua deducitur, multas disparitates reperiri; sicuti in casu nostro inter naturam diuinam, & creatam. Quare nego paritatem; ideo enim non valet ex triplici personalitate, qua diuina natura subsistit, inferre, quod eodem modo subsistat creata: tum quia hoc in Deo ex infinita perfectione, quam habet in omni genere, oritur; tum quia in nobis experientia constet id non procedere, nunquam enim vidimus individuam naturam in pluribus personis reperiri. Præterea id circo non valet ex personalitatibus Diuinis relatiuis inferre personalitates creatas esse huiusmodi, quia in creatis non oportet ponere summam identitatem in omnibus absolutis, sicuti in diuinis Personis necesse est: quæ ob Summam Dei vnitatem, & simplicitatem, non possunt nisi secundum oppositionem relatiuam habere distinctionem; Atque hæc est etiam ratio, cur penes personalitates tantum realiter inter se Diuinæ personæ distinguantur; non autem creatæ; nihil enim assignari potest in personis creatis, quod excludat ab eis distinctionem absolutorum vt de se patet. Pertineret igitur similiter ad aduersarios assignare in dictis personis aliquid, quod positiuas personalitates ab eis saltem naturaliter excluderet, quod præstare non possunt: nam neque ex perfectione naturæ humanæ V. G. neque ex eius imperfectione infra diuinam id colligent, quia ex vna parte natura Diuina est ea perfectior, & positive personatur: ex alia vero quo aliqua natura est 44

imperfectior eo, magis inclinat ad aliquam perfectionem habendam: vt turpè inclinat ad Pulchrum per Aristotelem.

45 Ad confirmationem denique negãdum est antecedens quod ad secundam partem. quamuis enim Henricus, Ricardus, Valentia, & alij, quos citat, & sequitur Cuñiga *disput. 16. dub. 6.* existiment principium vt quo producendi in diuinis constare intrinsecè ex essentia, & relatione: tamen verior sententia est oppositа, quam sequitur D. Tho. *qu. 41. art. 5.* & cum eo meliores Theologi, inter quos Suarez *lib. 6. cap. 1.* & Vasquez *disput. 164.* nimirum principium, seu virtutem productiuam in diuinis esse solam Diuinam essentiam pro vt connotatem in obliquo personam producentem tanquam conditionem necessariam ad producendum. quare ex hoc potius licet nostrum principale argumentum corroborare: quemadmodum enim paternitas licet non spectet intrinsecè ad rationem formalẽ virtutis generatiuæ: sed tantum connotatiuè ad eius veluti complementum tamen est positiua; ita quia in creatis suppositalitas est vltimus terminus naturæ, & se habet vt intrinsecum complementum, & conditionem necessariam, ad hoc vt illa operetur, debet etiam existimari realis, & positiua.

SVBSECTIO TERTIA.

Propugnatur secunda ratio deducta ex communi sensu Patrum Concilij Ephesini, & Nestorianorum, qui in eo damnati fuerunt.

46 PRobatur secundo nostra Conclusio argumẽto communi ab auctoritate deducto, quia nisi dicamus tempore Concilii Ephesini, quod anno Domini 431 celebratum est, indubitanter, tum à Catholicis, cum ab Hæreticis teneri suppositum creatum addere supra naturam aliquid positiuum, & non negatiuum, stolidi fuissent Nestoriani asserentes in Christo duas personas, Diuinam videlicet, & humanam, quia idem fuisset ac dicere naturam humanam fuisse vnitam, & non vnitam Verbo. Nec ad reijciendam hanc hæresim fuisset necessarium Concilium Ephesinũ cogere indictis communibus ieiunijs, ac orationibus in Ecclesia ad Spiritus Sancti assistentiam impetrandam; quandoquidem vnam tantum personam, eamque diuinam in Christo fuisse, & non duplicem admissa Verbi incarnatione euidenter solo lumine naturali cõstare poterat, sicut euidenter constat hominem ex suppositione, quod sit viuus, non esse mortuum. ergo ne illius Concilij sapientissimos Patres irridendos dicamus, & hæreticos pene stolidos: censere debemus eos, id, quod addit persona humana supra naturam, non esse negationem vnionis cum Verbo, sed quid omnino positiuum existimasse.

47 Respõdent Scotistæ Nestorii errorem fuisse vnionem inter Verbum, & naturam humanam in Christo nõ esse physicam, sed moralem tantum, & affectiuam; ergo neque hæretici fuerunt stolidi duas personas in Christo cognoscentes, neque irridendi patres, dum ad hunc errorem extirpandum eos anathematis sententia vulnerarunt. Consequentia probatur: quia ex illo hæreticorum errore non sequebatur, quod natura humana esset, & non esset physicè vnita Verbo; sed quod esset vnita moraliter, non verò physicè; sed ex hoc rectè deducitur, quod in Christo duæ essent personæ, & non una tantum; ergo neque illi fuerunt stolidi hanc consequentiam inferentes, neque irridendi Patres eorum errorem tam graui animaduersione damnantes.

48 Sed contra hanc responsionem facit primò, quia primus Nestorij error fuit Sanctissimam Virginem non esse appellandam Deiparam, quod patet primò ex Socrate *lib. 7. cap. 32.* vbi de Nestorio sic: neq; Dominum hominem solum esse dicit, sed vocem dumtaxat Deiparam tamquam laruam reformidans declinat; deinde verò ex ipso Nestorio, qui ad Cælestinum Papam scribens ait: se tenere Mariam vocandam Christotocon, non Theotocon, ne naturas miscere videatur; quamuis autem postea in blasphæmiam vnionis moralis prolapsus sit, mysterio Incarnationis conuictus (vt par est credere) dualitatem personarum sustinere decreuit. Genium enim hæreticorum est, dummodo à veritate Catholica discedant, facile vnum errorem cum alio cummutare. Contra etiam est secundo, & suppono inter cæteros anathematismos à S. Cyrillo editos, & à Concilio approbatos duos haberi, qui valde ad rem nostram faciunt, tertium videlicet, & quartum, tertium habet: si quis post naturarũ vnionem subsistentiã in vno Christo diuidit (vnicuique nimirum suam propriam assignans) naturasque eas tantum copula connectit, quæ est secundum dignitatem, & auctoritatem, non ea autem coniunctione, quæ fit secundum physicam vnionem, anathema sit. In quarto *vero sic: si quis duas* illas, quæ in *Euangelicis, & Apostolicis libris* passim *occurrunt duabus personis, aut hypostasibus assignat; & alias quidem hominis* tamquam *personæ* à Dei Patris verbo seiunctæ accomodat, alias verò tamquam in solum Deum conuenientes soli Dei Patris Verbo adaptat, Anathema sit. Hoc posito sic respondeo impugno; nisi existimassent Patres Nestorianos, vel defacto censuisse, vel saltem oc esse in posterum posse cum vnione physica humanæ naturæ cum Verbo dualitatem personarum in Christo reperiri; superflue quatuor anathematismum addidissent, in quo post physicæ vnionis stabilimentum, absolute dualitatem personarum eliminant; sed si existimassent personalitatem creatam non addere supra naturam nisi carentiam vnionis cum Verbo, non vero aliquid positiuum: non permisissent hanc hæreticorum demẽtiam sibi persuadere, neque ad eam confutandam animum inducere, quandoquidem ex ipsis terminis eius falsitas appareret. Cum igitur errorem habuerint de dualitate personarum tanquam diuersum ab errore de vnione morali damnauerint, dicendũ

Digitized by Google

dicendum est eos existimasse personalitatem creatam addere supra naturam humanam quid positivum, quod Haereticus existimaverit post hypostaticam unionem in Christo remanere; caeterum posset quis pro Scotistis ad hoc respondere primo in utroque anathematismo eandem prorsus veritatem objectivam stabiliri; licet diversimodè explicatam, quia enim haretici suam falsitatem pluribus loquendi formulis populo propinabant, debuit Concilium diversis canonibus illas exterminare.

49 Sed contra hoc facit primò: quia Justinianus in edicto fidei suae ad finem 2. Concilium, ait, Concilium Ephesinum damnasse Nestorium, dicentem unam personam, non tamen unam subsistentiam in Christo esse: porrò Nestorius fuit dux illius Haeresis, ad quam exterminandam Patres ad Concilium convocati sunt; ergo tantum abest, ut Haretici aliquando pluralitatem personarum in Christo esse dicitarent; quin imò eas ex industria occultabant; quod si procedente tempore illam fuerint professi; nullum habemus indicium existimandi eos etiam hypostaticam unionem inter Verbum, & naturam humanam negasse. Contra Secundo quia ex Catholicis, qui docet personalitatem creatam esse quid positivum, quam plures tenent quod licet natura humana sit ita unita substantialiter Verbo, ut propria personalitate careat: non implicet tamen de possibili eam retinere potuisse; ergo saltem juxta horum sententiam duas veritates ex parte objecti distinctas duo illi anathematismi stabiliunt; ad hoc autem non respexisse Patres in hunc finem congregati si quis assereret, apud me notam temeritatis, ut ingenue fatear, non effugeret, cum Ecclesiae Dogmata meliori consideratione, qua possint, proposita nobis esse existimandum sit, & non veluti caeco modo prolata.

50 Ex hac secunda impugnatione occasionem arripiunt adversarij alia via ad nostrum principale argumentum respondendi, dicendo, quod ideò Haretici dualitatem personarum in Christo propugnabant etiam si unionem hypostaticam inter Verbum, & naturam humanam admitterent, quia putabant personalitatem creatam addere naturae quid positivum, & id circo Patres, non obstante quod in priori anathematismo humanitatem substantialiter esse unitam Verbo docuerint, in posteriori adhuc doceant non esse in Christo personam creatam quia eorum intentio fuit absolute veritatem hanc stabilire, posita quacunque sententia de eo, quod adderet personalitas supra naturam, sive demum negativum fuerit, sive positivum, quare neque Haretici in hoc existimandi sunt stolidi, neque Patres irridendi.

51 Verum haec solutio non procedit, quia intentum nostri principalis argumenti est ostendere sententiam de positivo, cum apud Haereticos, tum apud Catholicos fuisse ea tempestate certissimam, quod inde mihi persuadeo, quia alioquin Haretici, ut colorem, & probabilitatem suae sententiae afferrent, & Catholicorum odia declinarent, explicare debuissent se non esse ex eorum numero, qui personalitatem creatam negationem unionis ad Verbum supra naturam addere existimabant. Patres verò Concilii debuissent profiteri se in illo anathematismo de ea tantum agere, qui personalitatem creatam in positivo constituebant; siquidem, vel nullus esse poterat adeo demens, qui oppositum existimans, nihilominus in Christo duas personas cognosceret, vel si quis erat, eius mentis infirmitas ellebori potius, quam anathematismi curanda erat; quare id quod adversarii assumunt, nimirum Patres contra utrosque illud anathema fulminasse, non est credibile, quandoquidem non videtur esse materia fidei id quod naturali lumine adeo evidens est, ut non possit nisi ab insano, & mente capto negari. Huiusmodi autem esse negationem unius personalitatis in Christo posito quod suppositalitas creata in negatione consisteret, est plusquam certum; quare non effugerent irrisionis notam Patres, si in sua fidei definitione ad eos quoque extendere voluissent, qui ita insanirent, atque desiperent.

SUBSECTIO QUARTA.

Stabilitur tertia unio ex mysterio Incarnationis petita.

PRobatur tertiò assertio nostra: quia nisi subsistentia super adderet naturae aliquid positivum: sequeretur quod ex humanitate, & Verbo non potuisset fieri unum per se substantiale, seu in genere substantiae; consequens repugnat fidei: ergo &c. sequela probatur: quia ex duobus entibus substantialibus omnino completis secundum suas positivas perfectiones substantiales non potest fieri unum per se substantiale: semper enim ex parte saltem unius extremi aliqua positiva incompletio supponenda est, sed humanitas, & Verbum, nisi daretur subsistentia creata distincta, essent duo entia substantialia omnino completa secundum suas positivas rationes substantiales; ergo &c. huius argumenti utraque propositio probanda est probo prius minorum sic: ex parte Verbi nihil substantiale sibi intrinsecum deesse potest; siquidem secundum omnia est ens summe necessarium; & simplicissimum; ex parte verò humanitatis, si aliqua incompletio haberetur, maximè esset carentia illius, quod personalitas creata addit supra naturam, sed hoc per adversarios est carentia unionis hypostaticae, & divinae personalitatis: ergo natura humana constitueretur incompleta per carentiam huius carentiae; sed carentia carentiae unionis hypostaticae, & divinae personalitatis est formalissime ipsa unio, & divina personalitas; ergo iam natura humana per ipsam unionem, & personalitatem Verbi constitueretur formaliter incompleta; quod nemo dixerit. 52

Quod si respondeant constitui quidem per eas formaliter incompletam, non absolutè, sed 53 in ordine ad essendum in se, & proprio termino terminatam. Contra est quia: sic unio hypostatica, & subsistentia Verbi esset formalis in-

com-

completio naturæ humanæ, atque adeo ipsi mala, & odibilis, sed hoc repugnat; melius est ergò dicere quod ipsi sit huiusmodi carentia subsistentiæ creatæ positiua, & hanc incompletionem, & malitiam auferat diuina personalitas, vt nos dicimus, sic probata minore argumenti principalis, suadetur etiam eius maior: quia ratio entis per se in genere substantiæ ex pluribus resultantis non potest in alio consistere, quam in eo, quod vnio substantialis non adueniat extremis in suo esse substantiali completè constitutis; aliter si nullam incompletionem haberent, non esset assignabile quomodo in vnum ens per se, & non per accidens constituendum confluerent; ergo &c.

54 Respondent Aduersarii ad principale argumentum distinguendo sequelam maioris: sequeretur quod ex humanitate, & Verbo non potuisset fieri vnum per se substantiale in natura concedunt, in persona, negant sequelam, & sic distincta minore, negant consequentiam; ad probationem sequelæ, eadem distinctione distinguunt maiorem; dicendo quod licet ex duobus entibus substantialibus omnino completis secundum suas positiuas perfectiones, non possit fieri vnum per se substantiale in ratione naturæ: potest tamen fieri in ratione personæ; & ad eius confirmationem dicunt, verum quidem esse rationem entis per se in genere substantiæ compositæ consistere semper in eo, 55 quod vnio substantialis adueniat extremis aliquam habentibus in completionem: cum hoc tamen discrimine quod quando illud ens per se substantiale est in genere naturæ vnio ad venire debet extremis incompletis per carentiam alicuius positiui; quod si est in ratione personæ, vt in casu nostro, satis est si vnio aduenial naturæ humanæ incompletæ per hoc, quod desit illi carentia vnionis cum diuino supposito, ratione cuius carentiæ, intelligeretur proprio termino terminata.

55 Sed contra hanc responsionem facit primo, quia carentia rei substantialis non est substantialis, alioquin accidens cum in se non sit substantia, aliquid substantiale in se haberet, & quidem ab eo inamouibile; siquidem implicat, quod accidens sit substantia; hoc autem nemo concedet; ergo &c. contra secundo quia dato quod carentia diuinæ suppositalitatis, seu vnionis ad illam sit in natura creata quid substantiale: implicat quod se habeat vt complementum illius. nam omne complementum rei positiuæ, vel est positiuum, vel si est negatiuum, ideo est, quia ab ea aliquam positiuam imperfectionem excludit; sed carentia diuinæ suppositalitatis ex vna parte non est positiua: ex alia verò summam perfectionem, licet indebitam excludit à natura creata; ergo &c.

56 Quod si dicant complementum rei positiuæ quatenus terminatæ, posse esse negatiuum. contra hoc etiam facit, primo quia id quod addit supra naturam substantialem esse terminatam, constituit illam primam, & maximè substantiam per Aristotelem, ac totalem, & principaliorem substantiam, quam sit secunda; ergo impossibile est id quod addit supra naturam substantialem esse terminatam, importare formaliter negationem. Contra etiam est secundo quia hoc ipso quod admittitur vnum per se substantiale sumptum in ratione personæ compleri per carentiam vnionis Hypostaticæ, ac personalitatis diuinæ: non potest assignari ratio our etiam sumptum in ratione naturæ non compleatur per carentiam vnionis cum aliena natura. Nam sicuti substantia habet quantum est de se, vt sit completa in ratione suppositi; ita etiam vt sit completa in ratione naturæ; quare si semel conceditur quod ratio complementi in supposito habetur per aliquid negatiuum, debet etiam consequenter concedi, quod per quid simile habeatur ratio complementi perficientis illam in ratione naturæ, sed hoc est manifestè falsum: nam inde sequeretur quod quemadmodum potest dari vnio substantialis, beneficio cuius natura creata, amisso suo pro beneficio proprio complemento faciat vnum per se in ratione suppositi cum alieno supposito: ita dicendum, haberi posse substantialem vnionem, beneficio cuius natura creata, amisso proprio complemento in ratione naturæ, faciat vnum per se substantiale cum aliena natura; vel assignetur disparitas cur natura in ratione naturæ compleatur per aliquid positiuum indistinctum ab ipsa natura: suppositum verò in ratione suppositi per aliquid negatiuum. Nã quod dicunt aliqui, hoc ideo esse, quia natura est prima radix operationum, & ideo debet secundum omnia, quæ dicit esse positiua, vt secundum ea omnia operari valeat, non satisfacit: tum quia si natura est prima radix, vt quo, operationum: at suppositum prima radix, vt quod, quatenus ipsum absolutè denominatur operari, eique operatio omnis attribuitur; ergo non minus absurdum est complere suppositum per aliquid negatiuum, quã naturam: tum etiam quia dici potest quod natura secundum id quod vltimo dicit de completiuo sui in ratione naturæ, non fit operatiua, sicuti dicimus de supposito. Consequentius ergo philosophabimur, si dicamus, quod sicuti cõpletiuum naturæ in ratione naturæ, est quid positiuum indistinctum ab ipsa natura, ad quod consequitur necessaria negatio vnionis cum alia natura, ita completiuum suppositi in ratione suppositi, sit quid positiuum ab ipso supposito indistinctum: nimirum subsistentia, ad quod consequitur etiam negatio necessariæ vnionis cum alieno supposito, ita vt sicuti implicat ex duabus naturis completis resultare vnam tertiam naturam: ita quoque implicet ex duobus suppositis completis tertium quoddam suppositum in lucem edi.

57 Dices etiam in sententia Scoti suppositalitatem ipsam in recto importare aliquid positiuum, & in obliquo tantum carentiam vnionis cum alieno supposito connotare; vnde spectatis rectis tum complementum naturæ in ratione naturæ; tum etiam personæ in ratione personæ, est quid positiuum.

58 Sed contra est quia: hoc positiuum, quod personalitas, seu suppositalitas dicit in recto; vel est formaliter ipsa natura, vel aliquid formaliter

Digitized by Google

uniliter, ab ea distinctum, sed tantum dici posse ...
... quos patres quam probatur quo ad
... Secundo autem, quia si esset ipsa natura, sequeretur quod indubitanter persona posset dici alia praedicari, quandoquidem in praedicatione
58 ... concretorum, attenditur identitas eorum, quae uniuntur in recto, vide verbi est haec praedicatio aliquis est quantum quia rectum veritus ... est idem subiectum; sed consequens est ... dentes falsum, non enim potest absolute dici ... est homo, sed ad summum cum addito ... naturae, quatenus vnumquodque personale ... ens, ergo &c. quod si ... quia dicendo personalitates in ... quid positivum naturae, & ideo ... esse in recto naturam humanam, sed ...
59 Contra 1. est secundo quia saltem dici recte ... posse naturam hypostaticam factam esse ... personalitate quae inadaequate accepta, quia pertinentem personae humanae ipsa humanitas deinde vel persona Verbi succedit in totum id quod personalitas creata importasset, si in Christo fuisset, vel saltem in locum obliqui
60 haec est tenenda sententia, quia non egit partes naturae humanae, neque secundum quod ... sequeretur quod haec propositio, quia humanitas Christi subsisteret per personalitatem Verbi, falsa esset, quando quidem subsisteret per ... propriam secundum id quod propria importat in recto, & solum
61 ... subsistere per personalitatem Verbi, hoc est secundum id quod subsistere connotat in obliquo, quod non videtur concedendum, quando sequeretur quod in Christo non esset eadem hypostasis utriusque naturae, & per consequens non ... concreta impositis ... quae ad unamquamque naturam pertinent, non possent invicem praedicari; quia hoc dicitur quia supponunt hypostasim eandem, ut docet D. Th. 3. p. q. 16. art. 5. dicto, neque hoc quo ad primum partem ... principalis, probatur tandem quoad secundum partem ... quo dicendum hoc ... positivum, quod personalitas creata dicit in recto, aut posse esse formaliter a natura ... rationem eadem fere ratione, qua immediate ante ea sumus, quia vide sequeretur quod in Christo haberetur totum id quod personalitas creata diceret in recto supra naturam, atque adeo quod Verbum non supplerent nisi conjunctum obliquo dicit personalitatem, quae id quod importaretur in recto sive esset natura creata, si formalitas ratione rationata ab
62 ipsa natura distincta tam haberetur; neque dicam adversarii haberi quidem, sed ad primam vitionis hypostaticae ... exercere munus terminandi incompletae naturam humanam, sed personalitatem Verbi, vepote dignioris addere quatenus munus terminandi humanitatem conveniens, & eadem hac responsio procederet, posse optime sustineri sententia Durandi personalitatem creatam cum natura totaliter idem ... dicam in Christo ab unione hypostatica impedire, aut terminandi munus exercere, utrique autem manifeste falsitatem convincitur, quia implicat dari causam formalem ... subjecto ... cuiusmodi est natura humana sine effectu formali.

Atque haec obiter adversus ea quae ad praesentem difficultatem attulit, non multum fidere rationi, qua utitur Aldrete *tom. 1. in 3. part. disp. 54. sect. 3.* ad Scoti sententiam impugnandam, quia nimirum entitas positiva cuiusmodi est personalitas Verbi non potest praestare naturae humanae in Christo eundem effectum formalem quem ille praestat existendo per se. Primo enim respondeo posse ab adversariis humanitatem terminatam esse effectum quendam formalem, qui quantum est de se praecindat ab eo quod a causa formali positiva, vel negativa proveniat, ad eum plane modum quo est de conceptu principii, quod secundum se consideratum est indifferens ut habeatur a forma positiva vel ab eius privatione; de facto enim quando generatur ignis ex ligno, ab aeque ... a suo principio procedit, & a privatione quidem tanquam a termino a quo, a forma vero tanquam a termino ad quem; contra vero quando corrumpitur. Validius igitur impugnabitur Scotus assumendo quod entitas positiva cuiusmodi est suppositalitas Verbi non possit praestare naturae humanae eundem effectum formalem secundum omnia, quae dicit, quia illum naturae inadaequate; & principaliter habet ex sua propria entitate; cum igitur constet quod effectus formalis subsistentis secundum omnia quae importat, praestetur a Verbo naturae humanae concludendum est etiam in sententia Scoti id quod in recto dicit subsistentia creata de positivo, esse aliquid plusquam ratione distinctum a natura, in quo cum totaliter ratio subsistentiae consistere valeat, non est cur dicatur importare essentialiter carentiam tamquam essentiale connotatum.

Quod si quaeras quid de illa ... 61
quam idem auctor contra sententiam Scoti adducit sentiendum sit: quia nimirum inde sequeretur quod Angelus non posset virtute naturali debita eius potentiae intellectivae cognoscere ullum suppositum naturale, quatenus cum viribus naturae cognoscere nequeat possibilitatem, vnionis hypostaticae; implicat ut cognoscat rationem suppositi, carentiam dicta vnionis essentialiter importantis.

Responderem parvi esse momenti, quia ne- 62
gari facile potest sequela, & ad eius probationem, negando antecedens, non posse videlicet Angelum lumine naturali incarnationis possibilitatem cognoscere, dicerem hoc non obstante Angelum cognoscere suppositum creatum; ad cognoscendam enim carentiam alterius rei, non est necesse eiusdem rei possibilitatem agnoscere, quemadmodum igitur dicimus rationem vnionis negationem divisionis in se addere supra ens, hucdemum haec divisio sit possibilis, sive impossibilis: ita dicet Scotus Angelos scire rationem suppositi creati, addere supra naturam, negationem suppositalitatis extraneae positivam, sed ignorare verum huiusmodi suppositalitas sit possibilis vel impossibilis.

SEC-

SVBSECTIO QVINTA.

Alias tres rationes proprias contra Scoti Sententiam breuiter propono.

63 SAtis, superq; ni falor, huc vsque stabilita est sententia de positiuo plusquam ratione distincto, quod subsistentia supra naturam addit, tres communes rationes a recentiorum calumnijs vendicando; quoniam verò mihi videre videor non nullos ex neotericis valde in sententiam oppositam de negatiuo esse propensos: operæ pretium duco eandem nostram sententiã contra Scotum tribus alijs rationibus proprijs propugnare.

64 Probatur igitur quartò conclusio principalis: quia si id, quod subsistentia creata supra naturam adderet, esset carentia vnionis hypostaticæ cum personalitate diuina: sequeretur, quod quilibet homo, & quilibet Angelus sũptus in indiuiduo esset vnus in natura, & trinus in personis, quælibet verò alia substantia, quæ non esset intellectualis, esset quidem vna in natura, sed trina in suppositis; sed hoc assertum præter quam quod sit contra communem omnium existimationem, videtur censura dignũ, siquidem mysterium augustissimæ Trinitatis reddit commune Deo, suisque creaturis; ergo dicendum subsistentiam creatam addere supra naturam aliquod positiuum nemine cogitante ab illa distinctum. Omnia patẽt præter sequela, quam probo, loquendo de vno homine V. G. de Petro: nam eadem est, ratio de alijs indiuiduis substantialibus, vt constat; in sententia Scoti quid quid præstat personalitas positiua, qua personalitas est naturæ diuinę, pręstare debet naturę Petri carentia dictæ personalitatis, sed triplex personalitas positiua reddit Deum trinum in personis; ergo etiam triplex carentia dictarum personalitatem positiuarum reddet quoque Petrum in personis trinum. Minor huius, & consequentia patent. Maior verò suadetur: quia per Scotum sicuti personalitas positiua constituit naturam diuinam in se ipsa sistentem vltimo terminatam, & incommunicabilem alieno supposito, ita carentia dictę personalitatis reddit naturam Petri sistentem in se ipsa vltimo terminatam, ac alieno supposito incommunicabilem; nec aliquid potest assignari ad conceptum subsistentię personalitatis, & suppositalitatis pertinens, quod pręstet personalitas positiua naturę diuinę, & non pręstet per Scotum naturę Petri eius carentia; aliunde verò sicuti intelliguntur emanare à natura diuina tres illę personalitates positiuę, ita intelliguntur emanare à natura Petri carentiæ dictarum personalitatum; ergo idem pręstant huiusmodi carentię naturę Petri, ac personalitates positiuę naturę diuinę, cũ hac differentia; quod hæ personalitates constituunt Deum in tribus suppositis per quid positiuum vltimo constitutis, personalitates verò priuatiuę constituent Petrum in tribus suppositis per quid negatiuum vltimo terminatis.

65 Dices primò: licet plures artes sint in vno homine, illum non denominant plures artifices, sed vnum tantum; ergo licet in Petro sint tres carentię trium personalitatum diuinarũ illum non tres personas sed vnam tantum denominabunt.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, disparitas est, quia ars prędicatur de eam habente in concreto adiectiue, seu per modum adiacentis: at personalitas, seu suppositalitas prędicatur de eam habente in cõcreto substantiue, & per modum per se stãtis; formę autem, quę in concreto prędicantur primo modo cum supponant ex modo significandi subiectum constitutum, minimè sua concreta multiplicant: at formę, quę secundo modo se habent, non supponunt ex suo modo significandi subiectum, sed illud constituunt, vnde non est mirum, si ad sui multiplicationem concreta multiplicent; porrò hanc disparitatẽ tenentur ipsi met aduersarii afferre, si quis cõtra eos paritate plurium artium in vno homine existentium, eumque vnum artificem denominantium vteretur ad probandum in Deo non dari tres personas, sed vna tantum. 66

Dices iterum: cæcus habet infinitas carentias visus tot nimirum, quot visiuas potentias sunt in illo possibiles, & tamen vnam tantum cæcitatem habere dicitur; ergo licet natura Petri habeat tres carentias trium diuinorum suppositorum, non debet dici nisi vnam tantum personalitatem habere. 67

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est quia cum potentiæ visiuæ possibiles in vno cæco non differant inter se, nisi numericè, eorum carentiæ formaliter consideratæ per modum vnius rectè accipiuntur, quia materialiter tantum multiplices sunt: at tres diuinæ personalitates in Deo differunt formaliter: vnde Basilius lib. 2. contra Eunomium specificas proprietates illas apellat, & Tertullianus lib. contra Praxeam personas diuinas ait, esse tres non potestate, sed specie; & patet ex eo, quia si tantum materialiter, ac numericè differrent, constituerent tres personas eiusdem oppositionis relatiuæ rationem habentes; vnde vel omnes essent patres vel omnes fili; &c. quoniam verò carentiæ specificantur á terminis, quorum carentiæ sunt: hinc fit, vt Petrus hoc ipso quod in eo ratio personæ constituitur per carentiam diuinæ personalitatis, triplicem personalitatem habere debeat sicuti si haberet carentiam auditus, visus & odoratus triplicem impotentiam diceretur habere. 68

Probatur quintò principaliter conclusio: quia fide constat in Christo vnam tantum personalitatem, eamque diuinam haberi, at si personalitas creata per carentiam diuinæ personalitatis vltimo constitueretur, hoc esset aperte falsum; ergo &c. Minor, quæ sola probatione eget, suadetur; stat in Christo cum hypostatica vnione ad Verbum, carentia hypostatica vnionis cum Patre, & Spiritu Sancto; ergo stat carentia duplicis personalitatis diuinæ; ergo si personalitas creata per carentiam diuinę personalitatis constitueretur, in Christo 69

præter

præter personalitatem Verbi deberet admitti personalitas creata.

72 Dices primo: ex eo præcisè, quod aer habeat vnam numero formam luminis non censetur tenebrosus, etiã si sit priuatus innumeris formis luminis possibilibus. ergo ex eo præcisè quod humanitas Christi vna ex diuinis personalitatibus terminetur, non censebitur propria personalitate terminari: etiam si sit Patris, & Spiritus Sancti personalitate priuata.

71 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas patet ex dictis; denominationes enim tenebrosi, & illuminati respectu aeris sumuntur à lumine, eiusque carentia non materialiter, sed formaliter consideratis, & ideo hoc ipso quod per vnam formam luminis formaliter eius priuatio opposita ab aere exclusa est, falsò diceretur aer amplius tenebrosus, quia cum reliquę formę luminis possibiles materialiter tantum, & non formaliter differant à forma, quam habet, non reddunt illum carentem lumine, nisi materialiter. At personalitates diuinæ differunt formaliter, & ideo licet humanitas Christi personalitate Verbi terminetur, adhuc censeri debet propria personalitate terminata, si hęc in carentia diuinę personalitatis consistit; sicuti, qui cęcus erat, & surdus etiam si visum recuperet, adhuc censebitur surdus, donec auditum acquirat.

72 Dices secundo idem est Christi humanitatẽ habere propriam personalitatem, ac non subsistere in alieno suppposito; sed negatio est malignantis naturę; ergo hoc ipso, quod humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi, implicat habere propriam personalitatem.

73 Respondeo nonnullos ex ijs, qui nobiscum sentiunt: subsistentiam addere supra naturam aliquid positiuum putare eandem naturam posse simul propria, & aliena personalitate terminari, iuxta quorum sententiam falsa est maior. Porrò in sententia aduersariorum nõ potest esse vera, nisi debita seruetur proportio; ita vt idem sit habere propriam personalitatem oppositam personalitati Patris, ac non subsistere in supposito Patris; & idem sit habere propriam personalitatem oppositam personalitati filii, ac non subsistere in supposito Verbi &c. sic explicata maiore ad minorem dico: negationem esse malignantis naturę in ordine ad formam sibi oppositam in specie, non verò in ordine ad alias disparatas; quare si propria personalitas per carentiam hypostaticę vnionis ad positiuam hypostasim alienam constitueretur: natura humana in Christo haberet propriam personalitatẽ respectu Patris & Spiritus Sancti, & tamen per filij personalitatem subsisteret, eo quod negatio vnionis cũ Patre, & Spiritu Sancto optimè stat cum vnione ad filium, per quę patet falsitas consequẽtiæ.

74 Probatur denique sextò conclusio: quia id quod addit existentia substantialis supra naturam substantialem est quid positiuum, nemine cogitante, distinctum ab ipsa natura, sed, quod addit subsistẽtia supra naturam substantialem est idem, nemine cogitante, cum existẽtia substantiali; ergo & id quod addit subsistentia supra naturam, est quid positiuum, nemine cogitante, distinctum ab ipsa natura. Cõsequentia patet: maior verò supra probata est, cum de essentia, & existentia; minor denique probabitur à nobis inferius.

SVBSECTIO SEXTA.

Satis fit obiectis in contrarium.

OBijcies primo: si subsistentia esset quid positiuum, diuinum Verbum non assumpsisset omnes humanæ naturæ proprietates; sed hoc est contra Sanctum Leonem *serm. 8. de Natiuit.* asserentem: vnionem illam fuisse seruatis omnibus proprietatibus, vt quidquid est hominis, non sit á diuinitate diuersum, necnon etiam contra D. Damascenum qui *lib. 10. de fide cap. 6.* totum inquit assumpsit, totum, toti vnitum est, vt toti salutem afferret; ergo &c. 71

Respondeo negando sequelam: quia subsistẽtia non numeratur à Patribus inter proprietates naturæ, quia à natura, ita distinguitur vt sit vltimus eius terminus; quando igitur Sãctus Leo docet quod quid quid est hominis, fuerit à Deo assumptum, non sumit hominem pro vt includit rationem suppositi, sed pro vt dicit solam naturam humanam, quo pacto docet Sanctus Thomas *3. parte qu. 4. art. 3. ad primum* esse interpretandos Patres illos, qui dicunt Verbum absumpsisse hominem. Ad D. autem Damascenum dico eum *loc. cit.* loqui de toto totalitate naturæ, & non suppositi, seu personæ. 76

Obijcies secundo: quantitas terminatur negatione vlterioris extensionis; ergo & substantia etiam terminabitur in se per negationem alieni suppositi, sed id quo substantia in se ipsa terminatur est id, quod addit subsistentia supra naturam; ergo &c. Respondeo negando antecedens iuxta sententiam eorum, qui in physicis docent quantitatem terminari indiuisibilibus modaliter distinctis, & ab indiuisibilibus continuatiuis essentialiter diuersis; quod si quis huiusmodi indiuisibilia non admittit, concesso antecedente, neget consequentiam, dicatque argumenta, quæ conuincunt asserere id quo terminatur in se ipsa substantia esse quid positiuum nemine cogitante ab ipsa distinctum, non habere vim contra eos, qui sustinent quantitatem per negationem vlterioris extensionis terminari. 77

Obijcies tertiò: quantitas ex inhærente in substantia panis, ponitur per se in Eucharistia absque modo superaddito, sed per solum conuersum robustiorem Dei supplentis concursum materialem substantiæ ipsius panis; ergo humanitas Christi potest subsistere in persona Verbi absque eo quod careat aliquo termino positiuo, quem habuisset, si subsistisset in propria persona; sed solum per hoc, quod careat efficaciore concursu, quem exigebat à Deo in genere efficientis beneficio cuius in se subsiste- 78

ret; & habeat debiliorem á Deo ex vi cuius non posset existere nisi dependenter ab vnione cum Verbo, supplente per terminationem id, quod præstaretur à Deo per efficientiam; propter quod supplementum censeatur in Verbo subsistere.

79 Respondeo hoc argumentum in multis peccare, & primo quidem, quia supponit quantitatem miraculosè in Eucharistia existentem extra subiectum, esse per se ea ratione, qua est per se substantia; quod falsum est, siquidem perfeitas, quæ competit substantiæ affert illi proprium complementum, & vltimam perfectionē, quam in suo genere potest habere; vnde constituit illam hypostasim, atque suppositum; nullū autem horum affert quantitati perfeitas, quam habet in Eucharistia; vnde non est mirum si dicamus quantitatem ibi esse per se negat ue, contra verò substantiam positiuè; Sècundo peccat quatenus ex illo colligitur subsistentiam creatam esse quid positiuum, quod negare contendit; nam hoc ipso quod assumit substantiam terminari in se ipsa per cōcursum Dei efficaciorem, eo, quem eget si diuino suppositō terminetur: iam concedit præter humanitatem dari in nobis aliquid positiuum modaliter distinctū, cuius beneficio in propria persona sistamus, & sic duplex munus exerceat. Tertiò denique peccat quia putat Verbum Diuinum in Christo Domino debere supplere influxum illum robustiorem, quo exigeret humanitas dependere à Deo, si in propria persona subsisteret, exemplo quantitatis Eucharisticæ; hoc autem esse impossibile patet ex eo quia si influxus ille suppleretur à Verbo, vel in genere causæ materialis suppleretur, & hoc non, quia sic Verbum esset intrinsecè perfectibile, atque mutabile; vel in genere efficientis; & hoc neque, quia operationes adextra sunt tribus diuinis personis communes, quare concesso antecedente: neganda est consequentia.

80 Obiicies quartò ex mysterio Incarnationis ad summum colligitur subsistentiam humanitatis Christi Domini esse quid positiuum naturæ superadditum; ergo non est cur non dicamus in reliquis substantiis esse quid negatiuum.

81 Respondeo antecedēs esse absolutè falsū, quia ex Incarnationis mysterio colligitur etiam Corpus, & Sanguinem Christi in triduo mortis vnita fuisse hypostatice cū persona Verbi; ergo dicendum est ex huiusmodi mysterio rectè deduci etiam reliquas naturas irrationales habere subsistentiam positiuam; non enim potest assignari maior ratio; quod verò etiam Angeli positiuam subsistentiam ab eorum natura distinctam habeant, colligitur ex Paulo ad *Hebr.* 2. vbi volens Apostolus Dei misericordiam commendare, quod factus sit filius Abrahæ, nunquam, inquit, angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit, quod si naturæ Angelica non potuisset à Verbo assumi, non posset ex assumptionis eius negatione Dei miseratio commendari; Neque dicas assumptionem horum omnium stare posse cum hoc, quod eorum suppositā addant supra naturam quid negatiuum; Nè id dicas, inquam, quia ex vna parte obstat paritas, & ex alia participatio mysterij Trinitatis.

82 Obiicies quintò: si id quod addit subsistentia supra naturam esset quid positiuum: vel esset modus, vel res neutrum dici potest; ergo &c. minor probatur, quia non satis constat inter eius patronos quid tandem sit; nam Hurtadus, & Arriaga dicunt quod sit res; alii verò communiter quod sit modus.

83 Respondeo supponendo in obiectione non esse dubium num subsistentia sit modus, vel res accidentalis: cum enim intrinsecè ad complementum pertineat substantiæ V. G. hominis &c. siquidem humanitas sinè subsistentiano a est homo, vt de se patet; hoc ipso quod homo non est compositum accidentale ex accidente, & substantia constans, sed ens per se substantiale: rectè deducitur subsistentiam non esse quid accidentale; sed substantiale, alioquin ex natura humana, & subsistentia Verbi non resultasset vnum per se, sed per accidens; quod nemo dixerit; Hoc posito confessa maiore, nego minorem, ad cuius probationem censeo cum cōmuni sententia esse modum substantialem; ratio quæ me monet est duplex: Prima quia identificatur iuxta mea principia cum existentia, quæ sine vlla controuersia est modus: Secunda quia si est res, non est quid substantiale, hoc est pertinens ad complementum substantiæ, sed est in se substantia, non minus, quam reliquæ substantiæ; vel igitur est substantia completa, & hoc non, quia deberet poni in recta linea prædicamentali substantiæ, siquidem de ea posset prædicari in recto summum genus substantiæ. sicuti prædicatur de Angelo, Homine &c. vel est substantia incompleta; & neque hoc, quia nullam aliā incompletam substantiam nos agnoscimus præter eas, quarum altera se habet vt materiam, altera vt formam, neutrum autem verificari potest de subsistentia, quia sic esset *partialis* natura substantialis, vt de se patet; *ergo dicendum* est quod sit modus.

84 Vrgebis *adducendo fundamentum Hurtadi*: Modus essentialiter importat quod sit effectio, & determinatio ad aliquid, vt est actio ad effectum, vnio ad extrema; ergo cum subsistentia non sit effectio & determinatio naturæ ad aliquid, non erit modus, sed res. Respondeo negando antecedens; quamuis enim aliqui modi sint huiusmodi, at non omnes, vt patet ex existentia, ex indiuisibilibus terminatiuis quantitatis, & similibus, inter hos autem connumerāda est subsistentia.

85 Vrgebis iterum adducendo fundamentum Arriagæ: Per hoc aliquid statuitur esse modus, ne detur processus in infinitum, vt patet ex vnione, quæ si esset res deberet posse separari à subiecto, & sic ei vniri per aliam vnionem, & hæc per aliam, in infinitum; sed ex eo quod statuamus subsistentiam rem *non* sequitur processus in infinitum. ergo ita dicendum est. Respondeo distinguendo maiorem: ita vt processus in infinitum sit ratio inadæquata cur aliquod positiuū putetur esse modus concedo: ita vt sit ratio adæquata, nego. & sic distincta minore

nego

ergo consequentiam : ac dico ex multis capitibus colligi posse rationem modi, quorum vnius negatio processus in infinitum, in casu verò nostro sufficienter colligi ex eo, quod si subsistentia fictitia, esset natura substantialis, quod cum implicet, rectè deducitur, quod sit modus.

SECTIO TERTIA.

Statuitur ratio formalis subsistentiæ, & de eius effectu formali, variæ sententiæ expenduntur.

86 VNica Conclusio recte substistentia definitur per hoc, quod sit Quidam modus substantialis naturæ individuæ superadditus, per quem formaliter ipsa natura completè constituitur in ratione subsistentis, seù suppositi. Dicitur primo quidam modus substantialis, vt notetur dari plures huiusmodi modos in sententia multorum, vt vnionem inter materiam, & formam substantialem, existentiam item substantialem &c. Inter hos autem numerarur subsistentia. Dicitur secundò naturæ individuæ superadditus, quæ verba adduntur non solum ad excludendam sententiam Durandi volentis eam esse idem realiter cum natura substantiali, quam confutauimus supra; sed etiam sententiam Capreoli putantis eam esse vltimam individuationem naturæ, beneficio cuius constituatur hæc individua, & non alia, quod impossibile esse, patet, tum quia individuatio, vti docuimus in logicis, est idem realiter cum essentia, cuius est individuatio: tum etiam, quia secus Verbum diuinum non assumpsisset naturam humanam in individuo, sed in specie, & in communi, atque adeò de quolibet homine verificari posset, quod sit Christus; quod quam sit absurdum, nemo non videt. Dicitur denique tertio (per quem formaliter ipsa natura completè constituitur in ratione subsistentis, seù suppositi.) vt notetur effectus formalis beneficio subsistentiæ ipsi naturæ substantiali proueniens, qui consistit in eo, quod sit vltimo terminata, atque completa in ratione subsistentis, atque suppositi vti paulo post dicemus.

87 Descriptio subsistentiæ sic explicata, quod rectè tradita sit, probatur ex eo, quia bene eius naturam, & rationem innotescere facit, eamque à quouis alio, quod non est ipsa, sufficienter distinguit. ergo &c. Antecedens constat inductione; & quidem loquendo de subsistentijs creatis videtur euidens: de increatis verò suadetur ex eo, quia quamuis personalitates diuinæ realiter non sint modi diuinæ substantiæ, eo quod non distinguantur neminè cogitante, ab illa, atque adeò eam realiter afficere, & modificare nequeunt, quidquid in contrarium dicat Durandus, & Scotus: sunt tamen eiusmodi secundum rationem, & rectum ordinem intelligendi, quia ex vna parte ab essentia diuina virtualiter distinguuntur, & ex alia dant nobis fundamentum, vt considerentur, quasi eam supponentes, eique superuenientes, & consequenter illam modificantes; vnde fit vt multi ex Patribus, eas modos diuinæ essentiæ appellauerint, inter quos Iustinus *in expositione fidei, de Trinit.* ait Ingenitum, Geniturn, Procedentem, nomina hæc non ad essentiam pertinere, sed ad modos substantiæ, quod modus substantiæ vocibus his exprimatur, vt Pater à Filio iuxta substantiæ modum differat, salua identitate iuxta rationem essentiæ. Reliquos Patres lege apud Ruiz de Trinitate *disp.* 12. *sect.* 5. ergo &c.

88 Vnum contra descriptionem traditam video posse obijci sic: Esse subsistens, atque suppositum æquè nobis obscurum est, ac ipsa subsistentia, quandoquidem est effectus formalis illius alias incogniti, sed definitio debet esse clarior definito. ergo non bene definitur subsistentia per hoc, quod constituat vltimo naturam in ratione subsistentis, atque suppositi.

89 Respondeo tamen maiorem esse veram si præscindamus à notitijs huius disputationis initio traditis, dum quid veniret nomine subsistentis, & suppositi explicuimus. Verum quia ad perfectam rei intelligentiam dictæ notitiæ non sufficiunt: id circo nobis vlterius incumbit onus statuendi quid sit effectus formalis subsistentiæ proprius, quod insequenti sectione præstabimus, conetari, vt in præsenti aliorum opiniones circa hoc punctum examinemus; est enim res explicatu difficilis, ita vt multi in varias abire sententias coacti sint.

Nonnulli enim primo existimarunt effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam substantem accidentibus, eisque informatam. Hanc tamen sententiam ferè omnes tanquam improbabilem reijciunt, & merito id quidem, quia vel loquitur de aptitudinali substentatione, & informatione; vel de actuali: primum habet natura substantialis ex se, si quidem substantia creata ex suis intrinsecis potest recipere, & substentare accidentia, neque enim hanc vim expectat à subsistentia; secundum verò habet beneficio influxus passiui, & causalitatis materialis, quam exercet in ipsa accidentia, in quo influxu implicat consistere rationem subsistentiæ, tum quia accidentalis est: tum etiam quia humanitas Christi huiusmodi influxum in propria accidentia exercuit, & tamen caruit propria subsistentia. ergo &c.

90 Alij secundo dicunt effectum formalem proprium subsistentiæ esse reddere naturam in se, ea inseitate, quæ independentiam à subiecto inhæsionis importat. Hæc sententia impugnatur ab aliquibus, quia formæ substatiales materiales subsistunt; & tamen pendent à materia tamquam à subiecto inhæsionis. Sed non bene. nam pendere à materia tanquam à subiecto inhæsionis significat per hos auctores, quod materia præsupponatur per formam substantialem completa, & deinde influat. cum autem hoc dici nequeat de forma substantiali materiali sequitur, quod non

Digitized by Google

non pendeat ab ea tamquam subiecto inhæsionis. Melius ergo prædicta sententia impugnatur ex eo, quia natura substantialis siue completa sit, vt angelica, & humana, siue incompleta, vt materia prima, & anima rationalis circumscripta omni subsistentia, ex se ipsa est independens à subiecto inhæsionis. ergo ex suis intrinsecis, & non beneficio subsistentiæ habet inseitatem, quæ independentiam à subiecto inhæsionis importat. Neque dicas huiusmodi naturas ex se habere independentiam negatiuam à subiecto, cum hoc tamen stare, quòd beneficio subsistentiæ sint positiuè independentes ab illo; nè id dicas, inquam, quia materia prima, & reliqua huiusmodi ex sua entitate habent repugnantiam dependendi à subiecto. ergo ex se sunt independentes positiuè, & non negatiuè tantum. Verò hanc independentiam positiuam non esse radicalem, vt quidam dicunt, sed formalem constat ex eo, quia huiusmodi substantiæ ex suis intrinsecis habent immediatam repugnantiam ad dependendum à subiecto, sed immediata repugnantia, independentiam formalem importat, vt patet ex Angelo, cui, quia immediatè repugnat esse quantum album &c. nemo dixit non esse ex se formaliter independentem à quantitate, albedine, & similibus sed radicaliter tantum; formaliter verò per formam sibi superadditam id habere.

91 Neque iterum addas posse vnum subiectum ex duplici capite eundem effectum formalem possidere, vt vnum Pomum esse bis quale tactione Saporis, & Coloris, quia nos loquimur de eodem effectu formali in specie infima, hoc est de independentia à subiecto, non verò de effectu formali in genere, quod si Christus redditur vltimo impeccabilis tum ab vnione hypostatica, tum etiam à visione beata, est, quia impeccabilitas non est effectus primarius vllius ex dictis formis, sed secundarius. Vndè saluatur vtilitas vtriusque formæ ratione diuersi effectus primarij. At verò implicat forma, quæ primò, & per se sit ordinata ad communicandum subiecto illum eundem prorsus effectum formalem, quem subiectum ex se, & ex propria entitate habere supponitur; esset enim essentialiter otiosa, & ad nihil rerum vniuersitati inseruiret; cum igitur materia prima, & Angelus, ex se, & ex propria entitate sint independentes à subiecto, repugnabit profectò subsistentia, quæ primò, & per se sit ordinata ad hoc ipsum illis communicandum. Scio nonnullos ex Aduersarijs ad hoc vltimum respondere: independentiã à subiecto esse dupliciis generis, à priori, & à posteriori: à priori excludere dependentiam à subiecto subsistentante: à posteriori verò excludere dependentiam à subiecto componente. Iam verò licet substantia ex se, & propria entitate priorem habeat independentiam, posteriorem tamen dicunt non habere, nisi beneficio subsistentiæ, quatenus hæc opponitur vnioni substantiali, quam haberet natura cum subiecto informationis si illa carent; sed hoc effugium non est totum; videmus enim animam rationalem esse subsistentem, & tamen esse vnibilem alteri tanquam subiecto informationis. Contra verò cum materiam primam, cum etiam substantiam omnem completam de se habere inepitudinem ad vnionem cum subiecto informationis, tum eam non sine formæ, nequeunt etiam Diuinitus informare subiectum. ergo falsum est effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam ab informationis subiecto independentem.

Alij tertiò putant effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilẽ alteri per modũ partis in ordine ad totũ, siue essentiale, siue integrale, sed neq; hoc subsistere potest, quia ex vna parte natura substantialis cõpleta indiuisibilis, vt Angelica, præscindẽdo à subsistentia, ex suis intrinsecis habet neutro modo posse cum alia comparte tertiam naturam substantialem componere: ex alia verò anima rationalis, & quælibet substantia incompleta, per hoc, quod subsistat, non redditur incapax componendi cum alia comparte aliquod essentialiter substantiale completum. Denique duæ aquæ simul complexæ & adæquatè subsistant; possunt tamen in vnam aquam coalescere, vt desè parere. ergo &c. 93

Quarto alij censent huiusmodi effectum formalem subsistentiæ consistere in eo, quod reddat naturam incommunicabilem alteri tamquam supposito. Verum neque hæc explicatio placet primo, quia idem prorsus est effectus formalis subsistentiæ, ac suppositum. quare cum tota explicationis traditæ intelligentia à notione alieni suppositi pendeat, æque obscura est, ac id quod explicare contendimus. Secundo, quia dicta explicatio duplicem sensum habere potest: primo specificatiue, ita vt sensus sit, quod natura beneficio subsistentiæ propriæ reddatur inepta ad subsistendum per alienam subsistentiam. Secundo reduplicatiuè: ita vt sensus sit, quod natura subsistens reddatur inepta prout subsistens, & non aliter; quatenus repugnat quod tum ipsa, tum eius subsistentia per subsistentiã alienam subsequentem fiat subsistens ita vt suppositum quoddam tertium ex natura, & duplici subsistentia coalescens resultet. ita facere Pontius *Dispu. 2. metaph. qu. 6. nu. 70.* 94

Verum neutra explicatio procedit non prior, quia, quemadmodum nulle quis explicaret conceptum formæ per incompossibilitatem in eodẽ subiecto cum alia forma, vel eiusdem rationis cum ipsa, vel sibi opposita: ita, & in casu nostro, quia hæc incompossibilitas est communis omnibus formis, quælibet enim excludit ab eodem subiecto aliam similem, vel sibi oppositam, vt de se patet. Quare nil refert, quod subsistentia propria naturæ dicatur excludere ab ea alienam; eodem enim modo aliena ex suppositione, quod esset in natura, excluderet ab ea propriam, vt patet in Christo Domino. Adde quod ex suppositione, quod plures propriæ sint possibiles, vna ex illis si daretur in natura, procul dubio excluderet aliam, sicuti vna forma aliam eiusdem speciei. ergo &c Quod verò neque procedat posterior explicatio suadetur, quia est etiam commune reliquis formis substantialibus reddere suum compositum reduplicatiuè suptum incommunicabile alteri forcas. Quamuis 95

Digitized by Google

nia enim aliqui putent posse diuinitus idem numero corpus informari duplici anima rationali; nullus tamen est, qui non existimet implicare ex eodem corpore, & duplici anima rationali vnum hominem resultare posse; ergo per reduplicatiuam incommunicabilitatem cum altero tanquam supposito, effectus formalis subsistentiæ non bene explicatur.

96 Atque ex his remanet impugnata sententia Vasquez *tom. 1. in 3. part. Disput. 32. cap. 4.* quæ ex parte sequitur Lugo *disp. 12. sect. 3.* cum aliis, quatenus docent effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam omnino sistentem vnice, quam sistentiam dicunt recte explicari per omnimodam incommunicabilitatem alteri, tum vt subiecto inhæsionis, tum vt comparti, tum denique vt supposito. Ratio impugnationis patet ex dictis, quia ex vna parte natura completa de se est incommunicabilis alteri vt subiecto inhæsionis, & vt cõparti, neque enim inexistere posset, neque cum alia partiali natura tertiam quandam constituere, ex alia verò parte quamuis de se natura non sit incommunicabilis alteri, vt supposito, iam vidimus per hanc incommunicabilitatem non recte effectum formalem subsistentiæ explicari. Præterea si effectus formalis subsistentiæ esset omnimoda incommunicabilitas, neque materia, neque forma subsisterent in toto compositio; quia communicant inuicem in ordine ad totum constituendum, neque partes integrantes vnius substantiæ V. G. vnius aquæ, quia communicant inter se, quatenus integrant vnam numero aquam: ergo falsum est subsistentiam afferre omnimodam incommunicabilitatem naturæ.

97 Quod attinet ad materiam, & formã. Respondet Lugo *disp. cit. n. 47.* concedendo dictas partes quando componũt totum nõ subsistere, quia subsistentia, inquit, est solius compositi. vnde sufficit si huic præstet suum effectum formalem incommunicabilitatis omnimodæ: subdit tamen eam etiam dare partibus, vt non possint nisi ad inuicem communicari, non autem aliis; atque adeo implicare animam Petri subsistentem in corpore proprio informare aliud corpus; licet aliàs diuinitus posset, si non subsisteret. Verum hæc responsio est cõtra communem sensum. Communiter enim conceditur materiam, & formam in composito substantiali subsistere per se, & rectè; subsistentia enim per se est proprietas naturæ substantialis tum completæ; tum incompletæ. at materia, & forma etiam in composito habent rationem duplicis naturæ physicæ, vt de se patet; de facto enim eas sibi Verbum hypostatice valuit, ergo &c. Præterea ex suppositione, quod dictæ partes possint diuinitus præter suũ compositum, alia etiam compõsita constituere: afferere quod beneficio subsistentiæ, quæ subsistunt in suo composito non valeant componere cum alijs partibus alia composita, est gratis inuentum, & sine sufficienti ratione assertum. quemadmodum etiam dicere, quod anima rationalis extra corpus habeat subsistentiam, quæ reddat illam incommunicabilem corporis, atque adeo in resurrectione debeat prædictam subsistentiam deperdere, ad hoc vt corpori vniatur, & per subsistentiam totius subsistat; cum eo quod natura subsistentiæ ex Mysterijs Trinitatis, & Incarnationis nobis tantummodo manifesta, non debemus illi adscribere, quæ nobis placeat impingere, sed solum ea, quæ per necessariam consequentiam ex dicta illius notione deducuntur; quod modi non est, quod non subsistant per se partes in toto, neque quod non possint cum alijs partibus diuinitus aliud totum constituere.

Quod verò attinet ad partes integrales, 98
negat Vasquez eas in toto subsistere, quod si instes, quod quando duæ aquæ in vnam confluunt, vtraque retinet eandem subsistentiam, quam prius habebat; negat assumptum hoc, aitque quod quamuis aquæ subsistentia diuisibilis sit, tamen indiuisibiliter se habet in ordine ad eum affectum formalem præstandum, & sic quando duæ aquæ confluunt in vnam, corrumpi vtriusque subsistentiam, & vnam de nouo totaliter produci; contra verò quando ex vna aqua fit duplex corrumpi, secundum omnes partes, præcedentem, & duas in illis de nouo resultare.

Non placet hæc responsio Cardinali de Lugo *num. 55* quia inde sequeretur, quod addita toti mari, vel ab eo ablata vna aquæ gutta, tota eius subsistentia deberet corrumpi, & alia de nouo consurgere; quod non videtur sibi credibile. quare putat quam libet aquam semper suam peculiarem subsistentiam retinere, & quando vniuntur aquæ, earum subsistentias vniri, quando verò diuiduntur ab inuicem separari; quod si contra illum instes: ergo falsum est subsistentiam reddere naturam omnimode incommunicabilem: respondet eam esse contentam tribuere naturæ incommunicabilitatem in ratione naturæ, & in ratione subsistentis: non verò in ratione continuationis, & extensionis. Rationem assignat, quia illam incommunicabilitatem debet afferre, quam potest; sed hanc posteriorem non potest, quia hoc ipso quod est subsistentia rei materialis, sicuti res potest acquirere, & deperdere de nouo partes: ita ipsa eius subsistentia.

Sed contra hoc facit, quia inde sequeretur 100
materiam habere suam propriam subsistentiam, quam sub quacumque forma retineat, quod ipse expresse negat *num. 38.* nec non etiam animam rationalem per vnam eandemque subsistentiam sibi peculiarem, tum in corpore, tum extra corpus subsistere, quod ipse etiam *numero sequenti* refellit, probo sequelam, quia sicuti aqua potest acquirere de nouo, & deperdere partem, & ideò eius subsistentia, nec affert, nec afferre potest incommunicabilitatem in ordine ad extensionem: ita materia prima potest acquirere de nouo, & deperdere formam substantialem, nec non etiam anima rationalis acquirere de nouo, & deperdere materiam; & quidem vtraque naturaliter. ergo sicuti partes integrantes vnam aquam verè subsistunt per eandem subsistentiam,

tiam, quam habebant quando erant ab inuicē separatæ: & solum acquirunt vnionem de nouo; ita dici debet de materia prima, & anima rationali; quod enim partes aquæ post vnionem non remaneant distinctæ: contra verò remaneant distinctæ materia, & forma vnitæ, hoc magis facit contra Cardinalem, nam sicuti materia prima in toto remanet realiter, imo essentialiter impermixta formæ, ita vt de vtraque verificetur, quod sint diuersæ naturæ substantiales physicæ; ita debet remanere cum sua subsistentia distincta à subsistentia formæ si nihil aliud obstet. Falsum igitur est, quod docet Auctor *num.* 56. per subsistentiam non impediri formaliter vnionem secundum extensionem; impediri verò vnionem, quæ tendit ad complementum substantiale tum in esse naturæ, tum in esse subsistentis; cum par ratio militet pro vtraque re etiam si velit dictam incommunicabilitatem esse effectum formalem secundarium, & non primarium subsistentiæ.

101 Quæ cum ita sint non possum non vehementer mirari, qua ratione Poncius in Metaph. *loco citato* asserat Cardinalem de Lugo *disput.* 12. de Incarn. *num.* 54. docere à subsistentia tribui naturæ non quamcumque incommunicabilitatem, sed eam tantum respectu illius termini, cui posset solum per diuinam potentiam supernaturaliter communicari. Quod assertum refellit tum quia Corpus non potest nisi Diuinitus adæquatè bilocari, & tamen nemo dixerit beneficio subsistentiæ huiusmodi incommunicabilitatem habere. tum etiam, quia natura diuina à suis personis non obtinet incommunicabilitatem respectu alicuius, cui supernaturaliter communicari posset; in his enim hic auctor hostem mihi sibi fingere videtur, quem feriat; Lugo enim *loco citato*, vti notauimus, solum affert responsionem P. Vasquez ad obiectum ex subsistentis partium integrantium desumptum, quā numero sequenti impugnat, & né verbum quidem ibi habetur, quo se esse in huiusmodi sententia significet, quod si alibi per transennā id significare videretur; deberet intelligi in eo sensu, quo loquitur quando exprofesso de hac controuersia agit, dum dicit subsistentiam reddere naturam incommunicabilem substantialiter, quatenus excludit ab ea vnionem, quæ tendit ad complementum illius tum in esse naturæ, tum in esse subsistentis. Sed de hoc satis.

102 Alij quintò docent effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam completam in ratione principij operatiui, non quod sit potentia, seù virtus operatiua, vel totalis, vel partialis; tū quia id gratis asseritur: tum etiā, quia Verbum respectu humanitatis Christi non potest esse huiusmodi; sed quia est conditio, siuè qua non.

103 Hanc sententiam reijciunt aliqui docentes falsum esse assumptum, eo quod non appareat in quo genere, aut qua ratione subsistentia possit esse conditio, quia omnis conditio, vel est applicatio agentis ad passum, vel dispositio ad effectum. Neutrum autem de subsistentia verificari potest. ergo &c. Ita fere Quiros *Controu. 6. metaph. punct. 3. num. 15.* sequutus Vasquez, Albertinum, Cardinalem de Lugo, & alios, à quibus ego dissentiō; si quidem puto subsistentiam esse conditionem sine qua natura non est proxime, & complete expedita ad operandum; & quidem si supponamus eam esse ipsam formalem existentiam, per quā natura substantialis existit à parte rei, vt infra dicemus, res est euidens; sin autem ab hac sententia præscindamus, suadetur, quia res substantialis debet prius intelligi completa substantialiter, & in essendo: quam completa accidentaliter in ordine ad operandum. sed subsistentia est complementum intrinsecum substantiale naturæ substantialis; operationes verò illam accidentaliter complent. ergo natura debet prius intelligi completa per subsistentiam, quam per operationes. Consequentia huius patet, & minor conceditur ab aduersarijs, cum quibus agimus. maior verò probatur, quia quo complementum est intimius alicui, & magis ei proprium, eo prius intelligi in eo debet, vt conformemur naturæ, quæ per prius ad ea, quam alia habenda propendet. Cum igitur complementum intrinsecum substantiale sit intimius, & magis proprium naturæ, quam accidentale: recte deducitur naturam prius intelligi debere completam per substantiale, quam per accidentale. Hinc autem rectè deduci subsistentiam esse conditionem sine qua non, respectu naturæ ad operandum, vlterius suadetur ex eo, quia hæc prioritas non potest esse dignitatis, quia etiam si supponeremus subsistentiam esse operatione imperfectiorem: adhuc natura exigeret prius illam habere. ergo est prioritas naturæ, non quidem rigorosa; quasi verò sit prærequisita ad operandum tamquam virtus operatiua; sed minus rigorosa, quatenus est vltimus terminus naturæ, *beneficio cuius* recte in se intelligitur ad*æquatè constituta, vt inde* intelligatur nihil *sibi deesse ad operandum*.

Per quæ patet Responsio: ad rationem in contrarium: dico enim quod, quemadmodum posita ætherogeneitate graduum, primus gradus caloris in passo V. G. est conditio sine qua non, productionis secundi gradus; quia sine illo produci non potest: & tamen neque approximatio est, vt patet, neque dispositio; quia hæc debet esse diuersæ rationis à forma adquam disponit. Ita subsistentia erit conditio naturæ in ordine ad operandum, quamuis neque approximatio sit, neque dispositio. eo quod non minus pertinet ad complendam naturam in ordine ad operandum, quam primus ad complendum passum in ordine ad secundum gradum recipiendum. Nam sicuti res prius debet intelligi esse, quam operari, ita, & prius completa in ordine ad suum esse, quam in ordine ad suum operari; id circo autem approximatio, & dispositio tantum censentur conditiones esse; quia ad eas vt potè sensibiliores reliquæ reducuntur. nam omnis conditio vel extrinseca est: & sic pertinet ad approximationem, vel intrinseca, & sic sub dispositione comprehenditur. 104

Di-

Digitized by Google

105 Dices: prioritas naturæ in casu nostro fundari debet in eo, quod natura indigeat subsistentia ad operandum, sed non indiget; nam idem Suarez *qui disput. 24. metaph. sect. 7. num. 10.* docuerat subsistentiam esse conditionem ad operandum *num. 15.* addit, quod ablata miraculosè subsistentia à natura, posset hæc sine nouo miraculo operari. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem, vt patet ex dictis, & quod attinet ad Suarez, puto eum non satis consequenter loquutum, nisi enim nomine conditionis intelligemus id, quod ita non influit in effectum, vt eo posito, ponatur effectus, & eo sublato, non ponatur, potest bene defendi, quod quodlibet sit conditio respectu cuiuslibet vt bene notat Quiedus *n. 17.* Sed Cardinalis de Lugo *disput. 12. sect. 7. nu. 103.* vtrumque Suarij dictum conciliare conatur dicendo, quod subsistentia quando est, ideo præcedit operationem, quia complet modum essendi principij operatiui; quando autem deest, modus essendi principij est diuersus, & sic ille modus debet tunc operationem præcedere; quod cõfirmat exemplo animæ rationalis, quæ quando est in corpore, vnio cum illo debet omnem eius operationem præcedere, quando verò est extra corpus, solum debet præcedere negatio vnionis.

106 Sed contra hanc conciliationem facit primo, quia si illud principium: Modus operandi sequitur modum essendi in casu nostro veritatè habet: ergo modus essendi, qui existimatur subsistentia, debet esse, si non virtus influxiua; at saltem conditio antecedens, sine qua principium non intelligatur completum in actu primo proximo ad operandum. Sed inde sequitur, quod si desit, non possit principium connaturaliter exigere à Deo concursum vniuersalem ad operandum, quemadmodum non exigit illum agés V. G. quando non est approximatum passo. ergo &c. Neque dicat, quod quando deest subsistentia, tunc est conditio antecedens eius carentiam, quia ex hoc sequitur neque subsistentiam esse conditionem, sine qua non, neque eius carentiam, quia siue sit vna, siue altera, iam eodem modo natura exigeret concursum ad operandum. quare neutra ita exigeretur, vt sine illa non fieret operatio. Adde quod si ratio conditionis sine qua non, cum hac latitudine saluari posset: quælibet res respectu cuiuslibet operationis rationem conditionis haberet, quatenus nulla operatio absque eo, quod existat, vel res, vel eius carentia, exerceri diuinitus potest: Nec refert, quod non exigatur tanquam quid antecedens, sicuti exigitur subsistentia, quia dantur conditiones, quæ non sunt necessariæ ad complendum actum primum, sed pro solo actu secundo, vt de se patet.

107 Contra principalem responsionem arguo secundo, quia falsum est, quod quando subsistentia deest, modus essendi naturæ sit diuersus ab eo qui erat antea, carentia enim modi essendi sicuti non est modus, ita neque diuersum modum naturæ substantiali in absentia subsistentiæ afferre potest. Contra denique Tertio, quia paritas de vnione non solum non fauet doctrinæ traditæ à Lugo; sed etiam oppositum persuadet; quod probo supponendo animæ rationali tum statum vnionis, tum statum separationis esse naturalem, vt ipsemet fatetur *disput. cit. nu. 39. & 40.* tum sic: diuersas operationes exerceet anima quando est vnita corpori, ac quando est ab eo separata; quando enim est separata nullas exercet vegetatiuas, & sensitiuas; rationales vero, quas exercet sunt independentes à phantasmatibus; atque adeo differunt essentialiter ab illis, quas exercet in corpore. ergo rectè dicimus vnionem ad Corpus esse conditionè sine qua non, respectu operationum in corpore exercendarum: & carentiam vnionis conditionem sine qua non, operationum, quæ extra corpus exercendæ sunt, quia si caret vnione, nullas exigit exercere operationes á corpore dependentes, contra verò si est vnita, nullas ex his, quæ sunt à corpore independentes exigit. Atqui in casu nostro ex vna parte status separationis á subsistentia est naturæ simpliciter violentus: ex alia verò, si exigit in dicto statu operari easdem operationes in specie, quas exigit in statu coniunctionis cum subsistentia, & non diuersas exigit operari. ergo impossibile est vt respectu illarum vtrumque statum tamquam conditionem sine qua non, respiciat. Quèadmodum impossibile est vt anima rationalis respectu operationum, quas determinatè exercere debet in corpore, vel extra corpus respiciat cum indifferentia vnionem, vel eius carentiam, tamquam conditionem antecedentem sine qua non, ad illas efficiendas. Ex quo patet paritatem ex vnione animæ rationalis desumptam esse contra illam adducentem.

SECTIO QVARTA.

Affertur propria sententia de effectu formali subsistentiæ.

108 MEliores Theologi, ac Philosophi conueniunt in eo, quod dicant effectum formalem subsistentiæ esse duplicem: alterum primarium positiuum, alterum secundarium negatiuum, & primarium quidem afferunt consistere in hoc, quod reddat naturam substantialiter completam, & vltimo terminatam, ita vt non indigeat vlteriori complemento, ac termino substantiali; sicuti secundum se consideratam, & absque subsistentia indiget; negatiuum verò in eo, quod reddat eandem naturam incommunicabilem alteri termino, siuè proprio, siuè alieno, quod non est ipsa subsistentia.

109 Cum quibus auctoribus est nostra Conclusio, quæ Probatur quo ad singula, & primo quidem quo ad effectum primarium positiuum, siquidem ex vna parte subsistentia est quid substantiale, quod intelligitur aduenire naturæ, & componere cum ea totum subsistens. ergo est complementum seù quod idem est perfectio quædam substantialis illius: ex alia verò parte supponit naturam non solum essentialiter, & quidditatiuè; sed etiam numericè completam in ratione naturæ. ergo perfectio, quam illi tribuit consistit in eo, quod illam vltimo terminet,

Digitized by Google

minet, ad eum planè modum quo punctum terminat lineam, linea superficiem, & superficies corpus.

110 Quo ad effectum verò secundarium negatiuum probatur etiam conclusio, eo quod est de ratione vltimi termini, postquam rem cuius est terminus positiuè compleuit, impedire nè ea vlterius protendatur, & alium vlteriorem terminum admittat. ergo si subsistentia est vltimus terminus naturæ rectè deducitur, quod eius effectus formalis secundarius sit eam reddere alteri supposito, seù personæ incommunicabilem. Confirmatur vtraque pars conclusionis, quia subsistentia distincta nobis ex mysterio Incarnationis innotescit; sed ex hoc mysterio habemus totam naturam humanam indiuiduam sine propria subsistentia assumptam esse à Verbo Diuino in vnitatem personæ, eo quod Verbũ vltimo illam substantialiter perfecit, ac terminauit. ergo signum est effectum formalem primarium subsistentiæ esse vltimo complere, & terminare substantialiter naturam: secundarium verò excludere ab ea quamcumque aliam subsistentiam tum propriam tum alienam.

111 Obijcies primo potest breuius, & expeditius dici effectum formalem subsistentiæ in communi esse talem, qualè tribuit humanæ naturæ Verbum diuinum. ergo non ita benè effectus formalis subsistentiæ explicatur à nobis.

112 Respondeo negando antecedens; & ratio negationis est, quia quando nos quæstionem de effectu formali subsistentiæ in communi instituimus, æquè dubitamus de effectu formali, què naturæ humanæ in Christo tribuit Verbum, ac de reliquis. Siquidem quilibet effectus in particulari est pars potestatiua illius totius vniuersalis, de quo quærimus; quemadmodum igitur malè quis effectum formalem albedinis explicaret per hoc, quod sit talis, qualem tribuit albedo lacti, eo quod hoc ipsum est, quod inquiritur quid videlicet sit huiusmodi effectus: ita, & in casu nostro. Aliam rationem pro negatione antecedentis assignat Poncius *loco citato num.* 108. quia, nimirum, licèt natura humana possit habere dependentiam aliquam positiuam à personalitate Verbi; non tamen necesse est, vt talem habeat à personalitate creata, nisi ostendatur, quod hæc sit positiua; & quidem hæc ratio optimè procederet si supponeret hic auctor probatam conclusionem suam, qua docet subsistentiam creatam nil aliud addere supra naturam, quam negationem. Quoniam verò ipse *num.* 103. probat dictam conclusionem ex eo, quia non potest assignari vllus effectus positiuus in natura à subsistentia, siuè personalitate proueniens: malè postea assignantibus aduersarijs dictum effectum positiuum esse similem illi, quem tribuit naturæ humanæ Verbum, illos redarguit ex eo, quod non constet subsistentiam creatam esse quid positiuum; quod sic breuiter ostendo: in tantum ipse negat esse quid positiuum in quantum non potest assignari effectus formalis positiuus illius. ergo veluti pactum cum aduersarijs iniuit, vt casu quo illum assignent à causa cadat; non potest igitur eo assignato à conditione recedere, dicendo non constare subsistentiam creatam esse quid positiuum; iam enim constat hoc ipso, quod assignatur effectus positiuus.

Obijcies secundo: anima separata subsistit; 113
sed adhuc est vlterius complebilis per coniunctionem cum corpore. ergo subsistentia non est vltimus terminus naturæ substantialis. Respondeo concessa maiore, distinguo minorem: anima separata est vlterius complebilis in ratione totius concedo: in ratione animæ, nego minorem; eodem modo distincto consequente: dico subsistentiam esse vltimum terminum naturæ substantialis, qua talis natura est; si enim est forma, est vltimus terminus in ratione formæ, sin autem materia, est vltimus terminus in ratione materiæ, si denique compositum, est vltimus in ratione compositi; & ratio est, quia hoc ipso, quod forma intelligitur subsistens, nil aliud substantiale expectat, vt compleatur in ratione formæ, sed est vltimo in ea ratione substantialiter completa. Idem dico de materia, idemque de composito. Quare, nego consequentiam.

Obicijes tertio: natura diuina prius origine 114
completa per personalitatem Patris, intelligitur in posteriori compleri per personalitatem Filij, & completa per hanc, adhuc intelligitur vltimo complebilis per personalitatem Spiritus Sancti. ergo sola personalitas Spiritus Sancti habet rationem vltimi termini naturæ diuinæ, si vera sunt, quæ diximus. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia si sola spiratio passiua haberet rationem vltimi termini in diuinis: sequeretur, quod non solum naturam diuinam, sed etiam Paternitatem, & Filiationem terminaret, & sic Spiritus Sanctus sicuti dicitur Deus: ita etiam posset dici Pater, & Filius, quod est hæreticum. Dicendum igitur est: naturam diuinam tribus personalitatibus æquè vltimo terminari; & ad rationem *dubitandi aio: quod* quando nos dicimus *suppositalitatem seù subsistentiam* vltimo *terminare naturam, quo ad* effectum secundarium, hoc intelligendum est in sensu accommodo, hoc est, quantum est de se, & si nil aliud prætualeat, quod obstet. Sicuti intelligitur quando dicitur quod sit modus naturæ superadditus. Iam verò in casu nostro personalitas Patris ex vna parte intelligitur aduenire naturæ diuinæ exigentiam habenti communicandi se alijs duabus personis. Ex alia verò est formalissimè eadem cum Paternitate, quæ habet complere naturam diuinam in ordine ad communicandum se Verbo per viam generationis. Vndè fit vt cum non possit vltimo terminare substantialiter naturam vndequaque, hoc est eam reddendo penitus incommunicabilem, illam hoc modo non terminet; sed benè terminat illam vltimo, vltima terminatione sufficienti ad habendam rationem personæ per hoc, quod cum sit in se incommunicabilis, reddat incommunicabilem ipsam naturam inadæquatè, & veluti partialiter, quatenus simul cum filiatione, & spiratione passiua constituit vltimum terminum adæquatum illius, quo affecta natura diuina implicat, quod sit vlterius

Digitized by Google

cius terminabilis, atque communicabilis alteri supponi.

115 Instabis 1. Ex hoc quod omnes tres personalitates æquentur termino terminanti naturam, quæ per illas intelligatur adæquate illi subjacere, passiva non intelligitur incommunicabilis, & ultimo terminata; sed hoc est falsum: nam prius priorisve originis intelligitur natura terminata per personalitatem Patris, & in posteriori per personalitatem Filii, & in tertio denique signo per personalitatem Spiritus Sancti, ergo &c. Respondeo distinguendo sequelam majoris: omnes tres personalitates æquè primo terminarent naturam adæquata terminatione concedo: inadæquata, nego, quia natura Divina ut terminata personalitate Patris licèt ultimo, tamen inadæquate intelligitur terminari: sic distinguo minorem, nego consequentiam.

116 Objicies quarto: natura divina pro ut præcisa à tribus subsistentiis relativis, habet subsistentiam absolutam tribus personis communem, seu per hanc non redditur substantialiter completa, & ultimo terminata; nam adhuc est terminabilis, & complebilis per subsistentias relativas; ergo falsum est effectum formalem subsistentiæ in communi esse naturam substantialiter completam, & ultimo terminatam.

117 Respondet Lugo *num. 43. disputationis 12.* negando majorem. Sed melius cum Suarez *tom. 3. in tertiam partem, disput. 11. sect. 3.* & aliis illam existimo concedendam, & distinguendam minorem, per subsistentiam absolutam, natura divina non redditur substantialiter completa, & ultimo terminata in esse relativo, concedo: in absoluto, nego: & ad consequentiam dico, quod cum natura divina præter suum esse absolutum relativum personalitates habere exigat; subsistentia absoluta constituit illam substantialiter complectam, & ultimo terminatam, quo ad absoluta, seu quod idem est, in linea absolutorum; quatenus dicta subsistentia ita est in se absoluta, ut sit ultimum complementum, & ultimus terminus absolutorum, quæ sunt in Deo. Ex hoc autem non sequitur naturam Divinam, vas personalitatibus relativis distinctam forè personam, ut infert Lugo *num. 44.* Quia nomine personæ intelligimus naturam ultimo terminatam omni prorsus ratione substantiali, quod non habetur in casu nostro. Nam ita est per absolutam subsistentiam natura divina completa in esse absoluto: ut ad hoc sit quo ad esse relativum substantiale complebile; quam rationem complementi substantialis, quia natura creata habere non exigit: id circo subsistentia, quæ illam complet, & terminat in esse absoluto, si alioqui non obstat, constituit illam suppositum, atque personam; ita ut nulla ratione ulterius sit terminabilis, atque complebilis substantialiter.

118 Objicies quinto: non potest ulterius explicari quid sit formaliter hoc substantiale complementum, & hic ultimus terminus, quem obtinet natura beneficio subsistentiæ; ita ut

sine eo sua substantiali perfectione adæquata intelligatur carere, ergo non adhuc effectus formalis subsistentiæ sufficienter apparet.

Respondetur communiter auctores nostri 119
concedendo totum argumentum, neque enim
[illegible] mirum esse debere nos tam esse
[illegible] cum formalem subsistentiæ ultimo declarare
cum solum de ea notitiam ex fide habeamus;
& nobis in hoc via quodammodo ad eius notitiam, & exactam rationem inducere possit,
quod quidem est verissimum positis extremis
inter essentiam, & existentiam, nullum nunc nobis restat, quod illi ulterius
tribuamus, ut adversus Quæstum *num. 18. &*
19. Quæ siquidem substantiale prædicatum
quod de substantia verificatur, vel essentiale
est, vel individuale, vel demum existentiale.
Si igitur hæc tria ponamus esse realiter inter
se identificata, impossibile est, ut possimus explicare quid nam sit ista ultima perfectio,
quam subsistentia naturæ communicet, quia 121
cum ponatur realiter ab illa distincta, impossibile est, quod ad aliquod ex eis recurrere valeamus. Quoniam verò nos supra probavimus essentiam, & existentiam inter se, nemine cogitante, distingui, videndum restat, num hæc substantialis perfectio ultimo complens, ac terminans naturam, sit eadem cum existentia substantiæ? Affirmativa enim sententia clarissimè omnes fatetur eius formalis effectus primarius; ita ut ulteriorem explicationem nemo jure exigere valeat, cum evidenter constet eam consistere in reddendo naturam substantialem substantialiter existentem, dixi substantialiter, ut abstinerem ab ea quæstione, num substantia per existentiam accidentalem via generationis existere possit. Sit igitur

SECTIO QVINTA.

An subsistentia sit eadem cum existentia naturæ substantialis.

120 Conclusio est affirmativa, & quidem tum in sensu reali, tum formali. Dico enim subsistentiam non solum, nempe cogitante, esse realiter eandem entitatem modalem cum existentia substantiæ; sed etiam esse eandem, formalissimam rationem ex parte obiecti, ita ut si utraque secundum omnia sua prædicata clare concipiatur, nulla appareat differentia, ac diversitas inter illas. Porrò hæc conclusio non solum est contra eos, qui essentiam cum existentia identificant; sed etiam contra multos, qui inter illas distinctionem agnoscunt; & primo quidem contra Caietanum, *3. parte quæst. 4. art. 2.* absolutè docentem, subsistentiam, nempe cogitante, ab existentia esse distinctam. Secundo contra Capreolum *in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 3.* ad primum contra secundam conclusionem, ubi videtur asserere suppositum reddere quidem supra naturam solam existentiam, non quidem intrinsecè, sed ut connotatum extrinsecum; ad eum planè modum, quo potentia importat objectum, ut

tertium habitudinis, quam dicit ad ipsum. Tertio denique est contra eos, qui forsan dicent subsistentiam esse eandem realiter cum existentia, non tamen formaliter; nostram verò sententiam Suarez in *Metaph. disp. 34. sect. 4. num. 8.* ait fuisse frequentem suo tempore inter modernos Theologos: & *num. 10.* fatetur posita veritate sententiæ pluspquam ratione essentiam ab existentia distinguentium, eam præferendam omnino esse opinioni Caietani, & aliorum, qui tot entitates sine causa multiplicant, distinguentes subsistentiam ab essentia, & ab existentia, & rursus existentiam, & essentiam inter se, cur immerito opponitur Cardinalis de Lugo *disput. 12. de Incarnat. num. 24.* vbi ait dato, quod essentia distingueretur ab existentia, adhuc non deberè concedi esse eandem existentiam cum subsistentia; sed hoc suo tempore rationi, vt ex dicendis patebit.

121 Probatur primo nostra conclusio auctoritate Scripturarum, & Patrum existentiam, substantiæ pro subsistentia accipientium, easque inter se confundentium Iob. *num. 3.* habetur: *sicuti abortivum non subsisterem*, hoc est non existerem, *& cap. 7.* [ô custos me quæsieris non subsistam] hoc est existam. Item *Psal. 102.* [Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet,] hoc est non existet. Deinde August. *lib. 7. de Trinit. cap. 5.* [Hoc est Deo esse, quod subsistere, & ideo si vna essentia Trinitatis, vna etiam substantia] *& cap. 5.* [Non aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem] vbi nota primo loco sermonem esse de esse, & subsistere absolutè; secundo verò de esse respectivo, vti dicemus. Dionysius verò *cap. primo de Diuinis nominibus*, ait bonitatis subsistentiam per suum esse causam esse omnium subsistentium, & Nyssenus *lib.* de vita Mosis: [nihil præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, & á qua omnia dependent verè subsistit] hoc est existit, & Hylarius *lib. 5.* de Trinitate: [vt indiuisus, atque inseparabilis, non ex persona, sed ex natura subsistens ex Patre vnigenitus intelligatur] hoc est absolutè existens. Denique Ricardus *lib. 4.* de Trinitate *cap. 22.* definit personam diuinam, quod sit diuinæ naturæ incommunicabilis existentia, quam definitionem approbat D. T. *p. p. q. 29. art. 3. ad quartum*, & Scotus *in primo dist 23. q. p. num. 14.* Vnde alij sumpserunt definitionem suppositi in communi dicentes: suppositum esse substantialis naturæ incommunicabilem existentiam, de qua paulo post. Patribus adnecto D. T. pluribus in locis hoc idem expresse docentem, & quidem *p. p. q. 29. art. 2.* pro eodem sumit subsistere, ac existere. De ente, & essentia *cap. 5.* & quodlibet *qu. 4. art. 6.* ait substantias subsistere per esse, & *prima parte quæst. 29. art. 3.* docet suppositum, ac personam dicere id, quod est perfectissimum in tota natura. Quod esset falsum, si non importaret existentiam. Denique *Opusc. 28. tract. 2. cap. 2.* & alibi duplicem tantum compositionem agnoscit; Physicam, quæ est ex materia, & forma; & Metaphysicam ex esse, & essentia, nullam faciens de compositione ex natura, & subsistentia mentionem. Ex quibus omnibus rectè deducitur subsistentiam eandem pro existentia substantiali vsurpari, & eandem penitus cum illa reputari.

122 Probatur secundo conclusio ratione, quia de existentia substantiæ verificatur definitio suppositalitatis communiter ab antiquis Theologis recepta; quod, nimirum, sit substantialis naturæ incommunicabilis existentia; ergo non solum realiter, sed etiam formaliter subsistentia est eadem cum existentia substantiæ. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, & quidem, quod sit existentia naturæ substantialis, patet. Quod verò sit incommunicabilis, suadetur: quia de ratione rei substantialis est, aliquam incommunicabilitatem habere, & hoc videtur esse de prima notione substantiæ, quæ importat esse per se, opposita notioni accidentis, quæ dicit esse in alio. ergo non est mirum, si vltima perfectio substantialis, cuiusmodi est existentia, summam incommunicabilitatem, quam concedimus communiter subsistentiæ, sibi vendicet. Confirmatur: in tradita definitione existentia se habet, vt genus, & incommunicabilitas, vt differentia. sed si ipsa existentia substantiæ, qua talis est, huiusmodi incommunicabilitatem ex se non afferret naturæ, hoc esset falsum. ergo &c. Neque dicas subsistentiam definiri per existentiam, non quod sit existentia naturæ; sed quia est sibi ipsi existentia: nè id dicas, inquam, sic enim male dicetetur, quod esset existentia naturæ substantialis, sed deberet potius dici existentia sui ipsius. ergo &c.

123 Probatur denique tertio ex his, quæ supra cum recentioribus tribuimus subsistentiæ explicantes suam essentiam, & effectum formalem primarium illius. *Nam omnia de existentia substantiæ verificantur.* ergo &c. *Antecedens probatur ex his, quæ diximus sect. quarta*, nec non etiam duos præcipuos auctores illius sententiæ in medium adducendo Arriagam, videlicet, & Quiedam, Arriaga enim *disp. 4. Metaph. sect. 6.* postquam aliorum placita de ratione subsistentiæ, eiusque effectu formali confutauit: *num. 64.* ait, eam esse complementum substantiale naturæ: ita, vt eius effectus formalis primarius sit vltimo complere, & perficere naturam in esse substantiali. Tum sic: verè existentia est complementum substantiale naturæ: tum, quia est modus substantialis: tum etiam quia post existentiam, non videtur natura in linea substantialium aliquid aliud exigere posse. Ex quo deducitur eius effectum formalem esse vltimo complere, & perficere naturam in esse substantiali. ergo iam, est formaliter eadem cum subsistentia. Deinde Oviedus *controuer. 6. Metaph. puncto tertio* quærens, quæ nam sit formalis ratio subsistentiæ, suam sententiam his verbis manifestat *num. 19.* Nullum est principium naturale, neque huc vsque fide reuelatum, quo possit cognosci subsistentia, nisi

esse

esse quandam entitatem substantialem naturæ superadditam, & constituentem quoddam concretum substantiale, quod suppositum appellamus. Ex quo potest dici subsistentiæ munus esse naturam perficere permodum termini, quo aliqui putant (vt paulo post subdit) illius naturam exactè definiri. Ex his autem, sic mihi argumentari liceat. De existentia substantiali rectè verificatur, quod sit entitas quædam substantialis naturæ superaddita. Iam enim supra probaui, eam nemine cogitante á natura distingui. Rursus de eadem verificatur, quod eius munus sit naturam ipsam perficere permodum termini; nam ex his, quæ nobis nota sunt est id quod vltimo intelligitur aduenire naturæ permodum perfectiui illius ingenere substantiæ. Non est igitur cur negemus ipsam existentiam substantialem esse rationem formalem constitutiuam vna cum natura compositum substantiale, quod suppositum, & hypostasim appellamus. Sed ex hoc rectè deducitur eam esse idem formaliter cum subsistentia. ergo &c.

124 Confirmatur, quia omnia, quæ de subsistentia cognoscimus in ipsa existētia substantiali reperiuntur. ergo dicendum, est illud vltimum prædicatum, quod de subsistentia ignoratur ab alijs, esse rationem existentiæ cuius beneficio natura substantialis vltimo completur, & terminatur; & rectè id quidem; cum enim huiusmodi existentia sit existentia essentiæ perfectissimæ, debet constitui cum maiori perfectione, quæ potest, atqui maiori perfectione constituitur si dicatur esse vltimus terminus naturæ, & vltima eius actualis, ac complementum. ergo sic dicendum est.

125 Obijcies primo D. T. *quodlib. 2. quæst. 2 art. 4.* ad secundum ait, quod esse non est de ratione suppositi Angelici, sed subsistentia est de ratione suppositi Angelici. ergo subsistentia differt ab existentia, quam S. D. appellat esse. Respondeo concessa maiore, quæ est D. T. negando minorem, cum enim nomine rationis suppositi veniat essentia ipsius suppositi, sicuti existentia non debet censeri de ratione suppositi: ita neque subsistentia.

126 Obijcies secundo ex eodem *3. parte qu. 17. art. 3. in Corp. & ad primum* Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut, quia aliquid est; personam autem siue hypostasim consequitur, sicut habentem esse. ergo natura non est proximum susceptiuum existentiæ, sed suppositum; implicat igitur, quod suppositum sit idem cum existentia. Respondeo negando vtramque consequentiam, admissa enim distinctione inter essentiam, & existentiam, sine vlla ratione negatur essentiam esse immediatè susceptiuam suæ existentiæ cum constet compositum Metaphysicum ex essentia, & existentia resultare. Nec auctoritas D. T. huic sententiæ contraria est. Ideo enim ab eo dicitur, quod natura non est habens esse, sed suppositum; quia natura significata in abstracto præscindit ab existentia, & ideo non significatur, vt habens esse, sed vt principium, & radix illius. At verò suppositum importat compositum ex esse, & essentia, & ideò ipsi propriè tribuitur habere vtrumque, quia se habet, vt totum respectu partium suarum. Ex his autem non sequitur suppositalitatē ipsam non esse formaliter existentiam substantialem, vt de se patet.

Obijcies tertio ex Suarez *disput. 34. metaph. sect. 4. num. 13.* suppositum non minus abstrahit ab actuali existentia, quam natura. ergo non magis potest per existentiam constitui, quam ipsa natura. Consequentia patet. Antecedens probatur, aut enim est sermo de supposito, quod sit ens actu, aut, quod sit ens in potentia. Priori modo verum quidem est constitui per existentiam actualem tali rei proportionatam, sed non inde deducitur esse formaliter idem cum existentia, vt patet in cæteris rebus creatis: Deduceretur autem, si posteriori modo per eam constitueretur. sed hoc modo acceptum non constitui per existētiam probatur, quia Antichrystus modo est quoddam suppositum in esse possibili, & tamen caret existentia. ergo licet subsistentia dicat ordinem ad existentiam differt tamen formaliter ab illa. 127

Respondeo negando antecedens ad cuius probationem dico, si rigorosè loqui velimus, malè fieri diuisionem illā, quod, vel est sermo de supposito, quod sit ens actu, vel sit quod ens in potentia, cum enim suppositalitas per nos sit ipsa existentia substantialis naturæ, non potest sumi suppositum nisi, vt ens actu. Dixi (si rigorosè loqui velimus) nam minus rigorosè, sicut existentia ipsa potest sumi, & exercite, & signate ex nostro modo imperfectè concipiendi; & signate accepta, licet non concipiatur esse actu, vt quo, exercite: nemo tamen dixit non consistere in hoc eius formalissimam rationem: ita, & loquendo de supposito. Nihil enim aliud venit nomine suppositi in potentia nisi natura substantialis possibilis: & cum suppositalitas ipsa sit existentia naturæ, suppositi appellatio sine vllo addito naturam substantialem actu existentem significat. Ad rationem in contrarium de Antichrysto aio, quod quando dicitur eum esse nunc quoddam suppositum in esse possibili, potest facere duplicem sensum, vnus est, quod nunc possibiliter sit suppositum, alter quod nunc quamuis possibiliter existat, tamen actu sit suppositum. Primus sensus, est verus, sed non fauet aduersario. Secundus falsus idem enim significat, ac quamuis nunc non existat, nihilominus eum existere, quod implicat manifestè. 128

Instabis cum eodem *ibidem*, dicere, quod suppositum non abstrahat á possibili, & existente, sed actualitatem existentiæ formaliter includat est contra communem sensum, & cōceptionem hominum. Quis enim dicat Antichristum non esse quandam personam futurā, & non dum existentem, aut supposita, quæ nunc sunt non fuisse possibilia ante quam fierent, & multa alia possibilia esse, quæ non fient. ergo suppositum ab actuali existentia præscindit. 129

Digitized by Google

130 Respondeo distinguendo antecedens, & quidem si loquamur de communi sensu rudium, concedo: sin autem de communi sensu sapientissimorum, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod vulgares homines omnia ea, quæ vident in homine acta existente, dicunt fuisse possibilia, non excludendo existentiam ipsam, quod quidem esse falsum patet ex eo, quia possibile dicitur, id quod existentiam habere potest, quod de ipsa existentia affirmari nequit; absque eo quod sequatur processus in infinitum. Quando igitur affirmamus Antichristum esse quandam personam futuram, non est sensus, quod in statu illo futuritionis iam sit actu persona, sed quod licet in illo statu sit sub negatione personalitatis: sit tamen cum illa infallibiliter coniungenda: & quando dicimus suppositа, quæ nunc sunt, fuisse possibilia, & multa alia possibilia nunquam fore, non est sensus, quod in statu possibilitatis sint cum suppositalitate exercite coniuncta; quemadmodum sunt coniuncta cum suis essentialibus prædicatis; sed quod habeant potentiâ, dum sunt in eo statu, vt coniungantur, quam potentiam nequeunt reducere ad actum, nisi relinquendo illum statum. Sic distincto, ac explicato antecedente, nego consequentiam.

131 Atque, hæc dicta sint loquendo in rigore de suppositalitate. Cæterum admittendo existentiam minus rigorosè posse concipi, vt actualem, & vt possibilem, dico eam iuxta vtrumque statum constituere suppositum, vel possibile, vel actuale. Neque hoc satis à Suario impugnatur *num.* 14. ex eo, quia inde sequeretur suppositum supra naturam existentem non addere aliquid. Dupliciter enim natura concipi potest existens. Primo inconfuso non discernendo eius existentiæ rationem, secundo distinctè concipiendo hanc rationem, pro vt naturam vltimo complet, & substantialiter terminat; quamuis autem suppositum supra naturam existentem per existentiam hoc secundo modo conceptam, nihil addat; addit tamen supra illam existentem per existentiam primo modo; & hoc sufficit ad distinguendam naturam existentem, à subsistente, atque suppositо. Quatenus subsistentiam magis expressam notionem existentiæ perfectissimæ, qualis est substantialis præse, fert. Ex quibus remanet solutum argumentum Ouiedi *controu. 6. punct. 3. num.* 2. vbi ex eo, quod subsistentia intelligitur aduenire naturæ iam productæ, infert eam distingui ab existentia.

132 Verû cõtra priorẽ respõsionẽ subinstabis: Antichristus sine personalitate non est Antichristus, sed natura quædam humana singularis. Atqui Antichristus *in* statu possibilitatis, est Antichristus, & de eo sicut de humana persona loquimur. ergo in eo statu habet personalitatem suâ. Respondeo distinguendo maiorem: Antichristus sine personalitate non est Antichristus, pro eo statu, pro quo caret personalitate, concedo, pro diuerso, nego maiorem; & sic distinguo minorem: Antichristus in statu possibilitatis, & sumptus prout est in eo statu, est Antichristus, nego: sumptus prout est in statu obiectiuo intellectus, concedo minorem, & nego consequentiam; ac dico, quod quamuis Antichristus possibilis sumptus, prout est in statu possibilitatis careat personalitate, atque adeo non sit Antichristus: at si sumatur prout nostro obijcitur *intellectui*, quando de illo nunc loquimur, iam habet personalitatem, quia cum ea nobis repræsentatur; & sic est Antichristus. Confirmatur hæc responsio exẽplo Diui Petri, & aliorum Sanctorum, quos in Litanijs inuocamus, vt pro nobis orent. Qui licet à parte rei non existant, quia tamen existût obiectiuè in intellectu nostro ideo propositiones, quas de illis formamus, non cẽsentur esse de subiecto non supponente.

Subinstabis iterum ex Mazziotta *tom. primo* 131
quæst 10. *num.* 154. Quæ formaliter identificãtur: ita se habent, vt vnum non possit concipi sine alio; sed potest concipi subsistentia sine existentia. ergo &c. Minor probatur: cum concipitur homo, verè concipitur concretum ex humanitate, & subsistentia; & nullo modo concipitur in hoc concreto existentia, quia non concipitur homo extra suas causas; & rectè, est enim vt sic vniuersale quoddam, atque adeo ab omni singularitate præscindens: quãto magis igitur ab existentia. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem distinguo secundam partem antecedentis, & nullo modo concipitur in hoc concreto existentia, signate, concedo: exercite, nego minorem. Dico enim, quod quando concipimus hominem, *licet* signanter non concipiamus eius existentiam; illam tamen concipimus in actu exercito, & exercitè quoque illum extra suas causas speculamur. Ad rationem verò in contrarium aio, quod quando dicimus homo est vniuersale, debet hoc intelligi in sensu accommodo, hoc est secundum eam rationem, *secundum quã non* supponit essentialiter indiuiduationem; sicuti est ratio existentiæ: quod euinco retorquẽdo sic ad hominem argumentum: non minus necessario subsistentia supponit naturam indiuiduam, quam existentia; sicut enim implicat quod vniuersale subsistat, ita, & quod existat, siquidem tum subsistens, tum existens singulare necessariò est. ergo quando concipio hominem, vel non concipio concretum ex natura, & subsistentia: vel concipio indiuiduum; sicuti igitur in sensu accommodo dicendum est hominẽ ab omni indiuiduatione præscindere, hoc est in actu signato, ratione naturæ ita, & præscindere ab existentia.

Obijcies quarto ex Suario *num.* 15. Ratio 134
existentiæ ex natura rei, distincta est á ratione subsistentiæ. ergo non sunt formaliter idẽ. Antecedens probatur. Ratio existentiæ est constituere id, cuius est existentia ens in actu; subsistentia verò habet constituere ens per se independens ab omni substantante. ergo existentia dicit modum sola ratione distinctum à natura; subsistentia verò modum ex natura rei distinctum ab illa; & sic sunt inuicem ex natura rei inter se distinctæ. Confirmatur ex

num.

Digitized by Google

num. 16. ratio existentiæ generatim sumpta est communis tam naturæ, quam personalitati; ergo non potest suppositum distingui à natura per existentiam. Antecedens probatur; quia tam suppositum, quàm natura includit existentiam sibi proportionatam, vel in actu, vel in potentia; ergo &c.

135 Respondeo: negando antecedens. Ad cuius probationem distinguo primam partem antecedentis: ratio existentiæ est constituere id, cuius est existentia, ens in actu: si accipiatur, vt existentia est in communi, concedo: considerata qua talis est in specie, hoc est vt substantialis, nego primam partem antecedentis, & consequentiam, quia in specie habet etiam constituere naturam per se independentem ab omni substantante. Ad confirmationem, nego antecedens, & ad eius probationem, dico suppositum esse formalissimè existentiam substantialem naturæ. Quemadmodum. ergo ipsa existentia ex nostro modo imperfectè cognoscendi concipi potest vt actualis, & vt possibilis, quod non obstat, quin ipsa sit vna formalissima ratio in vtroque statu concepta: ita etiam potest cõcipi suppositum, vt actuale, & vt possibile, absque, eo quod indè sequatur distingui formaliter ab existentia substantiali qua tali.

136 Obijcies quinto: in diuinis sunt tres personalitates, & vna existentia tribus personis communis; ergo subsistentiæ, & existentia distinguntur, & quidem in Deo propter summam eius simplicitatem virtualiter, in nobis verò ex natura rei.

137 Pro responsione suppono: in Deo præter tres subsistentias relatiuas, dari quartam absolutam tribus personis communem, vt docet Suarez *to. 1. in tertiam partem disput. 11. sect. 3.* Et alij: item suppono dari etiam in ipso Deo quatuor existentias vnam absolutam, & tres relatiuas, vt cum Suario, Arrubalo, & Zunica docet Martinus Perez *de Trinit. disput. 12. sect. 2.* Quod prius docuerat Ricardus *quarto de Trinit. cap. 16. & 17.* à Perez citatus, & præterea *cap. 22.* vbi sic. In diuina natura inuenire poterimus, si diligenter consideremus, & existentiam pluribus communem, & existentiam vni soli personæ conuenientem, & eo ipso incommunicabilem. Quibus positis, distinguo antecedens: tres in Deo sunt personalitates, & vna existentia absoluta, concedo, & vna existentia relatiua, nego antecedens, & consequentiam. imò retorqueo argumentum: In Deo existentia absoluta, & subsistentia absoluta sunt formalissimè idem: sicuti etiam tres personalitates relatiuæ sunt formalissimè idem cum tribus existentijs relatiuis, ergo non est, cur existentia, & subsistentia in creatis distingui debeant.

Obijcies sexto: in accidente existentia distinguitur ab inhærentia, vt patet in accidentibus Eucharisticis. ergo in substantia existentia distingui etiam debet à subsistentia. Consequentia patet; quod enim est inhærentia accidenti, hoc subsistentia est substantiæ. 138

Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam, & paritatem. Disparitas est: quia existentia substantiæ est existentia perfecta. ergo debet habere, vt sit sibi sufficiens, atque adeò vt naturam, cuius est existentia, vltimo perficiat, ac determinet; at verò existentia accidentis licet non sit imperfectissima, cuiusmodi est existentia modi, est tamen imperfecta, vtpotè accidentis. ergo importare debet dependentiam à subiecto, non quidem sibi identificatam, sicut illam importat existentia modi; sed distinctam ad hoc, vt sit media inter existentiam substantiæ, quæ est de se independens, & existentiam modi, quæ est de se dependens. 139

Responderi etiam posset secundo inhærentiam dupliciter posse sumi. primo pro existentia ipsa accidentis indigente dependentia à subiecto: secundo pro ipsa dependentia. Porrò paritas est inter subsistentiam, & inhærentiam primo modo sumptam. In quo sensu negari debet antecedens, ac dici: existentiam accidentis essentialiter exigere dependentiam á subiecto: & ideo quando miraculosè existit accidens in Eucharistia, habere diuersam existentiam ab ea, quam habebat, quando naturaliter existebat. Verum probabilior est prima responsio, ideoque tenenda. 140

Obijcies septimo: si subsistentia esset eadem cum existentia: sequeretur, quod sicuti humanitas Christi non subsistit per subsistentiam creatam, sed per increatam: ita etiam non per creatam existentiam; sed per increatam Verbi existeret; sed hoc est falsum. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem. Pro qua rè melius intelligenda, sit. 141

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SECVNDA

DE EXISTENTIA HVMANITATIS CHRISTI DOMINI.

1 VIdeo nonnullos ex doctissimis recentioribus, qui cum hanc controuersiam pro dignitate tractare potuissent, ab ea paucissimis Verbis se expediere dicentes: se in Philosophia docuisse existentiam identificari cum essentia, atque adeò indubitatum esse apud se, quod sicuti duplicem essentiam in Christo Impermixtam agnoscunt: ita, & duplicem existentiam; & humanam, quidem reddere existentem humanitatem: Diuinam verò deitatem. Verum quemadmodum in Physicis quæstio de materiæ existentia ex hypothesi, quod essentia distinguatur plusquam ratione ab existentia agitatur: *ita* debuisset ab illis hæc quoque, quæ grauissima est in Theologia, institui, & non relinquere eam penitus intactam. Sed quidquid sit de hoc, nobis, occasione arrepta ex obiectione vltima, hanc controuersiam instituere placuit.

SECTIO PRIMA.

Num humanitas Christi existat per increatam existentiam Verbi.

2 SCotistæ, quos multi ex nostris Theologis sequuntur, docent eam existere per propriam, atque adeò per creatam existentiam, contra verò Thomistæ per increatam. Cum his posterioribus est nostra conclusio: putamus enim, quod sicuti humanitas Christi Domini subsistit per subsistentiam Verbi: ita, & per eiusdem Verbi existentiam, & non per propriam existat.

3 Probatur euidenter ex nostris principiis: subsistentia est eadem formaliter cum existentia substantiali. ergo si natura humana Christi Domini subsistit per subsistentiam Verbi, impossibile est, quin per eiusdem Verbi existentiam existat. Consequentia patet: quia quoties duæ formæ sunt idem formaliter, toties effectus formales earum primarij, sint etiam idem, necesse est. ergo hoc ipso, quod subsistentia, & existentia sunt formaliter idem: si humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi, etiam per Verbi existentiam existat necesse est, & sic non existet per propriam, alioquin duplex personar humana nimirum, & diuina in Christo essent, quod est hæreticum affirmare. Atque hæc sufficerent pro præsenti instituto. Placet tamen eandem conclusionem vlterius Theologicè stabilire.

4 Probatur: ergo secundo auctoritate Augustini *lib. de fide* ad Petrum *cap.* 18. Et Damasceni *cap.* 3. 11. & 12. Nec non etiam omnium illorum Patrum, qui agentes contra hæresim Nestorij, & Pauli Samosateni, volentium humanitatem Christi prius tempore extitisse in se ipsa, quam assumptam fuisse à Verbo, absolutè negarunt humanitati prioritatem in existendo, docueruntque eam simul, ac creata fuit, hypostaticè Verbo Diuino vnitam fuisse; sed si existeret per propriam existentiam saltem prius natura in primo Incarnationis instanti debuisset existere, tum quia prius intelliguntur in humanitate, quæ sunt propria, quam quæ sunt aliena: tum etiam quia inter cæteras actualitates, quæ intelliguntur *aduenire essentiæ* prima est illa, cuius beneficio *de statu possibilitatis* transit ad statum *actualitatis*. *ergo sententia* docens humanitatem *Christi* existere per propriam existentiam, & non per existentiã Verbi est minus conformis auctoritati Patrum.

5 Respondent aliqui, Patres solum contendisse contra Hæreticos: humanitatem Christi non fuisse prius tempore productam, quam assumptam, eo quod de Catholica doctrina disceptabant, & nullus Hæreticus de prioritate naturæ contendebat; sed solum de prioritate temporis, & sic Patrum Testimonia non videri fauere nostræ sententiæ.

6 Sed contra est primo: quia non est nouum Patres ad radicitus aliquam hæresim extirpandam plus assumere, quam ad illam falsitatis redarguendam necesse sit. Contra secundo, quia cum dicti Patres negent absolutè humanitatem prius habuisse existentiam, quam vnionem ad Verbum: certum est nos negando illi propriam existentiam, atque adeo excludendo ab ea non solum temporis, sed etiam [illegible] conformari, & ab Hæreticorum [illegible], qui eam priori-

prioritatem ad præferendam sibi vnionem illi concedebant; & constet ad meritum prioritatem naturæ respectu præmij sufficientem esse. Contra denique tertiò, quia dicta aliquorum Patrum traditam expositionem recipere nequeunt, quin manifestè sibi violentiam inferri reclamare censeantur. ergo &c. Antecedens suadetur ex S. Leone *Epistola* 111. *decretali* vbi sic: Natura quippè nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur; sed vt ipsa assumptione crearetur. Item ex Fulgentio *lib. de Incarnatione, & gratia cap.* 3. vbi ait: ipsa quippè acceptio Carnis, hoc est assumptio, fuit Conceptio Virginis. ergo dicendum est Patres existimasse humanitatem per eandem ipsam actionem assumptionem habuisse existentiam; quod falsum esset si per existentiam Verbi non fuisset posita extra causas; sed per propriam cum aliqua prioritate naturæ.

7 Dices, his testimonijs solum suaderi eadem actione, simul natura, productam fuisse humanitatem, & vnitam cum Verbo licet terminus productionis, & terminus vnionis distincti inter se realiter fuissent; ad eum planè modum quo eadem actione simul natura producuntur accidentia, & vniuntur subiecto. Sed contra est, quia non potest intelligi quo modo natura humana per eandem actionem sit producta, & vnita Verbo, nisi dicatur, quod producta fuerit sub existentia Verbi. Omnes enim, qui fatentur essentiam esse pluſquam ratione distinctã ab existentia, nulla alia ratione rerum productiones fieri posse defendunt, nisi per hoc, quod eadem indiuisibilis actio sit productiua existentiæ, & simul vnitiua illius cum natura. Quod si actio productiua accidentis habet etiam illud vnire subiecto, absque eo, quod existentiam subiecti illi communicet, est quia accidentis esse est in esse, sicuti etiam formæ substantialis corruptibilis. Quod, dici nequit de humana natura, quare hæc explicatio si quid solidi habet, ostendit potius naturam humanam in Christo existere per existentiam Verbi, quam per propriam. Confirmatur, quia hæc explicatio non potest adaptari verbis Rustici Diaconi citatis à Vuadigno *de Incarn. disput. 4. dub. 3. §. 3.* qui disputans cum Acephalo dicit: Verbum esse causam cur sit humanitas. Quod cum intelligi debeat de causa formali detractis imperfectionibus, nam loquendo de efficiente etiam Pater, & Spiritus Sanctus sunt huiusmodi: rectè deducitur humanitatem per Verbi existentiam existere, nam causa formalis cur aliquid sit, non potest esse nisi existentia. ergo &c.

8 Probatur tertio specialiter: ex Epistola Sophronij Episcopi Hyerosolemitani, quæ recitata fuit *in sexta Synodo act.* 11. *& act.* 14. Atque ab omnibus Patribus approbata, sicuti, & à Patribus Concilij Calcedonensis, vbi sic habetur: Incarnatur; ergo Verbum Deus, quod nostrum est non præfactæ carni copulatus præformatore, atque in se se præsubsistenti (græce præexistenti) aliquando corpori conlimitus, vel animæ præexistenti coniunctus. Sed tunc his ad subsistendum (græce ad existendum) venientibus, quando eis ipsum Verbum, & Deus naturaliter copulatus est, contemporalem habens vnitionem, atque subsistentiam (græce existentiam), & non ante verissimum ipsius Verbi conuentum in se ipsis vnquam extiterunt, sed cum Verbi ipsius naturali conuentu subsistentiam (græce existentiam) habitura concurrerunt; & nec quantum in ictu oculi hanc, quam illam priorem habentia, sicut Paulus Samosatenus perstrepit, atque Nestorius. Simul quippè Caro; simul Dei Verbi Caro, simul Caro animata rationalis, simul Dei Verbi Caro animata rationalis. In illo itaque, & non in semet ipso habuit existentiam vnam. Tum sic: licet intentio Sophronij principalis fuerit errorem Nestorij de prioritate temporis confutare, tamen quod voluerit etiam negare humanitati Christi præxistentiam in priori naturæ ad assumptionem: Constat primo ex illis verbis, (cum Verbi ipsius naturali conuentu existentiam habitura concurrerunt) partes enim humanitatis non potuerunt in prioritate temporis concurrere cum naturali coniunctione Verbi ad habendam existentiam, vt de se patet. ergo beneficio productionis concurrerunt in prioritate naturæ, & sic in termino ad quem concursus, & non in termino à quo intelliguntur existere. ergo &c.

Constat secundo ex illis alijs verbis (in illo itaque, hoc est in Verbo, & non in semet ipsa habuit existentiã vnam) Vbi obseruo Primo ly (& non in semet ipsa) quæ particulæ in textu græco, si Verbum Verbo reddas, inquit Vasquez *loco citato num.* 22. Valent (& non per se ipsam habuit existentiã. Tum sic: Particula) per, vt millies obseruat D. T. significat causalitatem. ergo Sophronius negat quod natura humana causauerit in se materialiter existentiam, & sic vult, quod extiterit per existentiam Verbi. 9

Obseruo secundo in textu Greco non haberi (in illo itaque) sed (in illo enim) atque adeò hæc verba non continere illationem, vt putat Raguſa, sed rationem à priori cur simul extiterit caro, & caro Verbi, quia nimirum caro non habuit per se ipsam existentiam; sed extitit per existentiam increatam Verbi. 10

Obseruo tertio ly (existentiam vnam) quæ particula non importat subsistentiam, vt benè notat Raguſa *disput.* 127. Sophronius enim quando vult significare specialiter subsistentiã, ponit hypostasim. Ex quo patet in toto cõtextu Sophronium loqui de existentia. Non potest autem assignari in quem alium finem dicatur ab eo humanitas vnam existentiam non per semet ipsam habere, sed in Verbo: nisi ad significandum, quod non existat per propriam existentiam, sed per existentiam Verbi, quam constat in Christo reperiri. Neque enim valet dicere in textu græco non esse ly vnam, nam in codice vaticano, qui fidelissimus est, reperitur, quam particulam posuit Sophronius vt notaret, quod sicuti si esset in Christo persona creata, eius humanitas duplici personalitate subsisteret: ita si esset duplex existentia, existeret duplici existẽtia, quando quidem eadem est ratio de vtraque, vti vidimus. 11

Proba-

12 Probatur tertio auctoritate D. T. hic *num. 3. parte quæst. 17. art. secundo & quodlib. 9. art. tertio, & in tertio dist. 6. quæst. secunda art. secundo & in secundo scripto ibid. art. secundo* Quærens vtrum in Christo sit vnum tantum esse, respondet vbique affirmatiuè, docendo esse in illo vnū tantum esse increatum: ergo vnicam tantum existentiam agnoscit in Christo, atque adeò putat eius humanitatem existere per existentiam Verbi. Omnia patent præter consequentiam, quæ euincitur dupliciter, primo auctoritate omnium Thomistarū, vnum Paludanū si excipias, qui licet contrariam sententiam sequatur, hanc tamen defendit esse probabilem, vt mirum sit Thomistas, qui in cæteris D. T. placidis defendendis de mente D. T. inter se discrepare solēt: in hoc vno omnes vnānimi consensu conuenire, volentes ex quatuor *locis citatis* manifestè deduci vnam existentiam in Christo esse, atque adeò eius humanitatem per existentiam Verbi existere. Euincitur secundo eadem consequentia ex verbis eiusdem D. Thom. quæ habentur *in secundo scripto lib. tertio dist. 6. quæst. vnica art. secundo in secunda parte corporis* vbi post quam distinxit triplex esse: rationis, essentiæ, & existentiæ: subdit primo modo non loquimur hic de esse (dum scilicet quærimus num in Christo sit vnum esse) Secundo modo est in Christo duplex esse, ideſt duplex essentia; & sic non vnitur humanitas in esse diuino, quia sic vniretur Patri. Tertio modo est ibi vnum esse. Et paulo post: nec valet: vnum est esse hominis, & Patris. ergo hic homo est vnitus Deo Patri, quia hæc vnio facta est in esse diuino, pro vt est in persona Filij, siuè sub proprietate filiationis, sub qua non est in Patre. Præterea *quodlibeto citato sic*: esse dicitur, vt patet per Philosophum vno modo, secundum quod est copula verbalis significans compositionem cuiuslibet enunciationis, quam anima facit. Vndè hoc esse non est aliquid in rerum natura; sed in actu animæ componentis, & diuidentis, & sic esse attribuitur omni ei, de quo potest proposito formari, siuè sit ens, siuè priuatio. Dicimus enim cæcitatem esse. Alio modo esse dicitur actus entis in quantum est ens, & quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura, & sic esse non attribuitur nisi rebus, quæ in decem generibus continentur; vndè ens à tali esse dictum per decem genera diuiditur; & in fine de hoc esse concludit, quod in Christo est vnum esse substantiale, & multiplex esse accidentale. Tum sic: esse, quod est actus entis in quantum ens est, & quo aliquid denominatur actu esse in rerum natura, est existentia; nullo enim alio modo hæc definiri potest. Sed in Christo per D. T. est vnum esse tantum. ergo, & vna existentia.

13 Ad hoc argumentum respondent primo aliqui D. T. *loci citatis* non agere de esse naturæ, sed de esse personæ intransitiuè, quia verò in Christo est vnica personalitas, rectè vnum tantum esse in illo cognouit. Assumptum probant auctoritate eiusdem S. D. qui dictum esse vnicum, quod agnoscit in Christo, vbique appellat esse personale, seù pertinens ad personam. Sed contra est primo, quia D. T. vbique duplicem de his instituit quæstionem, in quarum altera quæsit vtrum in Christo sint plures hypostases: in altera verò vtrum in Christo sit vnum tantum esse, vt patet ex *quodlib. citato*. ergo nō intelligit de esse personali. Contra secundo, quia rationes, quibus probat vnum, differunt ab illis, quibus probat alterum, imò ex primo probat secundum, nimirum ex eo, quod sit in Christo vna persona infert, quod in eo sit vnū esse tantum. Contra tertiō, quia vt benè notat P. Vasquez *num. 32.* si D. T. ageret de esse personali, deberet in Trinitate tria esse concedere: sicut, & tres personas, quando quærebat vtrum in Christo sit vnum tantum esse, sed ipse vnum tantum esse in Trinitate agnoscit *quæst. 17. art. 4. Ad tertium* in sensu inquo dicemus, ergo &c. Contra quartō, quia de illo esse loquitur D. T. in quando asserit vnicum in Christo reperiri, quod est actus entis in quantum ens, & quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura, & quod attribuitur rebus quæ in decem prædicamenta diuiduntur, vt vidimus ex *quodlib. citato*. Sed huiusmodi esse non est esse personale intransitiuè, quia hoc est ipsa met personalitas, sed est esse existentiale, per quod res ponuntur à parte rei, quod est ipsa earum existentia. ergo &c. Ad auctoritatem D. T. adductam dico, quod ideò ille appellat hoc esse personale, seù pertinens ad personam, quia communicatum est humanitati, non prout est esse naturæ diuinæ: sic enim etiam Pater, & Spiritus Sanctus incarnati fuissent, sed prout est personæ Filij Dei, seù ad summum, quatenus consideratur sub proprietate filiationis, vti dicemus. Atque ex his remanent soluta argumenta congesta a Patre Hurtado *disput. 73. sect. 2.* Quibus probat in via D. T. esse completarum substantiarum accipi pro esse subsistentiæ potius, quam pro esse existentiæ. Procedunt enim omnia ex falso principio, quod nimirum D. T. putauerit existentiam substantialem ab *eius subsistentia* esse distinctam, quod tamen *falsum est*.

Remanet etiam *impugnata explicatio, quam* 14
dat Arriaga *to. de Incarnatione disput. 62. a num.* 22. vbi ait clarissimè apparere D. T. *loco citato* agere de illo esse, quo vulgariter aliquod totum dicitur vnum esse, vti homo dicitur vnum quid, vna res &c. Etiam si propriè in homine sint res multæ: anima, scilicet, corpus, vnio; in ipso autem corpore sint etiam multa, caput, brachia, pedes &c. Vndè *num.* 24. Concludit quod nomine esse non debet intelligi existentia; sed vnitas personæ, quam duæ naturæ in Christo constituunt. Falsitas enim huius expositionis apparet primo, quia si vulgarem loquendi modum in hoc D. T. sequutus esset: debuisset etiam dicere accidentia, quæ sunt in Christo ingredi inconstitutionem huius vnius esse, quia vulgariter Petrum V. G. vnum esse, ac rem vnam, etiam si multa accidentia contineat, appellare consueuimus, quod tamen falsum esse patet tum ex dictis, tum ex dicendis.

Apparet etiam secundo dicta falsitas, quia 15
ideò homo dicitur vnum quid, vna res &c. Etiam si in eo multæ res reperiantur: anima scilicet, corpus, & in corpore caput, manus &c.

Quia

Digitized by Google

Quia omnia hæc habent intrinsecè rationem partis, & in solo homine ratio naturæ totalis reperitur. At natura humana, & diuina sunt duæ naturæ completæ, neque cœunt in Christo ad vnam totalem naturam constituendam: Sed ad vnam personam in duabus naturis totalibus subsistentem, & sic iam loqueretur S. D. de vnico esse personali in Christo, quam explicationem nos modo abundè impugnauimus.

16 Respondent alij secundo cum Vasquez *num.* 31. D. T. *locis citatis* agere quidem de esse existentiæ, non tamen quomodocumque, quia hoc est duplex in Christo, sed de esse existentiæ simpliciter, & absolutè, quod cum in Christo sit vnum: sequitur, quod absolutè dixerit D. T. vnum esse in Christo reperiri. Sed contra hoc facit, quia si vtraque natura habet in Christo suam propriam existentiam, cum vtraque ponatur existere simpliciter, & perfecto modo: euidenter decucitur, quod in Christo detur duplex esse existentiæ simpliciter, & perfecto modo sumptum.

17 Ad hanc instantiam videtur Vasquez *num.* 32. negare vtramque naturam habere in Christo duo esse absolutè, & simpliciter, eo quod, inquit, licet duplicem habeant existentiam: conueniunt tamen ad componendum vnum esse simpliciter totius: & quia humana natura in Christo accedit Verbo, vt cum eo componat vnum esse personæ: ideo non dicitur habere esse simpliciter. Sed contra, quia quando dicitur, quod ideò duæ naturæ non faciunt duo esse absolutè, & simpliciter, quia conueniunt ad componendum vnum: hoc vel intelligitur esse vnum in ratione naturæ, vel in ratione personæ: si primum falsum est: si secundum iam igitur D. T. loquitur de esse personali, quod Vasquez non concedit, ergo &c. Præterea si ex eo natura humana non diceretur esse simpliciter, quia accedit Verbo, vt cum eo componat vnum esse personæ; Neque ipsum Verbum haberet esse simpliciter, quia etiam ipsum accessit Humanitati, vt cum illa componeret vnum esse personæ; & propter eandem rationem neque natura diuina; & quia Christus non est vnum quid in alia ratione, quam in ratione personæ: manifestè deducitur contra Vasquez, quod si esse, quod ipse appellat absolutè, & simpliciter non est esse personale, non habetur vnum tantùm in Christo.

18 Respondent denique alij tertio: esse, absolutè prolatum significare existentiam perfectam in eo genere, in quo est esse. Quoniam verò existentia perfecta in genere substantiæ importat esse per se indepèdèter ab alieno supposito, Humanitas autem in Christo Domino in Diuina personalitate subsistit: hinc fieri vt vnum tantùm esse absolutè loquendo sit in Christo: nempè diuinæ naturæ, quæ propria personalitate terminatur. Sed contra hanc responsionem facit primo, quia si esse absolutè prolatum importaret existentiam perfectam in eo genere, in quo esse, sequeretur, quod tot darentur esse absolutè in Christo, quot haberentur in illo accidentia: quia hæc perfecto modo existunt in Christo in suo genere nempè inhæsiuè, sed hoc est contra D. T. *locis citatis* vnum tantum esse cognoscentem in Christo. ergo &c. Contra secundo: si natura humana in Christo per D. T. non diceretur secundùm se esse simpliciter, diceretur esse secundum quid, sed ex hoc sequeretur, quòd in Christo non haberet esse substantiale, sed accidentale, quod repugnat fidei. ergo &c. Probo maiorem ex verbis D. T. *quæst.* 17. *citata art.* 2. *corp.* est autem, inquiens, considerandum, quod si est aliqua forma, vel natura, quæ non pertinet ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur illius personæ simpliciter, sed secundum quid, sicut esse album est esse Sortis nō in quantum est Sortes, sed in quantum est albus; & huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in vna hypostasi; aliud enim est esse, quo Sortes est albus, & quo Sortes est musicus. Neq; dicas naturā humanam in Christo non posse dici esse secundū quid, quia eius esse trahitur ad esse personale Verbi, quomodo non trahitur esse albedinis in Sorte: nè id dicas inquā, quia natura humana in Christo etiā considerata prout substentatur à Verbo, vel est simpliciter, vel est secūdum quid. Non enim datur medium per D. T. inter hæc duo; sed non est simpliciter iuxta tuam explicationem, quia non existit in proprio supposito, sed in alieno. ergo est secundum quid; quod cum sit proprium accidentium: sequitur eā accidentaliter competere Verbo; quo quid absurdius.

SECTIO SECVNDA.

Respondetur obiectis ex Sacris conciliis, Damasceno, & Aristotele adductis.

19 OBijcies primo: Agatho *to.* 3. *Concil. in sexta Synodo Generali act.* 4. loquendo de Christo, hæc habet: Vnam quamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur; & habere diuinam omnia, quæ diuina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt, absque vllo peccato (& paulo post) nec tanquam separatas in duabus personis, vel subsistentijs. ergo omnes proprietates vtriusque naturæ sunt in Christo duplicatæ, præter subsistentiam: sed existentia creata est proprietas humanæ naturæ. ergo hæc in Christo non existit per existentiam increatam: ita ferè Hurtadus *de Incarnatione disput.* 34. *s.* 87.

20 Respondeo: admissa auctoritate Agathonis, & prima consequentia ad subsumptum dico; existentiam non esse proprietatem humanæ naturæ, sed esse aliquid, quod extrinsecus illi aduenit ex libera Dei, vt de se patet voluntate, quod si quis contendat oppositum: addo, quod cum in mea sententia sit formaliter eadem cum personalitate: iam venit exclusa à Pontifice, & á Generali Concilio: sicuti, & personalitas creata.

21 Obijcies secundo ex eodem Hurtado *ibid.* §. 94. *Concilium Tolentanum* 11. in confessione fidei agens de eo, ad quod facta est vnio hypostatica, hæc habet: In id, quod est proprium Filio, non, quod commune Trinitati. sed existentia non est

Digitized by Google

propria Verbi; sed toti Trinitati communis. ergo vnio hypostatica non est facta ad existentiã sed ad solam Verbi personalitatem.

22 Respondent communiter Thomistæ, admissa auctoritate Concilij: distinguendo minorem, existentia absolutè considerata non est propria Verbi, concedunt: vt modificata per Filiationem negant; & eodem modo distinguunt consequens; Vnio non est facta ad existentiam formaliter, & absolutè consideratam, concedunt. Non est facta ad existentiam, prout est in Filio, negant consequentiam. Porrò hanc responsionem dupliciter impugnat Hurtadus §. & 99. 100. Primo, quia sic posset etiam dici vnionem factam esse in natura, prout est in Filio, & sic ex duplici natura vnam tertiam resultare. Secundo, quia existentia licet prout in Filio habeat aliqua prædicata propria filio: at sub conceptu existendi vt sic, non magis connotat Filium, quam omnipotentia sapientia &c. Ergo vnio facta esset ad existentiam non solum materialiter communè; sed etiam formaliter, & sic omnes tres Personæ deberent dici incarnatæ. Sed neutra impugnatio solida est: ad priorem enim neganda est sequela. Disparitas est, quia vtraque natura in ratione naturæ supponitur completa: at natura humana sicuti in ratione subsistentis: ita, & in ratione existentis supponitur incompleta. Vndè non est mirum si non possit dici vnio facta in natura; possit verò dici facta in Persona, & in existentia. Ad posteriorem verò negarem consequentiam. Ratio esset, quia vnio non est facta ad existentiam vt sic, sed ad existentiam vt pertinentem ad oppositionem relatiuam; hoc autem dici nequit de alijs attributis, quia de ratione Filiationis, hoc ipso, quod producitur est existentia, non autem Omnipotentia, Sapientia, & alia absoluta, vt de se patet.

23 Atque hæc, posito, quod non detur in diuinis, nisi vnica existentia absoluta tribus Personis communis. Quoniam verò nos putamus præter absolutam dari etiam tres alias relatiuas realiter interse distinctas, & virtualiter ab absoluta. Respondemus facilius distinguendo alio modo minorem existentia absoluta non est propria Verbi, concedimus: existentia relatiua Filiationis, negamus minorem; & sic distinguimus consequens: vnio non est facta ad existentiam absolutam, sed ad solam Verbi personalitatem includentem relatiuam existentiam, concedimus: excludentem existentiam relatiuam, negamus consequentiam.

24 Contra hanc responsionem instabis: D. T. *qu. 2. de potentia art. 6. in corp.* hæc habet: non est concedendum, quod aliquid absolutum in diuinis, multiplicetur, sicuti quidam dicunt, quod in diuinis est duplex esse essentiale, & personale; Omne enim esse in diuinis essentiale est, nec Persona est, nisi per esse essentiæ, & *quæst. 8. de potent. art. 2. ad 11.* in diuinis nullo modo est esse, nisi essentiæ, & ideò vnum est esse, & propter hoc nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in diuinis, & aliud essentiæ. ergo sententia de triplici existentia relatiua in diuinis est contra D. T.

25 Respondeo 8. Doctorem negare, quod in diuinis multiplicetur esse absolutum, quod etiã nos negamus, & quando dicimus, quod in diuinis est duplex esse essentiale, & personale nolumus esse personale esse absolutum, vt dicebant ij, quos suppresso nominè arguit, dum ait non est credendum, quod aliquid absolutum in diuinis multiplicetur, sicuti quidam dicunt; Quare dum addit omne esse, in diuinis essentiale esse, nec personam esse nisi per esse essentiæ, loquitur de esse absoluto; quod est esse simpliciter, & sine addito; cum quo stat, quod loquendo de esse relatiuo, quod est esse cum addito, debeat concedi triplex in Deo. Siquidem quælibet personalitas; quatenus differt ab essentia iam est realis entitas actualis, & etiam si admittamus relationes diuinas esse modos essentiæ, quod multi negant; modus qui non est vltima actualitas debet admitti, quod existat per existentiã distinctã à rè, cuius est modus, alioquin esset pura potentia.

Objicies tertio: Diuus Damascenus *tertio de fide cap.* 11. Ex versione Fabri: Verbum inquit non sola cogitatione contemplatam naturam sumpsit, neque in specie consideratam; sed in individuo consideratam, & in eadem existente specie. ergo Verbum naturam humanam assumpsit cum existentia propria, non minus, quam cum propria individuatione. Respondeo sensũ verborum Damasceni esse, quod Verbum assumpsit naturam in individuo, & non sola cogitatione abstractam, quamuis existeret, seù esset eiusdem speciei cum natura abstracta. Patet hoc ex versione Billij, qui sic vertit (verum eam, quæ in individuo est eadem cum ea, quæ est in specie). Quare nego consequentiam. 26

Instabis: Humanitas etiam si accipiatur cum individuatione, sine existentia, *est quædam natura sola cognitione contemplata; atque adeò purus mentis conceptus: sed Verbum diuinum per Damascenum non assumpsit huiusmodi naturam. ergo &c. Respondeo transeat Maior,* quam puto falsam, quatenus res omnis in statu possibilitatis habet suum esse positum essentiæ independenter ab intellectu. Quidquid tamen sit de hac sententia in præsenti, distinguo minorem. Verbum diuinum non assumpsit naturam sola cognitione contemplatam, quæ scilicet antecedenter ad assumptionem non esset talis, nego: quia iuxta hanc viam, Humanitas sub negatione existentiæ, omnibus pensatis, est nihil de præsenti, atque adeò purus mentis conceptus. Non assumpsit naturam; sola cognitione contemplatam, quæ videlicet in ipsa assumptione esset talis; concedo, quia tunc iam erat realiter existens, & quidem in se ipsa, quamuis non per se ipsam, sed per Verbum. Ad eum planè modum, quo paries, quando dealbatur est in se ipso albus, non tamen per se ipsũ; sed per albedinem. Quare nego consequentiam. 27

Objicies quarto: *ex eodem, tertio de fide cap. tertio* vbi sic habet ex Fabro, neque rè vera humana natura in deitatis naturam versa, neque substantia, existentiaque priuata. ergo non caruit propria existentia. Respondeo negando consequentiam. 28

Dama-

Digitized by Google

Damascenus enim illis verbis voluit Eutychetis errorem confutare, qui volebat naturam humanam per incarnationem fuisse conversam in divinam, atque adeò essentia, existentiaque privatam. Vnde dicit eam cum suis prædicatis quidditativis extitisse in Christo, non discernendo verum per propriam an per existentiam Verbi, quod melius explicat trãslatio Billij, qui sic vertit vltima verba (neque in nihilum redacta:)

29 Objicies quinto: idem Damascenus tertio *de fide cap.* 11. 12. & 22. docet naturam humanam habere existentiam in Verbo; si autem putasset eam carere propria existentia, dicere debuisset per Verbum, & non in Verbo. ergo &c. Respondeo negando minorem: per existentiam enim in Verbo significat Damascenus esse in supposito Verbi, & non in proprio, vt ex Budeo ostendit Vasquez *num.* 6. Quod verificatur de natura humana Christi, siue existat existentia propria, siue aliena.

30 Objicies sexto: ex Aristotele *secundo de anima cap. quarto text* 27. Viuere viuentibus, est esse; sed in Christo est duplex viuere, & duplex vita, *diuina* scilicet, & *humana*. ergo, & duplex esse, seu existere: ita fere Vasquez *in tertiam partem disp.* 71. *cap.* 2.

31 Respondeo Aristotelem, vel loqui de viuere in actu primo, & sic non posse illud identificare omnino cum esse existentiæ, sed cum esse essentiæ, vt patet ex Antichristo, de quo nunc verificatur, quod sit viuens, non tamen quod sit existens: vel loqui de viuere in actu secundo, & sic exponendus est, quod agat de esse existentiæ. Non quidem in sensu, quem tamen Vasquez *loco citato num. septimo*, quod scilicet vita idem sit, quod existentia, & viuere idem, quod esse, seu existere. Hoc enim est apertè falsum, quia viuere in actu secundo, est operatio vitalis, quæ efficienter causatur ab anima, cuius dicitur esse vita, atque adeò præsupponit in illo existentiam: verum in hoc alio, quod, scilicet, in ordine materiali, & quo ad effectum idem sit viuentibus operari vitaliter, ac existere, quia statim ac ab omni operatione vitali desistunt, corrumpuntur. Quod si quis contendat Aristotelem loqui de vita in actu primo, & de esse in actu secundo, quod sit existere, potest illud explicare causaliter, quatenus anima, quæ est vita in actu primo, fere concomitanter viuentibus existentiam per hoc, quod terminat actionem generationis dat, & quidem existentiam propriam, & naturaliter procedat generatio, per quæ patet falsitas consequentiæ.

32 Objicies primo: D. T. *quæst. de unione Verbi quarto* docet in Christo præter suum esse subsistens, & principale æternum, dari aliud esse secundarium, & temporale: Et *depra-*

SECTIO TERTIA.

Explicatur quidam locus D. T. quo videtur docere humanitatem Christi non habere existentiam propriam.

R. P. Ios. Polizzy Philosoph. tom. 3.

nam ait esse naturæ humanæ in Christo non esse diuinæ. ergo S. T. existimat naturam humanam in Christo *habere* propriam existentiam. Respondeo primo cum Caietano infra *quæst.* 17. *art.* 2. & alijs, auctorem huius quæstionis, quæ est inter disputatas non esse D. T. non solum quia eius procedendi modus est longè diuersus ab eo, quo ipse vtitur; sed etiam quia vt benè notat Cabrera *quæst.* 17. *art.* 2. citato: multa in eà continentur indigna eius sapientia, atque doctrina. Respondeo secundo, dato, & non concesso, quod in D. T. ibi agi de esse essentiæ prædicentis verba ostendit, quibus de illo esse profitetur se loqui per quod diuinum suppositum substantificatur; hoc est habet rationem substantiæ.

Objicies secundo: idem S. D. *tertia parte qu.* 33
4. *art.* 2. volens probare Filium Dei non assumpsisse personam, hoc vtitur argumento in corp. Respondeo, quod assumitur oportet præintelligi assumptioni; sed persona non potuit præintelligi assumptioni; sed potius, est eius terminus. ergo persona non fuit assumpta à Verbo. Maiorem probat à pari, sicuti, inquit, quod mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui. Minorem verò sic euincit: si persona præintelligeretur: vel oporteret quod corrumperetur, & sic frustra esset assumpta, vel, quod remaneret post vnionem, & sic essent duæ personæ vna assumens, & alia assumpta. Quod est erroneum. Tum sic: sensus maioris D. T. est, quod id, quod assumitur debet præintelligi secundum suum esse existentiæ ad assumptionem, alioquin argumentum non haberet vim. ergo cum natura humana assumitur à Verbo, oportet, vt præintelligatur secundum suum esse existentiæ ad assumptionem, & sic in Christo existat per propriam existentiam. Antecedens probatur tum exemplo mobilis, quod secundum esse existentiæ præintelligitur moueri: tum ex corruptione personæ, qua infert, si non remanet post vnionem. Corruptio enim importat deperditionem existentiæ.

Respondeo admisso ratiocinio D. T. ad ar- 34
gumentum, nego antecedens, dico enim sensum maioris esse, quod id, quod assumitur, debet intelligi secundum aliquod esse, siue sit essentiæ, siue existentiæ, prout necessarium est in priori naturæ præesse assumptioni. Ad eius probationem dico: quod mobile debet præintelligi motui secundum, quod est susceptiuum actus secundi, atque adeò secundum quod existit. Persona verò creata includit intrinsecè existentiam; atque adeò si præintelligitur ad assumptionem, & non remanet post vnionem, rectè infertur à D. T. quod corrumpatur. At natura humana ex vna parte debet præintelligi assumptioni, prout susceptiua actus primi, hoc est existentiæ. Ex alia verò non includit intrinsecè existentiam, quia distinguitur ab illa tamquam res à modo. Vnde sufficit, vt præintelligatur secundum sua prædicata quidditativa, & essentialia. Ad quo ad illud de corruptione personæ præscindendo ab eo, quod personalitas sit idem cum existentiæ

Digitized by Google

naturæ dici etiam posse, quod instantum deberet sequi si non remaneret post assumptionem: in quantum omne, quod præintelligitur assumptioni substantiali, vel præintelligitur ad acquirendum esse, vel ad illud deperdendum. Sed personalitas creata non præintelligeretur ad acquirendum esse: quia in termino, ad quem assumptionis ponitur carere esse, ergo præintelligitur ad deperdendum illud.

35 Objicies tertio: idem D. T. *prima parte quæst. 50. art. 5. corp.* docet, esse non posse separati à forma, sicut nec rotunditatem à circulo. ergo nequit natura humana existere in Christo hac propria existentia. Respondeo cum *Caiet. ad citatum* Scoti in hoc textu agere D. T. de potentia causarum naturalium, non autem de potentia absoluta Dei: quod si dicas rotunditatem nè de potentia quidem absoluta esse separabilem à circulo, Contra est, quia rotunditas est terminus, & figura quantitatis circularis, qui cum conveniat dictæ quantitati secundum se ipsam licet naturaliter separari non possit, potest tamen de potentia Dei; quod si contendas inadmissibilia terminativa, atque adeò figuram non esse modos ex natura rei à quibuscumque distinctos. Dic: comparationem non fieri in omnibus, sed valere quo ad inseparabilitatem ut sic.

36 P. Vasquez *num.* 28 Caietani responsioni impugnat sic: D. T. usus est hoc principio, quod esse non potest separari à forma, ut ostenderet, quod Angelus non esset corruptibilis. ergo si putaret, quod saltem de potentia Dei esse separari posset à forma, debuisset concedere de eadem potentia Angelum esse corruptibilem. Sed nego consequentiam, quia ut bene advertit D. T. *ad tertium*, non dicitur aliquid esse corruptibile per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem, sed per hoc, quod in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ. Undè videtur corruptibilitatem dici per ordinem ad principia intrinseca, non autem per ordinem ad Dei potentiam absolutam. Urget Vasquez: Divus Thomas *loco citato* ea sola ratione concedit posse Angelum à Deo in nihilum redigi, quia posset à Deo non conservari. Sed hoc esset falsum, si eius esse posset ab eo separari, quin hic posset per Dei potentiam, quam existentiam deperderet, ut acquireret aliam. Respondeo concessa majore, negando minorem: ratio est, quia illud dicitur proprie in nihilum redigi, quod deperdit esse simpliciter, hoc est: ita ut aliud immediatè post non acquirat ex vi illius actionis deperditivæ. Undè est, quod ignis materialis quando transit in ignem, amittat existentiam ignis, non tamen dicitur annihilari, quia ita unam amittit, ut ex vi ejusdem actionis acquirat aliam. Undè habes, ea sola ratione posse Angelum à Deo in nihilum redigi, quia posset à Deo non conservari (casu enim quo eam existentiam suam deperderet, ut ex vi illius actionis deperditivæ aliquam acquireret, hujusmodi actio non esset existimanda ipsum annichilatio.

Objicies quarto ex eodem: *Pr. parte quæst. 42. art. primo ad primum* habetur, quod esse est primus effectus formæ. ergo impossibile, est quod in Christo habeatur humanitas, & non habeatur eius existentia, seu esse. Respondeo negando consequentiam; nam D. T. cum ibi loquatur de primo effectu formæ, non potest intelligi de esse existentiali; sed de esse ut sic: ita ut non possit discerni de quo esse agatur, nisi determinetur forma. Undè sequitur, ut qualis est forma, tale sit esse, quod tamquam primus effectus causatur ab illa: si forma est albedo, V. G. esse albi est eius primus effectus: si existentia, esse in rerum natura. Malè igitur deducatur ex eo, quod in Christo sit humanitas, quod in eo debeat esse existentia creata; sed solum, quod debeat esse essentia hominis. Hanc explicationem esse ad mentem D. T. patet ex Verbis sequentibus *loc. cit.* sic enim habet: Primus effectus formæ est esse; nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio; nam omne agens agit per suam formam. 37

Objicies quinto: idem *hic qu. 17. art. 2.* habet, quod esse pertinet ad naturam, & hypostasim; ad hypostasim sicut ad id, quod habet esse: ad naturam autem sicut ad id, quo aliquid habet esse. ergo impossibile est, quod natura humana in Christo accipiat esse à persona Verbi. Respondeo D. T. per dicta verba non velle, quod natura sit ratio formalis existendi suppositi; inde enim sequeretur ipsum suppositum divinum existere per existentiam humanitatis creatam, quod non est sanè dictum. Sensus igitur eorum verborum est, quod existere prædicatur de supposito, quia subjectum propositionis hoc ipso, quod supponit materialiter, supponit pro ipso supposito: at verò natura est *prima ratio, & radix, cur suppositum existere valeat*: ex eo enim, quod natura humana suppositi V. G. *Petri in suis prædicatis* non implicatoriè, ut ipse Petrus posset terminare actionem productivam sui, & sic habere existentiam. Hac posita explicatione, nego consequentiam. 38

Objicies sexto: in prima dis. 37 qu. prima art. secundo Creatura, inquis, attingit ad Deum secundum esse non quidem prout esse est ipsius essentiæ, quia creatura non potest transire in naturam divinam, sed secundum quod esse est actus personæ, in cujus unionem creatura assumpta est. ergo existentia, quam recipit natura creata à Verbo non facit existere illa simpliciter, hoc est in ratione naturæ, sed secundum quid, idest in ratione personæ. Respondeo negando consequentiam: sensus enim verborum D. T. est, quod humanitas in Christo non recipit esse divinum per unionem, pro ut esse est constitutivum essentiæ divinæ. Nam sic unio facta esset in natura, sed prout esse est constitutivum personæ, seu prout pertinet ad personam Verbi, & hic est etiam sensus illius loci in tertio dicti, *pro ea ad sensum*. Quæris quum sit esse, potest tamen esse consideratum vel prout est essentiæ, & sic non unitur humanitas in esse divino. Undè non unitur Petro vel

Digitized by Google

tel potest considerari prout est personæ, & sic
vnitum in esse diuino.

40 Obijcies septimo D. T. *tertia parte quæst. 6. art. quarto*: Caro, inquit, fortitur esse per animam. ergo habet existentiam ab anima. Respondeo distinguendo consequens. Caro Christi habet existentiam creatam ab anima, nego, increatam, concedo, quia anima existentiam diuinam, quam habuit per creationem, communicauit Carni. Sed contra, quia *loco citato* ad tertium sic habetur: Verbum Dei prius natura intelligitur vnitum Carni, quam anima per modum communem, quo est in cæteris creaturis, per essentiam, præsentiam, potentiam prius tamen, dico, non tempore, sed natura; prius enim intelligitur Caro vt quoddam ens, quod á Verbo habet, quam vt animata, quod habet ab anima. ergo nulla responsio.

41 Respondeo S. D. *loco quarto* agere de prioritate causarum; cum enim prius causa efficiens intelligatur exire in actum secundum, quam causa formalis: hinc est, vt caro per prius respiciat Verbum, quod cum Patre, & Spiritu Sancto faciat illam transire à non esse hominis ad esse hominis, quam ipsam animam, quæ intermisso ad quem illam animatam reddit, & hoc significat Verbum prius vnitum Carni per modum communem, quo est in cæteris creaturis, vnde apparet falsitas consequentiæ.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur obiectiones rationes dissuadentes.

42 OBijcies primo: productio rei creatæ debet necessariò producere, vt quo, existentiam illius; sed humanitas est res creata. ergo productio humanitatis debet producere vt quo existentiam illius; sed non increatam, quia hæc non est producibilis per productionem creatam; ergo creatam. Maior, quæ sola probatione egeat, suadetur: quia productio rei creatæ, cuiusmodi est humanitas Christi, debet habere terminum productum, vt quo; sed hic non potest esse humanitas, quia hæc producitur vt quod, ergo existentia: ita ferè Hurtadus *loco citato* §. 82. & 83.

43 Respondeo distinguendo maiorem: Productio rei creatæ debet necessariò producere vt quo, existentiam illius, & si quidem producat, vt quo, existentiam importat extractionem existentiæ ex nihilo, nego: sin autem significat communicationem ipsius existentiæ, quæ producitur vt quod, concedo; & eodem modo distinguo consequens: ergo productio humanitatis debet producere vt quo existentiam illius, hoc est communicare illi existentiam, concedo: hoc est extrahere ex nihilo existentiam, quam existit, nego consequentiam. Explico distinctionem: de essentia productionis cuiuscumque rei creatæ est producere vt quo existentiam, sed dupliciter intelligi potest existentia producitur vt quo: primo vt extrahatur ex nihilo, & ponatur primo à parte rei. Secundo vt licet supponatur in rerum natura, tamen primo communicetur rei, quæ extrahitur ex nihilo, & primo ponitur in rerum natura. Porrò vtrumuis sufficit ad saluandum, quod ipsa producatur, vt quo, quatenus vtrouis modo est ratio formalis sufficiens extrahere rem creatam de potentia ad actum, eamque constituere à parte rei extra causas suas. Per quæ patet responsio ad subsumptum: nego enim productionem humanitatis non posse producere, vt quo, secundo modo existentiam increatam; & quâdo assumitur: hanc per creatam productionem, non esse producibilem, distinguo assumptum: non est producibilis vt quo, hoc est, communicabilis alteri, quod dictæ communicationis beneficio producatur, vt quod, nego: non est extrahibilis á nihilo, concedo; sed nego consequentiam, & in hoc quoque sensu maioris probationem distinguo.

Instabis: si hæc responsio esset vera, sequeretur, quod anima Christi non fuisset creata; sed hoc est absurdum. ergo &c. Sequela probatur: ens creatum per hoc differt ab increato, quod habeat existentiam creatam, illud verò increatam. ergo &c. Respondeo, negando sequelam, & eius distinguo probationem: & siquidem loquamur connaturaliter, verum est antecedens, ens enim creatum si connaturaliter existat, per existentiam creatam, & non increatam existere debet; at si loquamur de ente creato supernaturaliter existente, falsum est distingui per hoc ab increato, quod nequeat per increatam existentiam habere esse, sufficit enim, si distinguatur per defectibilitatem, quod videlicet ita existat per increatam existentiam, & ad libitum Dei suspendentis concursum causatiuum dependi, & in nihilum redigi valeat. Confirmatur id, quod dicimus: si quis assumeret, quod ens creatum per hoc differt ab increato, quod per creatam subsistentiam subsistere debeat: ex quo colligeret humanitatem Christi non subsistere per subsistentiam Verbi, huic enim eadem responsione, qua nos vti sumus, respondendum esset. 44

Obijcies secundo: si humanitas existeret per existentiam Verbi, non posset assignari id, quo distingueretur realiter, & actualiter à Verbo; sed hoc est absurdum. ergo &c. Minor patet, quia humanitas distinguitur á Verbo realiter, & actualiter, plusquam distinguatur aliqua natura sub esse possibili ab alia sub esse actuali. Non distingueretur autem, si non esset assignabile id, quo distingueretur. Sequela verò probatur, quia duo sunt in humanitate Christi natura, & actualitas; sed natura vt præcisa ab actualitate non distinguitur ab illo actualiter, ergo, quod actu distinguatur, habet ab actualitate sibi coniuncta, atque adeò non plus distinguitur, quam det illi actualitas. sed actualitas non plus potest illi dare, quam habet in se. ergo cum in se non habeat distingui á Verbo, non potest dare naturæ humanæ in genere causæ formalis, vt actu distinguatur ab illo. Ita Vuadingus *disp. 4. dubio vnico*. 45

Pro

46 Pro responsione suppono duo: Vnum est humanitatem Christi existentem per existentiam Verbi non posse absolutè loquendo distingui á Verbo realiter, & actualiter distinctione adæquata, eo quod vna est actualitas, & existentia vtriusque; sed solum distinctione inadæquata: sicuti distinguũtur inter se materia, & forma, quæ per eandem prorsus existentiam existunt á parte rei. Alterum, quod suppono ex dictis supra est realitatem, & actualitatem esse duplicem. Alteram essentiæ alteram existentiæ; & quidem hanc distinctionem puto, quod recipere teneantur quot quot, vel absolutè, vel saltem ex hypotesi pro præsenti quæstione, admittunt essentiam, & existentiam in rebus creatis plusquam ratione distingui: siuè dicant, quod essentiæ ab æterno habeant suum esse in se ipsis, siuè non, vt consideranti patet. His positis.

47 Respondeo ad obiectionem distinguendo maiorem: si humanitas existeret per existentiam Verbi, non posset assignari, id, quo distingueretur realiter, & actualiter á Verbo, & siquidem sermo est de eo, quod distingueretur realiter, & actualiter, realitate, & actualitate essentiali nego: realitate, & actualitate existentiali, concedo; & sic distincta etiam minore, nego consequentiam. Ad minoris probationem, nego assumptum: humanitatem, videlicet, Christi distingui á Verbo, plusquam distinguitur aliqua natura sub esse possibili ab alia sub esse actuali. Ratio negationis est, quia natura sub esse possibili distinguitur ab alia sub esse actuali tamquam non ens existens ab ente existenti, atque adeò, & quo ad essentiam, & quo ad existentiam: at humanitas distinguitur à Verbo quo ad essentiam tantum.

48 Porrò ad probationem sequelæ concedo maiorem: duo nimirum, esse in humanitate Christi naturam, & actualitatem, hoc est existentiam; nam si loquimur de actualitate essentiæ, nego maiorem, tàmquam de subiecto non supponente. Quia natura est idem formalissimè cum actualitate suæ essentiæ. Distinguo verò minorem: natura vt præcisa ab actualitate existentiæ non distinguitur ab vllo actualiter actualitate existentiæ, concedo actualitate essentiæ, nego minorem. Consequẽtia verò, quæ ita procedit. ergo humanitas, quod actu distinguatur, habet ab actualitate sibi coniuncta, semper est falsa; cum enim actualitas sibi coniuncta, sit actualitas Verbi, impossibile est, quod habeat ab illa, quod actu distinguatur à Verbo; si enim agatur de distinctione actuali essentiali habet ex se: sin autem de existentiali falsum est, quod actu distinguatur à Verbo; quia vt in obiectione subditur, sub hac ratione non plus potest distinguit quam det illi actualitas existentialis, quæ cum in se non habeat actu distingui à Verbo, non potest facere, vt ipsa humanitas quatenus existens est, hoc modo distinguatur ab illo.

49 Obijcies tertio: Humanitas in priori naturæ ad assumptionem non intelligitur sine existentia. ergo cum existentia. Non cum existentia Verbi. ergo cum propria. Antecedens probatur, quia si in eo priori intelligeretur sine existentia, intelligeretur in potentia ad existendum, sicut intelligebatur antecedentes ad primum instans assumptionis, atque adeò sub negatione existentiæ. Vndè cum in posteriori naturæ intelligatur existere: in eodem instanti esset sub existentia, eiusque negatione, quod repugnat. Consequentia suadetur, quia inter contradictoria, non datur medium. ergo si non intelligitur sine existentia, intelligitur cum existentia in eo priori. Cætera patent.

Respondeo distinguo antecedens: in eo priori non intelligitur sine existentia positiuè, concedo. Non intelligitur sine existentia, præcisiuè, nego antecedens; & consequentiam; in eo enim priori intelligitur secundum sua prædicata quidditatiua cum præcisione ab eo, quod existat, vel non existat. Neque enim in statu intentionali existentia, & carentia existentiæ sunt contradictoria: ita vt alterutrũ intelligi necessariò debeat. Ad probationem antecedentis distinguo assumptum: si in eo priori intelligeretur sine existentia positiuè, intelligeretur in potentia ad existendum, concedo: posito, quod intelligatur sine existentia præcisiuè tantum, nego, quia esse in potentia ad existendum inuoluit carentiam existentiæ. Ad summum igitur concedi potest, quod essentia in eo priori intelligatur habere rationem potentiæ Metaphysicæ, quia intelligitur præcisè, & completè potens recipere actum Metaphysicum, nempè existentiam. 50

Obijcies quarto: natura humana in Incarnatione fuit eleuata supra facultatem suam ad subsistentiam Verbi, vt fatetur D. T. *prima parte quæst. 2. art. 10.* ergo habuit propriam existentiam. Consequentia probatur, quia hæc eleuatio non *rectè tribuitur nudę essentię*; sicuti enim in *simili nemo dicit essentiam intellectus eleuari ad videndum Deum*, aut essentiam verborum ad consecrandam hostiam, ita, & in casu nostro. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem, nego assumptum, & paritatem. Disparitas est, quia cum intellectus, & Verba eleuentur ad operandum: necessè, est vt præintelligantur existere, causa enim efficiens ordinatur ad dandum esse alteri. Nemo autem dat, quod non habet. At natura humana cum eleuetur ad recipiendum esse, implicat, quod in priori intelligatur esse, quia nemo recipit id, quod in priori naturæ ad receptionem illud præhabere intelligitur. 51

Obijcies quinto: natura humana in Incarnatione fuit vnita Verbo. ergo habuit propriam existentiam. Consequentia probatur, quia vnio necessariò supponit extrema actualia. Nihil enim alteri vnitur, quin sit actu; alias res, quæ est intra suas causas, posset vniri cum rè existente. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ad cuius probationem distinguo assumptum: vnio, quæ ordinatur 52

natur ad actuandum primo aliquod ex extremis, necessariò supponit extrema actualia nego: quæ ordinatur ad actuandum secundo, concedo. Hæc autem vnio cum ordinetur ad dandum primum actum, hoc est existentiam naturæ humanæ, non est mirum si non supponat illam existentem, vt patet ex vnione, quæ fieret inter essentiam naturæ humanæ, & suam propriam existentiam. Ad id, quod addebatur nihil vniri alteri, quod non sit actuale, dico esse verissimum; sed ad hoc verificandum aio, non esse necesse, vt supponatur actuale; sed sufficere, vt per ipsam vnionem, actualitatem acquirat. Neque ex hoc infertur rem, quæ est intra suas causas vniri posse cum alia, quia res constituitur intra causas per negationem existentiæ, quam non potest habere pro priori naturæ ad existendum sine contradictione.

53 Objicies sexto: actio vnitiua humanitatis cum Verbo, præsupponit actionem creatiuam animæ. ergo & existentiam creatam habitam ab anima per dictam actionem creatiuam. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia actio vnitiua est essentialiter supernaturalis; creatiua verò animæ essentialiter naturalis. Quoties autem concurrunt duæ actiones quarum vna est naturalis, altera verò supernaturalis, semper hæc præsupponit illam, vt patet ex creatione Angelorum, eorumque sanctificatione, quæ cum fuerint in eodem instanti, actio creatiua præsupposita fuit ab illa, quæ produxit in Angelis gratiam Sanctificantem. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem, d co, actionem creatiuam animæ, licet aliquo modo fuerit naturalis, quatenus habebat extrahere ex nihilo essentiam animæ, quæ est entitas quædam naturalis: fuit tamen simpliciter supernaturalis, quia ita illam extraxit, vt ipsam constituerit sub existentia Verbi. Idemque dicendum est de actione vnitiua humanitatis cum Verbo, quod scilicet quatenus terminata ad humanitatem dici potest aliquo modo naturalis; vndè non est, quod istæ duæ actiones distingui debeant inter se realiter. Per quod patet disparitas, inter has actiones, & illas per quas creati, & Sanctificati in primo instanti fuerunt Angeli, quæ distinguuntur plusquam realiter inter se: ita vt vna sit naturalis, altera verò supernaturalis, si quo ad sua intrinseca considerentur.

54 Objicies septimo: Angelus sua naturali virtute intuebatur humanitatem Christi existentem. ergo intuebatur ipsius existentiam. Non increatam, alias fuisset Beatus. ergo creatam. Omnia constant, præter primum consequens, quod sic probatur: non potest quis intueri effectum formalem, quin intueatur causam formalem; sed humanitas existens est effectus formalis existentiæ. ergo &c. Confirmatur ex D. T. *tertia parte quæst. 2. art. 6.* ad primum. Humana natura in Christo assimilatur vestimento, quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam: sicuti homo per vestimentum. Sed non assimilatur vestimento secundum sola prædicata quidditatiua, quia sic non est apta inducere in cognitionem Verbi. ergo secundum, quod existit. ergo à Dæmone sic cognoscebatur.

Respondeo: duplicem effectum formalem in hoc considerari posse, vnum denominatiuum, alterum formalem. Denominatiuus est subiectiū, vt connotans formam. Formalis est ipsa forma, vt connotans subiectum. Non benè autem argumentari ab intuitione connotatiui ad intuitionem connotati lucè clarius est. Hoc posito, concesso antecedente, nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo maiorem: non potest quis intueri effectum formalem formaliter, quin intueatur causam formalem, concedo: denominatiuè, nego maiorem: & ad minorem dico: humanitatem existentem esse effectum formalem denominatiuum existentiæ, & hunc intuebantur Dæmones, ad cuius intuitionem satis erat si abstractiuè, & in confuso attingerét existentiam Verbi; secundum communissimas rationes ponendi essentiam extra causas. 55

Per quæ patet ad confirmationem, dico enim quod natura humana in Christo assimilabatur vestimento secundum quod existebat, atque adeò secundum hoc agnoscebatur à Dæmone. Ad hoc autem non oportebat eum intueri existentiam; sed sufficiebat agnoscere naturam intuitiuè, connotantem existentiam; atque adeò hanc attingere abstractiuè. Hæc responsio communiter adhibetur ad argumentū, quo probari solet Dæmones ex eo, quod agnoscebant euidenter humanitatem Christi subsistere, personalitatem ipsius Verbi intuitos esse. 56

Objicies octauo: Verbum accepit materiam dispositam, & organizatam. ergo, & existentem per propriam existentiam. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia non potest intelligi in aliquo signo materia disposita, & organizata, nisi pro eodem signo intelligatur existens, quia actus secundus, cuiusmodi sunt accidentia, debent supponere in subiecto actum primum, qui est existentia. Atqui licet organizatio naturaliter fieri soleat quadraginta dierum spatio in Masculis, & in Fœminij 60. vel 80. Communiter tamen Theologi cum D T. *hic quæst. 33.* docent ex Patribus in Christo factam esse virtute Spiritus Sancti in instanti vltimo motus, per quem purissimus Virginis Sāguis ad locum generationis peruenit; & in eodem instanti materiam illam animatam esse, & Verbo hypostaticè vnitam. Cum igitur prius intelligi debeat materia organizata, & disposita, quam animata, Verboque hypostaticè vnita: impossibile est, quod in eo priori non intelligatur existens. Atqui non per existentiam Verbi, quia prius Verbum vnitum est animæ, quam corpori, in eo autem priori non intelligitur adhuc anima. ergo per propriam existentiam. 57

Respondeo admittendo in eodem instanti reali, in quo creata fuit anima sub existentia Verbi, fuisse etiam dispositam, & organizatam materiam in vtero Virginis, animæque coniunctam. Addo tamen quod, quia anima vt dans materiæ gradum corporis, nulla indiget dispositione, indiget verò vt det illi gradum viuentis, animalis &c. Id circo in aliquo priori intelligitur communicare ipsi materiæ existentiam per hoc præcisè, quod illi tribuat gradum 58

corpo-

Digitized by Google

corporis, quam per hoc, quod tribuat illi gradum viuentis &c. Vndè non est mirum si ipsa materia iam existens in eo priori, beneficio dicti gradus possit intelligi recipere dispositiones, & organizationes necessarias ad hoc, vt intelligatur in posterioribus signis apta recipere animam secundum consequentes gradus considerandam: sicuti diximus in tractatu de Generatione. Quare ad argumentum, concesso antecedente, nego consequentiam; & ad eius probationem admisso integro syllogismo, nego subsumptum, in quo dicebatur materiam in eo signo, in quo intelligitur disponi, & organizari, non intelligi existentem per existentiam Verbi, & ad eius suasionem dico: quod licet Verbum prius intelligatur vnitum animæ, quam corpori; in eo tamen priori, in quo intelligitur materia disponi, quamuis non intelligatur anima illi vnita, in ratione animæ: intelligitur tamen vnita illi in ratione formæ. Vndè non est mirum si ipsa materia in eo priori intelligatur existens.

59 Instabis primo: illa prioritas, in qua materia debet præcedere cum existentia introductionem dispositionum, & formæ in ratione animæ debet esse prioritas naturæ. Sed non potest materia cum hac prioritate recipere existentiam à forma sumpta in ratione formæ substantialis, vt sic, quia hoc prædicatum non est prius natura reliquis, quæ habentur in forma. ergo &c. Respondeo negando maiorem. Ratio est quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis. Porrò materia prima nullam exercet causalitatem in anima rationali, vt de se patet; in dispositionibus verò, & organizatione licet exerceat, iam habere intelligitur in priori existentia ab ipsa anima, vt forma substantialis est, considerata. Porrò illa prioritas licet respectu dispositionum sit naturæ; at non respectu graduum consequentium; quando quidem dispositiones non se habent, vt causa materialis respectu dictorum graduum, sed tantum in genere determinatiui, quod non importare prioritatem naturæ, patet, ex causis secundis liberis, quæ concurrunt in eodem signo naturæ cum causa prima ad libere proprias operationes exercendum, quamuis illam determinent ad exibendum concursum suum ad hunc potius actum in specie, quam ad alium, ad amorem V. G. quam ad odium.

60 Instabis iterum: Anima Christi fuit à Deo creata ad exigentiam materiæ. ergo materia debuit præintelligi disposita antecedenter ad productionem animæ totaliter, & secundum quemlibet gradum consideratæ. Ad hoc argumentum respondeti potest primo: distinguendo antecedens Anima Christi fuit creata ad exigentiam extrinsecam materiæ, concedo. Intrinsecam, nego antecedens, & consequentiam. Dicunt enim nonnulli productionem Animæ Christi non fuisse factam à Deo ad exigentiam dispositionum, quæ sunt intrinsecæ ipsi materiæ, sed quia materia ad locum generationis, hoc est ad vterũ Virginis ex specialissima Dei operatione adducta est cum intentione in fine motus producendi Christum, quod totum videtur esse extrinsecum ipsi materiæ in ratione exigẽtis creationem animæ.

Respondeti potest secundo: concesso absolutè antecedente, negando consequentiam. Ratio negationis est, quia quod secundum vnam rationem est prius alio, & secundum aliam est posterius absolutè, & omnibus pensatis existimandum est esse posterius illo: quia prioritas se habet, vt bonum, & posterioritas, vt malum. Bonum autem ex integrâ causa, malum verò ex quocumque defectu. Ex quo sequitur quod inter creationem animæ, & organizationem materiæ, sit quidem absoluta posterioritas in diuerso genere causæ, materialis videlicet, & formalis; non verò absoluta prioritas, vt de se patet.

Obijcies nono: si Humanitas Christi existeret per existentiam Verbi, quæ formaliter sit ipsa personalitas: sequeretur quod per eandem vnionem hypostaticam vniretur Verbo ad existendum, ac ad subsistendum. Sed hoc est falsum. Nam vnio ad subsistẽdum recipitur in humanitate in aliquo priori existente eamque subsistente. ergo &c. 61

Respondeo solutionem huius obiectionis pẽdere ab ea quæstione, in qua quæritur quo modo vnio hypostatica distinguatur in Christo ab extremis suis. Si enim distinguitur solum ratione, falsum est eam debere subsistere ab Humanitate, atque adeò illam existentem suppositari. Contra verò, si plusquam ratione distinguatur: in hac enim suppositione, licet aliqui negent eam debere supponere subiectum suum, hoc est Humanitatem existentem, quando quidem est via, & ratio cur ipsum existat: alij tamen cõmuniter id affirmant, & ideò concedunt Humanitati existentiam propriam, vt sit apta vniõi hypostaticam in posteriori recipere, ac subsistere. Pro qua rè sit. 63

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA TERTIA

DE DISTINCTIONE VNIONIS HYPOSTATICAE AB HVMANITATE, Et Verbo Diuino.

1 SVppono: Vnionem in hac materia tripliciter sumi posse. Primo pro relatione, quæ est in natura humana ad diuinum Verbum, ex eo quod ab illo in ratione subsistentis dependeat. Secundo pro ipsa personalitate Verbi, quatenus est id, in quo natura humana, & diuina coniunguntur in vnitate personæ. Tertio pro formali nexu, & ligamine, quod inter humanitatem, & personalitatem ipsam Verbi concipitur, tamquam vltima ratio, cur Verbum in natura humana subsistat. Porrò præsens disputatio de Vnione hoc tertio modo sumpta procedit; quam vnio primo modo accepta consequitur, & terminat secundo modo considerata, habetque pronocabulum Vnionis hypostaticæ.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Vnio hypostatica sit distincta ex natura rei ab extremis vnitis.

2 CONcluso est negatiua: dico enim naturam humanam, & Verbum Diuinum se ipsis in Christo vnita esse, absque eo, quod intercedat aliquod distinctum, cuius beneficio actualiter, & formaliter coniungantur. Ex quo fit vnionem hypostaticam nihil aliud esse in re, quam naturam humanam, & personalitatem Verbi non quidem quomodolibet accepta, sed prout natura á personalitate tamquam à substantiali termino, qui eam subsistere faciat, terminatur. Est communis inter Thomistas, vt docet Aluarez *disput. 13. num.* Quos ex nostris sequitur Valentia *tom. 4. disp. prima sect. 2. punct. 5.* Vuadignus *disp. 6. dub. 3. §. 3.* Et plures alij. Contra quam plures, qui vnionem hypostaticam esse nemine cogitante à suis extremis distinctã affirmant, qui in duas classes sunt diuisi, quarum prior defendit eam esse de genere accidentis, de quo autem genere sit, eius sectatores inter se disceptant: nam Scotus, & Ochamus dicunt esse de genere relatiuorum. Quare eam relationem extrinsecus aduenientem apellant, eo quod non necessariò ad fundamenti positionem resultat, sed pro libito Dei volentis humanitatẽ hypostaticè terminare. Alij verò, vt videre est apud Gabrielem, putant esse de genere absolutorum, dicentes esse qualitatem quamdam absolutam supernaturalem à Deo in humanitate productam, quam vnionis gratiam apellant. Posterior verò classis est omnium fere recentiorum qui sequuti Suarium *tom. primo in tertiam partem disput. 8. sect. 2.* dicunt esse modum quemdam substantialem supernaturalem in humanitate receptum.

3 Probatur autem primo assertiò nostra auctoritate S. T. qui *tertia parte quæst. secunda art. 7. Et 8.* Non agnoscit inter humanitatem, & Verbum, aliud intercedere præter relationem, idemque habet *quæst. 6. art. 6. ad secundum* Nec non etiam *in tertio dist. 2. art. 2. Et in 2. scripto lib. tertio dist. 5. art. tertio*, & vbicumque hac de re agit.

4 Ad hoc responderi potest primo, Sanctum Doctorem conuenire cum Scoto docente vnionem consistere in relatione. Sed contra est, quia *in tertio dist. 2. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula tertia*, quærens: vtrum vnio cadat medium inter naturam humanam, & personam Verbi: in corpore respondet cadere quidem, non sicut causam; sed sicut effectum consequentem naturarum coniunctionem, & cum contra se hoc argumentum primo loco proposuisset; Nullum accidens cadit medium in aliqua substantiali vnione; sed vnio cum sit relatio, accidens quoddam est. ergo cum vnio diuinitatis ad humanitatem non sit accidentalis; sed in substantia, quæ hypostasis dicitur, videtur, quod in illa vnione medium cadere non possit. Ad illud sic respondet: dicendum, quod nihil prohibet accidens esse medium in coniunctione substantialis, sicut coniunctionem sequens: impossibile est tamen, vt sit medium coniunctionem causans. Tum sic: Relatio, quam agnoscit D. T. cadere inter naturam humanam, & Verbum, est consequens illorum coniunctionẽ, & non est ipsa coniunctio, neque eam formaliter causat; sed dicitur vnio latè, &, in pri-

Digitized by Google

tius, quam Patris, nego antecedens, & consequentiam: quemadmodum enim dicunt aduersarij quod vnio modaliter distincta est de se determinatiua humanitatis ad vnam potius personam, quam ad aliam formaliter: ita nos similiter dicimus de actione efficienter tantum.

17 Obijcies quarto: de essentia nouæ actionis est, vt habeat nouum formalem terminum; sed Incarnatio est noua quædam actio. ergo aliquis nouus eius terminus formalis est assignandus: Sed hic non potest esse Verbum, vt patet; neque humanitas, quia hæc supponitur producta prius, quam assumatur à Verbo. ergo est vnio. Respondeo concesso integro syllogismo, nego subsumptum quo ad secundam partem. Dico enim eius terminum esse humanitatem sub existentia Verbi productam: vna enim, eademque actione producta, & assumpta est humanitas, vti sepè dimittus, quod si loquamur de termino formali primario, & principali, hic terminus est personalitas Verbi, vt docet S. T. *quæst. 2. art. 6. 7. & 8.* Quia terminus formalis primarius actionis est id, quod in composito habet rationem actus, sed in Christo personalitas Verbi habet rationem actus terminantis humanitatem; & eam ex nihilo extrahentis. ergo personalitas Verbi est terminus magis formalis actionis incarnatiuæ. Non negauerim tamen secundum quid humanitatem ipsam dici posse terminum formalem illius minus principalem, quatenus facit, vt Verbum diuinum sit homo. Vide Aluarez de Incarnatione *disp. 13. num. 18.*

18 Atque hic aduertè dari duplex genus actionum, quædam enim sunt factiuæ, seù productiuæ sui termini formalis primarij, sicuti calefactio est actio productiua caloris: aliæ verò sunt tantum vnitiuæ, cuiusmodi docet D. T. esse resurrectionem; vnde *in secundo scripto in quarto dist. 43. art. 2. Ad secundum*, volens ostendere quod in resurrectione habeatur eadem humanitas, quæ prius, hæc habet: Humanitas non dicit aliquam formam præter animam, & corpus, sed compositum ex anima, & corpore per modum partis, idest cum præcisione aliorum, quæ non sunt de ratione humanitatis. Vnde cum anima rationalis sit eadem numero, & per consequens corpus, sequitur quod sit eadem humanitas. Vbi vides non admitti à Sancto Doctore terminum formalem primarium in resurrectione de nouo productum? Iuxta quæ distinguo maiorem: de essentia nouæ actionis productiuè est, vt habeat nouum terminum formalem primarium productum, concedo; vnitiuæ, nego. Satis enim est si habeat primarium terminum formalem nouiter communicatum, sic sic distincta minore, & consequenti. Dico huiusmodi terminum formalem nouiter communicatum per actionem assumptiuam esse personalitatem Verbi; nouum verò terminum totalem esse conflatum ex dicta personalitate, & natura humana per illam subsistente. Quod si dicas Incarnationem esse actionem factiuam iuxta illud *Ioan. primo* Verbum Caro Factum est. Respondeo huiusmodi actionem dici factiuam dupliciter, & quidem respectu humanitatis simpliciter, quia extraxit illam ex nihilo; respectu verò Verbi secundum quid, & cum addito, quia per eam, factum est homo.

19 Obijcies quinto: cuicumque voluntati Dei debet correspondere aliquis effectus ad extra: sed si non daretur vnio distincta, non posset assignari effectus correspondens voluntati, qua Deus voluit, vt humanitas subsistere per subsistentiam Verbi. ergo &c. Minor probatur, quia siquis esset assignabilis, maximè actio assumptiua. Sed hæc non sufficit, quia præter illam, aliquid aliud vult Deus, tamquam eius terminum. ergo &c. Respondeo negando minorem: ad cuius probationem, dico quod posito quod humanitas existat per existentiam Verbi: iam assignatur ipsa met transiens de non esse ad esse tamquam terminus actionis assumptiuæ.

20 Instabis primo: humanitas existens est aliquid distinctum ab humanitate, & Verbo. ergo dicit modum substantialem. Respondeo distinguendo antecedens: est aliquid distinctũ ab humanitate, & Verbo quomodocumque acceptis, concedo: acceptis, vt conflantibus vnum, nego antecedens, & consequentiam. Quod si quæras, quid addat ipsis componentibus ly, vt conflantibus vnum: dico addere quod illud mirabile conflatum, quod ante incarnationem erat possibile, existat in rerum natura, beneficio actionis assumptiuæ de nouo positæ in mundo, seù potius quod defactò existat humanitas per existentiam Verbi, sicuti diuinitus poterat.

21 Vrgebis: faciamus quod humanitas, quæ prius existebat per propriam existentiam, incipiat existere per existentiam Verbi: in hoc casu non posset assignari pro effectu illius actionis vnitiuæ humanitas de nouo producta, nam productio temporanea importat transitum de non esse simpliciter ad esse simpliciter, quod non habetur in casu posito. ergo &c. Respondeo in casu posito, beneficio actionis assumptiuæ, licet humanitas non produceretur simpliciter propter rationem assignatam: at produceretur secundum quid, in quantum inciperet in existendo dependere à Verbo peculiari quodam modo, quatenus non existente per impossibile Verbo, absolutè non existeret.

22 Subinstabis: illud mirabile conflatum existens est realiter separabile à Verbo secundum se, & ab humanitate. ergo addit aliquid ab vtraque distinctum. Est argumentum Hurtadi *num. 13.* Respondeo negando absolutè antecedens: posito enim, quod humanitas existat per existentiam Verbi, si conflatum illud destrueretur, humanitas ex vi huius actionis destructiuæ, seù quod idem est ex vi cessationis actionis conseruatiuæ, abiret in nihilum.

23 Obijcies sexto: omnis relatio realis debet habere fundamentum proximum in subiecto, in quo est. Sed secundum S. Th. natura humana refertur ad Verbum relatione reali

vnionis. Ergo debet in creari fundamentum proximum huius relationis, quod non potest esse nisi Vnio. Respondeo concessa maiore, & minore, distinguendo consequen: non potest esse nisi Vnio indistincta ab extremis, concedo distincta, nego consequentiam. Dico enim fundamentum proximum dictæ relationis esse naturam humanam existentem, & subsistentē per personalitatem Verbi.

24 Obijcies septimo: non possunt extrema substantialia diuersimodè inter se referri, nisi in altero aliqua mutatio realis inueniatur. Sed humanitas, & Verbum aliter referuntur inter se post incarnationem, quam ante: ergo aliqua mutatio realis in illis facta fuit. Non in Verbo. ergo in natura humana per receptionem modi substantialis, qui esset Vnio distincta. Respondeo naturam humanam per Incarnationem realiter fuisse mutatam, non quidem per receptionem modi positi ab Aduersarijs, sed per transitum de non esse ad esse increatum Verbi. Porrò hanc mutationem sufficere ad fundandam relationem prædicamentalem, patet ex transitu creaturæ ab esse possibili ad actuale, beneficio cuius incipit referri prædicamentaliter ad Deum, vt communiter asseritur. Per quæ patet responsio ad argumentum, concedo enim mutationem factam esse in natura humana; sed non per receptionem vnionis modaliter distinctæ.

25 Obijcies octauo: humanitatem hypostaticè dependere á Verbo, & ab eo immediatè subsistentari, est aliqua formalitas in rerum natura de nouo existens; sed nulla formalitas potest de nouo existere, nisi existat de nouo aliqua realitas; potrò hæc nequit esse realitas naturæ, neque Verbi, vt de se patet. ergo est realitas modalis vnionis. Respondeo concessa maiore, & prima minore, ad secundam: dico huiusmodi realitatem esse realitatem naturæ existentis sub personalitate Verbi. Est enim impossibile, quod realitas naturæ existentis per existentiam Verbi, possit existere sine dicta existentia.

26 Obijcies nono ex Arriaga *de Incarnat. disp. 20. sect. prima*, Etsi possit quoquomodo in naturalibus negari vnio distincta: non potest tamen in mysterio Incarnationis, ergo &c. Antecedens suadetur, quia in tantum auctores saluant inter materiam, & formam Vnionem indistinctam, quia recurrunt ad indistantiam, proportionem partium, & dispositiones, sed in Incarnatione non potest ad hæc fieri recursus. Nam hæc omnia potuerunt haberi, absque eo, quod Verbum humanitati vnitum fuisset. Defactò enim in humanitate Christi reperiuntur æqualiter respectu personæ Patris, & Spiritus Sancti, quibus tamen non est vnita defactò, ergo in casu nostro per indistantiam, dispositiones, & proportionem non potest explicari Vnio. Ita ferè hic auctor *num. pr.*

27 Respondeo tamen. Argumentum hoc habere vim contra eos, qui sicuti concedunt materiæ propriam existentiam: ita censent humanitatem in Christo Domino existere per existentiam creatam: non tamen vrgere nos, qui dicimus *materiam existere per existentiam formæ*, & *humanitatem per existentiam Verbi*. Quare, nego antecedens; & ad eius probationem dico: Vnionem modaliter distinctam inter materiam, & formam posse bifariam negari. Primò independenter à sententia docente materiam existere per existentiam formæ. Secundò dependenter à dicta sententia, & quidem si primo modo negetur, faceor ad illam explicandam necessariò recurrendum esse ad dispositiones, indistantiam, & proportionem extremorum, quod nos præstitimus in Physicis, vt ostenderemus sententiā de Vnione indistincta non esse necessariò connexam cum sententia de existentia materiæ indistincta ab existentia formæ. Quoſi secundo modo negetur, dico eam posse optimè explicari sine recursu ad dicta connotata, per hoc præcisè, quod intelligatur materia formaliter existere per existentiam formæ, efficienter verò beneficio actionis sibi huiusmodi existentiam communicantis. Quoniam verò Vnionem hypostaticam distinctam ita ego nego, vt putem humanitatem existere per existentiam Verbi: ideò absque recursu ad indistantiam &c. Meam sententiam defendo, dicendo: huiusmodi Vnionem formaliter importare naturam humanam per existentiam Verbi positam á parte rei, efficienter verò, actionem, cuius beneficio dicta existentia ipsi naturæ humanæ communicata fuit.

Obijcies decimo *ex eodem num. ter.* Humanitatem esse actu Vnitam Verbo, est aliquid reale, & separabile ab ipsa humanitate, & Verbo, etiam, vt simul, & in eodem loco existentibus in rerum natura. ergo est aliqua entitas media. Antecedens patet. Consequentia euincitur, quia quando duo conceptus positiui possunt diuinitus inuicem separari, necessariò dicunt entitates realiter inter se distinctas. Respondeo negando absolutè antecedens; non enim potest Vnio hypostatica esse ab humanitate separabilis absque eo, quod humanitas abeat in nihilum, quod si Deus hoc impedire voluerit: tenebitur per nouam actionem communicare illi aliam existentiam beneficio cuius existat in rerum natura post separationem à Verbo. 28

Obijcies: ex dictis videmur sentire cum ijs, qui volunt Vnionem identificari cum actione productiua humanitatis, quos suppresso nomine impugnat Arriaga *disput. cit. sect. 4.* Sed hæc sententia non negat Vnionem distinctam ab extremis; sed solum ab actione ad vitandam multiplicitatem modorum. ergo &c. Maior, quæ sola probatione eget, suadetur: nam nos quoties de hac Vnione mentionem facimus, ad actionem productiuam humanitatis recurrimus. ergo &c. 29

Respondeo negando maiorem, & eius distinguo probationem: ad actionem productiuam humanitatis recurrimus tamquam ad nexum inter extrema, nego: tamquam ad causalitatem Dei extrahentis in genere efficientis ipsā humanitatem ex nihilo, per hoc quod ei existentiam Verbi communicet, concedo, sed 30

nego

plures personæ diuinæ non possunt assumere vnum eundemque hominem in vnitatem personæ. ergo ex Anselmo habemus non posse eandem naturam multiplici subsistentia inereata terminari.

10 Dices S. Th. *tertia parte quæst. 3. art. 6.* In corpore explicare Anselmum, quod loquatur de assumptione naturæ humanæ propriam personalitatem habentis, eo quod humanitas non adhuc subsistens, verè non est homo. Sed huic expositioni se opponit Durandus *in 3. distin. 1. quæst. ter.* Quia in eodem sensu, inquit, loquitur ibi Anselmus de homine, dum negat à pluribus diuinis personis assumi posse, in quo concedit posse assumi ab vna. Sed dum concedit, loquitur de homine, prout importat naturam humanam sine propria persona. ergo etiam dum negat, in eadem acceptione de homine loqui debet. Alias non posset assignari discrimen cur propria personalitas impediret assumptionem á pluribus, & non ab vna.

11 Dices iterum ex Suarez in Commentario Articuli S. Th. Anselmum loqui ex suppositione, quod credimus Christum vnum eundemque hominem personaliter fuisse, & indè inferrè eius humanitatem non pluribus, sed vni tantum personæ vnitam fuisse, quare non simpliciter, sed cum addito negauit tres personas posse eandem humanitatem assumere, scilicet, in vnitatem personæ. Sed contra hanc etiam expositionem facit, quia Anselmus post citata verba, vt ipse met Suarez fatetur, statim adiungit: quare in vna persona tantum id fieri necesse est. Tum sic, si vera esset expositio tradita: sequeretur, quod pronomen (id) pro assumptione vnius, eiusdemque hominis in vnitatem personæ substitueretur, vt de se patet; sed hoc dici nequit. ergo &c. Probo minorem, quia sensus illius propositionis esset: quare in vna persona tantum necesse est vnum eundemque hominem assumere in vnitatem personæ. si igitur vnus idemque homo significaret Christū personaliter vnum, sensus esset quod Christus personaliter vnus necesse erat assumi in vnitatem personæ. Hoc autem est apertè falsum; nulla enim necessitas fuit, vt natura humana in personalitate Verbi subsisteos assumeretur, quia hoc vti dicemus, implicabat. ergo &c. Quod si dicat Suarez Christum personaliter vnum, significatum per vnum eundemque hominem, non debere sumi, vt terminum á quo assumptionis, sed vt terminum ad quem: sic verbis Anselmi vis manifesta infertur. Id enim, quod assumitur non prout est affectum ijs, quæ beneficio assumptionis obtinet, sed secundum ea, quæ habet ex se, apellare consueuimus. Alioquin possemus dicere Verbum assumpsisse Deum hominem in duplici natura subsistentem, quandoquidem in termino ad quem assumptionis verè de Christo affirmatur, quod fuerit Deus, & homo, & in vtraque natura subsistens.

12 Quare non possum in hoc non laudare Arriagam, qui licet nobis contrarius sit: tamen *tom. de Incarn. disput. 27. sect. 3.* Ingenue fatetur Anselmum stare pro sententia, quam nos sequimur, quia valdè constanter, inquit, asserit repugnare à pluribus personalitatibus diuinis eandem naturam humanam terminari posse. Quid quid deindè sit, si ratio, quæ ab Anselmo adducitur, ab eo inefficax censeatur.

Objicies tamen: D. T. *tertia parte quæst. tertia art. sexto* quærens vtrum plures personæ diuinæ possint assumere vnam numero naturam: in corpore concludit affirmatiuè his verbis. Sic: ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ, vel tres assumerent vnam naturam humanam. ergo nostra sententia est contra D. T. 13

Respondet Mazziotta *tom. primo Selectarum 99. quæst. 10 num. 72.* Subsistentiam absolutam, quæ competit naturæ diuinæ posse sumi dupliciter: primo à personalitatibus præcisam: secundo veluti modificatam ab hac, vel illa personalitate. Primo modo sumpta, est ratio quædam absoluta communis omnibus diuinis personis. Secundo verò modo, est veluti relatiua, adeoque propria illius suppositi, cuius est propria illa relatio, quæ veluti modificando dictam subsistentiam, reddit illam quodammodo relatiuam. Quo posito dicit, quod quando S. D. concedit eandem naturam humanam posse simul à pluribus personis assumi: intelligit posse assumi à dicta subsistentia secundum se, & præcisè considerata, quæ cum absoluta sit, omnibus tribus personis est communis. Vndè fit, vt natura ab ea assumpta, verè dici possit ab omnibus tribus personis simul assumpta, cum constet omnem rationem diuinam absolutam omnibus tribus personis esse communem, ab ijsque æquè participari. 14

Verùm hæc responsio, & explicatio non videtur esse ad mentem S. D. ipsum enim non loqui de huiusmodi assumptione, quæ veluti mediatè tribus personis competeret, sed de immediata, patet ex ratione, quam adducit in corpore articuli, quæ est *huiusmodi*. *Talis* est diuinarum personarum *conditio, quod vna earum* non excludit *aliam à communione eiusdem* naturæ. ergo non *est impossibile diuinis personis*, vt duæ, vel tres assumant vnam naturam humanam. Vbi duo notarem: vnum est, quod si loqueretur de assumptione eiusdem naturæ ad subsistentiam absolutam, impertinenter se haberet illud medium, nimirum: diuinæ personæ non se excludunt ad inuicem à communicatione eiusdem naturæ. Etiam si enim se inuicem excluderent, non tamen indè sequeretur: non posse naturam creatam ad subsistentiam absolutam assumere, vt patet ex sententia illorum, qui mutuam exclusionem ab eadem natura creata personis concedentes, negant implicare contradictionem naturam ad subsistentiam absolutam assumi. Alterum est, quod falsò ex illo antecedente intulisset idem S. D. non esse impossibile, quod duæ, vel tres diuinæ personæ vnam naturam humanam assumant: Assumptio enim immediata ad absolutam subsistentiam necessariò importat, quod omnes tres personæ mediatè illam censeantur assumere: ita, vt implicet quod duæ tantum eam assumant. Dum igitur ex illo antecedente infert, posse duas, vel tres personas vnam naturam assumere, dubium est quod de immediata assumptione ad relatiuam subsistentiam loquatur. 15

Quare

Digitized by Google

alienam, eamque ad se assumere.

5 Probatur: quia duplici modo potest intelligi huiusmodi subsistentiam, naturam extraneam terminare, primo: ita vt non exerceat munus terminandi propriam; & hoc implicat cum enim respectu propriæ se habeat, vt modus substantialis: de ratione autem modi sit inseparabilitas á rè, cuius est modus, rectè deducitur implicare contradictionem: ita alienam naturam terminare, vt non terminet propriam. Potest secundo intelligi, quod vtramque simul terminet, siuè extraneæ vniatur diuinitus per vnionem distinctam, siuè alio modo; & neque hoc. Ratio, quæ mè mouet, est, quia modus non habet potentiam obedientialem in ordine attribuendum suum effectum formalem ei cui naturaliter illum tribuere nequit, vt patet in actione. Illuminatio enim V. G. perquam sol illuminat àèrem non potest diuinitus eleuari ad hoc, vt sit actio calefactiua eiusdem solis; neque ad hoc, vt ea miraculosè vtatur aliud agens V. G. nix ad frigefaciendam aquam. Item vnio modus non potest diuinitus ad uniêda alia extrema extendi, sed de necessitate ea tantum, quæ naturaliter respicit, vnire potest. Sic denique relatio modus est diuinitus in eleuabilis ad referendum aliquod fundamentum, cuius non est naturalis referentia ad terminum suum; & rectè id quidem, cum enim ratio modi essentialiter importet esse actuale exercitium modificandi suum subiectum, cuius est exercitium, ex suis intrinsecis habet afficere illud, & non aliud, eique adæquatè correspondere: ita vt quâtum subiectum est modificabile, tantum ipse sit modificatiuus. Vndè fit, vt si naturaliter non sit talis, implicet, quod diuinitus talis euadat, cum igitur subsistentia creata non possit naturaliter alienam naturam terminare: impossibile erit, vt illam diuinitus terminet, absque eo, quod sua antiqua prædicata quidditatiua deperdat; & alia de nouo acquirat, quod euidens est implicare.

6 Tertia Conclusio: implicat contradictionem eandem numero naturam creatam eodem tempore subsistere per plures personalitates increatas. Ita Scotus *in tertio dist. prima quæst. secunda* item Ricardus, Albertus, Paludanus, & alij, quos sequitur Cardinalis de Lugo *disp. 12. de Incarnat. sect. sexta num. octauo* contra Suarez *tom. primo in tertiam par. disp. 13. sect. 2.* Vasquez *disp. 19* Arriagam *disp. 4 sect. 13.* Ouiedum *contro. 6. puncto quinto*, & alios, docentes omnes tres diuinas personas posse simul immediatè eandem numero naturam creatam assumere.

7 Probatur autem assertiò nostra primo, supponendo hoc ipso, quod aliqua persona diuina vniret sibi hypostaticè naturam aliquam creatam, eam adæquatissimè complere, ac terminare, vt patet ex natura humana Christi Domini, quæ per hoc præcisè, quod credimus in Verbo subsistere, inferimus eam esse completam, & adæquatè terminatam. Tum sic: si in tribus diuinis personis essent tres voluntates distinctæ; sicuti in illis sunt defactò tres distinctæ personalitates, implicaret contradictionè, quod haberent dominium in solidum eiusdem mundi. Sed adæquata, & completa terminatio eiusdem naturæ creatæ se habet; sicuti dominium in solidum eiusdem mundi. ergo implicat quoque tres personas diuinas eundem numero naturam creatam terminare. Consequentia patet, & maior videtur certa: quamuis enim nonnulli recentiores doceant in primo donationis instanti tum donantem, tum donatarium habere dominium in solidum rei, quæ datur, & accipitur: omnes tamen negant posse diuinitus, siuè in eis, siuè in alijs personis in tempore huiusmodi dominium reperiri: eo quod indè sequeretur, quod vnus disponendo de rè faceret, & non faceret iniuriam alteri, quod implicat. Eadem autem ratio militaret si tres diuinæ personæ tres voluntates liberas distinctas haberent. Minor ergo probatur: quia dominium insolidum importat dominium plenum, atque perfectum; quare plures esse dominos insolidum eiusdem rei significat, quod ad singulos eorum pertineat cõpleta, & perfecta dispositio illius rei. Atqui adæquata, & completa terminatio eiusdem naturæ importat, quod natura illa totaliter, & completè pertineat ad eam personam, à qua terminatur, atque completur, eo quod euadat propria illius, ac sit in bonis intrinsecis ac substantialibus suis. ergo se habet sicuti dominiũ in solidum eiusdem rei. Quod vlterius explicatur ex eo: nam, quod faceret diuersitas voluntatum in singulis personis in ordine ad habendum perfectum ius morale in mundo: faceret multiplicitas personalitatum in ordine ad habendum perfectum ius naturale in natura, quia quælibet persona naturam illam tamquam propriam sibi vendicaret. ergo sicuti multiplicitas voluntatum excludit à se indispensabiliter dominium insolidum eiusdem rei: ita & multiplicitas personalitatum completam terminationem eiusdem naturæ.

Probatur secundo: naturam humanam subsistere in persona Verbi V. G. est sistere, & terminari illo supposito. ergo implicat, quod subsistat eodem tempore in persona Patris. Probatur consequentia, quia naturam humanam sistere, & terminari supposito Verbi, est in eo stationem, ac mansionem facere, sed implicat vt aliquis sine replicatione sui simul mansionem faciat alicubi, & ad alium locum excurrat, ibique consistat. ergo &c. Confirmatur, quia si natura humana posset in tribus diuinis personis subsistere, maximè ex paritate naturæ diuinæ; sed hæc paritas nulla est. ergo &c. Minorem probo, quia in tantum natura diuina potest, quia est de se essentialiter fecunda, atque adeò exigit immanenter communicari vni quidem personæ per intellectum, via generationis: & alteri per voluntatem via spirationis. Vndè fit vt quælibet ex tribus personalitatibus distributiuè accepta, ad eius communicabilitatem comparata sit veluti inadæquata, & omnes collectiuè sumptæ illam constituant in se adæquatè sistentem per triplicè sistentiã; & non per plura aliena suppositã diuagantem. 8

Probatur denique tertio auctoritate Anselmi *lib. 2. Cur Deus Homo cap. 9.* vbi ait, quod 9

plures

Digitized by Google

plures personæ diuinæ non possunt assumere vnum eundemque hominem in vnitatem personæ. ergo ex Anselmo habemus non posse eandem naturam multiplici subsistentia increata terminari.

10 Dices S. Th. *tertia parte quæst. 3. art. 6.* In corpore explicare Anselmum, quod loquatur de assumptione naturæ humanæ propriam personalitatem habentis, eo quod humanitas non adhuc subsistens, verè non est homo. Sed huic expositioni se opponit Durandus *in 3. distin. 1. quæst. ter.* Quia in eodem sensu, inquit, loquitur ibi Anselmus de homine, dum negat à pluribus diuinis personis assumi posse, in quo concedit posse assumi ab vna. Sed dum concedit, loquitur de homine, prout importat naturam humanam sine propria persona. ergo etiam dum negat, in eadem acceptione de homine loqui debet. Alias non posset assignari discrimen cur propria personalitas impediret assumptionem á pluribus, & non ab vna.

11 Dices iterum ex Suarez in Commentario Articuli S. Th. Anselmum loqui ex suppositione, quod credimus Christum vnum eundemque hominem personaliter fuisse, & indè inferrè eius humanitatem non pluribus, sed vni tantum personæ vnitam fuisse, quare non simpliciter, sed cum addito negauit tres personas posse eandem humanitatem assumere, scilicet, in vnitatem personæ. Sed contra hanc etiam expositionem facit, quia Anselmus post citata verba, vt ipse met Suarez fatetur, statim adiungit: quare in vna persona tantum id fieri necesse est. Tum sic, si vera esset expositio tradita: sequeretur, quod pronomen (id) pro assumptione vnius, eiusdemque hominis in vnitatem personæ substitueretur, vt de se patet; sed hoc dici nequit. ergo &c. Probo minorem, quia sensus illius propositionis esset: quare in vna persona tantum necesse est vnum eundemque hominem assumere in vnitatem personæ. si igitur vnus idemque homo significaret Christū personaliter vnum, sensus esset quod Christus personaliter vnus necesse erat assumi in vnitatem personæ. Hoc autem est apertè falsum; nulla enim necessitas fuit, vt natura humana in personalitate Verbi subsisteos assumeretur, quia hoc vti dicemus, implicabat. ergo &c. Quod si dicat Suarez Christum personaliter vnum, significatum per vnum eundemque hominem, non debere sumi, vt terminum á quo assumptionis, sed vt terminum ad quem: sic verbis Anselmi vis manifesta infertur. Id enim, quod assumitur non prout est affectum ijs, quæ beneficio assumptionis obtinet, sed secundum ea, quæ habet ex se, apellare consueuimus. Alioquin possemus dicere Verbum assumpsisse Deum hominem in duplici natura subsistentem, quandoquidem in termino ad quem assumptionis verè de Christo affirmatur, quod fuerit Deus, & homo, & in vtraque natura subsistens.

12 Quare non possum in hoc non laudare Arriagam, qui licet nobis contrarius sit: tamen *tom. de Incarn. disput. 27. sect. 3.* Ingenue fatetur Anselmum stare pro sententia, quam nos sequimur, quia valdè constanter, inquit, asserit repugnare à pluribus personalitatibus diuinis eandem naturam humanam terminari posse. Quid quid deindè sit, si ratio, quæ ab Anselmo adducitur, ab eo inefficax censeatur.

Objices tamen: D. T. *tertia parte quæst. tertia art. sexto* quæreas vtrum plures personæ diuinæ possint assumere vnam numero naturam: in corpore concludit affirmatiuè his verbis. Sic: ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ, vel tres assumerent vnam naturam humanam. ergo nostra sententia est contra D. T. 13

Respondet Mazziotta *tom. primo Selectarum 99. quæst. 10 num. 72.* Subsistentiam absolutam, quæ competit naturæ diuinæ posse sumi dupliciter: primo à personalitatibus præcisam: secundo veluti modificatam ab hac, vel illa personalitate. Primo modo sumpta, est ratio quædam absoluta communis omnibus diuinis personis. Secundo verò modo, est veluti relatiua, adeoque propria illius suppositi, cuius est propria illa relatio, quæ veluti modificando dictam subsistentiam, reddit illam quodammodo relatiuam. Quo posito dicit, quod quando S. D. concedit eandem naturam humanam posse simul à pluribus personis assumi: intelligit posse assumi à dicta subsistentia secundum se, & præcisè considerata, quæ cum absoluta sit, omnibus tribus personis est communis. Vndè fit, vt natura ab ea assumpta, verè dici possit ab omnibus tribus personis simul assumpta, cum constet omnem rationem diuinam absolutam omnibus tribus personis esse communem, ab ijsque æquè participari. 14

Verùm hæc responsio, & explicatio non videtur esse ad mentem S. D. ipsum enim non loqui de huiusmodi assumptione, quæ veluti mediatè tribus personis competeret, sed de immediata, patet ex ratione, quam adducit in corpore articuli, quæ est huiusmodi. Talis est diuinarum personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ. ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ, vel tres assumant vnam naturam humanam. Vbi duo notarem: vnum est, quod si loqueretur de assumptione eiusdem naturæ ad subsistentiam absolutam, impertinenter se haberet illud medium, nimirum: diuinæ personæ non se excludunt ad inuicem à communicatione eiusdem naturæ. Etiam si enim se inuicem excluderent, non tamen indè sequeretur: non posse naturam creatam ad subsistentiam absolutam assumere, vt patet ex sententia illorum, qui mutuam exclusionem ab eadem natura creata personis concedentes: negant implicare contradictionem naturam ad subsistentiam absolutam assumi. Alterum est, quod falso ex illo antecedente intulisset idem S. D. non esse impossibile, quod duæ, vel tres diuinæ personæ vnam naturam humanam assumant: Assumptio enim immediata ad absolutam subsistentiam necessariò importat, quod omnes tres personæ mediatè illam censeantur assumere: ita, vt implicet quod duæ tantum eam assumant. Dum igitur ex illo antecedente infert, posse duas, vel tres personas vnam naturam assumere, euidens signū est quod de immediata assumptione ad relatiuā subsistentiam loquatur. 15 16 17

Quare

Digitized by Google

14 Quare hac reſponſione poſt habita melius reſpondendum putarem S. D. dum negat eſſe impoſſibile duas, vel tres diuinas perſonas vnã naturam aſſumere, non loqui abſolutè, & omnibus penſatis; ſed ſolum ſpectatis ijs, quæ ſe tenent ex parte ipſarum diuinarum perſonarũ, cum quo ſtat, vt ſi ſpectentur ea, quæ ex parte naturæ creatæ ſe teneant, id cenſendum ſit impoſſibile. Iam verò nè videar hoc, quod dico gratis aſſerere: Probo dupliciter. Primo ex titulo articuli, in quo quæritur vtrum plures perſonæ diuinæ poſſint vnam naturam aſſumere, cuius pars affirmatiua poteſt rectè cohaerere cum hoc, quod eadem natura non poſſit ab illis aſſumi. Multa enim quantum, eſt de ſe poteſt facere Deus, quæ quia factibilia non ſunt, non poſſunt fieri, vt ipſe met S. D. in opuſculo de creatura ab æterno teſtatur. Idem probo ſecundo ex ratione ad id probandum allata, quæ ducitur ex conditione, quod vna perſonarum non excludit aliam à communione eiuſdem naturæ. Porrò hæc ratio non poteſt abſolutè concludere intentum, ſed conditionatè tantum, quantum eſt ex vi ipſarum perſonarum, quia non obſtante poſitiua non excluſione, ac compoſſibilitate mutua earum, poteſt oriri repugnãtia ex parte ipſius naturæ aſſumendæ, quæ ſit illarum incapax. Quod non obſcurè innuit S. Doctor in corpore ſic ſubdens: circa hoc quæſtitum magis eſt iudicandum ſecundum conditionem diuinæ perſonæ aſſumentis, quam ſecundum conditionem naturæ humanæ aſſumptæ.

15 Inſtabis: S. Th. poſt quam dixit non eſſe impoſſibile diuinis perſonis vnam naturam humanam ſimul aſſumere, ſic ſubdidit: eſſet tamen impoſſibile, vt aſſumerent vnam hypoſtaſim, vel vnam perſonam humanam. Tum ſic. In eodem ſenſu negat ipſe eſſe impoſſibile primũ ac concedit eſſe impoſſibile ſecundum, ſed hoc ſecundum eſt impoſſibile ex parte ipſius hypoſtaſis, & perſonalitatis humanæ aſſumendæ, quatenus eſt incapax, vt aſſumatur. ergo putat primum etiam ex parte ipſius naturæ humanæ aſſumendæ non eſſe impoſſibile.

16 Reſpondeo, aſſumptionem perſonalitatis humanæ repugnare illi, quatenus eſt perſonalitas vt ſic, quia per hoc præcisè, quod habeat rationem vltimi termini implicat contradictionem, vt aſſumatur. Quoniam verò ratio perſonalitatis, vt ſic, æquè reperitur in perſonalitate diuina, ad quam deberet poſſe aſſumi: hinc fit, vt dicta aſſumptio non ſolum repugnet ex parte humanæ perſonalitatis; ſed etiam ex parte diuinæ. Quamuis enim diuina in hac aſſumptione ſe haberet, vt terminus, & humana, vt terminata, quia tamen ex ea ſequeretur deſtructio conceptus perſonalitatis, vt ſic, quatenus indè deduceretur, quod eſſet, & non eſſet vltimus terminus: hinc fit, vt æquè huiuſmodi aſſumptio perſonalitati diuinæ, ac humanæ repugnet, quod non militat in aſſumptione eiuſdem naturæ á pluribus diuinis perſonis. Hac poſita doctrina: diſtinguo maiorem argumenti: In eodem ſenſu negat D. T. eſſe impoſſibile diuinis perſonis vnam naturam humanam terminare, ac concedit eſſe illis impoſſibile terminare humanam perſonalitatem, & diuerſo modo, concedo; & eodem modo, nego; & ad minorem, Dico aſſumptionem perſonalitatis humanæ ad diuinam perſonalitatem ex parte vtriuſque termini eſſe impoſſibilem, aſſumentis, videlicet, & aſſumpti. Contra verò aſſumptionem humanæ naturæ ad tres diuinas perſonas ex parte vnius tantũ extremi, nempè naturæ aſſumendæ. Quare diſtincta iuxta hanc explicationẽ dicta minore, nego conſequentiam.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum eadem natura creata poſſit ſimul per propriam, & alienam ſubſiſtentiam ſubſiſtere.

17 Concluſio eſt negatiua. Dico enim implicare contradictionem naturam creatam, retenta propria perſonalitate, terminari poſſe à perſonalitate Diuina. Hæc ſententia eſt communiſſima inter Theologos, adeò vt Vaſquez in illorum lectione verſatiſſimus *tertia parte diſp. 33. cap. 2. num. ſecundo* hæc habet: Omnes ſcriptores, quos ego hactenus legi de hac rè diſputantes planè conueniunt, atque vno ore aſſerunt, non poſſe naturam creatam manente in propria perſona, aſſumi à Deo in vnitatem perſonę. Cõtrarium tamen tenent nonnulli recentiores, inter quos eſt Hurtadus *diſput. 11. Metaph. §. 102.* Arriaga de Incarnatione *diſput. 27. ſect. prima* Ouiedus *contro. 6. Metaph. puncto quinto*, & alij.

18 Probatur primo concluſio auctoritate D. T. *in tertio diſt. 5. quæſt. 3. art. tertio corp.* Vbi probans Verbum non potuiſſe naturam humanam habentem propriam perſonalitatem aſſumere. Quod aſſumitur (inquit) trahitur ad aliquid completius, ipſum incompletum exiſtens; & hoc eſt contra rationem perſonæ, quæ maximã completionem importat. Ex quo ſic argumentor: natura propria perſonalitate prædita, eſt maximè completa, ſed natura, vt ſit apta vniri hypoſtaticè Verbo, debet habere incompletionem aliquam. ergo implicat naturam propria perſonalitate præditam poſſe aſſumi à Verbo in vnitatem perſonæ. Præterea *in tertio diſt. 3. qu. 2. art. tertio*. Quærens vtrum Caro Chriſti prius fuerit concepta, quam aſſumpta *in corp.* Sic reſpondet: non fuit poſſibile, quod Caro prius fuerit concepta, & poſtmodum aſſumpta, quia ſi ante aſſumptionem concepta fuiſſet, propriam hypoſtaſim habuiſſet; & tunc poſt aſſumptionem, vel manſiſſet illa hypoſtaſis, & ſic non potuiſſet fieri vnio in hypoſtaſi; vel non manſiſſet, & hoc ſine corruptione carnis, prius conceptæ accidere non poſſet. Ratio enim hypoſtaſis non eſt accidentalis rei, vt rè eadem numero manente, alia hypoſtaſis eſſe poſſit. Ita S.T. Porrò hanc eandem rationẽ aſſignat *quarto contra gentes cap. 43.* Probans naturam humanam non potuiſſe præxiſtere aſſumptioni, quia nimirum ex vna parte non potuiſſet retinere propriam perſonalitatem, & ex alia deſtructa perſonalitate, neceſſè erat corrumpi, & deſtrui ipſam naturam. Porrò de hac cauſali loquens

Digitized by Google

Vasquez *disput. cit. in fine num. secundi* ego (inquit) sanè non video qua ratione probari possit. Verum hoc ipse dicis, quia putat existentiam identificari cum natura, & non cum hypostasi. At posita sententia contraria rectè deducitur, quod si humanitas creatam personalitatem in assumptione perdidisset, procul dubio fuisset corrupta. Ex quo manifestè deducitur D. T. in hac fuisse sententia, dum in vtroque *tom. cit.* infert cum Carnem Christi, tum eius humanitatem ex deperditione propriæ subsistentiæ corrumpendas fuisse.

19 Probatur secundo Theologice, quia Concilia, & Patres ex eo, quod humanitas Christi existit in persona Verbi, intulerunt eam carere propria personalitate creata. Sed mala fuisset hæc illatio, si natura humana retenta personalitate potuisset assumi à Verbo. ergo dicendum est quod implicet sic assumi. Maior patet. Minor probatur, quia si potuisset recenta propria personalitate assumi, vtique debuisset, sed si debuisset, procul dubio assumpta fuisset. ergo mala fuisset illa illatio. Maior patet, quia natura humana habuit exigentiam habendi in Christo omnes naturales proprietas, atque perfectiones naturaliter debitas reliquis individuis humanis, præter eas quæ non poterant simul stare cum vnione hypostatica. Minor vero claret, quia non fuit æquum, quod Verbum Diuinum excluderet ab humanitate aliquam ex proprietatibus naturalibus ab ea exactis hoc ipso, quod poterat cum illa coniungi. Denique consequentia est legitima.

20 Ad hoc argumentum respondent dupliciter Aduersarij; & primo quidem concessa maiore, distinguunt minorem: mala fuisset illa illatio si natura humana retenta propria personalitate potuisset assumi; & siquidem potuisset connaturaliter, concedunt: posito, quod potuit per absolutam Dei potentiam tantum, negant minorem: & ad eius probationem distingunt eodem modo maiorem: si potuisset assumi connaturaliter, vtique debuisset, concedunt. Ex suppositione, quod solum per absolutam Dei potentiam poterat, negant; Et dicunt personalitatem creatam solum in ordine ad potentiam absolutam non repugnare cum diuina: pugnare tamen connaturaliter. Quare cum in mysterio Incarnationis non sint multiplicanda miracula sine necessitate, rectè Patres ex eo, quod humanitas Christi subsistit per subsistentiam Verbi, intulerunt carere propria subsistentia.

21 Hanc responsionem sic impugnat Lugo *disp. 12. cit. num. 69.* Non est minus miraculum, imò maius spoliare naturam propria subsistentia, quam eam conseruare simul cum aliena. Quia propria subsistētia est passio profluens à natura, cuius est propria, & debetur illi connaturaliter. ergo non est maior ratio cur Ecclesia ad aduentum alienæ deperditionem propriæ, & non potius conseruationem intulerit. Quod si respondeant, quod licet vtraque repugnantia sit solum de lege ordinaria; magis tamen repugnet: naturam duplici subsistentia terminari, quam priuari propria; ad eum planè modum, quo in Eucharistia dicimus: accidentia non dependere à substantia panis, eo, quod conseruantur à Corpore Christi, quatenus licet illis vtraque conseruatio simultanea diuinitus non repugnet; magis tamen repugnat connaturaliter conseruari à duplici causa adæquata; quam ab vna quantumuis indebita. Quod si, inquam, hoc modo respondeant aduersarij, sic eos redarguit idem Lugo *num. 71.* Ideò dependentia accidentium à substantia Panis in Eucharistia tollitur vt superflua ex aduentu dependentiæ miraculosæ, qua à Christi Corpore dependent, quia nimirum totum id, quod possent habere ex vi antiquæ dependentiæ: iam habent ex vi nouæ; quidem per quamlibet illarum fiunt à parte rei, & extra causas suas. At verò natura humana Christi accipit à propria subsistentia subsistere in se; à diuina verò subsistere in alio: quæ sunt valdè diuersa. ergo licet in Eucharistia ad præsentiam vnius dependentiæ debeat corrumpi altera: in casu tamen nostro ad præsentiā subsistentiæ diuinæ non deberet corrumpi connaturaliter humana.

Verum hanc redargutionem eludere possent 22
aduersarij dicendo, quod quemadmodum totum id, quod habebant accidentia à substantia Panis, habent à Corpore Christi, sed non eodem modo. Ita totum id, quod habet natura à propria subsistentia, habet ab aliena; sed non eodem modo. Nam sicuti dicitur, quod natura per propriam subsistentiam subsistit in se, per alienam in alio. Ita illi docent, quod accidentia per dependentiam à substantia Panis existūt in alio, & per dependentiam à Christi Corpore in genere efficientis illa conseruantis existunt in se, & quod substantiam Panis tanquam propriam, substantiam verò Corporis Christi tāquam alienam respiciunt: quare sicuti hac diuersitate non obstante statuit Ecclesia, quod in Eucharistia Panis substantia destruatur: ita semel etiam debuit, quod in Incarnatione impedita sit creata subsistentia naturæ humanæ ad præsentiam increatæ.

Quare hac impugnatione posita: melius 23
aduersariorū responsionem in hunc ferè modum redarguendam existimarem. Si non implicaret contradictionem naturam humana retenta propria personalitate assumi potuisse à Verbo; sequeretur, quod etiam connaturaliter potuisset sic assumi. Sed hoc est contra Aduersarios docentes Ecclesiam propter connaturalem repugnantiam, & non propter essentialem, intulisse in Christo carentiam personalitatis creatæ. ergo &c. Minor, & consequentia patent. Sequela verò maioris probatur, quia hoc ipso, quod subsistentia creata, & increata non se essentialiter excluderent ad inuicem, nulla assignari posset ratio, cur connaturaliter non possent esse simul; si qua enim assignabilis esset, ea ex superfluitate, vel ex contrarietate desumeretur, quatenus nimirum, vel alterutra superflueret; sicuti superfluit vna quantitas in vno corpore ad præsentiam alterius quantitatis, vel quia propter oppositionem ab humanitate se mutuo excluderent; sicuti se excludunt calor, & frigus in summo ab eodem subiecto. Sed nostra ratio in casu nostro militat. ergo &c. Probo mino-

Digitized by Google

videndum unum quod ad primam partem, quia quod una persona subsistat in præsentia alterius supra fuit, quando de illa eadem prorsus ratione ultimè, & solum hic est inquirendum quod si sint diversæ rationes, cur unus Christus perfectionem omnibus non habeat, non est cur alicui ea competat, quod videmus esse in Christo Domino, cui si humanitas non fuerit subsistentialiter unita beneficio ordinis hypostatici alibi nihilominus gloriam habitualem, per quam beatificetur accidentaliter, & ratione alterius, quod non habet præsentialiter, & ratione alterius fuerit superfluum, quia unio hypostatica ad Verbum non habet ordinem ad gloriam, sed ad gratiam, & ideo non habet ordinem ad gloriam, sed ad gratiam, & ideo non habet ordinem ad gloriam, sed ad gratiam, & ideo

personalitatem duplicatam, vt colligitur ex D. Tho. 3. per quæ 7. arti. 3. corp. quare non solum una persona non posset prædicari de altera, sed etiam nullum eorum prædicatorum, quæ verificarentur de increata natura Diuina, verificari possent de persona creata, quia hæc neque naturam diuinam terminaret, neque cum diuina personalitate identificaretur; cum quo tamen staret, quod omnia prædicata accidentalia, quæ dicerentur de persona creata, verificari possent de persona Diuina, & sic vtraque posset dici homo, vtraque rationalis, risibilis, &c.

30 His præmissis, vt Arriaga respondeat impugnemus 1. falsum esse, potuisse recte colligere Patres in Christo non fuisse personalitatem creatam eo, quod Scriptura semper de Christo tanquam de vna persona loquantur, quia omnia ea, quæ Scriptura de Christo loquuntur, vel ad eius diuinitatem pertinent, vel ad eius humanitatem; ex eo autem, quod loquantur de illo tanquam de vna persona, ea, quæ ad eius diuinitatem spectant, non poterant colligere non esse in eo personam humanam, quia hæc fuisset incapax illorum, quæ dicebantur, atque adeò in ordine ad illa se habuisset, ac si non fuisset in Christo. Ea verò prædicata, quæ ad eius humanitatem spectabant, cum indifferentia de persona creata, ac increata, verificari potuissent; & sic neque ex his rationabiliter colligi debuisset à Patribus in Christo non esse personam creatam, vt patet ex illis prædicatis; Christus meritus, est homo &c. Nam, sine Christum in ea hypothesi supponerent pro persona creata, siue pro increata: vera semper fuisset propositio. Vnde falsum est ex his propositionibus potuisse colligere Patres Scripturas de Christo tanquam de vna persona loquutas, quia cum indifferentia tum de vna, tum de altera verificari potuissent.

31 Ex his patet responsio ad duplicem probationem in contrarium: ego enim, quod in illis loquutionibus: ego, & Pater vnum sumus. Filius hominis descendit de Cælo: Tu es Christus Filius Dei Viui &c. Si in Christo esset persona humana, Particulæ illæ, ego, Filius hominis, tu, ostendendo Christum tam debuerunt supponi pro persona humana, quã pro diuina, nam si sic deberent supponi; vel disiunctiuè, hoc est pro vna, aut altera persona indifferenter, & indeterminatè: & hoc non, quia prædicata dictarum propositionum pertinent ad diuinitatem, atque adeò non, nisi per communicationem idiomatum de humana persona verificari possent. Probatum autem est inter illam, & personam diuinam non futuram fuisse huiusmodi communicationem: ergo &c. Vel supponi deberent pro vtraque copulatiuè, vel ab argumente intenditur, quatenus videlicet vtraque partialiter componeret Christum; & hoc æque, quia dum illæ personæ essent in Christo, non facerent vnum substantiale, siue in natura, siue in persona, vt patet: neque facerent vnum vltimum accidentale, quia neque se respicerent, vt subiectum, & formam, neque in natura humana tanquam in communi subiecto reciperetur, quia Verbum est actus irreceptibilis, vt constat. Quare si in Christo esset personalitas creata, & increata, Christus ad hominem faceret vnum modaliter, sicuti volebat Nestorius, ratione scilicet affectionis, & amoris, qui inter vtramque personã reperiretur. Quemadmodum igitur licet persona Patris, & persona Filij sint vnum in natura diuina: in his tamen loquutionibus, in quibus Pater, vel Filius loquitur qua talis, non significatur constatum ex Patre, & Filio: ita neque in casu incerto. Hanc veritatem colligere etiam possumus ex ipso met auctore *loco citato de Incarnat. sect. sequenti num.* 32. Vbi docet quod casu, quo tres diuinæ personæ eandem assumerent humanitatem, essent tres homines, quare tunc temporis, ly (hic homo) foret æquiuocum: essent enim ibi tres homines, nisi vlterius determinari oporteret, quinam ex tribus personis vnirentur per vocem illam (hic homo) significata. Atqui ex hypothesi, quod natura humana, retenta propria personalitate, assumpta fuisset à Verbo, iam haberemus in Christo duas personas. ergo illa pronomina: ego, tu, *hic*, *ille*, &c. Vel ad vnam, vel ad alteram personam determinanda essent ex circumstantijs, & nõ esset necesse, vt pro constato ex vtraque supponeret.

32 Ad rationem denique ex Venerabili Eucharistiæ paritatem negandã, est paritas. Ratio disparitatis est, quia si sub speciebus remaneret substantia Panis, propositio illa (hoc est corpus meum) esset falsa, quia primum hoc ex communi hominum vsu non solum determinat accidentia sensibilia, sed etiam contentum sub illis. Quare sicuti, qui ostensa ornamenta, quæ aurum, & argentum continerent, si diceret mihi: hoc est aurum, eius propositio esset falsa: ita si simul cum Corpore Christi existeret in Eucharistia substantia Panis, falsa esset propositio Christi: *Hoc est corpus meum*. Nec verò in illis aliis scripturarum loquutionibus non militat hæc ratio. Quia in illis agitur de Christo secundum se, & non, vt de contento sub continente, vt patet. Atque hæc est ratio, quare ostensa Christo, possumus cum veritate dicere: hic est homo, nulla facta mentione de diuina natura, quæ est in illo supposito. Ostensis autem speciebus panis, falso diceremus: hoc est Corpus Christi, si simul existeret sub illis substantia panis, quia hominum in prima propositione pronomen illud non se habet, vt ostensiuum specialiter contenti sub continente, sed simpliciter, vt determinans naturam suppositi, respectu cuius licet dictamatera partialiter se habeat: quia tamen pars in concreto accepta potest cum veritate prædicari de toto: id circo potest verè dici, ostenso Christo Domino, hic est homo, non verò ostensis speciebus: hoc est corpus meum, si ad esset panis. Suppositio enim vocis, est acceptio illius in propositione pro re significata, non semper eodem modo existente, sed iuxta exigentiam propositionis, in qua assumitur, vt rectè docet Arriaga *prima parte disput.* 137. *cap. prima*. Ex quibus

Digitized by Google

omnibus rectè colligitur solidam esse nostram secundam rationem, qua probauimus, quod nisi implicaret contradictionem naturam humanam retenta propria personalitate subsistere posse personalitate diuina; non rectè deduxisent Concilia, & Patres in Christo Domino non esse personalitatem creatam; sed age iam experiamur, si placet num huiusmodi contradictionem per locum intrinsecum, vt aiunt, & à priori suadere possimus.

33 Probo igitur assertionem nostram tertiò argumento communi: Subsistentia propria reddit naturam creatam per se, & in se ipsa sistentem; subsistentia verò increata reddit illam subsistentem in alio, sed implicat, quod id quod sistit in se transeat in aliud, ergo implicat naturam creatam retenta propria subsistentia subsistere per subsistentiam increatam. Maior videtur certa, siquidem natura in propria subsistentia est quasi sibi ipsi innixa, in aliena verò quasi subsistentata ab illa. Vnde fit vt natura assumpta non sit propriè per se, nec in se subsistat, sed in alio, ergo &c. Minor verò suadetur à similibus, quia implicat quod linea, quæ beneficio sui indiuisibilis terminatiui constituitur in esse palmari, simul excurrat ad esse bipalmare beneficio alterius indiuisibilis. Item implicat, quod quantitas illa, qua terminatur propria figura rotunda V. G. simul terminetur aliena figura triangulari, vel quadrangulari. Denique implicat, quod idem omnino corpus non replicatum simul quiescat per vbi permanens in aliquo loco, & in eodem loco moueatur per vbi fluens. Sed id, quod beneficio propriæ subsistentiæ sistit in se est simile lineæ palmari suo proprio indiuisibili terminatæ, & quantitati suæ sphæricæ figuræ circumscriptæ, & corpori in aliquo loco quiescenti: quod verò beneficio alienæ subsistentiæ sistit in alio se habet sicuti linea, quæ alicubi indiuisibili terminatur, & sicuti quantitas, quæ aliena figurâ circumscribitur, & vt corpus, quod transit ad alium locum. ergo vtrum implicabit vt id, quod per propriam subsistentiam sistit in se, transeat per alienam ad aliud.

34 Ad hoc argumentum potest multipliciter responderi. Prima responsio est Quidam *quinto sij. num.* 10. dicentis naturam sistere in se, duo importare, vnum de positivo, alterum de negativo: De positivo importare habere proprium terminum, quo vltimo completur. De negativo verò carentiam alienæ subsistentiæ. Iam licet vtrumque sit effectus formalis subsistentiæ propriæ, quia tamen primus est primarius, secundus verò secundarius: hinc fit, vt primus diuinitus impediri non possit; possit verò secundus. Ad eum planè modum, quo carentia frigoris in corpore calido, vt octo, potest de potentia absoluta impediri, quamvis impediri nequeat nè corpus illud sit calidum. Quoniam verò sistere in se importat vtrumque effectum, quem propria subsistentia naturæ communicat: ideò non est mirum si implicet contradictionem, quod natura sistat in se, & simul excurrat ad aliud. Cum hoc tamen stat, quod retenta propria subsistentia possit simul alienam habere; ad eum planè modum, quo potest ignis reproductus miraculosè à Deo esse in duplici loco, iuxtam lunam quidem tanquam in proprio, & in medio aëris tanquam in alieno. Imò *num. sequenti* addit hoc quod est rem propriam, & aliena forma affici nullam dicere repugnantiam, vt patet ex lapide qui simul habet frigiditatem, quæ propria qualitas est, & lucem, quæ est sibi aduentitia; & aliena. Ex quo colligit oppositionem, quam habet propria, & aliena subsistentia in eadem natura, oriri solum ex superfluitate.

35 Sed contra hunc totum discursum facit primo: quia licet exclusio, seù carentia alienæ subsistentiæ sit effectus secundarius á subsistentia propria naturæ proueniens: per hoc tamen non sequitur, quod sit ab ea per Dei potentiam separabilis. Dantur enim quam plures effectus huiusmodi negatiui diuinitus inseparabiles, & defactò carentia vlterioris excursus in linea palmari proprio indiuisibili terminata, & carentia figuræ quadrangularis in quantitate rotunda, nec non etiam carentia motus in corpore, vbi permanente affecto, sunt effectus secundarij negatiui, prouenientes à formis, quibus dicta subiecta ponuntur affecta; & tamen per absolutam Dei potentiam separari nequeunt à dictis subiectis. Quamuis autem non negauerim dari, quoque alios negatiuos à suis causis diuinitus separabiles; sicuti est carentia frigoris á subiecto calido, vt octo: non tamen temere assumendum est carentiam alienæ subsistentiæ ad vnum genus potius effectuum secundariorum negatiuorum, quam ad aliud respectu subsistentiæ propriæ pertinere, sed inquirendum, quibus nam formis positiuis subsistentia propria magis assimiletur; illis nè, quæ effectum suum secundarium negatiuum essentialiter afferunt subiecto, an potius illis, quæ connaturaliter tantum. Quoniam verò nos vidimus eam esse valdè similem prioribus; hinc rectè deducimus implicare contradictionem illam cum subsistentia aliena posse in eadem natura consociari. Contra eundem discursum facit secundo, quia dum concedit auctor implicare contradictionem, quod id, quod sistit in se, in sensu composito possit transire ad aliud: inconsequenter postea negat implicare contradictionem naturam terminatam propria subsistentia posse in sensu composito terminari etiam aliena, quia communis Theologorum sensus pro eodem sumit naturam sistere in se, & transire ad aliud; ac terminari propria, & aliena subsistentia: iam verò in hac materia, quæ tota ex reuelatione pendet, debemus quo ad fieri potest vocabula, quibus vtimur, in eadem significatione omnes accipere. Addè quod subsistentia est vltimus naturæ terminus. ergo si propria est, natura eius beneficio in se sistit; sin autem aliena, transit ad aliud suppositum. ergo si sistentia in se, & transitus ad aliud dicunt rationes positiuas, quarum vna indispensabiliter includit carentiam alterius: etiam subsistentia propria, & aliena eandem significationem imbebunt.

36 Contra denique duplex exemplum, quod adduci-

dicitur de igne, & lapide. Fabr. tertio, quia si natura respectu subsistentiæ propriæ, & alienæ se haberet, sicuti se habet ignis respectu propij, & alieni loci: sequeretur, quod quemadmodum ignis sine miraculo potest successiuè ex loco proprio transire ad alienum: ita posset natura, relicta propria subsistentia, per alienam subsistere; & quemadmodum ignis posita miraculosa replicatione non indigeret nouo miraculo, vt in duplici illo loco simul existat: ita, & natura subsistens in persona Verbi replicata, sine nouo miraculo in se ipsa simul subsistere posset. Vtrumque autem absurdum esse, patet etiam fatente ipso Quiedo. ergo &c. Rursus si subsistentia propria, & aliena respectu naturæ se haberent, sicuti frigus, & lumen respectu lapidis, connaturaliter omnino simul illam perficerent, ad eum planè modum, quo dictæ qualitates perficiunt lapidem. Neque enim superfluit ex quidquam obstaret rei supra notauimus, quia tunc duæ formæ eidem omnino subiecto sunt superfluæ, quando solo numero inter se differunt, & nihil commodi habet subiectum ab vna, quod non habeat ab altera. In casu autem nostro propria, & aliena subsistentia, differrent plusquam genere, quia vna esset creata, altera increata; & diuersa commoda, diuersasque perfectiones naturæ afferrent. ergo &c.

37 Secunda responsio ad argumentum principale, cuius meminit Lugo *loco citato num.* 75. potest esse dicentium: subsistentiam propriam reddere naturam per se, & ipse sistentem solum in actu primo, & exigitiuè, non verò in actu secundo, & formaliter; & ideò non esse mirum, si per Dei potentiam propria stare simul possit cum aliena, ad eum planè modum, quo quia quantitas reddit corpus, in quo est impenetrabile solum in actu primo, non repugnat posse diuinitus Corpus quantitate affectum cum alio corpore penetrari.

38 Sed neque hæc responsio procedit, quia natura ex suis intrinsecis exigit proximè sistere in se ipsa, & non beneficio propriæ subsistentiæ, alioquin si propria subsistentia hanc proximam exigentiam illi afferret: sequeretur, quod beneficio alterius modi deberet in se formaliter sistere, ad eum planè modum, quo quia quantitas reddit corpus in quo est non impenetrabile formaliter, sed solū exigitiuè, id circo admitti debet in corpore alius modus, per quē reddatur formaliter impenetrabile, quo caret Corpus Christi Domini in Eucharistia, quamuis sit præditum quantitate. Atqui hic alius modus exactus á natura subsistēte est implicatorius, nam simul esset, & non esset subsistentia nō esset vt conceditur: esset autē, quia vltimo perficeret, ac terminaret naturam, & redderet illam formaliter in se sistentem, quæ omnia sunt, vti vidimus de intrinseca ratione subsistentiæ propriæ; & per hæc patet disparitas inter quantitatem, & subsistentiam. Formalis enim effectus quantitatis non consistit, vti vidimus in Physicis, in reddendo corpus formaliter impenetrabile: alioquin Christus in Eucharistia quantitate careret, quod ibi probauimus nōn esse concedendum. Vade ergo, vt commodiùs compenetrari possit cum quantitate Petri: atqui subsistentia propria beneficio naturæ redditur formaliter in se completa, & terminata, quæ si diuinitus poterit connaturaliter per alienam subsistentiam subsistere.

Tertia denique responsio sumi potest ex Sario *tom. prim. in 3 partem punct. disp. 14. sect. prima* docente rationem nostram probare solum naturam in vno, eodemque loco existentem non posse simul propria, & aliena subsistentia subsistere: tamen si supponamus naturam in duobus locis miraculosè replicari, non inuoluere contradictionem, quod in vno per propriam creatam, in alio verò per alienam increatam subsistat. Verū per hæc non respondetur propriè ad argumentum nostrum, neque nostra assertio labefactatur, quia nos de eadem numero natura creata in vno, eodemque loco, ac tempore constituta loquimur, quando negamus eam posse diuinitus propria, & aliena subsistentia terminari; & in eodem sensu loquuntur illi, qui eandem quæstionem instituentes docent id non inuoluere contradictionem. Cæterū nam hanc essentiali incompossibilitatem dictarum subsistentiarū in eadem natura in vno loco existente, cessare valeat ex suppositione, quod existat in duplici loco repugnantia dubium est. Quiedo *punct. 5. quæst. 7.* negatiuè respondet, quia, vt iam physicis probauit, omnia, quæ ratione suæ incompossibilitatis formalis repugnant subiecto existenti in simplici loco, repugnant illi in multiplici constituto. Verum, quia nos in physicis quoque, cum de replicatione corporis in diuersis locis, oppositum docuimus, id circo existimamus nullam in hoc sensu inesse repugnantiam, & rectè id quidem; contradictio enim non magis requirit identitatem subiecti, & corporis, quam identitatem loci. Quare simul non implicat, quod eadem numero natura non tempore propria, alio verò relicta subsistentia terminetur: ita neque, quod id duplicis replicata locis, in vno terminetur vna, in altero altera; & ratio vlterior esse potest, quia natura in duplici existens loco, non se habet vt vnum subiectum, sed vt duplex, & æquiualenter est multiplex. Quemadmodum igitur eadem Virgo replicata, in vno loco potest esse curua, & in altero recta, & eadem linea palmaris in vno terminata proprie indiuisibili, & sic totum quid in altero alieno, & sit pars lineæ vlnaris V. G. & idem corpus in vno habere vnam figuram, in altero alteram: ita, & eadem numero natura replicetur, poterit in vno loco beneficio propriæ personalitatis sistere in se, aliena verò in alio.

Obijcies: potest eadem res V. G. Deus aliqua, esse simul propria, & aliena: ergo poterit eadem natura per propriam, & aliquam subsistentiam simul subsistere.

Respondeo: transeat antecedens; negō consequentiam. Disparitas potest esse, quia dicta illa dominia forte non constituunt effectus formales essentialiter ipsos incompossibiles; cōtra verò

era verò duæ illæ subsistentiæ, quarum vna est propria, & altera aliena vel videmus. Dixi tamen ad antecedens, quia illud existimo fal-

sum. Quoniam verò eius controuersia hac tempestate est valde celebris, placet eam arrepta hac occasione, ex professo discutere.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA QVINTA

INCIDENS VTRVM DVO POSSINT ESSE DOMINI in solidum eiusdem rei

Vlores indiuisibiliter sumptos habere posse dominium supra rem indiuisam nullo dubium est. Verum autem dubia sit casus, in quo duo distributiuè accepti sint adæquatè domini eiusdem rei: ita vt possint de illa singuli, vnus independenter ab altero, ac si solus esset, perfectè disponere; hoc est, quod controuertimus, dum quærimus: Vtrum duo possint habere dominium in solidum eiusdem rei. Solidum enim idem significat, ac plenum, & perfectum: cum autem dominium de suo essentiali conceptu sit in ordine ad vsum, dominium in solidum est dominium plenum, quod ad omnem vsum, & vtilitatem, ac dispositionem se extendat. In hac controuersia sic,

SECTIO PRIMA.

Nostrorum sententia.

PRima sententia est Cardinalis de Lugo *de Incarnat. disp. 3. sect. 5. & de Iust. & Iure disp. 2. sect. secunda* Petri Hur. *de Incar. disp. 12. sect. 5.* Arriaga *de primam partem disp. 3. sect. 2.* Et aliorum recentiorum respondentium cum distinctione: si enim loquamur de primo instanti, quo quis alteri rem aliquam donat, & alter vicissim in eodem instanti illam acceptat; dicunt, non solum non repugnare tale dominium, sed de necessitate reperiri in illis duobus distributiuè acceptis: ità vt quilibet eorum per se sumptus sit verè, & simpliciter dominus illius rei, pro illo instanti: siu autem sermo sit de tempore sequenti ad instans donationis; dicunt implicare contradictionem dominium alicuius rei in solidum posse esse penes illos, sed necessariò reperiri solum in recipiente, seù donatario.

Secunda sententia est Vadigni *disp. 11. de Incarnat. dubio quarto* existimantis ex natura rei dominium in solidum non solum esse posse penes plures in vnico donationis instanti, sed etiam toto tempore sequenti ad illud instans; quod si Iuristæ id negant, est quia iure ciuili prohibitum est.

Tertia denique sententia præcedentibus opposita, est dicentium dominium in solidum nunquam posse reperiri penes plures, neque pro primo instanti donationis, neque pro tempore consequenti ad illud instans. Hanc sententiam tenent, vt inquit Arriaga *ibidem sect. 3. num. 13.* Omnes Legis Periti, atque Theologi communiter, sed verè eam potius supponendo, quam probando; neminem enim ipsi, aut alij citant, qui eam ex professo defendat ad primum instans donationis descendendo, nec ego aliquem vidi, nisi solum August. Bernal. qui *disp. 7. sect. 3. §. 3. num. 41.* Primam sententiam impugnandam promittit, sed poste- *num. 48.* Fatetur in primo instanti reali donationis donatorem pro priori naturæ esse Dominum rei donatæ: pro posteriori verò dominiu esse penes donatarium: quasi verò, vel hæc signa rationis in illo instanti reali non comprehendantur: & quid quid est pro aliquo signo naturæ cõprehensũ in aliquo instanti non sit rè vera in ipso instanti: Vel auctores oppositæ sententiæ dixerint duos illos non solum pro eodem instanti reali, sed pro eodem etiã signo rationis posse habere dominium eiusdem rei. Quare merito notatur à Lugo *de Iust. loco cit.* Quod promittat vtam sententiam impugnare, re verâ tamen aliam diuersam impugnet, quam ipse non tenet; cum impossibile etiam existimet, quod pro eodem signo naturæ, pro quo donans est dominus alicuius rei, sit etiam dominus illius in solidum donatarius; eò quod dominium non est vsus dominij, sed potestas ad vtendum, vel disponendum de rè, atque adeò se habet, vt causa ipsius vsus. Necessè igitur est, vt intelligatur in donante antecedenter ad vsum illum à quo dependet dominium donatarij. Non igitur possunt dicta dominia simul intelligi in eodem signo non negauerim tamen mè postea vidisse

espar-

Esparzam, qui *de Inst. quæst.* 49. in hac videtur esse sententia; sicuti etiam Ripaldam de ente supernaturali *disput.* 83. Sed quid quid sit de hoc; veniamus ad quæstionis resolutionem, & in sequenti quidem sectione agamus de ea in ordine ad tempus subsequens primum instans donationis, in alia verò in ordine ad ipsum primum instans.

SECTIO SECVNDA:

Expeditur quæstio de perfecto condominio in tempore.

1 PRima Conclusio: implicat contradictionem dominium plenum, seù in solidum posse reperiri pro aliquo tempore consequenti ad primum instans donationis penes plures, sed eo tempore necessario est solum penes donatarium. Sumitur ex lege *si vt certo §. si duobus ff. commodati.*

2 Probatur autem: quia si post instans donationis gemmæ V. G. & intimatæ acceptionis tum donator, tum donatarius essent domini illius in solidum, posset donator inculpatè, & absque iniuria donatarij vti gemma iure suo in omnes vsus, quocum alio repugnare: posset etiam donatarius inculpate, & absque donatoris iniuria vti eadem pro libito, siué velit, siuè nolit donator. Hoc enim importat dominium insolidum. Faciamus ergo, quod donator post instans donationis mutet consilium, & gemmam alteri tradat primo donatario repugnante; in tali casu ex vna parte non faceret illi donator iniuriam, quia verè esset dominus gemmæ: ex alia verò faceret, quia contra voluntatem illius, qui est verè dominus de dicta gemma disponeret, & sic esset, & non esset iniurius, & per consequens peccaret, & non peccaret, quod repugnat.

3 Obijcies primo ex Vadigno: *Institut. de rerum diuis §. si duorum, & §. si frumentum* statuitur, quod quando frumentum duorum, est omnino mixtum, vterque est dominus totius frumenti; ergo naturaliter dominium insolidum admitti debet.

Respondeo quod aliud est duos esse dominos illius frumenti, aliud veró esse dominos insolidum; primum verum est, secundum falsum, quia ad hoc requiritur, vt quilibet pro suo libito possit adæquate vti frumento illo, quod non accidit in casu illo, in quo quilibet ex illis ius tantum partiale, & inadæquatum habet in toto frumento.

4 Instabis: in dicto casu potest vnus, alio nolente, vendere frumentum pro parte sua, ergo quando duo habent dominium insolidum totius alicuius rei poterit vnus inuito altero suum dominium in alium transferre:

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia in casu de frumento quilibet eorum habet suum dominium super illud inadæquatè, seù quod idé est habet ius in medios tantum eius vsus, & in dimidiatam vtilitatem; vndè non est mirũ, si alter inuito altero suam possit vendere, aut dare partem, at verò, quando vterque habet dominium insolidum alicuius rei, debet posse sine iniuria alterius, eo inuito, adæquatè, & totaliter de illa disponere, quod implicat; ad eum planè modum, quo licet non implicet, quod Deus mediam partem frumenti corrumpat, & mediã conseruet, implicat tamẽ quod totum simul, & conseruet, & corrumpat.

Obijcies secundo *lege si non singuli cod. si certum petatur*: statuitur: duos posse esse insolidum mutuatarios eiusdem summæ; tum sic: non repugnat duos insolidum posse pro eadem rè in tempore obligari. ergo neque, quod insolidum eiusdem rei possint esse domini item in tempore.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia obligatio illa in solidum duorum non ordinatur, nisi ad vnicam solutionẽ, quam vt securius habere possit mutuator exigit, vt vterque se insolidum obliget: ita scilicet, vt si vnus non soluat, sit alter obligatus in totum, à qua tamen obligatione eo soluendo se liberet: at verò duplex dominium insolidum ordinatur ad duplicem dispositionem eiusdem rei pro eodem instanti faciendã à duobus liberis agentibus non subordinatis, quarum vna posset esse opposita contradictoriè alteri.

Obijcies tertio in polygamia antiquitus concessa, vtraque vxor habebat dominium insolidum in corpus vnius, & eiusdem mariti, ergo &c. Antecedens probatur, quia quælibet illarum nõ minus in vetere lege erat vxor viri sui: quam sit vxor nunc vna sola femina, sed hæc nunc habet dominium insolidum, & plenum in corpus viri. ergo &c.

Respondeo: *nego antecedens*, non enim tunc poterat *quælibet illarum pro libito adæquatè viro suo vti, alioquin datum fuisset bellum vtraque parte iustum; sed diuidebant inter se viri vsum, vt patet ex libro Genesis. Ad probationem antecedentis dico, quod si paritas procedit in ordine ad validitatem contractus, vera est; non minus enim tunc validè quis ducebat duas feminas in vxores; quam nunc vnam ducat: falsa autem, si procedat, quantum ad adæquationem iuris, quod habet nunc vnica vxor in corpus mariti.*

Obijcies quarto: in physicis potest de potentia Dei idem effectus pendere á duplici causa totali totaliter concurrente. ergo, & in moralibus poterit eadẽ res subijci dominio duorum insolidum.

Respondeo negando consequentiam: Disparitas est, quia ex duplici causalitate adæquata respectu eiusdem effectus nulla infertur contradictio, sicuti infertur ex duplici adæquato dominio eiusdẽ ordinis in tẽpore supra eamdem rem. Eodemque modo respondendũ est ad paritatem ex duplici titulo totali, quẽ potest aliquis habere in eandem rem: vti dicunt Theologi habere iustum in gloria obgratiam scilicet, & ob merita obtinendam, nam ex his duobus adæquatis titulis non sequitur iusta voluntatum repugnantia, & contradictio in vsu eiusdem rei, quod scilicet, idem

vsus

usus sit licitus, & illicitus, sicuti sequitur in nostro casu.

SECTIO TERTIA.

Vtrum saltem in primo donationis instanti dominium in solidum possit esse penes duos.

12 Secunda Conclusio: In instanti donationis reperiri nequit dominium in solidum rei donatæ penes plures, sed solum penes donatarium. Suppono enim cum aduersarijs donationem, siue inter homines, siue inter Angelos in vnico instanti fieri posse: ita vt eodem instanti, quo vnus dat, alter acceptet, & acceptionem notificet, in quo casu dico: dominium in solidum non esse tunc penes donatorem; sed solum penes donatarium. Quoniam verò in hoc solo casu auctores primæ sententiæ contendunt duos posse simul esse in solidũ eiusdem rei dominos; sequitur nunquam euenire posse, vt dominium in solidum neque pro tempore, neque pro primo donationis instanti, sit penes plures.

13 Et quidem: quod instanti donationis illud sit penes donatarium videtur certum. Primo quia pro eodem instanti reali, pro quo existit actio productiua, vel communicatiua alicuius rei debet necessariò res, quæ producitur, aut communicatur, existere, sed in instanti donationis producitur, seu communicatur per voluntatem dantis dominium donatario: ergo in eodem instanti debet donatarius habere dominium, si illud tunc acceptet. Secundo, quia in eo instanti, quo datur alicui gemma V. G. si ipse accipit, iam habet illã in suis bonis, quia in rebus instantaneis, sicuti idem realiter est fieri, & factum esse: ita, & accipere, & acceptum habere. Vnde est, quod si donator in eo instanti donatario renuente gemmam venderet, faceret illi iniuriam, & ad restitutionem teneretur. ergo gemma est iam donatarij. Tertio denique, quia si quis eo instanti, quo emittit votum solemne paupertatis habet aliquid proprium, committit Sacrilegium, quia in eo instanti dat Deo Ius exigendi á se obseruantiam paupertatis, quam non obseruat. ergo á simili. Quod autem in dicto instãti dominium non sit penes donatorem, de quo est præcipue controuersia.

14 Probatur primo sic: Quando quis in aliquo instanti cedit dominio alicuius rei, non habet eo instanti, quo cedit illius rei dominium. ergo quando quis transfert in aliquo instanti rei dominium in alium, neque illud habebit penes se pro illo instanti. Antecedens conceditur ab Hurtado *in tertiam partem disput. 12. sect. 5. num. 61.* Et ab Arriaga *in primam partem disput. 30. sect. 2. num. 12.* oppositæ sententiæ propugnatoribus, & probatur facile, quia cessio dominij potest dupliciter se habere, primo antequam illud à cedente obtineatur, quãdo scilicet, etiam si res alicui offeratur, ipse tamen eam acceptare non velit, & tunc patet eum non habere dominium pro illo primo instanti, quia acceptatio est complementum necessariò requisitum in tali casu, & se habet vt causa per se influens ad illud habendum: repugnat autem prima existentia effectus sine causa necessariò ad sui productionẽ requisita. Cedens ergo primo dominio, in instanti quo cedit caret dominio; ex hac autem carentia sic probo carentiam dominij in donatore eo instanti, quo donat; sicuti ad cedendum primo validé dominio sufficit potentia libera ad volendum, & non volendum illud tanquam causa adæquata connotans dominium ab alio sibi oblatum, & quod per cedentem stet quo minus ipse sit dominus: ita ad donandum licite sufficiet potentia libera in donatore ad volendum, & non volendum donare tanquam causa adæquata donationis, connotans dominium tempore præcedenti habitum, & quod per donatorem stet, quo minus in eo instanti ipse sit dominus.

15 Secundo potest quis cedere dominio, quod per acceptationem iam habuit, & tunc, quod eo instanti, quo cedit, illo careat: Probatur etiam, quia in eo instanti, neque physicè, neque moraliter haberi potest in eius voluntate conseruatio acceptationis initio elicitæ; ergo neque dominium. Antecedens quo ad vtramque partem constat ex eo, quia acceptatio, & cessio dominij sunt actus inuicem repugnantes, vtpote volitio, & nolitio eiusdem rei: ergo implicat, quod physicè sint simul in voluntate, vel quod quando est vna ex illis intelligatur in ea altera moraliter perseuerare, sed necessariò intelligi debet per contrariæ aduentum destrui, & retractari. Consequentia hæc probatur, quia dominium non minus pendet in conseruari ab acceptatione, quam ab eadem pendeat in produci, licet enim ex priori acceptatione illud maneat etiam pro tempore sequenti, quando non est physicè acceptatio (vt patet ex dormiente, qui ex vi prioris acceptationis transactæ, est verè, & propriè dominus) manet tamen dependenter ab illa moraliter perseuerante, qua reuocata cessat dominium in reuocante, quia alioquin non conseruaretur liberè, sed necessariò. Sicuti igitur repugnat, quod in eo instanti in quo extinguitur lucerna existat lumen, quod est in aère ab illa dependens; ita repugnat, quod eo instanti, quo acceptatio per actum oppositum cessionis retractatur, existat dominium in cedente, quia sic sine causa conseruante cõseruaretur in esse.

16 Porrò in hoc etiam sensu sumpto antecedente principalis enthymematis probatur eius consequentia: Primo, quia translatio dominij habet imbibitam cessionem illius secundo modo sumptam, qui enim transfert in alium dominium, quod habebat, necessé est, vt simul intelligatur illi cedere: ita vt etiam si donatio realiter loquendo sit vnus actus voluntatis, quo dicat dominus donatario (do tibi hoc) tamen per rationem est in duplicem distinguibilis, quorum vnus est hic (nolo huius rei amplius habere dominium) alter verò (volo illud transferre in Antonium V. G.) ergo si in-

Esparzam, qui *de Iust. quæst. 49.* in hac videtur esse sententia; sicuti etiam Ripaldus *de ente supernaturali disp. 83.* Sed quid quid sit de hoc; veniamus ad quæstionis resolutionem, & in sequenti quidem sectione agamus de ea in ordine ad tempus subsequens primum instans donationis, in alia verò in ordine ad ipsum primum instans.

SECTIO SECVNDA.

Expeditur quæstio de præfato condominio in tempore.

1 PRima Conclusio: implicat contradictionem dominium plenum, seu in solidum, posse reperiri pro aliquo tempore consequenti ad primum instans donationis penes plures, sed eo tempore necessario est solum penes donatarium. Sumitur ex lege *si quando §. si duobus ff. commodati.*

2 Probatur autem: quia si post instans donationis gemmæ V. G. & intimatæ acceptionis tum donator, tum donatarius essent domini illius in solidum, posset donator inculpatè, & absque iniuria donatarij uti gemma iure suo in omnes usus, quocum alio repugnare: posset etiam donatarius inculpate, & absque donatoris iniuria uti eadem pro libito, suè velit, siuè nolit donator. Hoc enim importat dominium insolidum. Faciamus ergo, quod donator post instans donationis mutet consilium, & gemmam alteri tradat primo donatario repugnante; in tali casu ex una parte non faceret illi donator iniuriam, quia verè esset dominus gemmæ: ex alia verò faceret, quia contra voluntatem illius, qui est verè dominus de dicta gemma disponeret, & sic esset, & non esset iniurius, & per consequens peccaret, & non peccaret, quod repugnat.

3 Obijcies primo ex Vadigno: *Institut. de rerum diuis. §. si duorum, & §. si frumentum* statuitur, quod quando frumentum duorum, est omnino mixtum, vterque est dominus totius fruments; ergo naturaliter dominium insolidum admitti debet.

Respondeo quod aliud est duos esse dominos illius frumenti, aliud verò esse dominos insolidum; primum verum est, secundum falsum, quia ad hoc requiritur, vt quilibet pro suo libito possit adæquate vti frumento illo, quod non accidit in casu illo, in quo quilibet ex illis ius tantum partiale, & inadæquatum habet in toto frumento.

4 Instabis: in dicto casu potest vnus, alio nolente, vendere frumentum pro parte sua, ergo quando duo habent dominium insolidum totius alicuius rei poterit vnus inuito altero suum dominium in alium transferre:

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia in casu de frumento quilibet eorum habet suum dominium super illud inadæquatè, seu quod idem est habet ius in medios tantum eius vsus, & in dimidiatam vtilitatem; vnde non est mirum, si alter inuito altero suam possit vendere, aut dare partem, at verò, quando vterque habet dominium insolidum alicuius rei, debet posse sine iniuria alterius, eo inuito, adæquatè, & totaliter de illa disponere, quod implicat; ad eum planè modum, quo licet non implicet, quod Deus meam partem frumenti corrumpat, & mediâ conseruet, implicat tamen quod totum simul, & conseruet, & corrumpat.

5 Obijcies secundo *lege si non singuli cod. si certum petatur*: statuitur: duos posse esse insolidum mutuatarios, eiusdem summæ; tum sic: non repugnat duos insolidum posse pro eadem rè in tempore obligari. ergo neque, quod insolidum eiusdem rei possint esse domini in tempore.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia obligatio illa insolidum duorum non ordinatur, nisi ad vnicam solutionem, quam vt securius habere possit mutuator exigit, vt vterque se insolidum obliget: ita scilicet, vt si vnus non soluat, sit alter obligatus in totum, à qua tamen obligatione eo soluendo se liberet: at verò duplex dominium insolidum ordinatur ad duplicem dispositionem eiusdem rei pro eodem instanti faciendã à duobus liberis agentibus non subordinatis, quarum vna posset esse opposita contradictoriè alteri.

6 Obijcies tertio in polygamia antiquitus concessa, vtraque vxor habebat dominium insolidum in corpus viri, & eiusdem mariti, ergo &c. Antecedens probatur, quia quælibet illarum nõ minus in vetere lege erat vxor viri sui: quam sit vxor nunc vna sola femina, sed hæc nunc habet dominium insolidum, & plenum in corpus viri. ergo &c.

Respondeo: nego antecedens, non enim tunc poterat quælibet illarum pro libito adæquatè viro suo vti, alioquin datum fuisset bellum vtraque parte iustum; sed diuidebant inter se viri vsum, vt patet ex libro Geneſis. Ad probationem antecedentis dico, quod disparitas procedit in ordine ad validitatem contractus, vera est; non minus enim tunc validè quis ducebat duas feminas in vxores; quam nunc vnam ducat: falsa autem, si procedat, quantum ad adæquationem iuris, quod habet nunc vnica vxor in corpus mariti.

7 Obijcies quarto: in physicis potest de potentia Dei idem effectus pendere á duplici causa totali totaliter concurrente. ergo, & in moralibus poterit eadé res subijci dominio duorum insolidum.

Respondeo negando consequentiam: Disparitas est, quia ex duplici causalitate adæquata respectu eiusdem effectus nulla infertur contradictio, sicuti infertur ex duplici adæquato dominio eiusdé ordinis in tẽpore supra eamdem rem. Eodemque modo respondendũ est ad paritatem ex duplici titulo totali, quẽ potest aliquis habere in eandem rem: vti dicunt Theologi habere iustum in gloria obgratiam scilicet, & ob merita obtinendam, nam ex his duobus adæquatis titulis non sequitur iusta voluntatum repugnantia, & contradictio in vsu eiusdem rei, quod scilicet, idem

vsus

usus sit licitus, & illicitus, sicuti sequitur in nostro casu.

SECTIO TERTIA.

Vtrum saltem in primo donationis instanti dominium in solidum possit esse penes duos.

12 Secunda Conclusio: In instanti donationis reperiri nequit dominium in solidum rei donatæ penes plures, sed solum penes donatarium. Suppono enim cum aduersarijs donationem, siue inter homines, siue inter Angelos in vnico instanti fieri posse: ita vt eodem instanti, quo vnus dat, alter acceptet, & acceptionem notificet, in quo casu dico: dominium in solidum non esse tunc penes donatorem; sed solum penes donatarium. Quoniam verò in hoc solo casu auctores primæ sententiæ contendunt duos posse simul esse in solidũ eiusdem rei dominos; sequitur nunquam euenire posse, vt dominium in solidum neque pro tempore, neque pro primo donationis instãti, sit penes plures.

13 Et quidem: quod instanti donationis illud sit penes donatarium videtur certum. Primo quia pro eodem instanti reali, pro quo existit actio productiua, vel communicatiua alicuius rei debet necessariò res, quæ producitur, aut communicatur, existere, sed in instanti donationis producitur, seu communicatur per voluntatem dantis dominium donatario. ergo in eodem instanti debet donatarius habere dominium, si illud tunc acceptet. Secundo, quia in eo instanti, quo datur alicui gemma V. G. si ipse accipit, iam habet illã in suis bonis, quia in rebus instantaneis, sicuti idem realiter est fieri, & factum esse: ita, & accipere, & acceptum habere. Vnde est, quod si donator in eo instanti donatario renuente gemmam venderet, faceret illi iniuriam, & ad restitutionem teneretur. ergo gemma est iam donatarij. Tertio denique, quia si quis eo instanti, quo emittit votum solemne paupertatis habet aliquid proprium, committit Sacrilegium, quia in eo instanti dat Deo Ius exigendi á se obseruantiam paupertatis, quam non obseruat. ergo á simili. Quod autem in dicto instãti dominium non sit penes donatorem, de quo est præcipue controuersia.

14 Probatur primo sic: Quando quis in aliquo instanti cedit dominio alicuius rei, non habet eo instanti, quo cedit illius rei dominium. ergo quando quis transfert in aliquo instanti rei dominium in alium, neque illud habebit penes se pro illo instanti. Antecedens conceditur ab Hurtado *in tertiam partem disput. 12. sect. 5. num. 61.* Et ab Arriaga *in primam partem disput. 30. sect. 2. num. 12.* oppositæ sentẽtiæ propugnatoribus, & probatur facile, quia cessio dominij potest dupliciter se habere, primo antequam illud à cedente obtineatur, quãdo scilicet, etiam si res alicui offeratur, ipse tamen eam acceptare non velit, & tunc patet eum non habere dominium pro illo primo instanti, quia acceptatio est complementum necessariò requisitum in tali casu, & se habet vt causa per se influens ad illud habendum: repugnat autem prima existentia effectus sine causa necessariò ad sui productionẽ requisita. Cedens ergo primo dominio, in instanti quo cedit caret dominio; ex hac autem carentia sic probo carentiam dominij in donatore eo instanti, quo donat; sicuti ad cedendum primo validè dominio sufficit potentia libera ad volendum, & non volendum illud tanquam causa adæquata connotans dominium ab alio sibi oblatum, & quod per cedentem stet quo minus ipse sit dominus: ita ad donandum licite sufficiet potentia libera in donatore ad volendum, & non volendum donare tanquam causa adæquata donationis, connotans dominium tempore præcedenti habitum, & quod per donatorem stet, quo minus in eo instanti ipse sit dominus.

15 Secundo potest quis cedere dominio, quod per acceptationem iam habuit, & tunc, quod eo instanti, quo cedit, illo careat: Probatur etiam, quia in eo instanti, neque physicè, neque moraliter haberi potest in eius voluntate conseruatio acceptationis initio elicitæ; ergo neque dominium. Antecedens quo ad vtramque partem constat ex eo, quia acceptatio, & cessio dominij sunt actus inuicem repugnantes, vtpotè volitio, & nolitio eiusdem rei. ergo implicat, quod physicè sint simul in voluntate, vel quod quando est vna ex illis intelligatur in ea altera moraliter perseuerare, sed necessariò intelligi debet per contrariæ aduentum destrui, & retractari. Consequentia hæc probatur, quia dominium non minus pendet in conseruari ab acceptatione, quam ab eadem pendeat in produci, licet enim ex priori acceptatione illud maneat etiam pro tempore sequenti, quando non est physicè acceptatio (vt patet ex dormiente, qui ex vi prioris acceptationis transactæ, est verè, & propriè dominus) manet tamen dependenter ab illa moraliter perseuerante, qua reuocata cessat dominium in reuocante, quia alioquin non conseruaretur liberè, sed necessariò. Sicuti igitur repugnat, quod in eo instanti in quo extinguitur lucerna existat lumen, quod est in aère ab illa dependens; ita repugnat, quod eo instanti, quo acceptatio per actum oppositum cessionis retractatur, existat dominium in cedente, quia sic sine causa conseruante cõseruaretur in esse.

16 Porrò in hoc etiam sensu sumpto antecedente principalis enthymematis probatur eius consequentia: Primo, quia translatio dominij habet imbibitam cessionem illius secundo modo sumptam, qui enim transfert in alium dominium, quod habebat, necessé est, vt simul intelligatur illi cedere: ita vt etiam si donatio realiter loquendo sit vnus actus voluntatis, quo dicat dominus donatario (do tibi hoc) tamen per rationem est in duplicem distinguibilis, quorum vnus est hic (nolo huius rei amplius habere dominium) alter verò (volo illud transferre in Antonium V. G.) ergo si in-

ſtanti ceſſionis ille nõ eſt dominus, neque erit dominus in inſtanti donationis. Quod enim homo poſt inſtans acceptationis cedat dictum dominium illi, à quo acceptauit, vel cedat alteri, vel à ſe abſolutè ab dicet parum refert, quantum ad excludendum illud à ſe. Sicut igitur quando cedit illi ſimpliciter, vel priori domino tradit, in eo inſtanti, illo priuatur; ita etiam priuabitur in inſtanti, quo illud donatario concedit. Probatur ſecundo eadem conſequentia, quia in tantum in eo inſtanti, quo quis cedit dominio caret illo, quia non poteſt habere ſimul in ſe, quod efficaciter à ſe excludit. Si enim excludit, nequit Arriaga. ergo abdicat illud a ſe; quod autem abijcitur, non poteſt dum abijcitur retineri; alioqui actus voluntatis abijciendi non eſſet efficax. Sed eadem prorſus ratio militat in donatione, quia qui dat aliquid, excludit à ſe efficaciter poteſtatẽ vtendi illo; de facto enim 21
eo inſtanti vteretur, minimè faceret donatario. ergo caret hac poteſtate. Alioquin non efficaciter illam à ſe excluderet.

17 Ad hoc argumentũ reſpondent primo Mun-tadus, & Arriaga negando conſequentiam. Diſparitatem aſſignant, quia ceſſio dominij non eſt actus dominij; cedere enim non eſt vti dominio, ſed dominium recuſare; ad hoc autem non requiritur, vt dominium actu ſit, ſed ſolum, quod potuerit eſſe ſi donatarius acceptaſſet; at vero donatio eſt actus dominij, quia homo donando rem maximè vtitur dominio, quod habet in eam; nequit autem actus exiſtere, niſi dependenter à cauſa ſua.

18 Contra tamen eſt primo, quia in tantum per aduerſarios translatio dominij eſt actus dominij, quia in inſtanti, quo transfero, libere illud transfero; & ita transfero, vt in priori naturæ poſſim non transferre, ſed apud mè retinere, atque adeò rè illa abſolutè vti in omnes vſus, licet in ſenſu compoſito cum donatione non poſſim. Sed idem verificatur de ceſſione, nam in inſtanti, quo cedo dominio, liberè cedo, & ita cedo, vt in priori naturæ poſſim non cedere, & ſic ex vi prioris acceptationis verum eſt, quod in eo inſtanti poſſim vti rè in omnes vſus, licet in ſenſu compoſito cum ceſſione non poſſim, igitur, vel vterque vel neuter erit actus dominij.

Contra etiam eſt ſecundo, quia licet verum ſit, quod ad hoc, vt primo rem acceptem nõ requiratur, vt actu ſit mea, vt cedam tamen illi poſt acceptationem, non minus requiritur, quod ſit mea, quam vt illam alteri donem, quia in priori naturæ ad ceſſionem debeo poſſe de ea perfectè diſponere ad libitũ in omnes vſus, non minus, quam in priori naturæ ad donationem habeo, quod poſſim de ea pro libito vti; ergo par ratio.

19 Reſpondet ad hæc Arriaga negando paritatem, quia in inſtanti, quo quis cedit dominio habito, non habet proximum ius vtendi rè pro libito; quia ad hoc prærequiritur non recuſatio libera, quam non haberet dum recuſaret, ſed ſolum haberet potentiam ad illud ius, at inſtanti quo quis transfert dominium habet proximum ius, quia ad translationem præcedit in priori naturæ non recuſatio.

Sed contra eſt primo: quia ad habendum abſolutè dominium non requiri ius proximum perfectè diſponendi de rè, ſed ſufficere remotum probat multis argumentis de Lugo contra noſtram ſententiã loco citato num. 13. Tum quia qui ſedet non potest proximè ambulare, & tamen abſolutè dicitur ambulare poſſe, ſicuti etiam dicitur abſolutè poſſe habere religiosi etiam qui peccat, licet non poſſit niſi remotè, quatenus poteſt non peccare, & ſic gratiam retinere: tum etiam, quia quando quis vult vti libro ſuo libitè, hoc facit abſque eo, quod aliud actum prius elicuerit, quo dixerit velle illum alteri dare.

Vndè contra inſto ſecundo: quia ſic etiam dici poſſet contra Arriagam, quod neque ille qui donat rem aliquam habet proximum ius vtendi illa, & ſic neque dominium: non enim poteſt vti illa licitè niſi præintelligatur, quod velit eam recuſare, qui enim dat rem alteri illam recuſat habere in bonis ſuis. Quare, ſtante voluntate dandi, vſus ille eſt illicitus, & inuſtus poſita acceptatione ſatisfactoria. ergo ſi ceſſio iuris propter hoc nõ eſt actus dominij: Neque erit actus dominij donatio.

Reſpondetur ſecundo ad argumentum principale ex Lugo, qui licet non audeat expreſsè negare antecedens, quod ſcilicet in inſtanti ceſſionis dominij non ſit dominium penes cedentem; ex eius tamen doctrina nu. 21. ridicta id videtur poſſe colligi, & dici, quod in eo inſtanti ceſſionis conſeruetur dominium à voluntate præterita non reuocata, licet enim per ipſam ceſſionem reuocetur illa voluntas in ordine ad tempus ſubſequens: nequeat tamen reuocari in ordine ad illud præſens inſtans, niſi per voluntatem tempore antecedentem ad ipſum inſtans.

Contra tamen eſt primo, quia ex hoc ſequitur, quod quando quis votum ſolemne paupertatis emittit, eo inſtanti, quo illud emittit retineat dominium ſuarum facultatum, hoc autem derogare videtur perfectioni religionis perfectionis. Faciamus enim, quod immediatè poſt illud inſtans iſte moriatur, iam diſcederet proprietarius. Neque enim ad hoc, vt alienis ſit verè dominus alicuius rei requiritur, vt habeat voluntatem retinendi rem pro quocumque tempore, ſed ſufficit, vt pro quo ſaltem inſtanti. Vndè licet iſte non eſſet pro dominio illo puniri, quia per ſe neceſſariò, pro eo inſtanti, illud retineret, non tamen deberet præmio illo donari, quo vti pauperes donari ſolent, quia in terris verè dominium non reliquit, ſed quandiu vixit bonorum ſuorum exſtitit abſolutus dominus. ergo.

Contra ſecundo: quia multi dicunt, quod ſi religioſus de ſuis bonis diſponeret eo ipſo inſtanti, quo per votum ſolemne paupertatis ſuis bonis cedit: diſpoſitio eſſet inualida, quia illo pro tali inſtanti ſupponitur ſpoliatus dominio ex vi voti, quod emittit; ſed ſi pro eodem inſtanti haberet dominium, hæc ratio, quæ

commu-

communiter, afferit non conuinceret; posset enim dici, quod iste per votum excluderet quidè à se dominium pro tempore sequenti, at per donationem illud in alterum transferret pro eo ipso instanti. Sed perperam cum enim dominium sit potestas liberè volita: hoc ipso, quod quis cedit huic potestati, intelligi debet ea priuatus. Non enim potest assignari cur pro eo instanti, quo homo illi cedit, debeat illam retinere. Cùm non supponatur, cedere illi in eo instanti pro tempore sequenti, sed pro illo ipso instanti, vt supponimus. Alias quis dicere posset, quod neque lumen pro eo instanti, pro quo definit sol existere desinere debeat, sed pro tempore sequenti.

Contra denique est tertio, quia si quis non posset dominio se priuare in instanti cessionis, nisi per voluntatem tempore præcedente ad instans: sequeretur, quod neque posset se priuare aliquo iure, quod liberè habet pro hoc ipso instanti; non enim videtur esse maior ratio, consequens autem absurdum esse constat ex eo, quia indè sequeretur, quod homo, qui habet gratiam, & per consequens ius ad gloriam, quando in aliquo instanti peccat, pro eo instanti illud ius retineret, quo nihil absurdius.

25 Ex qua paritate impugnari etiam potest tertia responsio ad principale argumentum, quam affert Hurtadus §. 61. negando nostram paritatem, eo quod translatione dominij, inquit, non destruitur dominium immediatè, quemadmodũ destruitur cessione, sed mediatè; quia effectus mediatus translationis est communicare alteri dominium, cessionis verò illi cedere. Vndè non est mirum si in instanti translationis existat dominium, non autem in instanti cessionis.

26 Contra enim est primo: quia neque per peccatum destruitur ius ad gloriam immediatè, sed solum mediatè, per hoc scilicet, quod destruatur gratia. Quod si respondeat ius ad gloriam esse ipsi gratiæ alligatum, atque adeò non posse, non existente gratia, conseruari: sic ego dicam dominium primæ acceptationi, siuè physicè, siuè moraliter existenti esse coniunctum, atque adeò non posse, dum per cessionem acceptatio illa retractatur, & destruitur, conseruari.

Contra secundo: faciamus, quod quemadmodum Deus alligauit gratiæ ius ad gloriam: ita etiam alligasset illi dominium alicuius rei, tum sic; in eo instanti, quo homo peccaret, amitteret hoc dominium, vt de se patet, & tamen mediatè tantum illud destrueret. ergo &c. Videtur Lugo hunc casum negare, sed non ex alio capite, vt opinor, nisi quia eius sententia penitus corruerit, si quidem eo admisso posset etiam Deus concedere homini potestatem transferendi in alium gratiam suam; sed tunc in instanti translationis, sicuti gratia ita etiam dominio careret. Sed nos scimus dominium Christi Domini, quod habet in Ecclesia alligatum esse gratiæ, vel visionis, vel capitis. Porrò quid repugnet, quod Deus ita gratiam istam Christo tradidisset, vt si ille eam voluisset alteri dare potuisset, profecto non apparet.

Contra denique est tertio, quia per hoc, quod aliqua res in physicis destruatur per aliquam actionem mediatè, non sequitur, quod existere debeat in eo instanti, quo existit illa actio, quãdo enim ex ligno V. G. generatur ignis per actionem productiuam ignis, mediatè tantum destruitur forma ligni, quia effectus immediatus ignefactionis est forma ignis in subiecto: & tamen nequit forma ligni existere simul in eodem instanti cum illa; sed idem dicendum videtur in moralibus, vt de se patet. ergo &c.

Sed age iam probemus secundo nostram conclusionem. Si in instanti translationis dominij gemmæ V. G. dominium esset penes donantem: sequeretur, quod ipse sine iniuria donatarij posset in illo instanti vti gemma, licet eo repugnãte. Consequens est absurdum. ergo &c. Minor conceditur ab aduersarijs. Quia indè sequeretur contradictio, quod scilicet donatarius esset in eo instanti gemmæ illius dominus, & non esset. Sequela verò probatur, quia si non posset donator contra voluntatem donatarij, habendo dominium gemmæ, illa ad libitum vti, etiam sequeretur, quod esset, & non esset illius dominus. ergo &c. 27

Respondent primo: ideò non posse donantem tunc vti gemma, quia supponimus iam eum habere in eo instanti voluntatem donandi illam alteri, hæc autem voluntas consistit in uolendo, quod donatarius vtatur gemma pro suo libito. ergo implicat tunc habere voluntatem vtendi gemma contra voluntatem donatarij, istæ enim duæ voluntates repugnant simul esse in eodem subiecto. 28

Contra tamen est: quia velle donare est velle, vt res sit sub dominio alterius; sed cum hoc stare posse voluntatem impediendi donatarium in vsu rei, quæ datur, patet ex eo, quia contrahens matrimonium potest simul, & semel habere voluntatem dandi dominiũ sui corporis coniugi, & adulterandi. Falsum igitur est, quod velle dare gemmam sit velle, quod donatarius vtatur pro suo libitó gemma. Donatio enim consistit in voluntaria traditione iuris ad vtendum licite rè, quæ donatur, quæ potest stare simul cum voluntario vsu illius rei inuito donatario.

Respondetur secundo ab Arriaga, negando consequentiam; & ad probationem dicendo; ex eo, quod donator non possit tunc vti gemma, quam dat; non sequi eum non esse dominum illius, quia dominium non consistit in potestate vtrumque actum liberè continuandi, sed vel vnum, vel alterum licitè eligendi; quod autem hanc potestatem habeat donator: patet ex eo, quia, si in eo instanti gemmam non dedisset, potuisset tunc licitè illa vti, quocumque alio repugnante. 29

Sed contra est: quia dominium consistit in iure perfectè disponendi de rè, atque adeò afferre debet domino potestatem licite exercendi circa rem simul omnes actus dominij, quibus de rè disponi solet, dummodo non sint aliundè prohibiti ex eo, quod sint contra aliam virtutem. Quod si dominus non possit aliquos simul actus coniungere, hoc non debet ex morali impotentia prouenire, quia sic non haberet perfectam potestatem, & per consequens, neque 30

Digitized by Google

ius perfectè disponendi, sed ex impotentia physica simultatis, in quantum illi actus non possunt physicè stare simul in eodē subiecto. Quod confirmatur hoc exemplo: si quis ita constituatur dominus alicuius rei, vt quando exercet dominium directū illius, non possit licitè exercere dominium vtile; & quando exercet vtile non possit licitè directum: hic profecto non haberet dominium plenum in se perfectè disponendi de illa rè. ergo ad habendum huiusmodi dominium requiritur, vt possit dominus licitè simul exercere omnes illos actus circa rem, qui de se physicè non repugnant ad inuicem. Multa alia suppeterent argumenta ad nostra sententiā confirmandam, quæ vt breuitati consulam prætermitto.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

31 EX Lugo *de Iustit. disput. 2. num. 11.* Obijcies primo: dominium est potestas perfectè disponendi de rè absque iniuria alterius, sed donator eo instanti, quo donat habet huiusmodi potestatem. ergo & dominium.

Respondeo primo: hoc argumentum soluendum esse ab aduersarijs casu quo aliquis in aliquo instanti cedit dominio, prius habito, quia tunc videtur habere potestatem perfectè disponendi de rè, cuius dominio cedit.

32 Respondeo secundo distinguendo maiorem: dominium est potestas perfectè disponendi de rè &c. Est potestas libertatis, nego proprietatis concedo maiorem, & sic distinguo minorem: donator eo instanti, quo dat habet potestatem libertatis, concedo; proprietatis nego minorem, & consequentiam. Et dico duplicem potestatem circa rei dispositionem in homine concipi posse, vna est, quæ immediatè versatur circa dominium talis rei, & respicit illud tanquam materiam, circa quam operatur: alia verò, quæ immediatè versatur circa ipsam rem, eiusque vsum. Prima potestas disponit de dominio ipso, & siquidem oblatum est: per actum acceptationis illud acquirit, & per actum refutationis illud excludit; sin autem acceptatum; per actum cessionis illud à se expellit; per actū verò donationis transfert illud in alium, & per continuationē in acceptando illud retinet; ideoque hæc potestas appellatur à nobis potestas libertatis, in qua certum est dominium non posse consistere, quia est quid illo superius, & de eo disponit, versaturque circa illud tanquam circa materiam; neque oritur ex aliqua connexione, quam habet homo cum rè, in qua connexione, ipsis aduersarijs fatentibus, dominij essentia fundatur; sed potius est causa dictæ connexionis; nam quia ego acceptaui rem mihi donatam V. G. ideò titulo donationis illam possideo. Quia verò emi, titulo emptionis sum eius dominus &c. Posterior verò potestas immediatè respicit ipsam rem, tanquam materiam circa quam actus suos licitè exercere possit, per hoc, quod ea possit iure vti, & frui, eo modo, quo vult; & oritur ex connexione, quam habet homo cum rè; & hinc fit, vt in ea sola ratio dominij consistere possit; quare recte à nobis potestas proprietatis appellatur vt iam verò donator eo instanti, quo dat habet quidem potestatem libertatis, quia scilicet de dominio disponit, & consequenter de rè, non autem habet potestatem proprietatis, in qua consistit dominium, quia iam pro eo instanti, pro quo donat per retractationem actus, quo sibi ab initio voluit illam rem, destruit connexionem, quam cum ea habebat, & per consequens ipsum dominium, quod in illa connexione fundabatur.

Instabis contra vtrumque membrum distinctionis; & primo cum de Lugo *loco citato* probando, quod donator pro eo instanti habeat potestatem proprietatis, atque adeò dominium: donator in eo instanti, quo dat gemmam V. G. liberè dat, potest enim dare, & non dare illam, sed retinere, vel proijcere. ergo in eo instanti, quo dat potest per potestatem proprietatis vti illa, absque iniuria alterius. Confirmatur ex eodem ibidem, quia licet non possit ex suppositione, quod det, illa vti licitè inuito donatario: non tamen sequitur, quod non habeat potestatem proprietatis supra illam. Quemadmodum qui sedet, dum sedet potest ambulare, licet non possit ex suppositione, quod sedeat.

Respondeo concesso antecedente: distinguēdo consequens: ergo in instanti, quo dat potest per potestatem proprietatis vti gemma absque iniuria alterius: in sensu diuiso à donatione, concedo; in sensu composito cum ipsa donatione, nego consequentiam. Sic in eo instanti quo iustus per peccatum amittit gratiam sanctificantem, potest dependenter à gratia illa operari opus bonum, & mereri in sensu diuiso à peccato. Non autem in sensu composito cum illo, vt docti quidam recentiores sustinent. Sic etiam in eo instanti quo Deus destruit Michaelem potest illum non destruere, sed vti illo, eique aliquid imperare; in sensu tamen diuiso à destructione, non autem in sensu composito cum illa. Neque dicas: ergo sicuti Deus pro eodem instanti, pro quo Michaelem destruit habet in sensu composito potentiam ad vtendum illo: ita donator pro eo instanti, quo dat habet in sensu composito potentiam vtendi rè licitè, in qua potentia consistit dominium: nè id dicas, inquam disparitas lata est, quia omnipotentia Dei ad conseruandum Michaelem est physica independens ab actu voluntatis opposito voluntati destruendi illum: at verò potentia seu facultas moralis, quam habet homo vtendi rè, pendet ab actu voluntatis moraliter existente, opposito actui, per quem datur res alteri, atque adeò destruibilis ab illo. Per quæ patet responsio ad confirmationem desumptam à sessione. Paritas enim non est ad rem, eo quod stat potentia ad ambulandum cum ipsa sessione; atque, adeò hæc non est supposito destructiua potentiæ. At verò voluntas quandi est opposita voluntati retinendi; atque adeò est suppositio destructiua potentiæ ad vten-

ad vtendum rè licitè, fundata in connexione.

Instabis secundo: Contra potestatem libertatis, quam habet donator, in eo instanti, corrumpendi in se dominium, & producendi illud in altero, possunt fieri omnia argumenta, 35
quæ fiunt contra potestatem proprietatis in connexione fundatam: ergo, vel vtraque concedenda est donatori, vel vtraque neganda. Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia donator in eo instanti excludit à se istam potestatem libertatis, & quidem efficaciter, quia de facto transfert perfectum dominium in donatarium, ergo non minus illa carere debet, quam per nos carere debeat potestate proprietatis in connexione fundata propter eamdem rationem. Secundo, quia huiusmodi potestas libertatis iam habetur in eodem instanti in donatario, & sic iam vterque per dictam potestatem potest perfectè disponere de rè atque adeò alter disponendo de ea inuito altero, faceret, & non faceret illi iniuriam, quod æquè repugnat.

Respondeo hanc potestatem libertatis, quâ habet donator corrumpendi in se dominium, & producendi illud in alio, duo importare; 36
vnum in recto, & de formali; alterum in obliquo, & de materiali; In recto, & de formali dicit ipsissimam potentiam volitiuam donatoris potentem libere velle, & nolle in se dominium, seù velle illud dare huic, vel alteri, aut sibi retinere, & quidem iurdice, & efficaciter; in obliquo autem importat ipsum dominium proprietatis existens in donatore, quod sic talis naturæ, vt dependeat, quo ad corrumpi in eo, in quo est, & quo ad produci in alio, finè etiam quo ad conseruari ab actu libero voluntatis ipsius. Posito enim, quod donator habeat huiusmodi dominiũ in se existens intelligitur habere completam potestatẽ illud in se corrumpendi, & producendi in alio, sicuti & conseruandi illud in se ipso; quemadmodum posito, quod ignis habeat sibi approximatum lignum in quod potest agere dicitur habere completè, & absolutè potestatẽ illud comburendi. Ne autem videamur gratis id asserere: quæro ex aduersarijs, quid nã importet formaliter potestas cedendi dominio semel habito? profectò non ipsum rei dominium, alioquin non posset existere cessio illo non existente; & tamen per hanc potestatem homo potest de rẽ perfectè disponere illam, vel retinendo, vel abijciendo; importat igitur in recto, & de formali libertatem in ordine ad volendam, & nolendam continuationem dominij, & in obliquo dominium talis naturæ, vt dependenter ab huiusmodi libertate, posito quod habuerit semel esse conseruetur. Idem dico ego in casu nostro, & ad instantiam, nego antecedens: ad priorem verò eius probationem distinguo antecedens: donator in eo instanti excludit à se istam libertatis potestatem efficaciter, secundum quod hæc potestas dicit in recto, nego antecedens; quia non excludit à se potentiam volitiuam. Secundum id, quod dicit in obliquo, concedo; quia in eo instanti priuat se dominio proprietatis, & dat illud donatario. Quare nego consequentiam, quia ex concessis solum sequitur, quod donator in eo instanti carere debeat potestate libertatis secundum id, quod hæc importat in obliquo, hoc est secundum, quod dicit dominium proprietatis; quæ est nostra sententia.

Ad posteriorem verò probationem, in qua assumebatur, quod huiusmodi potestas libertatis habeatur in eodem instanti simul in donatario, & donatore: distinguo assumptum: habetur in vtrisque secundum id, quod dicit in recto concedo. Secundum id, quod dicit in obliquo subdistinguo. Habetur eodem modo, nego: diuerso modo concedo consequentiam; quia in eo instanti in donante habetur dominium per primum sui non esse: in donatario verò per primum sui esse; & sic indonante connotat immediatè antea fuisse: indonatario verò immediate autea non fuisse. Vnde sequitur quod vterque posset in eo instanti de dominio diuerso modo perfectè disponere; donator, quidem quantum ad continuandum in se, vel interrumpendum dominium; donatarius verò quantum ad continuandam in se, vel interrumpendam negationem dominij. Ex hoc autem nulla sequitur contradictio, vt de se patet; quod si donator dare quidem vellet rem donatario, iste autem nollet eam accipere, neuter faceret alteri iniuriam, quia neuter habet legitimam potestatem disponendi de voluntate alterius, sed benè supra dominium posita existentia actus liberi requisiti ex parte alterius. 37

Obijcies secundo: donator eo instanti, quo donat, pro priori naturæ habet potestatem ad omnem vsum rei licitum, & quidem fundatam in connexione, quam habuit ex vi præcedentis voluntatis, qua acceptauit dominium, non dum pro eo priori retractatæ. Igitur eo instãti quo dat habet dominium proprietatis. Consequentia patet, quia ea, quæ sunt pro aliquo signo in aliquo instanti reali incluso veré sunt realiter in toto illo instanti. Antecedens verò probatur, quia in priori naturæ ad dandum, donator potens est rem sibi retinere, eaque licitè frui, quam quidem potentiam habet ex vi voluntatis præcedentis non dum retractatæ. ergo pro eo priori habet potestatem ad omne rei vsum licitũ in legitima connexione fundatam. 38

Respondeo primo: si hoc argumentum haberet vim, probaret etiam, quod quando quis cedit dominio habito, eo instanti quo cedit, dominium habeat, quia pro priori naturæ potest disponere de rẽ licitè in omnem vsum licitum. 39

Pro secunda responsione, nota in priori ad donationem, sicuti non intelligitur aliquis actus libertatis destructiuus dominij: ita neque intelligitur carentia positiua, seù positiua destructio dominij, sed præscinditur ab eo, quod habeat homo dominium, vel eo positiuè careat: pro secundo verò posteriori, quando intelligitur donans positiuè voluntatem præcedentem retractare, intelligitur positiua ca- 40

rentia

rentia dominij, vel igitur prioritas naturæ inuoluit perseuerantiam moralem voluntatis, qua acceptatum est dominium, vel præscindit. Prima prioritas requiritur ad vsum rei licitum: secunda verò præscindit abusu, vel translatione dominij, quo posito.

41 Respondeo secundo, negando antecedens. Potestas enim hæc ad omnem vsum rei licitum, cum in positiua connexione fundetur, importare debet priorem voluntatem dominandi in rem illam non retractatam positivè per exclusionem, seù negationem retractationis. In eo autem priori habetur solum voluntas illa non retractata præcisivè, eò quod neque retractatio, neque eius negatio pertineat ad vim voluntatis causatiuam actus retractationis; pro secundo autem posteriori habetur nolitio dominij, atque adeò retractatio positiua prioris voluntatis; implicat autem, quod in aliquo instanti reali, licet pro diuersis signis rationis sit formes & eius negatio. Ad probationem antecedentis nego assumptum, quia, vt donator intelligatur potens rem sibi retinere, eaque licitè frui, debet intelligi cum priori voluntate positivè non retractata, atque adeò cum positiua negatione volendi rem alteri dare, quam non intelligitur habere pro eo priori.

42 Instabis ex eodem Lugo: negatio retractationis precedentis voluntatis, quæ per nos est complectiua dominij proprietatis debet esse libera; ergo ad hoc, vt aliquis in eo instanti dicat: volo vti hac re? debet necessariò prius aliquem actum tunc elicere, quo dicat nolo dare illam alteri, per quem actum intelligatur completè habere dominium: hoc autem falsum esse patet tum experientia ipsa, tum etiam, quia quando vnus actus est physicè incompossibilis cum altero, non requiritur prius volita negatio vnius, & postea volitus alter actus, sed simul per vnum actum volumus vtrumque.

43 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiã, quia quando quis liberè amat aliquid, habet in se negationem liberam odij; ergo illa, ad hoc autem non requiritur alius actus libertatis distinctus ab eo, quo illum amat, sed ille idem satis est: ità in casu nostro licet requiratur ad licitè vtendum re negatio libera voluntatis illam alienandi, non est tamen necesse, vt hæc eius libertas habeatur per vsum libertatis realiter distinctum ab eo, quo volumus vti re, sed sufficit haberi formaliter, & in priori conceptibiliter. Neque dicas per nos negationem illam pertinere ad complementum actus primi liberè voluntatis vtendi licite re, atque adeò non posse per eumdem actum liberè eligi. Contra enim est, quia etiam negatio odij liberè elicitur per ipsum actum amoris, & tamen pertinet ad complementum actus primi eiusdem actus; subiectum enim ad hoc, vt intelligatur liberè dispositum, & positiuè aptum amare, intelligi debet carere positiuè odio, quo maximè reddit illud ad amandum ineptum.

44 Tertiò respondeo: ad secundam obiectionem, quæ omnem difficultatem euacuare videtur, concedit antecedens donatorem scilicet in priori naturæ ad dandum intelligi habere potestatem ad omnem vsum rei licitum: sed distinguit consequens; ergo in eo instanti, quo dat intelligitur habere dominium, quantum est ex vi antecedentium in ea prioritate contentorum, concedit ex suppositione consequentium, hoc est donationis, & receptionis, negat: & ad huius probationem in contrarium distinguit assumptum: ea, quæ sunt pro aliquo signo in aliquo instanti reali incluso verè sunt realiter in toto illo instanti: si non pendent ab illo signo, concedit: ex suppositione, quod pendeant, negat assũptum. Sic voluntas, quæ in priori ad liberè amandum intelligitur expedita etiam ad odio habendum, in posteriori tamen dum amat, potius concipitur impedita, vt erumpat in odium. Idem patet ex ipsis signis prioritatis, & posterioritatis naturæ, & ex causis in actu primo, & in actu secundo consideratis. Certum est enim causam in posteriori naturæ, & in actu secundo, in quo causat, non intelligi posse cum illa indifferentia, quam habet in priori naturæ, & in actu primo: sicuti neque in priori, & in actu primo cum ea determinatione, quam habet in posteriori, & in actu secundo, quantumuis tum prioritas, & posterioritas, tum actus primus, & secundus in eodem instanti reali, ei competant; Vt autem ad rem nostram reuertamur dico, quod dominus rei in priori naturæ ad dandum, concipitur habere dominium illius rei sed alligatum illi prioritati quandiù scilicet non intelligitur in posteriori excludere illud à se; & ratio huius notatu digna est, quia vt dominium sic alligatum habere concipiatur, sufficit intelligi, quod pro toto tempore antecedenti verè fuerit dominus rei, &, quod nondum intelligatur habere aliquem actum incompossibilem cum dicto dominio, qui sit formaliter, & essentialiter exclusiuus illius, quod totum haberi supponimus pro illo priori. Sed quia pro posteriori intelligitur actus donationis, ideò pro posteriori ille intelligitur positivè carere dominio: ex hoc autem non sequitur, quod pro illo instanti absolutè sit, & non sit dominus: sed solum, quod absolutè non sit: sic verò solum cum addito, & dimidiatè hoc est ex vi antecedentium in illo signo alligatorum, ac non facta donationis suppositione, quæ intelligitur haberi in posteriori.

Porrò ex Arriaga *disput. 30. in primam partem sect. 2.* Objicies tertio donator in eo instanti, quo donat est dominus rei. ergo habet eius dominium. Antecedens probatur, tum quia in eo instanti exercet actum perfectissimum dominij, quod per omnes consistit in facultate perfectè disponendi de re. Tum etiam quia in eo instanti habet ipsam rem in potestate sua, siquidem nemo dat, quod non habet ergo &c. 45

Respondeo negando antecedens. Ad priorem probationem distinguo assumptum: quando quis dat exercet actum perfectissimum dominij libertatis, concedo: proprietatis nego, seu, quod idem est: exercet actum dominij termini actiue, concedo: actum dominij effectiue, nego. Sicuti enim, qui cedit dominio habito in instanti, quo cedit non potest dici dominus rei, neque cessio est actus dominij proprietatis, sed 46

liber-

libertatis: ita neque qui dat est dominus, neque donatio profluit à dominio efficienter. Dicitur autem perfectum dominium tradere domino facultatem perfectè disponendi de rè, siuè per alienationem, siuè per retentionem, & vsum rei: quod non debet sumi strictè, prout scilicet se restringit ad genus causæ efficientis respectu horum omniū actuum, sed latè prout etiam se extendit ad genus causæ materialis. In quo sensu dicimus Lignum igni approximatum dare facultatem illi ad comburendum, & lumen dare nobis facultatem videndi, terminatiuè scilicet, & materialiter.

47 Ad posteriorem verò probationem respondeo distinguendo assumptum: habet rem in potestate suæ libertatis, concedo: proprietatis, nego. Ex eo enim, quod quis ita det, vt possit non dare solum infertur, quod habeat rem in potestate libertatis; sicuti habet dominium ipsum. Ad axioma verò vulgatum, quo dicitur: Nemo dat, quod non habet. Respondeo illud non esse tam crasse intelligendum, vt de vera, & propria habitione sit sermo, patet ex communi sensu Physicorum, qui dicunt illud verificari de causa efficiente, quando dat esse effectui, quamuis constet causam actu causantem non habere in se veré, & propriè illud esse, quod dat effectui, quia dicunt ad illud verificandum sufficere, quod causa contineat virtualiter tunc esse ipsius effectus, hoc est virtutem habeat illud producendi. Sic etiam dicam ego ad veritatem illius in casu nostro sufficere, quod quando quis dat aliquid alicui, dum eo instanti, quo dat producit in illo dominium, habet in se dictum dominium non quidem formaliter, sed virtualiter, in quantum

48 habet voluntatem potentem illud in eo causare. Quæ quidem voluntas cum de re quoque disponat dici etiam potest, quod illam contineat eminenter; atque adeò respectu vtriusque verificatur in nostra sententia, quod nemò dat, quod non habet. Contra verò in sensu proprio, & formali illud aliud: nemò habet id, quod dat.

Obijcies quarto ex eodem Arriaga *loco cit.* si in instanti creationis Michaelis V. G. dicat illi Deus: Do tibi hanc gemmam vt vel eam retineas, vel alteri dones: potest Michael in eodem instanti dicere: Ego do illam Gabrieli. ergo Michael in eo instanti habet gemmæ dominium. Consequentia patet, quia dat dominium. ergo illud habuit: non ante illud instans, quia tunc primo existit. ergo in eo instanti. Quod autem casus sit probabilis, patet ex eo, quia in eodem instanti reali Sol producit defactó lucem in spatio sibi immediato, & hæc in secundo spatio, & secunda in tertio. ergo &c. Hoc argumentum gloriatur Arriaga

49 P. Hurtadum supra §. 38. à se accepisse, & fusè postea prosecutum esse.

Respondeo verbum dandi, quod attinet ad præsens institutum significare translationē dominij dantis in accipientem. Vndè si completè accipiatur, importat ex parte dantis voluntatem transferendi á se dominium habitū: ex parte verò accipientis voluntatem illud in se admittendi. Quare sicuti implicat per ipsum Arriagam, quod idem habeat voluntatem excludendi à se dominium per cessionem, & illud simul apud se retinendi: ita quod habeat voluntatem admittendi in se dominium, & simul illud tradenti alteri. Quo posito venio ad casum: & si quidem fiat vsus in verbo dandi, dico illum implicare, quia dum Deus dat illa verba vult: verè non est determinatus ad causandum in Michaele dominiū, sed vel hoc, vel pogestatem ad tradendam gemmam Gabrieli, quæ duo sunt valdè diuersa; nam primum causatur communicando facultatem, quæ in genere efficientis moraliter concurrat ad omnem vsum gemmæ: secundum verò subministrando facultati liberè materiam, circa quam possit operari, vt benè notat Lugo *nu.* 24. vbi ait: Dominium proprietatis consistere in facultate acceptata, & radicata in ordine ad omnem vsum rei. Quare posito, quod Michael eligit dare gēmam Gabrieli, neque Deus dat gemmam Michaeli, neque Michael Gabrieli propriè, sed Deus huic, & sic corruit argumentum.

At verò si supponamus nō fieri vim in verbo dandi: admitto casum, & nego consequēriam. Ad probationem distinguo antecedens: dat dominium: hoc est concedit illud alteri, concedo; hoc est transfert illud à se in alterum, nego: quia hoc supponit, quod vel habuerit, vel habeat, vtrumque autem falsum est. Sicuti igitur, quando tu das gemmam alteri si ille tunc primo cedit dominio: dici potest minus rigorosè dare tibi dominium illud, in quantum tibi cedit gemmam, non autem in quantum illud á se in tè transferat. Ita dicam ego, actus enim ille voluntatis, quo Michael dicit in eo instanti: Dono gemmam Gabrieli, comparatur actui, quo quis primo cedit dominio oblato; solum enim differt ratione termini. Sic distincto antecedente: nego consequentiam; & paritatem à luce desumptam. Disparitas est, quia alia est lux, quæ producitur à sole in spatio sibi immediato, ab ea, quæ producitur in secundo spatio: at gēma, quæ datur à Deo Michaeli eadem omnino esse debet cum ea, quæ Gabrieli conceditur. Quemadmodum igitur implicat quod lux, quæ producitur á sole in spatio sibi immediato sit eadem cum ea, quam hæc producit, & dat secundo spatio: ita & in casu nostro.

50 Obijcies quinto: si sufficeret dominium præcedens ad instans donationis, & non requireretur præsens, ad hoc, vt possem dare: si diceret mihi Deus do tibi gemmam vsque ad instans, A, exclusiuè, sequeretur, quod possem in eo instanti gemmam alteri dare. sed hoc est manifestè falsum. ergo, quando datur aliquid requiritur tunc in donatore dominium. Ita ferè Arriaga *loco citato*.

Respondeo hoc argumento etiam probari, quod instanti cessionis dominij habiti, debet, qui cedit, habere dominium, & non sufficiat, quod illud habuerit toto tempore præcedenti ad illud instans. Nam siquis esset dominus gēmæ vsque ad instans, A, exclusiue, ridicule cederet.

Digitized by Google

daret dominio in eo instanti: vndè patet falsitas sequelæ. Quemadmodum igitur, vt rectè quis dicatur cedere dominio habito in hoc instanti, sufficit si habuerit illud tempore præcedenti, & ita nunc non habeat, vt carentiam istam dependenter à sua cessione habeat. Ita ad hoc, vt quis dicatur dare in hoc instanti aliquid alicui per translationem dominij, satis est si ita habuerit tempore præcedenti dominium, vt illo hunc dependenter à sua voluntate careat. Nego igitur sequelam maioris; & ratio est, quia negatio dominij, quam in instanti, Ar habes, non potest esse in te ex vi donationis tuæ, sed independenter ab illa. Quare etiam si elicias in eo instanti actum, quo dicas volo dare gemmam alteri: habeo vndè negem actum hunc esse translationem dominij.

51 Obijcies sexto ex eodem *sub num.* 12. Ratio ob quam legis periti, atque Theologi negant vniuersaliter dominium duorum in solidum, desumitur ex repugnantia physica duarum voluntatum in ordine ad vsum licitum eiusdem rei: & quia sequeretur bellum ex vtraque parte iustum, sed in eo instanti, quo quis dat, & alius recipit hæc non sequuntur. ergo &c. Minor probatur, quia dum quis alteri donat aliquod transfert ius in illum. ergo nō potest velle vti re eo repugnante.

Respondeo primo negando minorem: probatum est enim in secundo argumento, quod si donator eo instanti, quo dat haberet rei dominium ex vna parte posset vti licitè re, donatario contradicente, quia esset absolutè dominus: ex alia verò non posset, quia vsus rei alienæ inuito domino est illicitus.

Respondeo secundo, quod absurditas consequentis, seù effectus non est sufficiens per se ad destruendum antecedens, & ad tollendum esse causæ, à qua profluit, sed debet aliqua alia causa à priori assignari destructiua alius principij á quo ille effectus repugnans proficiscitur. Quare si ex permanentia dominij in tempore in duobus sequeretur contradictio, seù bellum ex vtraque parte iustum, non debet assignari pro causa destructiua dominij in donatore absurditas loquelæ, sed aliqua alia res à priori, quæ cum dominio illo repugnet. Conueniunt autem nobiscum aduersarij in assignando pro ratione destructiua dominij donatoris, dominium, quod in donatario productum est. Differunt autem in eo, quod nos volumus hæc duo habere incompossibilitatem per se simpliciter non minus, quam forma cadaueris cum anima respectu eiusdem subiecti: illi verò per accidens, & ratione temporis, quod consequitur, vndè volunt in primo instanti posse simul existere. Sed in hoc non videntur benè discurrere: tum propter alias rationes assignatas, tum, quia sicuti Philosophi, ex eo, quod viderint non posse duas formas oppositas simul esse in eodem subiecto pro aliquo tempore, rectè intulerunt, neque posse simul esse in eodem instanti, etiam si in tempore: & non in instanti oppositionem operationum experti sint: ita deberent aduersarij ratiocinari.

Obijcies septimo: nullus potest absque peccato donare aliquod nisi, quando illius, quod donat sit verè dominus, sed in instanti donationis Michael dat V. G. seruum Gabrieli sine peccato. ergo &c. Minor patet: Maior probatur, quia nisi sit dominus non est vndè actus ille honestetur; & confirmatur; quia quando Michael dat Gabrieli seruū, vel seruus ille est Michaelis, vel non: si est, habetur intentum, si non est, quo iure illum dare potest? Iniuriam enim illi faceret eum per traditionem illam libertate priuando.

Respondeo distinguo maiorem: nullus potest absque peccato donare aliquod, nisi, quia sit eius dominus formaliter, nego: sit eius dominus virtualiter per hoc, quod operetur circa dominium, concedo; & sic concessa minore, distinguo consequens; quando Michael dat seruum Gabrieli est dominus virtualiter concedo: formaliter, nego consequentiā. Dico enim, quod ad dandum aliquod absque peccato non requiritur formale dominium in donatore, sed sufficit potestas disponendi de dominio modo dicto. Ad probationem maioris: Respondeo sufficientissimam esse huiusmodi potestatem ad actum donationis cohonestandum. Ad confirmationem verò absolutè dico: seruum in eo instanti non esse Michaelis, & ad petitionem aio, quod in tantum iure illum donat, quia habuit in eum dominium proprietatis dependenter à sua voluntate variabile, neque illum dando Gabrieli libertate priuat, quia nunquam intelligitur solutus omni dominio, cessat enim esse seruus Michaelis ex vi dominij, quod Gabriel de nouo in eum acquirit.

Obijcies octauo: Causa moralis honestans actionem licitam existere debet pro eo instanti, pro quo existit actio licita, sed dominium est causa moralis honestans translationem dominij. ergo &c. Minor patet, quia nequit assignari alia causa. Maior verò probatur, quia non minus actio moralis accipit esse morale à sua causa morali illam honestante, quam actio physica à causa sua efficiente suum esse Physicum; sed causa physica existit simul cum physica actione. ergo &c.

Respondeo causam moralem honestantem traditionem dominij esse libertatem voluntatis operantem circa dominium proprietatis secundum dictamen rectæ rationis; sicuti tenentur dicere aduersarij de causa morali cohonestante cessionem dominii. Quare concessa maiore, nego minorem, nisi nomine causæ moralis intelligatur materia circa quā operatio voluntatis libere versatur. Ad probationem minoris patet ex dictis.

Renunciatum mihi est recentiores nonnullos in nobili quadam Academia omnia argumenta aduersariorum eludere sustinendo, quod causa moralis non debeat existere simul cum effectu, eo quod non causet immediatè effectum, sed mouendo voluntatem ad odium, vel amorem &c. Vndè est, vt concedant donationem esse quidem effectum procedentem à dominio in genere efficientis, licet pro eo instanti

tanti pro quo exerceatur dominium ipsum non existat. Verum quamuis hoc sustineri possit de causis moralibus, quæ mouent excitando voluntatem, vt sunt deprecator, consultor, & ille qui timorem incutit. Falsum tamen videtur esse de causis illis, quæ dicuntur morales ex eo quod concipiuntur secundum prudentem hominum existimationem, vt formæ quædam in animes intrinsecè afficientes hominem, ratione quarum quædam illius operationes cohonestentur; & ratio huius esse posset, quia huiusmodi causæ concipiuntur esse immediatè influxiuæ in suos effectus: at verò ille mediatè solum. Quare sicut in physicis non est necesse vt causa mediæ existant ad productionem effectus: benè tamen necesse est, vt existant causa immediatæ: ita, & in casu nostro. Quod enim dominium habeat rationem causæ immediatæ in ordine ad cohonestandos suos effectus, patet ex paritate similium facultatum moralium. Nemò enim dixerit, quod per hoc præcisè, quod aliquis anno præterito fuerit Rex, si modo non est, posse validè condere leges, gestare coronam, dãnare reos; & reliqua exequi, quæ solius Regis propria sunt.

55 Caterum: si paritas in casu nostro ex Consultatione, Oratione, & similibus assumpta valeret: Probaret etiã post instans donationis posse donatorem exercere actus dominij. Nam consultatio, & Oratio possunt post multum temporis suos effectus causare.

56 Obijcies nono: quando quis occidit equum, aut pallium comburit, exercet in illis dominiũ pro eo instanti. ergo habet eorũ dominiũ, multo igitur magis habebit dominium, si tunc illa alteri daret.

Respondeo distinguendo antecedens; & si quidem sermo sit de dominio libertatis, concedo: proprietatis, nego antecedens, & consequentiam. *Mirot* enim aduersarios existimare, quod quando primo non est res, existat eius dominium, cum alibi dicant dominium habere imbibitum ius in rè, quod sine rei existentia existere nequit. Vnde Lugo *disp. 6. de Iust. num.* 103. Hæc habet expresè: ad rem corruptam non datur dominium, quia non datur potestas physica ad vtendum rè illa.

57 Obijcies decimo: donatio in illo instanti aut reperit dominium in donante, aut non reperit, si primum habeo intentum; si secundum. ergo est donatio absolutè de rè non propria, & consequenter est nulla.

Respondeo concessa maiore, ad minorẽ dico: donationem non reperire dominium in subiecto cui, quia non habet illud destruendi, sicuti frigus calorem, & sic distinguo consequens. ergo est donatio absolutè de rè non propria, quæ ex vi donationis esset esse propria, concedo: quæ aliundè non est propria, nego. Ex quo patet donationem illam non esse nullam, sed validam, quia res, quæ alias erat donanti propria: facta, vt cesset esse illi propria, & incipiat esse propria donatarij.

58 Obijcies undecimo: si quis alicui tradidisset dominium rerum, quas non habet, & est habiturus in posterum, casu quo postea ei res aliquas de nouo accederent, tunc eum ipse esset dominus illius rei, cum ille cui tradidit dominiũ, & quidem in solidum. ergo &c.

Respondeo negando antecedens. Ex illis enim duobus in tali casu, sicuti sit moraliter vna persona: ita in illis vnicum existit dominium; quod patet ex eo, quia qui dominium rerum suarum tradidit alteri, in nullum plenè vsũ vel potest licitè rè, quæ si de nouo obuenit contra voluntatem alterius. Vndè patet, quod nõ habet dominium in solidum.

Dici etiam potest, & forte melius, quod in 59
eo primo instanti dominium, sit solum penes illum, cui facta est cessio omnium bonorum, quia hic beneficio illius amplæ donationis in obtinẽdis bonis consequentibus substituitur personæ donatoris principalis, eique in obtinendo iure in bonis illis æquiualet; sicuti Filius Patri defuncto.

Obijcies duodecimo: Deus est perfectissimè 60
dominus suarum creaturarum. Sed hoc non obstante homines sunt plenè, & absolutè domini rerum suarum. ergo dominium in solidum non potest esse penes plures.

Respondeo Deum esse perfectissimè dominum creaturarum suarum dominio alto, sibique essentiali, & inamissibili: Homines verò esse dominos rerum suarum per dominium bassum, accidẽtale, ac amissibile. Quare negãda est dominij cõsequẽtia, quia in præsenti quæstione sermo est de dominio in solidum pænes plures, quod sit eiusdem rationis, & amplitudinis. Vndè fit vt sicut implicat, quod duo sint in solidum condominio diuino: ita, & quod sint humano, adeò vt si supponamus vellè Deum dominio etiam humano possidere gemmam: non posset eius esse condominus illius. Posset verò Deus paciſci cum alio homine, eumque illi vendere amittendo huiusmodi accidentale dominium, quod habebat in gemma.

Quæres hic quo modo verum sit, in instanti 61
donationis donatarium esse dominum rei donatæ? videtur enim, quod non. Primo, quia pro eo instanti totum ius, quod habet subordinatur donatori: secundo, quia in tantum Minores de obseruantia non habent dominium rerum, quæ in eleemosinam illis datur, sed Pontifex, quia licet habeant facultatem disponendi de rebus illis, habent tamen eam dependenter à Pontifice. ergo à pari. Tertio denique, quia si donatarius in eo instanti esset dominus rei traditæ, posset illam alteri in eodem instanti donare, sed non potest, quia alias pro eodem instanti haberet, & non haberet eiusdem rei dominiũ, quod repugnat. ergo &c.

Respondeo dicendo donatarium in eo instãti esse vere, & proprie dominum rei donatæ primo acceptæ, vt supra demonstrauimus. Ad primum distinguo absumptum, subordinatur quo ad dependentiam, quia tunc à donatore causatur, cõcedo: quo ad reuocabilitatem, quatenus licet ab ipso donatore post traditionem acceptatam reuocari possit, nego. dominio autẽ illa sola subordinatio obest, quæ facit vt quis habeat potestatem reuocabilem, & amouibilem ab alio, quia hæc impedit ius perfectè disponendi

Digitized by Google

Rer quod patet ad responsionem secundam: dico enim Minores de observantia id eo non habere dominium, quia tota illa possessio, quam habent disponendi de rebus, est à vero domino, scilicet à Pontifice revocabili. Dominus autem non est, qui potest quomodocumque disponere, sed qui id potest potestate irrevocabili. nam qui revocabiliter disponit, non ex dominio fidei ex licentia existimandus est id facere; & recte: dominium enim est ius publicationis in usu rei adversus omnes alios, quo ius Minores, licet habeat adversus alios à Pontifice, non tamen habent adversus Pontificem ipsum: hac licentia non obligante eundem ad non revocandum illam, sed ei reservata rerum ius, & sodum declarare eum esse inutum, his, aut licentia tribuitur de eis, aliaque disponendi, de illa disponat; & hinc fit, ut Pontifex eodem instanti, quo dat Minoribus licentiam disponendi de rebus, possit licite illas sine eorum injuria comburere, V. Scindere &c. Quod idem intelligendum est cum proportione de regulari Prælato, dante subdito licentiam disponendi: longe autem aliter se habere donatarium eo instanti, quo rem acceptat à donatore, manifestum est.

Ad tertium denique distinguo sequelam: Possem illam donatarius alteri immediate illatidonare: præcisè quantum est ex vi dominii concedo; pensatis omnibus, nego sequelam: quia enim in eo instanti alicui actum, quo sibi se appropriat, non potest cum illo alium componere, quo simul velit illam à se alienare. Undè patet hanc impotentiam non ex dominio, sed ex physica actuum incompossibilitate in nostra sententia provenire.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEXTA

DE ACCIDENTE.

Postquam considerauimus substantiæ, quæ erat prius membrum divisum entis vniuersalissimè accepti, quod est, vt aliquid de posteriori membro, quod erat accidens, differamus. De quo illud præmonendum est, nomen accidentis pronocabilium hic sumendum esse in quinto prædicabili: ibi enim accipitur pro ente dimensionem modum habente, distincto à reliquis quatuor conditionatum, hic verò pro ente absolutè prædicamentum reliqua prædicamenta, & de singulis eorum generibus accipiens imperfectum quendam, ac rationem subiecti aliquo modo vnam habentem, quid quidem sit, non videntur dicere aliqui, quibus videtur fuisse Suarezius Metaph. disput. 7. sect. 1. initium, quòd ex aliis potest sumi tum ex prædicato entis in communi, quod supra vidimus omnes esse analogum, atque adeò aliquo modo vnum: tum ex conceptu formali, quem in prædicata diuisionis entis audita hac voce accidens, omnes formamus per illam collis exprimere intendimus, id quod substantiæ accedit, hæc accidere ita, vt eam adæquatè se constituat, & determinatam supponat, de ipsa omnino prædicari valeat. Porrò huic conceptui formali rationem quandam obiecti aliquo modo vnius, saltem prout tali huiusmodi conceptu corresponderi videri extra illud tamen dubitandum in quonam sed tamquis ratio accidentis posita sit. Nam essentiæ quidditatiuæ accidentis non videtur esse, quia non explicat quam quid rei in se, & non habere eiusdem ordinem, quòd quamuis in minimo non repugnet in ratione accidentis formaliter consistentem, non tamen inhærentiam, & exigere significare videatur. Nec proximum fundamentum differentiæ explicantis ponere inhærentiam, & exigere significare veram, & propriam dependentiam à subiecto tanquam à causa materiali: cum duplex dari possit actus materialis, vnus substantialis, qui potest subsistere, quod quamuis in nullo non possit esse ratio essentialis accidentis, vt constat nobis ex Venerabili Eucharistiæ Sacramento, in quo quantitas subsistit separata à subiecto, atque adeò dependens ab illo, vel denique ultima ratio, per quam accidens vere à substantia discriminatur. Porrò

Digitized by Google

3 b Porrò hanc definitionem ponunt primo ex communi dicto axiomate accidentis esse est in esse, quod significat essentiam accidentis in aptitudinali inhærentia posse esse. Secundo ex definitione, quæ communiter datur accidenti, est ens in alio. Tertio denique, quia duo sunt modi essendi subsistentiæ, & inhærentiæ, ergo sicut subsistentia ego sensu substantiæ essentialem exigit subsistentiam, ita accidens actualem inhærentiam explicitè, & saltem particularem ad illam videndi debet cognosci.

4 Verùm contrà hanc accidentis definitionem sic arguitur, & primò quidem, quia formæ omnes substantiales materiales exigunt de quod essentialiter materiam, & per consequens actualem inhærentiam. Secundò, quia aliquibus accidentibus actualis inhærentia non competit, ut habitibus supernaturalibus, & hæc tamen vera sunt accidentia, quia modum, figuram habent, & quantitativa sunt. Tertiò denique, quia dantur aliqua accidentia, quæ neque

01 actualiter, neque aptitudinaliter inhærent, ut est dictum, quæ non important esse in, sed esse ad, quæ non sunt in subiecto, sed ad subiectum, ut sunt omnes relationes reales, ut omnipotentia, & omnipræsentia Dei, & similia.

5 b Porrò ad primum modo dictum facilis datur definitionis fautores respondere, concedendo primam quidem dictam propositionem, quatenus inhærentia ipsa, quæ est subiecto, eamque actuat, non est ad existentiam, ad quam non confert primum esse, sed supponit illud per aliud esse prius constitutum in ratione existentis, ut colligitur ex D. Th. *quæst. 77. art. 1. ad 3.* Quod si non verò formæ substantiales materiales non pendent à materia prima, ut asserant illi existentiam habere, ut non inhærentes. Propriè autem, qui materiæ primæ propriam conducunt existentiam ab existentia formæ conclusam, eandem, inhærentiam supponere subiectum substantialiter completum, quod cum verificari nequeat de forma substantiali hinc sit, ut dicta forma non inhæreat. Ad secundam verò dicunt, aptitudinem ad inhærendum posse sumi dupliciter Physicè, & Logicè, & quidem primo modo is habet, qui actus primus existit constitutus, & separabilis ab actuali inhærentia. Secundo verò modo transcendit ens actuale primum, tum etiam secundum. Quia ens ipsa quoque actualis inhærentia habens aptitudinem sumam ad inhærendum, licet non modo essendi hominem. Tum quando in definitione dicitur accidens *ultimæ fallimè* accepta esse ens essentialiter exigens inhærere, ferè omnem esse de aptitudine Logicæ ad inhærendum, & non de Physica, & ideò competere etiam entitatibus modalibus, quæ per novem summa genera inveniuntur dispersa. Ad tertiam denique respondent inhærentiam posse sumi dupliciter stricte, & latè. Stricte sumptæ competere solis formis accidentalibus, sive immediatè, sive mediatè à substantia in genere causæ materialis dependentibus, latè verò importare quemcumque habitudinem formæ, sive intrinsecè, sive extrinsecè denominantis substantiam actu, vel aptitudine. Porrò inhæ-

rentiam, in ordine ad quam accidens vniversaliori modo acceptum definitur, non esse accipiendam stricte, sed latè, prout abstrahit, tam ab inhærente, quàm extrinseca affectione subiecti actuatam ad actum, vel aptitudinaliter, iam verò hanc inhærentiam latè acceptam competere relationi realis, ut patet, & similibus.

6 Quoniam verò tradita definitio non explicas tantùm, sed immutat genus, quod vocem in hac definitione propriè significationi ad improprium perducere videatur, ideò circa eandem est dicendum. Reductiones ad has accidentis notiones à formalitatibus fugientes, quas primo loco occurrit Arriaga *disp. 5. phys. sect. 2. ad 6.* ait consistere, quod inesse est ens conceptum subsistendi, vel necessariò formæ alibi. Sed non tenebunt definitionem facilè quique ipsemet Arriaga *num. 6.* explicans, quid sit hoc, accidens est in forma subiecti, ait, esse hoc necessariò vltimò in forma. Sed multi accidentia prædicamentalia (hoc) quæ non sunt in forma subiecti, respectu hominis sunt accidentia quidem, siquidem neque requirunt informare parietem, quem reddit cognitum; neque vanitas hominis, quem reddit vestitum, neque 8 denique intellectus substantiam intellectam, talis est passio realiter identificata cum illa ergò &c.

7 Secundò *Suarez in Metaph. disp. 35. sect. 2. num. 1.* definit accidens esse formam aliquo modo afficientem, vel denominantem subiectum, cum accidens esse dicatur, & siquidem hic modus particularis (aliquo modo) conveniret cum forma, nihil erat, mihi displiceret. Quoniam verò illam vult pertinere ad patefactam sequentem, & per eam ait accidens distingui non solùm à forma substantiali, sed etiam ab omni substantiali modo, eo quod dentur aliqua entia, quæ non sint substantiam subiectum inhærentiam, ut explicat capite relationis existentia: primò, quia unum ex novem prædicamentis accidentalibus est esse vestitum, armatum &c. Atqui nemo cordatus vestem, & arma appellabit formas, sed ad summum cum addito minuente, ergo neque accidens, quod in dicta novem genera dividitur, debet absolutè dici forma, sed ad summum aliquo modo forma. Consequentia videtur solida ex illo principio à Logicis recepto: quid quid dicitur de superiori, debet posse dici etiam de inferiori. Nam ratio videndi communissimè accepti videtur se habere respectu vestis, seu armorum, ut quid superius: Quamvis enim ens sit verè genus respectu illorum, est tamen totum quid potestativum, quod de illis, ac de reliquis generibus accidentalibus prædicatur id quid. Secundo eandem definitionem impugno, quia ratio, quam assignat Auctor, cur particula aliquo modo in ea addiderit, est, quia aliter competeret formæ substantiali, & substantialibus modis. Sed hoc est falsum, ergo &c. Maior patet ex eius explicatione. Minor verò suadetur, quia hoc ipso, quod in defini-

tione tradita nomine subiecti intelligitur substantia in suo esse substantiali completè constituta, iam excluduntur à dicta definitione formæ, & modi substantiales, atqui huiusmodi intelligentiam dictum nominis affert nobis denominatio afficientis. Forma enim, quæ afficit subiectum aliquod intelligitur supponere illud quantum ad substantialia sua iam constituùt alioquin non se haberet per modum afficientis respectu illius, sed per modum constituentis, & componentis illud, afficere enim aliquem est affectionem, seù dispositionem in eum inducere, vt Caietanus docet ergo &c. Neque dicat nomine subiecti non venire substantiam determinatè completam, sed substantiam, vt sic, præscindentem à completa, & incompleta. Etenim si hoc esset verum, dicta definitio etiam formam substantialem comprehenderet, quandoquidem forma substantialis dici potest subiectum suum aliquo modo afficere, quatenus materiam primam informat, & perficit. Ex quibus probatum remanet id, quod paulo ante dicebam videlicet si particula illa (aliquo modo) ex parte consequentis, & non antecedentis sentiretur, huiusmodi definitionem à Suarez traditam non esse contemnendam.

8 Tertiam dat Quiedus in *Metaph. contro. 6. puncto primo num. 15.* vbi post quam conceptum quidditativum substantiæ explicuisset Accidens definiuit: est id, quod *intenditur* à natura propter aliud, à quo adæquatè distinguitur, videlicet propter substantiam à qua adæquatè distinguitur. Verum neque hæc Accidentis notio satisfacit. Ratio est, quia ex illis Accidentibus, quæ in nouem classes redacta sunt, multa dantur solà ratione ratiocinatà à substantia distincta, vt enim bleam de vestibus, & armis de intellecta, & voluntate, denique potentijs sensitiuis animæ, quis multi cum ipsa animæ substantia identificari defenderunt. In sententia ipsius Quiedi relatio prædicamentalis non distinguitur à fundamento, & termino; & ratione fundandi: Vnde vult Paternitatem, & Filiationem nihil aliud importare quam hunc hominem ab hoc alio genitum esse, vt patet *ex contro. 9. Metaph. punct. 4. num. 15.* ergo per ipsum relatio nõ adæquatè distinguitur à substantia, & sic tradita definitio nõ verificatur de accidente cõmunissimè sũpto, quod in nouem genera diuiditur, sed ad summũ de accidente physico.

9 Quarta definitio traditur ab Hurtado in *Metaph. disput. 13. sect. pr.* Accidens est conceptus rem in esse substantiali supponens, illamque perficiens. Ego verò ex duplici capite hãc Accidentis descriptionem improbarem. Primo quia hominem carere omni peccato tum originali, tum personali in actu, & habitu, est conceptus quidam ipsum hominem in esse substantiali supponens illumque perficiens, sed huiusmodi carentia non est accidens, de quo agimus; quia hoc est ens reale in nouem prædicamenta distributum. ergo &c. Maior, quæ sola probatione eget suadetur, & quidè quod dicta carentia sit conceptus hominem in esse substantiali supponens est lucè clarius: quod verò illum perficiat, patet ex eo, quia multo magis intelligitur perfici homo ab hac carentia, quam ab habitibus vitiosis, & actibus ponitue intellectum, & voluntatem desuper antibus. ergo si huiusmodi habitus, & actus sub dicta definitione Accidentis comprehenduntur; non est, cur excludi debeat dicta carentia. Secundo eandem descriptionem improbarem ex eo, quia competeret substantiæ: atque adeò dicti à definito, quod fas absurdo: de personalitate enim Verbi V. G. recte verificatur, quod sit conceptus supponens naturam humanam in suo esse substantiali, eãque perficiens. Neminem enim latet de natura humana beneficio prædicatorum suorum recte affirmari, quod sit ens substantiale, substantia &c. Vnde fit, vt ad excludendam substantiam à dicta definitione aliqua alia particula desideretur. His igitur Accidentis notionibus pollubatis.

Nostra Cõclusio est. Accidens commune ad nouem prædicamenta recte describi. Ens formaliter positum denominans substantiam completam suo vltimo substantiali termino terminatam. Dicitur primo forma, vt notetur, quod hic non agimus de Accidente in concreto, sed in abstracto, quod prædicatur de Quantitate, Qualitate, Relatione, &c. Quæ se habent vt formæ nouem summa genera cõstituentes. Dicitur secundo, positiua, ad excludendas carentias, quæ sunt formæ negatiuæ, & non absolutè, at cum addito consequente, quia nihil denominant subiecta sua. Cæcus enim denominatur à cæcitate, & surdus à surditate &c. vt de se patet. Dicitur tertio denominans, quæ particula addita particulæ (forma) aliquam eius significationem minuit. Significans ad rationem Accidentis habendam sufficere, quod se habeat per modum formæ denominãtis substantiam, sine de reliquo in entitate sua identificetur cum substantia, siue non: Quo fit illi intrinseca, siue extrinseca &c. Dicitur quarto substantiam completam, quia secundum nouem prædicamenta in ordine ad substantiam completam constituuntur: ita, & Accidens, quod in illa diuiditur. Vnde dicitur entis ens. Dicitur denique quinto, suo vltimo substantiali termino terminatã: Ad excludendas formas denominãtes essentiales cuiusmodi est humanitas rationalitas, & similes respectu hominis, nec non etiam subsistentiam, & ipsam naturam respectu naturæ. Quamuis enim aliquorum sententia forma denominans substantiam debeat esse accidentalis, vt Albedo à qua denominatur Alba, Dulcedo Dulcis &c. Melius tamen alij existimant etiam formas essentiales, seù substantiales esse denominantes, & sic Petrum volunt ab humanitate denominari hominem, à rationalitate, rationalem, à subsistentia subsistentem &c. vt docet Compronus *disp. 38. Logicæ sect. 2. num. tertio* iuxta quam sententiam rectè apponenda fuit hæc vltima particula, per quam ratio Accidentis ad illas solas formas denominantes substantiam coarctatur, quæ illam inueniunt non solum in sub-

essen-

Digitized by Google

essentia, sed etiam in suo vltimo termino constitutam. Hac posita explicatione.

11 Probatur Conclusio: quia tradita definitio de omnibus, & solis Accidentibus, quæ per nouem summa genera sunt dispersa verificatur, ergo est rectè tradita. Cōsequentia videtur bona, quia inde colligitur dici ad conuertentiam cū Accidente, vt sic; & eius rationem explicare. Antecedens verò suadetur, quia ex vna parte nihil potest assignari in rerum natura de quo possit dicta descriptio verificari, quod non sit in dictis nouem cathegorijs; ex alia verò parte de Quantitate verificatur, quod sit forma positiua denominans Quantam substantiam in suo vltimo termino constitutam, Item de Qualitate, quod sit forma positiua denominans Qualem dictam substantiam, item de Relatione, de Actione, Passione, & reliquis, iam igitur de omnibus dictis generibus verificatur, quod erat probandum.

12 Dices: duo in tradita notione Accidentis displicere posse. Vnum est, quod non conformatur definitioni substantiæ, quam tradidimus in Logicis per ens, dicendo eam esse ens per se subsistens; alterum verò quod tradatur per denominationem, quæ est quid posterius, & ad Logicos pertinens. Sed vtrumque videtur inconueniens. ergo &c.

Respondeo me hoc fecisse maioris claritatis gratia, qui autem dictam Accidentis notionem propter rationes assignatas nō probat, dicat Accidens esse ens, quod se habeat per modum perfectiui susistantiæ completæ suo vltimo substātiali termino terminatæ. Patet ex his, quæ diximus in physicis agentes de ratione formæ in communi, vbi probauimus eam consistere in eo, quod se habeat per modum perfectiui, sicuti rationem subiecti, quod se habeat per modum perfectibilis.

13 Iā verò vt aliquid dicamus de diuisione Accidentis: licet quatenus consideratur eius diuisio in membra, quæ sunt genera quædam vniuoca primo diuersa, optima, & immediata sit qua in nouem prædicamenta partitur, vt docet Suarez *in Metaph. disput. 39 sect. prima num. oct.* Non est tamen spernenda illa; qua teste Hurtado *disput. 13. Metaph* §. 2. Diuidi communiter solet in Logicum, & Physicum. Quamuis enim hæc membra non sint summa genera vniuoca, sed analoga, tamen adæquatè illud partiuntur, & diuidunt. Porrò Accidens Logicum dicitur illud, quod nemine cogitante identificatur cum substantia; sed formaliter ita ab ea distinguitur, vt intelligatur ab illa prossuere eamque afficere, vt patet ex sententia illorum, qui ponunt potentias animæ indistinctas ex natura rei ab ipsa anima, quas nihilominus existimant esse in prædicamento Qualitatis &c. Physicum verò Accidens dicitur illud, quod ita denominat substantiam in suo esse substantiali vltimo constitutam, vt ex natura rei distinguatur ab illa; & quidem de primo diuisionis membro nihil speciale nobis dicendum occurrit: de secūdo verò aliqua notatu digna; quod quia subdiuidi solet in illud, quod est propria forma realis accidentalis inhærens substantiæ, siuè immediatè vt Quantitas, siuè mediatè, vt quatuor primæ Qualitates, & secundæ: & in illud, quod est tantum modus, ipsam substātiam vltimo terminatam afficiens, de vtroque aliquod in sequentibus dicamus oportet.

SECTIO SECVNDA.

An dentur formæ reales accidentales inhærentes subiectis.

Conclusio est affirmatiua, & euidens, non quidem euidentia Metaphysica, cui nullus intellectus cōtradicere potest. Sed physica, quā in genium refractariū, & cōtumax potest negare, eique non acquiescere. 14

Probatur primo, quia experientia cōstat nostras potentias vitales intentionales, tum sensitiuas, tum rationales modo hæc, modo alia obiecta vitaliter attingere per operationes vitales, quas eliciunt, & in se ipsis recipiunt. Sed huiusmodi operationes sunt formæ reales accidentales suis potentijs inhærentes. ergo dantur huiusmodi formæ. Omnia patent, præter minorē, & quidem, quod sint formæ potentias informātes videtur certum; quia ex vna parte nemine cogitante distinguntur ab illis: ex alia verò eas perficiunt, ac complent. Nemini enim dubium esse potest visionem, & potentiam visiuam inuicem comparando, illam se habere per modum perfectiui: hanc verò per modum perfectibilis; & sic illam habere rationem formæ, hanc subiecti. Secundo, quod sint formæ reales, & non modales ex earum perfectione constare potest. Cum enim sint actus secundi vitales, videntur habere multum entitatis. Siquidem perfectionis cuiuscumque rei radix, & fundamentum est entitas eiusdem rei. Porrò formæ modales sunt minimæ entitatis, vt omnes docent. Tertio, quod sint accidentales suadetur, quia adsunt, & absunt, absque subiecti corruptione, experimur enim, quod ex vna in aliam visionem oculus noster, & ex vna in aliam intellectionem intellectus noster transeat pro diuersitate obiectorum, quorum species recipiunt. Quarto denique, quod dictæ formæ inhærentes sint, euincitur, quia, ita sunt accidentales, vt indigeant subiecto à quo tanquam à causa materiali substententur, & sic non sunt adhærentes; sed inhærentes subiectis suis. 15

Dices: his probationibus suaderi solum dari actus vitales, qui se habeant, vt formæ reales accidentales: non autem dari accidentia physica & realia, vt Qualitates, cū primas, tū secundas; Quantitatem &c. 16

Sed contra, quia non minori certitudine ex experientia ducta constat dari formas accidentales caloris, frigoris, luminis, & aliorum. Videmus enim lapidem ex frigido fieri calidū, & ex calido frigidum; àèrem ex tenebroso trāsire in lucidum, & deperdita lucè tenebris obscurari, ergo neque accidētia physica realia negari possunt.

Ad hoc argumentum bifariā respōdent Aduersarij primo negando calorem frigus &c. Esse accidentia physica. Dicunt enim esse corpuscula 17

quædam

Digitized by Google

quædam substantialiter calida, vel frigida, quæ vi ratæ agentium naturalium in poris lapidis, vel alterius corporis immixta, vel ei adhærentia corpus illud calidum, vel frigidum apparere faciant; & quia non sunt de illius substantia, rectè accidentium prouocabulum sortiri; ad eũ planè modum, quo vestes quamuis sint substantialia corpora, quia tamen, ita coniunguntur cũ homine, vt non pertineant ad eius essentiã, verè dicuntur eius accidentia.

18 Verum hæc responsio impugnatur dublici via:
21 primò, quia rationi naturali repugnare videtur, supponit enim Democriti, aliorumque antiquorum sententiam omnia concreta, tum quæ appellamus substantialia; tum quæ appellamus accidentalia, ex solis atomis incorruptibilibus esse compósita, quæ per variationem solius figuræ, situs, & ordinis tantũ diuersitatem in corpora naturalia, quantam experimur, inducant; absque eo quod ad huiusmodi diuersitatem aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis necessaria sit; quæ quidem opinio, tum ab Aristotele, tum ab alijs philosophis tam antiquis, quam recentibus satis sufficienter impugnata est, & quamuis nonnulli Neoterici eam rerũ in lycæa conentur introdere, omnis tamen bona philosophia obsistit, atque reclamat.

19 Impugnatur eadem responsio secundo, quia doctrinæ fidei, quam de diuinissima Eucharistia habemus, maximè aduersatur. Ecclesia enim Catholica nos docet in hoc mysterio corpus, & sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis, & vini, destructa vtriusque substantia. Iam si accidẽtia panis sunt corpuscula panis poros replentia, quæ post consecrationem remanent; vel Corpus Christi penetratur cum illis, vel non; non potest dici primum, quia vt Fides docet ipsum succedit loco substantiæ panis, quæ non compenetrabatur cum dictis corpusculis; neque secundum, quia sic esset solum, vbi erat substantia panis, cuius poros dicta Corpuscula occupabant; ex hoc autem sequitur Corpus Christi non esse in tota Hostia Consecrata sed intermixtum, & solum in quibusdam eius partibus; nec manere sub speciebus eius, sed esse solum, vbi erat substantia panis, & iuxta species illius, ad eum planè modum, quo cera est in fauo, quæ non permeat totum, sed interpolatim est cum melle, & per iuxta positionem cũ illo. Verumque autem fidei principijs repugnat. ergo &c.

Respondent secundo ad argumentum principale, calorem, frigus, odorem &c. esse quidem formas accidentales, non tamen realiter à subiectis suis distingui, sed modaliter tantum, atque adeo esse formas modales, & non reales; sed sicuti sunt actio eductiua, subsistentia, & similes.

Contra hanc etiam responsionem, tum ratio naturalis, tum supernaturalis decertat; naturalis quidem, quia modi sunt minimæ entitatis, quod non videtur dicendum de quantitate, & qualitatibus primis, spectata earum natura, ac efficacitate: supernaturalis verò, quia modi essentialiter habent, vt sint actu subiectis suis affixi: ita, vt sine illis nec per absolutam quidem Dei potentiam valeant conseruari; atqui quantitas, & reliqua accidentia panis, & Vini in diuinissima Eucharistia, sine subiectis suis miraculosè existunt; ergo huiusmodi accidentia non sunt formæ modales, sed reales.

Quoniam verò argumenta, quæ deducuntur ex accidentibus panis, & vini in diuinissima Eucharistia remanentibus ad probandum dari formas accidentales reales multũ habet roboris placet cuiusdam Recentioris opinionem de speciebus Eucharisticis, quæ dicta argumenta videtur infringere, in medio adducere, ac expendere; eo, vel maximè, quia in nostra Panormitana Academia tractari annis præteritis cepit.

DIS-

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA SEPTIMA

AN SOLA ACCIDENTIA INTENTIONALIA Panis, & Vini in Eucharistia maneant.

1 IOsephus Ballus Nobilis Panormitanus, quem nonnulli postea secuti sunt, censuit posse, salua fide, sustineri post consecrationem non solum destrui totam substantiam Panis, & Vini, sed etiam omnia illorum accidentia sensibilia, siue sint identificata cum substantia, siue non, siue sint modi, siue res: Christum autem esse sub speciebus Panis, & Vini non significare eum esse sub accidentibus Panis, & Vini, sed solum ibi vbi apparet Panis, & Vinum; atque adeó sola accidentia intentionalia hoc est species impressas Panis, & Vini per consecrationem haberi; Porrò de hac sententia mentionem facit Suarez de Sacramentis *disput. 46. sect. prima* eamque tribuit Petro Aliaco Archiepiscopo Cameracensi S. R. E. Cardinali *in 4. sent. quæst. secunda art. tertio* vbi eam videtur docere. Iam verò quid de illa nos censeamus per sequentes sectiones explicabimus. Si prius duplicem viam eam declarandi ab hoc recentiore initam proposuerimus.

SECTIO PRIMA

2 *Duplex via explicandi sententiam de solis accidentibus intentionalibus Panis, & Vini in Eucharistia remanentibus.*

2 PRior via sic procedit in hostia Consecrata (idéque intelligendum de Vino) præter substantiam Panis dantur multa accidentia, tum communia, tum propria, siue vltima, siue immediata à substantia parum refert. Exempli gratia dantur quantitas cum figura circulari, aliquo modo consistentiæ, grauitate &c. Ex quorum omnium coniunctione resultat aspectus, seù apparentia quædam obiectiua, & realis per quam deuenimus in cognitionem substantiæ panis, quæ sub illis accidentibus existit, vt autem hæc obiectiua, & realis apparentia sensibilem non tollat à nobis non esse id productum libro medio, vsque ad nostras potentias, sensitivas quandam aliam formam indidit, & apparentiam formalem, quæ dicitur species intentionalis impressa, quæ primo, & per se facit nos venire in cognitionem illorum accidentium obiectiuam, & realem apparentiam panis consecuti. Secundario verò, & consequenter in cognitionem substantiæ eiusdem panis. His positis in via consecrationem omnium scientiam fit docet hæc via in vltimo instanti consecrationis hostiæ destrui vna cum substantia panis omnia eius accidentia, quæ obiectiuam, & realem panis apparentiam, seù aspectum constituebant remanentibus solis speciebus intentionalibus, quæ in eo medio, & in nostris sensibus existebant, supplente Christi Corpore

2 illorum consecutionem, quem panis accidentibus præstabant, ita, vt ex his omnibus, quæ ex parte panis se tenebant, nihil omnino fit; sed totus Christus cum suis accidentibus sit loco illius, qui species intentionales panis, vel conseruet, vel de nouo producat in medio, & in sensibus prout opus fuerit &c.

Secunda via supponit duo. vnum est in Christi Corpore esse quam plura accidentia eiusdem speciei, & species cum accidentibus panis, vt quantitatem, primas qualitates, & ex secundis non paucas; cum aliqua tamen diuersitate, vel in figura, vel intensione, & alia modificatione iuxta propositum exigentiam. Alterum verò, quod Christus Dominus habet potestatem annihilandi, vel modificandi species à se emissas, vel secundum totum, vel secundum partem prout voluerit. Quibus positis, posset hæc via docere Christum Dominum in Eucharistia verè, & realiter emittere à se species suorum accidentium: vna tamen modificata, vt repræsentent eandem effigiem, & apparentiam panis, & sic species quantitatis, quam sentimus esse, verè, vera species quantitatis ipsius Christi, & ad eam tangendam verè nos determinare cum tali tamen modificatione, vt repræsentet nobis quantitatem hostiæ, cum illa figura circulari, & eandem duritiem, & densitatem quam haberet si esset quantitas hostiæ. Idemque dicendum de Colore, Sapore, Grauitate, & similibus, quæ cum in hostia, & in Corpore Christi eiusdem essentiæ reperiuntur, si qua autem sunt accidentia in Christi Corpore diuersæ essentiæ suas species nullatenus immittere. Vnde species ex Christi Corpore præcedentibus repræsentetur nostris sensibus formam visibilis panis: ita vt via

deamur

deamur panem tangere, gustare, & odorare; cum ré vera immediatè Corpus Christi tangamus, gustemus, & odoremus. Per quod videtur differré prior via à posteriore; siquidem prior contenta est, vt habeantur in Eucharistia species Panis, & Vini, & has Christi Corpus, & Sanguis post consecrationem conseruet, atque producat, prout opus fuerit: at posterior exigit, vt dictæ species sint veræ non solum efficienter à Christi Corpore procedentes, sed etiam formaliter ipsum quãtum est de se repręsentãtes, nisi ab ipso Christo miraculosè modificarentur, ex quo consequenter deducitur in instanti consecrationis species impressas Panis, quæ erant in medio, & in potentijs nostris corrumpi, & alias de nouo produci, ac generari.

SECTIO SECVNDA.

An de possibili potuerit Christus Dominus instituere Eucharistiam cum solis Accidẽtibus intẽtionalibus Panis, & Vini.

4 NOnnulli, qui videntur in hoc sequi Cardinalem Pallauicinum *lib. sexto* Assertionum *cap.* 20. negatiué sine vlla distinctione respondent, Ego verò distinguendum existimarem iuxta duplicem viam, quam inire huius sententiæ patronos in præcedenti sectione declarauimus. Pro qua.

5 Prima Conclusio est: potuit Christus Dominus instituere Sacramentum Eucharistiæ ita, vt in illo haberentur sola species intentionales, quæ verè, & propriè essent Panis, & Vini; destructis omnibus, quæ ante consecrationem in ipso Pane, & Vino existebant. Pro explicatione nota me, vt ex dicẽdis constabit, supponere dictum Sacramentum non futurũ fuisse in eo casu, sicuti defactò nunc est; sed aliâ ratione, nec Sacramentum in communi in ea hypotesi fore signũ sensibile sensibilitate obiectiua, se tenente ex parte obiecti; sed, vel obiectiua, vel formali; quibus obiter notatis.

6 Probatur primo Conclusio auctoritate D. T. qui 3. *parte quæst.* 76. *art.* 8. Quærens vtrum quando in Eucharistia apparet Caro, vel Puer sit ibi verè Corpus Christi. Respondet in corpore articuli dupliciter huiusmodi apparitiones contingere posse. Primo ex parte videntium tantum, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac si expresè viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti. Secundo verò non per solam immutationem videntium, sed speciei, quæ videtur, realiter exterius existente; & vtroque modo possibiles esse huiusmodi apparitiones defendit, quo posito, sic argumentor: si in Eucharistia solæ species intentionales Panis, & Vini haberentur corruptis omnibus: tum substantialibus, tum accidentalibus entitatibus, quæ in Pane & Vino ante consecrationem existebant; vtique daretur apparitio Panis, & Vini primo modo per solã scilicet immutationem nostrorum sensuum; quatenus ex parte obiecti non esset nisi solus Christus occupans locum, in quo erant Panis, & Vinum; sed huiusmodi apparitio, quod á Deo fiat non repugnat. ergo &c.

Probatur secundo: nulla potest assignari huiusce institutionis Eucharistiæ implicantia. 7 ergo possibilis fuit. Probo antecedens: si qua esset assignabilis maximè, quia instituere hoc pacto Eucharistiam deceptionem aliquam importaret; quæ á Sacramento veritatis est procul eijcienda. Sed hoc esse falsum docet D. T. *loco citato* vbi loquens de apparationibus primo modo factis hæc habet: Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, sicut accidit in Magorum præstigijs, quia talis species diuinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc scilicet, quod manifestetur verè Corpus Christi esse sub hoc Sacramento; sicut etiam Christus absque deceptione apparuit discipulis euntibus in Emaus. Dicit enim Augustinus *lib. de quæst. Euang.* quod cum fictio nostra fertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Tũ sic: apparitio hæc panis, & Vini modo dicto formata fuisset à Deo in Eucharistia ad veritatem aliquam figurandam, nimirũ Corpus Christi esse animarum nostrarũ Panẽ, & Sanguinem potum, quibus spiritualiter nutriremur, & reficeremur. ergo nulla in hoc deceptio haberetur.

Pallauicinus *loco citato*. Dicit; quod licet 8 non repugnet in ordine ad aliquam experientiam breuem, & vnius, vel alterius, solas species intentionales rerum Deum in nobis producere: repugnat tamen in ordine ad aliquam experientiam longissimam, & communem; & hoc probat duplici argumento. *Primo á posteriori, si enim, inquit, ex vi huius experientiæ non possemus colligere veras figuras, & entitates obiectorum sensibilium; vtique pariter liceret formidare an dentur Cælum, & Terra; an dentur homines, denique an dentur omnia ea, de quibus nemò sanæ mentis non potest non esse certissimus.* Secundo á priori sic: Deus, vt auctor naturæ dedit homini sensus, tamquam instrumenta acquirẽdæ scientiæ, cum igitur de essentia scientiæ est reddere intellectum impertubabilem, debuit Deus constituere aliquam experientiam sensuum, cui qua implicaret contradictionem conjungi falsitatem; sed hæc experientia non potest dari nisi illa, quæ est continuata, vniuersalis, & vniformis. ergo implicat dictam experientiam esse fallacem.

Sed falsum esse assumptum principale huius argumenti, patet ex eo, quia eadem absurda sequuntur ex fallaci experientia vnius vel alterius, ac ex communi, & Vniuersali. ergo si vna est possibilis, debet etiam esse possibilis altera. Antecedens probatur: nam dum quisque scit, quod aliquis homo in particulari in experientia sensuum decipi potest, omnino hebet formidare num ipse decipiatur, & sic nemò ex sua experientia posset vnquam colligere veras figuras, & entitates obiectorum, nec quæ acquirere scientias, quæ redderent intel-

lectum

lectuali impercurabilem. Testimonium enim alterius præter quam quod potest eidem falsitatis subiacere: non parit euidentiam Metaphysicam, quam scientia exigit. Quod si respondeat Cardinalis implicare quam fallacem experientiam vnius, vel alterius, quæ esset ad longum tempus, sed posse solum esse ad breue. Contra id, quia eandem perplexitatem, & formidinem haberet Petrus si vno die experiretur obiecta sicuti sunt, altero verò secus non sint. Nesciret enim num hodie experientia esse fallax, cras verò vera, an è contra: hodie vera, & cras fallax: ergo ista interruptio, & breuitas tẽporis nihil valet ad perplexitatem, & formidinem minuendam. Quodsi non implicat Deum esse causam deceptionis vnius, vel alterius: neque esse causam omnium, quia multitudo in hoc, materialiter tam tam se habet.

20 Sed age iam respondeamus directè ad argumentum, nego igitur assumptum principale, & dico, quod sicuti non repugnat vnum: ita neque alterum, & ad priorem probationem aio: restam rationem dictare, tunc solum posse nos colligere ex vi experientiæ veras figuras, & entitates obiectorum sensibilium, quando aliquid non obstat, quod si nihil obstet, non licet formidare. Atqui in casu nostro aliquid obstaret, diuina scilicet reuelatio, qua Deus dixit illud esse corpus suum. Per quæ patet etiam responsio ad posteriorem. Dico enim dato, quod homo habeat ius, vt ei constituatur aliqua experientia sensuum, cum qua implicet contradictionem coniungi falsitatem, fortius tamen ius habere Deum ad humanum intellectum vbi perfectè subijciendum aliquã aliam experientiam eludere admonendo homines per suam reuelationem de hac ipsa rè, vt defactò in ordine ad substantiam panis concedit Aduersarius. Sicuti enim per ipsum, quãuis præscindendo à reuelatione diuina sensus in hoc Sacramento præbeat occasionem intellectui certo iudicandi ibi esse Panem, & hæc experientia vniuersalis sit, atque perpetua, sufficit tamen, quod Deus admonuerit homines de opposito, vt saluetur contradictio in ordine ad substantiam coniunctã: ita per nos data dicta contradictione in ordine ad accidentia, etiam saluaretur per reuelationem de opposito, quamuis experientia vniuersalis esset, & perpetua.

21 Vrget Pallauicinus. S.T. *loco citato ex tertia parte* loquẽdo de mutatione ex parte solius potentiæ: hoc quidem, inquit, videtur contingere quando vni videtur sub specie carnis, vel pueri, alijs autem videtur sicut, & prius sub specie panis, vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & post modum sub specie panis. Loquendo verò de mutatione ex parte obiecti sic habet: & hoc quidem videtur esse quãdo sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed ad longum tempus: ita permanet. sed apparitio panis, & Vini in Sacramento Eucharistiæ esset respectu omnium, & ad longum tempus. ergo non posset haberi per sola accidentia intentionalia Panis, & Vini. Respondeo: Dupliciter posse loqui dubitatiuè dicendo (videtur contingere, videtur esse) vt significatur nullam in hoc absolutam necessitatem habere: & ratio est, quia hic modus operandi Dei colligitur ex eo, quia non debent multiplicari miracula sine necessitate. Multiplicatorum autem sic, scilicet apparitio fieret vni ad breue tempus, & immutatio fieret in obiecto, quia pauciora requirunturad miracula ad immutandum solam vnius potentiam ad breue tempus, quam ad immutandum obiectum. Contra verò, quia pauciora requiruntur ad immutandum obiectum, quam ad immutandas potentias omnium quotquot illud sentire debẽt ad longum tempus: hinc fit, vt in hoc casu ad multiplicationem miraculorum vitandam immutatio debeat fieri in obiecto: cum quo tamen fiat, quod Deus ad suam omnipotentiam ostendendam posset oppositum facere. Vedè concessa maiore, & minore distinguendum est consequens. Institutio Eucharistiæ non posset haberi per sola accidẽtia intentionalia Panis, & Vini, connaturaliter loquẽdo, concedo: spectata Dei potentia absoluta, nego consequentiam.

Secunda Conclusio implicat contradictionem institutio Eucharistiæ sub solis speciebus intentionalibus secundo modo explicata, per hoc, videlicet, quod Christus Dominus existens ibi, vbi ante consecrationem erat panis, emittat à se species suorum accidentium: ita modificatas, vt repræsentent effigiem, & figuram panis, & sic sensus nostros determinẽt ad videndum, odorandum, gustandum, & tangendum panem, licet quantum est de se sint determinatiuæ ad hoc, vt faciant nos videre, odorare, gustare, & tangere ipsum Corpus Christi. 22

Probatur primo, quia cõstat species impressas esse ex suis intrinsecis essentialiter ordinatas ad repræsentanda obiecta quarũ sunt species: ita, vt nè per absolutam Dei potentiam species vnius obiecti possit repræsentare aliud, quamuis dicta obiecta sint simillima, non solũ in specie atoma; sed etiã in individuatione: & ratio huius est, quia quælibet species singularis est semẽ & virtus sui singularis obiecti, & non alterius, vt patet. Ex hoc autẽ sic licet argumẽtari: Quamuis in Corpore Christi essent accidẽtia sensibilia, quæ nõ nisi solo numero ab accidentibus panis differrent, implicaret contradictionẽ, quod species accidentiũ Corporis Christi repræsentarent accidentia panis, nisi ex errore ob defectũ scilicet potentiæ, vel distantiæ debitæ. ergo implicaret etiam institutio Eucharistiæ sub speciebus intentionalibus Corporis Christi Domini modo explicato. Antecedens probatum remanet ex dictis; si enim darentur duo ova omnino similia ita, vt sensus non valeret discernere diuersitatem inter vnũ, & alterum: adhuc implicaret, quod species impressa vnius essent de se aptæ repræsentare alterum; alioquin non deberet vtrumque suam propriam speciem sibi vendicare, eamque in medio, & in potentis producere: Consequen- 23

Digitized by Google

sic vero tollitur, quia quod per species Christo sit ad os ventremque, & corruptionem panis extraneus error, & ambo hæc sunt fortuna nostra; rursus non videmus alterationes istas veluti, & alterationes substantiæ pluvenire, quas species Christi accidentia ipsius Christi, & non panis, quantum est de se, repræsentarent. Impium autem videtur alterare istiusmodi Eucharistiæ in nostro errore, & malitia carere esse fundatum. Item videtur, quod Deus aliquem hominem reassumendo in sua propria natura inter vnum, & alterum accidens distantiæ, debeat eo modo ad nihil huic Eucharistiam subservire, quo ipsum Christum in propria apparentia recuperet. Quamvis enim D. Ambrosius de hoc non dicat, aliud video, quod hic mihi apertis, scilicet Corpus Christi &c. Dubitatio in hoc est, quia species panis accidentia realia sunt veritate, quia vero sunt entia Panis non habent esse veluti connexionem cum subiecto: ens panis, sed solum connexionem Dei potentia subiectam: Unde sufficit ad deceptionem excludendam, quod Deus dicat se hanc connexionem de potentia extraordinaria & speciali velle. At species vinus obiecti habent esse talem connexionem in ordine ad repræsentandum illud obiectum, & non aliud: ita, vt in hoc divina omnipotentia minimè sufficiens sit. Quare velle, vt dictæ species non proprium, sed alienum obiectum repræsentet & Eucharistiæ institutionem fundare in eo, quod sensus nostri falsi vtatur, & aliud accidens non adæquatum diuersitatem, summa mihi in hoc videtur esse deceptio.

14 Probatur secundo quantum ad id quod dicebatur: accidentia realia Corporis Christi non differre quantum ad extensionem, figuram, intensionem, & similia ab accidentibus realibus panis, cum quibus specificè conueniunt: temperaretur tamen quantum ad hanc diuersitatem ab ipso Christo, vt immitterent species: ita modificatas, vt repræsentarent dicta accidentia cum ea extensione, figura intensione, quam accidentia panis habebant, vt sic nobis panem, & non Christi Corpus repræsentarent. Contra quod sic arguo, quia species nobis impressa ab externis obiectis materialibus, licet sint diuisibiles in essendo, sunt tamen indiuisibiles in repræsentando, & sic quantitas sex palmorum immittit speciem cuius quælibet particula est repræsentatiua sex palmorum, & Albedo, vt octo immittit speciem cuius quælibet particula est repræsentatiua octo graduum, Albedinis vti videmus cum de speciebus materialibus in tractatu de anima: ergo impossibile est, quod quantitas Corporis Christi, quæ est septipalmaris temperetur: ita, vt immittat speciem repræsentatiuam quantitatis hostiæ: Quia tunc enim dicta quantitas Christi potuisset elevari ad dictam speciem producendam: implicat tamen, quod hæc esset species illius, quando quidem eius species ex suis intrinsecis septem palmos extensionis indiuisibiliter repræsentare debet: ita vt nequeat plures, aut pauciores. Idemque dicendum de speciebus primarij quatuor qualitatum, & secundarum. Neque dicas sufficere, quod species dictorum accidentium quantum ad hoc modificentur. Etenim id quod essentialiter competit alicui non potest per aliquem modum superadditum illi tribui, vel auferri: ergo species panis Christi Domini habet essentialiter esse repræsentatiuas V. G. sex graduum: Ergo impossibile est, vt per aliquem modum incipiat esse repræsentatiua vel quatuor, vel septem graduum. Alioquin ego decem id, quod non est, possem per aliquem modum posse repræsentare, & ita quod est falsum esse per aliquem modum reddi non falsum, quod est aperta contradictio.

Probatur deinde tertio: quia quamvis nulla 15
esset in hac nouæ substitutione modo dicto implexitas physica, esset tamen moralis, sed hæc sufficeret in ordine ad Deum ad reddendam illam impossibilem. ergo &c. Minor, & consequentia patent. Maior verò probatur, quia talis latitans incuriosè horrore, ac nauseam hominibus illam cogitè ponderantibus, & ad Sacram Eucharistiam accedentibus: ergo esset moraliter impenetrata. Consequentia hæc videtur certa, quia dicta institutio indecens Christo fuisset, nullam enim in ea hoc mysterium instituisset, vt scilicet nobis fructa carnis suæ comedenda nobis, & sensibiliter sanguinem bibendum in illo reliquisset. Antecedens ergo probatur, quia non posset non ingenerare horrorem, & nauseam nobis cogitare, quod sapor ille, & odor panis esset verè, & propriè sapor, & odor Carnis Christi, & ille sapor, & odor Vini, vtrè, & propriè sapor, & odor Sanguinis eiusdem, vita tamen temperati, vt saporem, & odorem Panis, & Vini præsefferent: in præfatta autem institutione Eucharistiæ nihil tale habetur cum certi simus, quod sapor, ac odor, & reliqua accidentia sensibilia, quæ experimur nos verè, & propriè saporem, & odorem, & accidentia Panis, & Vini, Dices hunc Eucharistiæ institutionis modum, esse valdè conformem dictis Sanctorum Patrum. ergo non solum non implicat, sed valdè probabilis est, quod sit dictus. Antecedens probatur. Nam S. Chrisost. Hom. 24. in primam ad Corinth. Fidelem alloquens de Christo in Eucharistia existente ipsum (inquit) videt, ipsum tangis, ipsum comedis. S. Cyrillus Hierosol. Catech. 4. Mystagog. de Corpore, & Sanguine Domini: In specie, inquit, panis dat nobis corpus, & in specie Vini Sanguinem vt cum susceperis gustes Corpus, & Sanguinem Domini, & quod maius est Concilium Romanum sub Nicolao II. his verbis præcepit Berengario suam hæresim abiurare, vt refertur Gratianus de Consecratione dist. 2. cap. Ego Berengarius (post Consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum Sacramento, sed etiam in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. ergo &c.

Respondeo negando antecedens, & ad au- 16
ctoritates allatas, nec non etiam ad multas alias eiusdem tenoris, quæ afferri possent dico quod

quod hoc ipso, quod Corpus Christi Domini substituitur loco substantiæ panis in Eucharistia, appropriat sibi illa accidentia realia, quæ antea erant panis, quatenus sub illis nobis apparet, & repræsentatur, non secus, ac ipsa substantia panis, quando sub illis existebat. Quare quemadmodum oblata nobis ea apparentia obiectiua, quæ ex combinatione dictorum accidentium resultat ante consecrationem cum omni veritate, & proprietate asserebamus hic est panis: ita oblata eadem apparentia per consecrationem verissimè dicimus hoc est Corpus Christi, & sicuti si quis videret, tangeret, & gustaret ante consecrationem respectiuè complexum illum, non dubitaremus ei dicere panem vides, panem tangis, panem comedis. Ita accedenti ad Sacram Synaxim dicere absolutè possumus Christum vides. Christum tangis, Christum comedis, & sic Sacerdos cum omni veritate, & sine figura pronũciat: ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ad salvandas igitur has, & similes Patrum loquutiones nulla est necessitas, asserendi hos naturalia Christi accidentia debere sentire, sed sufficit: si sentiamus realia panis quas sibi peculiari ratione in hoc Sacramento Christus Dominus appropriauit.

SECTIO TERTIA.

Verum salua fide sustinere probabiliter posse sola accidentia intentionalia propria Panis, & Vini, & non realia manere defectibus in Eucharistia.

17 CONclusio est negatiua. Nulo enim, quod, licet de possibili potuisset Christus Dominus instituere Eucharistiam, ita vt omnis physica entitas, tum substantialis, tum accidentalis, quæ ante consecrationem erat in Pane, & Vino in vltimo instanti prolationis verborum destrueretur, & solæ species intentionales in aëre, & in potentijs remanerent prout in prima via asserebamus: est tamen contra fidem asserere rem ita de facto institutam esse.

18 Probatur primo Conclusio auctoritate omnium illorum Theologorum, qui docent de fide esse remanere in Sacramento Eucharistiæ Accidentia sine subiecto. Nam ex vna parte eorum propositio est absoluta. Vnde non est intelligẽda ex suppositione, quod manent, manere sine subiecto, sed omnibus pensatis, nempe vera manere. ex alia verò certum est species impressas Panis, & Vini, quæ sequuntur Eucharistiam, siue sint in medio, siue in potentijs nostris, sensibiles esse in illis eatenus in subiecto inhæsionis. Quamuis autem omnes, qui de re agũt sic loquantur, placet tamen specialiter nonnullos addutere; & primo quidem loco Dominicum a Soto in 4. *dist.* 4. *quæst.* 1. *secunda. art.* 5. Vbi: fide, inquit, credimus Accidentia manere sine subiecto. Et paulo post ait, præsentem veritatem definitam esse in Concilijs Lateranensi, Florentino, & Tridentino: *dist. vers.* Post quam dixit Accidentia Panis, & Vini esse in quo in hoc Sacramẽto sine subiecto, sic subdidit. Hanc Cõclusionem quippe cum Catholica sit, nefaria esset hæresis negare, primo ob vniuersam Sanctorum auctoritatem. Secundo, quia in propria forma contraria hæresis in Concilio Constantiensi *sess.* 8. condemnata fuit &c. Secundo verò loco adduco Suarium *tom. tertio in tertiam partem disput.* 56 *sect. secunda* vbi: de fide, inquit, est accidentia in hoc Sacramento manere sine subiecto, vt Vniuersa Ecclesia sentit, & Cõcilia citata definiunt. Paulo verò post ostendit, quod eadem numero Accidentia, quæ erant in pane, & in Vino maneant, quam rem dicit esse certam in doctrina fidei ex Tridentino, Florentino, & Constanſ. & *ex cap.* firmiter, & ex communi traditione Sanctorum. Tertio Toletum, in summa *lib.* 6. *cap.* 12. vbi, ait secundum fidẽ credendum Accidentia Panis, & Vini esse per se in hoc Sacramento. Quarto Bellarminum *tom. tertia Controuersiarum de Eucharistia lib. primo cap. secundo* per verba Tridentini, dicit, Corpus Christi esse in Sacramento Eucharistiæ, vt erat substantia panis sub suis Accidentibus, hoc excepto, quod Accidentia illa inhærebant panis substantiæ: Christi autem Corpori, non inhærent, & *cap.* 20. *libri* 3. Docet ex Testimonio Triginta duorum Patrum colligi verissimum esse, quod ait Concilium Tridentinum: Ecclesiæ Catholicæ semper fuisse persuasum, ita transmutari panem in Corpus Christi, vt substantia panis recedente, sola maneret Christi Caro sub Accidentibus Panis. Quinto Vasquez qui *tom. tertio in tertiam partem disp.* 175. *cap. pr.* initio dicit supponi, vt principium fidei Accidentia existere in Sacramento sine subiecto. Sexto Cardinalem de Lugo in præsenti *disp.* 16. *sect. prima num. primo* vbi certum, inquit, de fide est manere aliqua Accidentia, vt habetur in Concilio Florentino, Lateranensi, Tridentino, & Constanſiensi: certum item est manere sine subiecto, vt habetur *in sess.* 8. Concilij Cõstanſiensis. Septimo Valentiam qui *tom.* 2. *cap.* 4. Enim verò, inquit, sagacissimè præuidit illa vna per omnes Papas illos Ecclesia res istas veritates esse connexas, nempè esse ibi Corp. Chr. secundum propriam substantiam, panis prioris absentiam, & eius Accidentium sine subiecto tamnenniam. Octauo Alanum de Eucharistiæ Sacramento *quæst.* 1. *cap.* 17. vbi sic deinde vero de existentia istorum Accidentium sine subiecto id habet Catholica fides. Nono Valentiam *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 5. *p.* 1. hæresim esse ait, si quis neget manere Accidentia panis, & vini sine subiecto in Eucharistia. Decimo Tannerum *tom. quarto disp. quinta quæstio* 2. *dub. primo* vbi fidei certum esse ait Accidentia panis, & vini post consecrationem manere sine subiecto. Et denique Catechismus Romanus *qui par.* 2. *cap.* 4. de Eucharistia, loquens tria esse dicit ibi ea maximè admirãda, & quæ fidei Catholicæ sine vlla dubitatione credita existerunt. Primũ in hoc Sacramento verum Christi Corpus contineri. Secundo non esse ibi substantiam panis: Tertio Accidentia, quæ oculis obiiciuntur, aut alijs sensibus percipiuntur sine vlla re subiecta esse. Quãuis autem, vt inquit Vasquez *tom. tertio in*

Digitized by Google

tertiam partem disput. 198. *cap.* 3. Catechismo non alia, quam Theologorum auctoritas sit tribuenda; eius tamen attestatio, qua asserit fidē Catholicā sine vlla dubitatione credere dari in Eucharistia Accidentia realia Panis, & Vini eaque sine subiecto manere, plurimi facienda videtur.

19 Probatur secundo nostra assertiò ratione: de fide est Christum Dominum esse in hoc Sacramento sub speciebus panis, & Vini. ergo de fide est remanere Accidētia realia panis, & Vini. Antecedens patet, quia, ita definitur in Concilio Lateranesi sub Innocentio tertio *cap. primo* nimirum verum Christi Corpus, & Sanguinem in Sacramento altaris sub speciebus panis, & Vini veraciter contineri, quod postea confirmauit Concilium Florentinum in Decreto Eugenij quarti, & Demum Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. his verbis: Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit statim post Consecrationem verum Domini Corpus, verumque eius Sanguinem sub panis, vinique specie, vna cum ipsius Anima, & Diuinitate existere. Consequentia verò probatur, quia nomine specierum panis, & Vini veniunt Accidentia realia vtriusque. ergo hoc ipso, quod de fide est Christum esse in hoc Sacramēto sub speciebus panis, & Vini: de fide etiam erit remanere realia Accidentia vtriusque. Antecedens huius enthymematis, in quo tota vis nostræ rationis posita est, suadetur, quia quoties dubitatur in qua nam significatione à Concilijs aliqua vox pertinens ad fidei dogma accipiatur, si aliud non obstat, debet omnes ferri, quod in propria, & in genuina significatione accipiatur, præsertim si omnium fidelium, & maximè Theologorum consensione huiusmodi significatio admissa sit. Sed propria, & genuina significatio huius vocis, species panis, & Vini, importat Accidentia realia vtriusque diuisibiliter existentia, & in hoc sensu ab omnibus fidelibus, & maximè Theologis dicta vox accepta est: aliundè verò nil obstat, quo minus in dicto sensu accipi possit. ergo tenendum est, quod Ecclesia Concilia nomine specierum Panis, & Vini Accidentia realia vtriusque indefinitionibus citatis intellexerit. De maiore huius argumenti non videtur posse dubitari, alioquin nihil certi in Ecclesia Catholi. haberemus, quod fide diuina credere teneretur: cum nullum sit verbum, quod multis significationibus non subiaceat, teste Aristotele: omnia ferè verba æquiuoca esse asseuerante. Voces igitur ad fidei dogmata pertinentes, quibus vtuntur Concilia debent, si nil aliud obstet, in propria significatione sumi, cum præsertim ab omnibus fidelibus, & maximè à Theologis in dicta significatione acceptæ sunt. Minor verò in qua tota nostra ratio fundatur tres habet partes, & probatur quo ad singulas. Prima erat, quod genuina, & primaria significatio huius vocis, species Panis, & Vini, Accidentia realia illorum importet. Sed quia, vt videre est in Thesauro Linguæ Latinæ, & in Calepino Passeratij, & apud Nicolaum species per se primo significat effigiem, figuram, faciem, & notionem rei cuius est species, quæ omnia se tenent ex parte ipsius rei, & importat Accidentia realia simul sumpta eiusdē rei, quatenus sunt veluti effigies, figura, facies, & notio, quæ faciunt nos venire in cognitionem substantiæ dictæ rei, quæ sub illis latitat. Neque ob aliam rationem dicuntur similitudines substantiæ illius, quia nimirum quamuis entitatiuè sint illi dissimiles, illam tamen nobis repræsentant. ergo genuina, & primaria significatio huius vocis, species Panis, & Vini, Accidentia realia eiusdem Panis, ac Vini importat.

Confirmatur id, quod dicimus ex Porphyrij introductione *cap.* 3. De specie. Vbi sic: Species autem dicitur quidem, & de vniuscuiusque forma, secundum quam dictum est: Prima quidem species digna est imperio. Dicitur autem species, & ea, quæ est sub assignato genere tum sic. Prima acceptio nominis speciei est, qua accipitur pro forma cuiuscumque rei. Non quidem interna; sed externa: in quo sensu dixit Cicero: eximia pulcritudinis species, misera, & flebilis species &c. Sed forma externa se tenet ex parte rei cuius dicitur forma, & importat complexionem accidentium realium illius, quæ eius realem apparentiam constituunt. ergo &c. 20

Porrò secunda pars minoris in qua sumpsimus nomine specierū Eucharisticarum omnes Christi fideles, & maximè Theologos semper intellexisse Accidentia realia Panis, & Vini iam in prima probatione satis superque demonstrata est, in qua, quam plures citauimus Theologos qui hoc ipsum disertissimis verbis testati sunt dum Conciliorum definitiones, quæ agunt de specie Panis, & Vini sumunt de specie reali, & non de sola intentionali; & quidem si ex dictis Theologis quis quæreret, cur ipsi potius supponendo, quam probando docuerint de fide esse accidentia realia Panis, & Vini in diuinissima Eucharistia remanere. *Procul dubio nihil aliud responderent, quam quod vox speciei Panis, & Vini absolutè prolata indubitanter pro eodem sumatur, ac pro realibus Accidentibus vtriusque, quodque mens totius Ecclesiæ semper fuerit: Concilia in hoc eodem sensu huiusmodi vocem accepisse.* ergo &c. Tertia denique pars, quæ erat nil obstare, quo minus vox illa toties à Concilijs vsurpata significet Accidentia realia quæ formam externam, & apparentiam vtriusque substantiæ componunt ex argumentorū solutione abundè constabit.

Contra primam partem huius probationis 21
instari potest: species in communi diuiditur in Realem, Intentionalem, & Logicam. Realis sic appellatur, quia verè alia sunt fictitiæ, seu quia combinationem, & complexum realium accidentium se tenentium ex parte obiecti importat, cuius beneficio quælibet materialis fides interno scitur. Intentionalis verò ab agente intellectu accipitur pro similitudine intentionali obiecti cognoscibilis, & diuiditur in impressam, & expressam, impressa est, quam obiectum potentiæ cognoscitiuæ imprimit. Expressa verò, quam potentia in se format, obiectum sibi exprimendo. Logica denique, est quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid est prædicatur. ergo malè à nobis

Digitized by Google

vox species à Concilijs vsurpata sumitur determinatè pro reali.

22 Respondeo distinguendo antecedens: species in communi, prout præscindit à primaria, & secundaria significatione, dividitur in realem &c. Concedo, prout importat primariam, & genuinam significationem tantum, nego antecedens, & consequentiam. Dico enim, quod quemadmodum homo in communi malè diuideretur in verum, depictum, & sculptum eo, quod huiusmodi vox absolutè prolata ex sua primaria significatione habet verum hominem tantum significare: ita, & in casu nostro; & ratio est, quia reliqua propter similitudinem, quam habent cum specie realis, illi speciei nomen sibi compararunt. Quemadmodum enim species realis facit nos venire in cognitionem essentiæ, cui debetur, ita, & intentionalis, ac Logica. Cæterùm si vox species à Concilijs vsurpata in dicta significationis amplitudine sumi posset: non esset, cur potius diceret Aduersarius Christum Dominum in Eucharistia esse sub specie impressa panis, quam sub specie expressa. Quemadmodum enim per illum esse sub impressa nil aliud importat, quam esse ibi, vbi species representatur. Ita propter eâdem rationem dici posset esse sub expressa. Quin imò addemus potius iure dicta Conciliorum, & Patrum de specie expressa, quam de impressa intelligenda fore; quatenus impressa virtualiter tantum est figura, & effigies obiecti. Contra verò expressa, cum sit formalis expressio, & representatio illius, habet cõsequenter, quod sit formalis figura, & effigies eiusdem obiecti. Potrò in hac acceptione sensimus quo vox nos Eucharistiam exercemus, nõ solum secundæ Accidentibus realibus; sed etiam sub speciebus impressis supplente Christo omnem obiectiuum concursum, quo quidã à fide remotum, & alienum. Etenim siquis diceret habere corpora gloriosa connaturalem vim apparendi nobis sub quacunque effigie, præhabita immediatè per se ipsa illum cõcursum, què deberet præbere species illius rei, subrepsit effigies apparere; secundo dicit Aduersarius; quidquam naturaliter præhabitum dictum concursum mediã productione speciei impressæ debet illi effigiem nobis repræsentare intenditur.

23 Probatur tertio Conclusio ex cap. cum Marthæ de Celebratione missæ. Vbi habetur, quod in hoc Sacramento, aliud cernitur, quam credatur, cernitur species panis, & Vini, & creditur species Carnis, & Sanguinis Christi. & paulo post eam quasi nudo Pontifex dixit speciem appellans formam visibilem existentem in hoc Sacramento distinctam, neque discretã à veritate Carnis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Sic etiam loquitur Pontifex *Ego autem de consecrat. dist. 2. sub specie* (inquiens) Panis, & Vini quam videmus res inuisibiles videlicet Christi Carnem, & Sanguinem honoramus. Tum sic sub ea specie Panis, & Vini docuit Ecclesia esse Christum in Eucharistia, quæ cernitur, & videtur à nobis, & est formâ visibili existens hoc Sacramento. Sed hoc verificari nequit de specie impressa Panis, & Vini. At verò cum omni proprietate verificatur de Realibus Accidentibus veriusque. ergo est de fide, quod in Eucharistia remanent Accidentia realia panis, & Vini. Maior, & consequentia patent. Minor verò probatur, & quidẽ, quod de specie reali panis, & Vini, posito quod remaneat, cum omni proprietate verificetur, quod videatur, & cernatur à nobis, & ut forma visibilis, & in Sacramento sit, est euidens. Quod verò nequeat de specie impressa veriusque etiam si existat, verificari, suadetur, quia nulla species impressa materialis sentitur. ergo species impressa panis, & Vini non cernitur, neque videtur, neque est forma visibilis, nisi, vt quo, quia facit, vt videatur obiectum, quem loquendi modum esse improprium sexcentis exemplis suaderi potest. Præterea species impressa non est in Sacramento altaris ita, vt sub illa, verè dici possit esse Christũ, quia Christus est in loco: vbi erat substantia panis, species verò impressa non est ibi, sed in aëre locum illum ambiente, & in potentijs nostris sentitiua. ergo &c.

Ad hoc argumentum, quod valdè Aduersarios torquet, tripliciter respondent, & primo quidam negant minorem, & ad eius probationem negant etiam species impressas ab obiectis in potentias non esse visibiles, vt quod. id verò confirmant ex Aduersoe O. T. Scoto, Capreolo, Caietano, Tolero, & alijs, apud Conimbricenses *lib. 2. de anima cap. 7. quæst. 8. art. 2.* Asserentibus in specula videri speciem simul cum obiecto, cuius est species. Nec non etiam ex Francisco Aguilonio opticorum *lib. primo propos. 42. & 56.* docente, species per se esse visibiles, & Testimonium Aristotelis afferente, qui dicit lumen in aëre diffusum nihil aliud esse, quã speciem impressam Corporis luminosi.

Sed contra hanc responsionem facit, quia 25
nemo ex citatis Authoribus concedit visibilitatem speciebus secundarijs directis, sed reflexis tantum; sicuti fit in speculo, & sicuti est lumen in aëre, quod nisi in aliquo corpore reflectatur, non cernitur. Alij etiam sunt, qui dicunt, quod quando compresso vno ocilo obiectum gemmum apparet, & quando per perspicilia plures Angeli habentia celebrantur multiplicatum, tunc quoque videntur species illius. Atqui nihil horum habetur in Eucharistia, nam sine vlla reflexione, aut compressione oculi, aut fractione medij docet Ecclesia, Cantabet, quod cernatur, & videatur species Panis, & Vini. ergo non potest loqui de specie impressa, sed bene de complexione accidentium, quæ species nomen per se, & primæuis vendicat solidorum.

Secunda responsio est, quod licet hæc com- 26
pletio realium Accidentium Panis, & Vini post consecrationem vere secundum suam contractam, & realitatem non existat, dicitur tamen esse in hoc Sacramento ob duplicem rationem, primo quidem, quia est in illo secundum suã representationem; ad eum planè modum quo dicere licet hic esse D. Petrum, si Deus

in meo

in meo oculo eius ſpecies viſuas produceret, quæ hic illum mihi repræſentarent: ſecundo ex eo, quod dicta complexio ad hoc Sacramentũ pertineat, quatenus ſignificat ipſum Chriſtum per modum cibi Spiritualis in eo contineri, & virtutem Vnionis, & Charitatis, quæ in illo à nobis percipitur. Ad eum planè modum, quo ab eodem Pontifice dicitur dicta virtus vnionis, & charitatis eſſe in Euchariſtia, quamuis verò ſecundum ſuam entitatem non exiſtat in illa; ſed in homine eã ſuſcipiente quatenus eſt eius effectus, & res ſignificata per illam.

17 Verum hæc reſponſio eo ſolo nomine admitti poteſt, quatenus concedit nomen ſpeciei Panis, & Vini abſolutè prolatum, complexionem Accidentium realium ex parte vtriuſque ſe tenentium ſignificare. Cæterum quantum ad id quod dicit, quod licet dicta complexio poſt conſecrationem ſecundum ſuam realitatem minimè exiſtat; de ea tamen Pontifex aſſerat eſſe in hoc Sacramento, nulla ratione ferenda eſt; eo quod aperit viam aſſerendi propoſitiones ab Eccleſia tanquam hæreticas reiectas, & Anathematizatas verò eſſe Catholicas, & abſolutè vſurpandas; qualis eſſet hæc: in Sacramento Euchariſtiæ remanet ſubſtantia Panis, & Vini; tum quia remanet in illo ſecundum ſui repræſentationem, ſiuè realem, ſiuè intentionalem: tum etiam, quia ad illud valdè pertinet, quatenus ſignificare Chriſtum per modum cibi ſpiritualis, & virtutem vnionis, ac charitatis, ad ſubſtãtiam Panis, & Vini primo, & principaliter pertinet; ad eius verò Accidentia non niſi inſtrumentaliter, & ſecundariò; quatenus ſunt repræſentationes dictæ ſubſtantiæ. Quare ſi quantumuis Accidentia realia Panis, & Vini ſecundum ſuam entitatem in Sacramento hoc minimè exiſtunt: quia tamen repræſentatiuè, & ſignificatiuè ad illud pertinent, catholice dici poteſt abſolute in eo remanere: propter eamſdem rationem, catholicè etiã dici poterit in eodem remanere ſubſtantiam Panis, & Vini; quod nemò Catholicus audebit affirmare; & rectè: neutra enim ratio, quæ aſſignatur ad dictum modum loquendi cohonestandum, habet aliquid ſoliditatis. Non prior, ex eo enim, quod quis ſecundum ſui repræſentationem tantum ſit in rerum natura, falſo dicitur abſolutè, quod exiſtat. Vndè caſu, quo Deus in meo oculo ſpeciem viſuam Diui Petri in hac aula exiſtentis produceret, abſque eo, quod illum produceret: non niſi ex errore, & deceptione poſſem affirmare D. Petrum eſſe in hac aula, quare certior factus de miraculo quamuis D. Petrum hic exiſtentẽ cernerem, dicerem non eſt hic D. Petrus. Scio Aliacum *in 4. quæſt. 6. art. 3.* vbi defendit tanquam probabilem ſententiam negantem Accidentia realia Panis, & Vini in Euchariſtia remanere, explicare commune dictum, quod ſcilicet Chriſtus eſt ſub ſpecibus Panis, quod ſenſus ſit eum eſſe ibi vbi appareret Panis. Ad eum planè modum, quo dicimus Chriſtum extitiſſe ſub ſpecie Hortolani, Peregrini, &c. Sed ſic non poſſet ſaluari Euchariſtica conuerſio, nec realis remanentia vei dicetur infra. Neque poſterior ratio eſt priore probabilior, quia etiam ſi Laurus pendens pro foribus tabernæ vinariæ pertineat ad vinum venale, quatenus ipſum ſignificat, non tamen dicitur eſſe in vino venali, etiam ſi ſecundum ſuam entitatem, & realitatem exiſtat. Multo minus igitur Accidentia realia Panis, & Vini ſi non ſunt à parte rei dici poterunt exiſtere in Euchariſtia, eo ſolo nomine, quod ſignificant Chriſtum in ea exiſtentẽ per modum ſpiritualis refectionis, & virtutem vnionis, ac charitatis. Alioquin omnia ſigna, ſiuè verba eſſent, ſiuè characteres, quamuis nõ exiſtentia, quæ hoc ipſum ſignificarent, hanc prærogatiuam exiſtendi in Euchariſtia ſibi vẽdicare deberent; cum ea diuerſitate ad ſummum, quod Accidentia panis, & Vini, neceſſariò, reliqua verò ſigna contingenter in illa exiſterent. Paritas verò deſumpta ex virtute vnionis, & charitatis, quæ dicetur à Pontifice eſſe in Euchariſtia, quamuis verò non exiſtat in illa, ſed in fidelibus eam dignè ſumentibus, nullius eſt momenti, quia in ordine ad illam non agitur de Euchariſtia *in eo rigore*, quatenus continet ſub ſpeciebus Panis, & Vini Corpus, & Sanguinem Chriſti; ſed in ea amplitudine, quatenus habet illa tria, rem tantum, Sacramentum tantum, & rem, & Sacramentum. Quemadmodum igitur dicimus eſſe in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine Characterem, qui ſe habeat, vt rem tantum *in dictis Sacramentis*, non quod exiſtat *in illis*, ſed quod ab eis procedat, & *virtualiter* contineatur *in illis*: ita dixit Pontifex *virtutem* vnionis, & charitatis eſſe in Euchariſtia, hoc eſt poſſe in ea aſſignari tanquam eius effectum, ac rem tantum, quæ ſcilicet ſignificetur, & non ſignificet; ad differentiam Accidentium Panis, & Vini ac verborum conſecrationis, quæ ſe habent, vt Sacramentum tantum, quatenus ſignificant, & non ſignificantur: & ad differẽtiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, quæ ſe habent, vt rem, & Sacramentum quatenus ſignificantur, & ſignificant.

18 Tertia denique reſponſio eſt, per ſpeciem viſibilem panis intelligi poſſe ſimilitudinariam apparentiam obiectiuam Accidentium realium ipſius Panis, quæ nihil aliud eſt, quam Accidentia ſenſibilia Corporis Chriſti quatenus repræſentantur modo ſimillimo formæ, & Accidentibus Panis. Verum contra hanc reſponſionem, præter quam, quod faciant argumenta, quibus probauimus implicare contradictionem, quod complexio Accidentium Corporis, & Sanguinis Chriſti complexionem Accidentium Panis, & Vini per modificationem ſuarum ſpecierum intentionalium repræſentet. Facit etiam, quod non debuit abſolutè dicere Põtifex: cernitur ſpecies hoc eſt cõplexio Accidẽtiũ realiũ Panis, & Vini; ſed potius cernitur ſpecies ideſt cõplexio Accidẽtiũ realiũ Corporis & Sanguinis Chriſti ad modũ cõplexionis Accidẽtiũ Panis, & Vini; ad eũ planè modũ quo ex ſuppoſitione, quod Corpus rubrũ in aliqua magna diſtantia apparetmihi nigrũ. Nemò dixerit à me cerni ſpeciẽ Corporis nigri, ſed Corporis

potè rubra ac si esset nigri. præterea si species sensibilis Panis similitudinariam apparentiam obiectiuam Accidentium realium ipsius panis importaret, sequeretur quod falsum esset, huiusmodi speciē existere in Eucharistia sine subiecto. Nam vt Aduersarius fatetur, hæc similitudinaria apparentia nihil aliud est, quam ipsa Accidentia sensibilia Corporis Christi, quæ ab eo tanquam à causa materiali dependent. ergo &c.

25 Dices: in eo sensu dicitur in Eucharistia esse visibilis forma, seù species panis, in quo sensu negatur esse in illa visibilis forma, seù species Corporis Christi. Sed non potest negari in Eucharistia esse complexionem Accidentium realium Corporis Christi, sed solum apparentiam illius. ergo huiusmodi apparentiam visibilis forma, seù species panis, & non complexionem Accidentium illius importat. Respondeo visibilem formam, seù speciem panis præter complexionem Accidentium ipsius panis, importare etiam modū essendi diuisibiliter debitum ipsis Accidentibus, ratione cuius exigūt producere species intentionales in medio, & in potentijs, vt reddantur proximè sensibiles; quo posito, concessa maiore ad minorem dico, id quod negatur, quando asseritur in Eucharistia non esse formam visibilem, seù speciem visibilem Corporis Christi non esse complexionem Accidentium illius; sed modum existendi diuisibiliter ratione cuius sibi vendicet ius producendi species intentionales in medio, per quæ patet fallitas consequentiæ.

30 Probatur quarto nostra principalis assertiō ex Decreto Concilij Constantiensis *Sess.* 8. In quo inter cæteras propositiones Vicleſi, damnatur hæc: (Accidentia panis non manent sine subiecto in hoc Sacramento): tum sic: quoties aliqua propositio ab Ecclesia damnatur, statuitur eius contradictoria esse de fide. Sed contradictoria illi propositioni hæreticæ, est hæc (Accidentia Panis manent sine subiecto in hoc Sacramento. ergo de fide est dari Accidentia realia Panis in Venerabili Eucharistia.

31 Respondent Aduersarij admissa auctoritate Concilij, & concessa maiore argumenti, negando minorem. Dicunt enim, quod quamuis Vicleſi propositio videatur negatiua, implicitè tamen est affirmatiua; quia hæreticus volebat Accidentia Panis existere in subitantia ipsius Panis. Quare dupliciter dicta propositio formari potest: primo per modum simplicis enunciationis sic: Accidentia Panis in hoc Sacramento manent subiectata. Secundo per modum enunciationis hypoteticæ, sic: Accidentia Panis manent, & manent in subiecto. Quo posito addūt contradictoriam prioris enunciationis esse hāc: Accidentia non manent subiectata; ex hac autē non benè inferri existere Accidentia, quia esset fallacia, vt de se patet. Contradictoriam verò posterioris propositionis esse hanc: Accidentia manent, & non manent in subiecto in hoc Sacramento. Contradictoria enim propositionis affirmatiuæ coniunctæ debet negare coniunctionem, & copulam, quæ in ea reperitur. Sed per hoc non certificamur, quod sit de fide Accidentia manere; quia, vel propositio Vicleſi, damnatur ratione vtriusq; partis, & sic esset de fide Accidentia nō existere, vel ratione solius secūdæ partis, & sic non est de fide, quod existant.

Sed contra hanc responsionem facit, quia licet verum sit propositionem damnatam æquivalere affirmatiuæ assignatæ, & vtroque modo dicto eam formari posse: aio tamen contradictoriam simplicis Catholicam, quæ erat Accidentia Panis non manent subiectata, si rigorosè loqui velimus, debere supponere in dictis Accidentibus existentiam, eamque affirmare ita, vt faciat hunc sensum Accidentia Panis, quæ existunt, non manent subiectata. Sed si ita res se habet, de fide est haberi in Eucharistia præter species intentionales Panis, & Vini, Accidentia realia vtriusque substantiæ, atque adeò contradictoriam propositionis negatiuæ à Concilio damnatæ esse hāc: Accidentia Panis manent sine subiecto in hoc Sacramento. ergo nulla responsio. Omnia patent, præter maiorem, quæ suadetur supponendo duo ex regulis Summulistarum: vnum est propositionem affirmatiuam in materia contingente de tertio adiacente, qualis est hæc: Accidentia Panis manent subiectata in Eucharistia, supponere propositionem de secundo adiacente, atque adeò loqui de Accidentibus Panis, quæ se habent vt subiectum, vt importantibus existentiam: ita, vt idem sit dicere: Accidentia Panis manent subiectata, ac accidentia Panis, quæ existunt, manent subiectata. Alterum verò, est propositiones contradictorias debere necessario constare eodē prorsus subiecto, & prædicato; cum hac diuersitate, vt vna sit affirmatiua, altera negatiua; quo posito, sic arguo: subiectum propositionis affirmatiuæ Vicleſi includit existentiam ex primo supposito. ergo subiectum negatiuæ contradictoriè illi oppositæ debet includere existentiam ex secūdo supposito, atque adeò reddere hunc sensum Accidentia, quæ existunt in Eucharistia, non manent subiectata, quod erat probandum. Ex quibus patet, quod quando propositio negatiua non solum negat prædicatum de Subiecto propositionis affirmatiuæ de tertio adiacente, sed etiam negat existentiam subiecti, licet æquivaleat contradictoriæ quantum ad veritatem & fallitatem, in rigore tamen non est huiusmodi, quia non seruat constantiam subiecti; & hinc est quod quando negamus huiusmodi propositiones addere solemus rationem, quia nimirum est de subiecto non supponente, vt notemus non ratione formalis contradictionis vt sic, eas negare. Ad rationem in contrarium dico aliud esse loqui de propositione negatiua absolute prolata: aliud verò quatenus præcisè exercet cum affirmatiua contingenti de tertio adiacente, contradictionem. Quamuis autem loquendo de illa in prima acceptione ex eius veritate non liceat argumentari ad affirmatiuam de secūdo adiacente sic: verum est Petrum non esse album. ergo verum est Petrum esse. quia sic esset argumentari à secūdum quid ad simpliciter negatiue, vt dicitur in argumento, at loquendo de ea in secunda acceptione, dico licere, quia vt contradictoria est, debet retinere constantiam subiecti, atque adeo quemadmodum affirmatiua impor-

Digitized by Google

importabat in Petro existentiam, ita negat nu- debet illam involuere. Neque hoc est argumentari à secundum quid ad simpliciter, sed à regulis contradictoriarum propositionum: quod si dicas: in hac propositione: Petrus est albus. subiectum non includere existentiam ratione sui, sed ratione copulæ seù formæ, nempe albedinis: contra est quia sic contradictoria, quæ diceret Petrus non est albus, non posset esse vera si Petrus existeret, & non esset albus, vt de se patet. Dicendum igitur est quod cum vox Petrus sumi possit in duplici suppositione, & quatenus præscindit ab existentia, & quatenus illã includit; quando est subiectum propositionis de tertio adiacente, accipiatur in secunda suppositione, atque adeo in eius contradictoria in eadem suppositione accipienda sit.

33 Atque ex his patet quid tricendum de Contradictoria propositionis hypotheticæ, in quam hæretici affirmatiua resoluebatur. Nego enim per dictam negatiuam Catholicam nos non certificari quod sit de fide accidentia manere in Sacramento; & ad rationem in contrarium aio propositionẽ Vieleffi damnari à Concilio ratione solius secundæ partis. Nego autem hinc nos sequi quod prima sit de fide, quia licet quando propositiones simplices nullã aliam habent connexionem, quam dialecticam, ratione scilicet copulæ: ex falsitate posterioris non rectè prioris veritas deducatur. In casu tamen nostro posterior est metaphysicè, & essentialiter cum priore connexa, quatenus implicat accidentia manere in subiecto absque eo, quod existãt; Vidimus autem contradictoriam huius propositionis: accidentia manere in subiecto, debere loqui de accidentibus existentibus, ea ratione qua loquitur illa, aduersus quam suam contradictionem exercet. ergo &c.

34 Porro rem ita sè habere confirmo dupliciter, & primo quidem ratione ab eodem Concilio deducta sic: quia si Concilium damnando Propositionem illam Vieleffi (Accidentia panis non manent sine subiecto in hõc Sacramento) nihil aliud de fide statuere intendisset, quam quod non inhærent substantiæ Panis, siue demum existerent, siue non existerent: sequitur quod eius intentio fuisset solum de fide statuere substantiam Panis in hoc Sacramento minimè remanere Sed hoc iam abundè præstiterat damnando primum articulum propositionum Vieleffi, qui erat hic: substantia Panis materialis, & similiter substantia Vini materialis manet in Sacramento Altaris. Nè igitur dicamus Concilium damnando hanc propositionem, quam præ manibus habemus, quæ erat secundus hæretici articulus, acta egisse: dicendum est statuisse existentiam realem dictorum Accidentium, & in hoc eum hæretico concordasse nam quemadmodum hic in hoc secundo articulo existentiam realem Accidentium cum dependentia à substantia affruit: contradictum articulum per contradictoriam definiat: ita in Eucharistia dari existentiam realem eorũdem Accidentium: vt nullo modo á substantia Panis, & Vini tanquam à subiecto substentétur. Idem confirmo secundo ex *sess.* 25 eiusdem Cõcilij in qua, vt ait Comptonus in Phyuca *disp.* 12 *sect.* 3. *num.* 13. refertur, & damnatur hic articulus Ioannis Huff. Quod nimirum non esset determinatio Ecclesiæ quod Accidentia starẽt in Sacramento altaris sine subiecto. ergo iam determinauit Ecclesia Accidentia in Eucharistia stare sine subiecto. Nulla igitur fuit alia Concilij Constantiensis mens, quando illam aliã propositionem Vieleffi damnauit, quam statuere, quod manerent Accidentia Panis in Eucharistia, sed sine subiecto. Quid quid tamen sit: si ibi nõ statuit, sufficit, quod loco proximè citato statuerit, ad huiusmodi sententiã de speciebus intentionalibus exterminandam.

SECTIO QVARTA.

Tres reliquæ rationes adducuntur ad probandũ de fide esse Accidẽtia realia Panis, & Vini in Eucharistia remanere.

PRobatur quinto Conclusio ex verbis Tridentini, quæ habentur *sess.* 13. *cap.* 4. vbi sic: semper in Ecclesia Dei persuasum fuit, idque de nouo Sancta Synodus declarat per consecrationem Panis, & Vini conuersionem fieri totius substantiæ Panis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantiæ Vini in Sanguinem eius. Tum sic: Conuersio essentialiter importat transitum termini à quo in terminum ad quem sub tertio communi vtriusque intrinseco, alioquin si Petrus locum suum in quo est cederet Paulo, qui ratione distantiæ, vel alterius impedimenti Petrum ibi repræsentaret Petrus deberet censeri conuerti in Paulum, quod est aperte falsum. Sed species intentionales Panis neque substantiæ Panis neque Corpori Christi sunt intrinsecæ, quia neque illis inhærent, neque vniuntur penetratiuè cum eis: benè tamen vtrique sunt intrinseca Accidentia realia Panis, substantiæ quidem eius propter inhærẽtiã, qua dependent ab illa: Corpori verò Christi propter vnionem exigentem compenetrationem in eodem prorsus loco cum illo. ergo per hoc, quod remanerent species intentionales Panis, & Vini in Eucharistia non saluaretur Conuersio Eucharistica, sed ad eam habendam requiritur necessariò Accidentium realium vtriusque perseuerantia, quod erat probandum. 35

Probatur idem sexto ex verbis: Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus. Vtraque enim particula demonstratiua ecceitatis, denotat aliquid sensibiliter demonstrabile permanens ab initio enunciationis formulæ confecrationis vsque ad finem inclusiuè, in ordine ad quod talis ecceitas desumatur, alioquin falsa esset enunciatio: sicuti falsa censeretur esse illa ioculatoris qui præferret spectatoribus nummum aureum, & incipiens illum, per particulas, hic est, demonstrare: interim dum hoc diceret, supponeret occulte nummum argenteum, & enunciationem prosequens, prioribus verbis adderet, nummus argenteus. Atqui species intentionales Panis, & Vini non possunt esse hoc demonstrabile permanens in ordine ad quod talis ecceitas desumatur, benè tamen esse possunt huiusmodi 36

Acciden-

Digitized by Google

Accidentia realia illorum. ergo fieri de fide eucharistiæ usque formulæ consecrationis esse, verè, & realiter, quod remanent accidentia realia utriusque substantiæ. Minor quæ sola probatione egere videtur, tum quia species intentionales non sunt sensibiles, demonstrabiles, aut ea quæ cognosci nequeunt. Tum quia, quia possunt fieri in medio prolationem verborum consecrationis, quilibet potest quotidie experiri, & percipere, & ipsum illis gaudere. Contra verò accidentia Panis, & Vini habent utrumque, sensibilitatem videlicet, & permanentiam. Vnde fit, vt secundum illud Concilii Tridentini sess. 13. can. 2. tantum de accidentibus realibus, non autem de speciebus intentionalibus verificetur.

Probatur denique sententia ex fractione, quæ 37 scripturæ huic Sacramento concedunt: Lucæ vltimo cognouerunt eum in fractione Panis. Paulus quoque loquendo de hoc Sacramento: Panis, quem Frangimus &c. Sed à solis speciebus intentionalibus Panis remanentes fractio non possit de eo verificari, ergo de fide ex remanentia accidentia ex parte obiecti, quæ sint capacia fractionis. Minor quoad vltimum illud, quia in sententia solas species intentionales Panis admittentium, non potest assignari in quo fiat talis diuisio, non enim dicipotest, quod fiat in Christo, quia cum existat indiuisibiliter in Hostia Consecrata nullam patitur potest diuisionem. Neque in speciebus intentionalibus, quia hæ sunt indiuisibiles in repræsentando, sequitur ideo quando hæc numero species manet, debet repræsentare totum, & sibi matea; quod si sint diuisibiles in essendo, hoc habent ratione subiecti cui inhærent. Quando autem Eucharistia frangitur, non esse necesse frangi subiectum specierum intentionalium panis certo certius videtur. Confirmatur, quia in sententia quoque eorum, qui diuisibilitatem speciebus intentionalibus materialibus concedunt, non potest negari quin in fractione hostiæ non solum dicta species Panis, sed pars etiã Sacramenti fracti mittatur in Calicem. ergo si solæ species intentionales Panis in Eucharistia remanerent, de eo non posset verificari, quod frangeretur.

Ad hanc difficultatem dupliciter respon- 38 detur, & primo quidem negando in Sacramento esse verè, & propriè diuisionem vllam, qua sit totius in partes, sed solum apparentem per hoc, quod aliquid diuidi videatur in partes, cum rè vera in partes minimè diuidatur: ita tamen, vt ex parte rei, quæ apparet diuisa aliquid simile veræ diuisioni correspondeat. Quod si quæras in quo hæc apparens diuisio cõsistat? dicunt consistere in eo, quod Christus, qui prius erat in vno loco maiore, ponatur in pluribus minoribus; cum enim ipse in hoc Sacramento (inquiunt) gerat vicem Panis: hinc fit, vt quando impetus V. G. manus in loco, in quo est Christus, est talis, vt si esset ibi Panis illum frangeret, & eius partes inuicem separatæ suum peculiarem locum inciperet occupare, Christus quoq; ad talem impetũ veluti: loco cedat, & diuersa minora spatia incipiat occupare.

Sed contra hanc responsionem facit, quia 39 scripturæ verba, quando possunt, debent in vera, & propria significatione accipi, non autem pro libitu, & ad voluntatem in sensum improprium extorqueri, alioquin quis dicere, sine errore posset, Christum non esse verè, & propriè hominem, sed solum secundum apparentiam, qua aliquis videtur esse homo, licèt verè non sit, & hac interpretatione recte satisfacere scripturis Christum hominem confitentibus, quod est horum allatum absurdum, & recte, quia in solum casu hæc nobis accipere verba scripturarum in sensu improprio, quando ex in proprio incongruus aliquis sequitur absurdi, vt quando dicuntur de Deo quod irascatur, cum pœnitet, dolore cordis intrinsecus tãgatur, & contra huiusmodi, quæ, quia non possunt in propria significatione sumi, absque eo, quod simul aliqua positiua imperfectio Deo tribuatur: ideirco ad improprium recurrendum est. Quoniam verò sumendo nos pronocabulum fractionis in sua propria significatione constat nihil indignum de hoc Sacramento, aut de Christo sentire: hoc ipso, quod ad illud sic sumendum, realium accidentium Panis præsentia requiratur: rectè deducitur fide nos tenere, credere huiusmodi accidentiũ Panis præsentiam habere, vt in vera, & propria significatione fractionis pronocabulum accipiamus.

Secunda responsio supponit Christum in 40 Eucharistia acquirere nouum modum distinctum, quem formalem vbicationem appellant, & beneficio cuius Christus Dominus formaliter constituitur totus in toto loco, & totus in qualibet eius parte, vbi ante consecrationem erat hostia. Quo posito, respondetur diuisionem competere Christi in Eucharistia ratione talis vbicationis, quæ, cum sit materialis, cum multò maiori probabilitate potest poni diuisibilis, quam ponatur à Suarez vbicatio Angelica, quæ spiritualis est, & similem existendi modum Angelis præstat.

Sed contra hanc etiam responsionem facit 41 primo, quia Vbi angelicum non ponitur à Suarez diuisibile: ita, vt possit in plures partes actu existentes secari, quemadmodũ debet poni hic modus in Christo ad hoc, vt ex diuisione Christus in pluribus locis minoribus veluti à seipso diuisus existat. ergo sententia Suarij non fauet huic explicationi. Contra secundo, quia multi sunt, qui hunc modum superadditum in Christo existente in Eucharistia valdè probabiliter negant, eo quod per illum mutationem aliquam subiret. Non est autem ferendum ad has angustias fidelium mentes redigere, vt scripturarum assertionibus assensum præbeant; & notandum, quam inconsequenter discurrant Aduersarij: nam ex vna parte deobligant fideles à credendo, quod in Eucharistia detur accidentia realia Panis, & Vini, quæ, euidentia physica habita per sensus, percipiuntur: ex alia verò illos astringunt ad credendum dari in Christo huiusmodi formas modales, quæ illum indiuisibiliter existere faciant in hoc Sacramento, ita tamen vt in sua entitate diuisibiles sint in partes physicas enti-

ratius mihi quidē videntur in hoc vana veris, incerta solidis, & certa opinabilibus præferre.

42 Contra denique tertio, quia permissa hac accidentali forma in corpore Christi licet de Christo sub ea existente verificari posset, quod ratione illius dividatur, non tamen, quod frāgātur. Nam fractio ex suo primario significato importat divisionem, quæ fiat cum resistentiā ex parte divisi. Vade nemo dixerit aeremvel lucem, quæ in eo est frangi, sed fores, lapidem, brachium, & similia quæ divisioni resistunt, sed non potest dici, quod Christus ratione huius vbi, divisioni resistat: tum quia subspeciebus vini habet hoc vbi, & nō resistit, tum etiam, quia resistentia in hostia consecrata provenit ex siccitate, soliditate, & crassicie ipsius hostiæ, ita vt quo siccior, solidior, & crassicior est magis resistat, & quo humidior, tenuior, atq; subtilior minus, vt euidens est, ergo neque ratione huius vbi verificari potest quod Eucharistia vere, & propriè frangatur.

SECTIO QVINTA.

Soluuntur obiecta ex auctoritate desumpta.

43 Obijcies primo: Eusebius Emiss. *hom. 5. de Pasc.* hæc habet: Inuisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis, & Sanguinis sui verbo suo, secreta potestate conuertit. Tum sic: substantia Panis, & Vini sunt de se creaturæ inuisibiles, visibiles verò per Accidentia. *ergo* dum creaturæ visibiles dicuntur conuerti in Corpus, & Sanguinē Christi nō solū de substantia Panis, & Vini, sed multo magis de eius Accidentibus hoc intelligi debet.

Respondeo distinguendo antecedēs, sunt visibiles per Accidētia, sicuti est Angelos per Accidentia corporis assumpti nego: per accidentia ab ipsa substantia Panis, & Vini exacta & ex intrinsecis suis deputata ad eam reddendam sensibilem, concedo antecedens, & nego cōsequentiā. Ratio negationis est quia ex vna parte hoc ipso quod substantia Panis, & Vini accidentia sensibilia exigit, rectè dici potest absolutè loquendo *sensibilis*; ex alia verò creaturæ nomen in sensu proprio non accidentibus sed soli substantiæ completæ tribui debet, vt docet D. T. *quæst. 3. de Potentia Dei art. 1. ad 12.* vbi ait, quod proprie sola res subsistens censetur creari, quare hoc ipso, quod Eusebius creaturas visibiles docet conuerti in Corpus, & Sanguinem Christi de solis substantijs Panis, & Vini intelligendus est.

44 Obijcies secundo: S. Chrisost. loquens de Eucharistia in Encęnijs sic habet. Num vides Panem? Num Vinū? Num sicuti reliqui cibi in secessum vadunt? abit; nec sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic, & hic puta &c. Tum sic, si remanerent in Eucharistia Accidentia Panis ex hoc cibo aliquid in secessum vaderet nempè quantitas, & multæ aliæ qualitates præsertim primæ. ergo &c. Confirmatur ex comparatione cerę, quam adducit, quemadmodum enim actione ignis omnia, quæ sunt in cera deperduntur: ita ex aduentu Christi non solum substantia Panis, & Vini, sed etiam vtriusque Accidentia perire debent. 45

Respondeo sensum verborum S. D. esse nihil substantiæ Panis, & Vini peracta consecratione sub accidentibus remanere. Quare ad argumentum distinguo sequelam antecedentis: aliquid ex hoc cibo in secessum vaderet, & siquidem sermo est de aliquo accidentali, concedo. Sin autem de aliquo substantiali, nego antecedens, & consequentiam. Sufficit autem, vt nihil substantiale de Eucharistia vadat, vt à reliquis cibis contradistinguatur. Ad confirmationem verò dico similitudinem illam ex cera desumptam posse retorqueri contra arguentem. Ex ea enim sequeretur, quod quemadmodum in igne ex cera generato remanet materia cerę, non verò species intentionales illius: ita in Eucharistia peractis speciebus Panis, materia eiusdem Panis reperiatur. Quod est hæreticum asserere. Paritas ergo consistit in eo, quod sicuti ignis sua actione conuertit in se substantiam cerę, ita, & Christus sua virtute substantiam Panis in suum Corpus transubstantiat, licet valdè diuerso modo, ac ratione, vt patet ex dictis.

Obijcies tertio ex eodem *Hom. 45. in cap. 6.* Ioannis de hoc Sacramento loquens. Quod Christus, inquit, fecit vt maiori nos caritate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus; sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi. At si Panis Accidentia manerent, hæc tangerentur, manducarētur, ac ipsis dentes infigerentur. ergo &c. 46

Respondeo admissa auctoritate Chrisostomi distinguo minorem: si Panis Accidentia manerent hæc tangerentur &c. vt quo, seù formaliter, concedo: vt quod, seù denominatiue nego minorem, & ad consequentiā dico, quod quemadmodū *cum omni veritate Panis visualis est, qui tangitur, & manducatur, & dentibus premitur à nobis, vt quod, medijs accidētibus suis sensibilibus*: ita rectè dicitur tangi &c. Corpus Christi medijs eisdem numero accidentibus, sub quibus latitat.

Obijcies quarto S. Ambrosius *lib. de Initian. cap. nono* probans in Eucharistia verum esse Christi Corpus, quamuis Panis species videatur, hæc habet: Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque esse vim consecrationis, quam naturæ? Sed natura non minus Accidētia Panis, quā substātiā formauit. ergo dicere debemus vi benedictionis neque ipsa Accidētia Panis in hoc Sacramento manere. 47

Respondeo D. Ambrosium *loco citato* premere pronomen illud demonstratiuum, hoc, quod habetur in Consecratione hostiæ, & demōstrat Corpus Christi, quod benedictio consecrauit: nō Panē, quem natura formauit. Quāuis igitur verum sit naturā non minus Accidentia Panis, quā substantiā formasse, quia tamen quādo nos dicimus: hic est Panis: ille est equus: ille verò

homo

homo &c. Loquimur de substantia eorum, quæ demonstramus, non autem de accidentibus: alioquin essent falsæ propositiones; ita S. D. dum dicit hoc non esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, loquitur de substantia, quæ sub illis accidentibus demonstratur: non autem de ipsis accidentibus. Hac posita explicatione maioris, distinguo minorem: non minus accidentia Panis, quam substantia, natura formauit in sensu reali, concedo: formaliter tanquam venientia sub demonstratione, nego minorem, & consequentiam.

48 Obijcies quinto: Theophylactus *in cap.* 26. Matt. verba consecrationis expendens: non dixit (inquit) hoc est figura, sed hoc est Corpus; ineffabili enim operatione transformatur etiam si nobis videatur Panis. Sed transformatio præter deperditionem substantiæ Panis, importat mutationem formarum accidentalium, prius existentium in ipsa substantia. ergo non remanent dictæ formæ accidentales.

Respondeo transformationis nomen esse æquiuocum: potest enim significare commutationem, vel accidentalem tantum, vel substantialem tantum, vel substantialem simul, & accidentalem: in verbis autem citatis sumi pro substantiali tantum, quatenus substantia rei est veraciter forma, & pulchritudo essentialis illius; huius autem acceptionis ratio sumitur ex eo, quia dictus doctor aliud non intendebat, quam excludere hæresim illorum, qui dicebant Eucharistiam esse figuram Corporis Christi, & non continere realiter ipsum Corpus. Ad hoc autem verificandum sufficit, quod Panis transformetur secundum suam substantiam tantum in Christum, non verò secundum etiam accidentia. ergo &c.

49 Obijcies sexto: Paschasius *lib. de Corp. & Sang. Domini cap. primo* sic habet: licet figura Panis, & Vini hic sit: nihil aliud, quam Caro Christi, & Sanguis post consecrationem credenda sunt. Tum sic: si figura Panis, & Vini solum objectiuè, & secundum representationem in Sacramento haberetur, falsum esset nihil aliud esse, quam Carnem Christi, & Sanguinem. ergo &c. Confirmatur ex verbis eiusdem *lib. 1. cap.* 10. vbi ait: in hoc Sacramento totum spirituale esse id, quod comedimus: sed quantitas, & alia accidentia Panis remanerent, id falsum esset. ergo &c.

Respondeo ad argumentum, quod si in citata auctoritate particula (nihil aliud) in tota sua latitudine sumerentur, excluderent ab Eucharistia quodcumque aliud præter Corpus, & Sanguinem Christi. Sed sic contradicerent primæ enunciationi, in qua conceditur in ea esse figuram Panis, & Vini, qualiscumque demum fuerit talis figura, nec non etiam species intentionales Panis, & Vini sub quibus Aduersarij Christum esse tenent. ergo dicendum est, quod dictæ particulæ sumendæ sint in sensu tantummodo, quatenus videlicet excludunt ab Eucharistia quamcumque aliam substantiam præter substantiam Corporis, & Sanguinis Christi. Quare negandum est antecedens. Ad confirmationem verò dicendum, quod si quando Paschasius dicit totum spirituale esse, id quod in hoc Sacramento comedimus: spirituale sumeret, quatenus opponitur corporeo: hæretica esset propositio, siquidem Corpus, & Sanguis Christi sunt maximè corporea. Quemadmodum igitur hæc appellat spiritualia, quia hypostaticè sunt vnita diuino Verbo, quod est origo omnis spiritualitatis, atque perfectionis: ita etiam accidentia Panis, & Vini, quia sunt vnita Corpori, & Sanguini Domini inter spiritualia connumerat, quare negandus est minor subsumpta.

SECTIO SEXTA.

Satisfit reliquis obiectis ex ratione deprompta.

50 OBijcies primo: si remanerent in Eucharistia accidentia realia Panis, & Vini, non debuissent dicere Patres, & Concilia solas Panis, & Vini species in ea remanere, sed perpetuus loquendi modus totius Ecclesiæ antiquitus solitus fuit, quod remanerent species. ergo, vel existimandum est Ecclesiam antiquitus putasse non remanere nisi species intentionales, vel si nomine specierum veniunt etiam accidentia realia, eam non voluisse hoc determinare, sed arbitrio fidelium relinquere.

51 Respondeo negando sequelam maioris. Ratio autem quare Concilia, & patres identidem dicunt manere species Panis, vt Vini, & non eorum accidentia in Eucharistia est, quia ex vna parte accidentis vocabulum apud antiquos Philosophos, & præsertim apud Aristotelem actualem inhærentiam, & dependentiam exercitam à subiecto importat: ex alia vero speciei nomen significat solum apparentiam, & imaginem rei cuius est species, & id casu, vt notarent entitates accidentales Panis, & Vini in Eucharistia nulli subiecto inhærere, illas perpetuo species Panis, & Vini, & non accidentia appellarunt; easque, vt distinguerent à speciebus intentionalibus species corporales, atque reales nuncupabant, quæ possent videri, tangi, frangi, &c. Vt patent ex Canonibus citatis, qui non possunt verificari de speciebus intentionalibus, quæ Teste D. T. *in secundo dist. 13. quæst. tertio in. Corp.* Nō dicuntur habere esse naturale, sed spirituale, & reperiuntur in organo sensus: & in medio per modum intentionis, & non per modum naturalis formæ, vt idem docet *secundo de anima lect.* 24. alia quoque ratio huius vocabuli prælationis in Ecclesia non minus solida, quam præcedens occurrit: ea verò est, quod si dixissent Concilia, & Patres remanere accidentia realia Panis, & Vini in hoc Sacramento: potuissent dubitare fideles num, quandiu dicta accidentia alterata perdurent, Christus sub illis existat, atque adeò, quādo ex Eucharistia generantur vermes, vel ignis, vel caro illam sumentium, quia remanent multa accidentia vtriusque, licet refracta, num, inquam, ad hæc sub eis reperiatur Christus? & rectè nam nomen accidentium Panis, & Vini vsque ad ea se extendere potest. Non sic autem nomen speciei, nam importat complexionem illam accidentium, quæ non nisi ex-

Digitized by Google

ius est species debita est. Quare ex eo, quod dicatur Christus existere sub specie Panis, & Vini, nemo potest rationabiliter dubitare, num sub forma vermis, vel ligni ex Eucharistia genitis Christus remaneat, eo quod licet plura Accidentia Panis, & Vini in illis reperiantur, non tamen complexio accidentium eorum substantijs debita reperitur; & propter hoc maluerunt Concilia, & Patres vti nomine specierum Panis, & Vini, quam nomine realium accidentium illorum. Est & tertia adhuc solidior, quia nimirum nomen Accidentis tribui etiam solet substantijs, vti diximus de veste, armis, & similibus. Nè igitur quis putaret substantiam Panis, & Vini respectu Christi se habere in Eucharistia, vt Accidentia, hoc nomine Concilia, & Patres vsi non sunt.

32 Obijcies secundo: opinio componens omnia ex atomis ingenerabilibus, & incorruptibilibus sine forma substantiali, aut qualitate distincta stare potest cum fide huius Sacramenti; sed si dicamus de fide esse remanere Accidentia realia Panis, & Vini, non potest consistere: benè tamen potest, si sustineamus, solas species intentionales remanere. ergo ita dicendum est. Minor probatur, quia in hac sententia Accidentia realia non distinguuntur à substantia rei, cuius sunt Accidentia.

Respondeo negando maiorem. Dico enim stante doctrina fidei, quæ traditur in Sacris Canonibus de hoc mysterio, non posse sustineri sententiam de identitate accidentium cum substantia, & de compositione rerum ex Corpusculis, quod manifestè probatum auctoritate Roberti Holcoti Ordinis prædicatorum, qui licet hoc prius existimauerit: exterius postea ex his, quæ secundum fidem Catholicam dicuntur de Eucharistia in cap. Ego Berengarius, & in capite cum Marchio citatis, mutauit sententiam, vt manifestè declarat in quarto sent. q. 3. Versu. Videndum est: vbi posquam assignauit tres differentias, quibus transubstantiatio Eucharistica ab alijs mutationibus differt, quartam his Verbis assignauit. Quanto differt ab alijs mutationibus: quia omnia Accidentia post transubstantiationem manent, quod non est in alijs transmutationibus. Ex quo patet, quod Accidentia substantiarum materialium sunt alia, & distincta ab ipsis substantijs; non tamen hoc semper tenui, quia aliquando dicebam oppositum, ideo, quod album nõ potest fieri nigrum, nisi per corruptionem substantiæ, vel per motum localem substantiæ, vel substantiarum, sicuti in mixtionibus, quod vna mixtio causat vnum colorẽ, & alia alium. Sic Holcotus. Quam sententiam, mutasse ex vi Canonum constat ex eo, quia illis recitatis in argumento pro parte affirmatiua: statim dat manus, nullam aliam assignando huius rei rationem, nisi id, quod D. Augustinus in Epistola ad Volusianum dixit, hoc est: dicamus Deum aliquid posse, quod nos fatemur in vestigare non posse, in rebus talibus tota ratio facti est potentia facientis. Ex quibus patet, neque stare posse cum fide huius Sacramenti opinionem docentium Accidentia modaliter solum à substantia esse distincta, quia tunc etiam sequeretur dicta Accidentia non posse manere à sua substantia separata; neque id mirum videri debet; quemadmodum enim opinio dicentium substantiam non distingui, nemine cogitante, à substantia, contradicit fidei, quam de Incarnationis mysterio habemus, ita & vtraque dicta opinio de accidentibus contradicit fidei, quam habemus de diuinissima Eucharistia.

Obijcies tertio ex doctrina S. T. docet Suarez *tom. tertia in tertiam partem disput. 49. sect. prima §. Ad rationem*; in hac materia nullum miraculum admittendum esse, quod in Verbis, quibus conficitur Sacramentum, non necessariò contineatur. Sed existentia accidentium sine subiecto inhæsionis non necessariò continetur in Verbis, quibus conficitur Sacramentum. ergo in hac materia non est admittenda existentia Accidentium sine subiecto inhæsionis. Maior, & consequentia patent. Minor probatur, quia per hoc, quod dicamus Christum contineri sub speciebus intentionalibus Panis, & Vini veritas Verborum, quibus conficitur Sacramentum, sufficienter habetur. ergo &c.

Respondeo concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem dico: ad saluandum veritatem Verborum formæ requiri conuersionem, & transubstantiationem Panis in Corpus Christi. Cum igitur huiusmodi conuersio importet mutationem totius vnius substantiæ in aliam sub tertio communi, vtique termino intrinseco, cumque hoc tertium non possint esse species intentionales, quæ sunt vtique extrinsecæ, necessariò deducitur ad saluandam veritatem verborum formæ necessariam esse permanentiam accidentium realium Panis, & Vini sub vtroque extremo; quatenus hæc sunt vtique intrinseca modo dicto. Linquo sine huiusmodi accidentibus non posse saluari veritatem formæ, nec definitionem Conciliorum, vt supra vidimus.

33 *Instabis: si terminus à quo transubstantiationis Eucharisticæ esset sola substantia Panis, & Vini, & non etiam Accidentia vtriusque sequeretur, quod etiam terminus ad quem illius deberet esse sola Substantia Corporis, & Sanguinis Christi. Sed hoc dici nequit, nam Christus cum suis accidentibus realibus sub vtraque specie reperitur; ergo terminus à quo dictæ transubstantiationis debet esse substantia Panis, & Vini cum suis accidentibus realibus. Sequela probatur, quia non potest assignari maior ratio, cur transubstantiatio admittat Accidentia realia ex parte termini ad quem venientia cum substantia Christi, & non importet Accidentia realia ex parte termini à quo recedentia cũ substantia Panis, & Vini. ergo &c.*

Respondeo negando sequelam maioris, cum sua probatione. Ac dico maiorem rationem esse, quia vti dicebamus cum de Conuersione ad saluandam terminorum à quo, & ad quem oppositionem, admittendum necessariò est commune tertium, à quo illorum dicti termini se excludant. Hoc autem cum fide constet, non posse esse substantiam in casu nostro: sequitur, quod sit complexio accidentium Panis, nam illa Corporis Christi reperiri nequeant simul cum substantia

Digitized by Google

ſtantia panis, ut patet; atque hæc eſt ratio cur accidentia panis in conuerſione Euchariſtica non pereant. Quod verò debeat adeſſe Chriſtus, cum complexione ſuorum accidentium, ſuadetur ex eo, quia ex vi verborũ eius Corpus venit ſub ſpecie Panis, & eius ſanguis ſub ſpecie Vini: Corpus autem humanum, & humanus ſanguis neceſſariò important complexionem quandam accidentium ſibi debitam, & Corpus quidem deorganizationem ſolidam: ſanguis verò fluidã qualitatum attemperationem: neutrum autem abſque accidentium complexione conſiſtere poteſt.

55. Obijcies quarto poſitis duobus principijs, quorum vnum ex Fide habemus: nempe in hoc Sacramento eſſe verum Chriſti Corpus; & alterum ex Theologia, ſcilicet Corpus Chriſti, ſicut & alia corpora glorioſa habere vim apparendi nobis ſub quacumque effigie, ac ſpecie aliena: congruentius diſcurrimus attribuendo Panis apparentiam Corpori Chriſti volẽtis ſub figura Panis nobis apparere: quam aggregato realium accidentium ipſius Panis; ergo ita dicendum eſt. Antecedens probatur: quia apparentia illa, ſi ex aggregato accidentium prouenit, infert grande miraculum nimirum exiſtentiam dictorum accidentium ſine ſubiecto: at verò apparentia fundata in ipſis met accidentibus Chriſti eorum ſpecies modificantes non importat miraculum, quia procedit à corpore glorioſo tanquam à ſua cauſa naturali; ergo &c.

Reſpondeo primò ex duobus principijs, quæ in hoc diſcurſu ſupponuntur: primum à me abſolutè admitti: ſecundum verò non niſi cum debita modificatione, quæ eſt talis: quod aliena ſpecies, ſub quas corpora glorioſa habent vim apparendi nobis, non eſt quæcumque, alioquin poſſent apparere ſub ſpecie verbium, regnorum, corporum cæleſtium, & ſimilium; item ſub ſpecie Tauri, Leonis, Equi, & aliorum animalium irrationalium, eorum ſpecies immediate producendo: quæ vis, & ſcio quo fundamento corporibus glorioſis concedi poſſit; virtus igitur, quæ dictis corporibus conceditur debet apparendi ſub aliena ſpecie conſiſtere in eo quod illa alteratio, quam ſpecies intentionales habere poſſunt ex medio, ex diſtantia, ex occultatione partium obiecti, quæ ſunt ſpecies, & ſimilibus impedimentis, poſſit à corporibus glorioſis ſpeciebus ſuis communicari; qua virtute uſus probabiliter eſt Chriſtus quando poſt reſurrectionem ſuã apparuit ſub ſpecie hortolani, & Peregrini. Quoniam verò ſpecies naturales hominis, nunquam poſſunt alterari ita, ut repræſentent panẽ; hinc fit, vt Corpus Chriſti qua præcisè glorioſum non reddiceret ſibi connaturaliter virtutem producendi huiuſmodi ſpecies repræſentatiuas panis; quo poſito, corruit totum argumentum ex miraculi poſitione deſumptum. Vbi nota ſignanter me dixiſſe virtutem producendi ſpecies panis; non enim nego corpori glorioſo vim condenſatiuam libræ, qui virtute lumini ſe diuerſimode reflexi, & aliorum accidentium panem nobis repræſentet; neque item dicta corpori nego virtutem adeo noſtrorum ſenſuum perturbatiuam, vt imaginemur videre, guſtare, & tangere panem, quando non eſt; ſed huiuſmodi vires non ſunt aduerſarijs, quia earum beneficio ſpecies repræſentatione panis non procedunt immediate à corpore glorioſo, vt de ſe patet.

Reſpondeo ſecundo: admiſſa in Corporibus glorioſis virtute producendi ſpecies aliorum corporum in tanta amplitudine, quantam ſupponit aduerſarius: nego antecedens, nimirum congruentius eſſe attribuere Corpori Chriſti productionem ſpecierum panis, quam accidentibus realibus eiuſdem panis; & ad probationẽ antecedentis, concedo apparentiam illam ex cõplexione accidentium panis procedente inferre miraculum exiſtentiæ accidẽtium ſine ſubiecto, nego tamen non inferre miraculum, ſi dicamus procedere à Corpore Chriſti glorioſo. Et ad rationem in contrarium aio miraculum cenſeri omne illud opus, quod vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum modum vires totius naturæ ſuperat; quoniam verò quod humanum Corpus producat ſpecies repræſentatiuas hoſtiæ eſt opus ſuperans ſecundum modum totius naturæ vires: hinc fit, vt quamuis concedamus vim cõnaturalem Corpori Chriſti glorioſo producendi ſpecies panis, non inde ſequatur, opus hoc non eſſe miraculoſum. Et ratio vlterior huius eſt, quia ad excludendum huiuſmodi miraculũ non ſufficit, quod ex parte efficientis ſit hæc vis connaturaliter debita; ſed præterea requiritur, vt ex parte ſubiecti habeatur exigentia talium ſpecierum, quemadmodum habetur in aere, & in meo oculo bene diſpoſito, quod ad præſentiã huius partis V. G. recipiat ſpecies illius: aliquin nulla prorſus res miraculoſa daretur in mundo, quæ à Deo procederet, quandoquidem ſummè connaturalis eſt Deo omnipotentia, quæ eſt vis productiua omnium miraculorum; atqui ex parte noſtri non habetur exigentia, vt Corpus Chriſti glorioſum producat in noſtris potentijs ſpecies panis quemadmodum quod neq; ſpecies ſui ipſius, ſaltem dum exiſtit modo indiuiſibili; ergo miraculum exiſtimandum eſt huiuſmodi productio ſpecierum.

Neque dicas ad miraculum requiri, quod ſit de raro contingentibus in natura, quod non habetur in caſu noſtro; nam quamdiu Chriſtus in Euchariſtia exiſtit, ſemper emittit ſpecies repræſentatiuas Panis; ne id dicas, inquam, quia hoc æquè militat contra miraculum de exiſtentia accidentium ſine ſubiecto, quæ ſemper ponuntur reperiri in Euchariſtia. Diſcrimen ſolum eſt in eo, quod hoc eſt, vnum numero miraculũ in vna numero Hoſtia conſecrata, ſed continuatum quamdiu durat huiuſmodi hoſtia: at illud eſt multiplex, quia quoties Chriſtus nouas ſpecies Panis in medio, vel in potentijs intuentiũ produceret, toties multiplicaretur miracula, & ſic quando ſolemniter circumfertur Euchariſtia innumerabilia pene miracula deberent fieri, quia non ſolum in medio aere per totam viam circumfuſo, ſed etiam in oculis cor millium hominum illam adorantium, & hoc quoties illam inuenirentur, nouæ ſpecies miraculoſæ producendæ eſſent. Porrò hæc multiplicatio miraculorum per ſola eiuſmodi vinis tantummodo vitaretur; quia ſola

Digitized by Google

ta miraculosa existentia accidentium panis sine subiecto, hæc connaturaliter suas species intentionales in medio, & in potentijs nostris producunt, eo quod non solum vis productiua naturalis in ipsis accidentibus, sed etiam exigentia ex parte subiectorum habetur.

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA OCTAVA

DE DIVISIONE ENTIS IN REM, ET MODVM.

1 HAEc entis diuisio est minus principalis, quam præcedens; quandoquidem est illi valde similis, eamque imitatur; nam sicuti duo membra diuidentia præcedentis ita se habent, vt vnum alteri comparatum, accidens videlicet substantiæ dicatur entis ens, sitque illi pedissequum: ita in hac diuisione modus innititur totaliter rei cuius est modus, & ab illa essentialiter actu pendet. Porrò rectè diuidi ens in communi in rem, & modū patet ex eo quia nomen modus hic non sumimus in ea amplitudine vt significet qualitatem substantiæ inhærentem, vt docet D. T. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 2. Neque, quatenus significat differentiam contractiuam rationis superioris, in quo sensu dicimus rationem substantiæ, & Accidentis esse modos entis. Neque denique, quatenus importat mensuram præfixam rei finitæ, ratione cuius intra cancellos finitatis concluditur, vt ait August. *lib. quarto Gen. ad litt. cap. tertio*: sed prout significat entitatem ita caducam, ac fragilem, vt neque diuinitus separari possit à rè cuius est modus. Præterea nomen rei non vsurpamus, quatenus idem importat ac ens sic enim non esset membrum diuisionis, sed totum diuisum; sed prout complectitur omne id, quod saltem diuinitus existere potest separatum ab alio, siuè demum sit substantia, siuè Accidens. Quoniam verò non potest ex cogitari ens, quod, vel non ita sit robustum, vt saltem diuinitus existere valeat sine alio: vel non ita sit debile, vt neque per absolutam Dei potentia sic existere possit: hinc fit, vt diuisio entis vniuersalissimè sumpti in rem, & modum rectè tradita sit.

SECTIO PRIMA.

In quo nam consistat conceptus essentialis modi varia sententia expenduntur.

2 HAnc quæstionem Recentiores ex professo instituunt; quia ex eius decisione exacta cognitio definitionis alterius membri diuisionis, nempè rei, totaliter pendet. Iam de quidditate, & essentia modi variæ circumferuntur sententiæ. Prima est eorum, qui definiunt modum esse ens inseparabile in existentia à rè cuius est modus. Sed contra est, tum quia creatura non potest per absolutam Dei potentiam existere separata à Deo: non tamen idcirco est modus Dei. Tum etiam, quia vna persona in diuinis implicat existere separata ab alijs, & tamen quis eam esse modum earum dicere audebit: ergo per hoc præcisè, quod aliquod ens est inseparabile in existendo ab alio, non habet conceptum essentialem modi.

3 Secunda verò sententia est dicentium modum rectè definiri entitatem nullius prorsus effectus operatiuam. Verum neque hæc modi explicatio placet, tum quia hoc videtur posse competere rei; sicuti in nonnullorum sententia competit materiæ primæ, quam dicunt de se non habere virtutem aliquid operandi. Tum etiā, quia licet concederemus hoc soli modo competere, non esset tamen eius essentia, sed ad summū proprietas, quatenus importaret negationem virtutis, ex illius præditatis quidditatiuis procedentem. ergo &c.

Tertia sententia est Albertini in prædicamento ad aliquid q. 12. art. 1. vbi ad distinctionem modalem, quam vocat ex natura rei tria requirit. Primum est, vt entitas modalis illa sit quæ addita rei modificatæ non varies eius rationem formalem. Secundum, vt neque faciat illā differre specie à rè modificata per aliū modū. Tertium denique, vt sit idem formaliter negatiuè, cum eadem rè, cuius est modus.

Sed neque hæc doctrina procedit, quia loquendo de duplici priori conditione, vel vtraque competit alijs formis, vel neutra entitati modali. Nam si loquitur de rè modificata secundum sua intrinseca, nulla forma habet variare rationem formalem sui subiecti, neque quantum est de se, facit illud differre specie ab alio, aliam formam habentem, & ratio est, quia rerum essentiæ

sentiæ nõ sine in se per formarum receptionem variabilis, vt de se patet. Sin autem loquimur de re modificata sumpta in concreto per modum constituto, neutra competit modo. Non prima, quia concretum constans ex re, & modo differt formaliter ab ipsa re secundum se considerata, quæ se habet, vt subiectum modi, sicuti Album ab homine. Neque secundum, quia posito quod duo modi differant inter se essentialiter, implicat rem, quatenus modificatam per vnum modum non differre essentialiter à se ipsa, quatenus modificata per alium. Quod verò attinet ad tertiam conditionem, puto eam implicare cõtradictionem quolibet modo. Nam esse aliquid idem negatiuè cum alio importat non distingui ab illo: quare si hæc conditio intenderet quod modus esse debeat idem realiter negatiuè cum re, cuius est modus: haud grauares id concedere modo, quatenus significaret, quod scilicet eius res non est alia, quam ea, cuius est modus: ita modus non habeat aliam realitatem ab illa distinctam. Quoniam verò importat eum debere esse idem formaliter cum illa, puto repugnare de eo verificari posse; significat enim, quod nõ habeat aliam rationem formalem, per quam secundum suam vltimam speciem concipi possit vt distinctus ab illa; sed sint, sicuti duo homines, qui formaliter sumpti in ratione, scilicet, hominis inter se minime distinguuntur, quod est omnino falsum: vt patet ex actione, & eius termino.

6 Quarta sententia est Hurtadi *disp. 2. Metaph. sect. 5.* definientis modum esse actualem determinationem rei indifferentis. Placet hæc sententia Ouiedo *disput. 4. Metaph. puncto quinto*: Displicet verò Arriagæ *disput. prima sect. prima*: eam probat Ouiedus ex Hurtado sic: Modus secundum omnes est id, quod nec diuinitus separari potest à re, cuius est modus; sed hoc ipso, quod est actualis determinatio rei indifferentis non potest existere etiam diuinitus, quin actu illam determinet. ergo rectè definitur modus actualis determinatio rei, cuius est modus. Ex hoc discursu, quem affert *num. quinto* infert statim *num. sequenti* rectè distingui rem, & modum per hoc, quod res sit essentialiter determinabilis: modus verò eius actualis determinatio. Vndè fit, vt illa possit saltem diuinitus existere sine modo, non verò modus sine re, cuius est modus.

7 At verò dictam sententiam impugnat Arriaga, quia determinatio semper sumitur per ordinem ad aliud; sed dantur modi, qui non determinant subiectum ad aliud; ergo non est de ratione modi determinare indifferentiam subiecti. Minorem probat, quia vbicatio, & duratio in sententia Hurtadi sunt modi: & tamen non determinant subiectum ad aliud, sed ad se ipsa tantum, nam spatium, & tempus imaginarium, ad quæ determinare possent, ipso Aduersario fatente, in re nihil sunt, & solũ vsurpantur à nobis, vt possimus explicare dictorum modorũ absolutorum naturam. Quod si quis cũ Comptono *in Phys. disp. 13. sect. prima num. octauo* id negaret. Probarem ego dictam minorem ex subsistentia, quæ est modus substantiæ, & tamen non determinat illam ad aliquod, vt de se patet. Iã verò Arriaga maiorem sui argumenti probat ex eo, quia determinatio non sumeretur in ordine ad aliud: definitio modi sic deberet intelligi: modus est actualis determinatio ad se ipsũ. Sed hoc dici nequit, tum quia omnis entitas determinat ad se, atque adeo hoc non est peculiare modi; tum, etiãsi quia sic modus definiretur in ordine ad se, & sic vitiosa esset definitio, quatenus definitum in ordine ad ipsum definitum explicaret. 8

Ad hoc tamen Arriagæ argumentum Respondet Ouiedus negando maiorem, & ad eius probationem concessa maiore, negat minorem: ad cuius primam confirmationem negat assumptũ, omnem videlicet entitatem determinare ad se ipsam. Et rectè id quidem, nam quando hoc assumitur, vel est falsum, quod sit determinatio sui ad se, vel quod sit determinatio ad se, alicuius, à se nemine cogitante distincti: si primum, non facit contra definitionem traditam: nam modus definitur determinatio rei indifferentis, à qua nemine cogitãte distinguatur. Sin verò eligatur secundum, assumpti falsitas patet ex anima rationali, quæ comparata Corpori, quod informat, non est actualis determinatio illius, alioquin non posset existere absque eo, quod illud informaret, & auferret ab eo indeterminationem, quam habet, quod est apertè falsum. Ad posteriorem verò eiusdem minoris confirmationem, quæ ex definitionis vitio sumebatur, idem Ouiedus respondet innumeras dari definitiones, quæ definitum explicant in ordine ad se. Nam substantia, inquit, definitur ens per se, & relatiuum transcendale, quod per suam entitatem terminum respicit, & causa, principium per se influens &c. Quemadmodũ igitur huiusmodi definitiones saluantur per hoc, quod particula (per se) ipsum definitũ materialiter acceptum, & confusè cognitum importet, qua ratione supponitur ad se formaliter, & expressè cognoscendũ: ita, & definitio modi tradita per determinationem ad se saluari potest.

Quare hoc Arriagæ argumento posthabito, definitionem modi traditam ab Hurtado in hunc 9
ferè modum impugnarem: in sententia eorũ, qui docent vnionem non distingui ex natura rei ab extremis, sed esse ens connotatiuum adæquatè sumptum importans in recto vtrũque extremũ, & in obliquo intimam præsentiam, negationem impedimentorũ &c. Vnio inadæquatè sumpta, quatenus videlicet se tenet ex parte formæ V. G. est actualis determinatio materiæ ad se ipsam recipiendam, & ad compositum secum vna constituendum, quæ materia quantum est de se erat indifferens ad vtrumque; sed huiusmodi vnio nõ est modus materiæ, quamuis implicet contradictionem, quod existat sine illa. ergo modus non benè definitur actualis determinatio rei indifferentis. Maior est euidens, quia in sententia distinctam vnionem inter extrema negantium, forma intime præsens materiæ rectè dispositæ præstat formaliter totũ id, quod præstaret vnio modus. Minor verò non est minus euidens ex hypothesi dictæ sententiæ. Consequentia denique est certissima, quia vna ex regulis bonæ definitionis est, quod definitio non competat alteri à definito.

Quin-

Digitized by Google

10 Quinta sententia est Arriagæ loco citato num. quinto, vbi sic se arbitrari asserit. Modum definiendum esse, Est informatio actualis subiecti, & quidem informatio subiecti (inquit) ponitur loco generis, quod est commune omnibus formis actuantibus verò loco differentiæ, quia nulla res quæ non sit modus, est actualis informatio, sed aptitudinalis. Vnde fit, vt salsem diuinitus possit non informare actu.

12 Hanc quoque definitionem ait facilè posse quæ precedentem reijci, quia forma ignis immediate posita materiæ nuda dispositam cum negatione vnionis petitæ est informatio actualis ipsius materiæ potiùs, quod vnio ad formam, hoc est ad terminum extremis. Sed dicta forma ignis non est quidquam materiæ, vt omnes concedunt: ergo nulla definitur modus per hoc, quòd sit informatio actualis subiecti. Quod si respondeat Arriaga vos vnum tantum modum esse definisse modum ex suppositione, quod informatio actualis, ac vnio sine modo formæ hoc ipso forma esset regulare bonum definitionis communitatis, quarum vna non conuenientia est, quod res definienda definiri debeat secundum commune conceptum, quem de eo omnes formamus, non verò secundum peculiares sententias, secundum quas doctores de illa discrepant.

13 Impugnatur præterea hæc Arriagæ sententia, quia indiuisibilia terminativa quantitatis in sententia probabiliori sunt modi ipsius quantitatis, & tamen non sunt actualis informatio illius, quia propter improportionem non inhærent ipsi, sed adhærent. Quod si dicas ea inhærere indiuisibilibus terminativis materiæ primæ. Contra est, quia non sunt hæc indiuisibilia modi, de facto enim indiuisibilia Eucharistica sine illis existunt: cum etiam quia loquendo de ipsis materiæ indiuisibilibus redit difficultas, non propter eandem rationem non possunt nisi adhærere ipsi materiæ, idem argumentum fieri posset, adducendo in medium actionem, quæ est modus efficientis, & tamen non est forma illius.

14 Respondebis ex Arriaga cum indiuisibilia respectu quantitatis, cui actionem respectu efficientis esse modos extrinsecos illorum, ad quod sufficit si sint extrinsecæ formæ actuales eorundem, in quantum nequeunt existere nisi ea actu denominent; indiuisibile quidem terminativum quietem actu terminatam, actionem numerum, causam actu operantem. Ex hoc autem sequi, quod omnis modus sit actualis informatio subiecti sui inextrinseca, siue extrinseca.

15 Verum sic explicata difficultio impugnatur vtrò, quia si ad constituendam essentiam modi satis formæ actualis extrinsecæ sufficiens esset, sequeretur, quòd omnis cognitio qua Deum cognoscimus esset modus ipsius Dei, nam impossibile existere absque eo quòd denominet Deum cognitum. Quod si dicas cognitionem fieri posse in obiectum etiam non existens. Contra est, quia hoc non habet locum in cognitione intuitiua. Secundo multo minus in cognitione Dei. Contra denique vtrò, quia creaturæ existentes denominant Deum causam primam efficientem, & vltimum finem ipsarum: causa enim non solum denominatur extrinsecè à causalitate quæ in ea fit nostro est actio, sed etiam ab effectu, & quia dem principalius: tum quia illum primò, & per se intendit: tum etiam quia in ordine ad ipsum & non in ordine ad causalitatem definiri ac explicari solet: ex quo sic arguo: si ad constituendam essentiam modi sufficeret ratio formæ de se actualis extrinsecæ: sequeretur quod omnis creatura esset modus Dei, à quidem actu illum denominet causam, ita vt implicet contradictionem ipsam existere quin tribuat Deo huiusmodi denominationem, sed hoc est absurdum, vt de se patet, ergo &c. Quod si vis prioritatem effugiat. Aduersarius dicendo prius Deum denominare à causalitate, contra est: tum quia hæc prioritas non potest pro posteriori modi essentiam tollere, ipse ipse quod in actuali informatione, quo ad denominationem consistere ponitur: tum etiam quia in definitione tradita hoc non exprimitur; aliquin definiri debuisset modus primario formatio actualis subiecti, & sic incideremus in pejus absurdum, quod esset nullum dari modum respectu substantiæ præter subsistentiam, quæ olim primo complet in ordine ad se, & reddit aptam ad reliqua munia obeunda.

Sola sententia Gizzarelli qu. 3. lect. 11. vbi modum sic definit: Entitas res quæ sic afficit aliam extrinsecè, vt per se secundam illam essentialiter determinet: Verum hanc etiam explicatio impugnatur iisdem fere argumentis, quibus duæ præcedentes; eo præsertim, quod ducebatur ex indiuisibilibus terminativis quantitatis, quæ licet eam intrinsecè non afficiant: sunt tamen in probabili sententia eius modi, nec non etiam ille, quod ab actione sumebatur; quæ est modus agentis & cametest in passo, & non in agente. Linquo reliqua, quia hæc concludentia euincit modi non afficere intrinsecè, cuius est modus.

Septima denique sententia est eorum de quibus Arriaga loco citato num. 25. qui modum definiunt esse illum, qui ad suum effectum præstandum non requirit aliam distinctionem, quam modalem. Propter hanc descriptionem modi, idem Arriaga duplicitet impugnat. Primo, quia explicat idem per idem, ac si diceret modus est qui non requirit magis, quam esse modus. Hæc impugnatio mihi placet: nam si distinctionem modalem non aliunde cognoscere possumus, nisi ex intelligentia modi: vnde eam definimus, quæ haberi inter rem, & modum: dicendo postea modum esse, qui modalem distinctionem requirit, circulum vitiosum committamus oportet, per quem non nisi pertinentiam quandam, quæ habet modus cum distinctione modali nobis notescit. Secundo eandem explicationem ita impugnat ex eo, quia non posset ostendi gratiam, & habitus, ac actus omnes tam intellectus quam voluntatis, vt præsentes suos effectus, maiorem distinctionem requirere quam modalem. Sed vt verum fatear hanc impugnationem non probo, eo quod contra quamcunque explicationem modi fieri potest, sed abstrahendo definitionem ipsius Arriagæ in medium adducendo, quæ erat modus est informatio actualis subiecti: posset enim quis ei obijcere eadem facilitate, per hanc definitionem non ostendi gratiam, habitus, &c. non esse actuales informationes suorum subiectorum. Quemadmodum igitur

igitur ipse ad hoc soluendum recurrere deberet ad huiusmodi qualitatum naturam, ostendendo, quod de se non dicat actualem informationem sui subiecti: ita facient illi, quos ipse redarguit, ex natura enim gratiæ &c. ostenderent eam ad præstandum suum effectum formalem maiorem distinctionem requirere, quam modalem. Quare non est, cur tradita definitio hoc etiam nomine reijciatur, sed sufficit, quod impugnetur ex eo, quod non procedit ex notioribus.

SECTIO SECVNDA.

Explicatur ex propria sententia quid sit modus

17 PRima conclusio: omnis modus habet, quod non possit ne per absolutam quidem Dei potentiam existere sine re, cuius est modus; verum hoc non competit illi soli. Prior pars huius conclusionis est omnium, qui entitates modales admittunt, & facile probatur quia si modus posset saltem diuinitus existere sine re, cuius est modus, iam haberet ex se propriã entitatem, & sic non minus esset res, quam ipsa res, cuius censeretur esse modus: mutua enim separabilitas est certum signum distinctionis realis, quæ est inter rem, & rem; ergo si modus, salua eius existentia, esset separabilis à re, cuius est modus: iam respectu illius esset res, & modus, atque adeo esset modus, & non esset modus, quod implicat contradictionem; Confirmatur: quia omnia ea, quæ sine cõtrouersia sunt modi, vt sessio, quæ est modus sedentis, actio agentis, motus localis mobilis; ita se habent, vt implicet contradictionem existere sine re, cuius sunt modi. ergo &c.

18 Secunda verò pars conclusionis, in qua dicebamus hanc inseparabilitatem non competere soli modo, videtur esse contra Suarez *in metaph. disput. 7. sect. 2. num. 8.* vbi docet ea, quæ ita ex natura rei distinguuntur, vt vnum ne diuinitus quidem separatum ab alio existere possit, certissimè distingui inter se modaliter. Verum nostra sententia est Arriagæ *loc. cit. num. 9.* vbi docet, quod non per hoc præcise, quod vnum non potest existere sine altero, est modus illius; & probatur: quia vti præcedenti sectione dicebamus primam sententiam impugnantes, creatura nullo modo potest existere sine Deo, nec vna persona in diuinis sine alia; & tamen neque creatura est modus Dei, neque vna persona diuina, & modus alterius; ergo falsum est, quod inseparabilitas competat soli modo.

19 Secunda conclusio: rectè modus definitur, quod sit ex suis intrinsecis actuale exercitium rei, quæ quantum, est de se est in potentia siuè ad se ipsum siue ad aliquod aliud. Dicitur primo actuale exercitium ex suis intrinsecis, vt excludatur à ratione modi omne id, quod beneficio alterius extrinseci connotati incipit habere rationem exercitij actualis, cuiusmodi est forma tum substantialis, tum accidentalis, quæ per hoc, quod connoret intimam præsentiam in subiecto recte disposito, exercet rationem actualis vnionis sui cum subiecto. Dicitur secundo rei, quæ quantum est de se &c. vt notetur inter modum, & rem, cuius est modus, debere intercedere distinctionem quandam ex natura rei, quæ nimirum sit independens ab intellectu: esse enim actuale exercitium ad aliquid, & importare indifferentiam ad illud, implicat contradictionem, quod inter se idẽtificẽtur. Dicitur denique tertio siuè ad ipsum siuè ad aliquid aliud: vt significetur: hoc, ad quod res debet esse ex suis intrinsecis in potẽtia, æquè bene posse esse ipsum modum, ac aliquid aliud ab illo distinctum, vt patet ex motu locali in sententia eorum, qui non admittunt spatium imaginarium negatiuum independenter ab intellectu.

Conclusio sic explicata probatur ex fine, 20
in quem Auctor naturæ modales entitates instituit; cum enim ex vna parte res, quæ propriã habent entitatem, ac realitatem, quantum est de se, sint in potentia ad multa munia præstanda, & subeunda; ex alia verò non sint per se ipsas aptæ transferre se de potentia ad actum, necesse fuit, vt modales entitates darentur, quæ essent ex suis intrinsecis actualia exercitia huiusmodi rerum, quibus hæc de potentia ad actum transferrentur; ergo rectè definitur modus, quod sit ex suis intrinsecis actuale exercitium rei, quæ quantum est de se, est in potentia ad aliquid, seù ad munus aliquod subeundum. Antecedens res habet partes; & quidem quantum ad primam attinet, est indubitatum: ignis enim est in potentia ad comburendũ & homo ad ambulandum, & lapis ad infrigẽdũ caput, & sic de reliquis. Quod at verò spectat ad secundam, in qua dicebamus res multoties non esse per se ipsas aptas transferre se immediatè de potentia ad actum, probatur exemplo ignis A. V. G. habentis potentiam producendi ignem B. constat enim ignem A. neque per se ipsum posse formaliter intelligi transire de potentia producendi ad actualem productionem ignis B. alioquin non esset quãtum est de se, in potentia ad illum producendũ neque per ipsum ignem B. nam etiam ignis B. est indifferens, vt producatur ab igne A. vel ab aliquo alio; neque est assignabilis aliqua alia res, quæ possit formaliter transferre ignem A. ad producendum ignem B. ergo res multoties non possunt per se ipsas immediatè transferre se de potentia ad actum. Tertia denique pars, quod scilicet necesse fuit instituere entitates modales, quæ essent ex intrinsecis suis actualia exercitia, quibus formaliter res de huiusmodi potentia ad actum transferrentur, est euidens; videmus enim, quod multoties transferantur; ergo hoc ipso quod non valeant per se met ipsas transferre, debuerunt à natura institui modi, qui ex suis intrinsecis essent actualia exercitia harum translationum, consequentia denique primi enthymematis suadetur quia ex dictis sequitur quod esse ex suis intrinsecis actuale exercitium modo dicto de omnibus, & solis entitatibus modalibus verificetur aliunde verò non potest assignari alia ratio à priori in qua essentia harum entitatum contineatur; ergo rectè modus definitur ens quod ex suis in-

trinsecis est actuale exercitium &c. atque ex his colligi potest veritas illius axiomatis communiter recepti: quod nimirum modus sit minimè entitatis, ex suis enim intrinsecis debet esse essentialiter addictus rei, cuius est modus; ita vt nec diuinitus quidem existere valeat sine illa; ergo iam esse debet in inferiori gradu entis, quam sit ipsum accidens, quod est separabile diuinitus á substantia, igitur in infimo est constituendus.

21 Obijcies primo: non potest assignari maior ratio cur modus definiatur potius per actuale exercitium, quam per actualem determinationem cum Hurtado, vel per actualem informationem cum Arriaga, posito quod ex suis intrinsecis debet actualitatis rationem habere; ergo &c.

Respondeo negando antecedens, vt patet ex dictis, & vlterius confirmatur primo quantum ad actualem determinationem: *suppono* 18. sententia nonnullorum, & præsertim Arriagæ *pr. pa. disput.* 28. *sect.* 6. actum Dei liberum esse aliquid totaliter Deo intrinsecum, tam sic: decretum quo Deus vult ignem A hodie producere ignem B, est actualis determinatio, tum ex parte diuinæ omnipotentiæ, tum ex parte vtriusque ignis, & tamen non est modus; ergo non bene modus definitur per hoc, quod sit actualis determinatio rei. Consequentia patet, antecedens quo ad primam partem videtur certa, quia huiusmodi decretum se habet vt determinatiuum tum omnipotentiæ ad concurrendum, tum ignis A. ad producendum, tum denique ignis B. ad existendum; præterea cum sit actus vitalis Dei, & se habeat per modum actus secundi, hoc ipso quod est determinatiuum, non habituale, vel potentiale, sed actuale determinatiuum existimandum est; ergo &c. Idem verò antecedens quo ad secundam partem, in qua dicebamus huiusmodi decretum non esse modum est euidens, non enim est huiusmodi respectu Dei quia non distinguitur nemine cogitante ab illo, neque respectu vtriusque ignis, quia extitit ab æterno quando neuter habuit existentiam. Quod si dicas Quiedus nomine actualis determinationis venire actuactionem actus primi ad actum secundum, huiusmodi autem non esse diuinum decretum assignatum: contra est, quia dato quod in hoc sensu dictus modus loquendi vsurpari possit, saltem propter æquiuocationem cui subijcitur repudiandus esset, vt de se patet; atqui non posse sic vsurpari suadetur ex eo: quia hoc ipso quod causa necessaria est in actu primo proximo completo ad operandum cum applicatione diuinæ omnipotentiæ per decretum, quis negabit eam determinationem actualem ad operandum habere?

22 Quantum verò ad actualem informationem, sic illam iterum impugnarem, nam actio creatiua est modus Dei vt recte concedit idem Arriaga *num.* 7. & tamen non est actualis informatio respectu Dei, sed bene esse actuale exercitium suæ omnipotentiæ nemo negare potest. Item vnio hypostatica, si est modus, est modus Verbi, & tamen non est actualis informatio illius, sed bene est actuale exercitium quo Verbum terminat in Christo naturam humanam; ergo potiori iure per actuale exercitium, quam per actualem informationem definitio modi tradenda est. Scio Arriagam eodem numero respondere ad vtrumque; & ad primum quidem de actione dicere eam esse modum extrinsecum causæ, & sic actu informare illâ, extrinsecè denominando actu, quia nequit esse actio quin actu denominet causam agentem. Ad secundum verò de vnione prius docere eâ esse formam humanitatis, & non Verbi; deinde verò id concedere, non quidem in eo receptam, & subiectatam, sed illud intrinsecè denominantem.

Verum neutra responsio satisfacit: non prima, quia si sufficeret actualis denominatio extrinseca ad constituendam essentiam modi: sequeretur quod visio, qua Beati vident Deum, & amor quo illum diligunt essent modi ipsius Dei: quandoquidem nequeunt actu esse, quin illum denominent actu visum, & amatum: ahunde verò implicat quod existant non existente Deo. Neque satisfacit secunda quia eius prior positio nostro argumento dat manus quatenus ex ea sequitur vnionem esse modum Verbi, & non esse formam illius. Posterior verò quatenus asserit vnionem hypostaticam esse formam intrinsecè denominantem ipsum Verbum non est ad rem, quia hic, intrinsecè, non potest sumi ex parte ipsius formæ comparatæ ad Verbum, sed solum ex parte Verbi comparati ad ipsum Christum, qui est compositum constans ex humanitate, & persona Verbi: ergo relinquitur quod dicta vnio sit actualis forma extrinseca ipsi Verbo, sed per hoc non saluatur conceptus modi vt modo vidimus; ergo &c.

23 Obijcies secundo: Pater Æternus habet secundum identificatam generationem actiuam, ex vi cuius est actuale exercitium respectu Verbi; sed non est modus Verbi; ergo *falsum* est modum ex suis intrinsecis *esse actuale exercitium*. *Respondeo* modum per nos debere *esse actuale exercitium* rei quantum est de se impotentis, seu indifferentis ad aliquid. Porrò, quamuis Pater in diuinis identificet sibi generationem actiuam: quia tamen Verbum non est de se indifferens ad hoc vt generetur, vel non generetur á Patre, sed est maximè determinatum in actu secundo ad hoc: ideo respectu illius, actuali generationi actiuæ, quæ est identificata cum parte non competit definitio modi á nobis tradita, in quo sensu ad obiectionem concessa maiore, & minore: distinguendum est consequens: falsum est modum esse ex suis intrinsecis actuale exercitium tantum, concedo: rei quantum est de se indifferentis &c. nego consequentiam.

25 Obijcies tertiò multi existimant Angelos & animas rationales non per actionem diuinam creari à Deo, sed per propriam entitatem immediatè ab illo pendere, ergo ex suis intrinsecis sunt actuale exercitium respectu Dei potentis illos creare, & non creato: sed non sunt modi ipsius Dei, ergo falsa definitio tradita modi.

Re-

Respondeo Ouiedum loc. cit. num. 10. concedere entitatem V. G. calorem ex suis intrinsecis pendentem immediatè ab efficiente, & à subiecto respectu vtriusque habere rationem modi; iuxta cuius sententiam negandum videtur subsumptum, Angelos videlicet, & animas rationales, qui pendeant á Deo sine actione distincta, non esse modos Dei. Verum hoc asserere mihi videtur absurdum, & contra communem omnium existimationem, qui vniuersaliter docent creaturas respectu Dei non habere rationem modi, sed rei. Quare melius ad argumentum respondendum puto modum ita debere esse ex suis intrinsecis actuale exercitium respectu rei, cuius est modus, vt sit minimæ entitatis, hoc est, vt non habeat alia prædicata, ratione quorum præcisè acceptorum possit inter res absolutas, & ex se sufficientes existere, connumerari; quoniam verò si daretur calor ex suis intrinsecis pendens ab efficiente, & à subiecto, non esset minimæ entitatis, quatenus præter rationem actionis, & passionis sibi identificatam importaret rationem caloris, beneficio cuius, quantum est de se, posset inter res absolutas, & ex se sufficientes existere connumerari: hinc fit vt non esset censendus modus. Hoc ipso potiori iure censendum esset de angelo, & anima rationali, si per actionem creatiuam sibi identificatam crearentur à Deo; cum enim præter rationem actualis exercitij diuinæ omnipotentiæ, sibi vendicarent propriam essentiam, quæ secundum se considerata habet rationem perfectissimæ entitatis, atq; adeo absolutissimæ rei: per hoc præcisè sufficienter excluderentur á ratione modi. Porrò iuxta traditam doctrinam, concesso antecedente distingo consequens; ergo Angelus, & anima rationalis ex suis intrinsecis sunt actuale exercitium respectu Dei, ita vt nullum aliud prædicatum sibi essentiale habeat præter hoc, nego: ita vt habeant alia quoque prædicata, ratione quorum non possint dici esse minimæ entitatis, concedo consequentiam cum subsúpta, sed nego vltimam consequentiam.

26 Instabis: ex tradita doctrina deducitur, quod ille qui est modus respectu vnius non possit esse res respectu alterius, quia sic respectu huius alia prædicata illi competerent; sed hoc est absurdum: tum quia non implicat dari modum, qui sit virtus operatiua: tum etiam quia neque implicat, quod modus, qui est vnio inter hanc materiam, & hanc formam V. G. possit vniri alteri; ergo &c.

27 Respondeo: concessa sequela maioris, hoc enim ipso, quod aliquod positiuum minimæ entitatis sit ex suis intrinsecis actuale exercitiũ alicuius rei &c. censendum est modus, neque per hoc, quod nõ sit actuale exercitium respectu alicuius rei, respectu illius induit rationem rei, alioquin nihil firmum haberemus de natura modi, & rei: quare nego minorem argumenti, & ad priorem rationem dico de duplici virtute operatiua posse nobis esse sermonem loquendo de modo: altera est, quæ transcendit omne ens, cuiusmodi fortasse est virtus productiua specierum, & potentia obedientialis actiua, & vtramque concedo competere modo, quia cum procedat ab ente communissime sumpto, non extrahit illum à ratione minimæ entitatis; altera verò est peculiaris, & propria, & hanc nego non implicare, quod cõpetat modo, quia sic esset, & non esset modus: quatenus esset, & non esset minimæ entitatis. Ad posteriorem etiam eodem modo respõdeo: & siquidem hæc potentia ad vnendum se cum altero est transcendentalis, quemadmodum volunt illi, qui ita ponunt vbi distinctum, vt dicant omne ens per suum proprium vbi intrinsecum debere vbicare, concedo non repugnare, quod modus, qui est vnio inter hanc materiam, & hanc formam possit vniri, nempe huic, vel illi vbicationi, quia hoc non opponitur rationi minimæ entitatis: sin autem dicta potentia debet esse peculiaris, & propria modi, nego non repugnare, quod competat modo, quia sic non esset ex suis essentialibus actuale exercitium tantum, nec minimæ entitatis, sed quid reale positiuum, quod quantũ esset de se, posset per se. saltem diuinitus esse sine admiculo alterius, quod est contra rationem modi. Atque ex his rectè colligitur, quod si detur aliquis modus pendens á subiecto non ex intrinsecis suis, & per se ipsum, sed per dependentiam plusquam ratione à se distinctam, non repugnat eum posse diuinitus independenter á subiecto produci, ac cõseruari, quia hæc potentia transcendit per omne ens quod per dependentiam à se, nemine cogitante, distinctam à subiecto dependeret: quare sicuti hic modus per hoc, quod sit forma informans, non extrahitur à conceptu minimæ entitatis: ita neque per hoc, quod possit existere independenter á subiecto: Verũ tamen est, quod in tali casu non posset divelli, & separari à subiecto suo, siquidem debet necessario illud actu afficere, & informare, atque modificare; alioquin eius essentia non consisteret in actuali exercitio, ac modificatione subiectã, quod repugnat.

Obijcies quarto: non implicat modus indiuisibilis, qui terminum diuisibilem respiciat V. G. actio indiuisibilis, quæ lapidem V. G. palmarem producat, sed hic modus non esset actuale exercitium respectu totius lapidis; ergo male modus per actuale exercitium definitur. Maior videtur certa, præsertim in sententia illorum, qui vnionem inter animam rationalẽ, & corpus dicunt esse modum indiuisibilem, & aliorum, qui docent huiusmodi etiam esse vbicationem angelicam &c. Minor verò probatur: quia hic modus non vbicumque esset, produceret, vel conseruaret totum lapidem, sed in vna parte spatij produceret, vel conseruaret vnam partem, & in alia aliã; ergo per suam entitatem indiuisibilem nullibi esset actuale exercitium respectu totius lapidis. 28 29

Respondeo dupliciter intelligi posse modum indiuisibilem terminum diuisibilem respicere: primo, vt terminus ponatur indiuisibiliter existere. Secundo, vt ponatur existere diuisibiliter, ita vt secundum vnam partem correspõdeat vni parti loci: secundum verò aliam alteri parti; & primo quidem modo certum est

dictum modum non repugnare, quia iam haberet, vbicumque esset, terminum suum adæquatum, respectu cuius actuale exercitium esse supponitur, at verò si secundo modo ponatur, dubium est. Et quidem communis sententia docet, quod neque hoc pacto implicet, quam sequitur Hurtadus, dum secundo *de anima* sect. 3. putat defacto dari inter animam rationalem, & corpus vnionem, quæ sit modus indiuisibilis singulas corporis partes diuersis spatij partibus correspondentes: respiciens; contrà verò Comptonus *disput.* 13. *physica sect.* 5. existimat huiusmodi modum implicare propter rationē, quæ in obiectione tangitur; quam & ex illius mente proponerem: implicat quod modus sit alicubi, & ibi totam suam essentiam non habeat; sed si respiceret terminum indiuisibilem, diuisibiliter existentem, esset alicubi, & non haberet ibi totam suam essentiam; ergo talis modus implicat. Maior; & consequentia videtur certa. Minor verò probatur supponendo, quod essentia modi indiuisibilis respicientis lapidem palmarem V. G. diuisibiliter existentē sit actuale exercitium respectu totius palmi lapidis; sed existēs in spatio, in quo est primus semipalmus, non est in illo actuale exercitiū respectu secundi semipalmi, quia ibi non est secundus semipalmus. ergo iam hic modus esset alicubi, & non haberet ibi totā suam essentiā. Verum hæc ratio non mihi videtur efficax, supponit enim hunc talem modum posse adæquatè concipi secundum sua essentialia absque eo, quod concipiatur occupare spatium palmare, in quo est totus lapis, quod est omnino falsum; nam hoc ipso, quod est indiuisibilis, & lapidem palmarem respicit tanquam actuale exercitium productionis, vel conseruationis illius totius, implicat concipi secundum suam essentiam, & non concepi vt occupantem totum illud spatium. Quare ad argumentum distinguo maiorem: implicat, quod modus sit alicubi tanquam in spatio secundum totam suam essentiam ab illo respecto, & ibi totam suam essentiam non habeat, concedo: tanquam in spatio secundum suam essentiam inadæquatam respecto, nego; & sic distincta minore, nego Consequentiam. Ad minoris probationem, ad mitto suppositione maioris, distinguo minorem: existens in spatio, in quo est primus semipalmus, non est in illo actuale exercitium respectu secundi; & existens in dicto spatio habet ibi totam suam essentiam, nego; & non habet cōcedo; ac dico, quod quando actio illa vel vnio concipitur existere in primo semipalmo absque eo, quod concipiatur existere in secundo, si in rigore loquamur, non concipitur ipsa, sed alia, cuius essentia sit actuale exercitium productionis, vel conseruationis dicti semipalmi tantum; siquidem illa nostra ita exigit secundum suam essentiam respicere dictum semipalmum, vt impræscindibiliter exigat etiam concipi cum respectu ad alium semipalmum, & quia essentiæ rerum sunt indiuisibles, sicuti numeri: ideò hic modus est essentialiter diuersus ab illo, qui primum semipalmum solum respicit.

Neque obstat primo, quod dicta actio totū lapidem palmarem indiuisibiliter respiciens, prout est in spatio correspondente primo semipalmo, non sit actuale exercitium respectu secundi, quia neque homo prout *animal* est rationalis: neque prout substantia, est viuens. Quare ex hoc solum deducitur rationem exercitij respectu vtriusque partis esse per intellectum distinguibilem in duos conceptus *inadæquatos* vnam indiuisibilem actionis essentiam constituentes. 30

Neque iterum vrget, quod dictus modus sit indiuisibilis, atque adeò totus in toto, & totus in qualibet parte, quia hæc *totalitas*, quæ habetur in qualibet parte, non potest concipi absque eo, quod concipiatur totalitas eius in toto, hoc ipso, quod eius essentia adæquatè, & secundum omnia prædicata quidditatiua consideratur. Simile, quid debemus dicere de immensitate Dei, *qua ita est actuale exercitium replendi omnia spatia imaginaria*, vt sit indiuisibilis *in se ipsa; atque adeò, quod secundum* suam essentiam ita sit *in singulis partibus* spatij, vt impræscindibiliter concipi possit in vna, quin concipiatur in omnibus alijs. 35



DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIO QVINQVAGESIMA NONA

DE DEO QVANTVM AD AN SIT.

2 ALia diuisio principalis entis communissimè sumpti est illa, qua, vti supra innuimus, diuiditur in ens à se, & ens ab alio; & quidem nomine entis à se venit solus Deus, qui existit independenter ab omni alio. Nomine verò entis ab alio Creatura, quæ non potest habere existentiam, nisi sit dependens ab ipso Deo. De vtroque diuisionis membro aliqua in controuersiam adducemus, & prius de Deo quantum ad an sit in disputatione præsenti, & quantum ad, quid sit in sub sequenti, relictis reliquis quæstionibus, quæ possent fieri à Theologo.

SECTIO PRIMA.

An Deum esse sit per se notum.

9 PRæsens difficultas est eadem formalissimè cũ illa, quã alij sic proponunt: num hæc propositio Deus est, seù existit sit per se nota. Nomine enim propositionis non venit in hac cognitio, qua Deum existere iudicamus, quia cum hæc sit quædam notitia, improprie dici potest per se nota. Venit ergo obiectum propositionis mentalis, quod rectè dicitur propositio obiectiua, quæ idem prorsus est, ac Deum esse. De hac ergo veritate obiectiua quærimus 8 cum D. T. *prima parte quæst. secunda art. primo* num sit per se nota.

3 Pro decisione autem supponendum: hic non agi de quacumque notitia, sed de certa, & euidenti, neque de ea, quæ actu habeatur, sed quæ possit haberi; etiam si de huiusmodi veritate nullus intellectus actualiter cogitet. Dari enim aliquas veritates certo, & euidenter cognoscibiles indubitatum est: sicuti etiam, quod licet plures ex eis indigeant cognosci per aliud, hoc est per medium terminum à subiecto, & prædicato distinctum: nonnullæ tamen sunt, quæ ad terminandum intellectum ad sui assensum, non indigent distincto medio, sed ex sola apprehensione terminorum subiecti scilicet, & prædicati sunt aptæ determinare intellectum ad certo, & euidenter illis assentiendum; & quidem huiusmodi sunt veritates primorum principiorum: vt, Omne totum est maius sua parte; Quodlibet est, vel non est &c. Quæ quidem veritates dicuntur per se notæ, easque admittendas esse docet Aristoteles *quarto Metaph. tex. 9.* illis verbis. Etenim impossibile est omnium esse demonstrationem, in infinitũ namque procederetur.

4 Supponendum secũdo: dupliciter posse apprehendi veritatem aliquam esse indemonstrabilem primo à priori, qua, scilicet, non est alia prior, quæ contineat medium à priori ad illam suadendam. Secundo à posteriori, qua scilicet non sit alia posterior, quæ includat medium à posteriori. Porrò ad rationem veritatis per se notæ sufficit, quod non sit demonstrabilis à priori: quid quid sit, si á posteriori valeat demonstrari. Cuius rei ratio est, quia hoc ipso, quod est demonstrabilis à priori, prædicatum non in est immediatè subiecto, sed mediatè, & sic non est nota, seù cognoscibilis per se, sed per aliud. At per hoc, quod aliqua propositio sit demonstrabilis à posteriori, solum deducitur, quod habeat causam extrinsecam, & incognoscendo, quæ non derogat immediatæ connexioni prædicati cum subiecto. Ex quibus deducitur rectè describi veritatem per se notam esse illã cuius subiectum est necessariò, & immediatè connexum cum prædicato.

Supponendum denique tertio: veritatem per se notam rectè diuidi in per se notam secundum se tantum: & in per se notam etiam quo ad nos. 5
Hæ veritas est per se nota secundum se tantum, cuius prædicatũ necessario, & immediatè quidem conuenit subiecto, sed huiusmodi conuenientia non penetratur ab intellectu nostro; cõtra verò si penetretur, erit per se nota etiam quo ad nos. Atque hic notarem quod, cum hæc diuisio sit respectiua, potest euenire, vt eadem veritas respectu aliquorum intellectuum, qui eius immediatam, & necessariam connexionem non penetrant dicatur per se nota, quo ad se tantum. Respectu verò aliorum propter contrariam rationem erit nota quo ad illos. His prænotatis; in præsenti sectione, vtrum Deum esse, sit per se notum, examinabis; & posito, quod sit; in sequenti, vtrum sit etiam per se notum quo ad nos.

Vnica Conclusio Deum esse: est per se notum: ita D. T. *loco citato*.

Probatur argumento, quo vtitur idem S. D. 6
omnis propositio, in qua prædicatum est de essentia, & quidditate subiecti est per se nota; sed in hac propositione: Deus est, prædicatum est de essentia, & quidditate subiecti. ergo hæc propositio, Deus est, est per se nota. Maior patet ex dictis, quia propositio per se nota est illa cuius præ-

Digitized by Google

ius prædicatum necessario, & immediatè competit subiecto; sed propositio, in qua prædicatum est de essentia, & quidditate subiecti, habet prædicatum necessariò, & immediatè competens subiecto. ergo &c. Vbi aduerte falsò aliquos impingere D. T. eum nollam aliam propositionem per se notam agnoscere, nisi illam, in qua prædicatum est de essentia subiecti: aliud enim est assumere, quod huiusmodi propositio sit talis: aliud verò, quod nulla alia possit esse talis. Porrò S. D. loquutus est in primo sensu, quia hic erat sufficientissimus ad concludendum intentum, vt de se patet. Cæterum non negauit omnem illam propositionem, in qua prima passio de subiecto prædicatur, & secunda de prima, esse indemonstrabilé á priori, atque adeò per se notam. Atque hæc pro maiori nostri argumenti. Minor verò, in qua subsumebamus existentiam esse de essentia Dei, videtur certa, quia existere Deo essentialiter, conuenit, quatenus eius essentia importat formaliter rationem entis à se. Verum contra hanc minorem arguit Scotus, quia licet existere sit de essentia Dei, vt est in se, sicuti videtur à Beatis; non tamen est de eius essentia prout concipitur à nobis nescientibus quidditatem Dei, prout est in se. ergo licet in ordine ad Beatos prædicatum huius propositionis sit de ratione subiecti: non tamen in ordine ad nos, & sic propositio illa erit quidem per se nota, prout formatur à Beatis: non verò prout formatur à nobis. Antecedens patet, quia Deus non concipitur à nobis, prout est in se, sed per modá creaturæ. Consequétia verò suadetur: quia existentia non est de ratione, & essentia creaturæ.

7 Hæc tamen difficultas facile dissoluitur, si attendamus intellectum viatoris non posse cognoscere Deum, sicuti est in se, sed ad modum rei corporeæ V. G. Sensis, vel luminis &c. Et sic in concipiendo illum vti speciebus rerum sensibilium, atque adeò habere semper duo obiecta, vnum proximum, & immediatum, cuius dictæ species propriæ sunt, alterum remotum, & vltimatum, ad quod cognoscendum, & repræsentandum illis vtitur speciebus; & earum obiectum materiale V. G. Sensem, vel lumen eius loco substituit. Diligenter tamen notandum est, quod propositiones, quas de Deo format, non verificentur de obiecto immediato, quod sibi repræsentat, & substituit, sed de mediato, ad quod repræsentandum, obiectum immediatum substituitur. Quo posito respondeo ad argumentum negando antecedens: existentiam videlicet non esse de quidditate Dei, prout concipitur à nobis. Et ad eius probationem dico, quod licet in hac propositione, Deus est, cócipiatur à nobis quid creatum tanquam immediatum obiectum, quia tamen hoc supponit pro mediato, quod est Deus, vt est in se, quod est omnino idem cum eo, quod á Beatis cognoscitur; hinc fit, vt, sicuti existere est de essétia Dei, prout videtur à Beatis, ita, & prout cognoscitur à nobis. Quamuis enim non sit de essentia creaturæ, quæ in eo cognoscendo substituitur: sufficit, quod sit de essentia Dei, à qua propositionis veritas mensuratur. Alioquin hæ, & similes propositiones: Deus est ens á se, est actus purus, &c. falsæ essent, quod nemo dixerit.

8 Obijcies: existentia est demonstrabilis de Deo à priori. ergo Deum existere non est per se notum. Consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur, quia existentia demonstrari potest de Deo per hoc, quod Deus est ens à se. Sed esse ens à se: hoc ipso, quod importat essentiam Dei, est quid prius ipsa existentia. ergo &c. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem data maiore, nego minorem; dico enim, ens à se formalissimè importare existentiam, atque adeò non esse in Deo conceptibiliter quid prius ipsa; alioqui existentia se haberet, vt quid accidentarium respectu Dei, & sic Deus non esset essentialiter id, quod est contra sensum Patrú explicantium verba illa: Ego sum, qui sum. Dixi, transeat, ad maiorem, in qua assumebatur existentiam demonstrari posse de Deo per hoc, quod Deus sit ens à se, quia datur duplex demonstratio: alia declaratiua terminorum, vt si quis demonstraret à priori hominem esse animal rationale, quia hæc est definitio eius: alia verè illatiua. Prior non cadit in quæstionem: quia pertinet ad Logicos, & est veluti explicatio nominis; posterior verò est de re, & pertinet ad casum nostrum. Porrò existentia potest demonstrari de Deo per ens à se declarádo quid formaliter importet ens à se: non autè illatiuè deducendo vnum ex alio, sicuti requirit vera, & propria demonstratio propter quid.

SECTIO SECVNDA.

An Deum esse sit per se notum etiá quo ad nos.

9 PRo resolutione difficultatis sciendum dupliciter propositionem aliquam posse dici per se notam etiam quo ad nos: Primo quo ad omnes, quot quot sumus in mundo, qui de ea cogitamus. Secundo quo ad aliquos tantum, qui in casu nostro possunt esse sapiétes. Quo posito sit

Prima Conclusio Deum esse est per se notú, quo ad se tantum, non autem, quo ad omnes. Est D. T. Et communis contra Abulensem in cap. 5. Exodi, & Lyranum ibi, quibus videntur fauere Bonauentura, Anselmus, & pauci alij.

Probatur primo assertio nostra: Illa propositio, ad cuius assensum intellectus noster ex defectu sui non potest determinari ex pura veritate incomplexa terminorum, pro vt illi repræsentatur, licet sit per sè nota quo ad se, non est tamen per se nota quo ad omnes. sed ad assentiendum huic propositioni (Deus est) intellectus humanus secundum se spectatus ex defectu sui nequit determinari ex pura veritate incomplexa terminorum. ergo hæc propositio, Deus est, est per se nota quo ad sè tantum, non autem etiá quo ad omnes nos. Maior patet ex dictis, quia illa propositio, ad cuius assensum intellectus noster non ex defectu sui, sed ex natura terminorum illius non potest determinari ex incomplexa eorum veritate, non est per se nota, sed per aliud; ergo &c. Minor probatur: quia termini huius propositionis (Deus est) sunt Deus, & existentia. & quidem, quod ex pura veritate

Digitized by Google

veritate incomplexa existentiæ intellectus noster determinari nequeat ad assentiendum dictæ propositioni, est luce clarius; quantumuis enim recte noscat, quid sit existentia, & eius rationem penetret, non potest ex vi illius nullo adhibito alio medio, determinari ad assensum euidentem, quod Deus sit. Quod verò neque possit ex pura veritate incomplexa Dei suadetur, supponendo nos in hac vita multas habere posse cognitiones naturales de Deo, quantum ad quid est, nimirum, quod sit primum rerum omnium efficiens, & vltimus illarum finis, sit id, quo nihil melius excogitari potest, sit ens à se, & similes. quo posito sic arguo: nulla ex his cognitionibus est sufficiens ad determinandum intellectum, quod Deus existat; nam dari primum omnium efficiens, & vltimum finem &c. non nisi per discursum à posteriori nobis innotescere potest.

11 Probatur secundo: multi existimarunt Deum non esse. ergo Deum esse non est per se omnibus notum. Consequentia valet, quia nequit intellectus aliquis assentiri Contradictoriæ propositioni per se notæ omnibus, atque adeo sibi ipsi, quia sic assentiri posset duobus Contradictorijs, & per consequens falso, cognito vt falso, quod implicat. Antecedens vero præter quam constet ex multis Ethnicis Philosophis, & ex Atheis nostrorum temporum: suadetur ex verbis Psalmi 13. dixit insipiens in Corde suo non est 12 Deus. Quem quidem scripturæ locum licet aduersarij varijs explicationibus eludere conentur: est tamen adeo euidens, vt omnes illas improbabiles reddat. Quod, vt consideranti pateat, explicationes singulas confutare minimè grauabor.

Et quidem non potest dici primo cum aliquibus, quod impius Deum negauerit ore tantum, 12 non verò mente. Etenim expresse asseritur à Psalmista, eum in corde suo hæc blasphemia protuliſſe. Neque secundo cum alijs, quod tantum affectiuè, hoc est voluntate, & non intellectu id præsiterit, quatenus voluit viuere, tanquam Deus non esset. Etenim dicere, est propriè actus intellectus, & non voluntatis. Vnde Patres apud Suarez *de Trinit. lib. primo cap. 9.* & Ruiz *disp. 60. sect. prima* docent Verbum produci per actum dicendi, atque adeo per intellectionem; sed David asserit impium dixisse non esse Deum. ergo vis inferri textui illum de actu voluntatis explicare? Neque tertio dici potest 13 cum alijs: Impium tunc non habuisse in mente veram significationem huius vocis (Deus) quibus videntur fauere Augustinus *serm. 10. De Verbis Domini*, qui vertit, dixit stultus, eo quod nomen tantū Dei exterius vsurpabat, quid verò significaret, penitus nesciebat: Etenim si hoc verum esset, talis homo dicendo non est Deus, nō peccasset peccato infidelitatis; se hoc præter, quam quod sit contra omnes interpretes, est etiam contra ipsum Dauid, qui hoc solo nomine illum impium appellat. ergo &c. Neque dici potest quarto cum, qui dixit non esse Deum, percepisse quidem, quid vox, Deus, significaret, sed propositionem illam apprehendisse tantum non affirmasse: contradictionem autem propositionis per se notæ apprehendi quidem posse sine absurdo, non verò affirmari. Etenim contra hoc militat ratio modo à nobis adducta; Nam sic nullo modo hic homo peccasset; sicuti neque defactò peccauit ipse Dauid, quando asserit eum dixisse: Deum non esse. Id enim asseri non posset, absque eo, quod apprehendatur negatio Dei. Cum igitur ille peccauerit, dicendum consequenter, quod non per solam apprehensionem, sed per assensum in eiusmodi propositionem protulerit. Neque responderi potest quinto, quod licet cum assensu impius id cogitauerit, nō habuit tamen perfectam Dei intelligentiam, sed imperfectam, & rudem, qualis non erat sufficiens ad repræsentandum Deum, sicuti necesse est, vt inducat euidentiam quod existat; etenim, vt propositio aliqua sit nobis per se nota, solum requiritur, vt eius termini secundum confusam notitiam, quam communiter ingenerare hominibus solent, apti sint determinare intellectum nostrum ad præstandum illi assensum; aliter si exigeretur perfecta illorum penetratio, nulla daretur propositio per se nota quo ad se, quæ non esset talis etiam quo ad nos. Siquidem impossibile est, vt intellectus benè dispositus, alicuius propositionis necessariæ, & immediatæ terminos perfectè cognoscat: quin illi certo assentiatur, vt de se patet. Atqui constat multas dari propositiones per se notas quo ad se, & non quo ad nos. ergo quamuis impius ille non habuerit perfectam Dei notitiam, non tollitur, quin dicta propositio non sit per se nota quo ad se tantum, & non quo ad nos.

Neque denique responderi potest sexto posse 13 propositionem aliquam dici per se notam quo ad nos, non obstante, quod vnus, aut alter illi non assentiatur, vt patet ex Epicuro, qui Tullio primo de natura Deorum, negauit illam: Quodlibet est, vel non est, & ex alijs, qui negarunt illam aliam: Totum est maius sua parte: quas quidem propositiones omnes concedunt esse per se notas quo ad nos; Etenim implicat affirmatiuam vniuersalem esse veram, stante veritate negatiuæ particularis oppositæ, aliter ambæ propositiones contradictoriæ essent veræ, quod repugnat. Si igitur stat veritas particularis negatiuæ, alicui non esse per se notum Deum existere, repugnat veram esse vniuersalem affirmatiuam, quæ dicit Deum existere est omnibus per se notum. Liquido cos qui negarunt esse Deum, non fuisse vnum, aut alterum, sed quam plures, imo quos integros populos, & regna ab Historijs numeratur. Quod verò ad illas duas propositiones attinet, quas aduersarij dicunt esse per se notas omnibus, & tamen ab aliquo negatas fuisse. Responderemus in illo sensu, in quo censent esse omnibus per se notas, à nemine negari potuisse; sed implicat, in quo non sunt tales; ad quod explicandum dico principium illud: Quodlibet est, vel non est posse tamen dupliciter, primo cum constantia subiecti, secundo sine cōstantia illius, & in primo, quidem sensu à nemine posse negari; benè tamen posse in secundo, vt patet ex hac: Antichristus nunc, vel habet priuationem gratiæ, vel non habet; non primū, quia nunc non est inimicus Deo: neque secundum, quia nunc non habet gratiam, nam idem

est non

Digitized by Google

est non habere priuationem gratiæ, ac habere gratiam, si verum est vniuersaliter, quod quodlibet, aut est, aut non est; eodem modo aio: illud aliud principium: Omne totum, est maius sua parte, posse etiam dupliciter sumi primo, vt loquatur de toto finito tantum. Secundo de toto siue finito, siue infinito, & in primo, quidem sensu esse per se notum, quo ad omnes, & à nemine posse negari, quia totum finitum dicit excessum in plus, & eius pars defectum in minus: at in secundo sensu non item, quia cum vnum infinitum non sit maius alio: hoc ipso, quod pars infiniti est infinita non sequitur quod sit minor eo, cuius est pars: quo posito dico eos, qui huiusmodi prima principia negarunt non in primo, sed in secundo sese ea vsurpasse; falsũ igitur est, quod aliqua propositio per se nota, quo ad nos, quatenus talis, possit ab aliquo negari, quod erat probandum.

84 Secunda Conclusio Deum esse neque, quo ad sapientes est per se notum, est expressa sententia D. T. qui vbique intuitiuam cognitionem Dei in homine requirit, vt sit illi per se nota dicta propositio. Vndè *lib. 3. de Trinit.* Super Boetium *art. tertio ad sextum* hæc habet: Deum esse, quantum est ex se, est per se notum, non autem nobis, qui eius essentiam non videmus. Idem tenet Scotus, & alij communiter. Contra AEgidium, Argentinam, & paucos alios.

85 Probatur: quia Deum esse importat existentiam exercitam, quod nimirum Deus sit defactò à parte rei, sed nulla cognitio, quæ naturaliter haberi potest à sapientibus in præsenti vita de Deo, est sufficiens determinare eorum intellectum ad affirmandum, quod Deus defactò existat. ergo Deum esse, neque quo ad sapientes, est per se notum. Consequentia claret, &. Maior explicatur, quia existentia dupliciter affirmari potest de aliquo subiecto: signatè, & exercitè. Iam, vt intellectui sapientis, sit per se notum Deum esse, conceptus, quem de Deo format non debet solum signatè, sed etiam exercitè existentiam illi tribuere. Minor verò suadetur, quia conceptus quos sapientes explicitè formare de Deo consueuerunt, sunt, quod sit ens, quo melius ex cogitari non potest. Sit actus purus, sit ens independens, & similes, de quibus supra. Sed hi conceptus important, quidem explicitè existentiam non exercitam, sed solum signatam, quia ostendunt solum non esse possibile huiusmodi ens, quin defactò existat: non autem illud esse defactò possibile, & sic existere. ergo nulla cognitio, quæ haberi potest à sapientibus in præsenti vita de Deo, est sufficiens determinare eorum intellectum ad affirmandum, quod defactò Deus existat. Ex quo rectè deducitur per solum conceptum quidditatiuum Dei, quem in patria habent beati determinari posse intellectum immediatè, hoc est, nullo precedẽte discursu ad euidenter huiusmodi veritati assentiendum.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiecta.

16 CONtra priorem Conclusionem in qua dicebamus Deum non esse per se notum, quo ad omnes nos, Obijcies primo Patres quos adducit. Fasolus *qu. prima art. secundo à num. nono* asserentes cognitionem veritatis, quod Deus sit, omnibus nobis naturaliter, & necessariò inesse idemque affirmat Tullius *lib. primo* de natura Deorum. ergo hæc veritas, est per se nota omnibus. Consequentia suadetur, quia illæ veritates sunt nobis per se notæ, quarum cognitiones insunt nobis naturaliter, & necessariò, non verò per discursum. Respondent aliqui: cognitionem, quod Deus sit, id circo dici à Patribus, & alijs Philosophis naturaliter, & necessariò nobis inesse, quia ab ineunte ætate à parentibus nostris edocti sine discursu aliquo, Deum inuocare consueuimus; quæ autem sic didicimus naturalia nobis, & necessaria esse dicere solemus; qua posita explicatione antecedentis, negant consequentiam; & ad eius probationem dicũt illas veritates esse nobis per se notas quarum cognitiones euidentes insunt nobis naturaliter, & necessariò sine discursu, non verò quarũ cognitiones ineuidentes formantur à nobis in fide parentum.

17 Verum contra hanc responsionem facit, quia plus videtur significare Tullius *loco citato* vbi Epicurum laudans: solus, inquit, vidit, primum esse Deos, quod in omnium animis eorum notiones impressisset ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandã Deorum? &c. Quare melius respondendum videtur naturaliter, & necessariò nos habere cognitionem, quod Deus sit, non quidem immediatè, sed mediatè, eo quod in nobis ipsis principia Deum cognoscendi habemus, dum experimur nos esse in rerũ natura, & non à nobis; in quo sensu S. Basilius explicans illud Psalmi 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: hoc est ex ijs (inquit) quæ sunt in me, non minus, quam ex constructione Cæloru, & vniuersi fabrica scientiã de tui existentia cõcipio. Porrò veritas cuius cognitio sic naturaliter, & necessariò inest, cum non sit sine discursu, & sine diuerso medio ab extremis non potest dici nobis per se nota.

Obijcies secundo: D.T. *prima 2. quæst. 89. art. vltimo in Corp.* docet omnes in primo instãti vsus rationis teneri se ad Deum conuertere. Sed nisi Deum esse, esset omnibus per se notum, id esset falsum. Nam præire deberet huius veritatis demonstratio, quam non omnes in ea ætate percipiunt. ergo &c. Respondeo sententiam illam Sancti Doctoris non esse intelligendam absolutè, & sine vlla limitatione; sed posito, quod pueri, quando perueniunt ad illud primum instans habeant sufficientem de Deo notitiam, saltem per parentum institutionem, & doctrinam; qua posita explicatione, nego minorẽ, & ad eius probationẽ, nego ad inducẽdã dictã obligationẽ requiri necessariò demonstrationem, quod Deus sit.

Obij-

19 bona, &c. Tertiò nonne Deus ignoraret eos, quos
aliquis melius excogitari potest? sed huiusmodi
eius importet existentiam; siquidem melius est
existere, quam non existere: ergo per se no-
tum non est Deo competere existentiam? Re-
spondeo, nonnullos negare maiorem, cuius
falsitatem fundunt ex eo, quod quidam Deum
20 putauerint esse corporeum. Verum hæc ratio
non urget; dici enim potest eos ideò id putas-
se quia nihil spirituale possibile esse existima-
bant. Quare melius cum D. T. *prima parte qu.*
2. art. primo ad secundum, data maiore distin-
guo minorem: hoc ens importat existentiam
cognitam in apprehensione intellectus, conce-
do: existentiam, nego minorem, & ita distin-
guo consequens: est per se notum omnibus Deo
competere existentiam, sigillatim concedo: exer-
citam, nego consequentiam. Nec enim aliunde
probetur dari ens, quo melius excogitari non
possit: tunquā potenter euidenter constare, quod
exercite Deo competat existentia.

20 Obijcies quarto: est per se omnibus notum
dari multa bona, item dari multas veritates,
nec non etiam multa principia: ergo erit etiā
per se omnibus notum dari bonum optimum,
dari primam veritatem, & primum rerum om-
nium principium. Respondeo concesso ante-
cedente, negando consequentiam; dico enim
quod sicuti quidam non agnoscunt infinitatem
possibilem in rebus creatis: ita possunt dicere
non dari optimum, & sicuti ita quidam com-
muniter negamus dari primam partem: ita
potest ab intellectu nullo medio coacto negari
dari primam veritatem, & primū rerū omni-
um principium. At propositio per se nota respectu
omnium à nullo negari potest.

21 Obijcies quinto: per se notum dicitur rela-
tiuè ad intellectum. ergo implicat Deum esse
per se notum, quin sit per se notum intelle-
ctuali substantiæ, cuiusmodi nos sumus. Re-
spondeo distinguendo antecedens: per se notum
dicitur relatiuè ad intellectum aliquem, con-
cedo; ad quemcumque intellectum, nego an-
tecedens, & consequentiam. Vt enim saluetur,
quod aliqua propositio sit per se nota, non est
necesse, vt omnis intellectus, apprehensis eius
terminis, sine alio medio illi assentiatur, sed sa-
tis est, si id præstetur ab aliquo intellectu, cu-
iusmodi in casu nostro est solus ille, qui Deum
saluetur.

22 Instabis: Intellectus viatoris cognoscit De-
um existere esse veritatem per se notam se-
cundum se. ergo hæc veritas iam est illi per
se nota. Respondeo concesso antecedente, ne-
gando consequentiam. Ratio negationis est,
quia vt noster intellectus veniat in cognitio-
nem, quod (Deum existere) sit veritas per se
nota secundum se, vtitur medio demonstratiuo,
quo probet existentiam esse de ratione, & quidditate Dei. Porrò eo ipso, quod dicta ve-
ritas debet esse per se nota quo ad nos, repu-
gnat nos dicto medio vti.

23 Obijcies sexto: omnibus per se notum est:
Deum esse colendum. ergo omnibus per se no-
tum est Deum esse. Antecedens patet ex Ari-
stotele *primo Topic. cap. nono* vbi ait eos, qui
dubitant honorandos esse Deos, non ratione eos
sed pœna indigere. Consequentia verò proban-
tur, quia hæc propositio: Deus est colendus, vi
habet imbibitā hanc aliam: Deus existit. Re-
spondeo distinguendo quæ per se nota omnibus
per se nota est: Deum esse colendum, ex suppo-
sitione, quod sit, concedo; absolutè, & nulla
facta suppositione, nego antecedens, & con-
sequentiam. Ad probationem antecedentis dico:
Philosophum rectè id allequisse, quia qui ne-
gant Deum esse colendum, non possunt per prin-
cipia sibi innata non cognoscere, quod existat. Per quæ patet responsio ad probationem
consequentiæ, dico eam propositionem illam, 24
Deus est colendus, habere imbibitam hanc
aliam: Deus existit, quia eam supponit aliun-
de cognitam, & nomen Dei vsurpat, prout
figit Deum iam demonstratum existere,
atque adeò eius existentiam, vt inuestigatam
per discursum. Contra posteriorem Conclu-
sionem, in qua dicebamus Deum existere, ne-
que quo ad sapientes esse per se notum.

Obijcies octauo: propositio, Deus est, ap- 24
pud sapientes enunciat de Deo existentiam;
facta hypothesi, quod Dei essentia sit rea-
lis, & non fictitia: sed sic dicta propositio est
per se nota ex terminis quoad sapientes. er-
go &c. Minor patet, quia nomine Dei apud
sapientes, venit perfectissimum excogitabi-
le, sed ens actuale est perfectius, quam me-
rè possibile. ergo facta hypothesi, quod Dei es-
sentia sit realis, Deum existere, est per se
notum quo ad sapientes. Maior verò proba-
tur: tum quia in quæstione (an sit aliquid)
supponi solet realitas essentiæ eius, & non pro-
bari: tum etiam, quia in essentia summè per-
fecta nulla apparet repugnantia. ergo saltem
negatiuè suam realitatem demonstrat.

Respondeo primo: negando maiorem dico 25
enim hanc, Deus est, debere sumi, apud sa-
pientes, prout realitatem, & existentiam in-
uoluit. Ad priorem probationem in contrariū
distinguo antecedens: in quæstione (an sit
aliquid) supponitur realitas, & non probatur,
posito, quod realitas essentialiter existentiam
exercitam non includat, concedo; si essentia-
liter illam includit, vt habetur in casu nostro,
nego. Ad posteriorem verò aio non apparere
in essentia summe perfecta repugnantiam, non
sufficere ad reddendam propositionem, quæ de
ea enunciat existentiam exercitam per se no-
tam ei, cui dicta repugnantia non apparet:
nam semper suspicari potest: num ipsum
lateat, quandiu non distinctè illam essentiam
cognoscit.

Respondeo secundo: data maiore, negando 26
minorem; quotiescumque enim subiectum ali-
cuiuius propositionis est terminus complexus
non potest esse illa propositio alicui per se no-
ta, quin sit eidem per se nota complexio ter-
minorum simplicium, quos subiectum includit;
siquidem notitia connexionis prædicati cum
subiecto pendet à connexione, quam subiecti
partes inter se habeant, vt de se patet. ergo
si in hac propositione, Deus est, subiectum,
nempè Deus, est terminus complexus impor-

Digitized by Google

tans perfectissimam essentiam, & realitatem, hoc ipso, quod non est per se notum sapientibus huiusmodi essentiam esse realem, & non fictitiam, sed indigent medio ad id sibi suadendum: neque erit illis per se notum, Deum existere; quia illa propositio est per se nota alicui, cuius termini per simplicem apprehensionem ab eo cogniti, & inuicem collati, eius determinant intellectum ad assensum; hoc autem non habet propositio, Deus est, cuius subiectum includit essentiam perfectissimam realitatem habentem, quamuis antecedenter probatam.

27 Obijcies nono: illa propositio, cuius oppositum ne cogitari quidē á sapientibus potest, est illis per se nota: sed talis est hæc, Deus existit: ergo &c. Maior patet, quia non ob aliud non potest excogitari oppositum alicui propositioni, nisi quia ex ipsis terminis veritas vnius, & falsitas alterius innotescit. Minor verò probatur, quia sapientes Dei nomine intelligunt id, quo maius excogitari non potest, sed quod est huiusmodi implicat, quin intelligatur existere in actu exercito. ergo &c. Respondeo concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico, quod quamuis implicet perfectissimum excogitabile posse sine existentia exercita excogitari: quia tamen, quandiù sapiens non habet medium demonstratiuum, quo determinetur ad iudicandum dari á parte rei huiusmodi perfectissimum excogitabile; semper dubitare potest: num dicta existentia, quam cum vltimo, & actuali exercitio in eo concipit, in solo intellectu sistat: hinc fit vt sēper summum excogitabile, quantum est ex vi veritatis incomplexæ terminorum, non nisi cū existentia signata concipere possit.

28 Instabis: apprehendenti quid sit incorporeum, est per se notum, quod non sit in loco circumscriptiuè. ergo apprehendenti perfectissimum excogitabile est per se notum, quod non careat existentia. Respondeo ad Antecedens, apprehendenti quid sit incorporeum, dupliciter potest repræsentari dictum incorporeum: primo secundum suam essentiam cum præcisione ab eo, quod existat, vel non existat; secundo secundum suam essentiam positam á parte rei. Si primo modo, nego ei per se notum esse, quod non sit in loco circumscriptiuè in actu exercito, quia exercitium hoc eius existentiam importat; concedo autem esse illi per se notum hoc in actu signato; quatenus cognoscit, quod si existeret, repugnaret illi esse in loco circumscriptiuè. Sin autem secundo modo repræsentetur ei incorporeum, concedo illi per se notum esse, quod in actu exercito non sit in loco circumscriptiuè; sic distincto antecedente, distinguo eodem modo consequens: ergo apprehendenti perfectissimum excogitabile, vt quid reale, per se notū est, quod non careat existentia exercitè: hoc est, quod illam defactò habeat, concedo; apprehendenti perfectissimum excogitabile secundum se cum præcisione ab eo, quod sit reale, vel non, per se notum est, quod non careat existentia, subdistinguo, quod non careat existentia in actu signato concedo, in actu exercito; hoc est, quod illam defactò habeat, nego consequentiā; sed quemadmodum nobis non potest esse absolutè per se notum, dari ens incorporeum: ita neque perfectissimum excogitabile esse quid reale; sed vtrumque per discursum, & per medium ab extremis distinctum nobis constet necesse est.

29 Obijcies decimo: per se notum est sapienti, quod ipse sit creatura. ergo per se illi notum est, quod existat eius creator. Antecedens patet, quia per se illi notum est, quod existat, & quod non existat à se, sed ab alio. ergo, quod sit creatura. Consequentia suadetur: tū, quia cui per se notum est aliquid, per se etiam nota sunt illa, sine quibus illud cognosci non potest; sed creatura cum importet terminatiuū Deum, nequit sine illo cognosci. ergo &c. Respondeo Antecedens esse falsum, quia nomen creaturæ impositum est, supposita demonstratione fūdata in eo principio vniuersalissimo omne, quod est, vel est á se, vel ab alio; & sic veritas significata tali nomine fuit á nobis investigata per discursum eo, quod non habemus notitiam intuitiuam nostræ dependentiæ à Deo. Sed dato antecedente, ad huc neganda est consequentia cū sua probatione: dico enim, quod quamuis, cui per se notum est aliquid, ea, sine quibus illud cognosci nequit, nota sint illi per se, hoc est non per accidens, & contingenter, quia pertinent ad illud aliquid cognoscendum: non sunt tamen illi nota per se, hoc est, immediatè, quia cognoscit illa dependenter ab eo, quod supponitur per se sine medio cognosci. Quoniam verò sapiens per suum esse, & per suam existentiam venit in cognitionem existentiæ Dei, hinc fit, vt Deum esse non sit illi notum ex terminis, quamuis ad cognitionem existentiæ ipsius sapientis per se pertineat, quia id mediante propria existētia cognoscit.

SECTIO QVARTA.

An Deum esse sit demonstrabile à posteriori.

30 EX dictis constat existentiam Dei ita esse per se notam quo ad se: vt non sit etiam per se nota quo ad nos: videndū nūc num possit esse nobis nota per aliud, hoc est per medium ab extremis distinctum, & quia agimus de notitia certa, & euidenti: præsens quæstio procedit solum de medio demonstratiuo, non quidem á priori, quod parit demonstrationem propter quid, aliter Deum esse non esset per se notum quo ad se, sed á posteriori, quod sibi vendicat demonstratio, quia.

31 Cōclusio est affirmatiua: puto enim Dei existentiam demonstrabilem esse per *veram*, & propriam demonstrationem *Metaphysicā*. Est communis contra Gabrielem, *Aliacensem*, Bassolum, Maiorem, *Carthusianum*, & nonnullos alios, quorum opinionem D. T. de veritate *quæst.* 10. *art.* 12. dicit esse manifestè falsam, & primo contra gentes *cap.* 12. appellat errorem. Multi verò Theologi dignam esse censura

censura existimant. Suarez denique *primo parte lib. primo* de essentia Dei *cap. primo* cū alijs esse contra fidem.

32 Probatur primo nostra essentiæ ex scripturis. Sapientiæ enim 13. dicitur: vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex. Vbi tria perpendo primo non de omnibus hominibus vanitatem à Sancto Spiritu affirmari, sed de his, in quibus non subest scientia Dei: secundo hanc scientiam esse demonstrationem à posteriori, de qua in Conclusione loquimur, quod suaderur ex Verbis sequentibus, quibus dicitur ideò illos Dei scientiā carpisse, quia ex visibilibus creaturis, quæ sunt opera artefacta Dei non potuerunt venire in cognitionem artificis nempè ipsius Dei; tertio denique perpendo impotentiam, quam huiusmodi homines habuisse dicitur, non fuisse antecedentem, & inculpabilem, sed consequentem, & culpabilem, ortam nimirum ex vitijs in his occupationibus vanis, quibus ad alia culpabiliter diuertebantur; quod constat tum ex præcedentibus verbis, in quibus huiusmodi homines arguuntur, vt vani: tum ex consequentibus in quibus redarguuntur sic: A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter potest creator horum videri: ergo quod non potuerint de facto, culpabiliter crimiuntur. Idem constat ex c. 1. Epist. ad Romanos, vbi Apostolus loquens de Gentilibus Philosophis, quod, inquit, notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim Dei à creatura, quæ facta sunt intellectu conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas &c. Quæ vltima verba S. Hyeronimus expendens Tantum, inquit, intellecta sunt, vt conspecta dicantur, & Augustinus *tract. 1. in Ioann.* Deus, inquit, potest inueniri per creaturam, euidenter dicente Apostolo, Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellectu conspiciuntur. Ex his autem duabus Scripturæ locis sic licet argumentari. Creaturarum cognitio inducit in cognitionem scientificam, hoc est certam, & euidentem cognitionem Dei: ergo &c. Sed huiusmodi Dei cognitio est demonstratio à posteriori. ergo Deum esse, est nobis demonstrabile à posteriori, quod erat probandum. Minor patet, quia ista cognitio fit per effectum. ergo est demonstratio à posteriori. Maior verò suadetur, quia scriptura appellat cognitionem Dei ex creaturis Dei scientiam, visionem, manifestationem, & intellectus conspectionem, vt videmus. Sed hæc important scientificam, hoc est, certam, & euidentem cognitionem Dei. ergo &c.

33 Dices primo etiam cognitionem inuidentem in scripturis aliquando scientiam, visionem, & manifestationem appellari. ergo ex scripturis non constat Deum existere esse demonstrabile. Consequentia patet. Antecedens probatur in Ioann. 8. Habetur, Nemo scitis, forsitan &c. Patrem meum scitis &c. Philippe, qui vidit me, videt & Patrem meum. & denique apud Pater manifestat nomen suum hominibus, sed in his locis voces scindi, videndi, & manifestandi important cognitionem fidei, quæ est inuidens, & obscura, ergo &c.

Respondeo Regulam Augustini *tom. 1. lib. 2. de Gen. contra Manich.* à Theologis vnanimi consensu receptam, esse scripturam verba semper explicanda esse in propria significatione, quandiu possunt, & non debere sumi impropriè, nisi quando aliquid propriæ significationi obstaret. Alioquin nullum esset scripturæ Verbum adeò clarum, quod ad impropriam significationem detorqueri non posset. Quoniā verò dicta verba scindi, videndi, & manifestandi in textibus à nobis adductis nil obstat, quin propriè explicentur, quia in ijs agitur de cognitione ordinis naturalis, quam in hac vita habere possumus de Deo per creaturas: aliquid verò obstat, nisi in textibus allatis ab Aduersarijs accipiantur impropriè, eo quod in illis agitur de cognitione Dei habita per fidem, quā constat esse argumentum non apparentium: hinc fit, vt interpretatio impropria, ex eo quod congruat dictis verbis in materia fidei, non benè deducitur, quod possit congruere ijsdē verbis in materia, de qua loquimur.

Dices secundo scripturas à nobis allatas con- 34
uincere solum ex creaturis posse nos venire in cognitionem Dei certam, & euidentem, moraliter tantum, quatenus euidenter ostendunt non posse à nobis sine manifesta imprudentia, & temeritate eius existentiam negari; sed fieri, quod Deus sit demonstrabilis demonstratione moraliter tantum euidente, non autem Metaphysica, de qua in præsenti quæstione fermo est. ergo &c. Minor, & consequentia patent. Minor probatur, quia dicti textus à nobis allati certitudinem, & euidentiam Metaphysicam non inferunt: sequeretur, quod demonstrationi de existentia Dei ex creaturis deductæ dissentire possent; per hoc enim demonstratio Metaphysicè euidens differt ab euidente moraliter, quod prior ita conuincit intellectum, vt nullo pacto negare illam possit. Contra verò posteriorem potest intellectus resistere, sed constat multos negasse de facto Deum existere: ergo &c. Respondeo negando maiorem. Ratio autem negationis est, quia certitudo, & euidentia moralis impropriè dictum, est certitudo, & euidentia, quia Metaphysicè loquendo potest ei subesse falsum, quare sic verba sumendi, videndi, & manifestandi in textibus allatis à nobis in sensu, & significatione impropria explicarentur, quod iam diximus illicitum non esse. Ad maioris probationē nego, quod si scripturæ allatæ certitudinem, & euidentiam Metaphysicam inferrent, etiam demonstrationi de existentia Dei ex creaturis deductæ dissentire possent, & ad rationem in contrarium, nego assumptum. Dico enim discrimen inter demonstrationem Metaphysicè euidentem, & moraliter solum, non esse, quod Metaphysicè euidenti nullum intellectus resistere possit, possit verò moraliter: sed esse, quod priori non possit ne per absolutam quidem Dei omnipotentiam subesse falsum, posteriori verò non implicat subesse. Certum enim est demonstrationes

metaphysice evidentes, quibus intellectus male dispositus dissentire possit: Patet, quia quam plures sunt, qua ingenij perspicacitatem, & studij applicationem vt persuadeant, intellectū expoſcunt; huiusmodi autem est demonstratio existentiæ Dei ex creaturis, ei enim intellectus contumax, & refractarius resistere posset, vel ex eo, quod veritatem incomplexam terminorum recto apprehendere nolit, vel saltem ex eo, quod vitijs, & occupationibus terrenis distentus, ad illam minime attendat; & hoc, posito quod ingenij perspicacitate polleat, nam sunt quam plures, qui adeo hebetem intellectum habeant, vt percipere nequeant euidentiam principiorum, quibus Dei existentia demonstratur.

11 Probatur secundo assertio nostra ratione: Creaturæ habent necessariam, & immediatam connexionem cū Deo; sed hæc necessaria, & immediata connexio potest à nobis certo, & euidenter cognosci. ergo Deum esse, potest à nobis certo & euidenter cognosci ex creaturis, & sic metaphysice à posteriori demonstrari. Consequentia est euidens. Maior verò tres continet partes; probatur autem quo ad singulas, & primo quo ad primam, quod nimirum Creatura sit connexa cum Deo, supponendo hic nomine Creaturæ non venire vnam, aut aliam, sed totam earum collectionem: cum sit, Creaturæ ex suis essentialibus defectibilitatem importat. ergo cum ente indefectibili, cuiusmodi est Deus, connecti debet tanquam cum eo, à quo solo in suæ deficientiæ expectare potest auxilium. Antecedens patet; quia Creatura essentialiter indiget dependentia siue actuali siue aptitudinali ab alio. præterea importat potentialitatē, atq; adeo mobilitatē ad terminū dicit denique indifferentiā ad essendum, & nō essendum, quæ omnia veniunt in præsentia sub communi nomine defectibilitatis, & de illis specialiter paulo post sermo nobis erit. Consequentia verò euincitur, quia id, quod neque esse, neque intelligi potest sine alio, habet connexionem cum illo; sed Creatura hoc ipso, quod est adeo defectibilis, non potest esse neque intelligi sine Deo, à quo solo in suis defectibus expectare potest auxilium, ergo &c. Porrò hanc connexionem esse necessariam, quæ erat secunda pars maioris assumptæ, euincitur: nam si contingens, vel quia defectibilitas cessare posset in ente creato, & hoc non; aliter non esset essentialiter defectibile, vel quia ab alio quam à Deo posset expectare auxilium, & hoc neque; nam hoc aliud vel esset defectibile, vel indefectibile, si primum; ergo in tota Collectione entis creati continetur, quæ cum ente indefectibili connecti debet; sin autem dicatur secundum. ergo dari ens indefectibile; illud autem non posse numero multiplicari aliunde demonstratur. Quod denique hæc connexio cum Deo sit immediata, quæ erat tertia pars probanda, sic ostenditur: quia si mediata, vel id, quod medium est, esset defectibile, vel indefectibile; neutrum dici potest, vt patet ex modo dictis. ergo &c. Atque hæc pro maiore principalis argumenti: Illius verò minor, in qua subsumebamus necessariam, & immediatam connexionem, quam habent creaturæ cum Deo, posse à nobis certo, & euidenter cognosci: probatur ex eo, quia facta inductione per omnes creaturas, certo & euidenter constat eas esse in multis defectibiles. ergo & esse necessario, & immediatè connexas cum ente indefectibili. Consequentia patet ex dictis, & vlterius confirmatur ex eo, quia licet vna Creatura possit aliam à multiplici miseria liberare, & alia, aliam in infinitum, hoc ipso, quod hæc infinitas non extrahitur à ratione Creaturæ, cū adhuc defectibilitatem involuat: necessario in suis defectibus ad ens indefectibile recurrere debet; & sic cum illo essentialiter connecti, vt melius patebit ex dicendis infrà. Ex quibus deducerem ad huiusmodi demonstrationem conficiendam, Creaturam non esse cognoscendam materialiter tantum, sic enim non cognosceretur vt defectibilis, sed formaliter: non quidem distinctè, quia sic penetraretur eius essentia; sed confusè, quatenus defectibilis est, ex qua defectibilitate essentialem ordinem, quem dicit ad ens indefectibile, certo, & euidenter colligi demonstrauimus.

Obijcies primo: Concilium Arausicanum 2. can. 22. docere hominem in his, quæ ad salutē pertinent, nihil habere de suo, nisi mendacium, & peccatum. Sed cognitio existentiæ Dei maxime pertinet ad salutem. ergo solum ex gratia Dei per fidem, & non per demonstrationem naturalem ex creaturis haberi potest; Confirmatur ex Patribus passim ab auctoribus citatis, qui docent Deum esse non ratione demonstrationis tradi, sed fide cognosci.

Respondeo admittendo Concilij auctoritatē: verè enim homo in ordine ad salutem æternam non solum non habet dispositionem aliquam, sed positivam indispositionem tum in intellectu, quæ significatur nomine mendacij, tum in voluntate, quæ peccati nomine venit. Quare concessa maiore, nego minorem, & dico cognitionem de Deo habitam ex Creaturis per demonstrationem nullo modo pertinere ad salutem tanquam dispositionem: sed sic pertinere solam cognitionem habitam per fidem diuinam ordinis supernaturalis; in quo sensu explicandi sunt Patres, dum videntur negare posse à nobis Dei existentiam ex creaturis cognosci; loquuntur enim de cognitione Dei dispositiua ad salutem, quæ sola pendet à fide.

Obijcies secundo ex Aristole 2. poster. t. ex. 11 omnis demonstratio siue à priori sit, siue à posteriori procedit ex necessarijs; sed probatio, quod Deus sit, procedit ex contingentibus. ergo non est demonstratiua. Probo minorem, quia probatur existentia Dei per existentiam Creaturarum. Porrò licet Dei existentia vt potentia sumpta necessarij non sit contingens, Creaturam tamen contingnes est. Respondeo: concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationē respondent aliqui concedendo maiorem, & secundam partem minoris distinguendo sic: creaturarum existentia esse contingens in ordine ad essendum concedunt, quia verè poterant non esse in ordine ad inducendam cognitionem existentiæ suæ causæ, à quo procedunt, negant; quia hoc ipso, quod sunt, necessariò ostendunt causam, à qua procedunt, existere, quare negant consequen-

sequentiam; Verum hæc responsio non placet. Ad Metaphysicam enim demonstrationem non sufficit, quod principia demonstrationis sint necessariò connexa cum re, quæ demonstratur, sed debent etiam esse in se, ipsa necessaria, atque adeò æternæ veritatis; alioquin de ente per accidens hoc est de existentia solis, & similibus posset dari vera scientia. Quare melius ad probationem maioris negandum est, quod in nostra demonstratione existentia Dei probetur per existentiam creaturarum, & dicendum, quod probetur per earum essentiam defectibilem cū enim defectibilitas illis essentialiter competat constat esse medium aptissimum ad existentiam entis indefectibilis demonstrandam.

38 Instabis: quod creaturis essentialiter defectibilitas conueniat nobis non alimdè innotescit, quam ab earum existentia: ergo iam nostra probatio in earum existentiam resoluitur. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens nostra probatio in existentiam creaturarum resoluitur, remotè concedo; proximè nego. Ibi verò ad saluandam rigorosam demonstrationem sufficere, quod resoluatur proximè in propositiones æternæ veritatis: constat ex eo, quia omnis demonstratio, siuè fit à priori, siuè à posteriori vltimo tandem resoluitur in existentiam contingentem. Cum enim nihil sit in intellectu nostro, quod saltem remotè non fuerit in sensu: hoc ipso, quod sensus non possit ferri nisi in singulare existens; necessariò deducitur omnem demonstrationem vltimo in existentiam contingentem resoluendam esse.

Obijcies tertio: Deum esse debet à nobis credi fide diuina. Ergo non potest sciri. Antecedens patet ex cap. 11. ad Hebr. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Consequentia probatur, quia fides, est argumentum non apparentium. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem, dico fidem non esse argumentum non apparentium realiter, & absolutè loquendo, sed tantum formaliter, atque modaliter; hoc est, quantum est ex suo motiuo formali non debere inducere euidentiam in obiectum, quod exeditur. Caeterum: si aliundè intellectus euidenter illud agnoscit: fides diuina ob hoc illud credere non detrectat. Quoniam verò Deum esse nos dicimus sciri per creaturas, non verò per Dei reuelationem euidenter cognitam; hinc fit, vt possit simul credi fide diuina.

39 Instabis licet actus fidei, & scientiæ, quod Deus sit, simul stare possint; non potest tamen negari, superfluè factam reuelationem de hoc obiecto fuisse, ex suppositione, quod homines viribus naturæ certo huiusmodi veritatem consequi potuissent; sed hoc non est dicendum. ergo &c. Minor patet. Maior probatur, quia tunc reuelatio fidei vtiliter fit, quoties intellectus humanus suis viribus destitutus, id quod reuelatur, assequi nequit. ergo &c.

40 Respondeo negando maiorem, cuius probationem nonnulli distinguunt, & siquidem sensus sit, quod ad vtilitatem reuelationis fidei requiratur, vt veritas reuelata à maiori parte intellectuum humanorum de facto suis viribus exquiri nequeat, concedunt: sin autē requiratur, quod à nullo prorsus humano intellectu attingi possit, negant assumptum; ac dicunt, vt reuelatio fidei, quod Deus existat, non sit superflua sufficere, quod hæc veritas non sit omni prorsus humano intellectui obuia; quidquid sit si alicui nota sit, vt intellectui sapientum; & ratio est, quia cum omnes, ad supernaturalem beatitudinem simus ordinati, & ad eam per fidem disponendi simus: cum non possint indocti, & rudes ex creaturis certam Dei cognitionem habere; necessariū fuit, vt hanc veritatem fide crederēt, & vt sic reliquis fidei mysterijs consequenter essentiri possent.

Verum hæc responsio à me non probatur. Indè enim sequeretur, quod illi tantum, qui scientifica cognitione huius veritatis carerent tenerentur eam credere fide diuina. Contra dictū Apostoli vniuersaliter asserentis accedentem de Deum credere oportere, quod sit. Probo sequelam, sapientes enim non debent esse peioris conditionis eo, quod dentur insipientes, qui huiusmodi veritatem attingere de facto nequeant, quæ essent: si non darentur. Atqui si insipientes non darentur, sapientes, non egerent reuelatione Dei de hac veritate, neque eam credere tenerentur. ergo neque modo egent, & sic reuelatio non pertinet ad ipsos, neque ei credere tenentur, quod patet esse absurdum. Melius ergo absolutè negandum puto, quod tunc solum vtiliter fit reuelatio aliqua, quando veritas, quæ reuelatur ab humano intellectu naturæ viribus destituto attingi nequit; & dico posse fieri vtiliter ob alias quoque rationes, etiam si huiusmodi impotentia non habeatur in nobis. Ratio autem, quæ militat in casu nostro oritur ex fide diuina, quæ impossibile est, vt in naturali scientia radicetur; radicaretur autem: si Deum esse scientificè solum cognosceremus. Cum enim tota fides nostra quanta est, in hac veritate niteretur, quæ ruente, ipsa quoque rueret, & delaberetur: hoc ipso, quod huiusmodi veritas non crederetur fide diuina, sed per demonstrationem habitam à posteriori à nobis cognosceretur, iam tota fides nostra, quantum ad obiecta credenda in naturalem scientiam resoluereretur, qua Deum esse sciremus: Quod quid absurdius: sic enim eius certitudo non esset super omnia, quia non excederet dictæ scientiæ sinceritatem. Quamuis ergo omnes prorsus homines hanc veritatem de facto ex creaturis penetrassent: adhuc debuissent illam habere reuelatam à Deo, vt simul cum illa per fidem diuinam reliqua mysteria reuelata credere possent. 41

SECTIO QUINTA.

An ratione efficientiæ Deum existere demonstrabile sit.

42 Conclusio est affirmatiua & cōmunis. Probatur autem, demonstrationem ipsam prius adducendo: postea verò dissoluendo ea, quæ cōtra illam obtendi solent. Demonstratio sic procedit: experientia ex sensibus ducta constat

multa

multa de nouo fieri in mundo, sed nihil à se ipso fieri potest. ergo dicendum est quod hæc, quæ de nouo sunt, fiant ab alio, vel ipsum hoc aliquid est factum ab alio, vel non: si non, ergo hoc erit prima rerum omnium causa improducta, & necessaria, quam quærimus, & quam in præsenti nomine Dei intelligimus: si factũ ab alio, de hoc alio rursus quæro: num sit factum ab alio tertio, nec ne? Et sic in infinitum procedam, donec deueniam ad causam, quæ non sit ab alio facta, & cætera omnia faciat. Sed sic habeo demonstratam Dei existentiam ratione efficientiæ, ergo rectè ratione efficientiæ Deum existere demonstrabile est. Maior syllogismi principalis est euidens, quia loquitur solum de rebus materialibus eo modo, quo de nouo haberi sensibus experimur, siuè hæ fiant per solam corpusculorum variationem, & mutationem quo ad locum, siuè per formarum tum substantialium, tum accidentalium nouam productionem, & existentiã. Neminus euidens est minor dicti syllogismi propter rationem, qua vtitur Aristoteles *lib. de motu animalium cap. 3.* ad eam demonstrandam; sic enim habet: impossibile est quippiam ipsum sibi esse causam: præexistere enim oportet mouens ei, quod mouetur, generans ei, quod generatur; ipsum autem se ipso prius nullum est. Tum sic: omne, quod sic præsupponit in faciente perfectam sufficientiam ad se sufficienter causandum, ergo, & existentiam, quia nemò dat, quod non habet, & causa efficiens dat existentiam suo effectui: si igitur aliquid se ipsum efficeret esset ante, quam efficeretur, & sic in eo priori esset simul, & non esset, quod implicat: esset, vt supponitur; non esset, quia non dum factum intelligeretur, sed faciendum. Neque dicas nonnullos docere idem posse se ipsum conseruare: alios verò sustinere idem posse etiam se ipsam primo producere dũmodo simul ab alia concausa adæquata producatur; his autem admissis non videri maiorem rationem, cur non possit idem produci primo à se sine alia causa. ergo, &c. Ne id dicas, inquam, falsa enim est minor, nam in tantum conceditur ab aliquibus conseruationem effectus posse haberi ab ipso effectu, quia conseruatio consequitur productionem eius, quod conseruatur, & sic, quod se ipsum conseruans præintelligi possit ad sui conseruationem existens, quod non habet locum in prima sui productione. Præterea res, quæ in prima sui productione pendet ab alio, iam præsupponit illud in priori naturæ existens. Vndè non est, cur in secundo posteriori ita habeat esse ab illo, vt in tertio non influat in suum met esse. At si idem daret tamquam causa totalis, & solitaria sibi esse: impossibile esset præsupponere aliquid in priori existens a quo in posteriori penderet. Sic ostensa minoris principalis syllogismi prima consequentia, qua concludebatur omne, quod de nouo fit, fieri ab alio remanet demonstrata. Postrò distinctiua, quæ in secunda consequentia subsumebatur, nimirum hoc aliud, vel fieri ab alio, vel non, vtpote constans ex duobus membris contradictoriis, est euidens; constat enim inter contradictoria dari medium. Rursus

est euidens, quod quicumque numerus finitus causatorum assignatus ab Aduersarijs in serie, quam vi similium propositionum disiunctiuarũ coguntur admittere, non est sibi sufficiens ad existendum sine alia vlteriore causa, quæ sit prima, & incausata ab alio V. G. si existente de nouo in mundo effectu A. dicatur causam eius esse B. & causam B. esse C. causam verò C. esse D. causam denique D. esse E. nisi ab eis ponatur ipsum E. improductum, & incausatum; certum est excurrendum esse ad F. à quo producatur, atque causetur. Alioquin manifestè cogentur asserere ipsum E. fuisse causam sui ipsius, quodquidem id, quod factum est, & non ab alio aliquo, à se ipsum factum sit, necesse est. Idemque dicendum de F. G. &c. Sicque discurrendũ de quacumque determinata multitudine causatorum, quam Aduersarij in sua serie assignabunt. Vnum tamen aduertendum huiusmodi demõstrationem definita causatorum serie habere locum ex suppositione, quod non possint duo se inuicem ingenerare efficientis primo causare. Si enim hoc non supponatur, possunt Aduersarij dicere, quod in serie assignata: ita efficitur D. accipiat existentiam à causa E. vt autem causa E. accipiat existentiam à D. & sic eligere vim argumenti, quod admissa quacumque serie finita causatorum euidens sit dari primam causam incausatam. Verum si est euidens idem non posse efficere se ipsum, euidens quoque erit non posse duo se efficere ad inuicẽ. Nam in tantum non potest aliquid se ipsum efficere, in quantum si posset, sequeretur, quod ante se ipsum præexisteret. Sed hoc idem sequitur, si duo se efficerent ad inuicem. Nam hoc ipso, quod D. V. G. producerent E. deberet præexistere ad E. quia omne efficiens præexistit ad suum effectum, ergo deberet multo magis præexistere ad effectum ipsius E. qui est in posteriori ad ipsum E. Sed iam D. supponitur esse effectus E. ergo iam præexistit ad se ipsum, & ad suum primum existere, quod implicat manifestè. Neque dicas multos docere posse duo se causare ad inuicem, & non in physicis sustinuisse materiam primam, & formam substantialem esse sibi inuicem causas. ergo &c. Nã hoc dicas, inquam, quia aliud est loqui de causis mixtorum se causantibus ingenere causæ materialis, & formalis, & aliud de causis se causantibus in eodem genere efficientis, prius enim nihil continet ab surdi, quia materia cum causet formam accipit esse ab ea primum esse, non debet præintelligi ad illam existens. Rursus neque forma ad materiam; siquidem nullo alio modo conferat suum primum esse illi ordinando, &c. Quo admodum igitur materia ad suum effectum præintelligi debet existens, non tamen ad se ipsam. At loquendo de causis efficientibus quæ præsupponi deberent in aliquo priori ad effectum suum existentes, si inuicem sibi darent primum esse, maximum indè sequeretur absurdum, cui propterea diximus. Nec refert, quod nonnulli negent non implicare duo aliqua posse sibi inuicem causas ingenere efficientis. Cum enim hoc non procedere solum quando sed vtrumque vtrique alterum existens præintelligi

tio ab ipsis incausato, nunquam verificatur, quod adæquatè adæquatione causæ se mutuò causent. Porrò hanc adæquationem esse necessariam ad hoc, vt vnorum aliorum causio procedere, patet; quia sine illa, etiam si detur mutua causalitas in eodem genere efficientiæ, tandem deueniendum est ad aliquod tertium, quod causet, & non sit causatum, atque adeò sit prima causa. De erroribus autè, qui de hoc tertio non curat alibi sufficiètèr reiecimus ex, quibus omnibus patet quamcumque finitam malorum multitudinem creaturarum assignare. Aduersarij in serie causarum, & causatorum, euidenter conuincit admittendam esse extra dictam multitudinem primam causa necessariam, quæ ita causet, vt non causetur.

Quod si assignet multitudinem infinitam, dicamque cum Aristotele rerum sublunarium Generationes fuisse ab æterno, & sic nullam dari, quæ ita sit producens, vt non sit etiam producta ab alia in infinitum. Adhuc ad missa hoc processu in infinitum, existentiæ primæ causæ in hunc fere modum demonstrabilis est. Per hoc quod crescit in infinitum series causarum, crescere debet in infinitum indigentia in ipsa serie, vt efficiatur, & causetur ab alio: ergo impossibile est, vt ex processu in infinitum rerum, quarum vna causet aliam, saluari possit non esse recurrendum ad causam aliquam extra seriem causatorum, quæ incausata reliquas causet. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, quia indigentia, quam habet Creatura causæ effectricis ad existendum, est identificata, imò de essentia ipsius Creaturæ; ergo quo plures Creaturæ cõcipiuntur in serie, eo maior indigentia causæ efficientis habetur à illa. Implicat igitur, vt per processum ad infinitum Creaturarum, quarum vna causet aliam, saluari possit non esse recurrendum ad Causam aliam extra seriem, quæ incausata reliquas causet. Nequo dicas, hoc verum esse loquendo de Creaturis contentis in serie acceptis distributiuè, non autem collectiuè: nõ id dicas, inquam, quæro enim de huiusmodi creaturis infinitis collectiuè acceptis, num sint causatæ, vel incausatæ: vtrumuis dicatur, iam admittenda est causa prima; & si quidem èligatur primum, cum non possint se inuicem esse Causæ, & effectus, vt supra vidimus, iam dari debet causa extra totam seriem, à qua omnes causalitas in ea serie repèrta procedat, necesse est. Sin autem secundum; ergo hæc series collectiuè accepta erit ens incausatum, & independens, & per consequens necessarium, & æternum; sed hoc non est negare Deitatem, sed eam singulis Seriebus generationum concedere, quo nil absurdius; nil enim potest in toto aliquo participare rationem Deitatis, quod in sua entitate Deus non est; cum igitur qualibet Creatura in se ipsa indigeat ab alio dependere, impossibile est, quod earum Collectio spolietur hac indigentia, & sit sibi sufficiens ad existendum; fiuè demum huiusmodi collectio constet ex causis per accidens subtoratis diuatis, fiuè per se parum refert.

Vnum video contra dictam demonstrationem posse obijci: sic in multis non valet argumentari à sensu distributiuo ad collectiuum: V. G. ex eo, quod singuli eorum in æternitate contenti habeant principium & finem, non valet inferrè, ergo tota æternitas habet principium, & finem: sic etiã ex eo, quod singulæ partes totius mundi successiuè circulariter mutatæ locum, non valet inferrè, quod tota totum vt totum locum mutet, ergo ex eo, quod singulæ res contentæ in serie generationis indigeant causa efficiente distributiuè sumpta, neque valebit inferre, quod tota earum collectio indigeat huiusmodi causa. Respondeo concesso integro antecedente, negando consequentiam. Quamuis enim non semper valeat argumentari à sensu distributiuo ad collectiuum: at aliquando valet, vt ex eo quod singuli Angeli sint Spirituales, rectè colligimus totam Angelorum collectionem Spiritualem esse, & ex eo, quod singuli Leones sint materiales, benè concluditur totam eorum collectionem esse materialem. Sic in casu nostro valebit ex eo, quod singulæ creaturæ in aliqua infinita serie contentæ sint causatæ, ergo tota earum series, & collectio sit causata. Atque hic aduerte totum non debere hic sumi substantiuè tantum, in qua sensu asserimus, hominem esse totum quid materiale, licet vnam tantum partem habeat huiusmodi: sed accidentaliè in eo sensu, in quo negamus hominem esse totum materialem, hoc est quo ad omnes partes, & concedimus huiusmodi esse totum. Vt autem scimus, quando modus argumentandi à partibus ad totum adiectiuè, seù quod idem est à sensu distributiuo ad collectiuum valeat, & quando non, considerandum est prædictum, quod eorum collectioni tribui intenditur; & sic quidem est huiusmodi, omnibus, & singulis partibus distributiuè sumptis conuenit præcisè, quæ sumuntur sine alijs partibus, non valet à distributiuo ad collectiuum; eo quod in collectione solitudinem illam amittunt. Contra verò: si prædicatum illud ipsis aliunde cõueniat, valebit, quia per hoc, quod non cum alijs partibus accipiantur, non est cur dictum prædicatum deperdant, atque eò quod illud non communicent aut. Quoniam verò ratio causati, & dependentis omnibus, & singulis creaturis in serie infinita contentis non competit præcisè, quia sumitur sine consortio reliquarum, sed ex sua intrinseca, & sufficientia, quam quælibet essentialiter habet ad essendum; hinc fit, vt rectè deducatur eandem rationem de tota earum serie adiectiuè, & collectiuè accepta prædicari debere: è contra verò, quia ratio faciãtis singulis eorum in æternitate contentis, & ratio mutandi locum singulis totæ partibus seu mouentis competit, quia sine aliorum consortio accipiuntur; hinc fit, vt non rectè concludatur dicta ratio de eorum totis.

Instabis: de singulis hominibus verificatur, quod sint Generabiles, & corruptibiles non præcisè, quia sumuntur sine alijs, sed aliunde; & tamen non valet ex hoc inferrè; ergo tota species hominum, est generabilis, & corruptibilis, quia de quacumque specie ingenerabilitas, & incorruptibilitas, sensu Philosophi, verificatur. ergo nulla distinctio à nobis modo tra-

...dita de duplici praedicatorum genere. ...

Respondeo negando consequentiam; ratio negationis est, quia nos in tractatione praedicabilium diximus de modo actuali, quod aliquando adest in singularibus. Quoniam verò est contentum potentialiter in eo, quod non adest, sed subest, contrahi dicitur: Unde non est mirum, si non valeat à dicto secundum quid, argumentari ad ipsum speciem; aliquin, quoniam affirmamus de singulis individuum, quod sint singulares, deberemus de ista, Natura specifica concluditur, quae est aperte falsum. Concedimus sicut species non dicitur generabilis, & incorruptibilis positivè, sed negativè, eo quod non potest exercere individuum generationis, & corruptionis indivisorum; quia ad hoc sufficeret, quod non contineretur, non debet dici positivè independens, sed negativè, ergo quatenus non potest, nisi ut connexum in suo subiecto, quin ipsum existat, dependere. Et hoc autem sufficere debet, quod etiam rationes aliorum debeant se respicere eadem, quamvis eam causet, vel non causetur ab ea. ...

SECTIO SEXTA

An ratione motus demonstrari possit Deum esse?

46 ARistoteles plurimis in locis praesertim 8. *Phys.* text. 34. Ex motibus, quibus quotidie corpora naturalia moveri experimur, in unum fere motum demonstrat dari Deum, sub conceptu primi motoris immobilis: Omne, quod movetur ab alio movetur; sed corpora moventur: ergo movetur ab alio. Tum sic: hoc aliud, vel movetur ab alio, vel à nullo: si à nullo, ergo hoc est primus motor immobilis, si ab alio; cur ita quaero de hoc alio, vel ab alio, vel à nullo, usque dum ad Deum primum motorem immotum deveniamus. Tota vis totius demonstrationis fundatur in eo principio: Omne quod movetur ab alio movetur, in quo probando Auctores inter se valde discrepant; & quidam aliqui dicunt esse omnino falsum, & insufficiens ad Dei existentiam demonstrandam, quibus favet Scotus 1. *dist.* 3. *quaest.* 1. & 2. *dist.* 2. *quaest.* 16. & 9. *Metaph.* q. 14. cum quo sentiunt *Holthot. 1. quaest.* 4. Alia censit *quaest.* 3. *art.* 2. *Concl.* 2. Bastolis 1. *dist.* 2. *quaest.* 1. *art.* 3. *quaest.* 1. *Concl.* 2. Gregorius *secundo dist.* 6. *quaest.* 1. *art.* 3. Iandunus 8. *phys. quaest.* 12. & nouissimè Arriaga *tom.* 1. *in primam partem disput.* 2. *sect.* 2. *num.* 34. & 24. Contra verò alij tenent dictum principium esse verissimum, & necessarium, adeoque ad probandum esse Deum sufficientissimum. Ita Simplicius *septimo, & octauo phys. à text.* 26. vbi Philoponus, & alij antiquiores Peripatetici; praeterea Capreolus 2. *dist.* 3. *quaest.* 1. Petrus Hispanensis *contragi. cap.* 13. Bagues *primâ parte quaest.* 2. *art.* 3. AEgidius 2. *dist.* 7. *quaest. prima art. prima.* Masius *septimo phys. cap. primo.* Toletus 1. *de Gener. quaest.* 14. Granadus *tom. primo tract. de existentia Dei disput.* 2. Valentia *tom. primo quaest.* 2. *punct.* 3. Ioseph Augustinus *primâ parte quaest.* 2. *art.* 3. *diffusè primo.* 2. Recipitur *tom. primo Iunior quaest.* 11. *cap.* Eas solum *primo parte quaest.* 2. *artic. primo num.* 53. Mazzotta *quaestionum selectarum primo, quaest. sexta* 3. Mauritius *lib.* 4. *quaest. magnâ quaest.* 8. & communiter alij Recentiores.

Nostra vtique Conclusio est cum his posterioribus, dicimus enim verissimum esse illud principium: Omne quod mouetur, necessariò mouetur ab alio; & per consequens affirmatiua est demonstratio supra relata ad hunc finem. Quia ratione sub ratione primi motoris immobilis. 47

Veritas autem dicti principij probatur sic: Omne, quod mouetur quocumque tandem genere motus, seu mutationis, ab aliquo principio motiuo adaequato mouetur, necesse est. Sed, omne, quod mouetur, est insufficiens ad huiusmodi principium adaequatum in se habendum: ergo omne, quod mouetur, necessariò mouetur ab alio, à quo completur in ratione principij adaequati. Maior huius est euidens; quia aliquid dat effectum sue causae adaequatae sunt. Euidens etiam est consequentia; nam hoc ipso, quod habetur principium adaequatum motus, & non est in eo de necessario, debet esse in aliquo alio. Minor ergo, in qua est difficultas, probatur sic: Quia, quod mouetur, vel motu violento, vel naturali mouetur; & quidem, si violento cum mouetur ab extrinseco, nullam vim ad motum illum conferendo, constat non habere in se principium sufficiens, & adaequatum motus. Sin autem mouetur motu naturali: idem suadetur sic: Omne, quod mouetur est ens potentiale, & imperfectum; sed huiusmodi entia debent pendere ab alio non solum in esse, sed, & in operari. ergo etiam si mouetur motu naturali non habet in se principium adaequatum illius motus, sed necessariò indiget influxu alterius, non solum ad essendum, sed etiam ad operandum; qui quidem influxus concipitur in ipso mobili, & rectè deducitur, quod si mouetur, necessariò mouetur ab alio, eo quod non potest esse sibi totalis, & adaequata causa, vt moueatur.

Confirmatur, & magis explicatur ratio proposita. Tripliciter potest intelligi aliquid moueri ab alio: primò per hoc, quod simul cum esse recipit ab alio virtutem ad operandum in quo sensu dixit Philosophus Elementa moueri ad sua loca à generante. Secundò per hoc quod dictam virtutem conseruatam habeat ab alio. Cum enim conseruatio sit quaedam continuata productio, hoc ipso, quod mouet ab alio per primam virtutis productionem, mouebitur etiam per eiusdem conseruationem. Tertio denique per hoc, quod indiget concursu alterius ad operandum: ita, vt non nisi simul cum illo debeat operari; sed quoniam aliquid mouetur motu naturali, siue Physico, hoc est motu sensibili, & materiali, siue Metaphysico hoc est Spirituali, & incorporeo, hoc ipso, quod non est sibi perfecta sufficientia ad essendum, & operandum, hoc tripliciter modo exigit moueri ab alio. Nam à Deo simul 49

Digitized by Google

cum velle expectat initio virtutem operandi, & eam ab ipso conseruatam habere debet, & indigeat influxu illius ad operandum: ita, vt si Deus non agat simul cum illo, nulla ratione in actum secundum exire possit. ergo rectè concludimus, quod mouetur, moueri, necessariò ab alio.

50 A nostro discursu facto non longe distat probatio, qua sæpè vtitur D. T. præsertim *prima parte quæst. 2. art. tertio* ad probandum dictum principium, sic enim ait. Nihil mouetur, nisi secundum quod est in potentia ad aliud ad quod mouetur. Mouet autem aliquid secundum quod est actu; mouere enim nihil aliud est, quam educere aliquid de potentia ad actum; de potentia autem non potest aliquid reduci ad actum, nisi per aliquod ens actu; & post pauca: non est autem possibile, vt idem sit simul in actu, & in potentia secundum idem, hoc est, in ordine ad eandem formam, seu motum. Sic D. T. Porrò hæc verba si accipiantur de actu complexo, & adæquato impossibile est, quod idem se ipsum adæquatè moueat; & siquidem sermo est de actu formali patet, quia implicat habere calorem, vt vnum, & priuationem illius; de actu verò virtuali constat, quia vt vidimus: omne, quod mouetur indiget moueri ab alio, & sic nihil est in actu virtuali complexo, & adæquato ad se mouendum.

Mazziotta loco citato nu. 25. Concedit hanc axiomatis nostri probationem non esse ad mentem Aristotelis neque D. T. quare contra illã.

51 Obijcit primo: sicque Aristoteles neque D. T. pro assignanda causa mouente ea, quæ mouentur, confugiunt ad Deum nisi vltimate, sed vel ad agens, vel ad formam, vel ad aliquid aliud dicendo, quod aqua V. G. mouetur à baculo, baculus à manu, manus ab anima, & tandem anima à Deo, sed per hanc explicationem immediatè à mobili venitur in cognitionem Dei. ergo hæc explicatio non est ad mentem illorum.

Respondeo distinguendo maiorem: non confugiunt ad Deum nisi vltimate ita vt non potuissent ad illum immediatè, & primo confugere, nego; ita vt potuissent etiam immediatè, & primo, concedo maiorem, & sic distincta etiam minore; per hanc explicationem primo, & immediatè à mobili venitur in cognitionem Dei, ita vt possit venari etiam mediatè, & vltimò, concedo; ita vt non possit, nego minorem, & consequentiam. Dico enim, quod idcirco ex variis mediis mobilibus Aristoteles, & D. T. procedunt ad cognitionem primi motoris immobilis, quia Aduersarij contra quos arguebantur ad illa vt pote manifestiora confugere poterant. Atque hæc est etiam ratio cur antiqui Peripatetici hac via processerint. Cæterum ad vim argumenti explicandam nullam esse necessitatem per dicta media transeundi patet, quia primum mobile in sententia philosophi mouetur à primo motore immobili, quid quid ergo dicitur de illo, dici potest de reliquis substantijs, quæ mouentur.

52 Obijcit secundo: Aristoteles & D. Th. ita hoc principio ad Dei existentiam demonstrandam vtuntur, vt existiment illud minime sufficere, nisi ostendant in motoribus dari non posse processum in infinitum. Sed nulla esset necessitas id ostendendi, si putassent hoc modo omne, quod mouetur ab alio moueri, ergo hæc probatio non est ad mentem illorum. Maior, & consequentia patent. Minor probatur, quia sic potuissent discurrere, omne, quod mouetur, vtpotè potentiale, & dependens est de se insufficiens ad operandum, igitur debet compleri, & adiuuari ab alio. Sed hoc non potest esse nisi actus purus, & independens; nam quodcumque aliud vtpotè dependens est insufficiens. ergo &c. 22

Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem aio, quod Aduersarij concesso illis integro enthymematè potuissent negare subsumptum, & dicere, quod licet omne ens creatum ad operandum indigeat compleri, & adiuuari ab alio: hoc tamen non esse de necessitate actum purum, sed posse esse causas aliquas vniuersales, quæ à magis vniuersalibus deberent moueri, & hæ aliæ ab vniuersalioribus in infinitum, sicuti dicebant contra demonstrationem per viã efficientiæ. Quemadmodum igitur occludendum fuit Aduersarijs hoc latibulum processus in infinitum in causis per se subordinatis, ita, & inmouentibus, & motis; & rectè; omne enim, quod ita mouet, vt sit ab alio motum, est veluti instrumentum illius. Sed impossibile est omnia se habere, vt instrumenta in motibus. Sic enim nullum esset principale mouens. ergo deueniendum est ad primum mouens immotum, & sic non potest dari processus in motoribus, & motis per se.

Obijcit tertio: Aristoteles, & S. T. Ex eo. 53
probant omne, quod mouetur ab alio moueri, quia aliter idem esset in actu, & in potentia respectu eiusdem; in actu quidem, quatenus moueret, in potentia verò, quatenus moueretur, sed si probatio à nobis tradita procederet, debuissent assignare pro ratione, quod idem in se esset actus purus, & quid potentiale. ergo &c. Respondeo concessa integra maiore, nego minorem. Dico enim, quod ex eo, quod aliquid se ipsum adæquatè moueret, per immediatam quidem consequentiam deduceretur, quod esset in actu, & in potentia ad formam, ad quam se moueret; in actu quidem, quia esset perfecta sufficientia ad illam, in potentia verò, quia tenderet ad illam habendam. At verò per varias consequentias tandem concluderetur, quod esset, & non esset actus purus? Non esset, vt supponimus; esset verò, quia sicuti in operari non penderet ab alio, ita neque in esse, quandoquidem operari consequitur ad esse, illudque imitatur.

Obijcit quarto: si formaliter loqui velimus, 54
non intelligitur Deus concurrere ad id quo aliquid formaliter mouetur præcisè per hoc, quod conseruat, seu producit, seu applicat virtutem, qua tale aliquid mouetur. ergo non rectè probatur per huiusmodi consequentiam, & applicationem axiomã. Consequentia patet. Antecedens probatur, nam quod mouetur, mouetur formaliter, seu per se effectiue per virtutem actu.

actu exercitam, id est, quæ actu producit, non verò per virtutem, quæ actu producitur, seù conseruatur, seù applicatur, eo quod per huiusmodi productionem, & conseruationem, & applicationem non ponitur formaliter terminus, à quo id formaliter mouetur. ergo &c.

55 Respondeo hoc argumentum valdè confusè, & æquiuocè procedere; eius tamen nego Antecedens, & dico, id quo aliquid formaliter mouetur dupliciter accipi posse: primo pro virtute, quam tamquam formam in se habet aliquid, ad se mouendum, in quo sensu auctor videtur loqui cum dicit, quod mouetur, mouetur formaliter, seù per se effectiuè per virtutem &c. Secundo pro ipso motu, quo formaliter mouetur; vtrouis autem modo accipiatur: semper Deus intelligitur formaliter concurrere ad illud præcisè per hoc, quod conseruet, seù producat, seù applicet virtutem; & siquidem priori modo accipiatur patet, quia non potest excogitari melior ratio formaliter concurrendi, quà producendi, seù conseruandi rem, cui præstatur concursus. Sin autem posteriori, probatur tum quia, quod est causa causæ, est causa causati: Deus autem producendo, & conseruando virtutem qua mobile se ipsum mouet, est causa causæ ipsius motus, tum etiam, quia applicatio, qua Deus virtutem motiuam creaturæ ad operandum applicat, non distinguitur à concursu ipsius Dei, per quem cum illa influit in opus. Per quæ patet ad probationē antecedentis responsio: quod enim mouetur rectè intelligi potest moueri à Deo formaliter immanenter beneficio virtutis motiuæ, hoc ipso, quod ea producitur, seù conseruatur ab ipso Deo, & multo magis beneficio ipsius motus immanentis, hoc ipso, quod Deus immediatè concurrit ad illum, & sic falsa probatio.

56 Obijcit quinto: omnes docent effectus, qui liberè procedūt à creaturis liberis nō tribui Deo, sed ipsis agentibus liberis. Si vera autem esset nostra explicatio, hoc esset falsum. Nam, quod liberè operatur, iam mouetur. Respondeo distinguo maiorem: omnes docēt huiusmodi effectus liberos non tribui Deo, tanquam principio determinante, concedo: tanquam principio influente, nego maiorem, & ad minorem dico: hoc ipso, quod Deus est principium influxiuum in operationes nostras liberas stare inconcussam veritatem axiomatis. Quid quid mouetur &c. Quamuis de cætero non sit principium determinatiuum illarū. Iuxta illud Isaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es nobis.

57 Instat denique: Etiam si Deus immediatè concurrat nobiscum non potest dici, quod moueamur ab illo, aliter sequeretur primo, quod etiam in actionibus peccaminosis deberet dici, quod moueremur à Deo, & sic Deus esset causa peccati. Sequeretur secundo nullam actionem, nè transeuntem quidem posse tribui agentibus creatis; nam ad omnes Deus concurrit, & sic ipsi omnes tribuendæ essent. Tertio denique sequeretur, quod creatura non determinaret Deum ad præscindum concursum, saltem quo ad speciem; nam si determinaret, esto Deus concurrat ad motum quo creatura se ipsam mouet, non deberet dici, quod moueatur à Deo, quia ipsa veluti primariò; & antecedenter se haberet ad motum, Deus verò veluti secundariò, & consequenter, sicuti habitus quando simul concurrit cum potentia.

Respondeo negando antecedens: Primam verò sequelam, quæ adducitur in contrarium, distinguo sic: sequeretur quod etiam in actionibus peccaminosis deberet dici, quod moueremur à Deo, & siquidem sermo sit de actionibus peccaminosis formaliter sumptis, nego: quia ad eas sic acceptas illud solum principium mouet, quod reliqua comprincipia concurrentia primo determinat, cuiusmodi est sola voluntas humana, non verò Deus. Sin autem agamus de actionibus peccaminosis materialiter acceptis, concedo, quod rectè dicamur nos in eis, à Deo physicè moueri. Nego autem hinc deduci posse: Deum esse causam peccati, quia peccatum sonat formaliter, quatenus importat malitiam. Sic distincta prima sequela, nego absolutè secundam, quia quamuis ad omnes nostras actiones, tum immanentes, tum transeuntes physicè acceptas Deus concurrat: per hoc tamen non sequitur, quod debeat ipsi soli tribui, & non nobis. Nam illud axioma: Omne quod mouetur ab alio mouetur: non est intelligendum priuatiuè quasi verò nunquam possit intelligi id, quod mouetur, quod moueatur à se ipso, hoc enim falsum esse patet ex actionibus immanentibus, sed positiuè, quod scilicet etiam si à se ipso moueatur, simul etiam moueatur ab alio. Eodem denique modo neganda est tertia sequela, nam etiam si creatura per hoc, quod determinet Deum ad præstandum suum concursum saltem in specie, veluti primariò, & antecedenter se ipsam moueat in genere determinatiuè, & à Deo moueatur veluti secundariò, & consequenter eodem genere: in genere tamen influxiuo æquè primo mouetur à se, & à Deo, & sic pro quocumque signo rationis verū est omne, quod mouetur, si non adæquatè saltem inadæquatè moueri ab alio. 58

Obijcies denique sexto contra principalem conclusionem: primum mouens operatur per intellectum, & voluntatem, ergo ita mouet, vt etiam moueatur ab alio. Falsum patet, est ex motu posse demonstrari primum motorem, qui ita mouet, vt non moueatur. Antecedens cum secunda consequentia patent, prima verò consequentia probatur, quia substantia intellectualis, vt intelligat aliquod obiectum, debet moueri ab illo, nec potest illud amare, quin ab eo moueatur, & alliciatur, ergo &c.

Respondeo hanc difficultatem augeri ex doctrina Platonis docentis omne mouens debere moueri. Vnde *lib. decimo de legibus* ait animæ motus esse velle, considerare, consultare, deliberare &c. Quæ omnia Aristoteles non motus, sed principia motus appellat, vt *Simplicius in 8. Physicorum*, testatur. Porrò hoc dissidium inter duo hæc Philosophiæ lumina S. T. *primo contra gent. cap. 13.* sic componere studet, inquiens, quod Plato, qui posuit omne mouens moueri, communiter accipit nomen motus quam Aristoteles. Aristoteles enim propriè accipit

cipit motum, secundum quod est actus existentis in potentia, secundum quod huiusmodi qualiter non est nisi divisibilium, & corporum. Secundum Platonem autem movens se ipsum non est corpus. Accipiebat enim motum pro qualibet operatione ita, quod intelligere, & operari sit quoddam movere, quem etiam modū loquendi tangit Aristoteles *tertio de anima text. com.* 20. Verum hæc veritasque Philosophi explicatio multa continet difficilia, quæ non vacat expendere, ne præceptori contradicere videamur. Quid quid sit igitur de dogmate Platonis, quæ in aliquo bono sensu veritatem habere potest. Ad propositam objectionem concesso antecedente, nego cōsequentiam: & ad eius probationem distinguo assumptum, & liquidem in eo sermone est de substantia intellectuali, quæ non est prima veritas, & prima bonitas, concedo eam debere moveri ab obiecto, quod intelligit, & amat; sin autem agamus de ea, quæ de se est prima veritas, & prima bonitas, cuiusmodi est Deus, nego. hanc enim, cum sit primum intelligibile, & primum amabile, intelligibilitatem, & volibilitatem omnium aliarum rerum in se perfectissimè continet. Vnde neque ad earum veritates intelligendas, neque ad earum bonitates amandas earum species intentionales, & alias entitates, quibus ab eis moueatur, expectat. Falsum igitur est, quod ita res creatas per intellectum, & voluntatem moueat, atque operetur, vt simul moueatur ab illis; sed neque seipsum mouet in eis cognoscendis, atque volendis, quia cum ea per eternam æternitatem eodem modo cognouerit, atque voluerit: de eo verificari nequit, quod de potentia ad actū aliquando transierit. Porrò in huiusmodi translationem essentiam motus propriè dictū positam esse patet ex Physicis. Quod si quis contendat sustinere Aduersarius, quod primum mouens (item non impropriè dicta moueatur. Confugiendum est ad omnimodam identitatem, quam habet Dei substantia cum suo intelligere, & velle; dicendumque, quod motus impropriè dictus distinctione ex natura rei à mobili essentialiter importat, quæ cum in Deo locum non habeat: necessariò deducitur, neque huiusmodi motum in illo esse.

SECTIO SEPTIMA.

Ad rationem contingentia, quam experimur in rebus creatis demonstrabile sit Deum esse.

59 Concluso est affirmatiue, & probatur supponendo nomine entis contingentis venire id, quod est possibile esse, & non esse, ad differentiam entis necessarij, quod, & aliunde probatur esse vnum, & non plura, & impossibile est non esse. Ex quo deducitur implicare contradictionem dari ens, quod neque sit contingens, neque necessarium. Quodlibet enim alterutrum sit, necesse est: ad quod attendens D. T. *prima parte quæst. 2. art. tertio in corp.* dicit, hanc viam demonstrandi Deum fumi ex possibili, & necessario: ea autem sic procedit. Non omne ens, quod est in mundo, contingens est. ergo præter contingentia, quæ dari quotidie experimur, admittendum est ens necessarium, quod vnà nomine Deū. Consequentia est quidem, quia si non omne ens, quod defactò existit, est contingens, ergo aliquod ens existit non contingens, sed inter contingens, & necessarium non datur medium, æquipalens enim, vtrumlibet contradicitoriis. ergo existit aliquod necessarium. Primum verò antecedens, in quo ob vim demonstrationis, suadetur: si omne ens existens contingens esset, sequeretur ex dictis, omne ens esse possibile ad essendum, & non essendum, sed ex possibili posito in actu nullum sequitur absurdum. ergo si supponamus nullum ens defactò esse, nullum absurdum sequeretur. Hæc argumentatio, vt videtur, rectè procedit, ita vt non appareat, quid ei possit opponi. Vlterius. ergo sic progredior: sed ex dicta suppositione maximum sequeretur absurdum, videlicet, quod omne ens simul esset possibile, & impossibile. ergo falsum est omne ens, quod est in mundo, esse contingens. Huius postremi enthymematis consequentia patet. Antecedens verò probatur, & quidem quod esset possibile, iam supponitur, quia omne esset contingens, quod æquè benè potuisset existere, quod verò impossibile, suadetur ex eo, quia neque à se, neque ab alio fieri posset. Non à se, quia nullum est perfecta sufficientia ad se ipsum efficiendum, neque ab alio, quia nullum ens existere supponitur. ergo &c.

Iuxta hunc discursum rectè procedit ratio, 60
quam ad idem probandum *loco citato* D. T. adducit, quæ aliter non videtur habere solliditatem. Sic enim habet: Quædam inueniuntur generari, & corrumpi, & per consequens possibilia esse, & non esse. Impossibile est autem ea, quæ sunt talia, semper esse; quia quod possibile est non esse, aliquando non est. Si igitur Omnia possibilia sunt non esse, aliquādo nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset, quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid, quod est. ergo &c. Hæc ille. Nisi autem accipiatur ea propositio, quam assumit, (quod possibile est non esse, aliquando non est) iuxta discursum nostrum, ita vt sensus sit, quod id, quod possibile est non esse, potest rectè aliquando supponi, quod non sit, sibi contradiceret D. T. & sic nihil concluderet. Cum enim ipse putauerit mundum non obstante, quod sit quid contingens, potuisse esse ab æterno, & consequenter existimauit potuisse dari ens possibile ad esse, & non esse, quod tamen semper fuerit: non potuit nisi iuxta sensum nostrum dictam propositionem assumere, vt videlicet, quod est contingens, supponi possit aliquando nō esse absque vllo inconuenienti.

Obijcies primo: hæc tertia ratio Dei existen- 61
tiam demonstrandi videtur coincidere cum prima ratione, quæ via causalitatis illam demonstrat. ergo non est assignanda tanquam diuersa. Antecedens probatur, quia nulla

alia ratione res contingentes ente aliquo in se necessario indigent, nisi, vt ab illo efficiantur, & habeant esse. ergo &c.

Respondeo, negando antecedens; ad cuius probationem, dico in effectione rerum contingentium, duo nos considerare posse: primum est esse, quod cum non sint ex se sufficientes, ad illud sibi causandum, dependenter ab alio habere debent. Secundum verò est determinatio ad essendum potius, quam ad non essendum, quia quantum est de se, sunt ad vtramque partem contradictionis indifferentes, quamuis autem vtrique indigentiæ hoc ipso, quod efficiantur, à prima causa subueniatur; quod tamen posterior sit alia à priore, patet ex eo, quia per hoc præcise, quod aliquid est indifferens ad essendum, & non essendum, debet ab alio aliquo determinari ad essendum. Cum enim huiusmodi determinatio sit actus eius, quod iam supponitur esse implicat, quod aliquid per se ipsum à se huiusmodi indifferentiam excludat. Alia igitur, est demonstratio, qua, via contingentiæ Dei existentia demonstratur, ab ea, qua, via efficientiæ.

62 Instabis: voluntas libera determinando se ipsam ad amorem potius, quam ad odium aufert à se indifferentiam, quam ad vtrumque habet. ergo non est, cur creatura per se ipsam non possit à se excludere indifferentiam, quam habet ad esse, & non esse. Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam; ratio disparitatis est, quia voluntas ad auferendam à se indifferentiam illam præsupponitur existens, & sic sufficiens ad se determinandum potius, ad amorem, quam ad odium. Impossibile autem est, quod hoc de creatura in casu nostro verificetur, quare retorqueo argumentum: Implicat, quod actus amoris auferat à se indifferentiam, quam habet ad existendum, & ideò determinationem expectat à voluntate præexistente. ergo etiã, creatura expectare debet determinationẽ ab ente necessario ita, vt implicet, vt eam à se per se ipsam excludat.

63 Obijcies secundo: facta suppositione, quod ex contingentibus nihil existeret, non sequeretur quod, omne esset impossibile, nisi daretur aliquod ens necessarium. ergo tota demonstratio ex contingentia desumpta nihil concludit. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia facta illa hypothesi, adhuc dici posset, quod nullum ens contingens euaderet chymericum, retineret enim eadẽ prædicata, quæ nunc habet. ergo non sequeretur, quod omne esset impossibile.

Respondeo distinguendo antecedens: & siquidem sermo sit de impossibilitate intrinseca, transeat, quod non sequeretur: Omne fore impossibile; sin autem de extrinseca, nego antecedens, & consequentiam; & ad probationem antecedentis, dico dupliciter posse concipi rem aliquam esse impossibilem: primo intrinsece, ex eo, quod implicantiam in suis prædicatis inuolat; Secundo extrinsece ex eo, quod etiam si dictam implicantiam, non inuoluerit, adhuc nullum agens haberet potentiam extrahendi illam de non esse ad esse. Quãuis autem, si nullum daretur ens necessario existens, non sequeretur: Omne contingens fore impossibile primo modo, quatenus supponeretur remanere cum ijsdem prædicatis, quæ de facto nunc habet: non posset tamen negari, quin foret impossibile secundo modo, quia non daretur agens, quod illud extraheret de non esse ad esse. Porrò, quando assumitur ens contingens esse possibile, de vtraque possibilitate sermo est, alias non haberet, omnibus pensatis, indifferentiam, ad essendum, & non essendum. Vbi noto me dedisse Aduersario, quod si non daretur ens necessarium, ex hypothesi, quod nullum contingens existeret, omne esset possibile possibilitate intrinseca: hoc enim etiam falsum esse existimo, quia omne ens contingens est ex suis intrinsecis essentialiter connexum cum Deo, vti sæpè diximus: atque adeò facta suppositione, quo, Deus non esset, omne contingens, prædicatum quoddam transcendentale, & essentiale dependeret, ex cuius deperditione euaderet intrinsecè chymericum, & implicatorium.

Obijcies tertio: ex præmissis cõtingentibus non benè deducitur conclusio necessaria, vt logici docent. ergo neque ex rebus contingentibus quas existere cernimus, potest inferri ens necessario existentes. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia, ad hoc, vt intellectus necessariam inferat consequentiam, debet determinari à medio termino, quod cum vtrique extremo conclusionis in duabus præmissis rectè dispositum vtramque constituat necessariam: aliter, si altera est contingens, non potest dare sufficiens fundamentum intellectui inferendi consequentiam necessariam, sed contingentem; eo quod conclusio, vti docent Logici, sequitur semper debiliorem partem. At res contingentes hoc ipso, quod non sunt sibi sufficientes, ad se determinandum, vt existant, dant sufficiens fundamentum intellectui, euidenter colligendi, quod detur ens necessarium, quod ab eis huiusmodi indeterminationem auferat.

Instabis: vt intellectus habeat sufficiens fundamentum euidenter colligendi, quod detur ens necessarium, debet euidenter cognoscere in nullo casu de facto posse habere veritatem hanc propositionem: nullum ens existit. Sed hoc nequit euidenter cognoscere. ergo nulla responsio. Maior patet. Minor probatur: intellectus non potest dictam propositionem euidenter cognoscere ex terminis, vti ex dictis supra satis constat; neque per medium demonstratiuum: nã si hoc esset dabile, maxime esset, quia ex veritate dictæ propositionis sequerentur duo contradictoria, quod nullum ens existeret, & aliquod ens existeret; sed hoc est falsum: nam altera ex his propositionibus est affirmatiua, quæ non potest deduci ex negatiua, cuiusmodi est illa (nullum ens existit)

Respondeo concessa maiori, negando minorem,

dum, ad eius probationem dico: intellectum illius propositionis facilius posse demonstrationi cognoscere, & ad probationem in contrarium concessa maiore, nego minorem, & ad eius confirmationem aio, quod licet ex negativa propositione, non possit sequi affirmativa, tamen quæ consequentia syllogistica in bona forma. Potest tamen, sequi aliquem conditionatum ex sua condicione. Sicuti ex hypothesi, quod nulla detur veritas, deducitur, quod detur aliqua veritas nempè illius propositionis, quæ cum veritatem afferret nullam dari veritatem.

66 Obiicit quarto, contingentialia distributiuè accepta sunt contingentia, quia singula vitari possunt ab homine; sed collectiuè sumpta sunt necessaria, quia non potest homo ab omnibus se abstinere, ergo tum ea, quod singula individua rerum creaturarum contingentia sint: benè stat quod eorum collectio sit necessaria. Non est igitur necesse, admisso processu in infinitum rerum contingentium, deuenire ad aliquod ens necessarium, quod sit extra totam collectionem illorum omnia.

Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas hæc quia necessitas, quæ haberetur in tota collectione venialium illis prouenire ab extrinseco, quidlibet à motiua ad exeundum, quæ licet habeat quilibet omnia venialia distribuere semper ad vitandum, non habet tamen vniuersaliter omnia collectiuè ea, quod maior vis dissuasiua est adhibenda ad illud. At necessitas, quæ reperitur in tota collectione contingentium, adhoc, vt non negetur aliquo alio eorum necessitò eximendo posito, à quo determinetur ad existendum, debet esse ipsis intrinseca, quia per se ipsa obstricta, vt à se, indifferentiam auferat, quod euidenter implicat contradictionis, & reuera collectio eorum supra singula distributiuè debet importare contingentiam omnium, quam non important singula, vt de se patet; quare tantum abest, vt importet de se necessitatem essendi, vt potius multo maiorem contingentiam includat, vt patet ex toto, cuius singulæ partes contingentes sunt, illud enim præter contingentiam singularum, aliam quandam, quæ competit ipsi in ratione totius includat, necesse est.

DISPVTATIO SEXAGESIMA

DE DEO QVANTVM AD QVID SIT Eius speciale constitutiuum.

1 EXplicatis principiis rationibus, quibus Deum existere demonstrari solet, essentiam conijciendam accedimus. Cumque multas in Deo perfectiones considerare possimus, quarum aliquæ se habent, vt genera, cuiusmodi sunt esse substantiam, intellectiuam, puta spiritualem &c. Aliæ verò, vt proprietates, vt esse sapientem, iustum, omnipotentem, & similes, de quibus longè à Theologis controuersia instituuntur, illis omnibus ipsis relictis, solum cum recentioribus in quæstionem adducimus, vt videamus, quodnam sit eius speciale constitutiuum, cuius beneficio Deus, quæ talis est, vltimo constituatur.

SECTIO PRIMA.

An speciale constitutiuum Deitatis importet omnia, quæ sunt formalitates in Deo.

2 VT melius intelligantur, quæ à nobis superabhac tota controuersia dicenda, sunt supponendum videtur speciale, cuiuscumque rei constitutiuum, sed quod idem est, vltimam differentiam essentialem esse prædicatum illud, quod vltimo essentialiter constituit rem, & facit eam primo differre à quacumque alia re, quæ non est ipsa. Nisi enim rem essentialiter constitueret, non esset de eius essentia, & nisi vltimo illam constitueret, omnes alias rationes generis superiores determinando, res adhuc esset vlterius in sua essentia complebilis, & sic respectu illius se haberet, vt vltimum prædicatum, & non vltimum, quod implicat. Denique licet multa sint in re, per quæ differat à quocumque alio, quod non est ipsa vt G. in homine præter rationalitatem sit admirationis, risibilitas, & similia, per quæ differat ab omni eo, quod homo non est. Primum tamen, per quod differt, est vltima eius differentia, nempè rationalitas, siquidem reliqua, tanquam proprietates ab ea profluere concipiuntur. Vnde est, vt communiter dicant Logici, vltimam differentiam non debere in alio, prædicato radicari, sed benè debere esse radicem omnium prædicatorum, per quæ constitutum differt ab omni

omni alio, quod non est ipsum; quia siquid nihil aliud supponere sese debet, à quo prosluat (quamuis enim superiora genera supponat ab eis tamen minimè prosluit, vt de se patet) ita debet esse talis, vt reliqua proprietates, siue mediatè, siue immediatè ab illa procedant. Iam verò speciale constitutiuum Deitatis in mea sententia, quemadmodum non est propriè vltima differentia: ita, neque has conditiones perfectè participare debet, sed solum imperfectè, sicuti distinctiones imperfectæ rationis à praedicatis suis generibus, & attributalibus eam distinguit suppono. Per hoc autem distinctio rationis perfecta differt ab imperfecta, quod perfecta inter illos terminos inter se identificatos reperitur, qui tum secundum conceptum explicitum, tum secundum implicitum se excludunt; imperfecta verò in ijs tantum terminis realiter identificatis habet locum, qui licet secundum conceptum explicitum se excludant non tamen secundum implicitum: his ita constitutis.

Nostra Conclusio ad quæstionis respondens, est negatiua cõtra nominales quos videmus sequi Suarez *prima parte lib. primo cap.* 11. & nonnulli alij dicẽtes speciale cõstitutiuum Deitatis importare omnia, quæ sunt realiter Deo.

3 Probatur assertio, quia vel inter hæc omnia includuntur perfectiones etiam relatiuæ, vel absolutè tantum comprehenduntur. Neutrum dici potest. ergo &c. Maior est euidens à sufficienti partium enumeratione. Minor verò probatur, & quidem, quod includi nequeant perfectiones relatiuæ suadetur ex eo, quia in qualibet persona diuina reperitur constitutiuum speciale Deitatis essentialiter, eo quod quælibet Deus est: at non in qualibet aliarum personalitates tanquam constitutiuum, alioqui Pater esset Filius, & Spiritus Sanctus quo quid absurdius? Quod verò, neque tantum absolutæ comprehendantur, probatur primo, quia sic nullus relinqueretur quæstioni locus; siquidem vbi nulla intercedit distinctio saltem rationis, inter prædicata, quæ in re aliqua continentur, non potest in ea assignari speciale constitutiuum; hoc enim tum superiora quædam supponit, quæ determinet, tum inferiora, quæ saltem virtualiter gignat; ergo hæc sententia præsentem quæstionem è medio tollit.

4 Probatur secundò, quia Aduersarij, vel loquuntur in sensu reali, vel in formali, & siquidem in primo loquatur verum dicunt; sed nostra quæstio procedit in sensu formali, & secundum nostrum modum in adæquatè Deitatem concipiendi, in quo sensu non habere veritatem eorum sententiam, suadetur, quia tolleret è medio diuina attributa contra sensum Patrum, & Theologorum, nam attributa, aliquam distinctionem saltem imperfectam ratione nostra à natura diuina habere debent, eo quod veluti proprietates quædam ab ea profluere concipiantur, non quidem temere, sed cum fundamento in re, quod noster intellectus ex rebus creatis accipit in quibus proprietates quasdam ab earum differentijs emanare animaduertit. Consequens ita est admittendum, ergo &c.

Obijcies primò: ex radice attributorum, & attributis ipsis ratione adstrictis fit vnum per se, sed hoc non est aliud, quàm essentia diuina, ergo ratione nostra attributa includuntur in essentia diuina. Sed non includuntur in ea accepta secundum rationes generibus, quia in his cõuenit cum creaturis. ergo secundum quod importat speciale cõstitutiuum Dei. Omnia videtur certa, si vera est maior; eius tamen veritas suadetur, quia ex actu primo in Deo, & attributis ratione intrinsecæ communicationis fit vnũ, sed nõ fit vnũ per accidens, aliter in Deo attributa essent accidentia Metaphysica. ergo fit vnum per se. Respondeo distinguendo maiorem: ex radice attributorum in Deo, & attributis ipsis fit vnum per se simpliciter, hoc est essentialiter nego. Secundum quid, ratione scilicet perfectissimæ coniunctionis concedo: & sic distinctam minore; & siquidem hoc esset vnum per se simpliciter concedo, posito, quod est secundum quid, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem maioris concessa maiore: negat minorem Arriaga *prima parte disput.* 16. *sect. prima*, vbi docet attributa in Deo habere rationem accidentium Metaphysicorum secundum nostrum modum concipiendi eo, quod profluere intelliguntur ab essentia. Sed melius hoc negandum videtur, dicendumque, quod accidens Metaphysicum est id, quod neque explicitè, neque implicitè essentiam substantialem importat, eiusmodi non sunt attributa diuina; quemadmodum propter eandem rationem, neque attributa entis; medio enim modo se habere videntur inter substantiam, & accidens. Vndè non est mirum: si medio etiam modo ex attributis, & diuina essentia vnum per se ratione nostra resultet.

5 Obijcies secundo: speciale constitutiuum Deitatis realiter includere debet omnem perfectionem, quæ in Deo, est. ergo etiam formaliter & ratione nostra. Antecedens patet, consequentia probatur, quia nisi formaliter perfectionem omnem includeret esset imperfectum. Respondeo concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio negationis, est quia [illegible] nostra sumitur inadæquatè, prout scilicet includit vltimæ differentiæ rerum creatarum adeò, prout includit perfectionem in determinato genere specialis constitutiui, quod sit radix omnium perfectionum in omni genere. Ad probationem in contrarium. Respondeo distinguendo assumptum: esset imperfectũ positiuè, nego; præcisiuè concedo, quia licet non representetur explicitè nostro intellectui cum omni perfectione, quam de facto Deus habet; cum nulla tamen positiua imperfectione repræsentatur; quod si quæras vtrum sit eadem an alia vltima ratione Deitatis, quæ est à parte rei in Deo. Respondeo, esse prorsus eandem, sed in adæquatè secundum conceptum explicitum conceptam; ad eum planè modum quo dicimus rationem formalem substantiæ, quam in homine concipimus esse eandem cum substantia hominis, sed inadæquatè conceptam.

6 Obijcies tertio: quod quid secundum conceptum implicitum includitur in aliquo, est de essentia

Digitized by Google

sentia illius. Sed cum prædicata generica, tum attributa includuntur non secundum conceptum implicitum in speciali constitutivo Deitatis, ergo sunt de essentia illius, sed quodlibet in se sua essentialia prædicata includit. ergo speciale constitutivum Deitatis ratione nostra importat omnia, quæ sunt in Deo. Respondeo dupliciter nos de rebus essentijs cōsideratis in statu obiectiuo loqui posse. Primo secundum ea, quæ tam implicitè, quàm explicitè continent: Secundo secundum ea, quæ continent explicitè tantum. Iam si loquamur de essentia vltimi constitutiui Deitatis primo modo verum est continere omnia, quæ sunt in Deo. Quoniam verò nobis in præsentia sermo est de ea secundo modo considerata, hoc est secundum ea, quæ explicitè tantum importat, est falsum. Quare ad argumentum distinguo maiorem: quid quid secundum conceptum implicitum includitur in aliquo, est de essentia illius, si sumatur essentia secundum ea, quæ tam implicitè, tum explicitè continet, concedo: sin autem secundum illa tantum, quæ continet explicitè, nego maiorem, & consequentiam minore: distinguo eodem modo consequens, & ad subsumptum, dico quodlibet in se sua essentialia prædicata semper includere in esse, vel implicitè, vel explicitè, licet aliquando quando ea explicitè includit nulla ratione distinguatur ab illis collectiuè acceptis, si tamen ea includat implicitè tantum, distinguitur distinctione rationis imperfectæ, quæ sufficit, vt dicamus, vltimum constitutiuum Deitatis in statu intentionali non importare omnia, quæ sunt in Deo, pro statu reali. Atque hæc in sententia eorum, qui distinctionem rationis imperfectam inter diuinas perfectiones absolutas agnoscunt. Nam in sententia Scoti, qui ponit inter eas distinctionem formalem à parte rei, & in sententia aliorum, qui volunt eas distingui per intellectum distinctione perfecta. Nulla est difficultas eum sustineant, vltimum constitutiuum Deitatis neque explicitè, neque implicitè prædicata generica, & attributalia in se formaliter continere.

SECTIO SECVNDA.

An speciale constitutiuum Deitatis sit infinitas.

8 Conclusio est negatiua, & communis contra Argentinam *in prima quæstione prima Prologi*, & alios docentes speciale constitutiuum, per quod Deitas, seu quod idem est diuina essentia essentialiter vltimo completur, esse infinitatem.

Probatur primo Conclusio, quia infinitas recte diuiditur in infinitatem in omni genere perfectionis, & in infinitatem in certo quodam, & determinato genere V. G. extensionis, vel intentionis &c. Sed neutra infinitas potest esse speciale constitutiuum Deitatis. ergo &c. Minor quo ad priorem patet videtur certa, quia infinitas in omni genere non portat perfectiones singulorum attributorum, quæ suos in Deo V. G. Sapientiæ, Iustitiæ &c. Quare si vltimum constitutiuum Deitatis huiusmodi infinitatem importaret, sequeretur, quod esset aggregatum omnium perfectionum diuinarum, quam sententiam supra reiecimus. Quod ad posteriorem verò, eadem manet facultas, quia infinitas in certo quodam, & determinato genere potest reperiri in rebus creatis, vt videmus in physicis. Implicat autem speciale constitutiuum Deitatis posse esse commune Deo, & Creaturis, quia sic per ipsum simul differret primo, & non differret Deus ab omni alio, quod Deus non est. ergo &c.

9 Probatur secundo, quia vt bene argumentatur Gillius *lib. secundo tract. primo cap. 9. & tract. 2. cap. quarto*, vel infinitas sumitur negatiuè, vel positiuè; sed neutro modo est speciale constitutiuum Deitatis. ergo &c. Maior patet. Minor probatur, & quidem, quod non sit primo modo accepta, est euidens, quia negatiuum nequit esse constitutiuum essentiæ realis præsertim perfectissimæ, qualis est diuina: quod verò neque secundo modo, suadetur, quia positiuè infinitas, vel accipitur materialiter, pro ea perfectione, quæ denominatur infinita, & sic comprehendit perfectiones attributales, quæ de se sunt infinitæ, vt sapientia, potentia &c. quare non potest esse constitutiuum speciale Deitatis. Vel sumitur formaliter, prout infinitas est quidam modus perfectiones diuinas afficiens, & sic cum sit quid posterius perfectione, quam afficit, & modificat, multo magis erit vltimum constitutiuum. Duæ difficultates in hac ratione. Recupito *lib. secundo de essentia Dei quæst. 1. cap. 3. num. 8.* Primum est infinitatem materialiter sumptam, necessario perfectiones attributales comprehendere: potest enim dici cum Scotistis aliam esse infinitatem essentialem, aliam attributalem. Speciale verò constitutiuum Deitatis esse primam tantum, & non includere posteriorem. Secundum verò infinitatem formaliter susceptam esse modum quidem perfectionem diuinas, & sic esse illis posteriorem. Hoc enim videtur falsum, nam infinitas in Deo licet quo ad modum significandi explicetur modaliter, quod ad rem tamen significatam est ipsa collectio perfectionum excludens terminum per illam autem, quæ est sine termino docente Aduersarij communem diuinam essentiam.

10 Sed neutrum solidaretur rationis Gillio allegatæ labefactat. Non primum, tum quia Particula, materialiter, sumpta communem intelligentiam, totam vel entitatem appellat, cum etiam, quia hoc ipso, quod admittunt Aduersarij infinitatem essentialem materialiter sumptam esse speciale constitutiuum Deitatis, cum sic accepta sumatur pro ea perfectione, quæ denominatur infinita, necessario facit debere hanc perfectionem esse speciale constitutiuum, & non ipsam infinitatem, quæ nihil aliud nisi modus essentialis ab attributali non

11 citur

citur habet maiorem vim: quod probo, primo, quia involuit repugnantiã dicendo infinitatem formaliter acceptam, secundum rem significatam esse ipsam collectionem diuinarum perfectionum; & per eam, pronè est finetermino, docere Aduersarios constitui diuinam essentiam. Si enim infinitas formaliter sumpta est ipsa collectio diuinarum perfectionum, hoc ipso, quod speciale constitutiuum Deitatis est huiusmodi infinitas: rectè deducitur speciale constitutiuum esse huiusmodi collectionem, & sic importare omnia, tum generica, tum attributalia, quæ sunt in Deo; quod supra vidimus esse impossibile, neque hoc Aduersarij dicunt. Quod si respondeat huiusmodi perfectionum collectionem posse dupliciter considerari. Primo secundum rem significatam videlicet, quæ talis est; Secundo, prout est fine termino. Esse verò speciale constitutiuum Deitatis per Aduersarios hoc secundo modo acceptam, non primo: & sic constitutiuum non importare formaliter perfectiones genericas, & attributales. Contra est, quia collectio, prout est fine termino importat negationem termini formaliter; quare est infinitas negatiuè, ergo impossibile est, quod Aduersarij collectionem perfectionum diuinarum hoc modo acceptam esse speciale constitutiuum Deitatis existiment. Certè tum ex eò contra infinitatem formaliter acceptam procedere rationem Gilbi fiat, quia quando ab eo assumitur huiusmodi infinitatem esse modum quendam diuinas perfectiones afficientem, non debet intelligi de modo specialiter, & rigorosè accepto, neque in ea generalitate, in qua omne contrahens, vel determinans solet appellari modus rei contractæ, & determinatæ; sed solum, quatenus importat hanc sequutionem quandam, & posteriorem diuinis indispensabilem respectu diuinarum perfectionum, ea plane ratione, qua modus, necessariò, & indispensabiliter consequitur rem modificatam; quodquidem ita se habere in casu nostro sic colligendo, siquidem, ad hoc, vt constet formalis ratio infinitatis V. G. in numero debet præsupponi totum individuum in ea collectione, quæ sunt necessaria ad hoc vt verificetur esse id, cuius semper est aliquid extra accipere, dicam iterandum de formalitatione infinitatis in extensione, & in essentia: semper enim appellerabo quantitatem, ex qua ipsa ratio infinitatis oriatur, & qui, vt supra vidimus speciale cõstitutiuũ Deitatis non debet radicari in aliqua perfectione superiori, sed bene esse prima radix proprietatũ cõsequẽtium, ergo nec inferitur, quod nõ constet in infinitate formaliter cõsiderata, sed bene in infinitate fundamẽtaliter accepta, qua, si prima radix attributorum, vti infra videbimus, non

Obiicies primò illa perfectio formaliter sumpta, quæ facit primo differre Deũ ab omni alio, ea certè est infinitas, ergo infinita. Consequentia probatur, nõ enim potest ab vero præscindere, quia hoc est proprium conceptus entis vniuersalissimi, quod est valde confusus, & indeterminatus, & insufficiens Deitatem non constituere. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam, cum sua probatione; dico enim quod vltima veluti differentia Dei cũ ponitur formaliter, sed tamen radicaliter infinita, secundũ se præscindit ab infinitate, ad probationem in contrariũ dico propterũ rationis entis communissimè sumpti esse præscindere à finitate, & infinitate per indifferentiam ad vtrũque; at verò vltima veluti differentia Deitatis in priori, in quo intelligitur à nobis procedere attributa, excludit quidem à se finitatem, præscindit verò ab infinitate non per indifferentiam, sed tantum per antecessionem rationis, sicuti rationalitas licet non sit indifferens, ad oppositum risibilitati, intelligitur tamen præscindere in priori naturæ, ab illa.

Obiicies secundò: attributa Deitatis sunt infinita propter identitatẽ cum diuina essentia; ergo diuina essentia formaliter se ipsa est infinita, & sic vltimum eius constitutiuũ erit infinitas. Respondeo antecedens non habere veritatẽ præsertim quo ad aliqua attributa V. G. quo. ad. omnipotentiam, sapientiam, & similia; eo tamen dato distinguo consequens: diuina essentia formaliter per se ipsam est infinita, hoc est ex se habet vt ad eam consequatur ratio infinitatis, concedo hoc est essentialiter habere modum concipiendi infinitatem, nego consequentiam.

SECTIO TERTIA.

An speciale constitutiuum Deitatis sit intellectio.

CErtum est negatiua contra Autores in 1. dist. 8. q. 3. Gabrielem ibidem quos sequitur Herice. dict. 8. cap. 2. cum aliis recentioribus, qui putant vltimam differentiam per quam primo essentia Dei differt à quocumque alio esse diuinam intellectionem.

Probatur primo nostra conclusio, quia diuina intellectio vel sumitur in ratione intellectionis vt sic; & hoc dici nequit, quia hæc non facit Deum à quocumque alio differre, vel sumitur pro intellectione quæ Deus est, & neque hoc dici potest, quia vt sic non facit Deum primo ab aliis differre, cuiusmodi esse speciale constitutiuum necesse est. Assumptum hoc probatur, quia ratio diuini, vel importat independentiam, vel puritatem actus, vel limitationem. Nullam autem ex his dici posse quæ inde sequeretur vltimum constitutiuum Deitatis non esse intellectionem, vnum ex dictis. Vel simile quia sic existimari debet vltimum constitutiuum, quod vltimum determinat præcisata superiora veluti genetica, sed huiusmodi non est intellectio, sed bene id per quod ipsa contrahitur ad esse diuinum, ergo. Patet etiam secundo, quia independentia, puritas, & illimitatio importando hoc est intelligendo supponit, dependentiam, puritatem, & illimitationem in essendo, eo quod actus secundus ex nostro mo-

nostro modo concipiendi supponit actum primum; ergo neque ut divina est intellectio est speciale Deitatis constitutivum. Ad hoc aliqui dicunt non distingui in Deo rationem nostram esse ab operari immanenter; sed facile redarguuntur; quia alius est conceptus explicitus, quo formamus de Deo, prout concipimus in eo perfectionem respondentem nostro esse ab eo, quo formamus de eo, pro ut concipimus in ipso perfectionem respondentem ad nostrum operari; ergo huiusmodi conceptus ratione nostra distinguuntur.

15 Alij ad hoc replicant, quod licet principium intelligendi in Deo ab eius intellectione ratione nostra distinguatur: quia tamen huiusmodi distinctio est per intellectum, non facit ad propositum, quia in praesenti quaestione quaeritur, per quid constituatur natura divina à parte rei esse intellectum nostrum; non autem per quid ratione nostra tantum; sed hi facile etiam redarguuntur primo, quia si sermo esset de speciali constitutivo divinae essentiae, prout est à parte rei, sequeretur, quod divina attributa in speciali constitutivo continerentur; sed hoc est absurdum, ut patet ex dictis; ergo &c. probo sequelam, quia attributa neque actualiter ut supponuntur, neque virtualiter virtualitate, intrinseca à divina intellectione distinguuntur; ergo non ingrederentur ultimum constitutivum. Secundo, quia etiam si sic distinguerentur, divina cognitio non se haberet ut radix illorum ut immensitatis, aeternitatis, independentiae &c. non enim potest assignari quo modo haec omnia in divina intellectione radicentur, & non econtra intellectio in illis cum praesertim videamus intellectionem consequi ad immaterialitatem, ergo &c.

16 Obijcies primo nulla creatura est magis cognita, quam Deus essentia, sed actus intellectionis nostri est maxime cognitus; ergo multo magis essentia Dei. Respondeo eadem argumenta posse fieri de attributis misericordiae, iustitiae &c. sed nego igitur maiorem. Ratio negationis est, quia cum Deus pluribus creaturis perfectionibus aequiparetur, dum concipitur, prout apud nostrum radicatum principio intellectionis ratione nostra, & secundum id, quod explicite in eo non habet rationem intellectionis, sensus habet nostra cognitio quae propter summam simplicitatem non habet nisi intellectionis effectum.

17 Obijcies secundo speciale constitutivum cuiuscumque intellectualium est pes habitudinis ad proprium intelligere, ut patet in homine, cuius speciale constitutivum est rationalitas; ergo etiam in actibus increatis intellectualibus speciale constitutivum erit etiam pes intelligere proprium. Respondeo hoc argumentum ad summum probare gradum substantialem intellectivum esse speciale Dei constitutivum, non autem id creaturis intellectualibus, nisi velimus eandem intellectionem ut ut de se patet aliquando igitur de gradu intellectivo, nego consequentiam, disparitas est, quia in creaturis non habetur aliqua ratio prior, in qua dictus gradus radicetur, & inde intelligatur prosluere, & ideo illas primo distinguit: at in Deo est conceptibilis ut prior ratio entis à se subsistentis, in qua gradus ille, & caeteri omnes, qui competunt Deo, intelliguntur radicari, & inde prosluere; licet autem per hanc rationem gradus intellectivi non habeat in Deo rationem ultimae differentiae, est tamen supremus, in quo potest creatura assimilari substantialiter Deo posito, quod non possit assimilari in gradu essendi à se, primus enim, & infimus est gradus essendi, secundus, & medius viuendi, tertius, & supremus intelligendi: in quo sensu qu. 93. art. 7. dixit D. Thomas solas creaturas intellectuales esse ad imaginem Dei, quia imago attenditur secundum ultimam differentiam quem locum aliqui ita intelligunt, ut ly secundum ultimam differentiam velint, quod apellent ipsam imaginem, seu creaturam: non autem imaginatum, seu Deum; sed melius dicendum nomine differentiae intelligi diuinam imitabilitatem iuxta eriplicem gradum assignatum, cuius ultima est gradus intellectivi.

Obijcies tertio gradus intellectivi in Deo 18
est perfectio omnium maxima, ergo est speciale constitutivum Deitatis. Consequentia patet, Antecedens probatur: tum quia in Creatis est omnium maxima tum etiam quia Deus est beatus essentialiter: beatitudo autem consistit in cognitione. Respondeo negando antecedens, & ad priorem probationem nego paritatem, disparitas est, quia in creaturis rationes, quae dictum gradum procedere intelliguntur, ut substantiae, viuentis &c. sunt illo imperfectiores: ergo ratio entis à se, in qua intelligitur radicari gradus intellectivi divini est illo perfectior in Deo. Ad posteriorem verò aio Deum dici beatum essentialiter beatitudine obiectiua, in quantum eius essentia est obiectum beatitudinis. Quod si contendas esse sermonem de beatitudine formali, dicam hoc verum esse identice, & secundum implicita, in quo sensu dixit D. T. pr. qu. 14. art. 5. Deum esse sum intelligere.

Obijcies quarto si speciale constitutivum 19
Dei esset intellectio, non posset assignari, cur filius in diuinis producatur in similitudine naturae, non autem Spiritus Sanctus; sed hoc est inconueniens; ergo &c. Respondeo negando maiorem; ratio discriminis est, quia virtualis intellectio debet assimilari obiecto, simile autem intentionale, quam habet in creatis, petunt in realem in Deo propter summam perfectionem, quam habet in genere assimilationis: at verò voluntas est tendentia in obiectum, quae ratione vltimi eius expressionis, & ideo verbum procedit in similitudinem naturae, non verò Spiritus Sanctus. Ceterum adeo, quod si intellectio esset constitutiua naturae diuinae, non posset filius procedere vt filius in natura, nisi produceretur vt intellectio, quod tamen falsum est cum de facto producatur vt Verbum, quod est certum intellectionis.

Atque ex his colligo speciale constitutiuum 20
Deitatis non consistere in gradu essendi simpliciter, seu quod idem est substantialiter vt pura Deitas, neque in gradu speciali viuentis vt

censent alij. Ratio est, quia tum ratio substantiæ, tum ratio viuentis non præcisè, sed per aliquid aliud debeat intelligi, quod specialiter constituat Deitatem; ergo neutra est speciale constitutiuum, sed id quod intelligitur eas ad esse diuinum coarctare.

SECTIO QVARTA.

An speciale constitutiuum Deitatis sit vnus entis à se.

21 CONclusio est affirmatiua, quam docet D. T. *p. par. qu. 3. art. 4. in corp.* vbi ait quod Dei essentia est eius esse, & sequuntur Recupitus. *tract. 1. lib. 2 qu. 14. cap. 4.* Arriaga *disput. 16. sect. 4.* Exparsa *p. p. qu. 5.* & alij Recentiores.

22 Probatur primo auctoritate. Exodi *cap. 3.* dicitur: Ego sum qui sum, qui est, misit me ad vos. Super quæ D. T. *qu. 13. art. 11.* ait: hoc nomen (qui est) esse maximè proprium Dei, & S. Athanasius orat. contra idolas Dei inquit, esse ipsum esse est, & Nazianzenus *orat. 32.* essentia Dei ipsum esse eius est. Sed scripturæ & Patres non possunt loqui de esse quomodocumque; ergo de esse à se. Confirmatur ex Cyrillo Alexandrino *cap. 3. de Trinit.* vbi ait diuinitatem esse proprium Dei, quemadmodum creatum esse creaturæ: cum ergo speciale constitutiuum creaturæ sit esse ab alio; ergo & speciale constitutiuum Dei erit esse à se.

23 Dices: rationem essendi ab alio esse quid positiuum, & ideo posse esse speciale constitutiuum creaturæ; sed rationem essendi á se importare quid negatiuum; idem enim significat, ac esse independens, & increatum, ergo nequit esse speciale constitutiuum Deitatis. Rectè enim Aristoteles primo *de malum cap. 30.* aperum inquit, impossibile est, quod priuatio sit differentia.

Respondeo distinguendo minorem: ratio essendi á se importare quid negatiuum quo ad modum significandi, concedo minorem: quo ad modum essendi, nego minorem, & consequentiam, ad differentiam enim sufficit, quod in essendo sit quid positiuum, quid quid sit á parte modum negatiuum explicemus, vt patet ex irrationalitate, quæ est differentia positiua animalis. Hoc modo autem asserendum esse Deum de sententiam patet ex D. T. *pro eamque qu. 14.* quia inquit, in consideratione substantiæ diuinæ non possumus accipere distinctionem eius ab aliis rebus per affirmatiuas differentias, oportet eã accipere per differentias negatiuas.

Probatur secundo ratione: id existimandũ est speciale constitutiuũ Deitatis ratione nostra, quod primo Deum distinguat á quocumque alio, & est prima radix attributorum, quæ propria sunt ipsius Dei; sed huiusmodi est esse viuentis à se; ergo &c. Maior patet, quia idem est primam distinguere, ac primum essentiale constitutiuum, quo proprietates ordinantur. Minor quo ad priorem partem probata remanet ex suprà dictis, & confirmatur, tum quia non potest assignari aliqua ratio, in qua ratio diuinæ independentiæ seu essendi á se radicetur: tum etiam quia sicuti ratio essendi ab alio primò distinguit creaturam á Deo, ita & ratio essendi á se primo distinguet Deũ à creatura. Tum denique quia illa ratio primò Deum distinguit à quocumque alio, quæ primo contrahit rationes quasi genericas, & superiores, in quibus Deus conuenit cum creaturis; talem autem esse rationem essendi à se, patet, quia rationes genericæ sunt hæ: ens, substantia, viuens, incorporea, intellectiua; hæ autem rationes nisi per rationem increati, seu essendi à se contrahantur, erunt indifferentes ad essendum in Deo, vel in creaturis; ergo &c. Iam verò eadem minor primi argumenti quo ad posteriorem partem probatur sic: quia duo sunt præcipua attributa diuina ex quibus cætera intelliguntur oriri, necessitas essendi, & illimitatio; ex priori enim oritur ratio actus puri; nam quod necesse est esse, nequit habere actum admixtum potentialitati; ex posteriori verò illimitatio quo ad perfectionem, in qua consistit bonitas; quo ad intelligere, in quo sapientia; quo ad velle, in quo charitas, iustitia, & cætera, quæ pertinent ad voluntatem; & quo ad posse, in quo consistit omnipotentia; & quo ad præsentiam, in quo immensitas, quo ad durationem, in quo æternitas &c. Sed ratio essendi à se est prima radix necessitatis essendi Dei, quia ideo Deus est ens necessarium, quia non est ab alio, sed á se. Sicuti ideo creatura est ens contingens, quia ab alio, & non à se: item est prima radix illimitationis, quia ideo Deus est ens illimitatum, quia non habet causam; hæc enim ratione causalitatis non potuit nisi limitatum esse tribuere effectui, vt patet ex creaturis, quæ quia essentialiter sunt à causa, essentialiter limitatum esse sibi vendicant; ergo &c. Stet igitur rationem entis à se distinguere Deum à quocumque alio, quod non est Deus, & esse primam radicem, ex qua omnia eius attributa procedunt.

24 *Objicies primo*: materia cæli in sententia eorum, qui volunt eam differre à nostra per hoc, quod sibi vendicet determinatam formam cæli, est primum distinctiuum cæli & tamen non est adæquatè constitutiuum; ergo quamuis esse à se sit primum distinctiuum Deitatis, non diffitemur tamen intellectionem illam adæquatè constituere. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam disparitas est, quia materia cæli in illa sententia non est radix omnium, quæ sunt in cælo. Quod enim sit negatiua formæ cæli quæ tamen omnium quæ sunt in cælo; ergo est radix immediate quidem formæ, mediatè verò cæterarum proprietatum. Respondeo negando consequentiam rationem enim radicis non sufficit negatiua, sed requiritur vel formalis, vel saltem exigentia. Quod si ergo his auctoribus materia radix præcontineat totum id, quod in arbore & tamen non sola radix est, ergo à pari. Respondeo concesso antecedente negando paritatem: disparitas est, quia ad exigentiam essentiæ requiritur esse principium intrinsecum eius, cuius est radix, non autem principium intrinsecum rationum subiectiuarum

fructum &c. sed extrinsecum, cum sit diuersũ suppositum partialiter. At verò ratio essendi à se in Deo ita præcontinet eminéter ratione nostra attributa, vt sit intrinsecũ illorũ principiũ

Sub nullabis: cadé res nequit eminéter, & formaliter simul esse in aliquo; sed attributa sũt formaliter in ratione entis à se, ergo non possunt præcõtineri eminéter in illa. Respõdeo distinguendo maiorẽ: & si quidẽ loquitur pro eodẽ statu, concedo: pro diuerso, nego maiorẽ; & ad minorẽ dico rationẽ entis à se pro statu quidẽ reali cõtinere formaliter attributa, at pro statu intẽtionali explicitè præcõtinere illa virtualiter, quia est ratio talis, vt si realiter ab illis distingueretur, ea in se produceret.

25 Obiicies secũdo: ratio entis à se cõuenit etiã attributis, & personalitatibus. ergo non potest esse constitutiuum speciale essentiæ. Respondent aliqui primo, negando antecedens, si sermo sit de statu non reali, sed intentionali; eo, quod ratione nostra attributa, & personalitates intelligũntur profluere ab alio, idest ab essentia. Sed contra hoc facit: quia, sicuti esse á se realiter, loquendo non excludit originem, & emanationem realem ab alio (filius enim in diuinis realiter est á se: & tamen per realẽ generationem producitur à Patre) ita esse à se ratione nostra non debet importare negationem productionis seu emanationis intentionalis ab alio; & sic etiam si attributa, & personalitates intelligantur fluere ab essentia formaliter, sunt à se, quia non fluunt cum causalitate, & indifferentia. Respondeo ergo secundo distinguendo antecedens: ratio entis à se conuenit attributis, & personalitatibus, in quantum condistinguntur ab essentia, nego; quatenus in eis imbibitur essentia, concedo antecedens, & nego consequentiam; eadem enim formalissima ratio entis à se, quæ constituit essentiam, intelligitur imbibi in attributis, & personalitatibus. sicuti etiam eadem formalissima ratio existentiæ. Quemadmodum enim cætera attributa sunt formaliter æterna per attributum æternitatis, ita & per rationem entis à se essentialem omnia, quæ sunt in Deo, habent esse á se. Quod si neque hæc responsio placet, poteris vti tertia Arriagæ volentis, ita speciale constitutiuum Deitatis assignandum esse: Est ens á se subsistens, per ly enim subsistens, intelligitur perfectio quædam fundans subsistentiam, quæ non competit attributis, & personalitatibus diuinis.

26 Obiicies tertio: ex dictis ratio substantiæ, & ratio intellectiui sunt priores ratione essendi à se. sed alterutra ex his potest primo distinguere Deum à quouis alio, antequam descẽdamus ad rationem essendi à se ergo &c. Maior patet. Minor probatur: quia si intelligamus rationem substantiæ contrahi admodum essendi per se proprium Dei vel rationem intellectiui ad modum intelligẽdi proprium eiusdẽ, alterutra ex his primo distingueret Deum à quo vis alio, ante quem ad rationem essendi á se descendamus. ergo &c. Respondeo, concessa maiore, negando minorem; ad cuius probationem dico non posse rationes illas substantiæ, & intellectiui descendere ad peculiarem modum, sub quo competant Deo, nisi præintelligantur contrahi ad rationem essendi à se, quia quævis alia ratio prior præscindit á creata, & increata, posterior verò imbibit esse à se.

Obiicies quartò ex D. T. *pr. contrag. cap.* 45. 27 vbi hæc habentur (intelligere comparatur ad intellectum, vt esse ad essentiam; sed esse diuinum est Dei essentia. ergo intelligere diuinum est Dei intellectus, intellectus autẽ Dei est eius essentia; oportet igitur, quod intelligere diuinũ sit eius essentia) sic S. D. Igitur ex eius mente non consistit vltimum Dei constitutiuum in esse á se. Respondeo primo diuinam essentiam tripliciter sumi posse: primo physicè, & sic includere formalissime omnia, quæ sunt in Deo tam absoluta, quam relatiua. Secundo veluti Theologicè in quantum condistinguitur à personalitatibus, & sic includere omnia absoluta, non autem relatiua. Tertiò denique metaphysicè, & formalissime, quo pacto neque relatiua neque absoluta omnia includit, sed tantum prædicata substantialia veluti generica, in quibus conuenit cum creaturis, & differentiam vltimam, quæ primo distinguit Deum à quouis alio, & est radix omnium attributorum diuinorum. Iam verò D. T. loquitur de diuina essentia non primo, neque tertiò modo, sed solum secundò modo considerata; at vero nos quando speciale Dei constitutiuum quærimus, agimus formalissimé, & metaphysicè; quod si quis contendat eum loqui de essentia diuina tertiò modo hoc ei dando. Respondeo secundo, quod quando S. T. colligit intelligere diuinum esse eius essentiam, loquitur de essentia adæquata constante ex vltimo quasi genere, & vltima quasi differentia, & vult quod intelligere se habeat vt genus, diuinum verò vt differentiam; addo tamen diuinum in hac restrictione acceptum nil aliud significare, quam esse à se.

Instabis: tota essentia metaphysica Dei re- 28 cte explicatur per rationem entis à se, ita vt ens se habeat veluti proximum genus, á seitas vt verò differentiã vltimã, ergo falsũ est, quod genus proximum sit ratio intellectiui, & speciale constitutiuum sit ratio entis à se. Consequẽtia patet paritate, quia male philosopharetur qui assignaret pro differentia vltima hominis rationem animalis rationalis, eo quod tota eius essentia metaphysica per hoc duplex prædicatum rectè intelligitur constituta. ergo &c. Antecedens suadetur primo ab Exparsa de Deo *qu.* 5. *art.* 5. sic: Ratio ẽtis est formaliter vniuersalissima omnium, ideoque prior prioritate cõsequentiæ, non mutuæ qualibet alia ratione: aliunde verò aseitas concipitur ad modum causæ cæterorum prædicatorum, atque adeo vt radix illorum; ergo ratio entis se habet vt genus, aseitas verò vt differẽtia. Idem antecedens suadetur ab eodem secundo *art.* 9. sic, quo aliqua magis distant inter se, eo est vniuersalior ratio, cui adiungitur immediate ratio differẽtialis eorum, vt patet ex substantia, & accidente, quibus pro genere assignantur ens. ergo

Digitized by Google

conceptus differentialis Dei debet a fortiori adiungi similiter immediatè rationi vniuersalissimæ entis.

Respondeo negando antecedens; ad cuius posteriorem probationem, vt à facilioribus incipiam: concesso antecedente, nego consequentiam; ratio negationis est, quia quemadmodum male quis definiret substantiam creatam assignando illi pro quasi genere ens vniuersalissime sumptum præscindens à creato, & increato, eo quod daretur in ea aliqua alia ratio entis cui ratio differentialis eius immediatus ingeretur, nimirum ratio entis creati, in qua proximè cum accidente creato substantia creata conueniret; ita male quis Deū definiret per rationem vniuersalissimam entis, quandoquidem datur in eo aliqua alia ratio minus vniuersalis, quæ possit se habere veluti genus proximius cui vltima quasi differentia illius adiungatur. Ex quo sequitur: ens creatum, & increatum, licet realiter maximè inter se distent: at formaliter loquendo, non ita se habere; quia si sumatur Deus, ex nostro modo concipiendi illum inadæquatè, multa habet, in quibus analogicè conuenit cum creaturis. Ad priorem verò probationem eiusdem antecedentis, concessa prima parte antecedentis, in qua assumitur rationem entis esse vniuersalissimam omnium; nego secundam, nimirum aseitatem concipi à nobis ad modum causæ cæterorum prædicatorum diuinorum; quia inde sequeretur, quod se haberet vt radix rationum substantiæ viuentis, & intellectiui, quæ Deo conueniunt; hoc autem dici nequit: alioquin dictæ rationes non essent Deo essentiales; sed attributales, quia posteriores essentia, quod nemo dixerit.

30 Ad hoc respondet Exparsa rationem attributi respectu Dei dupliciter vsurpari: primo pro perfectione absoluta, & necessaria habente similitudinem cum accidente creato, aut significata termino connotatiuo. Secundo pro perfectione qualibet secundaria præsupponēte ex nostro modo concipiendi rationem differentialem Dei; quo posito distinguit sequelam: alioquin dictæ rationes substantiæ &c. essent attributales iuxta primam acceptionem, negat; quia sunt (inquit) prædicata substantialia significantia ad modum per se stantis; essent attributales iuxta secundam acceptionem, concedit; eo quod sunt secundariæ perfectiones primariam supponentes. Porrò doctores quando id illis negant, loquuntur in primo sensu.

31 Sed contra hanc responsionem facit, quia tradita distinctio verbis tantum ludit, duo attributorum genera in Deo agnoscendo, vt nimirum excludantur dicta prædicata substantiæ &c. à primo genere; quod non obtineri: probo ex eo, quia primum genus importat per illum perfectiones absolutas necessarias similitudinem habentes cum accidente creato; sed huiusmodi essent dicta prædicata; ergo verè sub primo genere comprehenderentur; Probo minorem, quæ sola probatione eget; & quidem, quod dicta prædicata formaliter accepta sint perfectiones absolutæ, & necessariæ, patet; quod verò habeant similitudinem cum accidente creato, suadeo: quia hæc similitudo non potest in alio consistere, quam in radicatione in speciali constitutiuo essentiæ, quod nimirum sicuti accidentia propriè in creatis intelliguntur ab vltima differentia emanare, ita & primi generis attributa: sic enim vtraque sunt extra essentiam; & faciunt, eam differre secundo ab omni eo, quod non est ipsa; sed hoc totum verificaretur de prædicatis substantiæ viuentis, & intellectiui, in sententia huius auctoris; ergo &c. Minor, & consequentia patent. Maior probatur: quia si in aliquo alio dicta similitudo consisteret, maximè in eo (vt ipse se explicat) quod debeant significari ad modum adiacentis: nostra verò prædicata significantur ad modum per se stantis; sed hoc discrimen nullum esse, probo sic: quia significatio per modum adiacentis, quæ dicitur exigi ab attributis primi generis, vel est grammaticalis, vt nimirum adiectiuo, & non substantiuo nomine explicentur, vel philosophica; prior gratis assumitur, quod exigatur, aliter dicam aseitatem non esse speciale constitutiuum Deitatis, quia grammaticaliter, quoad modum significandi explicatur per negatiuum; constitutiuum autem entis realis debere positiue significari. Linquo hanc significationē haberi in prædicatis viuentis, & intellectiui, nam grammaticaliter adiectiuè significant; ergo &c. Posterior verò nempe philosophica habetur in casu nostro, siquidem hæc significatio per modum adiacentis aliud importare non potest, quam perfectionem, quæ ita formaliter accepta sit extra essentiam, vt nihilominus ab ea profluere, & emanare intelligatur; atqui totum hoc in dictis prædicatis haberetur, si aseitas ita esset speciale constitutiuum Deitatis vt intelligeretur immediatè contrahere rationem vniuersalissimam entis communem Deo, & creaturis. ergo iam dicta prædicata essent attributa primi generis; & quia quæuis alia, quæ in secundo genere attributorum reponi possunt, propter rationis paritatē ad primam pertinent, rectè deducitur tradita attributorū distinctionē futilem esse, & verbis tantum ludere.

Obiicies quintò: quando asseritur speciale 32
constitutiuum Deitatis esse rationem entis à se vel ratio entis sumitur participialiter pro ipso actuali exercitio existendi, quod consistit in actuali existentia; vel nominaliter pro essentia positiua rei, quæ potest existere; neutro modo accepta potest constituere vltimam differentiam. ergo &c. Maior patet à sufficienti partium enumeratione significationis huius vocis, ens, vt bene probat Suarez *in metaph. disput. 2. sect. 6.* Minor probatur quia ex vna parte actualis existentia supponit essentiam vltimo constitutam. ergo participialiter sumpta ratio entis non constituit vltimam differentiam; ex alia verò parte essentia positiua rei, quæ potest existere, importat totam essentiam. ergo neque nominaliter sumpta speciale constitutiuum importat.

Re-

Digitized by Google

Respondeo, negando maiorem, dico enim in assignando pro speciali constitutivo Deitatis rationem entis á se, ens vtroque modo sumi, videlicet tum participialiter, tum nominaliter. Significat enim, quod Deus neque in essentialibus: in quibus conuenit cum creaturis, neque in existendo pendet ab alio; sed per se ipsum est sibi sufficiens ad vtrumque, & per hoc maximè differt à creatura, quæ realem essentiam habet à diuina imitabilitate dependentem, & à sua Omnipotentia, existentiam. Per quæ patet responsio ad probationes in contrarium; & ad priorem quidem dico; existentiam in rebus quidem creatis supponere earum essentiam vltimo constitutam eo, quod illis competit accidentaliter: Contra verò in Deo, est speciale Deitatis constitutiuum partiale propter contrariam rationem. Ad posteriorem verò aio, quod licet esse nominaliter importet in creatis totam essentiam, non tamen in Deo; sed ad summum importat prædicata superiora in quibus conuenit in creaturis, quæ per hoc præcisè, quod concipiuntur non participari ab alio: iam incipiunt concipi per vltimam differentiam terminata, sed inadæquatè. Nam speciale constitutiuum Deitatis adæquatum est aseitas, seù independentia ab alio, non solum in dictis prædicatis, sed etiam in existendo, vt dictum est. Atque hæc est ratio, cur appelletur ratio entis à se, quia nimirum non potest vnico verbo sufficienter explicari.

33 Obijcies sexto: nisi ens à se importaret rationem veluti generica, & differentialem vltimo constitutiuam Deitatis, sequeretur quod male diuideretur ens vniuersalissimè sumptum in ens à se, & ens ab alio. Sed hoc dici nequit. ergo &c. Probas sequelam, quia diuisio fieri debet in proxima membra diuidentia; sed ratio entis à se per nos proximè diuidit sumum genus, quod vltimo contrahit, nempè intellectuum. ergo &c. Respondeo negando sequelam. Ad cuius probationem, dico hanc diuisionem non esse generis in differentias, quia huiusmodi diuisio damnatur à Boetio, Porphyrio, & alijs apud Fonsecam *lib. 4. Instit. Dialect. cap. 8.* Sed veluti generis in species, & quia respectu entis vniuersalissimi, prout præscindit à creato, & increato nullæ species immediatiores assignari possunt, quæ adæquent totum diuisum, nisi ens à se, & ens ab alio: ideò rectè huiusmodi diuisionem traditam esse existimandum est. Quemadmodum igitur ens ab alio omne ens participatum sub se comprehendit, quamuis sub generibus immediatioribus contineatur: ita ens à se importat ipsum Deum, quatenus secundum omnem rationem, quam continet, est ens à se participatum ab alio. Quid quid sit si genus proximum Deitatis formaliter non sit ens vniuersalissimè sumptum. Rectè enim Fonseca *lib. 6. cap. 11.* bonæ diuisionis præcepta tradens ait: secundum præceptum esse, vt quantum fieri possit diuisio, fiat in proxima membra diuidentia.

DISPVTATIO SEXAGESIMA PRIMA

DE CREATVRA.

1 POsterius membrum secundæ diuisionis entis est creatura, cuius vocis significatio dupliciter sumi potest: primo strictè pro ea re, quæ habet esse per creationem: & secundo latè, pro ea re, quæ habet esse ab alio, siuè per creationem, siuè per eductionem. Hoc posteriori modo sumitur creatura in diuisione entis in creatum, & increatum, & ideò tum de ea, quæ habet esse per creationem, tum de ea, quæ habet esse per eductionem, nobis agendum restat. De priori agemus in disputatione præsenti, in sequenti verò de posteriori.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Creatio.

2 VNica Conclusio: Creatio rectè describitur: productio rei ex nihilo. Ita D. T. vbicumque de hac re agit, præsertim *prima parte quæst. 45. art. primo*, eique consentiunt omnes, tum Theologi, tum Philosophi. Explicatur definitio: dicitur primo, productio, quæ (particula se habet loco generis, & importat emanationem vtrius ab alio, atque adeò distinctionem inter producens, & productum. Dicitur secundo, rei; quamuis autem hoc nomen (res) sit transcendens, & sic de quolibet ente positiuo verificari possit: in præsentia tamen sumitur pro re, cui competit per se esse, seù quod idem est absolutè

solutè subsistere ; vt docet D. T. de potentia, *quæst. tertia, art. primo ad 12.* vbi sic : Vndè neque materia, neque forma, neque accidens propriè dicuntur creari, sed concreari. Propriè autem creatur res subsistens quæcúque sit; quod idem ex professo probat *prima parte quæst. 45. artic. 4.* vbi quærit vtrum creari sit proprium compositorum, & subsistentium ; & affirmatiuè respondet. Iam verò creatio per duo hæc priora verba, productio rei, conuenit cum quacumque alia processione rei subsistentis, siue hæc processio sit ad intra in Deo, siue ad extra. Dicitur de nique tertio ex nihilo ; quæ particula explicat, vltimam creationis differentiam, per quam distinguitur à quacumque alia productione. Pro cuius recta intelligentia notandum, ly ex nihilo, non se habere hic per modum Passionis, vt cum dicimus ignem ex præexistente materia generari; quod enim non est impossibile est, quod aliquid patiatur. Neque importare partem componentem nullum enim ens ex non ente sibi contradictoriè opposito constare potest. Quid verò significet explicat D. T. *quæst. 3. de Potentia art. primo ad secundum, & prima parte quæst. 45. art. primo ad tertium* ex doctrina Anselmi in Monologio *cap. 5. & 8.* dicens, quod particula ex, in tradita definitione potest includere particulam, nihil ; & potest includi ab ea : si includit, tunc præpositio remanet affirmata, & importat ordinem prioris & posterioris ; sicuti cum dicimus : ex mane fit meridies, & ex nocte Dies. Hoc est post manè, & post noctem. Sin autem includitur, tunc præpositio ipsa negatur, & est sensus : fit ex nihilo, hoc est non fit ex aliquo. Iam verò vtroque modo debet intelligi, hæc particula in definitione tradita, ita vt ; & importet ordinem affirmatum termini à quo, quatenus nihil rei creatæ eius creationem præcedere debeat, & habitudinem causæ materialis, quæ negetur, quia debet fieri independenter à subiecto præexistente, ità ferè S. T. *locis citatis*; & rectè id, quidem: nam si præpositio, ex, non includeret particulam nihil : definitio competeret Generationi Verbi, quæ eius essentiam præsupponit ; & nisi includeretur in illa : competeret etiam generationibus creatis, quæ fiunt ex præexistente subiecto :

3 Porrò, quòd dicta definitio hoc modo explicata, sit rectè tradita probatur ex eo, quia, rectè essentiam creationis manifestat, eamque à quacumque alia rè, quæ non est creatio sufficienter, & primo distinguit.

4 Obijcies primo: si creatio esset productio rei ex nihilo, nihil à Deo, per creationem fieri potuisset. Sed hoc non est dicendum. ergo &c. Probo sequelam ; Deus non potest facere contra communem animi conceptionem, sed ex Aristotele *primo phys. tex. 33.* Communis conceptio ex sententia Philosophorum fuit, quod ex nihilo nihil fit. ergo &c. Respondeo negando sequelam maioris, ad cuius probationem, dico Philosophos illam animi conceptionem habuisse communiter loquentes de ijs, quæ fiunt à causis secundis naturalibus. Hæ enim cùm non agant nisi dependenter à subiecto præexistente, impossibile est, vt aliquid ab eis fiat ex nihilo. At Deus est causa prima, & supernaturalis, vndè ad eum pertinere debet aliquid ex nihilo facere, quod ad actionem agentium naturaliù præexistat.

Obijcies secundo : per nos creatio potuit esse ab æterno. ergo particula, ex nihilo, non potest significare ordinem affirmatum termini à quo, qui sic non esse rei creatæ. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens; & siquidem nihilum rei creatæ requireretur realiter præexistens ad eius creationem, concedo. Atqui non sic requiritur, sed solum, quod præexistat in priori naturæ, non quidem actu, positiuè, & sine addito, sicuti causa est prior natura suo effectu, alioquin realiter, simul existerent res creata, & eius negatio. Sed potentia, primum, & cum addito, quatenus omnis creatura, quantum est de se, & sibi relicta habet non esse. Quod quidem non esse, actu eam præcedere debeat, nisi Deus eam producendo ab æterno aliter decreuerit. 5

Obijcies tertio : si Deus miraculosè crearet animam rationalem extra corpus, postea verò crearet corpus, eique animam infunderet, productio illius hominis, qui indè resultaret, non esset creatio, vt suppono. Sed hoc esset falsum, statuta explicatione definitionis creationis à nobis tradita. ergo &c. Minor probatur, quia homo ille fieret ex nihilo sui, quod realiter præextitisset. Nec non etiam ex nihilo subiecti, quia eius forma, vtpotè spiritualis non penderet à materia, tanquam à subiecto. 6

Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ad cuius probationem, nego illum hominem fieri in eo casu ex nihilo sui, tanquam ex termino. Creatio enim, ita exigit nihilum rei creatæ in priori naturæ latè accepto : vt nihil pænitus illius ad eius constitutionem pertinens præsupponere debeat, cum igitur illa hominis productio præsupponat animam rationalem, quæ est pars præcipua hominis, præexistentem; hinc fit, vt non sit creatio hominis ; & hinc etiã fit, vti dicebam productionem diuini Verbi non esse creationem, quia non præsupponit modo dicto in priori naturæ nihilum Verbi, non solum, quia Verbum est ens simpliciter necessarium. Sed etiam, quia secundum aliquid sui nempè secundum naturam diuinam ad sui productionem præintelligitur existere.

Instabis: totum substantiale creari potest, sed si creatio ita esset productio rei ex nihilo, vt nihilum excluderet antecessionem alicuius pertinentis ad constitutionem rei creatæ, hoc est falsum. ergo &c. Maior patet. Minor probatur quia partes componentes totum se habent, vt causæ illius ergo in priori naturæ intelliguntur existere, quam ipsum totum. 7

Respondeo hanc instantiam fieri *ab Oviedo in physicis contro. 13. puncto primo num. quarto* qua ipse motus postea *num. sequenti* communem definitionem, sic explicat: creatio est productio rei ex nihilo, hoc est ex nullo præsupposito subiecto ; sed debebat aduertere casu, quo aliquod totum substantiale crearetur, quod posse diminutè fieri existimas, instantiam allatam nec litare

Digitized by Google

lisare contra se: nam si partes componentes sunt priores natura toto, hoc ipso quod totum constat ex subiecto, & forma; iam sit ex subiecto supposito; & sic falsum esset, quod creatio possit competere toti composito substantiali. Addo praterea definitionem sic explicatam, vti dicebam, de generatione Verbi Divini verificari, quatenus de ea etiam verificatur, quod sit productio ex nullo præsupposito subiecto. Utrumque autem, quam falsum sit, nemo non videt.

Ad Instantiam ergo concessa maiore, nego minorem; Ad cuius probationem, distinguo antecedens: partes componentes totum se habent, vt causæ illius intrinsecæ, concedo, vt causæ extrinsecæ, nego. Iam verò prioritatem naturæ in existendo non esse necessariò de ratione causæ intrinsecæ, sed solum extrinsecæ satis probauimus in physicis: vbi de existentia materiæ disputauimus. Cæterum hanc eandem difficultatem sibi proposuit D. T. *prima parte quæst. 45. art. quarto*, vbi defendit creari esse proprium compositorum, in secundo enim argumento contrario sic ait: Quod creatur, est ex nihilo, compositæ autem non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus. ergo compositis non conuenit creari: ad quod sic respondet: Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principijs præexistentibus, sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principijs in esse producitur. Ex quibus patet S. D. non agnoscere in partibus componentibus creaturam prioritatem naturæ rei totius.

8 Obijcies quarto: actio productiua accidentis V. G. quantitatis independenter à subiecto non est creatiua, ergo est creatiua; Falsum igitur est principium in definitione creationis sumptum: in definitione enim creationis sumitur res, cui competit per se esse, seu absolutè subsistere. Respondeo primo: quantitatem independenter à materia existere, hoc ipso quod non sit in alio, non competere illi per se, & quòd subsistere absolutè concesso antecedente, de prima consequentia, nego secundam. Quamquam verò hæc responsio videatur repugnare doctrinæ D. T. paulò ante in explicatione definitionis allatæ: inde respondeo secundo, concessum antecedens, distinguendo primum consequens: ergo actio, per quam producitur quantitas independenter à subiecto est creatiua, minus rigorosè, concedo: rigorosè, nego primam consequentiam; & ad secundam, dico creationem duplicitèr posse sumi primo, minus rigorosè, pro omni ea actione, cuius terminus licet non sit ens aliquod substantiale, sit independenter à subiecto, secundo rigorosè, pro ea tantum, quæ terminatur ad ens substantiale completum ex nihilo totaliter productum, iuxta vsum verò, vt diuisio actionis in creatiuam &c. educitiuam in præcedentibus facta fuit, creatiua actio quæ dicebatur, prout præscindit à rigorosa, & educitiua rigorosa, sed vt in his loquimur, prout comprehendit vtramque, in quo sensu actio productiua quantitatis independenter à subiecto præcisiuè dicta potest creatiua, & in hac lata acceptione hoc loco nomen creationis sumetur à nobis.

9 Obijcies quinto: communiter Theologi actionem, qua Deus conseruat quantitatem Eucharisticam sine subiecto, creatiuam appellant, & tamen huiusmodi actio terminatur ad quantitatem, quæ antè existebat: ergo non est de ratione creationis, vt terminus sit ex nihilo sui. Respondeo aliud esse loqui de creatione, quatenus est productio rei ex nihilo, vt sic; aliud verò, quatenus est continuata quædam productio rei ex nihilo. Actio enim, qua nunc conseruatur V. G. Michael, cum sit eadem, qua ab initio productus est ex nihilo, est quidem creatiua nunc, non primo, sed secundo modo. Quo posito concesso antecedente, distinguendo consequens: non est de ratione creationis, quod sit productio rei ex nihilo sui, & siquidem sermo sit de creatione in primo sensu accepta, nego; in secundo concedo. Porrò quando Theologi dicunt actionem, qua quantitas Eucharistica existit sine subiecto esse creatiuam, loquuntur de actione creatiua secundo modo, quatenus, scilicet est conseruatiua quantitatis tanta efficacitate, ac si ex nihilo producta fuisset. Nos verò in definitione loquuti sumus de actione creatiua primo modo, quatenus videlicet est productio rei ex nihilo, & ideò non aduersamur sensui communi.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo distinguatur creatio à principio, & à termino creato.

10 QVatuor circa hanc quæstionem circumferuntur sententiæ. Prima est Thomistarum asserentium creationem identificari cum actu diuinæ voluntatis, aut imperij, quo Deus creaturam ex nihilo creat. Secunda est Nominalium docentium eam esse aliquod extra Deum, sed nemine cogitante, identificatum cum ipso termino creato. Tertia est Scoti *in secundo dist. prima quæst. quinta*, & *ad quæstionum istam*, volentis eam identificari quidem cum principio creante, & partim cum termino creato. Quarta denique est Suarij *in Metaph. disput. 20. sect. quinta*, & aliorum Recentiorum communiter, quæ vastissimi consensu dicunt eam esse aliquid totaliter se tenens ex parte rei creatæ, & modaliter ab illa distingui. Pro decisione sit

11 Prima Conclusio: non potest adæquatè identificari cum actu diuinæ voluntatis, aut imperij. Est contra primam sententiam.

12 Probatur: quia vel ponimus huiusmodi actus esse totaliter, & adæquatè Deo intrinsecos, & virtualiter ab eius entitate distinctos, vel esse idem omnino cum eius actibus necessarijs secundum id, quod dicunt in recto; secundum verò quod importatur in obliquo dicere creaturam non tanquam partem, sed tanquam extrinsecum connotatum. Neutro modo creatio potest adæquatè identificari cum huiusmodi actibus ergo &c. Maior patet ex duplici modo explicandi sententiam volentium actum liberum Dei secundum entitatem suam adæquatè considerari esse totaliter Deo intrinsecum. Minor verò probatur, quia Creatio Mundi, Angelorum &c. Fuit in tempore, sed actus voluntatis aut imperij

imperij Dei sinè primo, siuè secundo modo sumatur, fuerunt ab æterno, ergo impossibile est creationem adæquatè cum huiusmodi actibus identificari.

12 Secunda Conclusio: creatio non identificatur adæquatè cum re creata. Est contra secundam sententiam.

Probatur primo ex nostra sententia: quia alia est actio creativa, per quam anima rationalis habet esse in corpore, quod ab ea animatur, & alia, per quam extra corpus existit. Hoc autem esset impossibile, si actio creativa adæquatè cum re creata identificaretur. ergo &c. Minor patet, quia stante eadem entitate, non possunt variari ea, quæ cum illa adæquatè identificantur. Maior verò probatur, quia actio creativa, quamdiù anima est coniuncta cum corpore, communicat ipsi corpori existentiam illius; quando verò existit extra corpus, non communicat corpori existentiam. ergo est alia. Consequentia hæc videtur certa, quia actio specificatur à termino; sed actio, quæ communicat existentiam corporis, & actio, quæ non communicat illam, habent distinctos terminos, nam prima facit existere animam, & corpus: secunda verò animam tantum. ergo &c. Quoniam verò multi negant materiam habere existentiam emendicatam à forma, quod in hac probatione supponitur: idcirco.

13 Probatur secundo assertio universaliter: Eadem numero res potest habere esse per actionem creativam, & per actionem eductivam. ergo impossibile est, quod identificetur adæquatè cum creativa. Consequentia patet, in antecedente enim non loquor in sensu compositò, quod scilicet per duplicem actionem adæquatam res illa accipiat esse, quarum una eam producat independenter à materia, altera verò dependenter ab illa; sed in sensu diviso, ita vt eadem res modo habeat esse per actionem eductivam, modo per creativam. Sic enim, ut reflecto antecedens, evidenter infero consequentiam: nam ex eo sequitur creationem separari posse à re creata, & sic non esse illi totaliter identificatam. Antecedens verò probatur cum communi ex quantitate Eucharistica, quæ ante consecrationem existebat per actionem eductivam, postea verò per creativam. Si autem huiusmodi actio adæquatè esset cum illa identificata, implicaret quantitatem existere sine illa.

14 Vasquez, qui *primo parte disput. 173. cap. 3.* affirmat creationem ratione tantum à termino creato distingui, respondet ad hoc argumentum: Terminum creationis non esse quantitatem vt sic, sed per se existentem per modum distinctum. Impossibile autè esset actionem creativam ab vtroque termino indivisibiliter sæpe separatis, vnquam potuisse; nam quando per actionem eductivam existebat quantitas, tunc hoc modo existendi per se.

Sed contra est: quia quantitas per se existens vel immediatè pendet à Deo per entitatem suam, vel medio illo modo, si secundum. ergo iam actio creativa non est eadem adæquatè cum re creata. Distinguitur enim à quantitate, sicut autem primum, ergo hanc eandem dependentiam habebat quantitas, quando inhærebat materiæ Panis. Hoc autem præter quam quod superflue ponitur: siquidem actio eductiva est de se sufficiens sine alio influxu suum terminum ponere à parte rei: ex huiusmodi positione sequitur actionem creativam adæquatè identificari cum modo per se existendi ipsius quantitatis, non verò cum quantitate ipsa, quod auctor non concedit. Sequela constat ex indifferentia, quam habet quantitas.

Dicet nonnullus cum Oviedo in Physicis *controv. 13. puncto secundo num. 9.* defendi posse quantitatem non fuisse initio à materia Panis eductam, sed creatam à Deo, atque adeò in Eucharistia per eamdem actionem creativam conservari, & sic falsum esse eandem numero rem posse habere esse modo per actionem eductivam, modo per creativam.

Contra tamen hunc modum Philosophandi 15
facit primo: quia sic existentia quantitatis Eucharisticæ sine subiecto non esset in se miraculosa; sed hoc dici nequit salvo communi sensu Ecclesiæ. ergo &c. Negat sequelam maioris Auctor; dicit enim miraculum consistere in destructione materiæ Panis, quia illa persistente, quantitas cum careat contrario, à nullo agente naturali naturaliter pelli poterat. Verum hæc responsio non solum difficultatem, quia aliud est miraculum destructionis substantiæ Panis, aliud verò conservationis quantitatis sine subiecto. Sed si quantitas primò per creationem producta esset, quamvis destructio totius substantiæ miraculosa esset: ea tamen posita, nullo modo esset talis conservatio quantitatis. ergo &c. 16

Contra eundem modum Philosophandi facio 17
secundo: quia si semel haberemus quantitatem, quæ est forma materialis, exigere per creationem produci: non posset assignari ratio, cur reliquæ formæ materiales non essent huiusmodi. Nam posse expelli à subiecto, quod illis speciale videtur competere, non inducere dependentiam à materia patet ex anima rationali, quæ licet virtutes non naturalium efficientes, & per formam materialem formaliter excludi possit à materia, non inde sequitur eam à materia dependere. Ex quo deducitur nobis via defendendi sententiam Vasquez non esse probabilem; reperiendi enim aditum salvandi omnes formas materiales esse incorruptibiles, vtpotè à materia independentes. Quod si dicat actionem agentium naturalium nobis oppositum suadere, quod non habeb locum in quantitate.

Contra est tertiò: quia hæc disparitas oritur, vt aiunt, vel ex eo quòd actionem creativam identificari cum quantitate, quam videmus in Eucharistia independenter à subiecto à Deo conservari, ergo illæ formæ materiales pendent à subiecto, propter concursum in actionem implicabilem quod Deus miraculosè sentiat subiectum; quod fateri patentes, quandoquidem non habeo rationem creativam secum identificatam, aliud hoc fine vllam necessitatem Divinam Omnipotentiam coarctat, dicendo, quod formæ materiales, quæ à causis secundis cum dependentia subiecti educuntur, vel educi possunt, non possint à Deo conser-

depen-

dependenter á subiecto produci, nec conseruari ergo &c.

29 Tertia conclusio actio creatiua non identificetur partim cum causa creante, partim cum re quæ creatur. Est contra Scotum.

Probatur supponendo, quod hodie existat quantitas panis dependenter á materia panis; cras verò beneficio consecrationis existat independenter, tum sic: hodie habetur causa creatiua nempe entitas Dei, nec non etiam entitas quantitatis, & tamen hodie non habetur actio creatiua quantitatis. si quidem hodie non existit independenter á materia panis, sed existet cras. ergo falsum est, quod actio creatiua identificetur partim cum principio creativo, & partim cum entitate rei creatæ. Antecedens est certum, quia siue ponamus huiusmodi actionem ex parte Dei importare actum voluntatis, siue intellectus, certum est huiusmodi actum quamuis liberum fuisse in eo ab æterno, atque adeo hodie existere, neminus certum est ex suppositione facta, hodie existere quantitatem panis. Consequentia verò videtur euidens, quia hoc ipso, quod entitas alicuius in duorum coexistentia adæquatè consistit, implicat habere horum coexistentiam absque eo quod habeatur entitas illius tertij vt de se patet; ergo &c.

30 Quarto denique concluditur actio est totaliter intrinseca creaturæ, modaliter tamen ab illa distincta: ita fere Suarez, & alij communiter.

Probatur conclusio quo ad vtramque partem, & primo quidem quo ad priorem: Creaturam dependere à Deo est denominatio extrinseca Deo, qui nullam mutationem passus, hanc mundum creauit, mentemque rationales quotidie creat; ergo est intrinseca creaturæ, quæ eius beneficio habet esse, nempe ad esse; sed creatura per creationem pendet á Deo. ergo creatio est realiter intrinseca creaturæ. Quo ad posteriorem verò partem eadem conclusio suadetur: tum quia supernum ponitur in ea aliqua realis distinctio à quomodo dicto re cuius est modus: tum etiam, quia si esse res deberet per creationem propriam creari, & sic in creationibus daretur processus in infinitum. Confirmatur vtraque pars à paritate, quia effectus naturales per actionem sibi intrinsecam modaliter à se distinctam fluxit, & conseruantur a suis causis naturalibus, ergo sic etiam creatura à principio creationem enim potest assignari disparitas.

31 Dices disparitatem esse posse, quia videmus effectus naturales ab vna causa produci, & ab alia conseruari; hanc autem experientiam in rebus per creationem existentibus non haberi. Sed contra est primo, quia hoc non potest dici in mea sententia de anima rationali, quæ per vnam actionem producitur in corpore, & per aliam extra corpus conseruatur. Contra secundo, quia etiam videmus quamprimum Eucharisticam quandiu conseruatur substantia panis, pendere á Deo per actionem eductiuam; succedente verò Christi Corpore loco illius substantiæ per creatiuam; & rursus quando ad desitionem accidentium panis desinit Corpus Christi esse sub illa, per actionem eductiuam priori similem iterum conseruari. Falsum igitur est nos non habere hanc actionum creatiuarum mutationem in rebus creatis. Contra denique tertiò quia licet huiusmodi mutationem in rebus, quæ per creationem productæ sunt, minimè habeamus: habemus tamen fundamentũ ex amplitudine diuinæ omnipotentiæ desumptum asserendi non repugnare Deo modo successiuè, modo simul plures actiones omnigenas respectu eiusdem creaturæ exercere; sed hoc sufficit ad paritatem ex productionibus rerum naturalium desumptam; ergo &c.

SECTIO TERTIA.

Soluuntur obiecta in contrarium.

OBijcies primò: non est de conceptu actionis creatiuæ distinctio ex natura rei à termino suo; ergo defacto est indistincta. Antecedens videtur certum, quia non implicat creatura aliqua, quæ per entitatem suam, & per se ipsam à Deo creetur. Consequentia verò suadetur, quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: multiplicaretur autẽ sic, si creatio esset modus superadditus. 22

Respondeo transeat antecedens; quod aliquis probabiliter negare posset, dicendo quod quemadmodum si existentia creaturæ non distingueretur ex natura rei ab eius essentia, sequeretur, quod creatura esset sui existere; & sic essentialiter existeret: ita si haberet sibi identificatam actionem creatiuam, esset essentialiter actu dependens à Deo, & sic non posset nõ actu existere dependens ab illo. Verum quid quid sit de hoc, propter quod dixi transeat antecedens: nego autem consequentiam, & ad eius probationem concessa maiore, nego minorem. Ratio negationis est, quia ad dicendum, quod defacto distinguatur ab anima rationali, & à quantitate Eucharistica necessitamur ex eo, quod videamus in vtraque actionem creatiuã variari posse, vt patet ex dictis; ergo sic etiã dicendum rationabiliter videtur de actione creatiua angeli, & aliarum creaturarum existentium, cum militet par ratio; argumentum enim á paritate deductum nisi in Philosophicis haberet vim, innumera nobis omni penitus fundamento destituta remanerent, vt ex dictione constat. Quod si dicas rationem ponendi diuersitatem dependentiæ in anima rationali, & in quantitate non militare in angelis, aliisque rebus creatis. Contra est quia, & si illa ducta ex varietate non militet, militat tamen ratio validior, nimirum ampliatio omnipotentiæ, & dominij Dei, posito, quod vnum eundemque Angelum duplici creatione adæquata, vel simul, vel successiuè Deus producere velit. ergo dum aliud non obstat, vt tueamur partes diuinæ omnipotentiæ, & dominij, dicendum est creatiuam actionem ab Angelo, & à quavis alia creatura ex natura rei esse distinctam.

Objicies secundo in diuinis eadem generatio 23
activè sumpta idem realiter est cum Patre generante, & passiuè accepta cum Verbo genito;

ergo non est cur creatio sit modus distinctus à principio creante, & termino creato, sed actiuè sumpta dicendum est eam identificari cũ principio, passiuè verò cum termino.

24 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est, quia cum in diuinis æque essentiale sit principio producere, ac termino produci: rectè dedecimus vtrumque per se ipsum immediatè id ipsum præstare; & principium quidem habere secum identificatam generationem actiuam, terminum verò passiuam. Quoniam verò in principio creatiuo, & eius termino hæc mutua, & necessaria connexio non apparet: rectè ponimus inter ea actionem creatiuam modum, quæ per se ipsã terminum creatum cum principio creatiuo connectat.

25 Obijcies tertio: si actio creatiua esset modus, esset de genere accidentis nimirum actionis: ergo deberet habere subiectum á quo sustentetur; hoc enim est de ratione accidentis, sed id creationi repugnat; ergo non est modus. primum enthymema videtur certum. subsumptũ verò probatur, quia si actio creatiua haberet subiectum, cui inhæreret: hoc non posset esse nisi ipsa creatura, nam implicat, quod subiecteretur in Deo, aliunde verò non potest aliud pro subiecto ei rationabiliter assignari. Atqui hoc dici nequit, quia subiectum debet esse prius natura ijs, quæ sunt in subiecto, creatura autem cum comparetur ad creationem sicuti terminus ad viam, eo quod eius beneficio sit existens, & extra causas, impossibile est vt sit prior natura ipsa creatione.

26 Respondent aliqui primo concedendo actionem creatiuam esse de genere accidentis, & habere pro subiecto terminum existentem; ad rationem verò in contrarium, ad mutuam causalitatem inuerso genere confugiunt, dicũtque creaturam esse priorem natura ipsa creatione in genere causæ materialis, quia illam sustentat: at esse posteriorem ipsa in genere causæ efficientis, quia per eam intelligitur ab agente procedere, & sic posse creationem non obstante, quod compararetur ad creaturam tanquam via ad terminum, ab illa sustentari.

27 Sed hæc responsio communiter non probatur: nam si creatura (inquiunt) vt existens debet causare materialiter ipsam actionẽ creatiuam, iam igitur debet supponi ad eam causandam existens; sed non nisi beneficio creationis; ergo creatio antecedenter ad eius causalitatem in genere causæ materialis iam præsupponetur existens sine dependentia ab illa.

28 Respondet secundo Ouiedus *contr. 13. phisic. cap. 3.* concesso antecedente, actionem, nimirum, creatiuam esse de genere accidentis, negando consequentiam: eam scilicet, habere subiectum cui inhæreat, & ad rationem desumptam ex natura accidentis. Respondet nõ esse de conceptu accidentis respicere subiectũ à quo in genere causæ materialis dependeat, sed solum ordinari ad aliud, propter quod intentum sit solummodo à natura, vel quid simile, vti diximus *supra disp. de accidente sect. 1.* in qua quærebamus in quo consistat ratio accidentis, quod in nouem summa genera diuidatur.

Sed neque hæc responsio satisfacit, quia aliud est loqui de accidente, quod in nouem summa genera diuiditur, & aliud de accidente physico. In prædicamentis enim accidentium, non tantum collocantur ea, quæ sunt verè, & proprié accidentia physica, sed multa alia, quæ modum accidentium physicorum in denominãda substantia imitantur, cuiusmodi est habitus, locus, & similia. At loquendo de accidente physico non videtur negari posse illud importare inhærentiam in subiecto. Quare ne videatur obiectio proposita facere vim in verbis, sic contra adductam solutionem corroborari potest: Ens reale cõtra distinctum à modo adæquatè diuiditur in id, quod est dependens à subiecto tãquã à causa, & in id, quod est independens ab illo, item tanquam à causa, inter ea verò, quæ pendent, dantur omnes formæ substantiales materiales, & innumeræ accidentales tũ materiales tũ Spirituales: ergo nõ videtur huiusmodi dependentia negãda modis, qui cum sint minimæ entitatis sunt imperfectiores de genere suo, & imbecilliores realibus; si igitur actio creatiua est modus, à subiecto entitatibus tãquã à causa materiali pendeat necesse est. 29

Ad hoc respondent aliqui, quos sequitur Suarez *in metaph. disput. 20. sect. 5. num. 27.* creationem esse modum substantialem rei, quæ creatur, ideoque reductiuè pertinere ad prædicamentum substantiæ, quia nihil aliud est, quam ipsa met substantia secundum quod est in fieri, & quasi in statu imperfecto. Vnde fit vt quemadmodum motus propter hanc rationem non ponitur in prædicamentis ab Aristotele, ita neque debeat poni actio creatiua. 30

Sed contra hanc responsionem facit, quia formæ substantiales materiales per hoc, quod sint substantiæ non eximuntur à dependentia à causa materiali: ergo *multo minus* eximi debet creatio ab huiusmodi dependentia, hoc titulo, quod sit *modus quidam substantialis*. Præterea licet verum sit creationem *animæ rationalis*, & Angeli esse modum substantialem, at falsum est loquendo de creatione rei materialis vt quantitatis, vel caloris, extra subiectum, &c. ergo huic materiali modo assignandum est subiectum á quo sustentetur, quando quidem cessat in eo ratio substantialis, quæ assignatur vt causa independentiæ. 31

His igitur responsionibus posthabitis. Respondeo ego tertiò concesso integro enthymemate, negando minorem subsumptam, ad cuius probationẽ distinguo sequelam maioris: si creatio haberet subiectũ à quo sustentaretur, hoc non posset esse nisi ipsa creatura secundum essentiã suam considerata, concedo: non posset esse nisi ipsa creatura considerata vt existens nego, & sic distincta minore, nego consequentiam, & ad minoris probationem distinguo maiorem illam: subiectum debet esse prius natura his, quæ sunt in subiecto: nam si sermo sit de esse essentiali subiecti concedo: sin autem de existentiali subdistinguo, & siquidem ea quæ sunt in subiecto se habent vt actus secundarij illius, primarium supponentes concedo; sin autem se habens vt 32

actus

actus primarius; nego maiorem; & ad minorem dico, quod licet creatura vt existens comparetur ad creationem, sicuti terminus ad viam, & ideo non potest vt sic considerata esse prior natura ipsa creatione; rectè tamen potest supra secundum essentiam, atque hoc solum sufficit ad salvandum, quod creatio causetur ab illa in genere causæ materialis, nam creatio est via ad eius actum primarium, qui est existentia, quare non debet illam supponere existentē pro priori, sed tamen constituere pro posteriori, atque adeo debet solum supponere essentiā creaturæ, quæ ex nihilo ad esse existentiale eius beneficio transferenda est.

33 Instabis: ex hac responsione sequitur creationem habere veram rationem mutationis: sed hoc est expresse contra D.T. *qu. de potentia art.* 2 vbi ex professo id negat; ergo &c. Maior suadetur, quia beneficio creationis transiret essentia creaturæ vt subiectum illius à non esse, ad esse.

Respondeo negando sequelam, & ad eius probationem ex doctrina Suarij *disput.* 20. *sect.* 5. *num.* 18. dico mutationem sumi posse dupliciter: primo propriè, & sic solum dici de subiecto, quod vel durationes vel ordine naturæ præextitit, & per actionem aliter se habet, quam se habebat prius, & in hoc sensu patet non posse creationem dici mutationem, quia in suo subiecto non supponit ordine durationis, neque naturæ existentiam. Secundo impropriè, & sic dici de omni subiecto, quod aliquam nouitatem acquirit, quo pacto non est absurdū concedere creationem habere rationem mutationis.

SECTIO TERTIA.

Verum virtus creandi communicari possit alicui Creaturæ.

34 PRæsentem controuersiam tam antiquiores Theologi, quam recentiores ex professo exagitantes celeberrimam suis speculationibus reddiderunt, quoniam verò Philosophi quoque hac tempestate non sine magna ingenij laude de eadem suum suffragium attulerunt, eorum nos vestigijs inhærentes eam pertractamus, & vt confusionem vitemus, in plures subsectiones partimus.

SVBSECTIO PRIMA.

An sit de fide nullam de facto creaturam aliquid creasse.

35 COnclusio est affirmatiua, quam docet Suarez in *metaph. disp.* 20 *sect.* 2. & cum eo alij plures, eamque probat ex concilio Lateranensi *cap. firmiter de summa Trinit. & fide Cathol.* vbi definit Concilium, quod Sancta Trinitas sit vnum vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium. Oppositum tenet Arriaga *in phis. disput.* 9. *sect.* 5. *subsect.* 1. vbi miratur P. Suarium id ex hoc loco concilij colligere; quia ibi (inquit) creator non sumitur in rigore philosophico, pro vt importat productionem ex *nihilo*, sed lato modo pro productore, sicut omnis res á Deo producta dicitur creata, non quia rigorosè creatur, sed quia producitur, hoc probat ex eo, quia concilium loquitur de Deo producente omnes res spirituales, & corporales, & ex eis mixtas vt ex sequentibus constat; certum autem est non fuisse à Deo rigorosè creatum Equum, Leonem, &c. ergo ibi creator non sumitur in rigore philosophico.

Verum vt appareat, in quo sensu concilium 36
de creatione loquutum sit, expedit eius verba ad ea, quæ adduximus immediate sequentia, fideliter afferre, sic enim addit: quia sua omnipotenti virtute simul vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex Spiritu, & corpore constitutam, tum sic Arriagam impugno: per eum creatio in rigore philosophico sumpta dicit productionem ex nihilo; sed sic concilium eam vsurpare se explicat, dum definit Deum esse creatorem omnium visibilium, & inuisibilium; ergo non loquitur de creatore lato modo, pro vt cum productore confunditur. Ad probationem in contrarium nego assumptum: Concilium, videlicet, loqui de Deo producente omnes res spirituales, & corporeas, & ex eis mixtas, quomodocumque, sed de producente res spirituales, & corporeas, quæ de facto creatæ sunt. Quamuis enim verum sit quod, si sumatur vox, omnium, in ea amplitudine, vt cadat supra omnia prorsus entia realia distincta à Deo, siue substantiæ sint, siue accidentia, siue simplicia, siue composita, vox, creator, non possit nisi in ampla significatione vsurpari: vtramque tamen vocem non esse sic acceptam á Concilio patet ex eo, quia Patres concilij huiusmodi definitione damnare voluerunt illos ethnicos, & hæreticos, qui dicebant plures dari in mundo creatores, hoc est, productores rerum ex nihilo. nisi ergo quando dicunt, vnum esse creatorem omnium, priorem vocem rigorosè acciperent: & posteriorem, pro eis tantum rebus, quæ rigorosè creatæ sunt sed vtrāq; latè pro vt prior significat productore, & posterior omnē rem factam: falsum omnino dixissent, quia ignis producit ignem, & sol aurum, & equus equum &c. nec hæreticos cōfutassent, quia ipsi plures creatores constituētes de rigorosa creatione loquebantur. Dicēdum igitur, quod á Concilio vox, creator, rigorosè, vox verò, omnium, pro solis rebus, quæ verè creatæ sunt, acceptæ sint. Ex quo non sequitur, quod à Deo fuerit ab initio creatus equus, Leo, & similia mixta, vt de se patet. Quod vlterius confirmatur ex vltimis verbis Concilij supra citatis; vbi post quam dixit Deū ex nihilo vtramque simul condidisse creaturam angelicam videlicet, & mundanam: addidit, ac deinde humanam quasi communem, vt notaret, quod quia hominem ex præexistente materia Deus produxit, verè non fecit illum ex nihilo, nec sub numero omnium, quæ creauit, continetur.

Digitized by Google

idem argumentum ductum ex *cap.* firmiter aliter impugnat Arriaga sic: dato quod creator ibi in philosophico rigore sumatur, adhuc inde solum infertur nullam creaturam creasse omnes alias. non verò infertur non creasse aliquam; ergo non est definitum à concilio nullã creaturam ab alia fuisse creatam. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia concilium solum dicit Deum creatorem omnium; sed per hoc non excluditur alius á Deo, qui creauerit cum ipso non quidem omnes, sed aliquas creaturas; ergo &c.

38 Verum neque hæc ratiocinatio procedit, falsum enim est antecedens cum sua probatione: dico enim, quod Concilium non solum definit Deum fuisse creatorem omnium; sed etiam fuisse vnum vniuersorum principium, sed si aliqua creatura aliquid creasset, hoc non verificaretur, nam respectu huius tum ipse Deus tum etiam dicta creatura fuisset principium. ergo non saluaretur vnum fuisse vniuersarum rerum creatarum principium. Deinde addo, quod Cõcilium quando dicit Deum fuisse creatorem omnium, nisi dicta verba sumeret priuatiue, negando aliquid aliud præter Deum fuisse creatorem: sequeretur, quod non esset definitum nullam creaturam creasse omnes alias á se; sed hoc auctor hic iam negat, vt vidimus; ergo &c. Probo sequelam, quia etiam si supponamus Deum cum aliqua creatura simul ex nihilo omnes alias creasse: adhuc verificatur Deum esse creatorem omnium; ergo qui hoc diceret, non opponeretur concilio; cum igitur hoc expresse neget Arriaga, dicere consequenter tenetur mentem concilij fuisse Deum esse omnium creatorem cum exclusione cuiuscumque alterius ab hoc munere, ita vt si de aliqua creatura verificaretur aliquid creasse, Concilij definitio falsificaretur, atque corrueret.

39 Veritas totius nostræ doctrinæ, quam pro solutione vtriusque argumenti allati tradidimus D. T. auctoritate comprobatur, qui *qu. 3. de potent. art. 4.* sic serpens reliquit. Secundum fidem Catholicam ponimus, quod omnes substantias spirituales, & materiam corporalium Deus immediatè creauit: hæreticum reputãtes, si dicatur per Angelum, vel aliquam creaturam aliquid esse creatum. Vnde Damascenus dicit; quicumque dixerit Angelum aliquid creare, Anathema sit. Vbi aduerte duas verba hæc, fidei assertiones continere. Prior est Deum omnes substantias spiritualium, & materiam corporalium immediatè creasse, & hæc videtur correspondere definitioni Concilij, quæ dixit Deum vtramque de nihilo condidisse Creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam. Posterior verò neque per angelum, neque per aliquam creaturam aliquid esse creatum; & hæc explicare dictam Concilii definitionem accipiendam esse priuatiue; ita vt sensus illius sit de fide esse quod nulla creatura aliquid vnquam creauerit. Atque hæc quantum ad primam probationem nostræ conclusionis ex definitione Lateranensi acceptam.

40 Probatur secundo eadem conclusio ex communi Patrum consensu passim à doctoribus in præsenti materia creatorum negantium creaturam aliquid vnquam creasse, contra quam probationem sic Arriaga *loc. cit.* inuehitur: Affirmatur Augustinus 12. *de ciuit. cap.* 24. verum ibi solum negat angelis productionem aliarũ creaturarum sub lunarium. *cap. autem* 25. & si doceat creaturam nullam esse causam alterius, intelligendus est vt neget eas esse causas à se independentes à Deo alioquin falsum aperte diceret. Quod si alij Patres videntur etiam negare creaturis virtutem creandi intelligendi sunt in eodem sensu, quo Augustinus, nam de creatione rigorosa, vt contra distincta á generatione fortè nunquam fuit eis patribus sermo, vt ex eorum verbis facile potest intelligi: sic ille.

Verum vt ab hoc vltimo, quod de Patribus generatim, atque vniuerse asserit, incipiamus; ad quam longè sit á vero, euidenter ex eorum verbis apparet; quæ hic subijcio vt omnes videant, quam ascitanter hæc scripserit Arriaga. In primis enim Cirillus Alexandrinus *lib.* 2. in Iulianam. Hoc maximè (inquit) contra diuinam gloriam militat etiam alios putare posse creare, & ex nihilo producere, non enim fas est dicere, quod ea quæ diuinæ, & ineffabilis naturæ propria sunt, naturaliter possint inesse quibusdam ab ipsa factis. Item *lib.* 2. *Thesauri cap.* 2. sic: nulla creatura vnquam substantiam ex nihilo producere potest, finitæ namque id virtus esse non potest. Vide de S. Basil. *lib.* 1. *de sacram. part.* 6. *cap. vlt. de nihilo*, inquit; aliquid facere, aut de aliquo nihil, solus Deus potest. Taceo Damascenum, quem de rigorosa creatione S. T. intellexit, cæterosque breuitatis causa prætereo. Nam hi sufficiunt ostendere falsum esse: Patres nunquam de creatione rigorosa pro vt á generatione distincta loquutos fuisse, cum expresse de ea in omni philosophico rigore, quatenus nimirum est productio ex nihilo loquantur. Cæterum, Patres, dũ negant creaturis virtutẽ creandi, exponere, quod loquãtur de virtute potẽte aliquid indepẽdẽter à Deo operari perperã fieri existimarẽ. Primo, quia in hoc sensu, neque Deus ipse virtute creãdi prædictus esset, quandoquidem independenter à se operari non potest. Contra secundo, quia verba Patrum, Dogmatice, præsertim loquentium, si nihil obstat in significatione propria accipienda sunt; sed quando, negant creaturis vim, vel exercitiũ creandi Dogmaticè loquuntur, confutantes Hæreticos, qui duos ponebant rerum creatores, nec non etiam Ethnicos, qui dicebant Angelos res corporeas ex nihilo produxisse. ergo dicendum est, quod de virtute creandi in sensu proprio accipiendi sunt. Contra denique tertio, quia si in hoc sensu solum à Patribus negatur creaturis vis creatiua, quatenus non sunt causæ à se, independentes à Deo, sequeretur, quod omnis concursus Dei exhibitus creaturis posset dici creatiuus, quatenus Deus ita ad illas conseruandas, & ad earũ operationes coefficiendas concurrit, vt sit causa à se, & independens ab alio. Sed nullum audiui mus sic loquutum. ergo mãlè Arriaga hoc modo Patres

41

tres interpretatur. Pcius verò Auguſtini auctoritate ſe tuetur. Quid quid enim ſit quid *locis à ſe citatis* S. D. intenderit. Certe *lib. 5. in Gen. ad lit. cap.* 15. ſic habet: creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quam nec ſe ipſum. Et tertio *de Trinit. cap.* 8. Nec boni nec mali Angeli poſſunt eſſe creatores alicuius rei. Quibus verbis non de creatione rerum ſublunarium, vt patet; ſed cuius vis ſubſtantiæ verba facit, eamque negat Angelis poſſe competere.

42 Probatur denique tertio noſtra Cõcluſio auctoritate omnium ferè Scholaſticorum docentium nullam creaturam aliquid vnquam creaſſe, ſed omnem creaturam actionem à ſolo Deo immediatè proceſſiſſe. Aſſentitur huic aſſumpto Arriaga *loco citato*, dum ſubdit, quod licet à Patribus ſententia negans creaturis creationem actiuam non fuerit expreſſe tradita, eſt tamen communis inter omnes ferè Scholaſticos antiquos, & recentes. Ego verò vlterius ex eo quærerem, ſi non conſtat ex fide, neque ex Patribus quid quid creatum eſt à ſolo Deo eſſe creatum: Vndè tantus Scholaſticorum conſenſus id aſſerentium, præſertim in re tam obſcura, & tam incerta, vt ipſe met expreſſe docet *num. 97.* Dicens nullam eſſe rationem probantem repugnare creaturam poſſe creare. Profecto nullum aliud caput huius vniuerſalis Scholaſticorum conſenſionis aſſignabile eſt, niſi ſcripturarũ auctoritas, Conciliorum, & Patrum Teſtimonijs comprobata. Male igitur negat hoc fuiſſe in Lateranenſi definitum, atque à Sanctis Patribus aſſertum. Verum contra noſtram Concluſionem facere videntur ea, quibus aliqui conantur probare creaturas defactò aliquando creaſſe, vel poſſe defactò creare, pro quibus.

43 Obijcies primo ex D. Dionyſio de Cæleſti *Hierarc. cap.* 5. *p.* 1. Ariſtotele, & alijs Antiquioribus aſſerentibus in mundo ſuperiora inferioribus, & extrema infimis non immediatè, ſed mediantibus ijs, quæ medio modo ſe habent eſſe connexa. Sed Deus eſt ſupremum ens, materia prima infimum ergo non decuit Deum ſuam immediata actione materiam primam creare, ſed potius debuit ipſe primam, & nobiliſſimam tantum condere creaturam, & hanc ſecundam, & ſecundam tertiam, & ſic de reliquis deſcendendo vſque ad materiam, quæ cum propter ſuam ſummam vilitatem caret virtute aliquid creandi, nulla videtur eſſe ſubſtantia vilior ipſa; atque hæc, quidem fuit opinio Auicennæ, & aliorum Ethnicorum.

Reſpondeo tamen Dionyſium, & alios non eſſe intelligendos de quacumque connexione rerum, quæ in mundo ſunt, aliter negandum eſſet creaturas in fieri, & conſeruari immediatè dependere à Deo, quod eſt euidenter falſum. Debent igitur intelligi de connexione cauſarũ ſecundarum in ordine ad ſuos fines, per operationes proprias conſequendos, quarum infimæ per medias, & mediæ per ſummas ad ſuos fines perducantur. Sic explicata maiore, & conceſſa minore, nego conſequentiam. Quemadmodum enim maximè Deum decet immediatè concurrere ad productionem, & conſeruationem rerum omnium, ita, & materiam ex nihilo creare; alioquin eum virtus creatiua non poſſit alicui creaturæ communicari, materia prima eſſet inter impoſſibilia connumeranda, vtpotè à nulla producibilis.

Obijcies ſecũdo ex Ariſtotele: Cauſa efficiens 44
eſt id vndè mutationis, aut quietis principium primum. ergo agit prius, quam influat cauſa materialis, ſed in eo priori iam habetur effectus, ergo illum ex nihilo producit, & per conſequens eum creat. Reſpondeo ad Antecedens, cauſam efficientem, vti vidimus in phyſicis, dici principium primum inter alias cauſas, non quia prius, quam illæ influat in effectum, ſed quia eas ordine exequutionis determinat ad cauſandum. Poſſe autem conſiſtere, quod vna res determinet aliam ad operandum, & nihilominus ſimul natura cum illa concurrat, patet ex cauſis ſecundis, præſertim liberis, quæ licet determinent Deum, ad hanc potius ſpeciem concurſus præſtandam, quam aliam: earum tamen concurſus, non eſt prior natura concurſu Dei.

Obijcies tertio: agentia naturalia habent vim 45
annihilandi. ergo, & creandi. Conſequentia patet, quia eadem eſt diſtantia à nihilo ad ens, ac ab ente ad nihilum. Antecedens probatur: tum quia ſi Calor, vt vnum, miraculosè exiſteret extra ſubiectum, deſtrueretur à niue ei debite applicata; ſicuti defactò ab agentibus naturalibus deſtruuntur accidentia Panis, exiſtentia in Euchariſtia ſine ſubiecto: tum etiam, quia quando naturaliter ex ligno fit ignis, agens annihilat formam ligni præexiſtentis. ergo &c. Reſpondeo, negando antecedens, & ad priorem eius probationem, nego. Calorem ex ſuppoſitione, quod exiſteret extra ſubiectum corrũpi poſſe à niue ſibi debite applicata. Cum enim nix in agendo habeat pro fine introducere formam frigoris in ſubiecto: hoc ipſo, quod forma caloris exiſtit extra ſubiectum, ceſſat finis agendi, & conſequenter actio; & rectè, nulla enim alia ratione nix calorem deſtruit, niſi producendo frigus in ſubiecto, quod præſupponitur eſſe calidum. Cum igitur in caſu poſito calor careat ſubiecto, non poterit nix illum corrumpere. Ad paritatem verò ex accidentibus Euchariſticis deſumptam dico, quod cum huiuſmodi accidentium immediatum ſubiectum ſit quantitas, vt ſuo loco probauimus: agentia naturalia per introductionem contrariorum in ſubiectum illa deſtruunt; & ſic non annihilant, quemadmodum neque reliqua agentia naturalia; hæc enim nunquam per ſe primo intendunt deſtructionem rei, quod ad annihilationem eſt neceſſarium, ſed per accidens, & conſequenter, inquantum opponitur formæ, quam in ſubiecto introducere intendunt; & hinc fit vt ſolus Deus annihilare poſſit. Ipſe enim ſolus per ſe primo ceſſare poteſt ab influxu, quo rem creatam conſeruat; & per hæc patet reſponſio ad poſteriorẽ primi antecedentis probationem.

Obijcies quartò: plus eſt agere cum reſiſtentia 46
poſitiua contrarij, quam ſine illa, ſed agentia naturalia agere poſſunt cum reſiſtentia contrarij educendo formas à ſubiecto; ergo multo magis ſine reſiſtentia, creando illas, quia nihilum illis,

nullo

Digitized by Google

nullo modo positiuè resistit.

Respondeo distinguendo maiorem: plus est agere cum resistentia positiua contrarij, quam sine illa, si cætera sint paria, concedo; quando non sunt cætera paria, nego; & ad minorem dico, quod agentia naturalia licet educendo formas, agant cum resistentia contrarij: tamen adiuuantur à subiecto, quod in genere causæ materialis cum illis in dicta eductione concurrit. at causa, quæ debet creare, non admittit influxum ex subiecto præexistente procedentem, quia ex nullo subiecto agere debet. Neque dicas hoc compensari à conatu, quem in expellendo contrarium adhibere debet, quia etiam ad hunc conatum exhibendum à forma, quam producit, formaliter adiuuatur. Vide D.T. *pr. pr. qu.* 45. *art.* 5. ad secundum.

47 Obijcies quintò: creaturæ spirituales, vtpotè nobiliores corporeis sunt illis virtuosiores; ergo si corporeæ agunt dependenter à subiecto: spirituales agere debent independenter ab illo, & sic creare. Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam, quemadmodum enim etiam si vnum agens corporeum sit virtuosius alio, non inde infertur, quod debeat agere independenter à subiecto, posito, quod illud agat dependenter: ita neque ex eo, quod creaturæ spirituales sint efficaciores corporeis; hanc enim maiorem efficacitatem habere possunt per prædominium, quod supra omnia corpora sibi vendicant, applicando actiua passiuis, & subijciendo ea sibi tanquam instrumenta in operando, illis mediantibus quantum, & quidquid sibi libuerit ex effectibus naturalibus.

SVBSECTIO SECVNDA.

An vis creatiua Principalis communicari possit à Deo alicui Creaturæ.

48 LOquimur de virtute creatiua principali, nã inferius de instrumentali disputabimus.

Conclusio est negatiua, & communissima inter Catholicos, vt affirmat Mazziotta *tom. 1. select qu. qu. 1. num. 2.* sed Durando oppositum docenti socium se in hoc nostris temporibus adiunxit Arriaga, qui *disput. 11. phis. sect. 5. subs. 2.* Secundo dicendum, inquit, censeo probabilius apparere, posse à Deo creari de potentia absoluta creaturam aliquam habentem virtutem naturæ suæ ad creandum, non solum vt causam instrumentalem, sed etiam vt principalem. Nostram conclusionem variis argumentis probare conãtur auctores, quorum præcipua ad quatuor, vel quinque capita redigi possunt: ea nos hic subijciemus, & quantum roboris habeant, ponderabimus.

49 Primum argumentum, quod ab antiquioribus Theologis afferebatur, est huiusmodi: Si virtus creatiua principalis alicui creaturæ competere posset, illi connaturaliter deberetur; sed hoc implicat; ergo &c. sequela maioris patet, nam aliter creatura se haberet vt causa instrumentalis, & non principalis creationis. Minor verò suadetur, quia vis creatiua principalis est infinita; ergo nulli creaturæ potest esse connaturaliter debita. Hæc consequentia videtur cõspicua, nam omnis creaturæ essentia finita est; ergo omnes proprietates suas finitas exposcit. Antecedens verò suadetur multipliciter, & primo quidem, quia vis creatiua debet superare distantiam, quæ inter purum nihil, & ens reale intercedit; sed hæc est infinita, vtpotè inter cõtradictoria, quæ maximè, atque adeo infinitè inter se distant; ergo ipsa quoque vis debet esse infinita. Secundo quia tanto maior virtus in agẽte requiritur: quanto magis ex potentia elongata ab actu, agitur; si igitur potentia, ex qua agitur, ita elongatur ab actu, vt penitus non sit: profectò virtus infinita in agente necessaria erit, atqui per virtutem creatiuam ex nulla subiecta potentia agitur: per eductiuam verò semper ex aliqua; ergo creatiua debet esse infinita. Tertiò denique est confirmatio præcedentis, quia motus localis eo est velocior, quo spatium est subtilius; ita vt si esset vacuum, fieret in instanti, atque adeo velocitate infinita. ergo virtus actiua agentis eo maior erit, quo subiectum minorem dicit potentiam ad id, quod agitur; atqui virtus creatiua ex nullo subiecto agit, & per consequens ex nulla potentia; ergo virtus creatiua est necessario infinita.

Verum hoc argumentum ex his, quæ diximus in physicis, facile potest solui; cum enim ibi probauerimus non implicare posse dari creaturam infinitam secundum essentiam, etiam si concedatur virtutem creatiuam debere esse infinitam, optime sustineri potest huiusmodi virtutem tãquam proprietatem alicui creaturæ posse competere. 50

Verũ etiã si cum communi implicare essentiã creatam infinitam sustinebimus, videbimus non multum roboris in dicto argumento reperiri. Ad illud enim responderi poterit: concessa maiore, quod nimirum si virtus creatiua principalis alicui creaturæ competere posset, esset illi cõnaturaliter debita, negando minorem; hoc videlicet, repugnare; Ad eius verò probationem negari quoq; potest, quod vis principalis creatiua debet esse infinita; & ad primam huius suasionem, concessa maiore, quod nimirum vis creatiua debeat superare distantiam, quæ est inter purum nihilum, & ens reale: negarem minorẽ, quod nimirum hæc distantia sit simpliciter infinita, ad cuius probationem dicerem, quod distantia, quæ intercedit inter contradictoria, potest sumi dupliciter primo formaliter, secundo materialiter: formaliter sumpta consistit in oppositione terminorum, quæ quia est maxima reliquarum trium, nimirum contrariæ, relatiuæ, & priuatiuæ, quatenus non admittit medium, ideo potest dici infinita, non quidem simpliciter, sed secundum quid, ad eum plane modum, quo perfectio hominis, quia superat reliquorum animalium perfectionem, infinita etiam secundum quid existimari solet. Iam verò distantia inter contradictoria materialiter considerata consistit in deficientia, secundum quam extremum negatiuum est minus positiuo, & in excessu, quo positiuum est negatiuo maius; & ideo potest esse modo Maior, modo Minor pro extremorum contradictionis diuersitate: vnde fit in contra- 51

dictione

Digitized by Google

dictione, quæ est V. G. inter Angelum, & non Angelum, distantia sit finita eo, quod deficientia in extremo negatiuo, hoc est, in non Angelo, est negatio perfectionis angelicæ, & excessus in positiuo, hoc est, in Angelo, non est aliud, quam perfectio ipsa Angeli. Cum autem, vtraque sit finita, finita etiam erit distantia huius contradictionis materialiter consideratæ. Sed maior est ea distantia, quæ est inter hominem, & non hominem, quia Angelus est homine perfectior. At verò distantia, quæ reperitur inter contradictoria: Deus, & non Deus materialiter accepta est infinita; siquidem deficientia in extremo negatiuo est diuinæ perfectionis carentia, excessus verò in positiuo totam diuinam perfectionem importat; tanto maior autem est carentia, quanto maius est positiuum illud, cuius est carentia, & sic distantia inter huiusmodi terminos ex vtraque parte est infinita. Quoniam verò in argumento agitur de distantia, quæ inter cõtradictoria reperitur, formaliter considerata, hinc fit, vt nihil concludat.

52 Ad secundam illius antecedentis suasionem, distinguo antecedens; & si quidem virtutes eiusdem rationis comparemus, concedo, quod tanto maior virtus in agente requiritur, quanto magis ex potentia elongata ab actu agitur. Sin autem de virtutibus diuersæ rationis agamus, nego antecedens; & ad consequentiam dico, quod, si per impossibile daretur virtus eductiua, quæ agere posset ex potentia, ita elongata ab actu, vt penitus non sit, vtique esset infinita, quia reliquæ eiusdem rationis eo sunt maiores, quo ex potentia magis elongata ab actu agunt, vt patet ex duplici virtute, quamuis altera est igne factiua ligni viridis, altera stuppæ. Quoniam verò virtus creatiua est diuersæ rationis ab eductiua: hinc fit, vt licet ex potentia ita elongata ab actu agat, vt penitus nulla sit, non sequatur, quod sit infinita Categorematicè, sed ad summum syncategorematicè, propter improportionem, quam habet cum eductiua; quatenus hæc quamuis crescat in infinitum, non potest ad perfectionem creatiuæ quantumuis finitæ pertingere; siquidem hæc ex sua peculiari ratione habet ex nullo subiecto operari, quod est eandem vnare in se duplicem vim, subiectiuam, videlicet, & effectiuam, quæ neque distributiuè, neque collectiuè infinitatem important.

53 Ad tertium denique ex paritate à motu locali desumpta, nego consequentiam. Disparitas est, quia motus localis essentialiter successiuitatem importat, atque adeò aliquam resistentiam ex parte medij. Quare si fieret in non tempore, esset, & non esset motus localis. At verò actio productiua rei non dicit de se essentialiter inhærentiam, atque adeò absque vllo influxu subiecti, vtique consistere potest. Vnde non sequitur, quod eo virtus creatiua crescat, quo magis à potentia influxiua subiecti elongatur, sicuti neque sequitur, quod virtus effectiua motus in vacuo debeat crescere cum ea proportione, qua decrescit resistentia vacui, cui resistentia pleni comparatur. Illa enim summa velocitas motus in vacuo non ex maioritate, sed ex indeterminatione virtutis motiuæ procederet, vti diximus in physicis, cum de motu in vacuo.

Secundum argumentum ad Conclusionem nostram probandam adducitur à Suarez, & est huiusmodi. In Mundo creatus est à Deo omnis gradus entis possibilis; sed hic gradus entis potentis principaliter producere aliquid ex nihilo non est à Deo creatus in Mundo, ergo non est possibilis. Minor videtur certa, cum enim constet nullam creaturam aliquid vnquam ex nihilo produxisse, superuacaneum fuisset virtutem creatiuam alicui communicare; ad nihil enim aliud vis operatiua rei naturali deseruit, nisi vt secundum illam aliquando valeat operari. Maior verò, quæ sola probatione eget, suadetur tripliciter primo ex Aristotele 8. *phys.* tex. 56. Quod melius est semper arbitramur in natura esse, si possibile est. Hoc autem ad minus intelligendum est de gradibus possibilibus rerum. Secundo, quia Deus in Mundi creatione exequutus est partes optimi artificis, sed ad hunc pertinet non solum summa sapientia, & virtute operari, sed etiam perfectissimum opus arte factum producere, ergo Deus debuit Mundo omnem formalem perfectionem possibilem communicare. Tertio denique, quia finis vniuscuiusque agentis est assimilare sibi effectum, quantum potest. Sed Mundus non esset Deo perfectè similis: si non haberet omnem formalem perfectionem possibilem in ordine naturali. ergo &c. 54

Quidam hoc argumentum ex eo capite contemnendum existimant, quia solum concludit nulli creaturæ virtutem principaliter creandi posse competere, non verò assignat rationem, cur ita sit, & quid habeat creatura, ratione cuius non possit ad exigendam hanc virtutem assurgere. Verum hæc solutio non procedit: posset enim respondere Suarez rationem petendam esse ex eodem capite, ex quo deducitur, non posse dari alium gradum superiorem Angelico à Deo communicabilem creaturæ. Si enim dari posset, profecto hanc virtutem, tanquam proprietatem fortasse sibi vendicaret. Vnde quæstionem consistere in eo, vt videamus, num huiusmodi virtus creaturæ competere possit, non verò propter quid non possit. Quare, hoc ipso, quod Suarez eruncit primum, iam intentum assequitur. 55

Secundo idem Suarij argumentum, Arriaga & Oviedus in maiore claudicare contendunt, & idcirco reijciendum existimant, & quidem Arriaga *in physicis disput.* 11. *num.* 100. illam tripliciter impugnat, primo ad hominem, quia Suarez *in Metaph. disput.* 13. *sect.* 10. possibile esse iudicat corpus simplex, non tamen dari de facto, sed huiusmodi corpus importat diuersum gradum entis ab alijs, qui de facto dantur, ergo falsum est in mundo omnem gradum possibilem entis à Deo creatum fuisse. Secundo, quia non stat Deum potuisse creare hoc vniuersum sine vllo Angelo; sed in hoc casu non liceret inferre Angelum non esse possibilem, ergo &c. Tertio quia non tenebratur Deus producere hoc vniuersum cum omni ornatu possibili, quia liberè illud produxit. ergo &c. Oviedus verò sic contra 56

Digitized by Google

tra eandem Suarij maiorem inuehitur *contra 13. phys. puncto quarto num: octauo.* possibiles sunt plures Species creaturarum longe perfectiores existentibus, quas tamen Deus minimè creauit. Porrò hæ creaturæ si existerent, nobiliorem gradum existentibus sibi vendicarent. ergo &c.

57 Verum neuter suis rationibus maiorem argumenti Suarij labefactat. Ad primam enim Arriagæ facilè respondetur, quòd corpus simplex, si daretur, diuersum gradum à gradu rerum immaterialium immersarum minimè constitueret, eo quòd illis rebus in materia formaliter immersis æquivaleret per hoc, quod haberet in se identificatas materiam primam, & formam substantialem, quæ in reliquis inueniuntur distinctæ. Videam illis in proprietatibus conueniret, vt patet ex quantitate, & alijs accidentibus sensibilibus, quæ participarat. Ad secundam verò distinguo maiorem illam: Deus potuisset hoc vniuersum sine gradu angelico creare; potuisset vt Auctor totius naturæ, nego: vt absolutus naturæ Dominus, concedo maiorem; & admissa minore, ad consequentiam dicerem, quod hoc ipso, quod constaret Deum in Mundi creatione noluisse se exigentiæ ipsius Mundi, vt auctorem naturæ conformare: non rectè deduceretur ex eo, quod non daretur gradus angelicus, impossibilitas dicti gradus. Quandiu verò id non constat, temerè affirmaretur; vt patet; quod si constaret Deum in creatione Mundi eius exigentiæ voluisse se conformare, & nihilominus

58 illum Angelum modo facto creasse: per necessariam consequentiam sequeretur gradum angelicum implicare. Ad ceteram denique distinguo eodem fere modo illud antecedens: Deus non tenetur omnem Ordinem, & vniuersum producere, & siquidem non vult se gerere, vt auctor naturæ, concedo: si velit se gerere, vt talis, nego antecedens, & consequentiam. Ab enim quod quemadmodum hoc ipso, quod noluit in creatione Mundi sua extraordinaria potentia vti, debuit producere elementa cum suis primis qualitatibus requisitis, & mixta cum suis natiuis proprietatibus, & inclinationibus, ita, vt omnia sub Cælo contineantur vita etiam omnem modum, gradum, & ordinem essendi possibilem. Ad rationem denique Quiedi eius distinguo assumptum: possibile sunt plures species creaturarum existentibus longè perfectiores, quas Deus minimè creare voluit, longè

59 perfectiores, inquam materialiter, concedo; formaliter, nego antecedens, & consequentiam, illis enim ad perfectissimam communicationem Dei, vt auctoris naturæ, respectu vniuersi pertinere solum, quod omnem formalem perfectionem, cuius est capax, illi communicauerit. Quoniam verò huiusmodi perfectio, neque plures, neque paniores gradus, quam creet habere posse videtur: quorum primus sit omnino materialis, vt est lapis, secundus illi oppositus omnino spiritualis, vt Angelus, tertius denique medium ex vtroque extremo participans, cuiusmodi est homo; hinc fit, vt Deus, posito quod voluit in creatione vniuersi se gerere, vt auctorem naturæ, hos tantum tres gradus ei communicare to-

neretur, & quia species creaturarum possibilium, quantumuis existentibus perfectiones sub aliquo ex dictis gradibus continentur (vndè si darentur, illum tantummodo ad perfectiorem speciem extenderent, non verò aliam multiplicarent) ideò nulla naturæ lege Deus illas creare tenebatur, & sic ex eo, quod minimè creatæ fuerint, earū impossibilitas non rectè deducitur.

Ex quibus sequitur maiorem argumenti Suarez, in qua assumebatur in mundo omnem gradum possibilem entis à Deo fuisse creatum rectè procedere. Sed minor, in qua subsumitur, quod gradus entis potentis aliquid ex nihilo producere, non sit in Mundo creatus, meo iudicio flaccida, imò imbecillima est, quare ex hoc capite illud reijciendum existimo.

Respondeo igitur tertio: eius maiore concessa, distinguendo minorem, & siquidem oporteret, quod possa aliquid ex nihilo producere, debeat gradum entis à cæteris assignatis distinctum constituere, eam negandam puto, tanquam de subiecto non supponente. Sin autem ab hoc præscindat, solumque contendat non dari in Mundo gradum entis, aliquid creare potentis: eam sub distinctione non datur hic gradus coniunctus à parte rei cum creatura, aliquid creare potente, concedo: non datur hic gradus coniungibilis à parte rei cum huiusmodi creatura, nego minorem; & sic distinguo consequens: ergo hic gradus creaturæ potentis aliquid producere, non est possibilis ex suppositione, quòd sit diuersus ab illis, qui defactò dantur in Mundo, concedo: præscindendo ab eo, quod sit vnus ex illis, nego consequentiam; & dicerem, quod modus operandi principaliter ex nihilo licet supponeret modum operandi, qui defactò creaturis existentibus communicatus est: quia tamen radicaretur in aliqua perfectione specifica contenta sub aliquo ex dictis gradibus essendi, qui defactò dantur. Vel sub gradu entis creati omnino immaterialis rectè deduceretur, quòd quamuis creatura potens creare non daretur defacto, Mundus tamen omnem gradum essendi possibilem quarum ad formalem perfectionem à Deo ordinatum, & sic ex potentia huius creaturæ nullatenus Mundi formalis imperfectio redūderet.

DVBITATIO TERTIA.

Duæ aliæ rationes eiusdem sententiæ expenduntur.

60 TErtia ratio affertur ab Albertino *to. pr. q. 17. Thom. in Genesim Philosophicè num. 25.* & sumitur ex Aegidio *tā quodl. 1. qu. 9. tū quodl. 5. qu.* ea est huiusmodi: Modus operandi causæ principalis necessariò sequitur modū essendi eius causæ. Sed hæc esset, vt causa principalis creare, eius modus operandi nō sequeretur modū essendi eiusdē, ergo &c. Maior admittitur cōmuniter ab omnibus, & rectè: implicat enim contradictionē, quod operatio non proportionetur suæ causæ principali. Sed illa in perfectione excedat. Minor verò, quæ sola probatione egere videtur, probatur, explicatur. Primo, quia virtus creatiua caret esse essentiæ, vel esset qualitas ab eius substantia realiter distincta, vel secū identificata. Si primum, iā à subiecto in suo esse penderet; sed actio creatiua nō pendet à subiecto, sed est ex nihilo. ergo

Digitized by Google

iã modus operandi nõ proportionaretur modo essendi. Sin autẽ secundũ, vel substantia causæ creatiuæ ponitur materialis, vel spiritualis: si materialis; ergo eius modus operandi deberet esse immersus materiæ; sed creatio est independens à subiecto, atque adeo emersa á materia; ergo &c. si verò spiritualis: cum substãtia spiritualis non operetur nisi per intellectũ, & voluntatem, cuius operationes pendeant à subiecto; rectè deducitur, quod etiam eius modus operandi ipsius modum essendi superaret. Probatur secundo eadem minor: Omnis substãtia creata est essentialiter receptiua alicuius formæ accidentalis; ergo omnis eius operatio debet esse receptibilis in subiecto, alioquin non esset suæ causæ proportionata; sed creatio est irreceptibilis; ergo &c

61 Confirmatur ratione, quam adducit Quiedus *in phil. contro. 13. punct. 4. num. 11.* sic: non potest dari creatura, quæ operetur immanenter nisi per actionem in ipsa receptam; ergo neque potest dari, quæ transeunter nisi per actionem receptam in subiecto: Antecedens patet, consequentia probatur: quia sicuti non est de ratione transeuntis vt sic recipi in subiecto, vt patet ex creatione, ita neque de ratione immanentis, vt patet in Deo, cum quo intelligere, & amare identificantur; sicuti igitur operari immanenter in subiecto est proprium creaturæ, ita, & transeunter. alioquin perfectius creatura operabitur transeunter, quam immanenter, quod videtur absurdum. Tertiò denique eadem Minor suadetur, quia modus essendi substantiæ creatæ semper includit aliquam dependentiam á subiecto saltem ratione subsistentiæ; ergo si haberet modum operandi independenter á subiecto, qualem sibi vendicat creatio, eius modus operandi iam superaret modum essendi.

62 Verum neque hæc ratio est conuincens: possent enim respondere aduersarij: concessa maiore, quod, nimirum modus operandi sequi necessario debeat modum essendi causæ principalis: negando minorem; & ad primam eius probationem dicere virtutem creatiuam in creatura, siue ponatur distincta realiter ab illa, siue indistincta, nullam absurditatem involuere; & siquidem distincta cum eo, quod est illã

63 in suo esse dependere á subiecto, actionem verò creatiuam non dependere, adhuc stare, quod modus operandi causæ principalis sequeretur modum essendi; nam virtus illa tunc non esset ratio, quæ: sed solum ratio, qua, agens principale crearet. Ratio enim, quæ in tali casu esset substantia ipsius agentis: quæ á nullo subiecto penderet. Non autem esse absurdum, quod modus operandi superet modum essendi illius virtutis, quæ se habet vt ratio, qua, agẽdi, patet ex his, quæ diximus *in lib. de gener. ac.* vbi probauimus accidens attingere immediate effectus substantiales tanquam virtutem quæ substantiæ. Constat ergo axioma illud solum habere veritatem, si conferetur modus operandi cum modo essendi ipsius causæ principalis, seu virtutis, quæ; sin autem huiusmodi virtus creatiua supponatur cum causa creante identificata, siue dicant aduersarii hanc causam esse materialem, siue spiritualem, non possunt redargui; si enim materialem, ad instantiam respondebunt eam esse corpus omnino simplex, quod simile corpus creare valeat per actionem creatiuam immersam quidem in materia secũdum entitatem suam, quatenus esset materialis, non verò secundum dependentiam à subiecto. Sin autem sustineant esse spiritualem, dicent, quod licet medio intellectu, & voluntate operaretur, intellectio tamen, & volitio non se haberent vt vis creatiua, sed solum vt applicatio dictæ virtutis: constare autem modum operandi posse esse nobiliorem modo essendi applicationis virtutis operatiuæ, vt videre est in approximatione requisita inter ignem, & lignũ, quæ est longe inferior igne producendo.

Ad secundam minoris principalis probatio- 63
nem, concesso antecedente, negabunt aduersarij consequentiam, & dicent ad hoc, vt actio creatiua sit causæ suæ, hoc est Angelo creanti proportionata sufficere, quod sicuti ipsa est ex nullo præsupposito subiecto: ita & Angelus creatus Cæterum non requiri proportionem receptibilis, constare tum, quia hæc proportio, quo ad modum essendi, & operandi maximè attendi debet inter terminos, qui se habent vt causa & effectus, creatio autem non se habet vt effectus: cum etiam, quia per hoc, quod actio creatiua recipi in subiectio nequeat, non excedit perfectionem substantiæ Angeli, quia hæc quantumuis receptiua, adhuc tamen est ex nõ subiecto, & quidem perfectiori modo, quam illa; si quidem creatio respicit terminum creatum tanquam subiectum adhæsionis, cui debeat ad minimum essentialiter adhærere, quod non haberet Angelus potens creare. Ad confirmationem, concesso antecedente, nego consequentiam, ad cuius probationem nego non esse de ratione actionis immanentis distinctæ recipi in subiecto, hoc enim ipso, quod sit distincta á principio, á quo profluit, essentialiter, habet producere qualitatem, & ideo est essentialiter receptibilis; quod si intelligere, & velle diuinum hoc non habent, est, quia sunt de genere substantiæ, & identificantur cum principio suo: at verò actio transiens etiam si sit distincta á principio suo, non est essentialiter productiua qualitatis, sed potest se extendere ad substantiam ex nihilo subiecti; vnde non videtur minũ si possit esse irrecepta quantumuis á creatura procedens. Ex his sequitur, quod operari immanenter in subiecto est remote proprium creaturæ, hoc est ratione termini, qui debet esse qualitas perfectiua principii; & ideo non est 64
necesse, vt sic etiam proprium illius sic operari transeunter, eo quod terminus dictæ operationis potest esse substantia. Quantum verò ad id, quod vltimo loco dicebatur de huiusmodi actionibus in perfectione ad inuicem comparatis, aio aliquam actionem transeuntem rei creatæ posse esse immanente perfectionem sine absurdo, patere ex igne, qui non potest immanenter producere nisi suas proprietates, quæ sunt de genere accidentis, at verò transeunter producit ignem similem, qui est de genere substan-

cia. Nil igitur mirum si dicant aduersarij dari posse Angelum, qui immanenter non possit operari nisi per actionē in se receptā: transeunter verò per irreceptam, videlicet per creatiuam.

64 Sed contra instabis: quando dicitur: absurdū esse quod aliquod agens perfectius transeunter quam immanenter valeat operari, non est intelligendum de perfectione quo ad entitatem operationis; sed quo ad independentiam à subiecto; ergo nulla responsio. Consequentia patet, antecedens verò probatur, quia maior perfectio operationis quo ad independentiam, & non maior quo ad entitatem, maiorem perfectionem in operante arguit. Angelus enim est homine perfectior, quia licet homo possit producere terminum substantialem, non verò Angelus, intellectio tamen angeli nullo modo pendet á materia: intellectio verò hominis pēdet ab ea quatenus pendet á phantasmatibus.

65 Ad hoc respondebunt aduersarij: verum quidem esse, quod si cætera sint paria, absurdum sit agens operari perfectius quo ad independētiam à subiecto transeunter, quam immanenter. At in casu nostro, de Angelo potente creare, non esse cætera paria, quia terminus operationis immanentis procedentis á creatura non potest esse substantia, cui connaturaliter competere potest independentia á subiecto: at terminus transeuntis rectè potest. Quare quantum est ex hoc capite non repugnare, quod creatura aliqua transeunter cum independentia à subiecto operetur, & non immanenter. Præterea quamuis magis intrinseca agenti sit operatio immanens, quam transiens, & agens inclinet magis ad intrinsecè se perficiendum, quam extrinsece ad perficiendum aliud: quia tamen intrinseca agentis perfectio non habetur ex quocumque bono maiore, sed ex illo quod ei congruit, & proportionatum est: hoc ipso, quod illi non congruit operatio immanens á subiecto independens, congruit verò dependens: non sequi, quod inclinare debeat ad independentem, nisi dicamus non repugnare dari accidens perfectiuum, qualis est operatio immanens, quod sit ex sua natura à subiecto independens, cuiusmodi est anima rationalis, quia hoc posito corruit difficultas. His tamen non obstantibus addi potest, quod operatio transiens, quo maiorem, vel minorem dependentiam habet á subiecto, eo maiorem, vel minorem perfectionem arguit in operante, & quia creatiua omnem excludit dependentiam ideo censenda sit perfectissima omnium á subiecto pendentium, licet non infinita simpliciter, sed solum secundum quid.

66 Ad tertiam denique probationem respondet Arriaga quadrupliciter, primo sic: si Deus haberet subsistentiam distinctam ad hoc posset creare; ergo per hoc, quod modus essendi creaturæ ratione subsistentiæ pendeat à subiecto, non tollitur quin creare posset. Sed ad hoc dicent aduersarij ex illa suppositione impossibili sicuti sequeretur, quod ille esset Deus vt supponitur, & non esset Deus vtpote ens potentiale: ita quod posset, & non posset creare; posset quia Deus: non posset quia non Deus, & sic negabunt consequentiam, quæ absolutè, & non ex suppositione impossibili procedit. Respondet secundo per multos sensationem interna posse concurrere ad productionem speciei intelligibilis quæ spiritualis est. cur ergo res composita non poterit concurrere ad rei simplicis productionem? Sed hæc responsio facile etiam dissoluetur, tum quia antecedens à multis non censetur probabile, & nos illud ex professo reiecimus in *lib. de Anima*, tum etiam quia, eo admisso, disparitas esse posset quia sensatio remote, hoc est ratione suæ speciei ponitur partialiter, & minus principaliter, siue etiam instrumentaliter ad speciei intelligibilis productionem concurrere, ita vt intellectus agens absolutè loquendo principaliter operetur, eo quod illam sibi in agendo subordinat. At nos loquimur in præsentia de re creata, quæ tamquam causa principalis creationem exerceat. Respondet tertiò, sufficere ad proportionem, quod Angeli substantia, à qua creatio procedere debet, á subiecto non pendeat, quidquid sit si pendeat eius subsistentia. Sed contra hoc facit, quia substantia Angeli ex eo, quod habeat esse subiectiuum respectu subsistentiæ, aliquam imbibit imperfectionem, qua caret omnino creatio si quidem illa neque habet rationem subiecti vt patet, neque rationem formæ informantis. Respondet denique quarto non implicare substantiam, quæ sibi identificet subsistentiam, in ea verò cessare rationem ex dependentia in subsistendo proenientem. Verum neque hæc responsio satisfacit, tum quia in sententia eorum, qui sustinent subsistentiam esse formalissime eandem cum existentia substantiali, suppositio est impossibilis, quia sic dari posset creatura essentialiter existens, quæ per omnea repugnat: cum quia admissa distinctione inter subsistentiam, & existentiam multi putant repugnare substantiā cum sua subsistentia identificatam, in quorum opinione restat in suo robore difficultas. Tum denique admisso, quod non repugnaret, quia tamen indispensabiliter esse subiectiuum haberet, respectu alicuius accidentis sibi proprij: eodem modo in perfectione superaretur ab actione creatiua, ac si haberet subsistentiam distinctam.

Quare his responsionibus postpositis dupli- 67
ci via ego ad tertiam illam minoris principalis probationem respondeo: Primo in sententia existentiam ab essentia ex natura rei distinguentium. Secundo in sententia illas inter se identificantium, & quidem in prima via negarem consequentiam dicendo, quod sicuti substantia illa haberet modum essendi compositiū seu subiectiuum in ordine ad propriam subsistentiam: ita creatio in ordine ad existentiam propriam á qua ex natura rei esset distincta, ex quo sequeretur, quod modus operandi per creationem tali substantiæ conueniens propriō modo essendi subiectiuo proportionatus esset. In secunda verò via eandem consequentiam negarem ex eo quia dependentia à subiecto, quam includit substantia creata ratione propriæ subsistentiæ, non reddit illam ἀετεριστὴν cēn-

conditionis, quam esset conditio creationis; tum quia etiam creatio ratione proprij termini huiusmodi dependentiam sibi vendicaret, quando quidem haberet pro termino substantiam iam vltimo completam, & subsistentem; tum etiam quia illa compositio, quæ ex dicta dependentia subiectiua procedit, est simplicitate creationis multo nobilior, quatenus importat naturam substantialem vltimo terminatam per subsistentiam, creatio verò solum rationem modi substantialis: non enim quæcumque simplicitas est quacumque compositione perfectior sed illa tantum quæ adunat in se perfectiones in compositione, cui comparatur, reperias, quia sit præter dictas perfectionem dicit vnitatem illarum, quæ cæteris paribus est multiplicitate nobilior. Nostro hac perfectionum aduna-
tio in creatione minimè reperitur.

68 Quæ cæterorum ratio sic procedit: plus est posse creare, quam posse annihilare; sed implicat creaturam posse aliquid annihilare ergo multo magis posse aliquid creare. Consequētia videtur certa, quia virtus illa effectiua, quæ potest plus, multo magis potest minus; sol enim hoc ipso, quod potest producere lumen vt octo, implicat non posse producere lumen vt vnum; quare si non posset vt vnum, rectè deduceretur, multo minus posse se extendere ad lumen vt octo producendum. Maior autem suadetur quia plus est esse, quam non esse. Sed per virtutem creatiuam datur esse rei creatæ: per annihilationem aufertur, & sic datur illi non esse; ergo &c. Minor verò probatur, quia implicat creaturam habere supremum dominium alicuius rei creatæ. ergo implicat posse aliquid annihilare. Antecedens huius videtur certum, quia tale dominium, est solius Dei. Consequentia verò suadetur, quia si creatura posset rem aliquam annihilare, haberet respectu illius perfectius dominium, quam haberet Deus; si quidem Deus vt auctor naturæ tenetur creaturas suas conseruare, si quæ autem creatura annihilare posset aliquid, nulla lege ad illud conseruandum teneretur, & sic perfectius dominium haberet respectu illius.

69 Verum neque hæc ratio solida est. Possunt enim aduersarij facile respondere primo, concessa maiore, & minore negando consequentiam. Quemadmodum enim non valet hic modus argumentandi: Plus est posse generare hominem, quam agnum. Sed Petrus potest generare hominem; ergo, & agnum; ita neque ille aduersariorum. Ad probationem consequēsiæ dicent, quod tunc virtus illa, quæ potest plus, conuincitur posse minus, quando plus, & minus sunt sub eadem specie vt lumen vt octo & lumen vt vnum. At quando differunt inter se essentialiter, vt homo, & agnus, non bene deducitur. Cum autem creatio fiat per positiuum influxum, annihilatio verò per subtractionem ac cessationem dicti influxus constat ea inter se plus quam essentialiter differre. Possūt etiam respondere secundo negando minorem, nulla enim implicantia videtur esse in eo quod quemadmodum sol producit, & conseruat lumen in aere: ita sit possibilis aliquis Angelus, qui creet, & conseruet aliquam creaturam, libere tamen: ita vt per ipsum fiet subtrahere ab ea concursum, eamque ad nihilum redigere. Ad minoris probationem, concesso antecedente, videlicet, implicare creaturam habere perfectius dominium in aliqua re, quam Deus ipse, negabunt id sequi si creatura aliquid annihilare posset, & ad huius suasionem dicent: per hoc quod Deus vt auctor naturæ teneatur ad conseruandas creaturas suas, quæ exigunt conseruari, nihil eius dominio detorqari, quia hanc naturæ legem ipse condidit, & libere ad eam regulariter custodiendam se determinauit. Quod si creatura illa in ordine ad conseruationem rei, quam creauit huiusmodi legi minimè esset subiecta: subijceretur tamen Dei voluntati in quantum sicuti sine concursu Dei non posset illam creare, & conseruare, ita si Deus efficaciter nollet vt à conseruatione cessaret, nullo modo desistere posset, & sic omnibus pensatis minus in creaturam illam dominaretur, quam Deus ipse.

Quinto denique sic fere, argumentatur Quiros *in suo cursu disp. 62. sect. 2. num.* 20. In quolibet simpliciter tali seu subsistenti debet relucere aliquid, quod soli Deo correspondeat; ita vt nullum sit ens per se subsistens, quod secundum aliquid sui non debeat suum esse specialius Deo, quam creaturæ; sed si creatura vi sua posset creare, in effectu per se subsistente nihil reluceret Dei proprium, talisque effectus non deberet suum esse Deo potius, quam creaturæ illi; ergo nulla creatura vi sua creare potest. Consequentia patet, & maiorem commendat supremum Dei dominium, & excellentiam; si enim creatura V.G. Angelo æque suum esse deberet homo, ac Deo, cur non posset æquales gratias vtrique reddere, & æque verumque vt suum conditorem, & vt primam causam agnoscere? Minor verò suadetur quia effectus sic creatus tum à Deo, tam á creatura secundum se totum partialiter procederet; ergo nihil in eo reluceret Dei proprium &c. Confirmatur quia spectat ad Dei perfectionem quod ipse incipiat omne opus simpliciter tale, & quasi ponat primam basim cui causæ secundæ superædificent: sed si creatura vi sua creare posset, ipsa inciperet opus, quod crearet, & ipsa poneret primam basim; ergo &c. 70

Verum leuitas huius argumenti suadetur primo ex absurdo, quod inde sequeretur; nimirum non posse dari in creaturis virtutem productiuam vllius prorsus effectus, quod licet sit euidenter falsum: eodem tamen medio, quo Quiros vtitur verum appareret, sic: Supremum Dei dominium, & excellentia exigit, vt in quolibet prorsus effectu reluceat aliquid, quod ipsi soli correspondeat, ita vt nullum sit ens factum, quod secundum aliquid sui non debeat suum esse specialius Deo, quam creaturæ; sed si creatura vi sua posset efficienter aliquid producere, nihil in eo reluceret Dei proprium, talisque effectus non deberet suum esse Deo potius quam creaturæ; eo quod tum à Deo tū à creatura illa secundum se totum partialiter dependeret; ergo implicat creaturas aliquid 71

efficienter causare posse, hinc argumenti: consequentia, cuiusque obiectum patet. Maior verò videtur certissima, & suadetur ex verbis Apostoli ad Romanos, qui probare volens ex rebus creatis Deum esse gentibus manifestatum; Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, quem locum sic explicat Anselmus: Inuisibilia Dei sunt inuisibilia Dei à condictione mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, videlicet quod ab orbe condito omnia quæ fiunt in mundo, siue subsistentia sint, siue habentia ad Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem agnoscendam homines inducunt. Sed clarius eadem maior confirmatur ex Davide Psal. 18. quo post quam dixit: cæli (qui subsistentes sunt) enarrant gloriam Dei &c. subiungit: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Constat autem eodem, & nos esse argumento cælo, & tamen vt Basilius ibidem exponit: dies cum finitur, tradit alteri diei verbum huius diuinæ, & nox similiter cum succedit succedenti scientiam laudandi Deum annunciat. Quod falsum esset nisi in eo quod diei dominum & excellentia refulgeret, ratio à quolibus eius vniuersalis refulgentiæ, quia homo ad dominium illud, & nobilem excellentiam eius vniuersalis, quæ homini in quolibet effectu subsistente, seruatum in quolibet illius rerum exigit reluceat aliquid, quod soli Deo correspondeat, ita vt nullus omnino licitus effectus, qui secundum aliquid sui non debeat suum esse specialius Dei, quam creaturæ. Cum igitur Deo eiusque dominio nihil magis ex cogitari possit, dicendum est eum hanc vniuersalem refulgentiæ excellentiam sibi vendicare, exigendo vt in omni prorsus ente producto resplendeat. Atque hæc pro maiore nostri argumenti. Minor verò in sententia huius auctoris non videtur posse rationabiliter negari: sicuti enim per ipsum si creatura vi sua creare posset in effectu ab illa creato nihil Dei proprium reluceret, talisque effectus non deberet suum esse Deo potius, quam creaturæ, quæ ipsum ex nihilo produxit: sic etiam si creatura vi sua posset aliquid producere, quantumuis à præexistente materia dependens, nihil in eo Dei proprium reluceret, neque ipsum deberet suum esse potius Deo, quam creaturæ illi. Non enim in hoc vmbra maioris rationis assignabilis videtur; in vtroque enim effectu tũ Deus tũ creatura efficienter concurrerent Deus vt causa prima, creatura verò vt secunda; ergo sicuti concursus creaturæ in priori effectu refulgentiam diuini dominij & excellentiæ per Quiros obscuraret, quod ne contingeret vis creatiua creaturæ in eius sententia neganda est: sic etiã quia concursus creaturæ in posteriori, dictam refulgentiam obumbraret, negari debebet illi vis productiua cuiuscumque effectus; quo quid absurdius?

72 Neque enim dici potest, quod res accidentalis hoc ipso, quod pendet à materia sufficienter Deum materiæ creatorem innotescere faciat, quod non haberet res substantialis, si totum suum esse à creatura reciperet. Contra enim est. Possent enim aduersarij respondere, quod quamquam Quiros in hac disputatione supponat materiam non esse nisi à Deo creabilem, & ideo Deum in causando manifestiorem esse, & ipsa quidditas creatura creatrix propter hoc ipsum non posse nisi à solo Deo per creationem accipere esse; quæ cum sit multo nobilior, quam materia, perfectiori modo in Deo connexionem inducere, quare, vel vtraque vis actiua concedenda est creaturæ, vel neutra.

Sed age iam argumenti à Quiros adducti 73
bitatem per directam solutionem aperiamus. Hoc præuio, concessa maiore, negando minorem, quod scilicet in effectu à creatura creato nihil Dei proprium reluceret, quodque talis effectus non deberet suum esse Deo potius, quam creaturæ, & eius distinguerem probationem: effectus sic creatus tum à Deo, tum à creatura partialiter secundum se totum procederet: & diuerso modo, concederem; & eodem modo, negarem antecedens, & consequentiã. Porrò diuersitas modi consisteret in eo, quod talis effectus à creatura creatus, à Deo procederet cum essentiali indigentia influxus illius tum immediati, tum mediati; non solum quo ad esse, sed etiam quo ad operari, quatenus indigeret, vt & ipse, & eius causa essentialiter, in actu secundo tum in essendo, tum in operando penderet à Deo; at verò neutro modo procederet à creatura, sed solum accidentaliter, & ad libitum ipsius Dei; vnde fit vt in eo reluceret dependentia à Deo essentialiter exacta, quæ soli Deo correspondet, ratione cuius ipsi Deo deberet suum esse specialius, quam creaturæ; quatenus sine Deo nullo modo potuisset existere: potuisset verò sine creatura; & quod de facto per illam existat, non nisi Dei volentis, & influentis beneficio habeat.

Neque dicat aduersarius, quod hoc modo 74
etiam in formis à materia dependentibus Dei dominium, & excellentia refulgeat, quare si res subsistens à creatura creari posset, nihil in ea specialius esset, quod soli Deo correspondet: Nam hoc ipso, quod res subsistens per suum esse Deum essentialiter repræsentaret, implicat, quod in illa eius attributa nobilius & 3
specialius minimè resplenderẽt: quis enim neget cæteris paribus effectum quo nobilior est, eo nobiliori, & specialiori ratione suum artificem repræsentare?

Atque ex his patet responsio ad confirma- 75
tionem: concessa enim maiore, negare possunt Aduersarij minorem; & dicere: quod Deus dando vim creatiuam creaturæ, & simul cum illa libere concurrendo, modo paulo ante explicato, perfectiori, ac nobiliori ratione ponere primam basim, cui causæ secundæ super ædificarent, producendo in effectu creato formas dependentes ab illo tanquam á subiecto.

( ) ( )

SVB-

SVBSECTIO QVARTA.

Affertur, & propugnatur ratio S. T. quòd videatur implicare Creaturam posse aliquid principaliter creare.

76 ARgumentum, quo D. T. vtitur ad probandum non posse dari diuinitus creaturam aliquid principaliter creare potentem, sumitur ex vniuersalitate, quam obiectum, quod respicitur à virtute creatiua principali, vt sic, necessariò habere debet, quatenus debet comprehendere sub se omne factibile. Quoniam verò huiusmodi rationem diuersimodè, & per extensum variè in locis ipse pertractat, eam sic in forma Syllogistica breuiter mihi placet proponere.

Vis creatiua principalis habet pro obiecto quod ens defectibile vniuersalissimè acceptum, seù, vt D. T. loquitur, ens in quantum huiusmodi, hoc est, vt ens. Sed implicat creaturam posse habere vim adeò vniuersalem, quæ habeat pro obiecto suo ens defectibile vniuersalissimè acceptum. ergo implicat creaturam posse

16 aliquid principaliter creare. Sensus maioris non est, vt putat Arriaga quod creatio sibi vendicet vniuersaliorem terminum, quam Generatio. Non enim Angelus est vniuersalior igne genita: neque, vt existimat Hurtadus, quod terminari debeat ad rationem entis abstracti, & non concreti ad tale, vel tale ens. Verum enim modo intelligeretur dicta maior, esset euidenter falsa. Nam de ratione cuiuscumque actionis physicæ, siue creatiua sit, siue eductiua sit, vt habeat pro termino aliquod singulare, eo quod illud causare debet in ratione existentis, cuius non est capax terminus vniuersalis. Sensus igitur maioris est, quod vis creatiua licet, quando exercetur semper habeat pro termino aliquod singulare: tamen illud attingere debeat sub vniuersalissima ratione, quatenus, scilicet, factibile est, ad eum planè modum, quo quando oculus intuetur Album, intuetur illud in ratione Colorati, non verò sub ratione particulari albi; aliter non posset videre nigrum, & reliqua colorata media. Ex quo sequitur non posse potentiam creatiuam producere aliquid V. G. Gabrielem sub ratione particulari Gabrielis, sed sub vniuersalissima entis existentis defectibilis. Atque adeò, vt debeat posse creare quodcumque ens, sicuti potentia visiua, propter similem rationem debet posse videre quantum est de se quodlibet Coloratum. In hoc sensu intellecta maiore argumenti consequentia, quæ ex ea deducitur est euidens; & minor ex duplici capite comprobatur verissima, videlicet ex amplitudine termini respecti, & ex restrictione creaturæ respicientis. Ex primo sic, quia ens defectibile vniuersalissimè acceptum comprehendit sub se omne factibile. Implicat autem creaturam aliquam habere vim producendi omne factibile, quia ipsa est vnum ex factibilibus, atque adeò deberet posse se ipsam producere; & quidem primo, quia loquimur de virtute principali quæ cum connaturaliter operatiua sit, debet necessariò rendere ad ponendū primo effectum à parte rei. Sicuti igitur implicat huiusmodi creatura, quæ possit dare sibi primo esse, ita etiam implicabit creatura, quæ habet vim producendi omne factibile; & licet aliquis dicat in omni factibili respectu non comprehendi ipsam creaturam, propter implicantiam specialem aliquam, non soluit, per hoc difficultatem, quia non solum implicat creatura, quæ possit facere omne prorsus factibile, sed etiam illa, quæ omnia præter vnum, aut duo, quia ad hoc etiam Omnipotentia inadæquatè sumpta necessaria est, sicuti etiam implicat visio creata ad videndum in Deo omnia possibilia præter vnum, aut duo. Ex secundo verò capite sic: si competere posset creaturæ vis principalis creandi omne creabile, huiusmodi vis ab eius essentia tanquam proprietas promanaret. Atqui hoc repugnat, quia essentia creaturæ est particularis, & in suis prædicatis essentialibus limitata. Huiusmodi autem vis maximè vniuersalis, & illimitata, atque adeò illi improportionata, & indebita, soli igitur Deo competere potest; & sic implicat, quod competat creaturæ; neque hæc implicantia per diuersitatem modi saluari potest, dicendo, videlicet, quod competere possit creaturæ cum dependentia à Deo, at verò ipsi Deo sine dependentia ab alio. Etenim effectus non solum debet proportionari causæ, quo ad modum, sed etiam, quo ad amplitudinem, & entitatem, vt D. T. innuit locis citatis. Vnde fit, vt posse creare omne creabile non nisi causæ vniuersalissimæ, nempe Deo competere possit. Ad eum planè modum, quo posse comprehendere ipsum Deum, propter similem rationem, dicimus soli Deo deberi, ita vt implicet etiam diuinitus posse competere creaturæ quamuis cum dependentia ab ipso Deo. Sic probata minore argumenti principalis. Solum remanet probanda maior, quod nimirum vis creatiua principalis de necessitate debeat habere pro obiecto ens vniuersalissimè sumptum, atque adeò hoc ipso, quod est vis creatiua debet necessariò posse creare omne creabile.

Suadetur autem dicta maior multipliciter, & primo quidē auctoritate Athanasij *serm. 3.* Contra Arrianos asserentes Verbum creasse mundum, & nihilominus esse creaturam: Si Verbum (inquit) quæ entia non sunt euocat ad essendum? fieri nequit, vt Verbum sit in numero non entium: deinde verò subdit: Quo modo enim si Filius Dei secundum vos ex non entibus extitit: potis est, non entia, vt sint, condere. Tum sic: nisi vis creatiua principalis deberet respicere pro obiecto suo formali ens vniuersalissimè sūptum: nulla esset Argumentatio Athanasij. Ei enim Arriani concessissent antecedens: Verbum, videlicet, quæ non entia sunt vocare ad essendum, hoc est, ex nihilo simpliciter producere creaturas; sed negassent illi consequentiam. Illud nimirum non fuisse ex numero non entium, & ex non entibus, hoc est, ex nihilo simpliciter non extitisse. ergo putabat S. D. implicare virtutem creatiuam, quæ non respiceret omne creabile, & quod producere valeret aliquod ens;

77

quate-

Digitized by Google

quatenus est tale ens; & non quatenus est ens factibile vniuersalissimè acceptum. In eadem sententia euincitur fuisse Augustinus *lib. nono de Gen. ad lit. cap. 15. est.* vbi sic ait: creare naturam, eam nullus Angelus potest, quam nec se ipsum: Hoc enim esset manifestè falsum si ratio, & essentia virtutis creatiuæ posset habere pro obiecto adæquato aliquod peculiare genus naturarum V.G. hominum, vel Angelorum &c. Et non deberet necessariò ad omne prorsus ens factibile se extendere. ergo &c.

78 Suadetur secundo eadem maior principalis paritate ex his, quæ dicimus *in lib. de anima*: Implicat contradictionem potentia intellectiua, quæ sit aliquorum tantùm obiectorum, & non omnium prorsus cognoscitiua, idemque dicendum de potentia volitiua, quæ sit aliquorum tantum bonorum amore prosequutiua, & non omnium. ergo implicat etiam potentia creatiua, quæ sit aliquarum tantum creaturarum, & non prorsus omnium productiua. Non enim videtur assignabilis disparitas. De ratione igitur potentiæ creatiuæ est habere pro obiecto ens vniuersalissimè sumptum, seù ens in quantum huiusmodi.

79 Suadetur denique tertio ratione, quia nomine entis Vniuersalissimè sumpti, seù in quantum huiusmodi, vti supra innuimus, intelligimus ens defectibile, quatenus importat esse verbale, seù existentiale abstractum ab omnibus effectibus existentibus à parte rei, atque adeò vniuersalissimo quocumque alio esse existentiali determinate accepto. Atqui vis creatiua; necessariò effectus suos quoscumque sub hac ratione vniuersalissima entis formaliter attingit. ergo indispensabiliter habet pro obiecto ens vniuersalissimè sumptum. Maior, & consequentia patent. Minor verò, in qua est difficultas probatur, quia vis creatiua de se formaliter, est productiua rei ex nihilo, tum sui, tum subiecti. ergo nullum esse rei producendæ præsupponit existens neque subiectiuum, neque dispositiuum, neque partiale, neque denique commune sibi, suoque termino opposito.

80 Quod autem ex hoc necessariò sequatur, quod rem illam sub ratione vniuersalissima entis attingere debeat, multipliciter probatur, & primo quidem, quia si sub alia ratione minus vniuersali eam attingeret: etiam si non produceret illam ex omnino nihil, eam crearet, quia reperiret in ea suum motiuum formale V. G. si sub ratione formali ignis: sufficeret ad illum creandum, vt ex non igne, ignem produceret, & sic posset creare ignem ex præexistente subiecto, quod nemò dixerit. Secundo, quia sub ea ratione vis creatiua rem creare debet, sub qua dicta res opponitur nihilo, ex quo per creationem formaliter producitur, sed res, quæ creatur secundum rationem vniuersalissimam entis opponitur nihilo, ex quo producitur. ergo sub ratione vniuersalissima entis vis creatiua illam attingere debet. Maior huius patet, quia aliter terminus ad quem creationis, nempè res creata, non opponeretur formaliter, & immediatè cum termino à quo, qui est nihilum. Minor verò probatur, quia secundum eam rationem res, quæ creatur, opponitur nihilo, ex quo producitur, secundùm quam ab eo existente excluditur, sed à nihilo excluditur secundum rationem vniuersalissimam entis. Nihil enim Angeli V. G. qui creatur, præexistere debet ad hoc, vt creetur, aliter minimè creabitur. Contra verò ignis, qui per eductionem producitur, præexistere debet a iquid: nempè materia, Corporis verò Christi qui producitur per conuersionem in Eucharistia præexistere debent accidentia Panis, quæ sibi appropriat, & facit sua. ergo res, quæ creatur secundum rationem vniuersalissimâ entis opponitur nihilo, ex quo producitur. Sic enim immediata oppositio contradictoria inter terminum à quo, & ad quem creationis formaliter habebitur, ita vt nulla ratio media inter ea intercedere possit; Et hinc etiam apparet cur, tum vis eductiua, tum conuersiua non producant suos effectus sub ratione vniuersalissima entis, sed sub ratione entis talis, quia nimirum necessariò exigunt ex aliquo præexistente, siuè vt subiecto, siuè vt communi tertio operari, & non possunt ex nihilo simpliciter, eo modo quo potest vis creatiua, sed cõtenta sunt ex nihilo quodam particulari producere.

Tertio denique idem probatur, quia quando aliquid creatur per se formalissimè fit ens. ergo quando aliquid creatur, sub ratione vniuersalissima entis attingitur à vi creatiua. Consequentia videtur certa, quia quælibet vis in id formaliter tendit, quod per se formaliter attingit. Si igitur vis creatiua per se formaliter attingit ens, quod est vniuersalissimum omnium, omnia, quæ attingit sub ratione vniuersalissima entis attingat necesse est. Antecedens probatur ex aureo discursu D. T. qui habetur *secundo contrag. cap.* 21. *num. nono*: Omne quod fit, ad hoc fit, vt fit à parte rei. Si ergo aliquid fieri dicatur, quod prius fuerit, hoc non fiet per se formaliter, sed per accidens, & veluti materialiter. Contra verò, si prius non fuerit: per se formaliter, & non per accidens fiet, vt autem exemplificemus cum D. T. vim huius Enthymematis: pono, quod ex Albo fiat Nigrum, profecto cum ratio coloris idẽtificetur cum ratione nigredinis in nigro, sequitur, quod per talem productionem, non solum fiat nigrũ, sed etiam coloratum. Sed nigrum per se formaliter, quia fit ex non nigro, coloratum verò per accidens, & veluti materialiter; nam prius coloratum erat in albo. Sic etiam: si ponamus fieri aliquod ens V. G. lapidem, profecto cum ratio entis, & lapidis identificentur in illo, sequitur, quod non solum fiat lapis, sed etiam ens. Sed lapis quidem per se formaliter, quia ex non lapide: ens verò per accidens, & veluti materialiter, quia non ex non ente simpliciter; fit enim ex materia præexistente, quæ dici potest non ens tale, hoc est non lapis, vt docet Aristoteles *primo phys. tex. 76.* vbi sic: vt si Canis ex equo fiat, fiet enim non solum ex quodam animali Canis, sed etiam ex animali, at non quatenus est animal, est enim iam hoc. Si autem aliquid debet fieri animal, non secundum accidens, non ex animali erit, hæc Philosophus. Sic demonstrato primo Enthymemate; vlterius

81

hoc

hoc modo procederem: quando aliquid fit per creationem, fit omnino ex nihilo, & ex non ente simpliciter. ergo ex discursu facto, sequitur, quod per creationem fiat ens per se formaliter quod erat probandum. Verum contra hoc multa congerunt Aduersarij.

Et primo quidem, quia quando ignis ab agente naturali generatur ex ligno, non solum attingitur ipsa ratio ignis, sed etiam ratio entis, cum illa identificata, sed ex hoc non sequitur quod huiusmodi agens habeat pro obiecto ens vniuersalissimè sumptum. ergo neque, quod virtus creatiua habeat hoc ipsum ens pro obiecto. Ad hoc tamen responsio patet ex doctrina S. T. modo allata, iuxta quam distinguo maiorem: in Generatione ignis agens naturale attingit rationem entis per se formaliter, nego: Per accidens materialiter, concedo; & eodem modo distincta minore, nego consequentiam. Ratio est, quia virtus creatiua per se, hoc est, primariò, & formaliter, hoc est, ita vt ab ea suam specificationem accipiat, attingit in suo effectu rationem entis: at verò agens naturale, per accidens, hoc est, secundariò tantum, & materialiter ad eum planè modum, quo potentia visiua cognoscit in Colorato eandem rationem entis, quæ à sola potentia intellectiua per se formaliter cognosci potest.

82 Arguunt secundo: ideò Angelus censetur attingi per creationem in nostra sententia secundum esse vniuersalissimè sumptum, quia ponitur de nouo in rerum natura secundum totum esse, quod ad ipsum pertinet. Sed etiam forma ex vi eductionis ponitur de nouo in rerum natura secundum totum illud esse, quod pertinet ad ipsam. ergo debet dici, quod etiam ipsa attingatur secundum esse vniuersalissimè acceptum. Probant minorem, quia si forma, quæ educitur, non poneretur eo modo: Maximè, quia fieret dependenter à materia, sed hoc non obstat, quia materia est extrinseca formæ non minus, quam Michael Gabrieli. ergo &c. Respondeo distinguendo causalem maioris, quia ponitur de nouo in rerum natura secundum totum suum esse tantum, nego, quia ita ponitur secundum totum suum esse, vt non ex præexistente subiecto, concedo; & adhibita eadem distinctione accommoda minori, nego consequentiam. Ad minoris verò probationem concessa maiore, nego minorem, ad cuius suasionem, dico, quod licet materia sit extrinseca formæ secundum se consideratæ: at non formæ vt eductæ; si quidem eductio essentialiter importat esse ex præexistente subiecto. Vndè diuerso modo materia est extrinseca formæ, quam Michael Gabrieli, quia materia debet necessariò præexistere ad eductionem formæ, & in eam in genere causæ materialis influere, quod non habet Michael respectu Gabrielis.

83 Arguunt tertio: nō minus res, vt creetur supponit suam essentiam positiuam, ac forma, quæ educitur materiam primam. ergo si ideo potentia eductiua non respicit ens, vt ens, quia in eductione formæ supponit materiam: neque potentia creatiua illud respiciet, quia in creatione rei eius essentiam præsupponit. Respondeo distinguendo antecedens; non minus res, quæ creatur supponit suam essentiam, quam forma, quæ educitur materiam primam, & eodem modo, nego, & diuerso modo, concedo antecedens; & nego consequentiam. Dico enim, quod licet res, quæ creatur supponat suā essentiam positiuam, quia tamen illam supponit in statu possibilitatis cum esse essentiæ tantum, & sub negatione existentiæ: ideò de ea verificatur, quod fit omnino ex nihilo existentiali, & consequenter attingatur secundum rationem vniuersalissimam entis. At forma, quæ educitur; supponit materiam non solum secundum esse essentiæ, sed etiam secundum esse existentiæ, si non in priori naturæ incluso in eo instanti, in quo educitur: at in tempore præcedenti ad illud instans. Vndè non est mirum, si virtus eductiua non attingat illam in ratione entis vniuersalissimè, sumpti.

Arguunt quarto: vis generatiua Leonis in 84
Leone attingit rationem viuentis, & animalis ex non viuente, & ex non animali, sed ex hoc non sequitur, quod habeat pro obiecto rationem viuentis, & animalis vniuersalissimè acceptum; ergo neque ex eo, quod vis creatiua attingat ens ex nihilo, sequitur quod habeat pro obiecto rationem vniuersalissimam entis factibilis. Consequentia videtur legitima. Maior verò patet, quia quando generatur Leo non præcedit in materia, vti vidimus in libris de anima, forma viuentis, & animalis, quod si præcederet, deberet semper assignari nihilominus prima forma viuentis, & animalis, quæ aliam similem non supponeret præcessisse, aliter daretur processus in infinitum in Generatione Leonis. Minor etiam est certa, quia aliter deberet Leo, qui posset generare Leonem, posse etiam generare omne viuens, & omne animal, & consequenter se ipsum.

Respondeo distinguendo maiorem: vis generatiua Leonis in Leone genito attingit rationem viuentis, & animalis ex non viuente, & non animali, tanquam ex termino, à quo formaliter, & essentialiter prærequisito, nego: materialiter &c. concedo maiorem, & concessa minore, distinguo consequens, & si quidem vis creatiua attingeret ens ex nihilo omnino, tamquam ex termino à quo, prærequisito solum materialiter, & veluti per accidens, concedo, quod non haberet pro obiecto rationem vniuersalissimam entis: posito, quod attingit ens ex nihilo tanquam ex termino, à quo, formaliter, & essentialiter necessariò, nego consequentiam. Et dico, quod ad inferendum, quod aliqua vis habeat pro obiecto rationem aliquam vniuersaliter acceptam, non solum est necesse, quod in termino à quo, inueniat carentiam illius rationis, sed etiam, quod formaliter, & essentialiter dictam carentiam prærequirat: Quoniam verò vis generatiua Leonis, ita introducit formam Leonis in materia, vt etiam si inueniret illam informasam forma viuentis, & animalis, dummodo simul esset perfectè disposita ad formam Leonis, ab eius introductione minimè desisteret: hinc fit, vt non attingat rationem viuentis, & animalis ex non viuente, & non animali tan-

Digitized by Google

tanquam ex termino à quo formaliter, & essentialiter accepto, sed tantum materialiter, & voluti accidentaliter considerato: quatenus animarum materia, vt sit perfectè disposita ad formam Leonis recipiendam debet habere dispositiones exclusiuas formæ viuentis, & animalis. Vndè non est mirum: si huiusmodi vis non respiciat vniuersalissimam rationem viuentis, & animalis. Contra verò vis creatiua attingit ens ex nihilo omnino formaliter, & essentialiter prærequisito, eo quod creatio essentialiter est productio rei ex nihilo, & ideò sibi vendicat pro obiecto ens vniuersalissimè acceptum.

86 Verum contra distinctionem traditam instabis: quia vis generatiua equi attingit rationem hinnibilis ex non hinnibili tanquam ex termino à quo formaliter, & essentialiter prærequisito, quia vt ait D. T. loco supra citato, omne, quod fit, ad hoc fit, vt sit in rerum natura; sed dicta vis non habet pro obiecto equum vniuersalissimè acceptum; alioquin deberet equus, posse producere se ipsum. ergo &c. Respondeo distinguendo maiorem: vis generatiua equi attingit rationem hinnibilis ex non hinnibili simpliciter, & absolutè accepto, nego: ex non hinnibili tali, & determinato, concedo, & iuxta hanc distinctionem concessa minore, nego consequentiam. Disparitas enim inter vim generatiuam equi, & creatiuam consistit in eo, quod licet generatiua attingat primo, & per se rationem hinnibilis, eam tamen attingit ex non hinnibili tali, quia, vt ad generationem equi procedat solum requisit, vt in materia ex qua equi formam educere debet, sit priuatio dictæ formæ, nihil curando, num alibi eadem forma existat. Vndè fit, vt si ponamus eam miraculosè existere Romæ sine subiecto, & hic Panormi haberi materiam ad illam suscipiendam rectè dispositam, dependenter à qua reproducatur, in omni rigore hæc productio haberet conceptum eductionis, & productio equi generationis, quia ad vtramque saluandam aliud nihil requiritur, quàm transitus materiæ à priuatione particulari, quam habet ad formam oppositam. At verò vis creatiua in creatione formæ equi debet attingere illam sub ratione entis ex non ente absolutè, & simpliciter accepto, ita vt si supponatur alicubi existens, etiam si alibi independenter à subiecto reproducatur, hæc reproductio non sit propria, & rigorosa eius creatio, eo quod supponit iam terminum existentem: ex quo discursu rectè deducitur, quod vis generatiua sicuti non attingit rationem hinnibilis, nisi ex non hinnibili tali, & determinato, ita neque habet pro obiecto hinnibile vniuersalissimè acceptum, vt intendebat Aduersarius.

87 Arguunt quinto: agens eductiuum non respicit de necessitate ens pendens à subiecto vniuersalissimè sumptum. ergo neque creatiuum ens independens à subiecto vniuersalissimè acceptum.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia quemadmodum ex eo, quod agens creatiuum respicit ens independens à subiecto vniuersalissimè acceptum, necessariò deducitur, quod debeat operari ex omnino nihilo: ita si daretur agens eductiuum, quod respiceret ens pendens à subiecto vniuersalissimè sumptum eius operatio deberet quidem præsupponere subiectum existens: at sub non esse omnium formarum; atque adeò quando ex materia præexistente educeret formã V. G. ignis, deberet verificari, quod eã non solũ faceret ex nõ igne, sed etiam ex non ligno, ex non àere, ex non Leone, &c. Alioquin non intenderet primo, & per se ponere huiusmodi formam sub ratione vniuersalissimè entis educibilis, quia hæc ratio, quando per se formaliter intenditur, sui carentiam necessariò præsupponere debet. Atqui hoc est impossibile, quia forma ignis non fit per se, nisi ex materia se quidem priuata, sed habente necessariò dispositiones sui: imo, & formam aliquam substantialem sub qua præexistat. Ex quo deducitur, quod non solum in agentibus creatis non sit possibilis vis eductiua respiciens tanquam obiectum suum ens educibile vniuersalissimè acceptum, sed neque in prima causa, eo, quod de ratione formæ educibilis, siuè accidentalis sit, siuè substantialis est solum fieri ex subiecto præexistente sub priuatione sibi opposita: non verò sub priuatione cuiuiscumque alterius formæ, quia hoc esset, saltem vt plurimum, impossibile.

88 Arguent sexto: in re creata non solum reperitur ratio entis factibilis, in qua omnia factibilia conueniunt, sed etiam ratio entis vt sic, quæ est communis Deo, & creaturis, vel ergo vis creatiua tendit formaliter in hanc communissimam entis rationem, vel non. Primum est impossibile, quia deberet posse se extendere ad creandum ipsum Deum. ergo secundum: quemadmodum igitur dicitur, quod virtus creatiua in communi se restringat ad rationem entis factibilis vt sic: ita dici poterit, quod aliqua creatiua in particulari se restringat ad rationem talis factibilis, & non habeat pro obiecto ens vniuersalissimè. Respondeo eligendo secundum membrum, & ad consequentiam ex eo deductam negando paritatem. Disparitas est, quia virtus creatiua, per hoc, quod respiciat ens factibile in communi, non restringitur: quia hoc ipso, quod est creatiua non potest aliquid, quod non sit agibile, sibi tanquam obiectum proponere, quare attingendo omne factibile, quantum possibile est, se dilatat: at si non tenderet in omne factibile, non esset factiua nei ex nihilo simpliciter, vt sæpè diximus. ergo de necessitate debet ens factibile vniuersalissimè acceptum tanquam suam rationem formalem indiuisibilem attingere.

89 Arguent septimo: vis creatiua nõ respiciens educibile, sed ens educibile est factibile. ergo falsum est, quod respiciat ens factibile vniuersalissimè acceptum. Respondeo distinguendo maiorem: vis creatiua non respiciens educibile secundum quod tale est, concedo: secundum quod fieri potest ex nihilo omnino, nego maiorem, & sic distinguo minorem: educibile est factibile per eductionem tantum, nego: tum per eductionem, tum per productionem ex nihilo, concedo minorem, & nego consequentiam. Ac dico omne, quod connaturaliter loquendo educi-

Digitized by Google

educibile est posse diuinitus fieri ex nihilo omnino, & independenter à subiecto, atque adeò esse creabile. Rectè igitur dicimus cum D. T. vim creatiuam ens vniuersalissimè acceptum vendicare sibi, tanquam adæquatum obiectum, quia omne factibile, vel connaturaliter exigit fieri per creationem, vel per eductionem: ad vtrumque autem vis creatiua se extendit, Vtrum autem in ente factibili vniuersalissimè accepto includatur etiam ipsa eductio. Respondendum negatiuè, quia eductio absolutè loquendo non est ens factibile, sed effectio quædam entis factibilis. Quare si autem includeretur, deberet posse attingi per creationem, & sic productio fieret per productionem, quod absurdum esse pateo ex eo, quia repugnat, quod detur actio ad actionem. Atque hæc, quæ contra rationem D. T. vrgeri poterant. In subsectione, sequenti ea, quæ contra conclusionem principalem obijci solent.

SVBSECTIO QVINTA.

Soluuntur obiecta contra implicantiam Creaturæ potentis Principaliter aliquid creare.

90 OBijcies primo ex Arriaga *disput. 11. in Phys. num. 103.* Creatio solum differt à Generatione, quòd ad hanc requiritur necessariò concursus causæ materialis: ad illam verò minimè. Sed concursus causæ materialis principalis est finitus, sicuti & causæ efficientis: ergo poterit creatura supplere vtriusque concursum in genere efficientis sine vlla implicantia. Atqui eo ipso, quod hoc possit, poterit etiam rem producere ex nihilo: ergo sine vlla repugnantia, potest creatura aliquid principaliter creare.

Respondeo: quod si hoc argumentum haberet vim probaret etiam posse creaturam sine vllo concursu Dei principaliter operari ex eo, quod cõcursus, qui exhibetur à Deo, vt à causa prima est finitus, non minus, quam sit concursus causarum secundarum, & defactò vterque secundum probabiliorem sententiam realiter identificatur. Cur igitur non poterit creatura aliqua supplere vtriusque causæ concursum, & operari principaliter sine vllo concursu Dei? Puto, quod ad hoc Arriaga responderet rationem esse, quia licet concursus causæ primæ sit in sua entitate finitus, ex modo tamen tendendi in effectum importat in principio à quo procedit rationem causæ primæ, atque adeò Omnipotentiam. Audio. Sed hæc ipsa responsione, eius argumentum dissoluitur. Cuius integro syllogismo concesso distinguenda est minor subsumptam: hoc ipso, quod creatura possit in genere efficientis exhibere concursum causæ materialis, & efficientis, poterit rem ex nihilo producere: spectata præcisè entitate productionis rei ex nihilo, concedo: spectato etiam modo tendendi causæ producentis, nego minorem, & consequentiam; ac dico, quod licet productio creatiua in entitate sua sit finita, quia tamen importat necessariò, quod procedat à virtute creatiua Omnipotente, quæ videlicet habeat pro obiecto ens vniuersalissimè acceptum, hinc fit, vt non possit, alicui creaturæ competere.

Obijcies secundo omnis forma, quæ virtute agentis naturalis educitur à subiecto: prius intelligitur pendere ab agente, quam à subiecto: sed omne prius saltem diuinitus absoluti potest à suo posteriori. ergo poterit Deus facere, vt causa aliqua efficiens naturalis: ita in priori naturæ influat in formam, vt in posteriori careat influxu subiecti. Atqui sit causa naturalis huiusmodi formam ex nihilo produceret, & quidem principaliter, quia per eandem virtutem, qua supponitur principaliter agere. ergo &c. Omnia, quæ in hoc discursu subsumuntur patent, sola maior assumpta probatione eget, quæ suadetur ex eo, quia forma aliqua per hoc, quod fit, satis intelligitur pendere ab agente, à subiecto verò per hoc, quod illi in sit, seù, quod idem est ei inhæreat. Sed prius res intelligitur esse, quam in esse. ergo prius intelligitur pendere ab agente, quam à subiecto.

Respondeo negando maiorem cum enim forma ab agente naturali pendeat per actionem eductiuam: quemadmodum hæc simul ab agente, & subiecto procedere intelligitur, ita & ipsa forma ab vtroque in eodẽ naturæ: signo pendere. Ad maioris verò probationem concessa maiore, distinguo minorem: prius res intelligitur esse, quam inesse prioritate naturæ, negatione rationis concedo; & distinguo eodem modo cõsequens: prius res intelligitur pendere ab agente prioritate rationis, concedo: naturæ, nego consequentiam. Dico enim formam omnem, quæ vi agentis naturalis educitur à subiecto simul simultate naturæ pendere ab vtroque; eo quod eius esse indiuisibiliter beneficio influxus vtriusque habetur, & sic in nullo signo naturæ intelligi potest habere esse ex nihilo: cum hoc tamen stare, quod prius ratione intelligatur pendere ab efficiente, quam à subiecto prioritate à subsistenti. consequentia desumpta, eò quod valet argumentari: forma pendet à subiecto. ergo ab efficiente; non verò pendet ab efficiente, ergo à subiecto, quia pendendo à priori potest tamen à posteriori minimè dependere. Ad saluandam autem independentiam à subiecto nõ sufficit prioritas rationis, quia hæc cum simultate naturæ optimè cohæret, vt patet in homine in quo licet animal sit: prius subsistendi consequentia rationali, est tamen simul natura cum illo.

Instabis formam inhærere subiecto, est illud informare, atque perficere, sed hoc est posterius natura ipsa forma, vtpotè effectus formalis illius. ergo forma in priori naturæ habet esse ab efficiente, & in posteriori à subiecto. Respondeo dupliciter ad hanc instantiam: Primo concessa maiore, negando absolutè minorem, & ad eius probationem, dicendo, quod effectus formalis formæ cum sit ipsa forma in subiecto non potest esse natura posterior illa. Siquidem non alio modo illa habet esse, quam inhærendo ipsi subiecto. Respondeo secundo dupliciter intelligi posse formam inhærere subiecto: primo, qua

Digitized by Google

tenus recipit esse dependenter ab illo. Secundo quatenus illud ab ea formatur, atque perficitur. Quo posito, distinguo maiorem: formam inhærere subiecto in primo sensu, est illud informare, atque perficere, nego. In secundo sensu, concedo, & sic distinguo minorem: inhærere in primo sensu est posterius natura ipsa forma, nego. In secundo sensu, concedo minorem, & nego consequentiam; ac dico ex distinctione tradita solum sequi formam in priori naturæ habere esse ab efficiente simul, & à subiecto: & in posteriori illud formare, atque perficere communicando ipsi suum effectum formalem, quod non est contra nos.

93 Obijcies tertio: non est de ratione actionis causæ principalis creatæ à subiecto dependere. ergo potest diuinitus separari à subiecto; ita vt sit productio rei ex nihilo. Consequentia patet. Antecedens vero probatur: non est minus possibile Deo separare accidens à subiecto dum ab agente naturali producitur, quam post quam productum est, sed si de ratione actionis agentis naturalis esset à subiecto pendere hoc esset falsum. ergo &c. Respondeo negando antecedens. Omnis enim actio creaturæ cum sit essentialiter eductiua ex sua ratione intrinseca habet esse dependentiã à subiecto. Ad antecedentis probationem, nego maiorem, dico enim esse quidem Deo possibile separare accidens à subiecto post quam productum est ab agente naturali: at impossibile separare illud à subiecto, dum à dicto agente producitur, cum dicta productione in sensu composito. Ratio sumitur ex dictis, quia productio accidentis ab agente naturali procedens est essentialiter eductiua. ergo implicat, quod accidens primo existat ex vi illius independenter à subiecto, at verò post qua productum est, quando conseruatur à Deo independenter à subiecto, vt miraculosè indiuinissima Eucharistia, non ex vi actionis eductiuæ, sed creatiuæ ponitur conseruari. Si enim ex vi eductiuæ eadem prorsus militaret difficultas, atque adeò eodem modo implicaret.

SVBSECTIO SEXTA.

An sit dabilis creatura quæ instrumentaliter aliquid creare possit.

94 AFfirmatiuam sententiam docuit Magister, & Auicenna teste S. T. *pa. pr. qu. 45. art. 5. corp.* quos sequitur Albertinus, Hurtadus, Arriaga, Quiedus, & alij recentiores. Contra verò negatiuam docent Thomistæ sequuti D. T. *loc. cit.* nec non etiam 3. *pa. qu. 13. art. 2.* & alibi. Pro resolutione autem supponerem tripliciter intelligi posse creaturam aliquam instrumentaliter potentem creare aliquid: Primo vt habeat hanc vim instrumentariam tamquam aliquid sibi connaturaliter debitum, sicuti ignis habet in se calorem, quem exigit eoque vtitur tamquam instrumento ad alium ignem producendum. Secundo vt eam habeat intrinsecè quidem, sed tamquam aliquid sibi connaturaliter indebitum quemadmodum intellectus beati habet lumen gloriæ, quo ab intrinseco eleuatur ad videndum Deum: denique vt eam habeat formaliter per hoc, quod sibi extrinsece diuina omnipotentia applicetur, ad eum plane modum quo habet aqua uim producendi gratiam in sententia illorum, qui per solam eleuationem Dei extrinsecam putant eleuari in sacramento Baptismi ad illam producendam; quo posito sit.

95 Prima conclusio: implicat creatura instrumentaliter posse aliquid creare per virtutem sibi intrinsecam siue sit ei connaturaliter debita, siue indebita, est communis.

96 Probatur primo: quia ideo implicat posse creaturam per virtutem sibi intrinsecam aliquid principaliter creare, quia deberet illud posse extrahere à puro nihilo, atque adeo sub ratione vniuersalissima entis attingere; sed hoc ipsum præstare deberet, si posset per virtutẽ sibi intrinsecam aliquid instrumentaliter creare. ergo hoc etiam implicat, sicuti illud.

Probatur secundo: hæc virtus intrinseca siue debita, sit creatura, siue indebita si daretur, deberet necessario esse ex suis intrinsecis proportionata effectui vt ex nihilo *simpliciter* extrahibili; ergo implicat. antecedens patet, quia supponimus per hanc virtutem compleri intrinsecè creaturam in ratione potentis aliquid creare, ad eum plane modum, quo completur intrinsece ignis per calorem ad comburendum lignum, & intellectus Beati per lumen gloriæ ad eliciendam visionem Dei. Consequentia verò probatur, quia ex vna parte hæc virtus esset creatura: ex alia verò deberet habere proportionem cum effectu quolibet vt ex nihilo simpliciter extrahibili, atque adeo eandem amplitudinem, quam habet diuina omnipotentia, vt patet paritate virtutis principaliter creatiuæ, *cum igitur huiusmodi creatura cum tanta amplitudine repugnet; repugnabit etiam illa, quæ ex suis intrinsecis sit instrumentaliter proportionata effectui ex nihilo producendo.*

97 Contra hoc dices primo: quãuis virtus principalis ignis sit productiua caloris, & siccitatis, calor tamen vt eius instrumentum habet virtutem ad solum calorem instrumentaliter producendum; ergo licet virtus creatiua principalis debeat posse se extendere ad omne factibile: poterit tamen dari virtus creatiua instrumentalis minus late patens, quæ se extendat ad aliqua tantum.

Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quia calor productus ab igne non debet posse instrumentaliter producere calorem, nisi ex tali determinata materia informata quantitate &c. at creatura potens aliquid instrumentaliter creare, debet posse illud attingere ex nihilo simpliciter, atque adeo sub ratione vniuersalissima entis; quamuis ergo virtus ignis principaliter agentis se extendat ad plura, quam virtus caloris agentis instrumentaliter, [illegible] tamen virtus creatiua principalis [illegible] instrumentalis.

98 Dices [illegible] si se extendat non [illegible]

quando quidem ponitur instrumentalis, & à Deo dependens; ergo non est cur repugnet. Respondeo ad antecedens, quod quemadmodum si daretur virtus creata potens principaliter creare aliquid esset simul creata, & increata, creata quidem vt alteritur, increata verò, quia posset omnia ex nihilo simpliciter producere; ita ex hypotesi, quod daretur virtus potens instrumentaliter aliquid creare, vtrumq; etiam propter eandem rationem sequeretur. Quare sicuti negant communiter Theologi nos, se dari virtutem aliquam, quæ ex suis intrinsecis sit instrumentum diuinæ omnipotentiæ in ordine ad omne factibile, ita negandum posse dari huiusmodi virtutem, quæ natura sua valeat instrumentaliter creare.

99 Secunda conclusio non implicat creaturam posse aliquid instrumentaliter creare per eleuationem Dei extrinsecam, atque hæc est sententia media inter duas extremas initio relatas, quam sustinemus supponendo duo, quæ alibi ex professo probauimus. Vnum est dari in rebus creatis potentiam obedientialem actiuã; Alterum verò posse creaturas beneficio huius potentiæ à Deo supernaturaliter eleuari ad aliquid supra suas vires physice efficiendum per solam diuinam omnipotentiam sibi extrinsecè applicatam per decretum Dei volentis ea vti ad illum effectum, quibus ponitis.

Probatur assertio quia si implicaret modo dicto aliquam creaturam posse instrumentaliter creare aliquid, maximè quia eius virtus se extenderet ad omne creabile; sed hoc nullam inuoluit implicantiam in hypotesi facta, in qua supponimus eam per omnipotentiam Dei sibi extrinsecè applicatam eleuari ad creandum, atque adeo per virtutem increatam reddi formaliter potentem ad rem ex nihilo simpliciter producendam, quam quidem virtutem se extendere ad omne creabile nulli dubium esse potest; ergo non implicat creaturam sic posse instrumentaliter creare aliquid. Confirmatur quia intantum implicat creaturam per virtutem sibi intrinsecam posse aliquid instrumentaliter creare, inquantum eius virtus ex vna parte esset quid creatum, atque adeo non posset se extendere ad omne creabile: ex alia verò deberet, quia attingeret effectus in ratione entis vniuersalissime accepti. At in casu nostro virtus creaturæ est ipsissima Dei omnipotentia, quam constat ex suis intrinsecis posse efficere omne id, quod non inuoluit contradictionem; ergo esset omni repugnantia [illegible]

100 Dices primo: creatura per potentiam obedientialem actiuam physice debet influere per suam mere entitatem in effectum, adquem eleuatur; ergo si haberet potentiam obedientialem ad creandum ex suis intrinsecis, deberet esse proportionata ad ens vniuersalissime acceptum ex nihilo extrahendum; sed hoc implicat; ergo &c. Respondeo hoc argumentum habere vim contra eos, qui asserunt potentiã obedientialem ex suis intrinsecis esse absolutè productiuam effectuũ ad quos potest eleuari. Nos *in lib. de Generat.* de ea disputantes probauimus solum esse conditionatè ac secundum quid talem, & non nisi per actualem eleuationem à Deo habitam eandere absolutè & simpliciter dictorum effectuum productiua, iuxta quam doctrinam concesso antecedente, nego consequentiam, quod nimirum creatura potens obedientialiter creare, deberet esse ex suis intrinsecis proportionata ad extrahendũ effectum ex nihilo. Ratio est quia cum ex suis intrinsecis non sit absolutè & simpliciter productiua rei ex nihilo, sed beneficio eleuationis, quæ est sibi extrinseca, id obtineat, impossibile est vt ex suis intrinsecis sit dictæ rei vt creabili proportionata. Atque hic notatem aliud esse creaturam ex suis intrinsecis attingere terminum creabilem, & aliud esse ex suis intrinsecis proportionatam ad illum. primum est verum hoc ipso, quod per entitatem suam verè, & physicè influit in actionem creatiuam; non autem secundum, quia ad illud verificandum requiritur præterea vt in sua vi illum contineat, quod non habetur in casu nostro, hoc ipso, quod ad eum producendum indiget eleuatione.

Instabis: non potest assignari quid sit id quod 101
intelligitur exire ex entitate creaturæ præciso supplemento, quod ponitur à Deo; ergo est etiam ineleuabilis ab extrinseco. Antecedens probatur quia non est terminus vt creatus alioqui in creatura haberetur vis illimitata, si est aliquid aliud; ergo nullo modo creat. Respondeo concesso antecedente, negando cõsequentiam; ideo enim nihil potest intelligi exire ex entitate creaturæ præciso supplemento, quod ponitur à Deo, quia creatura ita eleuatur vt indiuisibiliter concurrat cum ipso Deo ad effectum. ex hoc autem fit vt quælibet ratio, quæ in effectu concipitur præscindibiliter abutroque procedere intelligi debeat.

Dices secundo: causa partialis est ex suis in- 102
trinsecis proportionata effectui producendo cum consortio alterius, sed creatura si haberet potentiam obedientialem ad aliquid creandum, esset causa partialis illius, eo quod cum consortio diuinæ omnipotentiæ illud per physicam actionem ex nihilo produceret; ergo deberet esse ex suis intrinsecis proportionata ad ipsum.

Respondeo distinguendo maiorem: causa 103
partialis, quæ solum indigeat alia partiali ad hoc vt compleatur in ratione causæ totalis est ex suis intrinsecis proportionata effectui, cõcedo: si indigeat alia partiali non solum vt compleatur, sed etiam vt eleuetur, ad altiorem modum operandi, nego maiorem; & sic dicta eadem modo minore, nego consequentiam. Ac dico creaturam cum sua potentia obedientiali in ordine ad creandum aliquid non esse sicuti est animal V. G. cum potentia visiua in ordine ad videndum, quod indiget solum speciebus visibilibus ad hoc vt compleatur in ratione causæ totalis adequatè visionis; Sed sicut est aqua in ordine ad producendam gratiam, quæ non solum indiget compleri, sed etiam eleuari ad huiusmodi effectum, quando quidem gratia est in ordine superiori cum ratione spiritualitatis, tum etiam ratione super-

naturalitatis, quam sit aqua; quemadmodum igitur aqua propter hæc non est ex suis intrinsecis proportionata gratiæ: ita neque creatura rei ex nihilo à se producendæ.

100 Instabis: aqua non solum per eleuationem extrinsecam reddi potest absolute potens producere gratiam, sed etiam per intrinsecam; sed creatura in nostra sententia non potest reddi absolutè potens creare aliquid per eleuationem intrinsecam, sed solum per extrinsecam; ergo paritas desumpta ex aqua nobis non fauet. Respondeo concessa maiore, & minore, nego consequentiam. Ratio negationis est, quia paritas non debet in omnibus adæquatè procedere; sufficit igitur si procedat quantùm ad improportionem. Quod si vlterius quaras, cur non etiam quantum ad vtramque eleuationis speciem. Ratio est in promptu; quia nimirum, intrinseca eleuatio haberi debet in aqua beneficio alicuius qualitatis eleuatiuæ, quæ licet non sit connaturalis subiectiue, hoc est respectu ipsius aquæ: debet tamen esse huiusmodi terminatiue, videlicet respectu gratiæ producendæ; quatenus debet posse illam ex suis intrinsecis connaturaliter producere, sicuti potest lumen gloriæ visionem Beatam; atqui nulla potest assignari implicantia huius qualitatis: assignatur tamen in qualitate eleuatiua ad aliquid creandum, quatenus deberet posse attingere omne creabile; ergo non est mirum, si non habeatur paritas quantum ad vtramque eleuationis speciem inter aquam in ordine ad producendam gratiam, & creaturã in ordine ad producendum aliquid ex nihilo.

Dices tertio: saltem hæc nostra sententia de creatura eleuabili instrumentaliter ad creandum est contra D. T. *tum pr. pr. qu. 45. ar. 5. tum 3. pr. qu 13. art. 2.* & sic eum explicant omnes Thomistæ, vt testatur Suarez *in metaph. disp. 20. sect. 4. num. 6.* ergo &c.

Respondeo D. T: explicandum esse de creatura eleuabili ad instrumentaliter creandum per virtutem, & eleuationem intrinsecam, siue ipsi debitam, siue indebitam, iuxta ea, quæ nos in prima conclusione diximus; quod si quis vrgeat negationem esse malignantis naturæ, atque adeo dum absolutè ab eo negatur posse diuinitus eleuari creaturam ad instrumentaliter aliquid creandum, intelligendum esse de quacumque eleuabilitate. Responderi potest S. D. non curasse de ea, quæ habetur per ordinem ad extrinsecam Dei assistentiam, disputare, quia hæc quanta est, proximè refunditur in virtutem creatiuam totaliter, Deo intrinsecam, ita vt nihil aliud ex parte creaturæ requirat præter potentiam obedientialem instrumenti, quæ æqualiter se habet in ordine ad omnes effectus dictæ creaturæ improportionatos, siue perfectiores sint, siue minus perfecti. At verò verum daretur huiusmodi eleuabilitas ad creandum in creatura per ordinem ad aliquid intrinsecè recipiendum, hoc potuisse negotium illi facessere, eo quod ex hoc sequebatur creaturam per virtutem creatam posse rem ex nihilo simpliciter producere, & ideo de hoc semper disputasse credendus est.

DISPVTATIO SEXAGESIMA SECVNDA

DE DEPENDENTIA CREATVRARVM à Deo In conseruari, & operari.

1 CReaturæ nomen non sumimus hic in stricta significatione, sed in ampla, pro vt significat omne id, quod habet esse contingens, & defectibile, siue productum sit; ex omnino nihilo, siue dependenter ab aliquo subiecto præexistente; & de ea iam à parte rei posita quærimus, num immediatè pendeat à Deo. Quoniam verò duo in huiusmodi ente creato considerare possumus esse, & operari, & quidem dependentia quantò ad esse diuinam conseruationem exigit, quantum verò ad operari diuinam cooperationem, de vtraque nobis in præsentiarum sermo sit.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Creaturæ pendeant immediatè à Deo in conseruari per veram, & physicam influxum.

2 CConclusio est affirmatiua, & communis inter catholicos.

Probatur primo auctoritate *sapient. 11.* Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? ad cuius dicti intelligentiam facit, quod dicit Gregorius *16. moral. cap. 18.* Cuncta, inquiens, ex nihilo facta sunt, eorumque esse sentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor

ctor omnium regiminis manu teneret. Ioann. cap 5. Pater meus vsque modo operatur; in quæ Auguſt lib 5. Gener. cap. 20. ſic inquit, credamus, vel ſi poſſumus etiam intelligamus, vſque nunc operari Deum, vt ſi conditis ab eo rebus operatio eius ſubtrahatur, intereant. Denique ad Hebr. cap. pr. Portans omnia vero virtutis ſuæ; cuius loci intelligentiam videtur explicare Anſelmus monol. cap. 12. dubium, inquiens, non niſi irrationabili menti eſſe poteſt, quod cuncta, quæ facta ſunt, eodem ipſo ſuſtinente vigent, & perſeuerant eſſe, quandiu ſunt, quo faciente de nihilo habent eſſe, quo ſunt. Adhæc autem & ſimilia Sacrorum ſcripturarum loca videtur reſpexiſſe Nanzianzenus: dum ſic oratione ſecunda de Theologia cōcluſit. Quomodo igitur vniuerſa hæc rerum moles, vel producta vnquam eſſet, vel conſiſteret, niſi Deus hæc omnia in rerum natura protuliſſet, atque conſeruaret.

3 Probatur ſecundo ratione: Deus ad libitum ſuum pro quolibet inſtanti, quo vult, quamlibet Creaturam deſtruere, & in nihilum redigere poteſt. Sed hoc non poſſet: niſi per verum, & phyſicum influxum immediatè quamlibet conſeruaret, quem pro libitu ſuſpenderet, quoties aliquam deſtruere vellet. ergo omnis Creatura à Deo per verum, & phyſicum influxum in conſeruari immediate dependet. Conſequentia patet, & maior conſtat tum ex perfectiſſimo dominio, quod habet Deus Creaturarum ſuarum, tum ex earum contingentia ad eſſendum, & non eſſendum. Minor vero ſuadetur, quia non poteſt res aliqua formaliter corrumpi per poſitionem alicuius actionis poſitiuæ, quia hæc neceſſario debet habere pro termino ſuo immediato aliquid poſitiuum, cuiuſmodi non eſt terminus corruptionis, qui eſt non ens. ergo quoties res aliqua nouiter corrumpitur per nouam poſitionem carentiæ alicuius actionis poſitiuæ formaliter corrumpatur, neceſſe eſt: ſed quæcumque alia carentia actionis de nouo poſita, eſſet impertinens ad rem creatam deſtruendam, præter carentiam actionis poſitiuæ, per quam ipſa res cōſeruabatur. ergo nullo alio modo poſſet Deus pro ſua libertate quamlibet Creaturā deſtruere, niſi per verum, & phyſicum influxum immediatè quamlibet conſeruaret, quem ad libitum poſtea ſuſpenderet, quoties aliquam deſtruere vellet.

4 Verum contra hanc rationem dices primo: ignis, quando calefacit aquam per poſitionem actionis calefactiuæ, quæ poſitiua eſt, eius corrumpit frigiditatem. ergo falſum, eſt non poſſe Deum per poſitionem alicuius actionis poſitiuæ ſuæ deſtruere creaturas. Confirmatur, quia quid vetat, quod Deus occidat hominem producendo in eo qualitatem aliquam venenoſam, atque mortiferam?

5 Reſpondeo diſtinguendo antecedens: ignis per actionem calefactiuam aquæ frigiditatem corrumpit, exigitiuè concedo: corrumpit formaliter, nego antecedens, & eodem modo diſtinguendo conſequens, nego conſequentiam, ac dico: non aliter ignem corrumpere frigiditatem in aqua, quam per hoc, quod prævalendo reſiſtentiæ aquæ, introducat in ea calorem, qui cum ſit connaturaliter incompoſſibilis cum gradu frigiditatis ſibi oppoſito, exigat à Deo, vt dictum gradum deſinat conſeruare; & hoc eſt corrumpere illam exigitiuè & quidem hoc corruptionis genus non eſſet ſufficiens ad tollendam exiſtentiam à frigiditate; niſi Deus præces ignis exaudiens, ab ea conſeruanda ceſſaret, & ideò dixi in probatione minoris non poſſe rem formaliter corrumpi per poſitionem alicuius actionis poſitiuè, quia ea poſita, niſi ceſſatio actionis conſeruatiuæ conſequeretur, nunquam res aliqua deſinere à ſuo eſſe intelligi poſſet; & per hæc patet reſponſio ad Confirmationem, quodcumque enim noxium Deus in homine produceret, non eſſet ſufficiens ad formaliter illud occidendum; niſi carentia actionis, qua eum conſeruabat, conſequeretur, ſed ſolum ſufficeret exigitiuè.

6 Dices ſecundo: ſiquis dicat ipſammet poſitionem formæ contrariæ de nouo aduenientis eſſe formaliter deſtructionem veteris recedentis, non poſſet conuinci falſitatis. ergo &c. Reſpondeo negando aſſumptum primo, quia ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quod nulla forma poſſet corrumpi niſi per productionem contrariæ. Conſtat autem dari multas formas carentes forma ſibi contrariè oppoſita, cuiuſmodi eſt lux, vt patet ex eo, quia abſque eo, quod producatur in aëre forma aliqua poſitiua, deſinit eſſe. Secundo, quia licet poſſit hoc, quo quo modo ſuſtineri: quantum attinet ad corruptionem formarum, quæ exiſtunt in ſubiecto, & habent contrarium: at nullo modo loquendo de ipſo ſubiecto, ſi enim ponamus velle Deum deſtruere materiam primam ligni, vel ſubſtantiam Angeli, non poteſt fieri recurſus ad formam de nouo aduenientem, cuius productio eſſet formalis deſtructio præcedentis. Tertio denique, quia in communi ſententia poteſt Deus per abſolutam ſuam potentiam conſeruare calorem, & frigiditatem in ſummo in eodem ſubiecto. Ex hoc autem euidenter deducitur impoſſibile eſſe, quod productio vnius formæ ſit formaliter deſtructio contrariæ. Nam implicat rem cum ſua formali deſtructione ſimul exiſtere.

7 Dices tertio: ad ſaluandum, quod Deus pro ſua libertate creaturam quamlibet corrumpere poſſit, ſatis eſt ponere, quod vna creatura pendeat in conſeruari ab alia, quæ ad nutum Dei à conſeruatione ceſſet. ergo &c. Reſpondeo negando antecedens: nam eadem militat difficultas in aſſignanda ratione, qua Deus ſe gerere deberet ad hoc, vt cauſa illa creata à conſeruatione deſiſtat: ſi enim dicatur Deus debere dictam cauſam corrumpere. ergo illam conſeruabat in eſſe: ſin autem eam remouere debere ne effectus ſit intra ſphæram actiuitatis illius, ſic etiam ego lumen in aëre productum à lucerna per remotionem eiuſdem lucernæ deſtruere valeo; abſurdum autem eſt aſſerere, Deum non poſſe aliquid ad nihilum redigere, niſi producendo aliquid aliud: hempe motum in cauſa conſeruante. Et quo ad ſubſidiarias Creaturas, quæ à nulla cauſa creata in conſeruari dependent. Et quo etiam ad aliquam tandem deueniendum

eſſe

Digitized by Google

esse quæ immediatè à Deo inconseruari dependeat, & fiat gradatio ex vna ad aliam; non enim intelligibile est quomodo vltima Creatura à Conseruatione penultimæ V. G. ad nutum Dei cessare possit; nisi ab ipso Deo in esse, & in operari dependeat.

8 Dices denique quarto posito, quod carentiæ contingentes identificentur cum nolitionibus diuinis de rebus positiuis dictis carentijs oppositis, per hoc præcisè, quod Deus nolit hic, & nunc aliquam Creaturam existere, dicta Creatura etiam si non penderet à Deo cessaret esse, sed hanc suppositionem aliqui recentes probabilem existimant ergo &c. maior, quæ sola probatione eget suadetur, quia omnis Carentia est formaliter exclusiua rei, cuius est Carentia ergo eo ipso, quod intelligitur haberi de nouo, præciso quouis alio, intelligitur res desinere esse.

Respondeo me ex professo dictam opinionem de Carentijs superius impugnasse, & ab omni doctore Catholico impugnari debere si non propter alias rationes, saltem propter hanc, quia ea admissa non posset probari quod Creaturæ in conseruari à Deo dependeant ex earum destructione libera Deo, vt bene probat argumentum, quod quam sit absurdum, nemo non videt.

b Obijcies primo: esse, quod datur effectui ab agente creato sæpe non indiget ab illo conseruari; ergo multo minus esse quod datur Creaturis à Deo Diuina conseruatione indigebit. Consequentia probatur, quia cæteris paribus, quo vna virtus factiua est perfectior alia, eo dat suo effectui esse robustius. sed robustius est esse, quod non indiget conseruari à Causa productiua; quam illud quod indiget. ergo si esse quod datur effectui ab agente creato sæpe non indiget ab eo conseruari, multo minus esse quod datur à Deo creaturis.

Respondeo distinguendo antecedens: esse quod datur effectui ab agente creato ita non indiget ab illo conseruari, vt tamen indigeat conseruari à Deo, concedo: vt neque ab illo neque à Deo conseruari indigeat, nego antecedens, & consequentiam; dico enim quod esse quod datur effectui ab agente creato, datur simul immediatè à Deo; & quamuis sæpe huiusmodi esse non indigeat conseruari ab agente creato, semper tamen indiget conseruari à Deo supplente partialem contursum illius, ex quo patet nullam esse consequentiam in qua ex paritate intenditur tolli dependentia Creaturæ in conseruari à Deo. Ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: quo vna virtus factiua est perfectior alia &c. & si quidem sermo sit de virtutibus factiuis creatis inuicem comparatis, concedo: sin autem de illis quatum altera est creata, altera increata, nego. Cuius rei ratio est, quia, cum ad quemcunque effectum causæ creatæ necessario requiratur concursus virtutis causæ increatæ, impossibile est quod fiat comparatio inter has duas virtutes in ordine ad effectus suos inuicem distinctos, sic distincta maiores concedenda est minor, si loquamur de effectibus causarum creatarum inuicem comparatarum; negando vero loquendo de effectibus causarum, quarum vna est creata, altera increata, quod videlicet robustius sit esse effectus non indigentis, quia effectus, qui non indiget à causa in creari conseruari est fictitius, & sic repugnat, quod habeat esse robustius alio qui indiget, ex quibus patet falsitas consequentiæ:

Obijcies secundo: Deo debemus concedere 10
virtutem effectiuam perfectissimam; sed ea virtus, quæ dat esse effectui, qui deinde etiam eius operatione cessante, est perfectior illa, quæ dat esse cum indigentia operationis eius continuatæ. ergo prior virtus, & non posterior Deo concedenda est; Maior, & Consequentia patent. Minor verò probatur exemplo virtutum creatarum inuicem comparatarum, si enim darentur duæ causæ secundæ, quorum altera produceret lumen V. G. absque eo quod eius conseruatione indigeret; altera verò illud produceret cum indigentia continuatæ conseruationis à se: profecto prior esset posteriore perfectior.

Respondeo concessa maiore, negando minorem. Ratio est, quia virtus, quæ dat esse effectui, qui eius operatione cessante existere nequit, importat essentialiter, quod sit simpliciter necessaria ad eius esse; atqui perfectior est virtus, quæ est simpliciter necessaria ad esse effectus, quam illa, quæ non est huiusmodi, ergo ea, a qua indiget effectus in conseruari, & non illa, qua non indiget, tribuenda est Deo. Ad probationem Respondeo primo exemplum non esse ad rem; quia hoc ipso, quod ponitur lumen à duplici virtute creata posse produci, sequitur, quod neutra sit simpliciter necessaria ad eius esse, quod si dicatur agi de diuersis luminum individuis; respondeo secundo distinguendo assumptum: Prior causa luminis esset posteriore perfectior per se, & simpliciter loquendo, nego per accidens, & secundum quid, concedo; & nego consequentiam; dico enim, quod causa productiua lucis, suæ conseruationi minime indigentis, per se, & absolutè loquendo, esset imperfectior ea, quæ esset productiua cum indigentia, quia illius virtus non esset absoluta, & simpliciter necessaria ad existentiam luminis, sicuti esset virtus alterius, at secundum quid, & per accidens esset perfectior, quia hoc ipso, quod illa occupari necessario deberet ad conseruandum effectum redderetur minus habilis ad alios producendos; quem defectum non haberet illa, quæ produceret lumen sine indigentia suæ conseruationis, vt de se patet. Quoniam verò hanc imperfectionem non habet locum in diuina potentia, quæ cum sit infinita, atque adeo per hoc quod ad illas quas Creaturas conseruandas applicetur, non redditur minus habilis ad infinitas alias producendas, atque conseruandas: hinc fit, vt Deo huiusmodi potentiam, à qua non solum in fieri, sed etiam in conseruari creaturæ dependent, vt potè omni ex parte perfectissimam concedere debamus.

Instabis: non potest assignari, cur Deus non 11
valeat ita dare primo esse Creaturæ, vt postea sit tibi sufficiens ad durandum sine influxu illius. ergo &c.

Respon-

Digitized by Google

Respondeo huius rei repugnantiam procedere à creatura, quæ non solum essentialiter habet, vt non sit á se in primo instanti productionis, sed etiam in alijs quandiu durat in esse; nam idem est, esse à se, ac non esse ab alio. quin immo si sine dependentia à Deo durare posset, posset etiam sine dependentia primo existere; nam quod prius dependeo, et exiterit, nil conducit physice ad verificandum in hoc instanti existere dependenter á Deo, & sic sicuti posset physicè in hoc instanti durare independenter à Deo: posset etiam primo existere, quod nemo concederet.

22 Obijcies tertio: ideo creaturæ diuina conseruatione indigerent, quia sibi relictæ tenderent necessario in nihilum. sed hoc est falsum; ergo &c. Minor probatur: quia nihilum est contra vniuersalem appetitum innatum, quem habent omnia existentia durandi à parte rei ergo falsum est creaturas sibi relictas tendere in nihilum.

Respondeo concessa maiore negando minorem; ad cuius probationem concesso antecedente: nego consequentiam. Ratio negationis est; quia cum creaturæ sibi relictæ nihil sint; hoc ipso, quod semel habent existentiam, inclinant per appetitum innatũ durare in ea: atque adeo ne sibi relinquantur à Deo, per subtractionem concursus; vnde patet duas hasce inclinationes, seu tendentias, quæ in creaturis reperiuntur, non esse inter se contrarias, quia prima illis prouenit ex eo, quod habent, quãtum est de se. Secunda verò ex eo, quod habent diuinæ omnipotentiæ beneficio, si enim Prius ab ea existentiam, habuissent: non possent inclinare ad durandum in illa, vt de se patet; sed quia non sufficiunt sibi dare id, ad quod inclinant, à Dei liberalitate illud expectant.

23 Quæres hic an creaturæ quæ in fieri dependent á causa prima, & secunda vt in conseruari á sola prima dependeant, conseruent se ipsas adæquatè, supplendo defectum causarũ seruatarum, à quibus fuere productæ. Respondeo negatiue; posito enim non minus esse impossibile, quod aliquid se ipsum inadæquatè conseruet, quam quod adæquatè; probatur: quia dupliciter hæc inadæquata conseruatio intelligi potest, quod fiat: Primo per verum, & physicum influxum, secundo per resistentiam quandam, vt aiunt, atque negationem sui, ne habeat in nihilum, absque influxu reali. Iam verò quod neque implicet primo modo fieri probatur, quia ad hoc, vt aliqua causa præbeat influxum physicum in genere efficientiæ, neque præsupponi debet in aliquo priori naturæ existens sine influxu adæquatus, sit sine inadæquatus, sed hoc ipso, quod creatura in priori naturæ ad influxum conseruatiuum sui existit, non indiget dicto influxu; ergo non minus impossibile est, quod aliqua res se ipsam inadæquate conseruet, quam quod adæquatè. Quod verò & etiam implicet secundo modo, eadem fere ratione suadetur, quia vt aliquid pro aliquo instanti resistat, & se teneat, debet pro priori naturæ intelligi existens; resistit enim, & se tenet, ne habeat in nihilum, vnde huiusmodi resistentia, & sui tenentia videntur esse actus quidem secundi, qui necessario præsupponunt primum, sicuti sunt conseruatio, seu duratio in esse, quæ esse iam habitum præsupponunt; sed implicat, quod creatura adæquatè resistat, & se teneat pro aliquo instanti; siquidem daret sibi adæquatè existentiam, quam supponeretur habere; ergo eodẽ modo propter eandẽ rationem implicabit, quod aliquid resistat, & se teneat in suo esse inadæquatè. Qui plura desiderat circa hoc, legat Arriagam *disput. 9. physica sect. 6.*

SECTIO SECVNDA.

Vtrum creatura pendeant immediatè à Deo quoad operari.

CONclusio est affirmatiua; dico enim Deum 14
per se & immediatè concurrere ad omnes & singulas actiones rerum creatarum, atque adeo omnes res creatas non solum in essendo, sed etiam in operando à Deo immediatè pendere. Contrariam opinionem docuerunt quidã, de quibus Augustin. *lib. 5. de genesi ad lit. cap. 20* sunt, inquit, qui arbitrantur tantummodo mũdum ipsum factum à Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit, & iussit, Deum autem ipsum nihil operari. Hos secutus est Durandus *in secund. dist. 1. qu. 5.* & nouissimè Durandum Lisbonicus à Dola, Ordinis Cappucinorum in sua disputatione quadripartita, quia sic putauit prædeterminantes, & assertores scientiæ mediæ conciliari posse; sed in hoc deceptus est, vt recte probat Quiedus per extensum in physicis *contr. 1. qu. 1. §. 4.* nostra tamen sententia est ita certa, vt contrariam, in Fide erroneam putet esse Suarez *in metaph. disput. 21 sect. 1. num. 7.* & à multis recentioribus hæreticam reputari dixerit Albertus *in secund. dist. 3 Quæst. 7.*

Probatur autem primo auctoritate scripturarum, Isaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es nobis domine. *Ierem. 1.* prius quam te formarem in vtero, noui te. *lib. 2. Machab. cap. 7.* Mater septem filijs suis sic: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi creator, qui formauit hominis nativitatem &c. *Luca 12.* si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit. *1. ad Corinth.* neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus: vnde *Augustin. loc. cit.* Non solum, inquit, magna & præcipua; verum etiam ista tenuia & extrema ipse operatur: ita dicit Apostolus in nudum granum seminas, Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique semini proprium Corpus &c. 15

Ad hæc scripture loca duo. Respondet Arriaga *disput. 10. physica prima* quidem *subnu. 9.* ea 16
scilicet posse explicari sine immediato influxu, vel quia Deus conseruat, & disponit causas omnes immediatas, quia permissio ipsius est necessaria conditio, vt operentur, & ita 17

dicta loca non facere conclusionem de fide, sed summum longe probabiliorem.

16 Sed contra est: quia transeat, quod eam non faciant de fide: at faciunt secundum fidem, ita vt opposita minimú sit periculosa, temeraria, & erronea, vt ipse met Dola fatetur *quæ par. cap. 8. num 5.* & rectè id quidem nam communis sensus SS. Patrum de immediato concursu huiusmodi auctoritates exponit, inter quos August. Gregorius, Cyrillus, Nazianzenus, Chrisostomus, & alij, quos citat Toletus *in cap. 5.* Ioannis, & sic eos interpretantur scholastici omnes, qui ita sentiunt de hac veritate, vt de Catholico dogmate, vt patet ex D.T. *&c. cit.* á Suarez supra. Falsum igitur est auctoritates ex scripturis adductas explicari posse de concursu Dei mediato, vel de voluntate eius permissiua, aeque adeo eas facere sententiam nostram summum longe probabiliorem contrariæ, vt dicit Arriaga; cum faciant illam minimum, infra certitudinem fidei certissimam, & per consequens contrariam falsam; eo quod scripturæ iuxta vnanimem Patrum, & scholasticorum interpretationem accipiendæ sunt, quam constat stare pro nobis. Respondet secundo *num.* 22. dictas scripturas intelligendas esse, quod loquantur in ordine ad creaturas defacto existentes, & non in ordine ad possibiles. Sed contra etiam est, tum quia de omnibus indiscriminatim loquuntur Patres, & Theologi: tum etiam quia ex hoc sequeretur saltem de possibili posse dari creaturas, quæ neque in esse, neque in operari dependerent immediatè à Deo, quatenus illis esset satis mediantibus suis causis habuisse esse à prima causa, quod quam absurdum sit, nemo non videt.

17 Probatur secundo efficaci ratione huiusmodi dependentiæ necessitas non solum quo ad creaturas defacto existentes, sed etiam quo ad possibiles: in tantum dicimus Deum per se, & immediate per physicum influxum conseruare debere indispensabiliter quascumque creaturas in esse, quia debet posse eas ad libitum directe destruere, & ad nihilum redigere; sed eadem ratio probat eum per se, & immediatè ad omnes earum operationes per physicum influxum debere concurrere; ergo &c. probo minorem, quia, nisi sic immediatè concurreret: non posset dictas operationes impedire, ne fiant, neque factas, & in rerum natura existentes directè destruere, relictis scilicet earum causis cum applicationibus suis. hoc autem falsum esse constat tum ex igne Babilonico, quem Deus impediuit, ne tres pueros combureret: tum ex sole in morte Christi, cuius actionem illuminatiuam interrupit; vnde tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, tum denique ex eo quia aliter non haberet creaturas suas sibi perfecte subordinatas; ergo &c.

18 Respondet Arriaga ad hoc argumentum, vt Deus possit operationes creaturarum immediate impedire, ne fiant, factasque destruere, satis esse, si causæ creatæ pendeant in suis operationibus ab eius permissione, & voluntate, tanquam á conditione sine qua non; & non requiri, vt pendeant ab ea tanquam á principio effectiuo, per hoc enim præcisè rectè intelligitur Deus habere creaturas suas perfectè sibi subordinatas in operando, quatenus si vult, operantur, si verò non vult, ab operatione desistunt.

Sed contra hanc responsionem facit primo, 19
quia idem posset dici de creaturis ipsis, quod nimirum non conseruentur à Deo per verum, & physicum influxum, sed per voluntatem eius tanquam per conditionem sine qua non, ita vt tandiu perseuerent in esse, quandu ipse voluerit, & non amplius; sed hoc non videtur dicendum; ergo &c. probo maiorem: nam non aliud requiritur ab Arriaga ad saluandam subordinationem entis creati ad Deum, quam quod sit, quando vult Deus, & quando non vult, non sit; sed ad hoc saluandum sufficit, quod eius volitio se habeat tanquam conditio sine qua non; ergo &c. Minor verò suadetur ex eo, quia hic discurrendi modus dat ansam negandi Deo omnem influxum physicum tum immediatum, tum mediatum, dicendo creaturarum essentias possibiles esse ita constitutas, vt nihil aliud ad existendum ex parte Dei requirant, quam eius beneplacitum tanquam conditionem, sine qua non; neque aliam esse omnipotentiam, quam voluntatem, quia per hanc præcisè saluatur ratio creaturæ, quod sit á Deo; quemadmodum igitur hic discursus non potest à Catholico philosopho sustineri, ita neque ille alius.

Contra eãdem responsionem facit secundo: 20
quia volitiones, & nolitiones non sufficiunt perse ipsas determinare operationes aliarum potentiarum, quæ non sunt intrinsecæ principio volitiuo, & nolitiuo V.G. volitio, quis vult locutionem, est quidem sufficiens per se ipsam determinare ad loquendum potentiã loquitiuam ipsius volentis: non verò alterius, sed præterea requiritur, vt volens aliquid in eo producat. item volitio ambulationis sufficit, quidem per se ipsam determinare potentiam loco motiuam volentis ambulare, non autem potentiam alterius ab illo distincti; sed potentiæ effectiuæ causarum secundarum non sunt intrinsecæ Deo; ergo si Deus non concurreret ad omnes, & singulas operationes earum, impertinenter se haberet eius volitio, & nolitio ad ponendas, & tollendas earumdem operationes; & rectè id quidem, nam velle, & nolle in ordine ad obiectum extrinsecum nihil aliud in eo operatur, quam denominationem extrinsecam volitj, & nolitj; atqui hæc denominatio non potest esse conditio, vt existat, vel non existat obiectum, nam quantum est de se præscindit ab eo, quod sit efficax, vel inefficax, & siquidem in principio volente sunt vires ad dandam obiecto existentiam, quam non habet, vel auferendam, quam habet, & est aliud applicatiua illarum, censetur efficax, sin minus inefficax; ergo &c.

Dices primo cum Arriaga: approximatio inter agens, & passum nihil agit, sed est mera 21
condio determinans agens ad operandum; ergo

eodem

Digitized by Google

eodem modo potest se habere diuina voluntas. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est, quia approximatio facit, vt passum fiat intra sphæram actiuitatis agentis, extra quam agens supponitur non posse suam actionem extendere: at verò volitio Dei qua vult ignem comburere stupam sibi applicatam, non potest assignari quo modo conducat ad huiusmodi combustionem, nisi applicet diuinam omnipotentiam ad concurrendum vna cum igne.

22 Dices secundo: apponitur in animali determinatæ potentiæ executiuæ illius ad operandum, & ab operatione cessandum sine vllo influxu physico; ergo multo magis poterit voluntas diuina per se ipsam sine vllo influxu physico determinare potentias creaturarum ad ponendas, vel auferendas operationes suas, pro vt sibi placuerit. Respondeo: concesso antecedente, negando consequentiam; disparitas est, quia tam operatio potentiæ appetitiuæ, quam operatio exequtiuæ procedunt ab eadem anima, & in eadem radicantur; vnde non est mirum, si appetitus per suas operationes immediatè possit potentias exequtiuas determinare, quia hoc in re veritatè nil aliud importat, quam quod eadem anima substantia per vnum actum, quem in se producit & recipit ad alium se determinet; at actus diuinæ voluntatis non recipiuntur in creatura, vnde non potest explicari, quo modo illam determinare valeant in ordine ad proprias operationes exhibendas, vel non exhibendas.

23 Dices tertiò: decretum Dei antecedens, si est indifferens, non tollit libertatem nostram: si autem est determinatum ad vnum, illam destruit; ergo eodem modo si est volitio operationis creaturæ, dicta operatio existentiam habebit, si autem erit eius nolitio, non habebit. Respondeo distinguendo antecedens, & siquidem decretum Dei sine indifferens, siue determinatum ad vnum consideretur secundum se præscindendo ab eo, quod sit applicatum diuinæ omnipotentiæ voluntati nostræ, nego antecedens; sin autem consideretur quatenus est de applicanda omnipotentia ad concurrendum cum nostra voluntate, concedo antecedens, & nego consequentiam. Dico enim, quod in tantum decretum Dei efficax facit ad ponendam, vel tollendam nostram libertatem: in quantum est de præstando illi concursum indifferentem, vel determinatum, beneficio omnipotentiæ ei applicandæ ad operandum; vnde non est mirum, si negemus eam per se ipsam sine interuentu omnipotentiæ posse efficaciter creaturarum operationes quo ad esse, vel non esse determinare; quare potius argumentum contra aduersarios retorqueri potest; nam sicuti decretum Dei antecedens, quantum vis determinatum ad vnum non est sufficiens ad tollendam libertatem in actu, nisi applicando diuinam omnipotentiam ad cõcurrendum cum determinatione ad illud vnum; ita neque volitio Dei erit sufficiens, cur detur, vel auferatur existentia operationi creaturarum, nisi determinando suam omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum cum illis. Atque hæc contra nostram probationem; contra conclusionem verò

24 Obijcies primo: ignis producens ignem habet sufficientem virtutem respectu illius; ergo potest se solo sine alio Dei concursu illum producere. Consequentia patet; antecedens probatur: quia est æque perfectus, ac ille est. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem, concesso assumpto, nego consequentiam; sufficientia enim virtutis non colligitur ex æqualitate perfectionis vt sic dictum re producendæ, alioquin non esset ratio, cur vnus angelus non posset alium similem producere: quemadmodum igitur virtus operatiua agentium naturalium non ex eorum perfectione, sed ex experientia nobis innotescit: ita quod dicta virtus non possit esse in eis adæquata ex perfecta subordinatione, quam habere debent ad primam causam, colligenda est.

25 Obijcies secundo: defectus virtutis adæquatæ in creatura arguit defectum in creatore; ergo dicendum est creaturas habere virtutem sufficientem ad operandum sine immediato concursu Dei consequentia patet; antecedens probatur, tũ quia est signum, quod Deus non potuerit dare illi huiusmodi adæquatam virtutem: tum etiam quia constituit ipsum Deum causam partialem operationum omnium, quæ à causis naturalibus in mundo fiunt; quod esse absurdum patet ex eo, quia Deus quoties operatur, concurrere debet vt adæquatissima causa suorum effectuum.

Respondeo: nego antecedens; ad priorem probationem in contrarium dico: non posse Deum dare creaturis adæquatam virtutem ad operandum arguere maximam in eo perfectionem, quia tenus signum est eum esse essentialiter perfectissimum dominum cuiuscumque entis defectibilis, quemadmodum igitur non posse Deum abdicare à se actualem sapientiam alicuius rei creatæ, ita vt res illa sit, & non cognoscatur à se, maximam arguit in eo perfectionem: ita non posse abdicare à se immediatam dependentiam alicuius operationis faciendæ à creatura.

26 Ad posteriorem verò probationem dico: Deum concurrendo ad actiones causarum secundarum non se habere vt causam partialem: quia illa causa censetur partialis, quæ ita, quantum est ex se, præbet insufficientem influxum in effectu, vt sit eiusdem ordinis cum alia, cum qua integrat adæquatam causam. Quoniam verò Deus est in diuerso ordine, ac sint creaturæ, se enim habet in præstando illis suum concursum vt causa prima, illæ verò in recipiendo dictum cõcursum vt causæ secundæ: hinc fit, vt censendus sit causa adæquatissima in suo genere, sicuti etiam creaturæ in suo; quod si quis nomine causæ totalis intelligat illam, à qua totaliter pendet effectus, ita vt nulla alia causa ad illum concurrat, quæstio est de nomine, & huic dicendum, quod licet Deus non sit in hac acceptione causa totalis formaliter operationum: est tamen totalis eminenter, quatenus ita concurrit, vt contineat totam perfectionem alterius concausæ, & det illi esse simul, & operari.

27 Obiicies tertiò: Axioma est in iure: de minimis non curat prætor; multo igitur minus debet curare Deus, qui est summus Dominus de operationibus minutissimarum creaturarum, vt de motu atomi volantis per aerem, de lumen tatio-

Digitized by Google

me', & exiccatione arenacei globuli, &c. ergo neque debet ad illas concurrere.

Respondeo: concesso antecedente, negando cõsequentiam; in tantum enim non est æquum de minimis curare Prætorem, quia cum sit limitatæ virtutis impediretur à cura rerum publicarũ magni ponderis: at Deus habet virtutem illimitatã ita vt neq; defatigetur attẽdẽdo ad minima, neque eius attentio, quæ à magnis rebus exigitur, minuatur, & ideo æquissimum est, vt omnia immediatè gubernet, & in suos fines dirigat.

28 Obiicies quartò: si Deus concurrit cum causis secundis, vel per eundem numero concursum, vel per diuersum; neutrum dici potest; ergo &c. Maior patet. Minor probatur: non per eundem, quia influxus causæ secundæ est creatura; ergo dependere debet à Deo sicuti reliquæ creaturæ, 27 hoc est per dependẽtiã à se distinctã: neq; per diuersũ, quia sic ad actionẽ creatæ daretur actio Dei, cõstat autẽ ad actionẽ nõ dari aliã actionẽ, alioquin procederetur in infinitũ; ergo &c.

Respondeo: concessa maiore, negando minorem: dico enim Deum concurrere cum causis secundis per eundem numero influxum, qui simul fit à Deo, & ab ipsis causis secundis, alioquin si per diuersum præter quam quod ad actionem daretur actio, vt præfertur, sequeretur, quod effectus, qui á creatura immediatè penderet, mediatè tantum penderet à Deo, nam mediaret actio ipsius creaturæ, quæ respectu Dei non se haberet vt eius causalitas, sed vt effectus per aliam actionem ab ipso dependens; hoc autem derogaret immediato Dei dominio, eo quod non posset destruere creaturam immediatè per meram suspensionem sui concursus, quo eam antea conseruabat; sed deberet prius destruere aliquid aliud, nimirum actionem causæ secundæ, qua mediante tanquam effectu creaturam illam conseruabat, & sic eius dominium mediatè tantum ad huiusmodi effectum se extenderet; Ad probationem autem in contrarium dico influxũ creaturæ in rigore non debere dici creaturam nisi vt quo, in quantum est via ad dandum esse rei creatæ, quæ cõcipitur vt terminus actionis productiuæ; vnde non est mirum, si non dependeat à Deo, sicuti alia entia, media dependentia distincta, sed tantum vt via, per hoc, quod sit influxus non solum causæ secundæ, sed etiam ipsius Dei in effectum, qui producitur.

29 Instabis: actio causæ secundæ per dependentiã sibi identificatam pendet à Deo; ergo, & effectus causæ secundæ per se ipsum etiam, & non per dependentiam à se distinctam, & identificatam cum actione ipsius causæ secundæ pendebit à Deo. Consequentia probatur: quia creatura omnis essentialiter pendere debet à Deo; effectus autem est multo rigorosius creatura, quam actio causæ secundæ. Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam; ad cuius probationem distinguo maiorem: creatura omnis essentialiter pendet à Deo quo ad esse essentiæ, concedo quo ad esse existentiæ nego maiorẽ; quemadmodum enim existentia non est de essentia creaturæ ita neq; dependẽtia quãtũ ad illã; hoc autẽ non obstante dico creaturã in ratione existẽtis summe necessario pẽdere à Deo, eo quod hæc dependẽtia in supremo Dei dominio in creaturas fundatur, quod Deus à se abdicare nequit, vti diximus; dispariter autẽ, cum effectus per dependẽtiã à se distinctã à pendere possit à Deo, actio verò creaturæ debeat pẽdere per se ipsam, peculiare est ex natura rei; actio enim creaturæ ponitur à nobis idẽ ficta cũ actione Dei; de ratione autẽ actionis est, vt per se ipsã, & non per aliã actionẽ ab agente dependeat; at effectus est terminus actionis, quẽ in physicis probauimus plus quã ratione ab illa distingui; scio non nullos in effectu præter hanc dependẽtiã distinctã ponere aliã indistinctã à priore entitate, per quam pendeat à Deo; sed id non probo, quia vel hæc indistincta dependẽtia sufficit ad dãdũ illi esse, vel non: si primum; ergo ad quid ponere à requirit aliã distinctã? si autẽ dicatur secundũ, quæ necessitas est huius dependẽtiæ inadæquatæ, cũ æque bene possit existere per solam distinctã fundatã in exigentia illius identificata cum substantia ipsius effectus.

30 Obiicies quintò: nõ implicat Deũ pro libitu suo cessare ab influxu immediato in actiones, si nõ omniũ, & fortè aliquarũ causarũ secũdarum, subrogando aliã causã in vicẽ sui; ergo dicendũ est, quod creaturæ cõmunaliter tãtũ pẽdeant à Deo in operari, nõ autẽ sũme necessario, & indispensabiliter, antecedens probatur, quia nulla potest assignari implicantia huius rei.

Respondeo negãdo antecedens, ad cuius probationẽ dico implicãtiã consistere in eo, quia hæc causa subrogata, vel suppleret vices Dei totaliter ita, vt nihil cõcursus immediati præstaretur ab illo in ea actione, vel partialiter tãtũ, ita videlicet, vt aliquã partẽ cõcursus Deus exhiberet, minorẽ tamẽ, quã si non subrogasset causã illã primũ dici nõ posset, quia iã daretur duplex creatura indepẽdẽs à Deo in operari: quãdoquidẽ nũ causa subrogata, cum etiã causa illa, in cuius actionẽ subrogata influeret, esset creatura, & tamẽ Deus ad earũ operationẽ minime cõcurreret immediatè, hoc autem, vt probauimus, perfectissimo Dei dominio derogat; ergo &c. Sin autẽ eligatur secũdũ, dico primo: illud nõ esse contra nostrã cõclusionẽ, ad quã sufficit, quod dari nequeat actio aliqua creaturæ, ad quã Deus immediatè nõ cõcurrat; pro veritate autẽ doctrinæ putatẽ illud etiã implicare: ratio est quia Deus in cõcursu, quẽ vt causa prima præbet causis secũdis, debet fauere, quantũ potest virtuti earum, eo quod maximè reddũdat in laudẽ, & gloriã artificis cõstruere, quãtũ est de se, sua artefacta cum tota ea perfectione in operãdo, quã in suo genere habere possunt, cũ igitur causæ secũdæ nõ sint capaces virtutis omnino indepẽdẽtis à causa prima in operãdo, debuit illis cõcedi virtus, quę salua huiusmodi dependẽtiæ sit maior, quã possit; sed hæc maioritas nõ potest cõsistere in alio, quam quod minimo conatu á causa prima procedẽte indigeant; ergo nequit causa prima partiri cum alia causa creata cõcursũ, quẽ illæ exhibere tenetur causis secũdis, quod si quis cõtẽdat nõ posse huiusmodi cõcursũ esse adeo minimũ, quin sit diuisibilis in infinitã in minorẽ æq; minorẽ, sine vllo incõmodo sustinere potest primã causã partialiter cessare posse à concursu immediato in actiones causarum secundarum substituendo aliam pro parte concursus, quem exhibere debuerat. Quia in hoc saluatur perfectio Dei

minij

Digitized by Google

minii Dei, nam retinendo illum partialem concursum iam haberet effectum sibi immediatè subiectum, qui ad libitum suum existeret, & conseruaretur in esse. Atque hic aduerte partem concursus, quam in eo casu Deus de absoluta potentia, creaturæ illi committeret, non debere sumi formaliter, hoc enim esset impossibile quia concursus Dei in operationes causarum secundarum, essentialiter specificatur ab ipso Deo tamquam eius causalitas; sed sumi virtualiter quatenus Deus attemperando virtutem suam in operando daret locum creaturæ illi, vt simul cooperaretur secum; & cum causa secunda per eandem numero entitatem concursus in effectum, & sic cooperatio illa creaturæ etiam penderet á Deo.

31 Obijcies sexto: causa materialis, formalis, & finalis non pendent in causando immediatè à Deo; ergo neque efficiens. Consequentia patet paritate. Antecedens verò suadetur, quia Deus non potest influere in effectum per influxum causæ materialis, vel formalis, alias euaderet materia, & forma: neque per influxū causæ finalis proximæ quia finis proximus est essentialiter quid creatum.

Respondeo negando antecedens; ad cuius probationem distinguo absumptum: Deus non 32 potest influere in effectum per influxum causæ materialis; &c. in genere causæ materialis &c. concedo: non potest per influxum causæ materialis, &c. in genere causæ efficientis, nego assumptum, & consequentiam. dico enim quod vel huiusmodi causæ influunt in effectus suos per influxum à se indistinctum, vel per distinctum, si primum hoc ipso, quod immediatè pendent à Deo in genere efficientis, in eodem genere ab illo in causando pendebunt: sin autem dicatur secundum: influxus ille, non obstante, quod pendeat á causis quarum est influxus in proprio genere, pendebit quoque à Deo, sed in genere efficientis. Atque ex his habes omnia prorsus entia, quæ sunt in mundo pendere per se, & immediate à Deo, tum fieri, tum in conseruari; & quidem si sint actiones seu causalitates causarum secundarū pendere per suam modalem entitatem absque alia dependentia á se distincta; sin autem sint termini causalitatum, & actionum per dependentiam á se distinctam, quæ, cum mediet vt quo, & non, vt quod, non excludit immediationem termini dependentis ab ipso Deo,

SECTIO TERTIA.

An causæ secundæ præter simultaneum Dei concursum requirant etiam physicam eius prædeterminationem ad operandum.

32 MAgister Banez, quem Thomistæ communiter sequuntur, existimauit omnes causas secundas, tam necessarias, quam liberas ad hoc vt operentur non solum indigere concursu Dei cominante de quo in præcedenti sectione locuti sumus, sed etiam præmotione quadam antecedente indita sibi ab ipso Deo, beneficio cuius physice prædeterminentur, & in actu primo vltimo compleantur in ordine ad operandum.

Nostra tamen conclusio est non requiri in 33
causis secundis huiusmodi prædeterminationē physicam, siue ea ponatur per modum qualitatis permanentis, vt aliqui putant, siue per modum fluentis vt alii malunt. Ita omnes Doctores Societatis, quos multi alij sequuti sunt.

Probatur autem, quia tum in causis neces- 34
sariis, tum in liberis huiusmodi prædeterminatio superuacanea est, atque superflua; ergo non est admittenda. Consequentia patet, antecedens suadetur, & quidem quo ad necessarias constat ex eo quia per hoc, quod intelligamus ignem V. G. cum sua virtute combustiua debite applicatum ad stupam, & diuinam omnipotentiam per decretum de concurrendo illi adiunctam, præciso quocumque alio, habemus ipsum vltimo completum, & determinatum in ratione efficientis, ergo superuacanea est huiusmodi prædeterminatio physica: Quo ad causas verò secundas liberas euincitur ex eo quia huiusmodi causæ, vt suo loco vidimus, qua tales, operari debent cum prædominio suorum actuum, sed repugnat sic eas operari, hoc ipso, quod per physicam prædeterminationem compleantur á Deo; ea enim admissa ab illo habent, & non à se, vt hanc potius partem contradictionis, vel contrarietatis exerceant, quam alteram; ergo tantum abest, quod causæ liberæ huiusmodi prædeterminatione physica indigeant, vt si eam haberent, propriam libertatem amitterent, vt probant nostri Theologi, qui de hac materia scribunt, quibus, ne longum faciam, in hoc me remitto.

Thomistæ necessitatem huius prædeterminationis, ex quinque capitibus conantur eruere, quorum tria æque militant pro causis necessarijs, ac liberis: duo verò reliqua in solis liberis locum habent. Et quidem primum caput sumitur ex subordinatione, quam causæ secundæ habere debent ad Deum. Secundum ex munere primæ causæ, quod Deus, cōcurrendo cum suis creaturis, exercet. Tertium ex vltima actualitate, quam causæ secundæ suis operationibus tribuere debent. Quartum ex indifferentia, quam causæ liberæ sibi vendicant in operando. Quintum denique ex determinatione diuinæ voluntatis applicantis suam omnipotentiam ad concurrendum cum eisdem causis liberis; de quibus omnibus singillatim nobis persequētes subsectiones distinctis assertionibus sermo erit.

SVBSECTIO PRIMA.

Quid de necessitate proueniente ex subordinatione causarum secundarum ad Deum.

ASsero primo: huiusmodi subordinationem 36
sine physica prædeterminatione recte cōsistere. Probatur, quia hoc ipso, quod intelligimus causas secundas tū in esse, tū in operari pendere à Deo, Deum verò neque in esse

Digitized by Google

neque in operari dependere ab illis: habemus conceptum perfectè subordinationis causarum secundarum ad Deum; sed ad intelligendum, illud non est necessaria physica prædeterminatio; ergo neque ad habendum conceptum perfectæ subordinationis. Cōsequentia patet. Minor verò videtur plusquam certa, quia rectè intelligere possumus Deum influere immediatè, & per se in esse creaturarum, & in omnes, & singulas actiones illarum, absque eo quod infūdat illis hanc physicam prædeterminationem. Maior verò, in qua est difficultas, suadetur: tum ratione quia gratis, & sine vllo fundamento aliud requiritur: tum etiam auctoritate D. T. *in secundo dist. 37 qu. 2. art. 2.* vbi arguens contra eos, qui ad perfectam subordinationem causarum secundarum ad Deum solum requirebant dependentiam ab eo quantum ad esse, non verò quo ad operari sic habet: quamuis per hanc responsionem euitaretur, quod voluntas humana, & quæcumque alia causa non esset primum ens simpliciter; non tamen videtur posse euitari quin esset primum agens, si eius actio in aliquod primum agens non reduceretur, sicut in causam; ergo hanc duplicem tantum dependentiam, quarum altera ostendit Deum esse primum ens, altera primum agens putat S. T. ad saluandam perfectam subordinationem causarum secundarum ad Deum necessariam esse, & nullam aliam, alioquin fecisset de illa mentionem.

35 Obiicies primo: si non daretur physica prædeterminatio Deus quo ad operari dependeret á causa secunda, eique in causando subordinaretur; ergo non saluaretur subordinatio secūdæ ad primam. Antecedens probatur, ea causa quo ad operari pendet ab altera, & agit vt illi subordinata, quæ ad nutum alterius, & operatur, & ab operatione desistit; sed Deus ita se haberet in ordine ad voluntatem creatā nisi illam physice prædeterminaret; deberet enim semper stare paratus ad concurrendum cum illa, & operari quando illa vellet, & quādo non vellet, ab operando desistere. Respondeo negando sequelam, sine vlla enim physica prædeterminatione optimè saluatur causas secundas operari dependenter à prima, eique in causando subordinari, per hoc, quod agere nequeant nisi præsupposito decreto, quo Deus se libere determinauerit ad concurrendum ad earum exigentiam simul cum illis; hinc enim fit vt dependenter semper à voluntate Dei operentur, eique essentialiter in causando subordinentur, quoniam verò beneficio huius decreti Diuina omnipotentia statim intelligitur causis secundis applicata, atque commissa; & ad earum exigentiam simul cum eis concurrat: hinc fit vt Diuina omnipotentia quantum ad hoc dici possit, quod operetur dependenter á causis secundis, tum liberis, tum necessarijs; & vt illis subordinata, non ex se; sed ex Dei libero decreto; quare ad probationem antecedentis distinguo maiorem: ea causa, quo ad operari pendet ab altera &c. quæ ad nutum alterius, & operatur, & ab operatione desistit independenter à proprio decreto, quō se libere determinauit ad hoc, concedo: depēdenter nego; imo posito, quod decretum proprium tale sit, vt non solum operatio, sed neque nutus alterius causæ haberi possit indepēdenter ab illo, dico, quod altera causa censēda est absolute loquendo operari dependenter a dicto decreto, eique subordinari. Sic distincta etiam minore, nego consequentiam. dico enim quod cum Deus ita sit causa prima, vt simul exerceat munus causæ vniuersalis: hinc est vt per decretum suum applicet suam omnipotentiam creaturis, ab illis determinandam ad operandum, conceptus enim causæ vniuersalis consistit in eo vt ad exigentiam causarum particularium operetur, atque adeo proxime, & formaliter determinetur ab illis, tum quo ad specificationem, tum quo ad exercitium; á necessarijs quidem per aliquod antecedens causalitatem illarum, hoc est, per illud ipsum per quod causæ determinantur ad vnum; á liberis verò per causalitatem, seu operationem ipsarum, per quam illæ primo determinantur. Porrò huiusmodi dependentia nihil derogat conceptui causæ primæ, quia est ex suppositione, quod illa ita voluerit, sicuti etiam propter eandem rationem nihil derogat summæ libertati eiusdem.

36 Instabis: ex his sequitur, quod voluntas creata sit principium primum se determinans ad suam volitionem, sed hoc repugnat; quia sic ipsa esset primum principium liberum suæ volitionis, atque adeo non esset solus Deus primū principium liberum; ergo &c. Respondeo negando sequelam, ex dictis enim solum sequitur voluntatem creatam esse principium primum determinans suam volitionem, seu vt verius loquar vnicum, quia licet plura principia effectiuè concurrāt ad eius determinationem: illud tamen solum dicitur se determinare per eam, quod supponitur indifferens in actu primo ad illam, & ad oppositum, & quod est proxima ratio cur hæc potius determinatio existat, quam opposita, cuiusmodi in casu nostro est sola voluntas creata; sicuti licet plura principia concurrant ad visionem, solus tamen oculus est videns; hinc tamen non fit voluntatem creatam esse primum principium se determinans ad suam volitionem, quia nequit illa se determinare quin præsupponat exercitium diuinæ libertatis circa eandem volitionem, quo Deus per decretum indifferens se ipsum determinauerit ad suum concursum præstandum, atque adeo circa determinationem creaturæ suam exercuerit libertatem; licet enim hæc volitio tum respectu creaturæ, tum respectu Dei libera sit, quia ad illam libere vterq; concurrit: tamen respectu creaturæ est libera in se formaliter, tamquam id per quod illa primo determinatur, & cōstituitur formaliter volens: respectu verò Dei est libera secundario, & denominatiue, quia supponit voluntatem eius antecedenter determinatam per decretum indifferens, per quod prius constituit se formaliter volentem concurrere ad quodcumque causa libera se determinauerit; á quo decreto volitio tanquam à causa dependet, sicuti de-

deambulatio à volitione, qua homo se determinat ad deambulandum. Sic explicata sequela maioris, & minore, ad eius probationem aio, ex dictis patere voluntatem creatam non esse respectu sui volitionis primum principium liberum, licet sit vnicum, quod reddatur per eam formaliter in actu secundo liberum, eo quod per eam primo suam libertatem exerceat; contra verò constare, quod licet diuina voluntas non reddatur per dictam volitionem formaliter volens: est tamen primum principium liberum respectu illius, eo quod ad conceptū dicti principij requiritur, vt quælibet determinatio creatæ libertatis fiat dependenter ab aliqua alia determinatione, qua ipsum se antecedenter determinauerit.

37 Obijcies secundo: Deus in omni genere concurrit, vt prima causa. ergo in genere determinandi, & sic debet prius per se ipsum voluntatem creatam determinare. Respondeo concursum primæ causæ esse solum in genere efficientis. Non enim Deus concurrit, vt prima causa in genere causæ materialis, aut formalis, vt patet, licet, vt prima causa efficiens concurrat ad quodcumque genus non solum causæ, sed etiam entis creati. Cum autem genus determinandi reducatur ad genus causæ formalis extrinsecæ, hinc fit, vt ad hoc debeat quidem Deus concurrere efficienter, non verò determinando; sicuti ad visionem non concurrit videndo, licet concurrat illam efficiendo. sic distincta minore, nego consequentiam.

38 Instabis: ad determinationem nostram Deus concurrere debet per suam voluntatem. ergo hæc pendet à Deo etiam, vt à determinante. Respondeo concesso antecedente, distinguendo consequens: determinatio nostra proxima, & formalis pendet à Deo, vt determinante, nego: radicalis, & remota, concedo. Licet enim ipse per decretum suum indifferens compleat potentiam liberam ad formaliter, & proximè se determinandum, pro vt illi placuerit: non tamen formalem determinationem in ratione determinantis attingit.

39 Obijcies tertio: si Deus non determinat voluntatem nostram. ergo, vel expectat, quod prius ipsa se determinet, vt in posteriori concurrat eum illa, vel illi offert suum concursum indifferentem, vt in eodem priori simul cum ea concurrat: non primum, quia in eo priori haberetur operatio creaturæ independenter à Deo, neque secundum, quia sic Deus operaretur cæco modo, committendo voluntati creatæ Omnipotentiam suam ignorans quid ipse facturus sit quo ad vsque fecerit. ergo &c.

40 Respondeo concessa sequela, eligendo secundum membrum; dico enim Deum per suum decretum commisisse Omnipotentiam suam voluntati creatæ priusquam, quid illa factura esset absolutè, videret. Nego autem hinc sequi eum operari cæco modo, quia per scientiam conditionatam ante decretum optimè cognoscit quid factura sit voluntas in his, vel his circumstantijs, si illi afferatur concursus indifferens. Quod si instes. ergo in statu conditionato operabitur Deus cæco modo. Nego tibi consequentiam. Non, quia aliam habeat antecedentem cognitionem; sed quia ante illum statum nulla alia præsupponitur possibilis scientia de futuro contingenti, eo quod nullum tunc habetur obiectum in quo cognosci possit quid hic, & nunc infallibiliter causa libera factura sit. Vndè est, vt per hoc, quod concurrat Deus in illo statu absque præscientia, nulla in eo cæcitas arguatur; hæc enim supponit aptitudinem in obiecto, & importat impedimentum ex parte potentiæ. Quare in eo statu Dei Omnipotentia intelligitur concurrere cum voluntate, sicuti habitus in statu absoluto.

SVBSECTIO SECVNDA.

An munus primæ causæ physicam prædeterminationem sibi vendicet.

41 Asfero secundo ex munere primæ causæ non rectè physicam prædeterminationem colligi. Probatur, quia per hoc præcisè, quod quælibet creatura in esse, & operari pendet à Deo, ipse primatum inter omnes causas sibi multipliciter vendicat. ergo, ad munus primæ causæ subeundum non opus est illi physica prædeterminatio. Consequentia patet, antecedens verò probatur, & primo quidem competit illi primatus vniuersalitatis, quatenus nullus prorsus effectus sine illius immediato influxu haberi potest. Vndè oritur primatus, qui dicitur à Logicis in subsistendi consequentia, quatenus vniuersaliora minus vniuersalibus priora sunt. Secundo ei cōpetit primatus independentiæ, quatenus reliquæ omnes causæ ab illo dependent, ille verò à nulla. Tertio sibi asciscit primatum naturæ, seù causalitatis mediatum, quatenus quoties concurrit immediatè cum causis secundis in aliquem effectum, semper supponitur prius natura mediatè in dictum effectū concurrere per hoc, quod eius causas coseruet in esse. Quarto sibi vendicat primatum ingenere determinationis, quatenus prius est Deum per suum decretum se ipsum determinare ad concurrendum cum causis secundis, quam eas esse determinatas ad operandum. Quinto denique conuenit illi primatus, quo ad dignitatem non solum in essendo, sed etiam in operando, quatenus quoties concurrit cum causis secundis semper principalius operatur, ratione decreti, quo suam Omnipotentiam illis commitit. ergo sine physica prædeterminatione per hoc præcisè, quod quælibet creatura in esse, & operari pendet à Deo, rectè saluatur munus causæ primæ, quod exercet.

42 Obijcies primo: in omnibus prioritatibus assignatis Deus intelligitur concurrere ad quemlibet effectum prius, quam causa secunda, sed in eo priori concursus Dei est determinatus, & non indifferens, quia iam existit in se. ergo ex munere causæ primæ rectè deducitur prædeterminatio physica. Respondeo distinguendo maiorem: in omnibus dictis prioritatibus Deus intelligitur concurrere ad effectum prius, quam causa secunda, prius prioritate immediata naturæ, nego: prioritate, siuè mediata naturæ, siuè

Digitized by Google

vniuersalitatis, & dignitatis, concedo; & assumptum eodem modo minore, nego consequentiam; & dico nullum ex quinque generibus prioritatis constituere concursum Dei priorem natura immediatè respectu concursus, qui exhibetur à creatura, sed vel priorem priotitate vniuersalitatis, & dignitatis, vel priorem natura mediatè tantum. Quod verò secunda physicam prædeterminationem efficacem constat ex eo, quia per hoc præcisè, quòd intelligatur Deus immediatè conseruare, omnes creaturas, & ad quemlibet earum operationem immediatè influere, etiam si physica prædeterminatio excludatur, habetur cum omni eo primatu in ratione causæ, quem illi tribuimus.

43 Obijcies secundo: operatio causæ secundæ etiam prout est causæ secundæ, est à Deo; Sed, vt sic non est à Deo per concursum simultaneum. ergo cum implicet esse per concursum consequentem, erit per antecedentem. Minor patet, quia concursus simultaneus facit quidem, vt operatio causæ secundæ sit etiam à Deo, sed non quatenus est operatio causæ secundæ proximè, & formaliter. Maior verò probatur, quia illa operatio etiam pro vt est causæ secundæ, est creatura; de essentia autem creaturæ est pendere à Deo; ergo &c. Respondeo supponendo ex dictis operationem creaturæ per eadem simplicissimam rationem formalem intrinsecam dependentiæ pendere à Deo, & à creatura, & solum distingui penes extrinseca connotata, quæ sunt Deus, & creatura; hoc autem posito, distinguo maiorem: operatio causæ secundæ etiam pro vt est causæ secundæ, est à Deo secundum id, quod dicit in recto, & intrinsecè concedo; secundum id, quod dicit extrinsecè, seu connotatiuè in obliquo, nego. Quia licet verumque terminum indiuisibiliter ipsa dependentia secundum se respiciat: tamen quia à nobis accipitur inadæquatè, pro vt scilicet respicit vnum: sicuti vnus terminus non est alius, ita neque illa pro vt intelligitur respicere vnum, respicit vt sic alium; ex quibus patet falsitas minoris, eiusque probationis; ad probationem verò maioris distinguo maiorem: operatio illa etiam pro vt est causæ secundæ, est creatura connotans ex nostro modo inadæquatè concipiendi causam primam, nego. connotans secundam concedo; & sic distinguo minorem: de ratione creaturæ est dependere à Deo ita, vt eius dependentia illum tantummodo connotet, nego; ita vt simul cum illo possit etiam connotare aliam causam, concedo; ex hoc autem sequitur, quod licet dicta dependentia, quo ad intrinseca Deum, & creaturam indiuisibiliter respiciat: si tamen à nobis inadæquatè consideretur, pro vt respicit creaturam, non debeat respicere ipsum Deum, vel è contra.

44 Obijcies tertio: omne agens creatum agit vt motum, & applicatum à causa prima ad operandum; ergo ad saluandum huiusmodi primatum dari debet prædeterminatio. Respondeo agentia creata dici agere vt mota à Deo; tum quia non agunt per suam substantiam, sed per qualitates superadditas, quas semper cum aliqua mutatione recipiunt, vel si per suam substantiã, hæc iam transiuit aliquando de nõ esse ad esse: tũ etiam quia ad agendum præexiguus applicationem diuinæ omnipotentiæ, quæ mutationem aliquam intelligibilem importat: tũ denique quia Deus semper concurrit ad motum, qui ex plurimum ad eũ operationem præexigitur. Iam verò dicunt agere vt applicata à causa prima, eo quod non solum det illis Deus inclinationem ad operandum, sed etiam, quia coexercet ad ponendum eas in illis circumstantijs, in quibus operatura sunt, quibus non solum rebus voluntatem se ipsam propriè mouendo, & applicare ad operandum patiens. D. Thomas secunda qu. 95. art. 2. corp. vbi ait: nostra ratio sic mouetur ab obiecto, vt tamen habeat in potestate sua appetitum motum, & possit ipsum applicare ad hoc, vel illud: sic ergo explicato antecedente, nego consequentiam: quia neque sequitur, concesso antecedente de verò motu, & applicatione, quia verumque fieri potest cum indifferentia.

SVBSECTIO TERTIA.

Expenditur, num ex actualitate operationum causarum secundarum prædeterminantium sequantur

45 Assero tertiò: vltimam actualitatem operationum causarum secundarum habere posse absque eo, quod ipsæ causæ secundæ physicè, prædeterminentur à Deo. Est contra quam plures Thomistas.

46 Probatur: quia hoc ipso, quod huiusmodi causæ per Dei decretum intelliguntur habere sibi applicatam diuinam omnipotentiam ad concurrendum vna cum ipsis, circumscripta quacumque prædeterminatione physica, iam sunt sufficientissimè potentes ad tribuere vltimam actualitatem tum actionibus, tum effectibus, quæ debet producere; ergo huiusmodi prædeterminatio non est illis necessaria ad hunc effectum.

47 Obijcies primo: vltima actualitas actionis est perfectior causa secunda, à qua producitur, ergo nequit produci ab illa, nisi compleatur per physicam prædeterminationem habentem actualitatem æque perfectam cum actione. Antecedens probatur, quia vltima actualitas actionis nulla habet admixtam potentialitatem, contra verò causa secunda plurimum habet potentialitatis, per hoc, quod debet esse potens in actu primo causare effectum. Respondeo primo, quod sicuti vltima actualitas prædeterminationis est æque perfecta, ac vltima actualitas actionis, ac per hoc potest illam attingere: ita per me vltima actualitas causæ secundæ dummodo habeat diuinam omnipotentiam sibi applicatam.

48 Respondeo secundo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo assumptum: & si sermo sit de potentialitate logica, nego, quia tum causa secunda, tum eius actio ponitur æque extra suas causas, atque adeo æque *in actu* existentiali: sin autem sermo sit de potentialitate physica, concedo: quia causa secunda potest suã actionem producere, quod non potest ipsamet actio; sed hanc potentialitatem arguere maiorem perfectionem *in eo in quo* est patet ex omnipotentia Dei, & rectè: maiorem enim virtutem importat, atque adeo maiorem perfectionem

Obij-

Digitized by Google

49 Obijcies secundo potentia physica actiua perficitur per suum actum secundum; ergo est eo inperfectior, atque adeo nequit operari, nisi prius per physicam prædeterminationem perficiatur. Consequentia patet, tum quia omnis perfectio est perfectior suo perfectibili, tũ etiam quia habet minus de potentialitate. Respondeo concesso antecedente, negando cõsequentiam; potentia enim effectiua, seu actus primus, licet perficiatur semper formaliter per secundum, saltem extrinsecè, si ad minimum non esset æque perfectus, ac est secundus, non posset illum producere; quare ad probationem consequentiæ nego, quod omnis perfectio sit perfectior suo perfectibili, vt patet in Deo, cuius operationes ad extra sunt perfectiones illius extrinsecæ; nego item, quod habere minus de potentialitate operatiua, cæteris paribus, maiorem arguat perfectionem.

50 Obijcies tertiò: nulla causa naturalis est actus purus in agendo; ergo ita debet agere, vt simul perficiatur; ergo vt simul patiatur, & sic prædeterminetur. Probo consequentias: debet agere, quatenus est in actu; ergo quatenus perficitur, & patitur. Respondeo, quod cum in causis efficientibus agere sit denominatio proueniens à forma realiter distincta ab eo, qui denominatur, implicat, quod aliquod ens siue creatum, siue increatum sit purus actus in efficiendo, nequit enim per suam entitatem præcise constitui agens, sed per aliquid aliud, in ordine ad quod potentialitatem physicam habeat; quare concesso antecedente distinguo consequens: vt simul perficiatur extrinsecè, concedo: intrinsecè, nego primam consequentiam, & quia passio colligitur ex actione intrinsecus recepta, nego secundam cõsequentiã; & ad probationem distinguo assumptum: debet agere, quatenus est in actu, hoc est, quatenus habet omnia requisita in actu primo ad agẽdum, concedo: hoc, est quatenus actionem alterius in se patitur, nego.

SVBSECTIO QVARTA.

Quid de indifferentia potentiæ liberæ.

51 ASsero quartò: Ex indifferentia voluntatis male deducitur necessitas physicæ prædeterminationis.

Probatur: quia indifferentia potentiæ liberæ consistit in eo, vt in actu primo proximo sit completè potens vtrumlibet, & non nisi per actum secundum se ipsam determinando, dictã indifferentiam amittat, sed physica prædeterminatio determinaret illam antecedenter ad vnum; ergo ex indifferentia potentiæ liberæ colligitur potius necessitas carendi physica prædeterminatione, quam illam habendi. Minor est aduersariorum sententia. Maior patet ex dictis, & confirmatur vlterius ex D. T. *in secundo dist 25. qu. vnica art. 1.* in corpore, vbi differentiam assignans inter agentia libera, & necessaria: hæc est, inquit, differentia in agẽtibus, quia quædam determinant sibi finem, & actum, quædam verò non: & *ad tertium*; determinatio, inquit, actionis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur.

52 Obijcies tamen primo: ex Aristotele colligi principium indifferens non posse se ipsum determinare ad operandum; *nemo enim metaph. cap. 1. tex. 12.* habetur, quod mouens, & motũ debent esse distincta subiecto, hoc est realiter. 8. verò *metaph. tex. 70.* idem non posse mouere se primo, eo quod mouens debet habere actu id, quod habet mobile in potentia, denique secundo *physic. tex. 20.* materia, inquit, & efficiens non coincidunt in idem numero; ergo &c.

53 Respondeo Aristotelem ad indifferentiam libertatis requirere propriam determinationẽ ex pluribus locis eius operis manifeste probari; præsertim verò *ex tertio, & hic cap. 5.* vbi hæc habet: quibus in rebus in nostra potestate situm est agere, in iis, & non agere; in quibus non iis est, & agere, & in hoc asserit libertatem nostram positam esse. Ad primum ergo textum aio: nomine mouentis venire principium adæquatum actiuum, quod cum semper includat causam primam, non est mirum, si dicatur realiter distingui à mobili, hoc est à principio passiuo adæquato, ad quod causam primam non pertinere tãquam constitutiuum ananifestum est. Ad secundam dico: idem non posse mouere se primo tanquam primam causam; quia, quod mouetur, creatum est, atque adeo in esse, & operari pendet à Deo, sic posse tamquam sui ipsius determinatiuum cum dependentia à causa prima, quia ad hoc non requiritur, vt habeat actu formaliter, quod habet mobile in potentia, sed sufficit, vt id habeat virtualiter, vt patet in aqua calida se ipsam infrigidantem. Ad tertium denique aio: textum illum etiam à prædeterminantibus explicandum esse, qui operationes immanentes non negant. A nobis autem explicatur, quod vel de materia prima loquatur, vel si de aliis rebus, quod agat de illis, quoad exigentiam, eo quod neque causa efficiens exigit de se identificari cum materiali, neque hæc cum efficiente.

54 Obijcies secundò D. T. *pr. pr. qu. 19. art. 9. ad 5.* causa inquit, quæ ex se est contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam; ergo indifferentia voluntatis creatæ necessitatem habet physicæ prædeterminationis, ad hoc vt operetur. Respondeo D. T. non agere hic de determinatione vltima, & formali constare ex verbis illis de malo *qu. 6. art. vnico in corp.* vbi ait: quantum ad exercitium actus manifestum est, quod voluntas mouetur á se ipsa; sicut enim mouet alias potentias. Ita se ipsam mouet: loquitur ergo de determinatione radicali, quæ proprie reperitur in cognitione proponente obiectum cum indifferentia; nisi enim voluntati proponatur aliquod determinatum obiectum per intellectum, nunquam hæc libertatem suam circa illud exercebit. Quoniam verò causa ex se contingens cum non sit sua cognitio primam obiecti co-

cognitionem vtpotè necessariam ab aliquo extrinseco principio expectare debet, siue demùm hoc sit Deus, siue creatura intellectualis, siue obiectum ipsum: hinc est vt *ipsa* ab exteriori dicatur determinari in ordine ad obiectum, relicta sibi vltima determinatione in ordine ad effectum, quatenus adhuc integrum est illi amare, vel non amare, vel odio habere obiectum propositum; in hoc autem differt à voluntate diuina, quia cum haec sit actus purus, habet sibi identificatam cognitionem, quae nullo exteriori principio indiget ad cognoscendum, id quod proponere debet voluntati.

55 Obijcies tertiò causa de se indeterminata, & indifferens non potest producere determinatum effectum; ergo &c. antecedens probatur, quia huiusmodi causa non continet in se determinationem actuum suorum, tum quia expectat determinari ab illis: tum quia repugnat, quod determinationes oppositas contineat, simul enim esset determinata ad amandum, & non amandum idem obiectum; ergo &c. Respondeo, dupliciter posse dici causam indeterminatam, & indifferentem: primo ex defectu principij, eo quod desit illi aliquid se tenens ex parte actus primi necessario requisitum ad futurum determinatum actum producendum: secundo ex defectu termini, eo quod habeat quidem omnia requisita ex parte actus primi ad ponendum effectum; sed quia haec complent illam ad vtrumlibet, ideo carat termino, qui ex parte obiecti determinet illam ad speciem, seu exercitium actus; sic explicato antecedente, nego consequentiam, quia voluntas nostra ponitur indeterminata, & indifferens secundo modo, & non primo. ad probationem, nego assumptum loquendo de causa indeterminata ex defectu solius termini, & ad priorem eius confirmationem dico voluntatem expectare quidem determinari à suis actibus in genere causae formalis: at verò illos determinare in genere efficientis, eo quod eorum determinationes eminenter continet; ad posteriorem verò aio continentiam eminentialem oppositorum in eodem principio sine repugnantia haberi posse, constare ex libertate Diuina, quemadmodum autem dicta continentia eminentialis non est in Deo sufficiens ad denominandum illum volentem simul, & nolentem idem obiectum, sed solum ad posse vtrumlibet ita, & in casu nostro.

56 Instabis continentia eminentialis non determinat magis, potentiam ad vnam quam ad aliam partem; ergo nisi detur praedeterminatio physica non est maior ratio cur potius voluntas ad hoc, quam ad oppositum, se determinet; sed hoc est absurdum; ergo &c. Respondeo concesso antecedente distinguo consequens: non est maior ratio antecedens, concedo: comitans, nego consequentiam; licet enim ipsa libertas sit ratio antecedens cur hoc potius potuerit, quam oppositum à voluntate fieri: nulla tamen est assignabilis ratio antecedens conuincens cur potius hoc, quam oppositum de facto fiat; aliter destrueretur libertas, sic distincto subsumpto, nego vltimam consequentiã

SVBSECTIO QVINTA.

An ex decreto Dei applicatiuo suae omnipotentiae ad concurrendum cum causa secunda libera recte possibilitas physicae praedeterminationis colligatur.

Svppono hic duplicem in Deo considerari 57
posse voluntatem in ordine ad nostras operationes liberè exercendas: alteram per modum intentionis, qua Deus intendit seu praedefinit aliquem actum bonum liberum nostrum: alteram per modum exequutionis, qua vltimo applicat omnipotentiam suam ad nostrorum actuum liberorum productionem. Iam verò praesens difficultas non procedit de prima voluntate, de qua alibi satis diximus, sed de secunda, quae ex vna parte necessaria est ad hoc vt Deus ad nostros actus liberos cum voluntate nostra libere, & non ex necessitate naturae concurrat, & sic se tenet ex parte actus primi: ex alia verò debet esse determinata alioquin non haberet necessariam connexionem cum concursu exibendo. Porrò ex hoc sic deducitur ab aduersarijs dari posse physicam praedeterminationem sine praeiudicio libertatis, quia ideo haec praeiudicaret libertati, quia actus procederet ab illa, non procederet a principio indifferenti; sed hoc ipso quod indiget decreto Dei exequutiuo applicante diuinam omnipotentiam ad operandum cum voluntate nostra, iam non procedit à principio indifferenti, & tamen procedit libere; ergo regio à nobis assignata nulla est.

Nihilominus assero secundo: ex decreto Dei 58
exequtiuo non rectè colligi praedeterminationem physicam cum libertate nostra posse componi. ad hoc vt huiusmodi assertionem probem operae pretium est prius de variis opinionibus, quae circa hoc decretum circumferuntur ferre iudicium.

Et primo quidem non assentior aliquibus as- 59
serentibus decretum exequtiuum Dei esse conditionatum sic: (volo concurrere cum Petro ad actum amoris si ipse voluerit) siquidem implicat, quod Petrus velit amare, & nolit Deus cum illo concurrere; actus enim amoris esset independens à Deo; ergo voluntas illa Dei conditionata non est operatiua, sed inutilis & nugatoria, vellet enim id, quod etiam Deo nolente, adhuc fieret.

Neque secundo approbo sententiam aliorũ 60
qui hoc conditionatum decretum sic interpretantur: vt dicant aequiualere hunc (Volo concurrere quando Petrus operatur) ita vt feratur potius ad concomitantiam concursus, quam ad dependentiam à concursu Petri tamquam à conditione. Ratio quae me mouet est, quia, vel huiusmodi decretum est conditionatum, vel absolutum, non primum quia esset nugatorium, & futile, vt vidimus: neque secundum, quia tolleret libertatem quatenus afferret voluntati necessitatem antecedentem in ordine ad actum determinatum; Neque dicas dictam necessitatem ex huiusmodi decreto

pro-

Digitized by Google

proueniente esse comitantem, & non antecedentem; contra enim est, quia decretum exequutiuum, de quo loquimur, vtpotè applicatiuum diuinæ omnipotentiæ pertinet ad actū primum, vt completiuum voluntatis creatæ in ratione principii liberi, quemadmodum, & ipsa omnipotentia, quæ eius beneficio applicatur; in actu autem primo nulla habetur determinatio, sed summa indifferentia; ergo ia non est concomitans, sed antecedens determinationem voluntatis.

61 Neque tertio sequor alios, qui concedunt, quidem huiusmodi decretum esse determinatum, & antecedens nostram determinationem absolutam: negant tamen ledere libertatem, quia, vt aiunt, consequitur ad scientiam conditionatam quatenus est de concurrendo ad illum actum, ad quem per scientiam conditionatorum præuidit Deus voluntatem nostram in his circumstantijs se determinaturam. Ratio, quæ ab hac sententia me absterret est, quia per tale decretum Deus præiudicaret libertati nostræ, adeum planè modum, quo: si post, quam ipse per scientiam mediam cognouit me hac vocatione conuersurum: ad dictam conuersionem obtinendam meam voluntatem prædeterminaret per qualitatem physicam. Quantumuis enim scientia media actus liberi præcesserit: si tamen talis actus non oritur in statu absoluto ex principio indifferenti: nihilominus libertatem amittit, vt suppono. Confirmatur, quia inter principia actus liberi in statu conditionato, vel vidit Deus suum decretum determinatum, vel non. Si primum. ergo illud obiectum non pertinet ad scientiam mediam, sed necessariam; quia decretum determinatum efficax necessariò infert effectum suum, conditionate quidem in statu conditionato, absolutè verò in absoluto, & sic tollitur libertas. si secundum. ergo diuersa sunt principia actus in statu absoluto ab ijs, quæ habebat in statu conditionato. Vndè nil mirum: si absolutè actus non procedat libere.

62 Neque dicas Deum, sic videre effectum in statu conditionato, (si Petrus vocaretur, & non penderet à me in operando, conuerteretur) quo posito statuit eum vocare, & post vocationem, determinate concurrere ad conuersionem. Quid enim iuuat libertatem suppositio illa impossibilis, si in statu postea absoluto non manet, & principium illius actus de independenti incipit esse ab ea determinatione dependens.

63 Neque quarto sequuor alios existimantes decretum illud Dei de concurrendo esse quidem absolutum; terminari verò ad rationem communem actuum oppositorum, & præscindere á rationibus specificis illorum. Etenim Deus per suam Omnipotentiam non solum concurrit ad rationem genericam actus liberi, sed etiam ad specificam. ergo ad vtramque rationem producendam se per decretum liberum applicare debet. Linquo, quod sicuti actio physica non potest esse præcisiua, ita neque decretum de concurrendo cum voluntate creata.

64 Neque quinto approbo sententiam aliorum dicentium huiusmodi decretum de concurrendo esse quidem determinatum, quo scilicet Deus velit hunc determinatum concursum præstare, sed non lædere libertatem eo, quod non est antecedens, sed comitans nostram liberam determinationem; sic enim Vasquez, cuius est hæc explicatio discurrit *primæ parte disput. 69. cap. 7.* Decretum liberum Dei completur per externam operationem, sed hæc in casu nostro est actualis Dei concursus ad hunc numero actum, cum igitur diuinus concursus sit idem realiter cum concursu creaturæ, vel saltem illum comitetur, sequitur, quod decretum Dei non sit antecedens, sed comitans dictum concursum. Moueor ad hanc sententiam reijciendam, quia admisso hoc decreto comitante, quod ratio adducta suadet, adhuc admitti debet aliud antecedens de quo procedit difficultas, siquidem ille qui defactò vocationi resistit, vel non consentit, debet esse in actu primo proximè potens elicere actum consensus. ergo debet habere diuinam Omnipotentiam applicatam, & paratam ad concurrendum, quod sine decreto Dei libero haberi nequit; Per quod patet responsio ad argumentum in contrarium. Quod si dicas ad hanc applicationem sufficere decretum illud dādi vocationem cum animo, vt si Deus præuideat per scientiam mediam Petrum V. G. consensurum, concurrat cum illo. Contra est primo, quia hic animus non est nisi decretum, quod intendimus. Contra secundo, quia dictus Dei animus habetur in Deo, etiā quando concurrere non vult, est enim de obiecto necessariò, quod non potest aliter se habere. Nam implicat, quod Petro volente, Deus non concurrat simul cum illo. ergo &c. Quod si iterum addas respectu causæ necessariæ non requiri nisi decretum comitans eius operationem, per quam compleatur. ergo, & respectu causæ liberæ.

Respondeo primo, dato antecedente, negando consequentiam. Disparitas esse potest, quia si ad complendam causam necessariam non requiritur decretum antecedens, ideò est, quia ipsa non debet habere concursum Dei in sua potestate, neque ex posit, vt Deus illi suam Omnipotentiam subordinet; sicuti exigit causa libera, ad hoc, vt habeat prædominium suorum actuum. Sed melius respondeo secundo, negando antecedens; falsum enim est respectu causæ necessariæ non requiri decretum Dei antecedens eius operationem. Cum enim hæc debeat præintelligi completa in priori naturæ ad agendum ad huiusmodi autem complementum sit necessaria applicatio diuinæ Omnipotentiæ, quæ non nisi per decretum liberum haberi potest: manifestè deducitur huiusmodi decretum antecedenter ad eius operationem requiri, licet non sit distinctum à comitanti, vt videbimus. 65

Neque sexto admitto sententiam aliorum, qui dicunt decretum Dei exequutiuum respectu actus nostri liberi non habere pro obiecto directo ipsum actum, sed duplicem negationem. Alteram de non cohibendo per actum efficacem suam Omnipotentiam à concursu ad actum hunc amoris, vel odij V. G. circa hoc obiectum hic, & nunc nobis cum indifferentia propositum: alteram verò de non præstando concursu ad alios actus amoris, & odij quos circa idem obiectum 66

Digitized by Google

ctũ exercere possumus: ita, vt ōnipotētia Dei prohibeatur à cæteris actibus, non verò ab his duobus.

67 Ratio, quæ me adducit ad huiusmodi explicationem decreti exequutiui reijciōdam, est, quia ad hoc, vt à Deo eius Omnipotentia cōplete determinetur ad operādū non sufficit, quod subtrahātur illi á diuina voluntate omnia alia obiecta præter vnū; nisi etiá ad hoc vnū per decretū liberū applicetur; sicuti neque sufficeret ad determinādā potētiā motiuā mei pedis V.G. ad motū, si volūtas omnes alios motus ei prohiberet præter vnū, nisi simul illā positiuè adhūc vnū etiā applicaret. Quod si dicas Deū, vtpotè auctoré naturæ statim intelligi determinatū ad vnū, eo ipso, quod oppositū nō decernit: Cōtra est, quia ad Dei prouidētiā spectat vt nullus producatur effectus; nisi positiuè à diuina volūtate depēdeat, quia depēdētia negatiua nō est propria, & per se, sed impropria, & per accidens, quæ nō sufficit creaturæ in ordine ad Deum cuius dominio debet perfectissimè esse subiecta.

68 Neque septimo placet mihi sentētia Ouiedi, qui *in physicis com.* 10. *pu.* 4. §. *quarto* vult decretū exequutiuū Dei, per quod applicatur diuina omnipotētia volūtati creatæ nō esse vnū indifferens ad amorē vel odiū, sed duplex vnū terminatū ad bonā volitionē, alterū ad malā, vtrūque tamē indifferēs ad actū positiuū, eiusque negationē; & quidē decretū, quod respicit actū bonū, esse huiusmodi (volo, quatenus ex me, vt sit actus amoris Dei V.G. ita tamen illū decerno, vt volūtas possit ab illo cessare) decretū verò, quo respicit actū malum sic (volo, vt quatenus est ex me nō deficiat actus odij Dei, vt non infringā iura volūtatis, quē tamē actū velle ego nō produci.

69 Iā verò huiusmodi explicatio licet mihi nō displiceat quantū ad indifferentiā, quā tribuit decreto, vti mox dicā; displicet tamen quatenus asserit pro cōstituenda potentia libera in actu primo proximo debere esse duplex. Contra hoc enim duo facere videtur. Primū est, quia decreta Dei sumūt vnitatem ab vnitate obiecti in quod directè ferunt; sed obiectū decreti diuini cōplētis libertatē contrarietatis est vnū; est enim simplicissima potētia ad amādū, & odio habēdū. ergo vnū erit decretū in tali casu. Idēque argumētū fieri potest probādo, quod decretū cōplens libertatē cōtradictionis in ordine ad vtrūque actū sit etiam vnum, casu quo intellectus proponat volūtati obiectū cū duplici indifferentia ad amādū, scilicet, & odio habēdū, & ad abstinēdū ab vtroque actu, quia in tali casu obiectū primariū decreti diuini est vna simplicissima potētia, quæ ōnes hosce actus indiuisibiliter respicit.

70 Secūdū, quod cōtra eādē sentētiā facit est, quia nisi vnitas decreti ex vnitate potētiæ liberæ desumeretur, sequeretur, quod ad cōstituēdā volūtatem nostrā adæquatè liberā hoc est per libertatem, tum cōtradictionis, tū cōtrarietatis nō sufficerēt duo decreta, sed deberēt esse omnino quatuor. Cōsequens est cōtra doctrinā auctoris. ergo &c. Probo sequelā: nā omissio actus positiui V.G. amoris dupliciter potest esse libera volūtati: primo directè videlicet casu, quo habeat omnia requisita ad amandū obiectū, & nō amādū, & se determinet ad illud nō amādū. Secūdo indirectè, quod tunc cōtingit quādo intellectus proponit illi obiectū secūdū aliquā rationē boni, vt ametur, & secūdū aliquā rationē mali, vt odio habeatur, ipsa verò illud liberè odit, & quia odiū est incōpossibile cū amore, omittit cōsequēter actū amoris. Cōstat autē nō sufficere ad cōstituēdā libertatē cōtradictionis omissionē indirectā actus amoris, sed necessariā esse directā; alioquin libertas cōtradictionis cū libertate cōtrarietatis cōfunderetur; quod tamen falsū esse cōstat ex eo, quia potest volūtas habere libertatē ad amādū, & non amādū aliquod obiectū absque eo, quod habeat libertatem ad illud amādū, & odio habendū; & è cōtra: potest esse cōplete potēs ad hoc secūdū disiūctū, & non ad primū. Iā verò his tāquā certis cōstitutis: sic argumētor. In tantū per Ouiedū requiritur duplex decretū pro amore, & odio, in quātū volūtas eius beneficio debet esse proximè potēs amare, & odio habere, sed etiā debet esse proximè cōstituta potens, neque amare neque odio habere per libertatē cōtradictionis adæquatè acceptā; quādoquidē huiusmodi libertas in ordine ad vtrāque partē cōtrarietatis exerceri potest per *suspensionē* vtriusque actus, vt de se patet. ergo licet pro omissione libera indirectè vtriusque actus sufficiāt duo illa decreta, nō tamen sufficiūt pro omissione libera directè, sed alia duo necessariò sunt ponēda, hoc ipso, quod decretū exequutiuū nō sumit vnitatē suā ab vnitate potētiæ liberæ, sed ab vnitate actus, qui eū indifferentia ab ea fieri debet.

Duplici argumēto hic auctor suā sentētiā pro- 71
bat: primū est hoc: sufficiūt duo ista decreta pro cōplēda libertate cōtradictionis, & cōtrarietatis. ergo &c. Antecedēs, quo ad libertatē cōtradictionis patet, quia pro libertate ad amādū, & non amādū impertinēs est libertas ad odio habēdū. Quo ad libertatē verò cōtrarietatis probat, quia hæc importat indifferētiā ad duos actus positiuos oppositos. Sed hæc habetur hoc ipso, quod habetur libertas cōtradictionis ad vtrūque. ergo &c.

Verū ad hoc respōdeo absolutè loquēdo *in mea* 72
sentētia duo hæc decreta esse superflua, cū sufficiat vnū, etiā quādo volūtas debet esse cōplete potēs vtrāque libertatē exercere: at ex *suppositione*, quod duplicētur, nego antecedēs, quod *scilicet* sufficiant duo; & ad priorē *eius probationē distinguo* assūptū: pro libertate ad amādū, & nō amādū impertinēs est libertas *ad odio habēdū*, & *siquidē omissio amoris debet esse libera in se formaliter cōcedo*, quādo est libera cōsequēter, & in alio, nego antecedēs. *Dico* enim, quod eū in eo casu amor omittatur ex vi determinationis ad odiū, maximè pertinet libertas ad odiū ad nō amādū hac ratione obiectū, quod proponitur. Iā verò quādo omissio amoris est in se formaliter libera licet nō requiratur libertas ad odiū requiritur tamē libertas ad amādū. Quare si ad amādū, & odio habēdū duplex decretū est necessariū: duplex quoque necessariū erit ad amādū, & nō amādū modo dicto. *Ad posteriorē* verò probationē eiusdē ātecedētis. Respōdeo cōcessa maiore, quod minimū libertas cōtrarietatis importat indifferētiā ad duos actus positiuos oppositos; ad minorē dico, quod licet huiusmodi libertas habeatur hoc ipso, quod habetur libertas cōtradictionis ad vtrūque actū: ex *suppositione* tamē quod ad *constituendā potentiā* liberā mera libertate contrarietatis *requiratur* ex parte Dei duplex decretū, etiā pro mera *libertate* contradictionis V.G. *ad amandū, & non amandū* duplex decretum necessariū erit, & aliud item duplex pro mera *libertate* ad *odio habendum*, & non odio habendū; *quatenus non minus* opponuntur amare, & odio habere: quā amare, & nō amare: odio habere, & non odio habere: libere vt de se patet.

Secundum argumentum Ouiedi sic procedit: 73
amor, & odium sunt duo obiecta quod liber ex se

Digitized by Google

sufficiens terminare decretum diuinæ volũtatis, & Deus sæpe diuerso modo fertur in illa vt quãdo amor est bonus, odium malum; ergo non vno eodemque actu formaliter, sed duplici ad vtrumque concurrere decernit.

74 Ad hoc respondeti potest dupliciter, & primo quidem ad hominem quia etiam amor, & omissio amoris libera directè, sunt etiã duo obiecta quod libet ex se sufficiens terminare decretum diuinæ voluntatis, & Deus diuerso modo fertur in illa, quia in amorem fertur per modum desiderij, affectu complacentiæ; in eius verò omissionem sæpe per modũ fugæ affectu displicentiæ, quando mirum est peccaminosa, & tamen per vnum decretum in sententia Quiedi vtrumq; respicit Deus; ergo à pari. Respondeo secundo, quod si amor, & odium ex se, & immediatè terminarent actum diuinæ voluntatis distinctè, decreto deberent esse volita: at in casu nostro res non ita se habet: id enim in quod directe fertur decretũ diuinæ volũtatis est constituere potentiã volitiuam completam ad eliciendum vtrumq; actum, & sic obiectũ est vnum in quod fertur per modum complacentiæ; quia potentia completa ad vtrumque est cõformis rectæ rationi diuinæ, & ordinatur ad eliciendum actũ bonum liberè, in quo ratione libertatis specialis honestas reperitur.

75 His ergo omnibus sententijs seu explicationibus de decreto Dei exequtiuo post habitis, restat actaus, quã ego probabiliorem reliquis existimo; Hoc decretum decretum proxime completiuum volũtatis in ratione liberè potentis, esse vnum, & indifferens, & vltimo terminari ad disiunctũ constans ex extremis illius indifferentiæ secundum quã obiectum ab intellectu proponitur voluntati.

76 Iam verò, quod hæc decreti diuini exequtiui explicatio rectè procedat Probatur, quia ex vna parte nihil habet incõmodi, vt ex solutione obiectionum, quæ in sequenti subsectione adducentur euidenter constabit; ex alia verò cum ponatur indifferens, & non determinatum ad vnum rebunque volũtatẽ cum prædominio suorum actuum, quare ex huiusmodi decreto non rectè colligitur prædeterminationem physicã cum libertate nostra posse cõponi, quia nomine physicæ prædeterminationis intelligunt aduersarij præmotionem quandam, quæ ex sua intrinseca entitate, & antecedenter ad quemcumque vsum liberi arbitrij sit determinata ad vnum V. G. ad amorem, & ad hunc etiam voluntatem ipsam determinet, ita vt implicet contradictionem eam facere oppositum, nihil autem horum habet decretum exequtiuum à nobis assignatum, siquidem complet voluntatẽ ad veramque partem contrarietatis, vel contradictionis, ita vt potius diuinam omnipotentiã illi subordinet, quam è contra diuinæ videlicet omnipotentiæ volũtatem. Cæterum quomodo huiusmodi decretum indifferens determinetur, & necessario cum concursu exhibito á Deo voluntati nostræ connectatur in responsione ad quartam obiectionem mox explicabitur.

SVBSECTIO SEXTA.

Dissoluuntur obiecta contra decretum exequtiuum indifferens à nobis assignatum.

77 Obiicies primo: potentia progressiua hominis non applicatur sufficienter ad ambulandum per volũtatẽ disiunctiuã, qua hominis volũtas ambulare velit ascendẽdo vel descẽdẽdo; ergo neq; omnipotentia ad producendũ aliquid per voluntatẽ disiunctiuam ponendi hunc, vel oppositũ concursũ. Respõdeo negando cõsequentiã: disparitas est, quia potentia progressiua non est ordinata ad ambulãdũ, & ocurrẽdo cũ principio formaliter libero ad actũ formaliter liberũ elicẽdũ, sed se sola producẽdo actũ formaliter necessariũ; vnde cum de se sit indifferens, & se determinare non possit, nisi per voluntatem omnino determinatã applicetur ad ambulandum, ambulare non poterit. At verò omnipotẽtia Dei in casu nostro est ordinata à voluntate Dei ad operandũ concurrendo cum voluntate nostra, quæ est principium formaliter liberũ. Vnde est quod licet secũdum se determinare nequeat se ipsa, potest tamen expectare determinationẽ à volũtate creata, cui subdatur in operando, eiq; per decretũ aliquod disiũctiuum applicetur, eo quod in conflato ex omnipotentia, & voluntate habetur determinatiuum illius disiunctiuis.

78 Obijcies secundo huiusmodi decretum exequtiuum habet efficaciã suam prius quã intelligatur determinatio creaturæ; ergo in eo signo aliquid operatur; non nisi prædeterminationẽ: datur igitur prædeterminatio. Respondeo decretum indifferens cum complete voluntatẽ creatã ad hoc vt possit libere operari, duplicem habere efficaciam, vnã in genere causæ formalis extrinsecæ; alteram in genere efficientis, in ordine ad primam est adæquatum; vnde est, vt ex vi illius existat de nouo in mundo voluntas vt completa ad operandũ liberè, quod est quidam se determinatum; quoniam verò argumentum procedit de secunda, & in genere efficientis, distinguo antecedens: decretum exequtiuum prius quã intelligatur existere determinatio creaturæ, habet sũam efficaciam completam, nego, incompletam concedo antecedens; cum enim ipsum in genere efficientis nullã operationẽ liberam creaturæ absolutè, & determinatè decernat, sed quantum ad hoc se remittat determinationi creaturæ: hinc est, quod sicuti complementum expectat à creatura, quo ad suam determinationem: ita, & quo ad efficientiam, sic distincto antecedente distinguo eodẽ modo consequens: in eo signo aliquid operatur adæquatũ, & determinatum, nego: inadæquatum, & indeterminatũ, concedo. Hoc autem nequit esse prædeterminatio physica; implicat enim quod effectus decreti ad vtrumlibet sit determinatio ad vnũ, sed est disiunctũ, illud scilicet existentia amoris, vel odii, vel carẽtiæ vtriusque determinanda à volũtate creata; ad positionẽ enim talis decreti statim intelligitur cõsurgere hæc veritas, quod scilicet, ex determinatione creaturæ aliquod ex his erit in mundo.

79 Obiicies tertiò: hoc decretum disiunctiuum est conditionatum respectu singulorum extremorum; ergo relabimur in sententiam de decreto conditionato. antecedens probatur, quia idem est dicere volo existentiam huius amoris, vel huius odii, vel cãrentiæ vtriusque, ac nolo existentiam huius amoris, si non sit hoc odiũ, vel carentia vtriusque aut e contra. Respondeo primo dato antecedente negando consequentiã: disparitas est quia ex nostro hoc decreto non sequitur idem incommodũ, quod ex illo conditionali impugnato; illud enim erat nugatoriũ volendo diuinum concursum si esset concursus causæ secundæ, quod est obiectũ ne-

Digitized by Google

cessa-

cessarium, cuius oppositum omnino implicat: Cõtra verò nostrum decretum est proficuum, versatur enim circa obiectum cõtingens quia non est necessariũ, quod si non est amor, sit odium, vel carentia vtriusque dependenter á determinatione voluntatis creatæ; potest enim nullum ex his esse, si Deus denegat illi suum concursum. Respondeo secundo negando antecedens, ad cuius probationẽ dico decretum hoc: volo existẽtiã huius amoris, si non sit hoc odium, vel carentia vtriusq; dependenter à voluntate creata, non esse propriè, & philosophicè conditionatum, quia non eligit vnũ dependenter ab alio tamquam à cõditione antecedenti: non enim carentia odij, & multo minus carentia Carentiæ amoris in ratione liberi, præcedunt ipsum actũ amoris in subiecto, alias propositio disiunctiua, esset eadem cũ conditionali.

80 Obijcies quarto: decretum quo Deus applicat voluntati nostræ omnipotentiã suã in actu primo, est idem cum eo, quo illã adiuuat ad operandũ in actu secundo, sed hoc non est disiunctũ, sed omnino determinatũ ad vnũ; ergo, & illud. Maior patet à pari, quia per idẽ decretum applicat Deus suã omnipotentiã ad concurrẽdũ cũ igne ad cõburẽdũ, ac cõcurrit cũ illo. Minor verò probatur, quia decretũ adiuuans voluntatẽ liberam in actu secundo est de præstãdo hoc determinato concursu; ergo est determinatũ ad vnũ, & sic non est disiunctiuũ. Respondeo distinguendo maiorẽ: est idẽ substãtialiter in ratione liberi decreti, concedo; accidentaliter, nego maiorẽ: & sic distinguo minorẽ; decretũ adiuuans nõ est disiunctiuũ, sed determinatũ substantialiter in ratione liberi decreti, nego: accidentaliter, concedo; & nego cõsequẽtiã. Puto enim, quod per idẽ decretũ disiũctiuũ, quoad substãtiã liberi Deus complet potentiã, & concurrit cũ illa, licet enim, quãdo cõcurrit, decretũ de indifferẽti fiat determinatũ: nõ ideo mutatur in ratione liberi, seu quo ad virtutẽ operatiuã, quia determinatio nõ habetur proxime ex voluntate diuina, sed ex creata. Probatio autem maioris nõ est ad rem, quia decretũ completiuũ causæ necessariæ nõ est indifferens, sed determinatum ad vnũ. Ad probationẽ verò minoris distinguo antecedens: decretũ adiuuans est de præstãdo hoc determinato concursu ita vt ipsũ sit proximũ determinatiuũ talis concursus, nego: ita vt huiusmodi determinatiuũ sit volũtas creata, concedo; & nego cõsequẽtiã, quia Deus per eã formalissimã libertatẽ in actu secundo, qua se determinauit concurrere ad vtrũlibet cũ volũtate creata, se determinat cõcurrere determinatè ad hunc potius, quam ad alium actum.

81 Instabis: vt intelligatur in Deo nouum decretum, sufficit si habeatur noua actio ad extra ex huius enim positione actus Dei necessarius intelligitur de nouo terminari ad aliquod obiectũ, ad quod prius non terminabatur; sed quando ponitur determinatus concursus cum voluntate creata iam habetur noua actio; ergo &c. Respondeo distinguendo maiorẽ: sufficit si habeatur noua actio ad extra, dummodo huiusmodi actio pendeat proxime à decreto Dei tamquã à determinãte concedo: si sic pẽdeat à voluntate creata nego maiorẽ, & sic distincta minore nego consequẽtiã: Dico enim, quod ad hoc vt noua actio ad extra constituat nouũ decretũ, requiritur vt sic libera Deo libertate proxima, & sic pendeat proxime ab illo tamquã à determinãte. In casu autẽ nostro actio illa est ipsi libera solũ libertate remota, quatenus liberè applicuit suã omnipotentiã ad totum disiunctũ dependẽter à determinatione nostra. Ad probationẽ maioris dico, quod ad positionẽ nouæ actionis liberæ intelligitur quidẽ actus Dei necessarius terminari de nouo ad aliquod obiectũ, ad quod prius nõ terminabatur, nõ tamẽ per nouum exercitiũ diuinæ libertatis, hoc est, per nouã volitionẽ quæ sit libera Deo libertate proxima, sed per nouũ affectũ siue cõplacẽtiæ siue disciplicẽtiæ erga nostrũ actũ, vt existẽtẽ, qui quidẽ affectus pẽdeat quidẽ proxime à determinatione nostræ volũtatis, remotè verò à Deo ratione decreti indifferẽtis, ex cuius suppositione dictus affectus necessario sequitur in Deo. Ex quibus colligitur nõ debere poni in Deo nouũ decretũ distinctũ ab applicatiuo omnipotẽtiæ ad vtrũlibet, atque adeo si per impossibile post decretũ illud necessario operaretur Deus, iã esset sufficiẽter determinatus ad cõcurrẽdũ cũ causis secũdis liberis, & hæc quãtũ est ex hoc capite, adhuc *libere operarentur*.

82 Obiicies quinto: habitus charitatis est cõpletiuus actus primi potẽtiæ, quã habet ipse actus ad amandũ liberè Deũ, & tamẽ est determinatus ad amorẽ; ergo decretũ Dei de concurrẽdo, etiã si sit cõpletiuũ potentiæ liberæ potest esse determinatũ ad vnũ V. G. ad amorem ita vt nequeat coniungi cum odio, absque eo quod præiudicet libertati.

Respondeo concesso antecedente, *negando* cõsequẽtiã. Disparitas est quia homo instus licet nõ possit cum habitu charitatis coniungere actum odii, potest tamẽ se diuidere ab habitu illo per productionẽ ipsius actus odii, quia supponitur naturaliter cõplete potens odio habere, ac si nõ haberet applicatã diuinã omnipotẽtiã nisi per decretum ad amorẽ, ita nõ potest contungere cum huiusmodi decreto actum odii, vt neq; possit se diuidere à dicto decreto per productionẽ ipsius odii, & hinc fit vt in primo casu saluetur libertas, in secundo autem lædatur.

FINIS TERTII, AC POSTREMI TOMI
In Laudem Dei, Beatissimæq; Virginis sine
Labe Conceptæ.

BIBLIOTECA
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google